DUQUESNE UNIVERSITY LIBRARY

HOLY GHOST FATHERS
SCHOLASTICATE
FERNDALE. CONN.

THEOLOGICA

DOGMATA

DIONYSII PETAVII

E SOCIETATE JESU.

D. Th. VIII 7 10

SAINT-QUENTIN. — IMPRIMERIE JULES MOUREAU, GRAND'PLACE, 7.

DOGMATA

THEOLOGICA

DIONYSII PETAVII

E SOCIETATE JESU.

EDITIO NOVA

DISSERTATIONIBUS AC NOTIS F. A. ZACHARIÆ, ALIORUMQUE, NECNON ADRIANI LECLERC SELECTIS NOTIS, ALIISQUE NONNULLIS NUNC PRIMUM EDITIS ILLUSTRATA ET ORNATA, CUI ACCESSIT INDEX GENERALIS TUM VERBORUM, TUM RERUM LOCUPLETISSIMUS, NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITUS, CURANTE

J.-B. FOURNIALS

PAROCHO S. SATURNINI, CANONICO HONORARIO INSIGNIS ECCLESIÆ METROPOLITANÆ ALBIENSIS, OLIM MINORIS SEMINARII CASTRENSIS MODERATORE.

TOMUS QUARTUS

IN QUO RURSUM DE ANGELIS, DE SEX PRIMORUM MUNDI DIERUM OPIFICIO, DE PELAGIANORUM SEMIPELAGIANORUMQUE HÆRESI ET QUIBUSDAM ALIIS AGITUR.

HOLY GHOST FATHERS
SCHOLASTICATE
FERNDALE, CONN.

PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM

VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 9

M DCCC LXVI.

BX1750
P48
1865x
v.4

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/theologicadogmat0004jbfo

THEOLOGICORUM DOGMATUM

DE ANGELIS

LIBER SECUNDUS

IN QUO DE ORDINIBUS, ET OFFICIIS BONORUM ANGELORUM AGITUR.

CAPUT PRIMUM.

De Ordinibus Angelorum explicantur veterum Patrum sententiæ, qui ab stulta Bezæ criminatione vendicantur. Nomina in Scripturis vulgata illorum ordinum esse propria. Præter hos vero, alios ignotos esse nobis Ordines antiqui fatentur. Angelorum apud Hebræos appellationes.

I. Angelos certis ordinibus attributos esse, atque alios aliis esse superiores, sine ulla dubitatione antiqui omnes agnoverunt; tum eos ordines propriis nominibus affectos, ac distinctos esse, quæ ex sacris libris colliguntur. Nam Cherubim, ac Seraphim multis in locis nominantur; plerique alii ab Apostolo præsertim appellati sunt. Hac ratione novem esse Angelorum vocabula, totidemque ordines, post Dionysium, Gregorius Papa concludit[1]: « Novem, ait, Angelorum ordines diximus, quia videlicet esse, testante sacro eloquio, scimus Angelos, Archangelos. Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubim, atque Seraphim. Esse namque Angelos, et Archangelos, pene omnes sacri eloquii paginæ testantur. Cherubim vero, atque Seraphim sæpe, ut notum est, libri Prophetarum loquuntur. Quatuor quoque ordinum nomina Paulus *ad Ephesios* enumerat dicens[2]: *Supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem.* Qui rursus *ad Colossenses* scribens, ait[3]: *Sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates.* Dominationes vero, et principatus, ac potestates jam ad Ephesios loquens descripserat. Sed ea quoque Colossensibus dicturus, præmisit thronos, de quibus nec dum quidquam fuerat Ephesiis locutus. Dum ergo illis quatuor, quæ ad Ephesios dixit, id est principatibus, potestatibus, virtutibus, atque dominationibus conjunguntur throni, quinque sunt ordines, qui specialiter exprimuntur; quibus dum Angeli, et Archangeli, Cherubim, atque Seraphim adjuncta sunt, procul dubio novem esse Angelorum ordines inveniuntur. »

De Angelorum ordinibus.

II. Atqui in illis duobus Apostoli locis, negant aliqui certos commemorari Angelorum ordines. Nam in priore, qui est ex epistola *ad Ephesios*, ne Angelos quidem designari nominatim asserit Beza. « Simpliciter enim, ait, Apostolus supra omnem omnium rerum creatarum præstantiam Christum evehit. » Hinc « inepte curiosos vocat, qui ex hoc loco, et similibus occasionem accipiunt garriendi de Angelorum ordinibus. » Quam interpretationem hausit ex Erasmo; qui et ipse non de Angelis tantum loqui Apostolum asserit, sed in genere de universis; quasi dicat, Christum evectum esse supra creata omnia quamlibet excelsa, et sublimia; qualia sunt, quæ illis vocabulis exprimuntur; imperium, auctoritas, potestas, dominatus, aut si qua ejusmodi sunt nomina, quæ hominum usu, et opinione excellens aliquid continent. Atque hoc plenius docet idem Beza in *Scholiis* ad VIII caput epistolæ *ad Romanos*[4]. At vero Calvinus utroque in loco significari Angelos putat, sed ita, ut non certi eorum appellentur ordines, sed infinite horum præstantia notetur, « quod Deus per ipsorum manum suam potestatem, virtutem, et dominationem exerceat; » tanquam ista nomina, throni, domi-

1 Hom. XXXIV. — 2 Cap. I, 21. — 3 Cap. I, 16. — 4 *Rom.* VIII, 38.

JUN 20 1986

nationes, principatus, virtutes appellativa sint, non propria.

Nominibus in Scripturis usitatis designari certos angelorum ordines testes sunt Patres Græci atque Latini.

Sed iis ipsis vocabulis proprie designari certos gradus Angelorum, et ordines ab Apostolo, summa consensione Græci, ac Latini Patres arbitrati sunt; ac non illi solum, qui post vulgatos Dionysii libros exstitere, sed etiam antiquiores. Ignatius in epistola secunda, quæ est *ad Trallianos:* « Ego vero, inquit, non quia vinctus sum, et intelligere possum cœlestia, et Angelicos ordines, nec non Angelorum, et exercituum differentias, ac virtutum, et dominationum discrimina, thronorumque, et potestatum varietates, æonum magnitudines, Cherubim, ac Seraphim excellentias, tum sublimitatem Spiritus et Domini regnum, ac super omnia Dei omnipotentis incomparabilem majestatem; hæc, inquam, quia cognosco, non propterea penitus sum perfectus, aut talis sum discipulus, qualis Paulus, et Petrus. Nam multa mihi desunt, uti a Deo non deficiam[a]*. »

III. Irenæus libro secundo, capite LIV. « Dicant nobis, quæ sit invisibilium natura; enarrent numerum Angelorum, et ordinem Archangelorum; demonstrent Thronorum sacramenta, et doceant diversitates Dominationum, Principatuum, Potestatum, atque Virtutum. » Qui locus insignis est, et alteri illi Gregorii Magni consentaneus. Quippe septem illic distincte ordines perhibet; quibus additi duo, quorum in Scripturis luculenta fit mentio, Cherubim, ac Seraphim, novem existunt Angelorum ordines. Sic Origenes libro primo *de Principiis*, capite V et in quarto *contra Celsum*, aliquot ex istis ordines commemorat; ut et in sexto libro, ubi « Angelos, Thronos, Dominationes, Principatus, et Potestates » enumerat; nec non in commentariis *in Joannem*.

Athanasius in epistola *ad Serapionem* perspicue nomina illa propria esse demonstrat angelicorum ordinum. Nam nullam creaturam ait esse natura Deum; sed unamquamque rem id, quod est facta, vocabulo proprio nuncupari, cœlum, terram, mare, hominem; « et ante hæc Angelos, Archangelos, Cherubim, Seraphim, Virtutes, Principatus, Potestates, Dominationes, Paradisum; et ita unumquodque permanet[b]. » Ibi octo Angelorum ordines percensuit, Thronos vero, qui hic omissi sunt, postea eodem libro commemoravit.

Rursus in libro tertio contra Arianos disputans, qui Filium creaturam esse dicebant, sed non cujusmodi sunt reliquæ, objicit iis, idem et de singulis creaturis posse dici, velut Angelis: « Neque enim, ait, irrationalia sunt, ut homo rationalis; neque Angeli ut Throni, neque hi ut Potestates. Sed omnes quidem sunt creaturæ; singulæ vero res creatæ secundum genus suum in propria substantia, uti factæ sunt, sic existunt, et manent[c]. » Qui locus id etiam significare videtur, ordines illos Angelorum specie invicem, et οὐσίᾳ differre. Non igitur nomina ista sunt communis cujusdam excellentiæ, sed ordinum propria. Tum postea, quibusdam interpositis, ita scribit: « Ad ministerium autem non unus, sed ex omnibus plures sunt, quoscumque mittere voluerit Dominus. Multi enim Archangeli, multi Throni, et Potestates, et Dominationes[d], » etc. Tum alibi eosdem confutat Arianos, qui unum esse cum Patre Filium aiebant, consensione voluntatum, et concordia. « Si enim, inquit, ea ratione unum sunt Pater et Filius, et sic Patri similis est Filius; licebit et Angelos, et cætera superiora nobis, ut Principatus, Potestates, Thronos, Dominationes, et quæ apparent in cœlo, solem, atque lunam, et stellas dicere tales esse, qualis est Filius[e]. »

a Ignat. epist. II. Καὶ γὰρ ἐγὼ οὐ καθότι δέδεμαι, καὶ δύναμαι νοεῖν τὰ ἐπουράνια, καὶ τὰς ἀγγελικὰς τάξεις, καὶ τὰς τῶν ἀγγέλων, καὶ στρατειῶν ἐξαλλαγὰς, δυνάμεων τε, καὶ κυριοτήτων διαφορὰς, θρόνων τε, καὶ ἐξουσιῶν παραλλαγὰς. αἰώνων δὲ μεγαλειότητας, τῶν τε Χερουβεὶμ, καὶ Σεραφεὶμ τὰς ὑπεροχὰς, τοῦ τε πνεύματος τὴν ὑψηλότητα, καὶ τοῦ κυρίου τὴν βασιλείαν, καὶ ἐπὶ πᾶσιν, τὸ τοῦ παντοκράτορος θεοῦ ἀπαράθετον· ταῦτα γινώσκων ἐγὼ οὐ πάντως ἤδη τετελείωμαι, ἢ μαθητὴς εἰμι, οἷος Παῦλος, καὶ Πέτρος. πολλὰ γάρ μοι λείπει, ἵνα θεοῦ μὴ ἀπολειφθῶ·

b Athan. Καὶ πρὸ τούτων ἄγγελοι, καὶ ἀρχάγγελοι, Χερουβὶμ, Σεραφὶμ, καὶ δυνάμεις, ἀρχαὶ, ἐξουσίαι, κυριότητες, παράδεισος, καὶ οὕτως ἕκαστον διαμένει.

c Athan. orat. III. Οὔτε τὰ ἄλογα ὡς ὁ λογικὸς ἄνθρωπός ἐστιν· οὔτε οἱ ἄγγελοι ὡς οἱ θρόνοι· οὔτε οὗτοι, ὡς αἱ ἐξουσίαι. ἀλλὰ πάντα μέν ἐστι κτίσματα· ἕκαστον δὲ τῶν γενομένων γένος τῇ ἰδίᾳ οὐσίᾳ ὡς γέγονεν, ἐστί τε, καὶ μένει.

d Ibid. Πρὸς δὲ τὴν διακονίαν οὐχ' εἷς, ἀλλ' ἐκ πάντων πολλοί εἰσιν, οὓς ἐὰν θέλῃ πέμπειν ὁ κύριος· πολλοὶ μὲν ἀρχάγγελοι, πολλοὶ δὲ θρόνοι καὶ ἐξουσίαι, καὶ κυριότητες.

e Idem orat. IV. Εἰ γὰρ διὰ ταῦτα ἓν εἰσιν ὁ Πατὴρ, καὶ ὁ Υἱὸς, καὶ οὕτως ὅμοιός ἐστιν ὁ Υἱὸς τῷ Πατρὶ, ὥρα καὶ τοὺς ἀγγέλους, καὶ τὰ ἄλλα ἡμῶν τὰ ὑπερκείμενα, ἀρχάς τε, καὶ ἐξουσίας, καὶ θρόνους, καὶ κυριότητας, καὶ τὰ φαινόμενα, ἥλιόν τε, καὶ σελήνην καὶ τοὺς ἀστέρας, εἶναι καὶ αὐτοὺς ὡς καὶ τὸν υἱόν.

* Hæc in genuino Ignatio non inveniuntur, sed in interpolato. J. B. F.

Et alio loco, « Quemadmodum vero discrimen ordinum in supernis virtutibus agnovimus, ita et stationis, ac cognitionis. Throni quidem, et Seraphim, et Cherubim immediate a Deo discunt, tanquam superiores omnibus, et Deo propinquiores. Hi porro docent inferiores ordines. Infimus autem ordo est Angelorum, qui et hominum sunt magistri [a]. »

IV. Insignis est et Cyrilli Hierosolymitani locus de eadem ordinum differentia, qui diversis illis nominibus exprimuntur ; ubi Arianorum castigat inscitiam, qui, cum nesciant, quid Thronus a Dominatione differat, cæterique invicem ordines, æternam Filii generationem explorare non dubitent. « Nam, si fieri posset, inquit, ut quispiam in primum cœlum ascendens, et Angelorum, qui illic sunt, statum comprehendens, et accedens ad eos interrogaret, quomodo Deus Filium suum genuit, forte dicerent, habemus supra nos majores, et superiores alios, illos interroga. Ascende ad secundum, tertiumve cœlum ; perveni, si potes, usque ad Thronos, Dominationes, Principatus, et Potestates, etc. Ego vero temerariorum hominum curiositatem sum semper admiratus, qui per speciem quamdam fictæ religionis in impietatem incidunt. Quippe Thronos, et Dominationes, quæ Christi opera sunt, et Principatus, et Potestates ignorantes, horum conditorem curiosius indagare student. Dic mihi prius, homo audacissime, quid Thronus a Dominatione differat, et tunc, quæ ad Christum pertinent, inquire. Dic mihi, quid sit Principatus, quid Virtus, quid Angelus ; et tunc factorem ipsum curiose perquire [b]. »

Basilius quoque [1] Thronos, Dominationes, Principatus, et Potestates, Seraphim, Angelos, et Archangelos ordines esse dicit, qui faciem Patris aspiciunt.

Et homilia *de Fide*, « Angelorum choreas, Archangelorum præfecturas, gloriam Dominationum, præsessiones Thronorum, Virtutes, Principatus, Potestates [c]. » Quibus si accedant Seraphim, et Cherubim, novem omnino confient.

V. Epiphanius [2] in hæresi LXIV, sectione XXXIII manifeste sex illa nomina, Angelos, Archangelos, Principatus, Thronos, Potestates, Seraphim propria esse naturarum asserit specie invicem differentium. Sed addit λειτουργοὺς, id est *ministros*, tanquam ordinem quemdam ab aliis distinctum. Fortasse, quos Angelos vocamus, *ministros* appellavit ; Angelos vero, quos Archangelos dicimus. Hunc locum citavimus libro superiore, capite XVI ubi illud inquirimus, sintne Angeli mutuo a se specie distincti.

Titus Bostrensis in calce libri tertii *contra Manichæos*. « Quid commune est, inquit, spiritibus cum fluminibus ? Quis Angelus, quæ Virtus, quæ Dominatio, quis Principatus quæ Potestas ad lavacrum descendit, et aquas experta est ? Quod si neque Virtus, neque Potestas, neque Thronus in aquas descendit, » etc.

Didymus item propria illa nomina esse sentit [3], ubi ait Spiritum sanctum « non solum sejunctis a se hominibus præsto esse, sed et singulis quibusque Angelis, Principatibus, Thronis, Dominationibus inhabitatorem assistere ; ac non dici plenum esse quempiam Angelo, Throno, Dominatione, » sicut plenus dicitur Spiritu sancto. Quæ verba demonstrant, proprie hæc ab illo nomina Angelorum accipi.

VI. Gregorius Nazianzenus sub finem ora-

a Id. lib. *de Com. essent.* Ὥσπερ δὲ καὶ τάξεως διαφορὰν ἐν ταῖς ἄνω δυνάμεσιν ἔγνωμεν, οὕτω καὶ στάσεως, καὶ γνώσεως. οἱ μὲν θρόνοι, καὶ τὰ Σεραφὶμ, καὶ τὰ Χερουβὶμ ἀμέσως παρὰ θεοῦ μανθάνουσιν, ὡς πάντων ἀνώτερα, καὶ θεῷ πλησιάζοντα. ταῦτα δὲ διδάσκει τὰ κατώτερα τάγματα· καὶ οὕτως ἐφεξῆς τὰ ἀνώτερα διδάσκει τὰ κατώτερα. τὸ δὲ κατώτερον τάγμα εἰσὶν οἱ Ἄγγελοι, οἱ καὶ τῶν ἀνθρώπων ὄντες διδάσκαλοι.

b Cyril. *Cat.* II. Εἰ γάρ τις, εἴγε ἦν δυνατὸν, ἀναβὰς εἰς πρῶτον οὐρανὸν, καὶ τῶν ἐκεῖ ἀγγέλων κατανοήσας τὴν κατάστασιν, προσελθῶν ἐρωτήσειε, πῶς ὁ θεὸς ἐγέννησε τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν, ἐροῦσιν ἴσως, ἔχομεν ὑπὲρ ἡμᾶς μείζονας ἀνωτέρους· ἐκείνους ἐρώτησον· ἀνάβηθι πρὸς δεύτερον οὐρανὸν καὶ τρίτον· φθάσον, εἰ δύνῃ, πρὸς θρόνους, κυριότητας, ἀρχάς τε, καὶ ἐξουσίας, etc. Καὶ ἐγὼ τεθαύμακα ἀεὶ τῶν τολμηρῶν τὴν φιλοπραγμοσύνην τῶν διὰ τῆς νομιζομένης εὐλαβείας εἰς ἀσέβειαν ἐκπιπτόντων. θρόνους γὰρ, καὶ κυριότητας, τὰ Χριστοῦ ποιήματα, καὶ ἀρχὰς, καὶ ἐξουσίας ἀγνοοῦντες, αὐτῶν τὸν ποιητὴν φιλοπραγμονεῖν ἐπιχειροῦσιν. εἰπέ μοι πρῶτον, ὦ τολμηρότατε τί διαφέρει θρόνος κυριότητος, καὶ τότε πολυπραγμόνει τὰ κατὰ Χριστόν. εἰπέ μοι τί μέν ἐστιν ἀρχὴ· τί δὲ δύναμις· τί δὲ ἄγγελος, καὶ τότε τὸν ποιητὴν πολυπραγμόνει.

c Basil. Χοροστασίας ἀγγέλων, τὰς τῶν ἀρχαγγέλων ἐπιστασίας, τὰς δόξας τῶν κυριοτήτων, τὰς προεδρίας τῶν θρόνων, τὰς δυνάμεις, τὰς ἀρχὰς, τὰς ἐξουσίας.

1 Lib. *de Sp. sanct.* c. XVI. *Græco-Lat.*— 2 Vide eumd. Hær. XL, n. 4, et in *Ancor.* n. 73.— 3 Lib. I *de Spir. sanct.*

tionis XXXIV enumerat « Angelos, Archangelos, Thronos, Dominationes, Principatus, Potestates [a] ; » additque « splendores, ascensiones, intelligentes virtutes, vel intelligentias ; » ut ambiguum sit, an hæc omnia nomina propria esse voluerit.

Gregorius vero Nyssenus octo vocabula distincte recenset, « Potestates, Dominationes, Thronos, Principatus, Virtutes, Seraphim, Cherubim, et Ministros [b]. »

Et in libro primo *contra Eunomium* editionis secundæ, ita quosdam ex iis appellat. Nam de spiritualibus, et incorporeis creaturis loquens, « Creata, inquit, recenset oratione, Thronos quosdam, et Principatus, et Potestotes, et Dominationes exprimens ita, ut generalibus quibusdam, et vim multitudinis habentibus vocabulis, doctrinam invisibilium istarum virtutum tradiderit [c]. »

Chrysostomus vero homilia IV *in Genesim* novem ipsos ordines nominatim appellat : « Si ad invisibiles, inquit, virtutes venias, et animum intendas ad Angelorum exercitus, Archangelorum, cœlestium Virtutum, Thronorum, Dominationum, Principatuum, Potestatum, Cherubim, Seraphim, quæ mens, quæve oratio ad eloquendam inexplicabilem ipsius magnitudinem par esse possit [d] ? » Alias plures, paucioresve ex eo numero percenset, maxime in orationibus contra Anomœos *de Incomprehensibili* [1].

Theophilus item Alexandrinus in libro Paschali secundo, illos ipsos, qui in epistola *ad Colossenses* capite primo referuntur ab Apostolo, Angelorum gradus agnoscit.

VII. Sic etiam Cyrillus Alexandrinus multis in locis nomina illa tanquam ordinum propria commemorat. Ut in quinto commentariorum *in Joannem* : « Quomodo ingens, inquit, adeo cœlum condidit, et extendit sicut tabernaculum ad habitandum ? quomodo terram fundavit ? quomodo solis, et lunæ, et eorum, quæ in firmamento sunt, artifex fuit ? Quomodo vero creavit Angelos, et Archangelos, Thronos, et Dominationes, et præter hos etiam Seraphim [e]. » Huic similis est locus ejusdem in primo *contra Julianum*. Et in primo *Dialogorum de Trinitate*, « Meliore multo, inquit, in statu, quam nos, secundum naturæ insitas rationes, constituuntur Thronus, et Potestas, et Dominatio, et ipsi Seraphim [f]. »

Tum disertissime in Paschali epist. XII. « Ac numero quidem majorem spirituum beatorum multitudinem condidit, et ordinem iis, quæ condiderat, optimum assignans, alium vocavit Principatum, alium Dominationem, alium Thronum, quosdam item Archangelos, nec non Angelos [g]. » Idem in oratione *ad Theodosium imperatorem*. « Et missa, inquit, humana facio. Dicam enim vero, etsi Angelos quis nominet, et Principatus, et Thronos, et Dominationes enumeret, imo vero etsi supremorum Seraphimorum meminerit [h]. » etc. Idem et alibi [2], Dominationibus tacitis, octo percenset.

Theodoretus sermone tertio *ad Græcos Infideles*, totidem, id est octo nominat, Virtutibus prætermissis. « Atenim, ait, credo vos dicturos : Atqui etiam vos Christiani

a Nazianz. Ἀγγέλους τινὰς, καὶ ἀρχαγγέλους, θρόνους, κυριότητας, ἀρχὰς, ἐξουσίας, λαμπρότητας, ἀναβάσεις, νοερὰς δυνάμεις, ἢ νόας.

b Nyss. hom. XV *in Cant.* Ἐξουσίας, κυριοτήτας, θρόνους, ἀρχὰς, δυνάμεις, Σεραφὶμ, Χερουβὶμ, λειτουργούς.

c Nyss. Τὰ μὲν γὰρ κτισθέντα καταριθμεῖται τῷ λόγῳ, θρόνους τινὰς, καὶ ἀρχὰς, καὶ ἐξουσίας, καὶ κυριότητας λέγων· γενικοῖς τισὶ καὶ περιπληπτικοῖς ὀνόμασι τῶν ἀοράτων τούτων δυνάμεων τὴν διδασκαλίαν ποιούμενος.

d Chrys. Ἐὰν καὶ ἐπὶ τὰς ἀοράτους ἔλθῃς δυνάμεις, καὶ τὸν λογισμὸν ἀνατείνῃς ἐπὶ τὰς τῶν ἀγγέλων στρατιὰς, τῶν ἀρχαγγέλων, τῶν ἄνω δυνάμεων, τῶν θρόνων, τῶν κυριοτήτων, τῶν ἀρχῶν, τῶν ἐξουσιῶν, τῶν Χερουβὶμ, τῶν Σεραφὶμ, ποῖος λόγος ἀρκεῖ ἐξειπεῖν τὴν μεγαλωσύνην αὐτοῦ τὴν ἀνεκδιήγητον ;

e Cyr. V *in Joan.* Εἶτα πῶς, εἰπέ μοι, τὸν οὕτω μέγαν ἔστησεν οὐρανὸν, καὶ διατείνας ὡς σκηνὴν κατοικεῖν ; πῶς ἐθεμελίωσε τὴν γῆν ; πῶς δὲ ἡλίου, καὶ σελήνης, καὶ τῶν ἐν τῷ στερεώματι γέγονεν ἐργάτης ; πῶς δὲ ἔκτισεν ἀγγέλους, καὶ ἀρχαγγέλους, θρόνους, καὶ κυριότητας, καὶ πρὸς τούτοις ἔτι τὰ Σεραφὶμ ;

f Idem lib. I *Dial.* Ἐν ἀμείνοσι δὲ πολὺ λίαν ἢ καθ' ἡμᾶς, κατά γε τοὺς ἐνόντας τῇ φύσει λόγους, θρόνος τε, καὶ ἐξουσία, καὶ κυριότης, καὶ αὐτὰ τὰ Σεραφὶμ. Vide et lib I *Glaphyr.* et 3 *in Joan.*

g Cyr. Pasc. XII. Καὶ ἀριθμοῦ μὲν κρείττονα πνευμάτων ἁγίων ἔκτισε πληθύν· τάξιν δὲ τοῖς γεγονόσι τὴν ἀρίστην ἐπιτιθεὶς, τὸ μὲν ὀνόμασεν ἀρχὴν, τὸ δὲ, κυριότητα, θρόνον δὲ ἕτερον, ἀρχαγγέλους δέ τινας, καὶ μὴν ἀγγέλους.

h Cyr. *in Act.* Καὶ παρίημι μὲν τὰ ἀνθρώπινα. ἐρῶ δὲ οὖν κἂν ἀγγέλους ὀνομάσαιτο, καὶ ἀρχὰς, καὶ θρόνους, καὶ κυριότητας, ἀπαριθμήσαιτό τις καὶ μὴν, εἰ τῶν ἀνωτάτω διαμεμνήσεται Σεραφὶμ.

1 Ut in II et in III et in IV et in V. — 2 Lib. I *in Gen.*

quasdam virtutes esse dicitis, quos et Angelos, et Archangelos, dicitis et appellatis, ac Principatus, et Potestates, et Dominationes, et Thronos, et alias rursus Hebræorum lingua Cherubim, ac Seraphim nominari scitis [a], » etc. Tum idem in commentariis ad epist. Pauli *ad Ephesios*, et *Colossenses*, loca illa declarans, quæ superius attuli, fatetur utrobique certos Angelorum ordines ab Apostolo nominari.

VIII. Nec a Græcis Latini Patres abhorrent : quin illa vocabula certos, ac definitos ordines designare putant ; ut Novatianus in libro *de Trinitate*, cap. I, Ambrosius libro primo *Hexaem.* c. V [1], Hieronymus in commentariis ad epistolæ Pauli *ad Ephesios* caput primum. Et ad illa verba capitis tertii, commatis 15. *Ex quo omnis paternitas in cœlis, et in terra nominatur* hæc adnotat : « Ita puto, et Angelos, cæterasque virtutes habere principes sui generis in cœlestibus, quos patres gaudeant appellare. Archangelus enim, nisi Angelorum dici non potest, et Dominatio, et Principatus, et Potestas, nisi inferiores subjectos habeant, non vocantur. » Vide eumdem Hieronymumm in caput I epistolæ *ad Titum*, cujus verba capite XV descripsimus, cum de tempore, quo Angeli conditi sunt, ageremus. Augustinus item, cujus locum paulo post reddemus ; Cassianus [2], ac plerique alii.

Ordines, nomina, proprietates et discrimina angelorum ab antiquioribus in incerto relicta.

Neque tamen veterum quisquam, qui nondum cognitis Dionysii libris exstiterunt, ita ordinum istorum nomina posuit, uti certo eos numero complexus sit, aut ut novem, quomodo ille, constituerit ; sed tam illud in incerto reliquerunt, quam singulorum proprietates, ac discrimina. De quibus Augustinus sic hæsitationem suam prodit in libro *contra Priscillianistas, et Origenistas*, capite XI. « Certe ait Apostolus : *Sive Sedes, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates.* Et esse itaque Sedes, Dominationes, Principatus, Potestates in cœlestibus apparatibus firmissime credo, et differre aliquid indubitata fide teneo. Sed, quo me contemnas, quem magnum putas esse doctorem, quænam ista sint, et quid inter se differant, nescio. » Ibi *sedes* appellat, quos Apostolus θρόνους, qua voce sæpius utimur. Quanquam *sedes*, sive *thronos* Dei esse Cherubim indicat Augustinus idem ad *Psalmum* XCVIII hæc verba declarans. *Qui sedet super Cherubim* [3]. Tum alibi dubitat, utrum Archangeli iidem sint qui dicuntur Virtutes ; et « quid inter se distent quatuor illa vocabula, quibus universam ipsam cœlestem societatem videtur Apostolus esse complexus, dicendo, sive sedes, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates ; dicant, qui possunt, si tamen possunt probare, dicant ; ego me ista ignorare confiteor. »

Quinetiam alio in loco Cherubimos a Potestatibus, et Virtutibus non separat [4], cum ait « Cherubim sublimes esse cœlorum potestates, atque virtutes. » Ergo quatuor illis nominibus ordines omnes Angelorum comprehensos a Paulo credidit Augustinus ; adeoque cætera vocabula, quæ in aliis Scripturæ locis occurrunt, uti Cherubim, et Seraphim, ad illa pertinere.

IX. Memorabilis est et Hieronymi locus in comment. ad cap. I epist. *ad Ephesios* ; ubi de quatuor itidem nominibus ab Apostolo memoratis loquitur : « Nunc quærendum, inquit, ubi Apostolus hæc quatuor nomina, *principatum* loquor, et *potestatem*, *virtutem*, et *dominationem*, scripta repererit, et in medium unde protulerit. Neque enim fas est, eum, qui divina lectione fuerat instructus, aliquid locutum putare, quod in sanctis voluminibus non habetur. Arbitror itaque, illum aut de traditionibus Hebræorum ea, quæ secreta sunt, in medium protulisse ; aut certe, quæ quasi juxta historiam scripta sunt, cum intelligeret legem esse spiritualem, sensisse sublimius ; et quod de regibus, atque principibus, ducibus quoque, tribunis, et centurionibus, in *Numeris*, et in *Regnorum* libris refertur, imaginem aliorum principum, regumque cognovisse ; quod scilicet in cœlestibus sint Principatus, sint Potestates, sint Dominationes, atque Virtutes, et cætera ministeriorum vocabula, quæ nec nos possumus nominare, nec ipsum Paulum puto, ut in gravi corpusculo constitutum, enumerare valuisse. » At in II *contra Jovinianum* septem enumerat, « Archangelos, Angelos, Thronos, Dominationes, Potestates, Cherubim, Seraphim, et omne nomen, quod nominatur, non solum in præsenti sæculo, sed etiam in futuro. » Nondum igitur Hieronymo constabat de

a THEODORET. Ἀλλὰ γὰρ οἶμαι ὑμᾶς ἐρεῖν, ὡς καὶ ὑμεῖς ἀοράτους τινὰς δυνάμεις φατὲ, καὶ ἀγγέλους, καὶ ἀρχαγγέλους ὀνομάζετέ τε, καὶ προσαγορεύετε, καὶ ἀρχὰς, καὶ ἐξουσίας, καὶ κυριότητας, καὶ θρόνους, καὶ ἄλλας αὖ πάλιν, κατὰ τὴν Ἑβραίων γλῶτταν, Χερουβὶμ, καὶ Σεραφὶμ ἴστε προσαγορευομένας.

1 Vide Ambros. l. V *de Fide*, cap. VII et lib. *de Elia*. cap. XXI. — 2 Collat. VIII, cap. VII et XV et II *de Incarnat.* cap. II. — *Enchir.* cap. LVIII. — 4 In *Psal.* LXXIX.

Ordinum numero, et appellatione. Sed neque Paulum commemorasse putavit omnes, aut vero compertos habuisse. Nam velut suspensa oratione, rem infinite complexus est. *Et omne nomen, quod nominatur*, quasi innumerabiles alii essent ab eo præteriti gradus Angelorum, et graduum nomina.

X. Ita Paulum interpretatus est Basilius capite illo XVI *de Spiritu sancto* : « Tu vero, inquit, cui vis ista suppetit, ut ex visibilibus invisibilia concipere animo possis, glorifica conditorem, in quo creata sunt omnia, sive visibilia, sive invisibilia, sive Principatus, sive Potestates, sive Virtutes, sive Throni, sive Dominationes, et si quæ sunt aliæ rationales naturæ nominibus carentes [a]. » Idem et in homilia prima *ad Hexaemeron*, præter illos quinque Ordines, duos commemorat, Angelorum, et Archangelorum, ibidemque dicit omnium nomina investigari non posse; quem locum superius descripsimus [1], cum de tempore creationis Angelorum ageretur.

Hunc, ut opinor secutus Cæsarius diserte, ac definite septem esse dicit Angelorum ordines. « Septem vero, inquit, ordines sunt, uti Judas scripsit, et sublimis enumerat Apostolus. Quem secuti divini sacrificii sacerdotes ad Deum exclamant : Te celebrant laudibus Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates, Virtutes [b]. » Hic Seraphimos, et Cherubimos omittit, quos fortasse cum quibusdam ex illis septem permiscuit; uti Sedes, sive Thronos esse Cherubimos existimavit Augustinus. Quem autem significet Judam, certo non possumus dicere. Non enim Apostolum intelligit Canonicæ scriptorem epistolæ, cum in ea Angelorum ista nomina non exstent. Quare haud scio, an ad Judam ista pertineant, quem inter Ecclesiasticos Scriptores recenset Hieronymus, aitque Severo imperante scripsisse de septuaginta Danielis hebdomadibus, deque Chronologia.

XI. Quod autem præter illos Ordines, quos Scriptura nominatim indicat, alii sint ab ea prætermissi, iique et ignoti mortalibus, et infiniti numero, Chrysostomus his verbis aperit : « Sunt enim, sunt et aliæ virtutes, quarum ne nomina quidem novimus. Cogitate animo, quanta sit hæreticorum insolentia. Servorum ne appellationes quidem scimus, et illi domini substantiam curiosius inquirunt. Sunt enim Angeli, et Archangeli, et Throni, et Dominationes, et Principatus, et Potestates. Sed non soli isti sunt cœtus in cœlis; verum infinitæ gentes, et nationes ineffabiles, quas nulla explicare potest oratio. Et unde constat, plures iis alias esse virtutes, quarum ne vocabula quidem novimus? Nimirum qui illa dixit Paulus, et hoc asseveravit alterum, cum sic de Christo loquitur : *Sedere ipsum fecit supra omnem Principatum, et Potestatem, et Virtutem, et omne nomen, quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro* [2]. Videtis, uti sint aliqua nomina, quæ manifesta illic erunt, cum sint ignota modo. Nam propterea dixit, non solum quæ nominantur in hoc sæculo, sed etiam in futuro [c]. »

Præter hos novem ordines, alios esse nobis ignotos antiqui fatentur.

Sic oratione V *contra* eosdem *Anomœos*, multos alios esse ordines censet, ignotos, et nomine carentes; quod ex Apostoli eodem illo epistolæ *ad Ephesios* loco colligit, quemadmodum et in homilia tertia ad eamdem epistolam. Theodoretus item in commentariis ad illum locum, prætermissos ait ordines plures, qui in futura vita cognoscentur; necnon Œcumenius, et Theophylactus, et ante hos Origenes [3].

XII. Ex horum igitur opinione Patrum non est certus, exploratusque numerus angelicorum ordinum, ac nominum, neque qui ex

a Basil. Σὺ δὲ ἔχων δύναμιν ἐκ τῶν ὁρατῶν ἀναλογίζεσθαι τὰ ἀόρατα, δόξαζε τὸν ποιητὴν, ἐν ᾧ ἐκτίσθη τὰ πάντα, εἴτε ὁρατὰ, εἴτε ἀόρατα, εἴτε ἀρχαὶ, εἴτε ἐξουσίαι, εἴτε δυνάμεις, εἴτε θρόνοι, εἴτε κυριότητες· καὶ εἴ τινές εἰσιν ἕτεραι λογικαὶ φύσεις ἀκατονόμαστοι.

b Cæsar. dial. I. inter. 44. Ἑπτὰ δὲ τυγχάνουσι τάγματα, καθὼς Ἰούδας, ἔγραψε, καὶ ὁ ὑψηλὸς ἐξαριθμεῖται Ἀπόστολος. ᾧ καὶ ἑπόμενοι οἱ τῆς θείας τελετῆς ἱερεῖς ἀναφωνοῦσι Θεῷ· σὲ ὑμνοῦσιν ἄγγελοι, ἀρχάγγελοι, θρόνοι, κυριότητες, ἀρχαὶ, ἐξουσίαι, δυνάμεις.

c Chrys. hom. IV *de Incompr.* Εἰσὶ γὰρ, εἰσὶ καὶ ἕτεραι δυνάμεις, ὧν οὐδὲ τὰ ὀνόματα ἴσμεν. ἐννοήσατε τὴν ἀπόνοιαν αὐτῶν αἱρετικῶν. τῶν δούλων οὐδὲ τὰ ὀνόματα ἴσμεν. καὶ τοῦ δεστότου αὐτὴν τὴν οὐσίαν πολυπραγμονοῦσιν. εἰσὶ μὲν γὰρ ἄγγελοι, καὶ ἀρχάγγελοι, καὶ θρόνοι, καὶ κυριότητες, καὶ ἀρχαὶ, καὶ ἐξουσίαι. ἀλλ' οὐχ' οὗτοι μόνοι οἱ δῆμοι ἐν τοῖς οὐρανοῖς· ἀλλ' ἄπειρα ἔθνη, καὶ φῦλα ἀμύθητα, ἅπερ λόγος οὐδεὶς παραστῆσαι δυνήσεται. καὶ πόθεν δῆλον ὅτι καὶ τούτων ἄλλαι πλείους εἰσὶ δυνάμεις, ὧν οὐδὲ τὰ ὀνόματα ἴσμεν; ὁ ταῦτα εἰρηκὼς Παῦλος καὶ τοῦτό φησιν, οὕτωσι λέγων περὶ τοῦ Χριστοῦ. ἐκάθισεν αὐτὸν ὑπεράνω πάσης ἀρχῆς, καὶ ἐξουσίας, καὶ δυνάμεως, καὶ παντὸς ὀνόματος ὀνομαζομένου οὐ μόνον ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ, ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ μέλλοντι. ὁράτε ὅτι ἐστί τινα ὀνόματα ἐκεῖ μέλλοντα γνώριμα γενέσθαι, ἅπερ ἄδηλά ἐστι νῦν· διὰ τοῦτο εἶπεν, οὐ μόνον ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ ὀνομαζόμενα, ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ μέλλοντι.

1 Cap. XV.— 2 *Eph.* I, 2. — 3 *In Joan.* et I *de Prin.* cap. V.

Scripturis utcumque colligitur, novenaria summa comprehenditur. Primus Dionysius novem Angelorum ordines, et gradus distincte, ac definite posuit; idque se ab magistro suo, et initiatore didicisse confirmat. Etsi de iis tantum gradibus, et nominibus loqui se significat, qui noti sunt hominibus, præter quos esse alios demonstrat soli Deo cognitos, dum ita caput sextum orditur. « Quot quidem sint, et quales sublimiorum cœlo substantiarum ordines : et quemadmodum illorum hierarchiæ perficiantur, soli illi sacrorum principatui, per quem divini fiunt, exacte dico esse perspectum[a]. »

Auctor *Commentariorum in Psalmos* [1], qui Hieronymo inscribuntur, novem itidem Angelorum ordines esse dicit. Sed non est Hieronymi opus illud ; neque vero numerum istum tam certo affirmasse videtur Hieronymus, qui de quatuor illis nominibus ab Apostolo memoratis [2] ita dubitavit, ut, unde hæc ille didicisset, anxie quæreret. Nec temere apud antiquiorem aliquem, quique primis quinque sæculis vixerit, novenarium hunc ordinum numerum invenias, cum nondum exstarent scripta Dionysii, a quo primum ille proditus est. Quos quidem libros ne ipse quidem Gregorius Papa legerat, qui eos citat. Nam sic eorum meminit, ut ex aliorum fide referat, quod inde promit : « Fertur, inquit, Dionysius Areopagita, antiquus videlicet, et venerabilis pater dicere, quod ex minorum Angelorum agminibus foras ad explendum ministerium vel visibiliter, vel invisibiliter mittuntur. » Plerique, ut dixi, veterum numerum non definiunt ; ac videntur horum aliqui inter Angelicos ordines τοὺς αἰῶνας referre, ut Ignatius loco eo, quem superius adduximus, ubi in recensendis aliis ordinibus, ordinumque proprietatibus, αἰώνων μεγαλειότητας posuit.

Æonas.

Æonum magnitudines.

XIII. Quinetiam Hilarius in secundo libro eodem sensu et *sæculorum* nomen usurpasse videtur, cum de ineffabili generatione Filii loquitur : « Ego, inquit, nescio, non requiro, et consolabor me tamen. Archangeli nesciunt, Angeli non audierunt, sæcula non tenent, Propheta non sensit, Apostolus non interrogavit, Filius ipse non edidit. » Huic porro locum opinioni dare potuit Apostolus, qui de Æonibus sic meminit, tanquam substantiæ sint aliquæ ; ut cum ait [3], per Filium facta esse sæcula. Tum vero complures ex antiquis æternitatem Filii contra Arianos asserentes, ante omnia τοὺς αἰῶνας fabricatos esse dicunt ; iisque etiam anteriorem esse Filium. Nec Angelorum naturam omnem intelligunt, sed certum genus spiritualium creaturarum, quibus posteriores faciunt Angelos. Hunc adeo primis Ecclesiæ temporibus communem fuisse sensum, vel ex eo conjectura fit, quod vetustissimi hæretici fabulosos inde suos Æonas commentandi occasionem sumpserunt. Vide quæ de Æonibus scripsimus, cum de Dei æternitate disputavimus [4].

Æonas.

XIV. Postremo, quoniam ex traditionibus Hebræorum pauca quædam Angelorum vocabula didicisse Paulum Hieronymus arbitratus est, non pigebit ex eorumdem commentariis de ea re nonnihil adnotare. Decem igitur Angelorum gradus totidem distinctos vocabulis describit R. Moses ben Maiemon in tract. *de Fundamentis legis*, capite II. Sunt autem isti 1. חיות הקדש *animalia sancta*. 2. אופנים *rotæ*. 3. אראלים *prævalidi*. 4. השמלים *electra*. 5. שרפים *Seraphim, ardentes*. 6. מלאכים *Angeli*, id est *nuntii*. 7. אלהים. *Dii*. 8. בני אלהים, *Filii Deorum*, 9. כרובים, *Cherubim*. 10. אישים, *viri*. Quæ nomina variis e Scripturæ locis, maxime Prophetarum usurpata sunt. Ea porro Scholiastes ita declarat : Primum Animalia sancta, id est bestias, dici ex Ezechielis vaticinio : et animalia quidem, quod bestiarum specie conspecta sint, non humana [5] ; uti perinde ab Dei majestate distare Angelos intelligamus, atque ab hominis bestias, vel חיות appellari, quod vitam in inferiora derivent. Sancta porro nominantur, quia sanctitate reliquis eminent. *Rotarum* nomen ex eodem Propheta manavit, aut certe a voce פנים *facies* oritur, quæ *honoratum*, et *spectabilem* significat. Tertium nomen אראלים ex *Isaiæ* XXXIII, 7, ubi Hebraicus contextus eam vocem habet, quam *nuntium* interpretantur. Quartum ex *Ezechielis* I, IV, quod *electrum* Græci, Latinique vertunt, Hebræi colorem flammeum ; proprium vero Angelici ordinis esse, R. Selomoh, et Kimbius ibidem docent. Quintum apud *Isaiam* exstat capite VI. Sextum nomen *Angelus*, cum sit generis, ad speciem accom-

Nomina Angelorum hebraica.

a Dion. cap. VI *de Cœl. Hier.* Ὅσοι μέν εἰσι, καὶ οἵοι τῶν ὑπερουρανίων οὐσιῶν οἱ διάκοσμοι, καὶ ὅπως αἱ κατ' αὐτοὺς ἱεραρχίαι τελοῦνται, μονὴν ἀκριβῶς εἰδέναι φημὶ τὴν θεωτικὴν αὐτῶν τελεταρχίαν.

1 In *Ps.* XXXIII, ver. 22 et *Ps.* CXII, ver. 12.— 2 Ad cap. I epist. *ad Eph.*— 3 Cap. I *ad Hebr.*— 4 Tom. I, l. III, c. V, n. 7. — *Ezech.* IV.

modatur. Septimi Elohim dicuntur *dii*, hoc est principes mundi, ac rectores. At *Filii Dei* octavo loco recensentur, quod dignitate sint inferiores diis, iique ex *Jobi* I petiti sunt. Postremi sunt viri, qui virili forma Prophetis apparent; cujusmodi fuit Gabriel, cui nomen a גבר inditum est, quod *virum* significat.

CAPUT II.

De Hierarchiis Angelorum; quid sit hierarchia Dionysiana: variæ illius distributiones. Ex tribus constat perfecta, ordine, potestate, actione; quæ omnia in humana, et Ecclesiastica hierarchia considerantur.

Primus angelorum multitudinem in definitos ordines descripsit Dionysius.

I. Angelorum multitudinem omnem primus Dionysius in certos descripsit, ac definitos ordines, ac suos cuique gradus, et functiones, appellationesque tribuit; quem ab Gregorio Magno deinceps theologi omnes sunt secuti. De quibus agendum porro nobis est, idque paucis; quod eorum pleraque non ex Scripturarum testimonio, neque theologica ratione confecta sunt, sed partim ex occulta traditione, partim ex opinione, conjecturaque descendunt; cui in tam abstrusis, tam ab mortalium usu remotis, ignotisque rebus, non multum fidere prudentis est hominis, temeritatemque vitantis.

Igitur Dionysius Angelos omnes in hierarchias tres, harum singulas tres in ordines distribuit; ita novem constituit ordines. Sed, quid hierarchia sit, ante omnia necesse est inquirere, ut quidem ab auctore illo traditur.

Hierarchiæ definitio et scopus juxta Dionysium.

Hanc Dionysius in capite tertio ita describit: « Est, inquit, hierarchia, mea sententia, sacer ordo, et scientia; actioque ad divinam similitudinem, quoad licet, accedens, et pro commissarum ipsi divinitus illustrationum ratione ad Dei se imitationem efferens [a]. » Tum, quis illius sit scopus, hunc in modum explicat: « Quamobrem hierarchiæ finis, ac scopus est, similitudo cum Deo, et conjunctio, quatenus assequi licet [b], » quod et Antiochus habet homilia CXXII.

Rursus eodem capite, « Quocirca, inquit, qui hierarchiam dicit, sacram quamdam universe ordinationem significat ad divini illius decorem principatus expressam, et in hierarchicis ordinibus, ac scientiis propriæ illustrationis mysteria sacris ritibus administrantem, ac suo principio, quantum fas est, assimilatam [c]. » Atque, ut Dei proprium est purgare, illuminare, ac perficere, sic hierarchia, hoc est principatus iste sacrorum iis, in quibus inest, ad eadem illa præstanda vim, ac potestatem affert, itaque facit, ut ad quamdam Dei similitudinem aspirent; quod eodem in loco uberius a Dionysio declaratur.

Hierarchiam.

II. Verum, ut subjectam hierarchiæ vocabulo notionem, et illius naturam melius intelligas, scire debes, ἱεραρχίαν haud satis apte nonnullos interpretari *principatum sacrum* [1], cum sit potius *principatus sacrorum*, ut ex Maximo Dionysii Scholiaste paulo post exponam. Sicut τριηραρχία dicitur ἡ τῶν τριήρων ἀρχή, *præfectura triremium*. Ita non ἱερὰ ἀρχή, sed ἱερῶν ἀρχὴ erit ἱεραρχία *.

Trierarchia Sacrum principatum sed principatus Sacrorum erit Hierarchia.

Ad hæc dupliciter accipi, ac definiri solet hierarchia, vel ratione formæ, vel ratione subjecti, in quo, et circa quod versatur. Priori modo recte definitur, *gubernandorum sacrorum potestas, et functio.* Quæ definitio ex Maximo desumpta est initio commentariorum ad Dionysium *de Cœlesti Hierarchia*, quos sic orditur: « Quandoquidem hierarchiæ nomen inscribitur huic operi, solet appellare Dionysius hierarchas episcopos. Sciendum est igitur, hierarchiam quidem esse principatum, ac velut curam ordinandorum sacrorum; hierar-

a Dion. Ἔστι μὲν ἱεραρχία κατ' ἐμὲ, τάξις ἱερὰ, καὶ ἐπιστήμη, καὶ ἐνέργεια, πρὸς τὸ θεοειδὲς, ὡς ἐφικτὸν, ἀφομοιουμένη, καὶ πρὸς τὰς ἐνδεδομένας αὐτῇ θεόθεν ἐλλάμψεις ἀναλόγως ἐπὶ τὸ θεομίμητον ἀναγομένη.

b Ibid. Σκοπὸς οὖν ἱεραρχίας ἐστὶν, ἡ πρὸς θεὸν, ὡς ἐφικτὸν, ἀφομοίωσίς τε, καὶ ἕνωσις.

c Ibid. Οὐκοῦν ὁ λέγων ἱεραρχίαν ἱεράν τινα καθόλου διακόσμησιν δηλοῖ, εἰκόνα τῆς θεαρχικῆς ὡραιότητος, ἐν τάξεσι, καὶ ἐπιστήμαις ἱεραρχικαῖς τὰ τῆς οἰκείας ἐλλάμψεως ἱερουργοῦσαν μυστήρια, καὶ πρὸς τὴν οἰκείαν ἀρχὴν ὡς θεμιτὸν ἀφομοιουμένην.

* Improbat P. Mamachius. T. IV *Orig. et Antiquit. Christian.* p. 278 hanc Petavii animadversionem; nam si μοναρχίαν *unius principatum* decere licet, quod unus cæteris præsit in Republica, cur non item ἱεραρχία *sacrum Principatum* significabit, quum ii, qui primas inter Christianos in Ecclesia tenent, sacrorum potiantur Principatu? At ipsum quod vir doctus Petavio objicit, *Monarchiæ* nomen Petavii sententiam confirmat, quemadmodum enim id nominis perperam redderes *unum principatum*, ita *hierarchiæ* nomen non satis apte explicatur *sacer principatus*. Z.

1 S. Th. par. qu. CVIII, art. 1. Guil. Paris. par. II *de Univ.* cap. CXI. Dionys. Carth. art. 16, in cap. III. Dion.

cham vero, qui sacris præest, eaque curat, ac moderatur, non tamen qui sacerdotibus præest, sed eum potius, qui sacra, et eorum, atque Ecclesiæ, mysteriorumque statum constituit, non tamen ut sit sacerdotum princeps [a]. » Quibus verbis tum illud docet, quod supra monui, ἱεραρχίαν *sacrorum* esse *præfecturam*, sive *potestatem sacra obeundi, et administrandi;* tum hoc insuper, dici hierarcham ea solum ratione, qua sacra respicit, non autem ut personis ipsis, ac sacrorum administris præsidet. Etenim pontifex quilibet, summus præsertim, non solum administrandis sacris, sed etiam sacrorum administris, sacerdotibus, diaconis, immo etiam summis episcopis præest. Sed *hierarcha* proprie, præciseque vocatur, quatenus sacrorum curationem exercet, non autem ut eorum inferiores præfectos, atque antitistes regit. Ita quidem Maximus.

Hierarchiam.

III. Atque hæc definitio formam ipsam Hierarchiæ complectitur, sive essentiam, ac τὸ τί ἦν εἶναι. Ad quam superiores illæ allatæ ex Dionysio revocantur, quæ paulo sunt uberiores, ac finem insuper, et instrumenta illius, ac præsidia continent. Nam finis est, ut jam dixi, Dei similitudo, ad quam imitatione potestatis, et efficientiæ Hierarcha perducitur. Qui quidem duabus ad id rebus nititur, *scientia*, et *actione*. Nam et habitum, ac facultatem, quem *actum primum* Scholæ nominant, status ille postulat; ut hoc ipsum, quod appellatur, status sit; et navare aliquid, atque efficere debet, ut Dei similitudinem assequatur, qui reipsa, et actu tria illa, quæ supra posui, perpetuo, ac sine intermissione molitur.

Quidditatem

Cæterum hierarchicus status non solum scientiæ habitum requirit, sed etiam potestatem; quam in ejus appellatione vox ἀρχῆς, id est *principatus* significat; in definitione vero Dionysii vox τάξις, id est *ordo*, vel *ordinatio*, quæ est διακόσμησις, atque *ordinandi jus, potestatem*, sive *magisterium* potius, quam actionem ipsam exprimit. Etenim, si desit legitima potestas, quantacumque scientia sit, et functio, non erit hierarcha. Ut si mulier aliqua divinarum rerum excellat scientia, ac vel privatim, vel etiam publice doceat, et hierarchicum munus exerceat, non ideo in hierarchia illa Dionysiana censebitur; quia jure, ac sacra potestate caret, nec ad eam capessendam idonea est; ut inter alios fuse disputat Epiphanius hæresi LXXIX.

Ex tribus constat perfecta hierarchia : potestate, scientia, actione.

Quamobrem tria hæc perfectam hierarchiam componunt, potestas, scientia, et actio. Perfectam, inquam, hierarchiam; talem enim describit Dionysius, uti Pachymeres in *Paraphrasi*, et Dionysii cognominis Carthusianus adnotat [1]. Propterea virum illum, in quem definitio ista competit, perfectum, ac divinum esse vult, et sacræ omnis scientiæ peritum; qui et Dei quam simillimus sit, et tales eos possit facere, quos imbuendos susceperit [2].

IV. Rursus vero priore illo modo, qui secundum formam dicitur, spectata Hierarchia dupliciter patet. Aut enim quemcumque gradum, et sacrorum præfecturam significat, cujusmodi in Ecclesia varii sunt principatus, curationesque sacrorum, velut in episcopo, in presbytero, in diacono, ac reliquis gradibus, diversæ sunt potestates, ac jura functionum obeundarum, quorum alia inferiora, alia superiora sunt, et in his illa continentur. Hoc modo non in solis episcopis hierarchia cernitur, nec ii soli hierarchæ vocantur, aut ad hierarchiam pertinent, sed clerici etiam omnes, ac ministri, quantulacumque potestate præditi. Aut supremam tantummodo jurisdictionem, ac summum sacrorum magistratum Hierarchia complectitur. De quo Dionysius in *Ecclesiastica hierarchia*, capite primo sic loquitur : « Est quidem omnis hierarchia, secundum venerandam nostram traditionem, tota, et integra ratio subjectorum sacrorum, ac generalissima comprehensio hujus, exempli gratia, vel illius hierarchiæ sacrorum. Nostra igitur hierarchia munus dicitur, et est omnia, quæ in ipsa sunt, sacra complectens, quo initiatus divinus Hierarcha, omnium, quæ ad se pertinent, sacratissimorum particeps erit, ut qui ab hierarchia nomen adeptus sit. Ut enim qui hierarchiam dicit, sacrorum simul omnium ordinationem dicit; ita qui hierarcham dicit, a Deo instinctum, ac divinum virum significat, omnis sacræ cognitionis intelligentem; in quo liquido, ac perspicue hierarchia omnis, quæ ad eum pertinet, perficitur, et cognoscitur [b]. »

V. Quem ad locum Maximus observat, hie-

a Maxim. Ἐπειδὴ ἡ ἐπιγραφὴ ἱεραρχίαν ἔχει, καλεῖν εἰώθεν ἱεράρχας τοὺς ἐπισκόπους. ἰστέον οὖν, ὅτι ἱεραρχία μὲν ἔστιν ἡ τῆς διατάξεως αὐτῆς τῶν ἱερῶν ἀρχὴ, καὶ οἱονεὶ φροντίς. καὶ ἱεράρχης, ὁ τῶν ἱερῶν ἄρχων, καὶ φροντίζων, καὶ προνοῶν· οὐ μὴν τῶν ἱερέων, ἀλλὰ ὁ τὰ ἱερὰ, καὶ τὴν κατάστασιν αὐτῶν τε, καὶ τῆς ἐκκλησίας, καὶ τῶν μυστηρίων διατάσσων· οὐ μὴν ὁ ἀρχιερεύς.

b Dion. Ἔστι μὲν ἱεραρχία πᾶσα, κατὰ τὸ σεπτὸν τῆς ἡμῶν παραδόσεως, ὁ πᾶς τῶν ὑποκειμένων ἱερῶν λόγος, καθολικωτάτη τῶν τῆς δὲ τυχὸν ἱεραρχίας, ἢ τῆς

1 Art. 16, in lib. *de Cœlest. Hier.* cap. III.— 2 Vide Dion. cap. I *de Eccl. Hier.*

rarchiam appellari universalem rationem subjecta sibi sacra omnia continentem; quod quæ in inferioribus sparsa sunt, ac multiplicia, in unum collecta, comprehensaque coerceat. Quippe συγκεφαλαίωσις est *totius comprehensio*. Porro, « quum omnis ordo hierarchia, inquit, appelletur; hierarchia vocatur totius hierarchiæ principatum magis obtinens, generaliorque summa; velut presbyterorum hierarchiæ, sive ordinis, hierarchia est episcopus; qui purgandi, illuminandi, perficiendique scientia præditus esse debet. Diaconorum hierarchiæ hierarchia est archidiaconus, qui ministeriales functiones debet cognoscere; atque ita deinceps reliquis in ordinibus[a]. » Hæc Maximus. In quibus, meo quidem judicio, ab Dionysii mente discrepat. Neque enim hierarchiam, qualem illo loco describit, putavit Dionysius, per singulos divisam esse gradus, ac totidem esse hierarchias, quot sunt ordines sacrorum ministrorum, adeo ut alia sit hierarchia presbyterorum, alia diaconorum; sed unam, eamdemque constituit, penes quam principatus est omnium ordinum, et functionum, atque sacrorum, cum eorum gubernandorum, exequendorumque scientia. Ea vero non est alia, quam episcopi dignitas. Ergo episcopatus est hierarchia illa, sive apex hierarchiæ, quem Dionysius loco illo contemplatur. Fefellit autem Maximum, quod Dionysius scripsit, « hujus, aut illius hierarchiæ sacrorum generalissimam summam, comprehensionemque esse hierarchiam, » tanquam hæc pronomina *hujus*, aut *illius*, unius ecclesiasticæ hierarchiæ varios gradus significent; quod non est ita. Nam angelicam, et ecclesiasticam intelligit, et ambas inter se confert. Itaque mox ad eam, qua de agere proposuerat, ecclesiasticam sermonem restringit. Ἡ καθ' ἡμᾶς οὖν ἱεραρχία λέγεται, καὶ ἔστιν. *Nostra*, hoc est humana, et ecclesiastica, *igitur hierarchia*, etc. Quocirca hierarchia, in altera illa notione, solam pontificiam potestatem continet, quæ vi, et eminentia quadam omnium ordinum, sacrorumque rationes in sese collectas, et comprehensas habet. Nec aliter Dionysii locum illum in paraphrasi sua interpretatus est Georgius Pachymeres.

VI. Jam vero ratione subjecti, vel τῆς ὕλης, considerata hierarchia, non solos sacrorum antistites, et administros complectitur, qui purgandi, illuminandi, perficiendi functiones exercent, sed eos etiam, qui illis subjecti sunt, et ipsorum efficientiam in sese recipiunt, quales sunt populi, ac laici. Ad hunc modum hierarchiam exponit Dionysius capite v *de Eccles. hierarchia*[b]; ubi in tria dividi Hierarchiam docet, in τελετὰς, *sacra*, et *ceremonias*, μύστας, qui sunt *sacrorum præsides*, et τελουμένους, qui sunt *initiati*. Tum sequenti capite de his, qui initiantur, eorumque triplici differentia disputat; in qua primi sunt catechumeni, qui adhuc purgantur, ac pœnitentes, et energumeni; secundum gradum obtinet populus, qui jam initiatus, ac mysteriorum particeps, illuminari dicitur: in tertio sunt monachi, qui omnium perfectissimum statum sibi vendicant, neque tamen ἱεραρχικῇ appellatione censentur, sed ἀφιερωτικῇ. « Propterea, inquit, et perfectivam iis gratiam sacra lex impertiit, et nonnulla consecratoria illos invocatione dignata est, non tamen hierarchica, (illa enim in solis fit sacratis ordinibus), sed hierurgica, quæ ab sanctis sacerdotibus proxime post hierarchicam initiationem sacris ritibus administratur[c]. »

Materiæ

Hierarchica... sed consecratoria.

Igitur hierarchia posteriori hoc sensu tam principes, et administros sacrorum, quam qui iis subjecti sunt, et illorum juvantur, ac perficiuntur opera, comprehendit; quemadmodum principatus, ac regnum tum principem ipsum, ac regem significat, tum subjectos illi

δὲ ἱερῶν συγκεφαλαίωσις. ἡ καθ' ἡμᾶς οὖν ἱεραρχία λέγεται, καὶ ἔστιν ἡ περιεκτικὴ τῶν κατ' αὐτὴν ἁπάντων ἱερῶν πραγματεία, καθ' ἣν ὁ θεῖος ἱεράρχης τελούμενος, ἁπάντων ἕξει τῶν καθ' αὐτὸν ἱερατάτων τὴν μέθεξιν. ὡς ἱεραρχίας ἐπώνυμος. ὡς γὰρ ἱεραρχίαν ὁ φήσας, ἁπάντων ὁμοῦ συλλήβδην ἔφη τὴν τῶν ἱερῶν διακόσμησιν· οὕτως ἱεράρχην ὁ λέγων, δηλοῖ τὸν ἔνθεόν τε, καὶ θεῖον ἄνδρα, τὸν πάσης ἱερᾶς ἐπιστήμονα γνώσεως· ἐν ᾧ καὶ καθαρῶς ἡ κατ' αὐτὸν ἱεραρχία πᾶσα τελεῖται, καὶ γινώσκεται.

ἐπίσκοπος, ὀφείλων γινώσκειν, καθαίρειν, φωτίζειν, τελειοῦν· τῆς διακόνων ἱεραρχίας ἱεραρχία ὁ ἀρχιδιάκονος, ὃς ὀφείλει γινώσκειν τὰς λειτουργικὰς ἐνεργείας. καὶ οὕτω καθέξης τὰ λοιπὰ συντάγματα.

a Max. Φησὶ γοῦν ὅτι τυχὸν ἁπάσης τάξεως ἱεραρχίας λεγομένης ἱεραρχία ἐστὶν ἁπάσης ἱεραρχίας ἡ ἀρχικωτέρα, καὶ γενικωτέρα συγκεφαλαίωσις, οἷον τῆς πρεσβυτέρων ἱεραρχίας, τουτέστι τάξεως, ἱεραρχία, ὁ

b Dion. Ὡς ἡ καθ' ἡμᾶς ἱερὰ παράδοσις ἔχει πᾶσαν ἱεραρχικὴν πραγματείαν εἰς τὰς θειοτάτας τελετὰς διαιρεῖσθαι, καὶ τοὺς ἐνθέους αὐτῶν ἐπιστήμονας, καὶ μύστας, καὶ τοὺς ὑπ' αὐτῶν ἱερῶς τελουμένους.

c Dion. cap. vi *de Eccl. Hierar.* Διὸ καὶ τελεστικὴν αὐτοῖς ἐδωρήσατο χάριν ἡ ἱερὰ θεσμοθεσία, καί τινος αὐτοὺς ἠξίωσεν ἀφιερωτικῆς ἐπικλήσεως, οὐχ' ἱεραρχικῆς· ἐκείνη γὰρ ἐπὶ μόναις γίγνεται ταῖς ἱερατικαῖς τάξεσιν· ἀλλ' ἱερουργικῆς ὑπὸ τῶν ὁσίων ἱερέων τῇ ἱεραρχικῇ τελετουργίᾳ δευτέρως ἱερουργουμένης.

populos; quod Guillelmus Parisiensis adnotavit[1]. Ex quo liquido constat, quanam ratione cum laici, tum etiam monachi in hierarchia ecclesiastica contineri dicantur. Tametsi, quod ad hos posteriores attinet, perspicuum est, hoc tempore, paucis exceptis, universos in ecclesiastica hierarchia eo jure censeri, quo qui optimo. Quippe monachorum ordines majori ex parte cum sacerdotio, et clericatu conjuncti, implicatique sunt. Ideo non solum in posteriore ista significatione hierarchiæ locum habent, sed etiam in priore, quatenus, præter summos hierarchas, inferiores etiam sacrorum gubernatores, ac ministros amplectitur.

CAPUT III.

De novem vulgatis Angelorum ordinibus; quorum nomina, et proprietates explicantur. Cherubim unde dicti; deque iis absona Theodori Mopsuesteni sententia. Throni cum Cherubimis a nonnullis confunduntur.

vem angelorum ordines ecundum onysium.

I. Nunc Angelorum novem explicemus ordines, eorumque gradus, et nomina declaremus. Totidem enim ab Dionysio primum constituti sunt, quos cæteri deinde tenuerunt; etsi in eorum collocatione ab Dionysio plerique dissident, ut in re obscura fieri solet, quæ conjectura, et hominum opinatione nititur, non liquida divini auctoritate verbi, vel theologica ratione, quæ certam, et constantem assensionem extorqueat.

Tres igitur hierarchiæ, totidemque per singulos Angelorum ordines Dionysius enumerat hoc modo [2].

In prima Seraphim, Cherubim, ac Throni censentur. In secunda Κυριότητες, *Dominationes*, Δυνάμεις *Virtutes*, Ἐξουσίαι *Potestates*. In tertia, et infima, Ἀρχαὶ, *Principatus*, Archangeli, Angeli. Eos ordines διακόσμους, et διακοσμήσεις appellare consuevit Dionysius. Qui omnes interdum ordinis cujuspiam vocabulo nuncupantur, maxime Angelorum, ac Virtutum. Nam δυνάμεις sæpe promiscue omnes Angeli vocantur, ut apud Chrysostomum homil. III *contra Anomœos*, Theodoretum serm. III *contra Gent.* Hilarius quoque *Virtutes* universe sic accipit libro III. « Virtutes, inquit, in cœlo plures sunt, et efficientes, et æternæ, sed unus unigenitus est Filius. » Et Prudentius in *Apotheosi*:

Attamen in cœlum quoties suspexit, in uno
Constituit jus omne Deo, cui serviat ingens
Virtutum ratio variis instructa ministris. »

rdines. dinationes.

irtutes.

Et Hieronymi comment. in *Psalmum.* XXIII *novem virtutes cœlorum* vocat.

Cur angeli aut virtutes nominentur omnes Angeli.

II. Utriusque causam affert Dionysius. cur et Angeli, et Virtutes nominentur Angeli omnes; prioris quidem hanc [3], quod, cum infimus ordo sit Angelorum, quidquid autem in inferioribus illustrationis, ac virtutis inest, id in superioribus cernatur, reliqui ordines inferioris illius, uti decora, et ornamenta omnia, sic etiam nomen assumunt. Est autem ultimi Ordinis proprium, ut sint ἐκφάντορες, id est *interpretes et nuntii*, quod omnibus pro sui gradus ratione, ac dignitate convenit; quippe divinas illuminationes, quas a Deo, vel sublimioribus aliis hauserunt, vicissim in inferiores transferunt, easque postremi omnium Angeli ad nos usque derivant. Sed verior, expeditiorque ratio est, quam Gregorius M. [4] aliique tradunt, dici ob id Angelos, *quod per eos aliqua nuntiantur.* Nam non extremi tantum ordinis spiritus, sed supremi etiam, allegari nonnunquam ad homines, et nuntiorum fungi munere, complures existimant, quod non putavit Dionysius; de qua re postea. Virtutes autem, sive δυνάμεις, ob id vocari communiter Angelos omnes Dionysius asserit[5], quod beatæ illæ mentes tria hæc habeant, οὐσίαν, δύναμιν, et ἐνέργειαν *essentiam* sive *substantiam*, *vim*, sive *virtutem*, et *efficientiam.* Ideo omnes appellantur cœlestes οὐσίαι vel δυνάμεις. Sed nos aliam credimus notionem esse τῆς δυνάμεως; de qua paulo post.

Substantiæ vel *virtutes. Virtutis.*

Alia ordinum distributio.

Ab illa communi, ac Dionysiana distributione paululum discrepant alii, qui in secunda hierarchia ponunt Dominationes, Principatus, et Potestates. Virtutes exinde primo in ordine hierarchiæ tertiæ collocant. Ita Gregorius M. homilia XXXIV; Isidorus in sexto *Originum*: Bernardus libro V *de Consider.* capite IV et sermone XIX *in Cantica*; Hugo Victorinus [6]; Petrus Lombardus [7], qui et falso Dionysium descriptionis istius auctorem nominat; Opinionis utriusque meminit Guillelmus Parisiensis [8], S. Thomas [9], et Joannes Gerson in *Summa Theologica*, lib. VI *de*

1 In II par. princip. *de Univer.* par. I, cap. CLXVI. — 2 Cap. VI *de Cœlest. Hier.* et seq. — 3 Cap. V *de Cœlest. Hier.* — 4 Hom. XXXIV in *Evang.* — 5 Cap. XI. — 6 *Sum. Sent.* tr. II, c. V. — 7 In II, d. IV. — 8 In I s. c CLXVI. — 9 In I p. q. CVIII, a. 6.

gaud. Parad. Laurentius quoque Justinianus in *Fasciculo amoris* eam sequitur. Utra porro præferenda sit, neque sacris e libris, neque ex theologica ratione concludi potest. Sed neque propria cujusque nominis interpretatio satis firmum argumentum continet; de qua quidem breviter hic a nobis est agendum.

Ardentes. De Seraphim.

III. Primi ergo sunt Seraphim quos ἐμπρηστάς Dionysius interpretatur [1], et θερμαίνοντας *calefacientes*, ut et Cyrillus Alexandrinus libro I *in Isaiam*[2]. Hi ab igne nomen accipiunt, idque dupliciter. Vel quia divino ardore flagrant ipsi, cæterasque in se proprietates ignis, quantum in spiritibus locus iis est, exprimunt; vel quia eadem et in alios illa transfundunt. Itaque Gregorius *ardentes*[3], vel *incendentes* illos vocat, ut et Bernardus [4], « Quia igitur ita Deo conjuncta sunt, ait Gregorius, ut inter hæc, et Deum nulli alii spiritus intersint; tanto magis ardent, quanto hunc vicinius vident. Seraphim unde dicta. Quorum profecto flamma amor est, quia quo subtilius claritatem divinitatis ejus aspiciunt, eo validius in ejus amore flammescunt. » Bernardus item : « Quippe quæ ipsa caritas Deus in se adeo traxit, et absorbuit, atque in eumdem rapuit sanctæ affectionis ardorem, ut unus cum Deo spiritus esse videantur, instar profecto ignis, qui aerem, quem inflammat, dum sui ei totum calorem imprimit, induitque calorem, non ignitum, sed ignem fecisse cernitur. » Ergo, quia igneo quodam inflammati ardore rapiuntur in Deum, et agiles sunt, ac vegeti, ac sempiternas habent agitationes; tum inferiores spiritus eodem calore succendunt, et luce sua collustrant, ideo *Seraphim* vocantur, ut fuse Dionysius exponit[5]. Eusebius in septimo libro *de Evangelica Demonstratione* capite primo, Seraphim interpretatur ἀρχὴν στόματος αὐτῶν, *principium oris ipsorum*; Chrysostomus vero ἔμπυρα στόματα, *ignea ora*. Neutri vera ratio constat. Illa etiam Eusebii putida, et inscita est originatio. Cæterum vocabulum illud nusquam in canonicis libris alibi legi, quam *Esaiæ* VI, scribit Hieronymus ad eum locum.

De Cherubim.

IV. Proximi sunt Cherubim, quod vocabulum Dionysius χύσιν σοφίας exponit, id est *profusionem sapientiæ*, vel *scientiæ*, Augustinus *plenitudinem scientiæ* [6], ut et Hieronymus ad *Esaiæ* VI, Gregorius Papa, et Bernardus; et Origenes [7] *multitudinem seientiæ*, ut Hieronymus [8]. Chrysostomus in homilia tertia *contra Anomœos*, illorum appellatione σοφίαν ipsorum, et καθαρότητα, id est *sapientiam*, et *puritatem* exprimi censet, interpretaturque mox πεπληθυσμένην γνῶσιν, id est *multiplicatam scientiam*. Sed ea vocabuli notio perobscura est, quam nec Hebraicæ, nec Chaldaicæ linguæ proprietas sustinet. Minus vero meo quidem judicio tolerabilis est illa, quam ex Davidis Kimhii dictionario passim omnes amplecti video, dici Cherubim, quasi *pueros*, כרביא ex Chaldæo idiomate, quod *puerum* רביא nominet. Cujus opinionis meminit Aben-Hezra [9] et Thargum Aramæum citat, qui Hebraicum כרוב vertit כרביא. Verum ea repudiata, censet quamlibet effigiem illa voce comprehendi.

Theodorus Mopsuestenus apud Theodoretum quæstione XL *in Genesim*, negat Cherubim Angelos esse, vel ordinis angelici proprium vocabulum, non solum ea, quæ ad paradisi fores collocata dicuntur *Geneseos* tertio sed absolute Cherubin significare « πᾶν τὸ δυνατὸν *quidquid est potens*. Ut cum scriptum est, qui *sedet super Cherubim*[10], idem sit, atque, Qui potenter regnat. Et, *Ascendit super Cherubim, et volavit*[10], pro eo, quod est, advenit cum multa virtute[11]. » Quod tum universe pronuntiat, tum vero particulatim de Cherubimo illo, ut dixi, qui ad Edenis hortum custos est collocatus. Quo nomine in V Synodo [12], actione IV notatus est Theodorus iste, non Heracleotes, ut putat Sixtus Senensis, sed Mopsuestenus. Itaque dupliciter falsus est Sixtus. Non enim in Theodoro tantum fugit illum ratio, sed etiam quod Theodoreto, quæ Theodori sunt Mopsuesteni, tribuit. Nam in illa Theodoreti quæstione hujus responsioni illius verba subjiciuntur. Cæterum istam ipsam de Cherubimis Mopsuesteni sententiam tot illa Patrum testimonia redarguunt, quæ in primo capite citavimus, quæ angelicos inter ordines Cherubim recensent.

V. Throni, auctore Dionysio [13], dicuntur ob celsitatem et sublimem quemdam statum, De Th

a Theodoret. Ἀλλὰ Χερουβὶμ καλεῖ πᾶν τὸ δυνατόν· οὕτως λέγει ὁ καθήμενος ἐπὶ τῶν Χερουβὶμ, ἀντὶ τοῦ, ὁ δυνατῶς βασιλεύων. καὶ ἐπέβη ἐπὶ Χερουβὶμ, καὶ ἐπετάσθη. ἀντὶ τοῦ· μετὰ πολλῆς παρεγένετο τῆς δυνάμεως.

1 Cap. v *de Cœlest. Hier.* et cap. VII.— 2 Cyr. I in *Esa.*— 3 Hom. XXIV.— 4 Serm. XIX *in Cant.*— 5 Cap. VII *de Cœl. Hier.*— 6 In *Psal.* LXXIX.— 7 Hom. V in *Num.*— 8 Hieron. in cap. XXVIII *Ezech.*— 9 *Ad Gen.* III, 24. — 10 *Psal.* XCVIII— 11 *Ps.* XVII.— 12 Num. 6?.— 13 Cap. VII *de Cœl. Hier.*

qui supra infima quæque. ac dejecta consurgit. Quippe toto conatu in Deum evecti nihil humile sapiunt, et ab omni fæce materiæ sinceros, ac liquidos illius haustus excipiunt, ac Deum quodammodo portant, et Θεοφόροι vocantur. Ita Dionysius. Cassianus sedes dictas vult [1], « quod ita Deo cohæreant, et domesticæ sint ei, ac familiares, ut in ipsis, velut in quadam sede, divina majestas peculiarius requiescat, et quodammodo in eis firmiusreclinetur. » Gregorius [2], ex eoque Isidorus, Hugo, et Lombardus, sic appellatos putant, « quod in eis Dominus sedeat, et per eos sua judicia decernat; » sive « quibus ad exercenda judicia semper Deus omnipotens præsideat. » Bernardus inde [3], « quod sedent, et ex eo sedent quod sedet in eis Deus. » Quam sessionem interpretatur « summam tranquillitatem, placidissimam serenitatem, pacem quæ exuperat omnem intellectum. » Deus enim omnia cum tranquillitate judicat.

Deiferi.

Ac sciendum est, nonnullos veteres Thronos arbitrari non esse distinctum ab aliis ordinem, sed eosdem cum Cherubimis facere, ut Theodoretus in commentariis ad primum caput epistolæ *ad Colossenses*, ubi Paulus ait : « *Sive Throni*, *sive Dominationes*, etc. Thronos, inquit, puto, ab illo nominari Cherubim. His enim divinum thronum impositum vidit Ezechiel Propheta [a]. » Quod etiam ab Augustino significatum esse, supra meminimus [4]. Idem etiam Gregorius Nyssenus affirmat in primo libro *adversus Eunomium* [5].

At Isidorus Hispalensis libro *Originum* septimo, capite VI Cherubim, et Seraphim, aç cætera vocabula ita esse specialia ordinum singulorum censet, ut tamen sint ex parte communia omnium. Nam, dum Throni sedes Dei in quorumdam Angelorum ordine specialiter designentur, tamen per Psalmistam, *Qui sedes super Cherubim*, dicitur. Sed ideo isti ordines Angelorum privatis nominibus appellantur, quia hoc ipsum officium in suo ordine plenius acceperunt. Et, cum sint omnibus communia, propria tamen hæc nomina suis ordinibus deputantur. » Quæ Rhabanus Maurus ex parte descripsit in primo libro *de Universo*, capite V. Uterque autem ab Dionysio didicit.

Porro Chrysostomus homilia tertia *de Incomprehensibili* adversus Anomœos, Cherubimos anteponit Seraphimis, et his superiores facit, tum vero cum Thronis confundit. Nam, cum Seraphimorum meminisset, qui se pennis velabant suis, « non has tantummodo Virtutes angelicas coram Deo se demittere ait, sed etiam illas, quæ iis superiores sunt videlicet Cherubim; si quidem illæ prope adstant, istæ vero thronus sunt Dei [b]. » Quanquam ob id vulgo Seraphimi Cherubimis anteponi solent, quod caritas, qua illi censentur, scientiæ præstat, quæ istis tribuitur, verum non ex eo sequi, inferiores hos illis esse, ex Guillelmo Parisiensi paulo post ostendemus.

VI. Dominationum vocabulum conditionem ab servili effectu, et infima subjectione liberam significat, neque ulli tyrannicæ dissimilitudini, hoc est materiæ cedentem, ac veræ dominationis, id est summum in omnia dominatum exercentis divinitatis imitatricem. Nam sensibilia, et corporea servile aliquid habent, et illiberale, ait Maximus; a quibus Ordo ille insigniter abducitur, nec teneri se, subjicique patitur, ac cæteris porro eamdem generositatem impertit. At Gregorius, et alii, Dominationes inde nominari sentiunt, « quod mira potentia præeminent pro eo, quod eis cætera ad obediendum subjecta sunt. » Nempe, ut Bernardus copiosius explicat, quod inferioribus quinque ordinibus « adeo supereminent, ut respectu horum cæteri videantur omnes administratorii spiritus, et ad istos, tanquam ad dominos referri regimina principatuum, tutamina potestatum, operationes virtutum, revelationes Archangelorum, curam, et providentiam Angelorum [6]. » Sed hoc ipsum supremo potius ordini, quam quarto congruere videtur.

De Dominationibus.

Virtutum appellatio, ait Dionysius, « virilem quamdam, (ut sic dixerim) masculam, inconcussamque fortitudinem significat, qua in omnibus divinis suis actionibus præditæ, ad nullas divinas illuminationes capiendas invalidæ, imbecillæque sunt [c]; » sed firmita-

De Virtutibus.

a Theodoret. in cap. I *ad Col.* ver. 16. Θρόνους ἡγοῦμαι τὰ Χερουβὶμ αὐτὸν λέγειν. τούτοις γὰρ εἶδε τὸν θεῖον ἐπικείμενον θρόνον ὁ προφήτης Ἰεζεκιήλ.

b Chrys. Καὶ οὐκ αὐταὶ μόνον, ἀλλὰ καὶ αἱ τούτων ἀνώτεραι, τὰ Χερουβίμ. αὐταὶ μὲν γὰρ πλησίον ἐστήκασιν, ἐκεῖναι δὲ θρόνος εἰσὶ θεοῦ.

c Dion. Τὴν δὲ τῶν ἁγίων δυνάμεων ἀῤῥενωπόν τινα, καὶ ἀκατάσειστον ἀνδρίαν, εἰς πάσας τὰς κατ' αὐτῶν θεοειδεῖς ἐνεργείας, πρὸς μηδεμίαν ὑποδοχὴν τῶν ἐνδιδομένων αὐτῇ θεαρχικῶν ἐλλάμψεων ἀδρανῶς ἐξασθενοῦσαν, δυνατῶς ἐπὶ τὸ θεομίμητον ἀναγομένην, etc.

1 Col. 8, c. XIII.— 2 Hom. XXXIV.— 3 Lib. IV *de Consid.* c. IV. — 4 Cap. I, n. 8.— 5 Nyss. Gretz.— 6 Lib. V *de Cons.* c. IV.

tem habent, et vigorem, quem et in inferiora derivant.

Gregorius, Isidorus, Hugo, Bernardus Virtutes appellari spiritus illos putant, « per quos signa, et miracula frequentius fiunt ; vel quorum nutu, et opere signa, et prodigia in elementis, sive ex elementis facta apparent ad commonitionem mortalium ait, » ait Bernardus.

Virtutes.

Verum, quia δυνάμεις in Scripturis passim vocantur, quas Hebræi צבאות *Sabaoth* appellant, hoc est *exercitus*, et instructas acies ; credibile est, inde potius nomen esse sortitos illius ordinis spiritus, tanquam bellicam Dei vim, et ad committenda prælia fortitudinem exprimant, vel contra Dei hostes excellenti quadam ratione, velut milites instructi, ordinatique sint.

De potestatibus.

VII. Ἐξουσίας, hoc est *potestates*, nuncupatas ex eo vult Dionysius, quod concinne ordinatæ sunt, et ad excipienda divina, dempta omni confusione, liberæ sunt, et erectæ ; neque porro jure, ac potestate sua per vim, ac tyrannidem abutuntur, sed inferiores ad imitationem supremæ illius potestatis benigne provehunt. Videtur Dionysius εὐταξίᾳ, id est *ordinis elegantia*, et *concinnitate* definiisse potissimum hunc cœlestum gradum, quod

Potestatibus

Apostolus ταῖς ἐξουσίαις eamdem illam proprietatem tribuat [1] : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas, nisi a Deo. Quæ autem sunt a Deo, ordinatæ sunt. Itaque, qui resistit potestati Dei ordinationi resistit.*

Gregorius, Isidorus, Bernardus, Hugo, et Lombardus inde originem nominis arcessunt, « quod hoc potentius cæteris in suo ordine perceperunt, ut eorum ditioni virtutes adversæ subjectæ sint, quorum potestate refrenantur, ne corda hominum tantum tentare prævaleant, quantum volunt. » Ergo, quoniam excellenter eorum potestati subjecti sunt aerii spiritus, ab iisque comprimuntur, *potestates* appellantur.

De Principatibus.

Principatus nomen ideo tributum ordini septimo, Dionysius putat quod summæ majestatis dignitatem, ac τὸ ἀρχικὸν, et ἡγεμονικὸν

Principatum et ducatum.

præcipua ratione imitantur, et consequi studeant, ad idque inferiores attrahunt, in quos ducatum, et principatum exercent. Gregorius, et cæteri sic eos dictos volunt, « qui ipsis quoque bonis Angelorum spiritibus præsunt, qui subjectis aliis, dum quæque sunt agenda disponunt, eis ad explenda divina ministeria principantur. » At vero Bernardus, « quorum, inquit, moderamine, et sapientia omnis in terris principatus constituitur, regitur, limitatur, transfertur, mutilatur, mutatur. »

Theodoretus in caput primum epistolæ *ad Colossenses*, « Dominationes, et principatus, et potestates, illos esse dicit quibus gentium cura commissa est [a] : » de quibus postea.

Principa

Archangeli inter ἀρχὰς, et Angelos medii, ex utroque temperantur, ut ait Dionysius [2]. Nam et mysteriorum divinorum conscii, nonnisi magnis, ac præcipuis de causis ad illa nuntianda mittuntur, in quo cum Angelis congruunt, et istis vicissim præsunt, qui omnium infimi, citimique nobis.

De Arch gelis

De Ange

Angeli, communi usurpato vocabulo, dicuntur : « Qui enim minima nuntiant, ait Gregorius, Angeli, qui vero summa adnuntiant, Archangeli vocantur. »

CAPUT IV.

De hierarchicis functionibus, quæ ad tria genera revocantur, eaque cujusmodi sint, exponitur. Quanam ratione inferiores Angeli ab superioribus illuminentur.

I. Ad omnem constituendam hierarchiam, tria auctore Dionysio concurrunt [3], τελετὴ, μύσται, μυούμενοι, ex quibus τελετὴ sacra ipsa, et ritus cæremoniasque significat, in quibus administrandis hierarchæ, quos μύστας vocat, in capiendis vero, qui iis subjecti sunt, μυούμενοι versantur. Rursus triplex [4], ut idem observat, functio est sacra, sive Hierarchica, quæ ab illis in hos derivatur, ac proficiscitur, κάθαρσις, φωτισμὸς, τελείωσις, *purgatio*, *illuminatio*, *perfectio* ; quæ in nostra id est humana, et ecclesiastica hierarchia, facilius et discernuntur a nobis, et oratione declarantur. Quare ex hujus similitudine cœlestem, et angelicam assequi, interpretarique conabimur. Igitur τελετὴ, hoc est subjectum, circa quod nostra occupatur hierarchia, sacra ipsa sunt Christiana, quæ fidei mysteriis, et sacramentorum usu continentur. Purgatio sacris ab ministris exercetur, dum rudes adhuc, et nondum initiatos primis Christianæ disciplinæ

Triple functio hierarchic

a Theodoret. Κυριότητας δὲ, καὶ ἀρχὰς καὶ ἐξουσίας τοὺς τῶν ἐθνῶν πεπιστευμένους τὴν ἐπιμέλειαν.

1 *Rom.* xiii, 1. — 2 Cap. ix. — 3 Cap. v *de Eccl. Hier.* — 4 Vide cap. iii *de Cœlest. Hier.* et ibid. *Max.*

rudimentis præparant, et instituunt ad detestanda, procurandaque pristina scelera : « Oportet enim, ait Dionysius, eos, qui purgantur, puros, ac sinceros effici penitus, et ab omni liberari dissimilium rerum admistione[a]. » Eodemque referuntur et illi ritus, ac cæremoniæ, quibus ante baptismum expiantur catechumeni. Illuminatio est arcanorum, ac sanctiorum mysteriorum traditio, qua purgatus animus divina luce perfunditur, et altius jam attolli incipit. Perfectio fit, cum ad interiora sacra videnda, fruendaque idonee cultus, atque expolitus admittitur.

Finis ac scopi hierarchiæ.

II. Cum autem finis, ac scopus (uti supra ex eodem illo Dionysio definivimus,) hierarchiæ sit, imitatio, ac similitudo Dei ; ea partim in hierarchis, ac triplici illius efficientiæ facultate, id est habitu, ac statu, partim in eorum potestati subjectis elaboratur, ac perficitur. Etenim Deus est simplex[1], ac dissimili re nulla concretus ; plenus idem sempiternæ lucis, neque perfectionis ullius egens, ac purgans, illuminans, ac perficiens universa, vel potius sacra ipsa purgatio, illuminatio, ac perfectio. Tales ergo, quoad fieri potest, hierarchia tam illos præstat, quos afficit, velut ἕξις, et *habitus*, quam eos, in quos vim suam, et potestatem exercet. Siquidem et Hierarchæ, quatenus καθαρτικοὶ sunt, abundantia quadam puritatis, ac munditiæ cæteros repurgant, in eosque, quod habent, transferunt. Ut autem φωτιστικοὶ sunt, splendidissimæ sunt eorum mentes, et copiosa luce completæ, quæ inde sic, tanquam ex uberrimo luminis fonte spargitur, ac dimanat in reliquos. Denique, qua τελεσιουργοὶ, id est perficiendi sunt artifices, exquisitiore sunt præditi scientia reconditarum, altissimarumque rerum, quam cum iis, qui digni sunt, communicant.

Purificatores.

Illuminatores

Perfectores.

At in illis ex adverso, qui purgantur, et οἱ καθαιρόμενοι dicuntur, paulatim id eluit, ac deterget Hierarchica functio, quod inest crassum, et infectum. Qui autem illuminantur, iis cœleste lumen offertur, ac præparatur mentis oculus, ut se ad divinorum contemplandorum habitum, ac facultatem erigat, quam θεωρητικὴν ἕξιν, ac δύναμιν Dionysius appellat. In qua tertius consistit gradus τῶν τελειουμένων, qui bene purgati, et luce divinæ cognitionis exculti, corroboratique habitum quemdam adepti sunt, ac statum, et in quadam virilitate positi sunt ; ut jam iis præstantissima quæque, et interiora christianæ legis arcana committantur, cujusmodi est sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum, et omnibus absoluta partibus communio ; quam idcirco τὸ τέλειον appellare solent concilia vetera, ut alibi docemus[2].

Contemplatricem habitum ac virtutem. Perfectorum

Perfectum.

III. Dionysius vero τῶν ἐποπτευθέντων ἱερῶν τελειωτικὴν ἐπιστήμην iis adscribit, « sacrorum, ac mysteriorum, quæ ab emeritis inspiciuntur, perfectricem scientiam, » ad mystas, et epoptas gentilium mysteriorum alludens, qui summus illic habebatur, ac perfectus status. Sic triplici illo efficientiæ genere partim capiendo, partim navando, et in alios refundendo, ad Dei imitationem, similitudinemque perducimur. Neque vero sic tres illæ distinctæ sunt actiones, ut reipsa necessario sejunctæ sint. Nam plerumque implicatæ sunt invicem, et in unum coalescunt, ac sola ἐπινοίᾳ, et *ratione* separantur. Quod S. Thomas[3], et Dionysius Carthusianus ostendunt[4] ; idque ille corporei similitudine visus explicat. Is enim purgari dicitur, cum removentur tenebræ ; illuminari vero, quatenus lumine perfunditur ; perfici vero, quatenus ad notitiam colorati perducitur. Hæc vero tria unica, et simplici re, actioneque constant. Nunc illud exquiramus, quomodo triplex ista functio in Angelos inferiores a superioribus exerceatur, quod in prima, hoc est purgatione, cumprimis dubitationem habet. Est enim purgatio, sordium inquinamentorumque detersio, cujusmodi in beatis illis mentibus esse nulla possunt.

IV. Verum purgatio non ea est in Angelis, quæ corporeis in rebus cernitur ; neque maculatum, ac sordium remotionem significat, sed simplicis ignorantiæ quarumdam rerum, quarum notitiam superiores inferioribus adspergunt, uti Dionysius Carthusianus observat. Guillelmus quoque Parisiensis erudite hunc fere in modum istud explicat[5] : Inter Angelos alii sunt splendidiores aliis, ac divino lumini propinquiores, adeoque puriores, non eo, quod vel minus, vel nihil omnino sordium habent, sed quod ab inexhausto lucis fonte largiores, ac liquidiores veritatis haustus exci-

Purgatio in Angelis non ejusdem naturæ ac in corporeis

a Dion. cap. III *de Cœl. Hierar.* Χρὴ τοιγαροῦν, ὡς οἶμαι, τοὺς μὲν καθαιρομένους, ἀμιγεῖς ἀποτελεῖσθαι καθόλου, καὶ πάσης ἀλευθερῶσθαι τῆς ἀνομοίου συμμίξεως.

1 Dion. ibid. — 2 In Notis *ad Synes.* edit. II. — 3 In I par. qu. CVI, art. 1, ad 1. — 4 In cap. III *de Cœlest. Hier.* — 5 In par. II primæ par. *de Univer.* cap. CXCVIII.

piunt; quemadmodum si soli objecta sunt aliquot crystalla, vel specula, quæ non eodem situ collocentur, sed illius radios plenius, ac directius aliis alia capiant sic, cum Angelorum aliqui Deum cæteris perfectius contemplentur, uberiore, quam isti, luce perfunduntur, eoque puriores sunt illis, et eosdem abundantia sui luminis illustrant; quæ quidem communicatio luminis copiosioris purgatio dicitur, non quod tenebrarum insit aliquid, et caliginis, quod majoris appulsu luminis extinguatur, sed quia lucis, ut dixi, ad lucem fiat accessio. Non enim luminis remissio tenebrarum admistione constat, uti neque motus tardatio, quietis, neque visus hebetatio, cæcitatis. Ex quibus exemplis secundum maxime ad rem pertinet. Siquidem cœlestes orbes non omnes pari celeritate torquentur, sed supremus inter illos, qui primum mobile vocatur, rapidiori motu concitatur, ac cæteri deinde, uti quisque prior est, aut remotior, ita velocius agitantur, aut lentius. Quod si minor illa celeritas quietis parte aliqua constaret, nusquam verus, ac simplex motus esset; quoniam, et suprema illa, ac celerrima conversione celerior alia vel fingi a nobis, vel a Deo procreari potest. Quamobrem sine ulla contrariæ quietis adjunctione motus alter altero est tardior, itidemque lux una altera splendidior, nulla caliginis parte temperata. Ad eum itaque modum purgari dicitur Angelus, cum novam quamdam cognitionis lucem accipit, qua carebat antea; et idipsum, quod deerat, tanquam privatio quædam est, quam adveniens notitia pellit, ut ei propterea purgationis vocabulum sit inditum.

Illuminationem.

V. Sed cujusmodi sit, et quarum rerum illa cognitio, quæritur, quam ἔλλαμψιν Græci theologi nominant: Ac Dionysius quidem, subjectum operationis hierarchicæ, hoc est τελετὴν, ait esse « Dei, ac divinarum rerum intellectionem, quam fieri maxime potest, a materia remotam[a]. » At, si id verum est, sequitur, inferiores Angelos superiorum interventu, et efficientia Deum cognoscere, quod alienum ab illorum felicitate videtur. Deum enim intuentur omnes; qui, cum simplicissimus sit, si a quoquam cernitur, totus necessario cernitur; neque enim partibus constat ullis, ut earum pateant aliquæ, latentibus aliis. Quæ sunt ergo θεουργικαὶ illæ γνώσεις, quas superior Angelorum ordo transmittit in inferiorem? *Theurgicæ notiones.*

Quanam ratione angeli inferiores a superioribus illuminentur.

De hoc antiqui Theologi nihil admodum explicarunt. Ac, cum ea nonnullorum opinio fuerit, Dei substantiam per se nullis a creaturis videri posse, sed per lumen aliquod ac speciem, quæ excellenti modo divinam essentiam referat; (quod sic in scholis enuntiatur, *intuitive* non posse cognosci Deum, sed *abstractive*, uti supra demonstravi) apparet, illos, qui ita sentirent, minime cunctaturos esse, quin ad Deum ipsum, ejusque substantiam cognoscendam inferiores Angelos illuminari dicerent a Superioribus; hoc enim esset illustriorem quamdam speciem, et expressiorem illis tribui, quæ Dei naturam propius, ac perfectius contemplandam objiceret. Nunc vero; postquam ita definitum est, Dei substantiam clare, et *intuitive* cognosci, viderique beatis ab mentibus, quoniam ea nonnisi tota, et integra, tum per se, ac nullius interventi videri potest; nihil ad hanc notitiam superiores Angeli conferre possunt inferioribus, ut recte S. Thomas disserit[1], nec non Dionysius Carthusianus[2]. Quare in divinis operibus tota illuminandi functio consistit; quarum rationes non in ipsa Dei essentia contuentur, sed ab eo discunt, qui, quibus vult, ac quemadmodum vult, ista significat. Nam beati, uti Deum ipsum plene, ac perspicue contemplantur, sic divina opera, quæ non necessario ex ipso profluunt, sed ab eo libere procreantur, non omnia, neque ex æquo intuentur omnes, sed pro cujusque merito, ac Dei voluntate cum plura, tum evidentius alii aliis intelligunt. « Rationes, inquit S. Thomas, divinorum operum, quæ in Deo cognoscuntur sicut in causa, omnes quidem Deus in seipso cognoscit, quia seipsum comprehendit; aliorum vero Deum videntium tanto unusquisque in Deo plures rationes cognoscit, quanto eum perfectius videt. Unde superior angelus plura in Deo de rationibus divinorum operum cognoscit, quam inferior, et de his eum illuminat. »

VI. Quod autem Dionysius tam Dei, quam divinarum rerum intellectionem communicari ait inferioribus, quatenus Deum nominat, non absolute, ac ratione substantiæ illic accipiendus est, sed ut auctor, effectorque est

a Dion. cap. v *de Eccl. Hier.* Οὐκοῦν ἡ μὲν ἁγιωτάτη τῶν ὑπερουρανίων οὐσιῶν ἱεραρχία τελετὴν μὲν ἔχει τὴν κατὰ δύναμιν οἰκείαν θεοῦ, καὶ τῶν θείων ἀϋλοτάτην νόησιν.

1 In I Par. qu. cvi, art. 1, ad 1.— 2 In cap. III *de Cœl. Hier.* art. 16.

operum suorum; quæ cum ignorata antea, nosse superiorum beneficio inferiores incipiunt, Deum quodammodo perfectius cognoscunt. Quam enim illius perfectionem per se, et in divina essentia clare contuebantur, ejus vim, et efficientiam modo majorem intelligunt, ac velut extensionem, qua ad inusitata, et admiranda quædam opera diffunditur. Ita ergo, cum Dei potentiam, sapientiam, bonitatem Angeli perspicue ante cernerent, non eo tamen usque intelligentia penetrabant, ut qui illarum fructus exstitit, hominem Deum fore, comprehenderent, aut quæ inde consecuta sunt bonitatis ejusdem, sapientiæ, ac potentiæ miracula: quibus agnitis, causam ipsam beneficientiæ tantæ clarius, liquidiusque cognorunt. Hanc suam mentem alio in loco Dionysius aperit, cum beatos illos spiritus ait « eorum, quæ sunt, rationes illuminatione percipere, ac suam illam cognitionem in alios, qui cognatione propinqui sunt, derivare, ac trajicere[a] »; rationes, inquit, eorum, quæ sunt, non divinam ipsam substantiam, et quæ cum ea complexa sunt, quæ videt necessario quisquis Deum videt, cum sint ipsemet Deus. Porro, quod ibidem Dionysius addit, «Habent item ex bonitate constantiam, et stabilitas illis, ac firmitas non aliunde est. Inde continentur, atque servantur, ac domicilium bonorum habent[b], » hæc, inquam, verba tertium hierarchicæ functionis gradum indicant, qui τελείωσις, vel τελεστιουργία dicitur. Hunc enim in divinorum percipiendorum habitu, ac statu collocari ab Dionysio, supra diximus.

Perfectio.

CAPUT V.

Sintne natura æquales omnes Angeli; et unde ordinum, ac functionum illa varietas existat. Origenis refutatus error. Qua ratione a Deo, vel a se mutuo perficiantur Angeli. Guillelmi Parisiensis erudita de illis disputatio.

I. Sed ut Angelicorum ordinum tripartita illa distributio, ac singulorum proprietates subtilius explicentur, quædam de iis investiganda, disputandaque sunt; e quibus est hoc primum: sintne naturæ eorum insiti gradus isti, atque ordinum differentiæ: an æquales natura sint, et par eademque conditio sit omnium adeo, ut dignitatis illa varietas adventitia sit, et ab solo Dei nutu, ac voluntate pendeat; uti in hominibus accidit, qui æquali sorte nascuntur, neque nobiliores, aut ulla re præstantiores alii aliis eduntur in lucem; quæ autem in illorum animis, et corporibus, vitaque omni varietates incidunt, eæ contingentes habent causas, non ex naturæ principiis oriuntur.

Fuit hæc Origenis opinio[1], Angelos pro meritorum diversitate diversos gradus, atque ordines adeptos esse; imo vero in eodem ordine pro meritorum differentia magis, vel minus honorata functione esse donatos. «Nec enim existimandum est, ait ille[2], quod fortuito accidat, ut illi Angelo illud injungatur officium, verbi gratia, ut Raphaeli curandi, et medendi opus, Gabrieli libellorum providentia, Michaeli mortalium preces, supplicationesque curare. Hæc enim officia promeruisse eos non aliter putandum est, quam ex suis quemque meritis, et studiis, ac virtutibus, quæ ante mundi hujus compagem gesserint; suscepisse tamen deinde in Archangelico ordine illud, vel illud officii genus unicuique deputatum; alios vero in Angelorum ordine meruisse describi, et agere sub illo, vel illo Archangelo, vel illo duce, vel principe ordinis sui. Quæ omnia, ut dixi, non fortuito, atque indiscrete, sed aptissimo, et justissimo Dei judicio ordinata sunt, et pro meritis disposita, ipso judicante, et probante, ut illi quidem Angelo Ephesiorum committi Ecclesia debeat, illi vero alii Smyrnensium; et ille quidem Angelus ut sit Petri, alius vero ut sit Pauli, tum demum per singulos minimorum, qui sunt in Ecclesia, qui vel qui conscribi singulis debeant Angeli, qui etiam quotidie videant faciem Dei, sed et quis debeat esse Angelus, qui circumdet in circuiti timentium Deum. » Quod Origenis dogma refert, et confutat, Maximus in calce *Scholiorum* ad caput VI Dionysii *de Cœlesti Hierarchia*; et

Origenis notatur error.

a Dion. cap. IV *de Divin. nom.* Καὶ ὡς νόες ὑπερκοσμίως νοοῦσι, καὶ τοὺς τῶν ὄντων οἰκείως ἐλλάμπονται λόγους· καὶ αὖθις εἰς τὰ συγγενῆ τὰ οἰκεῖα διαπορθμεύουσι.

b Ibid. Καὶ τὴν μονὴν ἐκ τῆς ἀγαθότητος ἔχουσι· καὶ ἵδρυσις αὐταῖς ἐκεῖθέν ἐστι, καὶ συνοχὴ, καὶ φρουρὰ, καὶ ἑστία τῶν ἀγαθῶν.

1 Lib. I *de Princ.* cap. VI et VIII. — 2 Cap. VIII.

Evagrium cum eo conjungit eadem erroris infamia laborantem.

In eadem videtur esse sententia Hieronymus

II. Hieronymus vero in commentariis ad caput primum epistolæ *ad Ephesios* in eadem esse sententia videtur. Nam varios Angelorum ordines enumerat, Principatus, Potestates, Virtutes, Dominationes; quos habere « subjectos aliquos dicit, et timentes se, et servientes sibi, et eos, qui sua fortitudine roborentur. Quæ distributiones officiorum non solum in præsentiarum, sed etiam in futuro sæculo erunt, ut per singulos profectus, et honores, et ascensiones, et descensiones vel crescat aliquis, vel decrescat, et sub alia atque alia potestate, virtute, principatu, et dominatione fiat. »

Quæ ex Origene mutuatus videtur, præsertim e primo *de Principiis,* capite sexto, ubi Principatibus, ac Potestatibus, cæterisque ordinibus subjectos esse alios dicit Angelos, pro ratione meritorum. Tum in libro I *contra Ruffinum,* eumdem illum locum, qui sibi objectus fuerat, describit; ac ne Origeni assentiri videretur, ita se purgat : « Sin autem putat et idcirco me Origenem sequi, quia profectus, et honores, ascensiones, et descensiones, incrementa, et imminutiones in expositione mea posui; sciat multum interesse, de Angelis, et Seraphim, et Cherubim dicere dæmones, et homines fieri, quod affirmat Origenes, et ipsos inter se Angelos diversa officiorum genera esse sortitos, quod Ecclesiæ non repugnat. Quomodo et inter homines ordo dignitatum ex laboris varietate diversus est, cum episcopus, et presbyter, et omnis ecclesiasticus gradus habeat ordinem suum, et tamen omnes homines sunt. Sic et inter Angelos merita esse diversa, et tamen in angelica omnes persistere dignitate; nec de Angelis homines fieri, nec rursum homines in Angelos reformari. »

Hinc evidens est, Hieronymum subjectos illos Potestatibus, et Principatibus, ac cæteris ordinibus, non alios intellexisse, quam Angelos; idque meritis singulorum adscripsisse, quod vel hunc, aut istum gradum adepti sunt, vel altiori, inferiorive subjecti sunt, et attributi; quod et alio ex loco colligitur. Nam in secundo *contra Jovinianum* angelicis enumeratis ordinibus, « Sine causa [1], inquit, diversitas nominum est, ubi non est diversitas meritorum. Archangelus utique aliorum minorum est Angelorum Archangelus; et potestates, et dominationes habent aliqua, super quæ exerceant potestatem, et in quæ subjecta dominentur. » Ergo et quod eosdem ait crescere, ac decrescere, hoc ait superiorem aliquem assequi gradum, aut ab eo descendere, ad eosdem pertinet Angelos, estque inter παράδοξα numerandum. Non enim mereri amplius possunt Angeli; aut vero ex quo in gratia, et felicitate obfirmati sunt, ante potuerunt.

Paradoxa

Origenes a Theophilo Alexandrino refutatus.

III. Theophilus Alexandrinus in libro Paschali secundo, contra Origenis opinionem illam disputat, qui « Principatus, Potestates, Fortitudines, Thronos, ac Dominationes, non ab initio in hoc conditas refert, sed post creationem sui aliquo honore dignas fecisse, et aliis sui similibus propter negligentiam ad inferiora delapsis, has inclitis nominibus appellatas; ut juxta errorem ejus non eas condiderit Deus principatus, et potestates, et reliqua, sed aliorum peccata illis materiam tribuerint gloriarum. » Quæ ex Pauli auctoritate [2], ac verbis refellit ita scribentis : *In Christo creata sunt omnia in cœlis, et in terra, visibilia, et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes,* etc. « Si intelligeret, inquit, vim verbi, per quam dicitur, creata sunt omnia, noscet, ab initio ita eas conditas, et non aliorum socordiam, et in inferiora prolapsum, occasionem dedisse Deo, ut illas principatus, et potestates, et fortitudines reliquas nominaret. » Igitur Theophilus Angelos omnes iis in ordinibus creatos esse putat, in quibus censentur; non autem meritis illorum dignitates eas esse concessas.

Sententia Hugonis Victorini P. Lombar.

Verum Hugo Victorinus [3], et Lombardus existimant [4], ante lapsum dæmonum, nondum bonos Angelos in istos ordines fuisse distributos; quoniam nullis adhuc gratiæ donis, ornamentisque prædíti erant, qui singulis ordinibus attributi sunt. Nondum enim excellentissima, et ardentissima in Seraphimis, exempli causa, charitas inerat. Siquidem Angelos eo momento, quo conditi sunt, gratiæ et charitatis expertes fuisse sentiunt illi, eaque merito suo adeptos esse, uti superius ostendimus. Nihilominus asserunt, majori quadam alios aliis tenuitate ac subtilitate constare, adeoque perspicacitatem haud æqualem esse in omnibus, secundum quam varietatem diversa itidem gratiæ ornamenta, diversosque gradus, atque ordines consecuti sunt.

1 Hier. col. 544. — 2 Col. 1.— 3 *Sum. Sent.* Tr. II, cap. V. — 4 In II, dist. IX.

n natura-
les sint
Angelis eæ
conditiones
quibus
n diversis
ordinibus
onstituun-
tur.

IV. Sed ut omnis ab illa quæstione removeatur ambiguitas, sciendum est, aliud esse inquirere, utrum Angeli in illo graduum, ordinumque discrimine conditi sint sic, ut eo nunquam caruerint; aliud vero, utrum naturales sint iis conditiones istæ, ut qui inter Seraphimos, exempli causa, numeratur, non alterius ordinis esse potuerit. Nam, etsi nunquam sine gratia et caritate fuisse beatos illos spiritus plerique censeant, ut S. Thomas, de quo superiore libro egimus; nemo tamen naturalem iis esse charitatem, et justitiam putet. Quocirca sanctus idem doctor dupliciter in diversos illos ordines referri Angelos pronuntiat[1]: primum *secundum naturalia dona*, quæ inæqualia iis inesse credit, quia specie differre judicat: deinde *secundum dona gratuita, quæ secundum capacitatem naturalium* iis concessa sunt. Priori modo *dispositive* distingui ordines in Angelis asserit; posteriori *completive*.

Ita quidem illi fere sentiunt, qui specie distinctos invicem Angelos faciunt, in quibus genuinum, et nativum discrimen excellentiæ ponunt, ut aliis alii natura præstent, quemadmodum homines equis, hominibus Angeli. Quo fit, ut Seraphimi, aut Cherubimi per se, ac suapte natura sint, etiam antequam ornamenta illa gratiæ cœlestis accesserint, velut inflammata in Deum charitas, et præstans rerum divinarum scientia; quæ quidem divinitus infusa dona nativæ cujusque dispositioni respondent, naturamque complent, ac perficiunt.

Itaque post etiam, quam lapsi, et omnibus ornamentis gratiæ spoliati sunt Angeli, iidem in illis ordinum perseverant gradus; quod argumento sit, natura hæc illis insita esse, quibus nihil, præter naturam, reliqui est factum.

V. At ii, quibus eamdem placet esse Angelorum omnium naturam, ac speciem, (qua in sententia plerosque fuisse veterum supra docui,) si sibi consentanei esse volunt, aliter de his statuant oportet, ut nequaquam illas esse naturales, id est ingenitas, et insitas graduum differentias putent, sed adventitias; neque tamen ejus generis, quod *supernaturale* vocant, qualis est gratia, et charitas; sed intra naturæ captum; ut in hominibus civiles, aut Ecclesiasticæ dignitates sunt, quas perinde nefarii, perditique homines gerunt, ac probi, et honesti. Quod vero ad dæmones attinet, dici hoc potest: sive hæc inter eos adhuc manere graduum discrimina, quia nihil supra naturam habent, etsi naturales non sunt; ut si quis ex justo, sanctoque deterrimus factus, pristinos omnes habitus, et facultates retineat, quæ ab gratia, et sanctitate separari possunt: sive dignitates quidem ipsas ereptas iis esse, manere tamen illarum memoriam, aut etiam vestigia quædam in præfecturis, ac potestatibus, quam in se invicem exercent; de quibus postea dicendum erit. Ita fere Guillelmus Parisiensis in hanc partem disputat[2]; quæ idcirco longiori persequi oratione opus non est, quia nihil de iis solidi, ac comperti licet afferre, cum ex conjecturis omnia pendeant, neque ab veteribus pertractata ista sint; quorum ex commentariis, et placitis omnium, quæ huic operi mandamus, ratio, atque auctoritas debet ascisci.

Origenis error non est contra Fidem.

VI. Atque, ut ad Origenem, et suffragatorem hac in parte ejus Hieronymum redeam, quod uterque docere visus est, ordines illos pro merito cuique tributos esse (quanquam id Theophilus reprehendit) non puto, erroris, nedum hæresis posse damnari. Etenim, si gloriæ, ac beatitudinis statum pro meritorum inæqualitate diversum adepti sunt; cur non iisdem meritis varios illos ordinum gradus assequi potuerunt. Ita quidem Isidorus Hispalensis libro VII *Originum*, capite v et latissime Rupertus in libro tertio *De glorificatione Trinitatis, et processione sancti Spiritus*, capite XVII. Ac, tametsi copiosior iis gratia tributa sit, quos splendidiorem ad gradum comparabat Deus; eniti tamen ipsos, ac pro virili conari, ac navare aliquid oportuit, ut ad id, quod desponsum sibi divinitus erat, labore aliquo suo pervenirent. Quod qui facere noluerunt, et ea, quam habebant, gratia, et, quam obtinere poterant, gloria, et ordinis dignitate caruerunt. Hoc modo tueri se illi poterunt, ac cum erroris a se suspicionem avertere, tum ei respondere. quod ex diaboli casu, ac ruina contra illos potest objici. Hunc enim constat principem, ac longe antecellentem fuisse cæteris; ex quo capi conjectura videatur, ordinum varietates illas jam tum ab ortus sui primordio Angelos accepisse, antequam meritum eorum exstaret ullum. Verum dici istud, opinor, potest, non eo, quo jam reipsa fruebatur, gradu, atque ordine dejectum esse diabolum. sed qui sibi

1 In I Par. qu. CVIII, art. 4. — 2 In II Par. I *de Univer.* cap. CLXIV et seq.

a Deo destinatus esset, et ad quem obtinendum excellentiore gratia esset instructus. Quæ quanquam haud absurde dici possunt, eo tamen potius inclinat animus, ut ante meritum omne, sola ex Dei voluntate, varios in ordines descripti sint Angeli ; et quo celsiore in gradu locabantur, eo affluentiore gratia donati fuerint. Quod Cyrillus Alexandrinus significasse mihi videtur in Paschali epistola XII.

An a Deo vel a se perficiantur et illustrentur Angeli.

VII. Quo constituto, proxime quæstio ista succedit : quanam ratione vel a Deo, vel a se invicem illustrari, perficique dicantur Angeli; hoc est an omnes ex æquo Angeli, an prima duntaxat hierarchia, aut supremus ordo nullius interventu ab solo Deo ista percipiat, cæterorum, ut inferior quisque est, ab superiori ordine, an potius in quolibet ordine summus sit aliquis, a quo proximus informetur, ab hoc tertius, et ita deinceps usque ad postremum. Imo istud occurrere cuipiam potest, primi ordinis supremum esse aliquem, qui solus ab ipso Deo hierarchicam efficientiam hauriat, quam ab eo deinceps cæteri communicatam accipiant ita, ut novissimus ordinis cujusque summum insequentis erudiat, ac perpoliat.

Hac de re varie Dionysius loquitur.

Qua de re Dionysius varie locutus videtur. Nam in capite IV *de Cœlesti hierarchia*, cœlestes omnes virtutes supra creata cætera altiori quodam in gradu consistere ait, «quæ in Dei imitationem intentæ, et intelligibilem suam formam effingere cupientes, merito copiosorem cum Deo communionem habent, ut quæ proximæ illi sint, et ad sublime semper, quoad licet divini, et nunquam fatiscentis amoris contentione sursum efferantur [a]» προσεχεῖς, id est, proxime Deo inhærentes esse beatas illas mentes asserit, dum intelligibilem formam suam fingere, atque elaborare student. Quod sic interpretandum, putet aliquis, tanquam divinas illuminationes proxime, ac sine interjectione ullius excipiant.

At in septimo capite primam Hierarchiam, tresque ejus ordines omnes, sine ullo medio proxime a Deo collustrari, perficique docet. «Non enim, inquit, per alias sanctas substantias, sed a divino ipso principatu Hierarchicam efficientiam excipiunt, quod ad illam nullius se interventu efferant [b], » idque deinceps sæpius repetit. Idem sentit et Athanasius libro *de Communi essentia* (quanquam liber iste mihi non videtur germanus esse Athanasii) et auctor *Quæstionum ad Antiochum*. quæst. XXXI. Verum in decimo capite Dionysius unamquamque hierarchiam in tres ordines dividi scribit, summos, medios, infimos ; et in singulis priores cum posterioribus communicare, quas habent, rerum notitias, velut Seraphimos cum Seraphimis.

At Bernardus in V *de Consideratione*, capite IV, Cherubimos « ex ipso sapientiæ fonte, ore Altissimi haurientes, et refundentes fluenta scientiæ universis civibus suis » esse cum dicit, ostendit, illos non a Seraphimis exquisitam illam sapientiam, sed ab ipso Deo capere.

Guillelm Parisiens erudita disputati

VIII. Agit de hac, et similibus quæstionibus plenius, ac subtilius Guillelmus Parisiensis, sed ita, ut prope academico more in utramque partem argumentetur ; neque satis liquide, ac diserte, quæ sua sententia sit, exponat. Videtur tamen in eam incumbere, ut sint ejusdem hierarchiæ omnes Angeli luce, gratia, dignitate pares, et a Deo proxime, nullo interjecto, collustrentur ; quod a capite præsertim CLXXIII, prioris partis secundæ principalis, deinceps explicat. Itaque Seraphim, exempli gratia, non esse Cherubimis ardentiores, neque hos sapientiores illis, neque Thronos ab ambobus illis utravis dote vinci, aut eos vicissim potestatis quadam excellentia superare [1]; sed omnes inter se tam natura, quam ornamentis gratiæ, et gloriæ pares esse. Quod autem ab insigni charitate, et ardore nomen illi habeant, isti ab sapientia, aliunde alii, causam interdum comminiscitur ejusmodi [2], quam *appropriationem* vulgo nominant, secundum quam uni de Trinitate personæ tanquam proprium aliquid inscribitur, quod ex æquo convenit tribus, velut Spiritui sancto bonitas, aut charitas, Filio sapientia, Patri potentia. Interdum ita disputat [3] : quamvis ejusdem speciei sint ordines tres, et æquales, nihil hoc tamen

a Dion. Καὶ πρὸς τὴν θεαρχικὴν ἐμφέρειαν ὑπερκοσμίως ὁρῶσαι, καὶ μορφοῦν ἐφιέμεναι τὸ νοερὸν αὐτῶν εἶδος, ἀφθονωτέρας εἰκότως ἔχουσι τὰς πρὸς αὐτὴν κοινωνίας, προσεχεῖς μὲν οὖσαι, καὶ ἀεὶ πρὸς τὸ ἄναντες, ὡς θεμιτὸν, ἐν συντονίᾳ τοῦ θείου, καὶ ἀκλινοῦς ἔρωτος ἀνατεινόμεναι.

b Dion. Οὐ γὰρ δι' ἄλλων ἁγίων οὐσιῶν, ἀλλὰ πρὸς αὐτῆς τῆς θεαρχίας ἱεραρχούμεναι, τῷ ἐπ' αὐτὴν ἀμέσως ἀνατείνεσθαι.

1 Guil. cap. CLXXVII. — 2 Cap. CLXXIV. — 3 Cap. CLXXVIII et CLXXIX.

obstare, quin unus aliquis ordo scientia præstet reliquis, ac propria quadam luce luceat, qua non splendent alii : quemadmodum eadem in hominum specie, et corporum, et animorum mirabiles varietates exsistunt. Quin illud etiam indicat, ab officiis, quæ in alios exercent, et effectorum quorumdam efficientiis appellari, atque distingui ; uti Seraphim, quod divino amore succendant, Cherubim, quod divinam in alios sapientiam derivent. Denique in capite CLXXII nihil prohibere dicit, quin Cherubimi certis scientiæ, ac sapientiæ luminibus illustrati sint, quibus Seraphimi careant, quemadmodum « stella a stella differt in claritate, » Seraphimi porro peculiari præditi sint ardore amoris, et zelo, quo inter Sanctos, qui alioquin ex æquo Deum diligunt, alii aliis antecellunt. « Non enim necesse est, inquit, ut quicumque major est zelator Dei, major sit, et amicus ipsius, quoniam in aliis amoris ramis potest alius esse præstantior. Magis enim amicus videtur interdum, qui magis amico compatitur, et magis, atque libentius miseriam ejus aut supportat, aut consolatur, eo, qui irrogatam amico injuriam alicujus vindicat. Plerumque etiam ex propensione beneficientiæ magis amici judicantur. Nonnunquam vero ex negligentia, et sustinentia damnorum, quæ pro amicis incurrunt,» etc. Item, « quod minus habet unus ordo in aliquo donorum, suppletur ei in præeminentia doni alterius ; sicut qui minus habet in zelo rectitudinis, suppletur ei in propensione, et amplitudine compassionis. Nihil prohibet igitur, ordinem Seraphim, et ordinem Cherubim æquales esse in totalitate suæ perfectionis, et multiplices inæqualitates habere, atque præeminentias, sive differentias in partibus illius. » Addit deinde : « Sapientiam Cherubim non minorem esse, nec minus acceptam creatori, quam charitatem Seraphim ; quemadmodum Sapientia Filii non est minor ullo modorum, quam charitas Spiritus sancti, sive quæ est Spiritus sanctus ; et quod, quemadmodum se habet veritas ad veritatem, sic similitudo ad similitudinem, vel exemplum ad exemplum, sive signaculum ad signaculum. Et propter hoc, cum Seraphim, et Cherubim Spiritus sancti, et Filii imagines quædam, et signacula expressissimæ similitudinis illorum sint, necesse est, ut, sicut est æqualitas veritatis ad veritatem, id est sapientiæ, quæ est Filius, ad charitatem, quæ est Spiritus sanctus, sic sapientiæ, qua illustratus est Cherubim, ad charitatem, qua ardet Seraphim, necesse est æqualitatem esse per omnia. » Longe enim, ut ibidem disputat, alia ratio est scientiæ, ac cognitionis Dei, quæ inest nobis in hac vita, et ejus, quam beati obtinent ; ut, tametsi hoc in statu charitas sapientiæ præstet, in æterna vita par sit utriusque dignitas, et præstantia, quod utraque perfectissima sit, et cum Deo nos arctissime, ac nullo interposito conjungat. Hæc, et his plura Guillelmus, ut minus latine, et eleganter, sic subtiliter, et erudite. Quæ quoniam, ut dixi, nulla certa ratione constant, sed conjectura solum, et probabili opinione, ea nos in medio relinquimus, neque persequenda pluribus arbitramur.

CAPUT VI.

De Angelorum in homines officiis. Ecquid omnes a Deo mittantur in terras. Videri omnes administros esse. De septem assistentibus ante Deum.

An ex omnibus ordinibus ad salutem hominum procurandam mittantur angeli.

I. Angelorum in humanum genus et infinita, et illustria, et quotidiana sunt officia ; de quibus proposui hoc loco breviter dicere. Ex iis autem prima statim incidit quæstio : utrumnam ad procurandam hominum salutem, ac res in terra gerendas, sine ullo discrimine mittantur omnes : an certi duntaxat ex uno ordine, vel pluribus, cæteri in cœlo, sic tanquam in aula, vel palatio perpetuo maneant. De hoc enim non idem sentiunt omnes ; ac sunt nonnulli, qui mitti promiscue omnes negent, maxime supremæ Hierarchiæ ; sed quinam ex iis mittantur, qui resideant, non satis expediunt. Fuere qui solos tres postremæ Hierarchiæ ordines ad hæc infima mitti putarent ; supremos tres nunquam ; medios vero Dei mandata ab summis accepta ad subjectos derivare ; quam opinionem refert Lombardus. Quidam, ut sanct. Thomas[1], quinque solos postremos ordines mitti censent ad infima ministeria ; superiores vero quatuor, hoc est primæ Hierarchiæ tres, et Dominationes, nunquam a Deo digredi, neque inferiora hæc tractare per sese. Contra quos disputant alii, qui omnium ordinum Angelos mitti volunt, ac, quæ momenti maximi sunt,

1 In I Par. qu. CXII, art. 4 et in Comm. ad ep. *ad Hebræos* cap. I, lect. VI.

a supremis geri; inferiores autem, quæ sibi consentanea sunt, administrare.

Negat Dionysius.

II. Prioribus favet Dionysius, Gregorius M., Anselmus[1], et complures Theologi, qui post illos de Angelis scripto aliquid prodiderunt. Ac Dionysius quidem arbitratur[2], supremos Angelos nunquam ad hæc infima ministeria descendere. Quod autem ad Isaiam purgandum unus e Seraphimis allapsus legitur[3], id sic explicat, ut non summi ordinis quispiam munus hoc obierit, sed inferior aliquis, cui Seraphimorum proprium nomen imponitur quia propriam istius ordinis functionem gerebat, cum ignito carbone Prophetæ labia perurebat; quod quidem Gregorius ex Dyonisii sententia declarat. Sic enim plerumque in momenti majoris obeundis actionibus Dei vices explens, ac sustinens Angelus, Deus appellatur; quemadmodum ille, qui Israelitico populo legem tulit, et cum Mose collocutus est; de quo ibidem latissime Dionysius.

Gregorius autem solos infimos duos ordines[4], Archangelos, et Angelos perferendis nuntiis adhiberi putat: « Hi, inquit, qui minima nuntiant, Angeli; qui vero summa annuntiant, Archangeli vocantur. » Quæ verba plerique post Gregorium usurparunt, ut Isidorus septimo *Originum*. Itaque et Gabrielem, et Raphaelem, et Michaelem inter Archangelos Gregorius collocat. Idem et alio loco[5] Danielis verba illa declarans[6]: *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei*, ita scribit: « Aliud est assistere, aliud ministrare. Assistunt enim illæ procul dubio potestates, quæ ad quædam hominibus nuntianda non exeunt. Ministrant vero hi, qui ad explenda officia nuntiorum veniunt. Sed tamen ipsi quoque contemplatione ab intimis non recedunt. Et, quia plures sunt, qui ministrant, quam hi, qui principaliter assistunt, assistentium numerus quasi definitus, ministrantium vero infinitus ostenditur. »

Angelos cujuscumque ordinis mitti affirmant alii.

III. Alii ex adverso contendunt, Angelos omnes, quocumque censentur ordine, mitti a Deo, et mandata sibi ministeria capessere. Quod imprimis traditum ab Apostolo videtur, qui ad Hæbreos scribens[7], *Nonne omnes*, inquit, *sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis?* Quæ mihi sententia anteponenda videtur alteri, propter et Apostoli locum illum, et veterum de eo judicium, atque consensum, et Scripturæ alia testimonia, quæ eodem pertinent.

Pauli quidem verba ad eam opinionem disertissima sunt, si quis ad propositum illius, et totius orationis seriem advertat animum. Etenim Christum illic Dei Filium probare studet dignitate cæteris antecellere, præsertim Angelis, qui creatis omnibus præstant: *Tanto* inquit, *melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit*. Nimirum quod *Dei Filius* singulari ratione dici intelligatur, ac Patri sit æqualis, et ad consessum ejus adhibeatur. *Ad quem autem* inquit *Angelorum dixit aliquando; Sede a dextris meis?* At Angelis nihil horum tribuitur. Nam et λειτουργοὶ, hoc est *ministri* vocantur, non filii, eo jure, quo qui optimo, aut aliter, quam communi illa et tropica notione, qua etiam homines filii Dei nominantur. Tantum porro abest, ut a dextris sedere jubeantur, ut apparitores sint, ac ministri, qui ad varias functiones obeundas allegantur in eorum gratiam, qui ad ejusdem cum illis gratiæ communionem destinantur a Deo.

IV. Hæc summa est disputationis Apostolicæ; quæ sane imbecilla est, imo nulla penitus, nisi universe comprehendat Angelos omnes, sine ulla dignitatis, vel ordinis exceptione. Nam, si summi ordines eximantur, videri poterit Christus Archangelis quidem, et Angelis, aut aliis quibusdam, quorum ministrandi partes sunt, excellere; Seraphimis autem, et Cherubimis, et majoribus cæteris haud esse præstantior, qui nec ipsi servitutis, ac ministerii genere illo censeantur. Cum tamen argumenti, quod ibi instituitur, vis in eo sit, et caput, ut summi quique, ac præcipui ordines Angelorum in comparationem adducantur. Etenim, ut res aliqua toto rei alterius genere potior esse monstretur, nulla generis pars excipi debet, sed id potissimum sumi, quod est in eo genere præstantissimum. Alioqui vitiosa, et cavillatoria sit collectio. Quemadmodum, si quis Homerum Latinis omnibus poetis præferendum ex eo probet, quod Claudiano, Statio, Silio, ac cæteris ejus ætatis, ac notæ melior sit, et Virgilium omittat, nihil is agat; imo vero nugari, calumniarique videbitur. Quare quidquid de Angelis dicit illo in loco Paulus, ad omnes pertinet, etiam supremos. Proinde illud

1 In cap. I *ad Heb.* — 2 Cap. XIII *de Cæl. Hier.* — 3 *Isa.* VI. — 4 Hom. XXXIV *in Evang.* — 5 Lib. XVII *Mor.* c. IX. — 6 *Dan.* VII. — 7 Cap. I.

e *Psalmo* CIII. *Qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem*, quod *eodem accomodatur*, summis congruit; necnon postremum illud : *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis* ? At uterque locus servile prorsus obsequium, ac ministerium, et functionem indicat. Prior quidem adeo, ut de procellis, fulguribus, ac reliquis interpretentur ex Hebræo, quibus ad puniendos homines administris utitur Deus; posterior vero sine ambiguitate ministerium illud exprimit, quod omnium infimum habetur, quodque inferioribus illi ordinibus assignant, quorum proprium esse dictitant, assistere hominibus, et eorum procurare salutem, atque illis ministrare denique.

V. Nam, quod sanctus Thomas ad hunc Pauli locum explicandum attulit [1], non valde probatur. Missionem ait dupliciter dici : unam enim interiorum esse, « secundum intellectuales effectus, prout scilicet unus Angelus illuminat alium :» alteram exteriorem, « quæ scilicet est ad aliquod ministerium circa corporalia exhibendum ; » priorem ad omnes etiam summos, posteriorem ad inferiores pertinere. Verum utrobique sane λειτουργίαν, hoc est *ministerium* tale Paulus significat, quod externum sit, et ad quod præstandum loco moveantur Angeli. Id enim est *mitti*, quod ibi proprie, non tropice, et καταχρηστικῶς debet accipi. Sed nec illuminatio ipsa, qua superiores Angeli inferiores illustrant missio dici potest etiam tropice. Alioqui nunquam non Angeli mitterentur, quia nullum illuminandi finem faciunt. At ea missio, de qua Paulus loquitur, non perpetua functio est, sed ad tempus Dei imperio suscepta. Quo illud Gregorii dictum refertur usurpatum a plerisque [2] : « Sancti illi cœlestis patriæ spiritus semper quidem sunt spiritus ; sed semper vocari Angeli nequaquam possunt, quia tunc solum sunt Angeli, cum per eos aliqua nuntiantur. »

Abusive.

Minus hoc quidem exacte Gregorius ; quia nuntii, id est Angeli, dici possunt etiam cum nihil nuntiant, quoniam id alias, ubi res tulit, faciunt ; et appellationes istæ non tam ex usu, et actione, quam ex habitu, et conditione ducuntur, uti pictor, et architectus nihilominus vocantur, cum nihil operis faciunt, quam cum reipsa moliuntur. Sed ex eo tamen cognoscimus, non semper nuntiare, aliquid Angelos, etsi semper illuminent. Est autem mitti idem omnino, quod ad nuntiandum aliquid, vel agendum certe, aliquo destinari; quippe *Angeli* vox utrumque complectitur. Siquidem procellæ, et ignes, ac reliqua ejusdemmodi, quibus ex probabili interpretatione Angelorum nomen inditum est *Psalmo* CIII non minus, quam veris spiritibus, non ideo sic vocantur, quia nuntiant, sed quia efficiunt aliquid ; ut idem sit Angelus, vel nuntius, quod missus. Itaque, cum Angeli nunquam illuminare desinant, nec semper nuntiare, mittive dicantur ex veterum sententia, non potest illuminatio dici missio illa, quam communem omnibus Angelis facit Apostolus.

VI. Adde Christum ipsum, qui, qua homo est, summus est Hierarcha, et ejus dignitatis functiones proprias assidue præstat, non propterea mitti perpetuo, quia semper illuminat aut purgat ; quod dici profecto necesse foret, si id esset mitti, quod illuminare, aut exterius aliquid etiam mandato alterius efficere. Ac de divinis quidem personis duabus aliud est judicium, quæ mitti dicuntur ab iis, a quibus originem ducunt, cum externi aliquid operis faciunt, etsi locum non mutent ; de qua re suo loco dictum est. Verum illarum missio, vel processio, quæ extrinsecus fit, quia loco non continentur, nullam loci mutationem habet ; creatæ vero res, quæ loco definitæ sunt, non aliter mittuntur, aut procedunt, quam cum de loco ad locum proficiscuntur. Ita Rupertus in primo *de Glorificatione Trinitatis, et processione Spiritus sancti* disputat [3]; ubi, cum processionem appellare se dixisset « solemnem egressionem personarum maxime spectabilium, non sine quadam gravitatis festivitate suam præsentiam exhibentium, » statim hoc addit : « Et nostrum quidem procedere, qui locales sumus, est proficisci de loco ad locum : divinitatis vero localis non est, licet interdum locus illi ascribatur, exempli gratia, cum dicit quispiam : *Vere etenim Dominus est in loco isto, et ego nesciebam.* Est autem processio divinitatis effectus mirandi operis, unde sic perpenditur, sic mente conspicitur majestas tantæ dominationis, sicut ex facie cognoscitur dignitas hominis reverendi de loco ad locum venerabiliter procedentis. »

VII. Igitur Angeli, qui locales, hoc est definito in loco sunt, non sine loci mutatione mittuntur, ac procedunt, præsertim eo genere missionis, de quo Apostolus loquitur,

1 I Par. qu. CXII, art. 2, ad. 1. — 2 Hom. XXXIV. — 3 Cap. XV.

quæ est *in ministerium* procurandæ salutis eorum, qui ad æternam salutem evehuntur. Hoc enim sine transitu a loco ad alium locum fieri non dicitur. Nisi vero quisquam mitti Seraphimorum quempiam dixerit ad se, quoties ab custode suo Angelo novum lumen recipit; quod ab supremis ordinibus per interjectos ad postremum illum, qui tutelæ suæ præest, derivari creditur.

Sed neque S. Thomæ commodior est altera ratio: Apostolum illic non de omnibus Angelorum loqui ordinibus, sed de iis solis, per quos lex est Judæis data, ut hoc modo novam legem doceret multo veteri antecellere. Nam de novæ legis præstantia nihil ibi dicit Apostolus, nec ejus cum veteri comparationem instituit; sed Christi solius cum Prophetis primum, deinde cum Angelis, quos omnes mitti aliter ostendit, quam Dei Filium, ac nihil nisi ministros esse, et mandatorum [illegible].

[illegible]

VIII. Denique omnes Angelos, sine cujusquam exceptione ab Apostolo comprehensos esse inde satis apparet, quod eodem capite scripsit[1]. Deum, *cum introduxit primogenitum in orbem terræ*, dixisse, *Et adorent eum omnes Angeli Dei*. Item[2], *Ad quem Angelorum dixit aliquando, Sede a dextris meis*? Utrobique enim Angeli omnes intelligendi sunt etiam supremi. Quippe non minus principes quique Angeli, quam infimi, Christum venerari jussi sunt, et a consessu divinæ majestatis ex æquo excluduntur omnes. Quare, si in illis duobus locis Angelorum nomen ad inferiores nefas est restringere, ne in postremo quidem commate licebit, quod proximum est ab illo posteriore loco. Postquam enim sic locutus est, *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando, Sede a dextris meis, [illegible] ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*? statim ista subjicit: *Nonne omnes sunt administratorii spiritus*? etc. *Omnes*, inquit, haud dubie, quos ante scripserat adorare Christum esse jussos, neque quemquam eorum invitatum ad Patris consessum. Proinde iidem omnes ministri sunt, et ad electorum salutem a Deo mittuntur.

IX. Magnum ad illa, quæ dixi, pondus affert antiquorum Patrum auctoritas, qui contra Arianos, et Eunomianos, Christi dignitatem ex illo Apostoli testimonio, et quod inde effici diximus, argumenti genere tutati sunt, cum quidem creaturam non esse inde conficerent, quod communi illa lege servitutis, ac [illegible] consentur Angeli, minime teneretur.

Item ex [illegible] versus Arianos disputantibus

Sic Athanasius oratione secunda *contra Arianos*, « Angeli quidem, ait, sursum, deorsumque commeantes, ministros se præbent. De Filio vero dicit: *Et adorent eum omnes Angeli Dei*[4], » etc. Opportune id quidem ad id, quod probare contendimus, quod ejusmodi ministerium, ac missionem Angelorum constituit, ut ad eam obeundam loco se movere sentiant. Nam de omnibus, adeoque supremis, intelligendum esse Athanasium persuadent illa, quæ superius attigi. Rursus oratione tertia, « Multi, inquit, sunt Archangeli, multi Throni, et Potestates, et Dominationes, millies millia, et decies millies centena millia ministrorum assistunt, et apparent, qui se promptos offerant, ut mittantur[5]. » Hic superiorum etiam ordinum Angelos in ministerio esse, mittique demonstrat. Sic et oratione quarta idem explicat. Gregorius item Nyssenus simili argumento utitur libro tertio *contra Eunomium*.

Chrysostomi vero locus ad eamdem sententiam expressissimus est homilia VIII *in Genesim*, ubi illa verba *Geneseos* primo, *Faciamus hominem*, etc. non ad Angelos, ut Hebræi dicunt, referri probat: quod Angeli non sint divinorum arcanorum participes, sed ministri, etiam summi quique, ut Seraphimi, et Cherubimi: « Non est, inquit, Angelis tributum, ut sint consilii participes, sed ut assistant, et ministerio fungantur. [illegible] *Dei, et Seraphim; et tegebant facies suas*[6], » etc. Ergo revera supremis ex ordinibus erant illi, quos Esaias visos a se esse dicit; quorum unus missus ad se volavit, et calculo ex altari

a Athan. Καὶ οἱ μὲν Ἄγγελοι διακονοῦσιν, ἀνερχόμενοι, καὶ κατερχόμενοι· περὶ δὲ τοῦ υἱοῦ φησιν· καὶ [illegible]

b Athan. Πολλοὶ μὲν Ἀρχάγγελοι, πολλοὶ δὲ θρόνοι, καὶ ἐξουσίαι, καὶ κυριότητες, χιλιάδες τε χιλιάδες, καὶ [illegible]

τὸ ἀποστέλλεσθαι. Vide et orat. V citat. ab Euthym. *Panop.* part. I. tit. II. Et in epist. *ad Serap. de Sp. sancto*.

c Chrys. hom. VII *in Gen.* Ἀγγέλων οὐκ ἔστι τὸ γνώμης κοινωνεῖν, ἀλλὰ τὸ παρεστάναι, καὶ τὴν λει- [illegible]

1 Ver. 6. — 2 Ver. 13. — 3 Ebr. VI, 2.

sublato os suum contigit, non, ut aliis placuit, infimus aliquis majoris vices gerens.

Quinetiam ad illa verba Christi, *Angeli eorum semper vident faciem Patris*, custodes Angelos e sublimioribus esse dicit, ut sequenti capite referam.

X. Idem porro Chrysostomus in commentariis ad epistolam Pauli *ad Hebræos*, locum illum, de quo agimus, enarrans, Apostolum ait non de Angelis solum, id est inferioribus ordinibus loqui, sed et reliquis omnibus, quos λειτουργοὺς vocat, quod mittantur ad varia circa homines obeunda ministeria. Porro, etsi missus dicatur Dei Filius, non tamen tanquam minister, aut famulus mittitur, imo, si proprie loquimur, non mittitur, quia locum non mutat, sed tantummodo carnem induit: « Missus est quidem, ait, et Filius, sed non tanquam minister, aut famulus, sed ut Filius, et unigenitus, ejusdemque cum Patre voluntatis. Vel potius non ille est missus; quippe ad locum e loco non transiit, sed carnem suscepit. At illi loca mutant, et priora, in quibus erant, relinquentes, ad alia in quibus non erant, commigrant [a]. » Vides, quid sit mitti Angelos, ex Chrysostomi sententia; cui Rupertus assentitur paulo antea citatus; utque cœlestes omnes spiritus ad hominum procurandam salutem ubique mittantur.

dministratorios.

Didymus præterea in primo *de Spiritu sancto* præclare idipsum, apertissimeque declarat; et simili argumento Spiritum Sanctum Deum esse, non creaturam probat. Nam, si creatura sit, necesse est corpoream esse, aut corporis expertem. Corporea esse non potest, quia in sensum, animamque penetrat. Sed neque corporis expers, cum ob alias causas, tum propter ea, quæ de Angelis Paulus in epistola *ad Hebræos* asserit; quem quidem universe de Angelis omnibus loqui his verbis explicat: « Hoc enim, quod ait, Cui Angelorum, æque accipitur, ac si diceret, nulli, per angelicum nomen significans omnium substantiam invisibilium creaturarum. Neque enim ulli quidem Angelorum, et aliæ cuidam rationabili creaturæ dixit Deus: *Sede a dextris meis.* In commune itaque sermo pronuntiat, non esse dictum cuiquam creaturæ, *sede a dextrix meis.* Et hoc in commune de creatura. Et pronuntians de omnibus invisibilibus creaturis, ait eas esse administratores spiritus. Propter quod subjecit: *Nonne omnes sunt administratores spiritus in ministerium missi?* Licet enim non omnes singillatim invisibiles creaturæ missæ sunt, tamen, quia ejusdem generis, et honoris aliæ missæ sunt, quodammodo et ipsæ possibilitate sunt missæ, missārum consortes, æqualisque substantiæ. »

XI. Eusebius Cæsariensis lib. VII *de Evangelica præparatione*, Angelorum omnium officia ita complectitur e sacris Scripturis: « Divinas, inquit, virtutes nutu Patris toti mundo præsidentes, et administros spiritus ad ministerium missos, propter eos, qui hæreditatem capiunt regni, ac sacros Angelos Dei, et Archangelos, et intelligentem omnem naturam, bonorum ministram, lucidam, et omnium bonorum, quæ a Deo communicantur hominibus, administram, regem universorum quodam satellitio stipare [b], etc.

Gregorius quoque Nyssenus Eunomium insectans [1], qui Christum in Angelorum ordinem amandabat, horum conditionem ex illo Apostoli loco *ad Hebræos* secernit a Dei Filio, quod omnes Angeli ministrorum nomine, ac functione censentur.

Aliter item Gregorius Nazianzenus in calce orationis XXXIV cum Angelorum summos et infimos percensuisset ordines, mox universe ait, « illos divinæ voluntatis administros loca omnia peragrare, omnibus ubique adesse promptos tum ministerii alacritate, tum naturæ agilitate, alios aliam mundi partem obtinentes, sive alteri cuipiam parti universitatis attributos [c]. »

φωνοτάτου Ἡσαΐου λέγοντος περὶ τῶν ἀνωτέρω τῶν Ἀγγέλων δυνάμεων, ὅτι εἶδον τὰ Χερουβὶμ ἑστῶτα ἐκ δεξιῶν τοῦ θεοῦ, καὶ τὰ Σεραφὶμ, καὶ κατεκάλυπτον τὰ πρόσωπα ἑαυτῶν, etc.

a Chrys. in ep. *ad Hebr.* Ἐπέμφθη μὲν οὖν καὶ ὁ υἱὸς, ἀλλ' οὐχ ὡς διάκονος, οὐδὲ ὡς λειτουργὸς, ἀλλ' ὡς υἱὸς καὶ μονογενὴς, καὶ τὰ αὐτὰ τῷ πατρὶ βουλόμενος. μᾶλλον δὲ οὐδὲ ἐπέμφθη. οὐ γὰρ ἐκ τόπου εἰς τόπον μετέβη, ἀλλὰ σάρκα ἀνέλαβεν· οὗτοι δὲ τόπους ἀμείβουσι, καὶ τοὺς προτέρους ἀφέντες ἐν οἷς εἰσὶν, οὕτως εἰς ἑτέρους ἔρχονται, ἐν οἷς οὐκ ἦσαν.

b Euseb. Τὰς μὲν οὖν θείας δυνάμεις νεύματι τοῦ πατρὸς τῷ σύμπαντι ἐφεστώσας κόσμῳ, τά τε λειτουργικὰ πνεύματα εἰς διακονίαν ἀποστελλόμενα διὰ τοὺς μελλόντας κληρονομεῖν βασιλείαν, τούς τε ἱεροὺς ἀγγέλους τοῦ θεοῦ, καὶ ἀρχαγγέλους, πᾶσάν τε τὸν διάκονον τῶν ἀγαθῶν νοερὰν οὐσίαν, φωτεινὴν οὖσαν, καὶ πάντων ὑπηρέτην τῶν εἰς ἀνθρώπους ἐκ θεοῦ δωρουμένων ἀγαθῶν, τὸν παμβασιλέα πάντων δωρυφορεῖν θεόν.

c Nazianz. Λειτουργοὺς θείου θελήματος, δυνατὰς ἰσχύϊ φυσικῇ τε, καὶ ἐπικτήτῳ, πάντα ἐπιπορευομένας, πᾶσι πανταχοῦ παρούσας ἑτοίμας, προθυμίᾳ τε λειτουρ-

1 Lib. X *cont. Eun.*

Pene alter Gregorii Nysseni locus exciderat, quo nihil dici possit expressius. Is in libro primo *contra Eunomium* de Seraphim illis agens, qui apud Esaiam trisagium hymnum canunt, ita scribit : « Ministras porro esse virtutes istas facientes voluntatem Dei, per eam, quæ facta est, peccatorum purgationem, secundum voluntatem ejus, qui misit, per unum Seraphimorum tacite significavit[a]. » Cujusmodi porro ministerium obeant illi, mox explicat : « Est autem hoc ministerium spirituum istorum, propter salutem eorum, qui salvantur, emitti. »

XII. Cyrillus Alexandrinus in secundo libro *de Recta fide ad Reginas*[1], similem argumentationem ex Apostoli *ad Hebræos* loco concipit de obsequiis, et ministerio Angelorum omnium, et plena summaque Filii potestate. Et in libro primo commentariorum *in Esaiam*[2], de uno illo ex ordine Seraphim, qui ad Prophetam advolavit, loquens, tam hos, quam alios omnes spiritus Angelicos administros esse, et ad nutum divinæ majestatis obsequi, mittique docet.

Auctor præterea *Quæstionum et responsionum ad Orthodoxos* inter Justini opera, quæstione XXX Angelos omnes majores, minoresque functionibus externis, ac ministeriis attributos esse confirmat.

Theodoretus in libro tertio *contra Græcos* non aliter sentit ; necnon in quinto *de Hæresibus*, capite VII. Et Hieronymus in epistola CXLII *ad Damasum* de visione illa Esaiæ, « Quidam Græcorum, ait, in Scripturis apprime eruditus, Seraphim virtutes quasdam in cœlis esse exposuit, quæ ante tribunal Dei assistentes laudent eum, et in diversa ministeria mittantur, maximeque ad eos, qui purgatione indigent, et ob pristina peccata, aliqua ex parte suppliciis purgari merentur. » Tum ad caput VI *Esaiæ* ex Apostoli verbis ostendit, mitti etiam Seraphim propter eos, qui hæreditatem accepturi sunt salutis.

Sic Ambrosius libro primo *de Spiritu sancto*, capite X. Et Junilius Africanus libro secundo *de Partibus divinæ legis*, capite IX Angelos omnes asserit « et sibi consulere, dum obediunt creatori, et hominibus, dum eorum dispensationi prospiciunt.

Bernardus in sermone *de S. Benedicto*, « Cherubim, ait Propheta, stabant et non sedebant ; quid laborasti, ut jam sedeas? *Omnes administratorii sunt spiritus missi in ministerium propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis* ; et tu sedebis ? » Idem affirmat et in sermone primo *de S. Michaele*, « Neque id cuiquam addit incredibile videatur, quandoquidem ipse quoque creator, et rex Angelorum *venit non ministrari sed ministrare et animam suam dare pro multis.* » Vide et sermonem IV ejusdem *de Verbis Esaiæ*. Vide Gersonium in *Trilogio*, qui « hæreticum esse censet dicere, non omnes Angelos administratorios esse spiritus, in ministerium pro hominibus, qui hæreditatem adepturi sunt salutis, datos. »

XIII. Ambrosio inscriptus commentarius ad epistolam *ad Hebræos*, Angelorum ordines omnes ibidem ab Apostolo comprehensos esse declarat. « Non, inquit, solos Angelos hoc sermone significat, sed omnes virtutes ministeriis supernis fungentes. Sciendum est enim, quod Angelus nomen est officii, non naturæ. Qui etiam semper sunt spiritus, sed non semper Angeli vocari possunt. Quæris hujus naturæ nomen? Spiritus est. Quæris officii? Angelus. Ex eo, quod est, est spiritus ; ex eo, quod agit, Angelus, quia Angelus Græce, nuntius Latine dicitur ; sicut homo nomen naturæ ; miles vero nomen officii ; sic qui erant jam spiritus conditi a creatore Deo, facit eos Angelos, mittendo eos nuntiare, quod jussit. » Quæ iisdem pene verbis apud Primasium leguntur ; atque hic insuper Apostoli postrema illa declarans capitis primi : *Nonne omnes sunt administratorii spiritus*, etc. quærit, « si omnes spiritus cœlestium virtutum, ut illic docet Apostolus, mittantur ad salutem credentium, quid est, quod Daniel dixit : *Millia millium ministrabant illi, et decies centena millia assistebant* ? Quomodo enim omnes mittuntur, si decies centena millia ei assistunt? » Tum ita respondet, ut mitti promiscue omnes etiam assistentes, hoc est sublimiores, asserat. « Intelligendum ergo, quod omnipotens Deus, qui spiritus est incircumscriptus, omnia implet, et ubique totus est. Quapropter Angelicus spiritus, qui circumscriptus est, quocumque mittatur, intra

γίας, καὶ κουφότητι φύσεως, ἄλλας ἄλλό τι τῆς οἰκουμένης [illegible]

a Nyss. Τὸ δὲ λειτουργοὺς εἶναι τὰς δυνάμεις ταύτας ποιούσας τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ, διὰ τῆς γενομένης ἁμαρτιῶν καθάρσεως, κατὰ τὸ βούλημα τοῦ ἀποστείλαντος, παρ' ἑνὸς τῶν Σεραφὶμ ὑπηνίξατο· αὕτη γάρ ἐστιν ἡ λειτουργία πνευμάτων τούτων ἐπὶ σωτηρίᾳ τῶν σωζο- [illegible]

1 Par. II. — 2 Cyr. lib. V Esai. vide et lib. IV *de ador. in Sp.*

dominum currit, dominumque semper præsentem habet, ideoque ipsi, qui mittuntur, ipsi etiam et assistunt ei. » Deinde, quod expressius est ad eamdem opinionem, hoc modo subjicit : « Vel certe idcirco omnes mitti dicuntur, quia, sicut Didymus Græcus in libro *de Spiritusancto* ait, ex omnibus ordinibus cœlestium diguitatum mittuntur. Sicut Gabrielem, Michaelem Archangelos legimus missos in volumine Danielis, Raphaelem ad Tobiam; unus etiam de Seraphim legitur missus ad Esaiam, quando calculo tetigit labia ejus etc. In hoc ergo loco, sicut diximus, omnes mittuntur, quia ex omnibus ordinibus mittuntur, ejusdemque dignitatis sunt, qui mittuntur, cujus et qui assistunt. »

XIV. Insignis locus : in quo et illud attingit, explicatque, quod illi præcipuum habent argumentum, qui primores Angelos mitti ad inferiora procuranda non sentiunt; videlicet quod alii esse debeant, qui Deo semper assistant, alii, qui ad obeunda mandata huc illucque cursitent, quemadmodum Gregorius M.[1] superius a nobis citatus exponit; ac plerique alii assistentes ab ministris separandos putant, ut Paschasius Radbertus. Quinetiam eo demum progressi sunt aliqui, ut non omnes Angelos Deum videre propterea dicerent, quia soli eum assistentes viderent, ut Joannes Scotus, cujus opinionem hæreticam appellat S. Thomas[2], qui et ipse a ministris assistentes secernit. Sed hoc nihil est. Etenim *assistere* non semper significat ab externis ministeriis immunem, ac feriatum in cœlo consistere; quin potius ministrandi functionem exprimit, idemque est, quod *apparere*, hoc est præsto esse principi, vel magistratui ad ejus excipienda, exequendaque jussa, ut sunt qui a Græcis παραστάται, a Latinis *apparitores* vocantur, vel *officiales*. Sic *Joannis* XVIII, 22 *unus assistens ministrorum*. Certe Hieronymi commentarius *in Job*[3], «Angelum quemlibet de cœlo assistentem ante faciem Dei,» ad hominum utilitates adesse, mittique docet; et Chrysostomus homilia tertia *de beato Job*, de eo loquens, quod Angeli, et inter eos Satan adstitisse coram Deo leguntur, ait, « ministerium omne assistentiam vocari;» ut cum Elias ait : *Vivit Dominus : in cujus conspectu ego adstiti hodie* [a]. Athanasius item oratione tertia *contra Arianos* infinita millia Deo ait « assistere ministrorum, qui parati sunt, ut mittantur [b], » quem locum superius adduximus; ut et Chrysostomi, qui Angelorum hoc esse proprium asserit, adeoque Seraphimorum, et Cherubimorum « assistere, et ministerium obire. » Tum, « proprium opificiorum esse, domino assistere [c]. »

De septem angelis Deo assistentibus.

XV. Quamobrem haud multum habet momenti ratio illa, quæ ex assistendi verbo, et proprietate sumitur. Idque multo etiam magis ex Scripturæ testificatione liquet, quæ Angelos quosdam, qui nominatim assistere dicuntur, e cœlo mitti docet in terras, ac variis legationibus, ministeriisque perfungi. Talis fuit Raphael, qui se unum e septem esse fatetur[4], *qui astant ante Deum*, et is tamen ad Tobiam missus, nulla, ne infima quidem, servorum obsequia detrectat. Ita Gabriel Zachariæ Sacerdoti oblatus in templo[5], *Ego sum*, inquit, *Gabriel, qui asto ante Deum*, idemque Angelus alterius jussu Danieli se stitit[6], et ei ventura prædixit. Michael vero *unus de principibus primis*[7], vel *princeps magnus*[8], apud eumdem Danielem venire nihilominus ad opem ferendam legitur, ac de Mosis corpore certasse cum diabolo in Judæ *Canonica*[9]. Nam de Seraphimis, qui supremi omnium habentur, satis ex Esaia constat mitti eos[10], ac diversis functionibus operari. Cherub item *ante paradisum voluptatis collocatus* refertur a Mose[11]. Quod enim de utrisque Dionysius quorumdam ex opinione scribit, non illos ex Seraphimorum, aut Cherubimorum ordinibus fuisse, sed ex inferiori, ac majorum illorum gessisse vices, minime consentaneum videtur, eique complures reclamant veterum, qui, quorum nominibus appellantur, eorum ad ordines pertinere illos putant. Unius ex omnibus Hieronymi testi-

a Chrys. Ἀλλὰ πᾶσα ὑπουργία παράστασις λέγεται. ὥσπερ ὁ Ἠλίας ἐπὶ τῆς γῆς πολιτευόμενος τῷ θεῷ παρεστάναι ἐλέγετο· ὡς φησι, ζῇ Κύριος, ᾧ παρέστην ἐνώπιον αὐτοῦ σήμερον. οὐχ' ὅτι ἐν οὐρανοῖς ἀνελθὼν παρέστη, ἀλλ' ὅτι θείῳ κελεύσματι διηκονεῖτο.

b Athan. orat. III. Χίλιαί τε χιλιάδες, καὶ μύριαι μυριάδες παρεστήκασι λειτουργῶν, καὶ ἑτοίμων εἰς τὸ ἐξαποστέλλεσθαι.

c Chrys. hom. VIII *in Gen.* Ἀγγέλων οὐκ ἔστι τὸ γνώμης κοινωνεῖν, ἀλλὰ τὸ παρεστάναι, καὶ τὴν λειτουργίαν ἀποπληροῦν.

Mox : Καὶ γὰρ τῶν δημιουργημάτων ἴδιον τὸ παρεστάναι τῷ δεσπότῃ.

1 Hom. XXXIV et XVII *Mor.* cap. X. — 2 In Com. ad cap. II *ad Hebræos.* — 3 In cap. XXXIII. — 4 *Tob.* XII, 15. — 5 *Luc.* I, 19. — 6 *Dan.* VIII, 16 et cap. IX, 21. — 7 *Dan.* X, 13. — 8 *Dan.* XI, 1. — 9 *Judæ* ver. 9. — 10 Cap. VI. — 11 *Gen.* III.

monio ero contentus, qui de Seraphimis ita loquitur [1] : « Quidam Græcorum in Scripturis apprime eruditus, Seraphim virtutes quasdam in cœlis esse exposuit, quæ ante tribunal Dei assistentes laudent eum, et in diversa ministeria mittantur, maximeque ad eos, qui purgatione indigent, et ob pristina peccata; aliqua ex parte suppliciis purgari merentur. » Quam ille opinionem, quia non damnat, approbare videtur.

XVI. Cæterum quod de septem Angelis diximus, qui assistunt Dei solio, magnam vim habet, siquidem inter omnes Angelos eminent; quod existimasse videtur Clemens Alexandrinus, qui numeri septenarii dotes explicans, inter alia, « Septem quidem sunt, ait, quorum est maxima potentia, primogeniti Angelorum principes [a]. » De quibus Joannes in *Apocalypsi* non semel loquitur, ut in primo capite [2], cum gratiam precatur a Deo, *et a septem spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt*. Atqui hos ipsos septem mitti ait in omnem terram [3], et ex illis unum ad se missum esse scribit Joannes [4]. Quod et Zacharias Propheta confirmat, qui et ipse spiritus septem oculorum nomine adumbrasse creditur [5], ut Hieronymus interpretatur.

Verum non videntur omnium principes illi esse septem, qui coram Deo dicuntur assistere. Certe enim Raphael, neque Gabrieli, neque Michaeli anteferri potest : quos tamen e summis non esse Dionysius existimavit, qui Michaelem infimum in ordinem relegat [6], Gabrielem item non ex primoribus aliquem facit [7], quod et Maximus martyr adnotavit; Gregorius vero Papa tres illos in Archangelorum ordinem refert [8]; Bernardus Gabrielem « Non *unum esse* de minoribus opinatur [9], qui qualibet ex causa crebra soleant ad terras fungi legatione, maxime quia non ab alio aliquo forte excellentiore se, ut assolet, spiritu, sed ab ipso Deo mitti perhibetur; » verum apud Danielem jussu alterius ad Prophetam advolat [10]. Quare non videtur e supremis esse. De Michaele, quem Archangelum sanctus Thomas fuisse putat [11], aliter plerique statuunt, qui in Luciferi principis omnium locum substitutum esse ipsum asserunt. Et Rupertus in libro primo *de Victoria Verbi Dei*, capite XVIII unum de summis, assentiente tam de hoc, quam de Gabriele, Niceta in utriusque laudatione. De quo latissime Serrarius in commentariis ad caput V *Josue* [12]. Qui et de septem illis Angelis, qui coram Deo apparere dicuntur, non minus copiose disputant ad *Tobiæ* caput duodecimum. De quibus etiam lege Maximum Dionysii scholiasten [13] *. His vero diligentius explicandis ideo supersedebimus, quod ea tota res certi nihil habet; sed quidquid affertur, ex conjectura, et opinione ducitur; quæ et infinite patet, et ab theologo, hoc est solido divinarum rerum tractatore, parcius adhiberi debet. Quamobrem, omissa illorum dignitate, et gloria, ad ea convertamur charitatis, et benignitatis obsequia, quæ ab iis humanum in genus assidue derivantur; ac « si multum est ad nos loqui de ea claritate, et gloria, qua in semetipsis, imo in Deo suo Angeli sancti nostris omnino supereminent cordibus, de ea loquamur, quam nobis exhibent, gratia, et charitate, » ut Bernardi verbis utar [14]. « In supernis enim spiritibus non solum admirabilis dignitas, sed dignatio amabilis invenitur. »

CAPUT VII.

De tutela hominum, et custodia, quam obeunt Angeli. Hanc etiam ethnicos philosophos agnovisse; tum ex Christiano dogmate suum cuique attributum homini custodem. Utrum et dæmon suus itidem unicuique sit constitutus. De officio custodis. De utroque Cassiani, et Prosperi sententia. Quomodo malus Angelus adhibeatur a Deo. Utrum ambo nonnunquam recedant. Origenis falsa opinio refellitur.

I. Præcipuum in homines angelicæ beneficentiæ munus est eorum custodia, quam tum publice universorum, tum singulorum

Genio tutelar agnoscu ethnic

[a] Clem. VI *Strom.* Ἑπτὰ μέν εἰσιν οἱ τὴν μεγίστην ... ἀγγέλων ἀρχοντες.

* De nominibus septem horum Angelorum, erudite disserit Cl. Blanchinius in Italica epistola, quæ nuper Romæ prodiit tomo I ejus *Opusculorum* p. 17. et seqq. Quæri autem potissimum, utrum præter notissima Michaelis, Raphaelis, et Gabrielis nomina retinenda ea essent, quæ Romæ cuidam pictæ tabulæ inscripta legebantur, Uriclis, Sealtielis, et Barachielis. F. A. Z.

1 Ep. CXVIII *ad Dam.* I. — 2 Com. IV. — 3 Cap. V, VI et cap. XVI. — 4 Cap. XVII. — 5 Cap. IV. — 6 Cap. IX *de cœlest. Hier.* — 7 Cap. VIII in fine. — 8 Hom. XXXIV. — 9 Hom. I super *Missus est.* — 10 Cap. VIII. — 11 I Par. qu. CXIII, a. 3. — 12 Q. XLV. — 13 Max. in cap. II *de Div. nom.* — 14 Serm. I *de S. Mich.*

privatim suscipiunt. Ac singulis quidem statim ab ortu tutelare appositum esse genium, vetus, ac prope insita mortalium animis est opinio, quam rudes etiam nostrarum rerum gentiles adamarunt, nec philosophi solum, sed etiam e vulgo reliqui. Censorinus hoc diserte præ cæteris affirmat, cujus hæc verba sunt [1] : « Genius est Deus, cujus in tutela, ut quisque natus est vivit. Hic, sive quod una genitur nobiscum, sive etiam quod nos genitos suscipit, ac tuetur, certe a genendo genius appellatur. Eumdem esse genium, et larem, multi veteres memoriæ prodiderunt, in queis etiam Granius Flaccus in libro, quem ad Cæsarem de indigitamentis scriptum reliquit. Hunc in nos maximam, quinimo omnem habere potestatem, creditum est; nonnulli binos genios in iis duntaxat domibus, quæ essent maritæ, colendos putaverunt. Euclides autem Socraticus duplicem omnibus omnino nobis genium dicit appositum, quam rem apud Lucilium in libro *Satyrarum* nono licet cognoscere. » Mox : « Genius autem ita nobis assiduus observator appositus est, ut ne puncto quidem temporis longius abscedat, sed ab utero matris exceptos ad extremum vitæ diem comitetur. »

Huic ergo Genio prorsus omnia gentiles attribuerunt, quæ de custodibus Angelis Christiani prædicant. Nam et unicuique hominum regendo, et conservando, statim atque ortus erat, comitem adjunxerunt; de quo Horatiana ista pervulgata sunt [2] :

« Scit Genius, natale comes qui temperat [astrum,
Naturæ Deus humanæ, mortalis in unum
Quodque caput, vultu mutabilis, albus et [ater. »

II. Menander Comicus apud Eusebium lib. XII *de Præparatione Evangelica* idem versibus explicat :

Ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ συμπαρίσταται
Εὐθὺς γενομένῳ, μυσταγωγὸς τοῦ βίου
Ἀγαθός.

« Unicuique genius viro adstat
Statim nato, mystagogus vitæ
Bonus [3] »

Quos Menandri senarios Ammianus Marcellinus refert lib. XXI deque ea re nonnulla disserit, peculiarem cuique genium assistere docens ex poetarum, philosophorumque placitis. Isque a Pindaro δαίμων γενέθλιος appellatur [4]; cujus et Plotinus meminit [5], et Proclus [6], et Plutarchus [7], et complures alii. Tum singulis binos adesse, bonum alterum, alterum malum, quem ἀγαθὸν, et κακὸν δαίμονα dixerunt; quod de utroque cecinit Orpheus [8]. *Dæmon genialis.* *Bonum malum dæmonem.*

Δαίμονά τ' ἠγάθεον, καὶ δαίμονα πήμονα θνητῶν.

Dæmonemque divinum, et dæmonem no- [xium mortalibus.

De bono Epictetus apud Arrianum, « Tutorem, inquit, unicuique Deus assignavit singulorum genium, et huic ipsum custodiendum tradidit; equidem ejusmodi, qui neque dormiat, neque falli possit. Nam cui tandem alteri præstantiori, ac sollicitiori custodi unumquemque nostrum committeret? Itaque quando januas occluseritis, et tenebras intus induxeritis, mementote, uti nunquam vos solos esse dicatis; non enim estis, sed Deus intus est, et vester genius est [a]. »

Hoc Stoicorum proprium esse decretum, testis est Stoicus Seneca epistola CX. « Unicuique nostrum pædagogum, ait, dari Deum, non quidem ordinarium, sed hunc inferioris notæ, ex eorum numero, quos Ovidius ait de plebe deos. Ita tamen hoc seponas, volo, ut memineris, majores nostros, qui crediderunt hoc, Stoicos fuisse. Singulis enim et Genium, et Junonem dederunt. »

De duobus geniis Servius meminit in VI *Æneidos* ad illa verba. « Quisque suos patimur manes. » Mali autem exempla produntur a Plutarcho [9].

Ad hæc non singulis modo hominibus, sed etiam civitatibus, ac locis præesse beneficos illos genios arbitrati sunt. De genio Carthaginensi loquitur Augustinus [10]; et Tertullianus *coloniæ genium* [11], vetus inscriptio *furinarum genium*, qui locus est ad Urbem, nominat. Loci quoque genium Virgilius [12]. Notum et illud, imperatorum maxime tutelarem celebrari genium, per quem dejerare consueve-

a Arr. *Diss.* lib. I, cap. XIV. Ἀλλ' οὐδὲν ἧττον καὶ ἐπίτροπον ἑκάστῳ παρέστησε, τὸν ἑκάστου δαίμονα, καὶ παρέδοκε φυλάσσειν αὐτὸν αὐτῷ, καὶ τοῦτον ἀκοίμητον, καὶ ἀπαραλόγιστον. τίνι γὰρ ἄλλῳ κρείττονι, καὶ ἐπιμελεστέρῳ φύλακι παραδέδωκεν ἡμῶν ἕκαστον; ὥστε ὅταν κλείσητε τὰς θύρας, καὶ σκότος ἔνδον ποιήσητε, μέμνησθε μηδέποτε λέγειν ὅτι μόνοι ἐστέ· οὐ γὰρ ἐστέ. ἀλλ' ὁ θεὸς ἔνδον ἐστὶ, καὶ ὁ δαίμων ὑμέτερος ἐστί.

1 Cap. III *de die Natali.* — 2 Horat. II, ep. II. — 3 Meander. — 4 Olympiad. XIII. — 5 Plot. Enn. III, lib. V, cap. IV. — 6 In com. *ad Alcib.* I Plat. — 7 Consol. *ad Apoll.* — 8 Orphe. in Hym. *ad Musas.* — 9 In *Bruto.* — 10 Ser. VI, c. VI. — 11 Lib. *de Idolo.* in fine. — 12 *Æn.* V.

rant ; et qui pejerasset, magno affectum esse supplicio. Ideo « citius apud vos, inquit Tertullianus gentiles irridens, per omnes deos [1], quam per unum Genium Cæsaris pejeratur.» Fustuario, qui id fecisset, castigatum fuisse auctor est Ulpianus [2]. Prudentius in secundo *contra Symmachum*, inanem hanc geniorum per omnia loca distributionem traducit his versibus.

« Quanquam cur Genium Romæ mihi fin-
[gitis unum ?
Cum portis, domibus, thermis, stabulis so-
[leatis
Adsignare suos Genios ? perquè omnia
[membra
Urbis, perque locos Geniorum millia multi
Fingere, ne propria vacet angulus ullus ab
[Umbra. »

De hac Angelorum tutela vide Clementem Alexandrinum lib. V *Stromateon*, qui hoc Platonis fuisse decretum asserit.

Peculiarem unicuique Angelum esse deputatum docent S. Scripturæ

III. Hæc privata, publicaque hominum custodia, gentilium opinionibus adumbrata, Christianorum omnium animos occupavit, qui illius argumenta, et exempla sacris e libris repetunt ; primum universe, cujusmodi infinita sunt, quæ Angelos demonstrant procurare res humanas, ac tuendis hominibus incumbere, opem iis afferre, preces illorum offerre Deo, ab eoque vicissim beneficia reportare ; tum vero singillatim curæ iisdem esse quemlibet mortalium, haud pauca persuadent. Jacobus enim Patriarcha peculiaris cujusdam Angeli sui meminit : *Angelus*, inquit, *qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Sic Judith ab Angelo custoditam se gratulatur, euntem ac redeuntem. Christus vero de singulorum tutela grave, ac perspicuum testimonium edidit *Matthæi* XVIII. 10. *Videte*, inquit, *ne contemnatis unum ex iis pusillis. Dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.* Nam, cum dicit, *Angeli eorum*, significat, certis ex Angelorum ordine curam hominum, aut singulorum singulis, aut communiter pluribus, aut cujuslibet, certe non uni esse commissam. Quanquam negat, id esse consequens Calvinus [5], et « infirmum ait esse, quod hunc locum ita quidem accipiunt, quasi Deus singulis fidelibus proprios Angelos attribuat. Neque enim sonant verba Christi, Angelum unum huic, vel illi perpetuo addictum esse ; idque cum tota Scripturæ doctrina pugnat, quæ testatur, Angelos castrametari in circuitu piorum, et non uni tantum Angelo, sed pluribus mandatum esse, ut quemque fidelium tueantur. » Idipsum et aliis in locis sæpe repetit [6], etsi in *Institutionibus* rem in dubio relinquit.

Idque te communi veterur opinio

IV. Verum communis id habet antiquorum opinio, peculiarem cuique Angelum a Deo esse præpositum [7]. Quod imprimis explicat Origenes [8] ex illo *Actorum* loco [9], ubi scriptum est, Petro, postquam e carcere est eductus, ostium pulsante, dixisse, qui domi tunc erant, *Angelus ejus est.* « Ergo intelligitur esse et alius Pauli Angelus, sicut est Petri, et alius alterius Apostoli, et singulorum per ordinem. » Idem et homilia *in Lucam* tertia et vicesima ex *Matthæi* loco jam allato colligit, tametsi alibi non unum [10], sed plures eidem homini ad custodiam datos Angelos demonstrat. « Quia autem sunt, ait, non solum circa nos multæ divinæ virtutes, sed etiam intra nos, indicat Propheta, cum dicit in *Psalmis*, *Benedic anima mea Dominum, et omnia interiora mea nomen sanctum ejus* ; hoc est omnia, quæ intra me sunt. Constat ergo, multas esse virtutes intra nos, quibus vel animarum nostrarum, vel corporum cura permissa est. » Et homilia XX *in Numeros* : « Adest unicuique nostrum, etiam minimis, qui sunt in Ecclesia Dei, Angelus bonus, Angelus Domini, qui regat, qui moveat, qui gubernet, qui pro actibus nostris corrigendis, et miserationibus exposcendis, quotidie videat faciem Patris, qui in cœlis est. » Vide et commentarium in caput primum epistolæ *ad Romanos* et hom. I *in Ezechielem*, Gregorius quoque Thaumaturgus in oratione habita in laudem Origenis Angelos custodes luculenter agnoscit, qui a parvulis homines procurent. Methodius apud Damascenum in *Eclogis* asserit e Scripturis, « unumquemque curatoribus Angelis committi [a]. » Et apud eumdem Didymus, « Sanctos, ait, ab lucidis Angelis custodiri, improbos autem a tenebricosis [b]. » Eusebius

a Method. *in Symposio de castitate* apud Damasc. tit. LIII. Ὅθεν δὴ καὶ τημελούχοις ἀγγέλοις παραδίδοσθαι παρειλήφαμεν ἐν θεοπνεύστοις γράμμασι.

b Didym. ibid. Τοὺς μὲν ἁγίους φωταγωγοὶ φυλάττουσιν ἄγγελοι· τοὺς δὲ φαύλους σκοτεινοί.

1 *Apol.* cap. XXVIII. — 2 Lib. *Si duo Patroni*. — 3 *Gen.* XLVIII, 17. — 4 *Judith.* XIII, 20. — 5 In *Harmo.* — 6 Ad XXXII *Gen.* com. I *ad Ps.* XC. — 7 Lib. I, cap. XIV, § 7. — 8 Hom. I *in Num.* — 9 Cap. XII. — 10 Hom. XX *in Josue.*

quoque e Scriptura didicisse nos ait[1], « Angelum unicuique ad custodiam divinitus datum. » Basilius item Angelos, cum sint ejusdem omnes naturæ, diversis officiis attributos esse dicit, et alios præesse gentibus totis, alios singulis fidelium [a]. » Quod autem unicuique fidelium adsit Angelus, tanquam pædagogus aliquis, et pastor, vitam gubernans, nemo contradicat, qui Domini verborum meminerit dicentis[2], *Ne contemnatis unum ex his pusillis, quoniam Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.* Et Psalmista dicit: *Castrametabitur Angelus Domini in circuitu timentium ipsum*[3]. Et, *Angelus, qui eruit me a juventute mea*[4]; et cætera id genus [b]. » Vides, quibus e Scripturæ locis commune Catholicorum dogma Basilius adstruat, et Calvino silentium indicat, qui et « Falsum illud esse commentum dictitat, suum cuique singularem Angelum esse, » et ex illis Scripturæ testimoniis concludi posse non putat[5].

Solis fidelibus assistere Angelos videtur existimasse Basilius.

V. Porro solis fidelibus Angelos assistere videtur existimasse Basilius; ac non quibuscumque, sed solis piis, ac bonis præesse indicat alio loco, sic scribens: « Castrametabitur itaque Angelus Domini. Cuicumque credenti in Dominum Angelus assistit, nisi forte nos ipsum improbis factis effugemus. Nam ut apes fumus in fugam agit, et columbas malus odor abigit, ita vitæ nostræ custodem Angelum lacrymosum, ac fœtidum peccatum repellit [c]. » Sic homilia in *Psalmum* XLVIII ad hæc verba: *Et dominabuntur eorum recti in matutino*; « unicuique fidelium affixus est Angelus, dignus qui Patrem, qui in cœlis est, conspiciat [d]. » Item in libro *De vera Virginitate* singulis appositum esse custodem salutis Angelum probat ex Matthæi loco illo, quem Calvinus abjudicat. In commentariis autem *ad Isaiam*, verba ista Prophetæ, *Et auferam sepem ejus*, de Angelorum interpretatur custodia: « Fieri, inquit, etiam potest, ut cum unusquisque nostrum habeat sanctum Angelum, qui castrametatur in circuitu timentium Dominum, in peccatis deprehensus, huic plagæ, quam minatur, fiat obnoxius, et muro privetur, hoc est sanctarum Virtutum tutela [e]. » Chrysostomus itidem [f], ut Basilius, solis fidelibus adesse singulis custodem suum Angelum docet homilia III in epistolam *ad Colossenses*, iisdem plane testimoniis usus, ex *Matthæi* XVIII et *Genes.* XLVIII. Ac principio quidem pro numero, ac distributione gentium divisos ad singularum tutelam Angelos fuisse, nunc vero pro fidelium numero datos esse custodes, quemadmodum et in vetere testamento sanctis affuisse legimus. Quæ Chrysostomi verba Anastasius Nicænus in quæstionem LXI transtulit. Rursus Chrysostomus homilia LIX in *Matthæum* ad illa verba, *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei*[6], concludit ex iis, Sanctos omnes suos habere custodes [g]. Cui et alter Anastasius Sinaita consentit libro V *Hexaemeron*; et Euthymius, qui solis justis præsides Angelos assignat. Idem et Petrus Damiani significat; qui a die baptismatis usque ad obitum delegatum esse bonis Angelum scribit in opusculo XXXIII, cap. IV, cui et favet Hilarius canone XVIII *in Matthæum*; cujus verba postea referam.

a Basil. III *contr. Eun.* Ἄγγελοι πάντες ὥσπερ προσηγορίας μιᾶς, οὕτω καὶ φύσεως πάντως τῆς αὐτῆς ἀλλήλοις τυγχάνουσιν. ἀλλ' ὅμως οἱ μὲν αὐτῶν ἐθνῶν προεστήκασιν· οἱ δὲ ἑνὶ ἑκάστῳ τῶν πιστῶν εἰσι παρεπόμενοι, etc.

b Τὸ δὲ συνεῖναι ἑκάστῳ τῶν πιστῶν ἄγγελον, οἷον παιδαγωγόν τινα καὶ νομέα τὴν ζωὴν διευθύνοντα, οὐδεὶς ἀντερεῖ μεμνημένος τῶν τοῦ Κυρίου λόγων, εἰπόντος· μὴ καταφρονήσητε ἑνὸς τῶν ἐλαχίστων τούτων, ὅτι οἱ ἄγγελοι αὐτῶν διὰ παντὸς βλέπουσι τὸ πρόσωπον τοῦ πατρὸς μοῦ τοῦ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, καὶ ὁ ψαλμῳδός φησι· παρεμβαλεῖ ἄγγελος Κυρίου κύκλῳ τῶν φοβουμένων αὐτόν. καὶ, ὁ ἄγγελος ὁ ῥυσσάμενός με ἐκ νεότητός μου. καὶ ὅσα τοιαῦτα.

c Id. *in Psalm.* XXXIII. Παρεμβαλεῖ οὖν ἄγγελος Κυρίου, παντὶ πεπιστευκότι εἰς τὸν κύριον ἄγγελος παρεδρεύει· ἐὰν μή ποτε αὐτὸν ἡμεῖς ἐκ τῶν πονηρῶν ἔργων ἀποδιώξωμεν. ὡς γὰρ τὰς μελίσσας καπνὸς φυγαδεύει, καὶ τὰς περιστερὰς δυσωδία ἐξελαύνει· οὕτω καὶ τὸν φύλακα τῆς ζωῆς ἡμῶν ἄγγελον ἡ πολύδακρυς, καὶ δυσώδης ἀφίστησιν ἁμαρτία, etc.

d Id. *in Psal.* XLVIII. Ἑκάστῳ γὰρ τῶν πιστῶν ἐστιν ἄγγελος παρεζευγμένος ἄξιος τοῦ βλέπειν τὸν πατέρα τὸν ἐν τοῖς οὐρανοῖς.

e Id. *in Isa.* V. Μή ποτε δὲ καὶ ἡμῶν ἕκαστος ἔχων ἄγγελον ἅγιον τὸν παρεμβάλλοντα κύκλῳ τῶν φοβουμένων τὸν Κύριον, ἐν ἁμαρτίαις ἐξετασθεὶς ὑπόδικος γένηται τῇ ἀπειληθείσῃ πληγῇ. καὶ γυμνωθῇ τοῦ τείχους, τῆς ἀπὸ τῶν ἁγίων δυνάμεων ἀσφαλείας.

f Chrysost. hom. III in epist. *ad Col.* Τὸ πρῶτον κατὰ ἀριθμὸν ἔθνῶν ἦσαν οἱ ἄγγελοι· νῦν δὲ οὐ κατὰ ἀριθμὸν ἐθνῶν, ἀλλὰ κατὰ ἀριθμὸν πιστῶν.

g Chrys. Ἐντεῦθεν δῆλον, ὅτι ἀγγέλους ἔχουσιν οἱ ἅγιοι ἐκεῖ πάντες.

1 Lib. XIII *de præpar. Evang.* — 2 *Matth.* XVIII. — 3 *Psal.* XXXIII. — 4 *Gen.* XLVIII. — 5 Cal. in *Psal.* XC. — 6 *Matth.* X.

Alii omnibus communiter adesse censent.

VI. Alii omnibus promiscuę hominibus appositos esse custodes volunt; ut auctor homiliæ CLXIX, et ultimæ tomi V Chrysostomi; Theodoretus quæstione tertia *in Genesim*; qui et in oratione tertia *cont. Gent.*, et quarta, Angelorum præsidio muniri ait humanum genus.

Hieronymus item universe ad illum *Matthæi* locum, « Magna, inquit, dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum. » Idem affirmat et in commentario ad caput LXV *Isaiæ*, necnon ad *Habacuc* caput primum. Ita Theophylactus ad illud *Matthæi* caput, cum omnibus datos esse, tum maxime fidelibus asserit. Vide Gennadium in libro *de Prædestinatione*, qui est in calce operum Basilii. Sic Paschasius Radbertus Corbeiensis in commentario *ad Matthæum*, libro VIII. « Nulli dubium esse credo, et ex auctoritate divinarum Scripturarum firmatum, Angelos in ministerio esse positos eorum, qui hæreditatem accepturi sunt æternæ vitæ, ut singuli per singulas principentur provincias, vel regna in tantum, ut et singuli suos habeant Angelos, maxime qui a Deo prædestinati sunt, quorum hæreditas est æternæ vitæ promissio. » Et mox: « Quapropter nec negandum, quod unusquisque renatus in Christo suum habeat Angelum custodem; » quod tanto ante Primasius docuit. Hic enim unicuique fidelium ab ortu nativitatis, vel potius a tempore baptismatis, dari a Deo Angelum ad sui custodiam asserit[1]. At Tertullianus[2] « hominis in utero serendi, struendi, fingendi paraturam divinis officiis, » id est Angelis, commissam putat. Sic etiam Theodotus in *Excerptis*, quæ in calce *Stromateon* Clementis Alexandrini sunt, Angelos certos nominat τοὺς τῇ γενέσει ἐφεστῶτας, *generationis præsides*, quos, ut dixi, γενεθλίους δαίμονας appellavere Græci. Item et τημελοῦχον ἄγγελον, hoc est *curatorem* vocat, cui expositi infantes traditi sunt, ut eorum incrementum, educationemque procuret. Item *abortivos fetus* τημελούχῳ ἀγγέλῳ similiter committi, ut cognitione eos impertiat, ac plenum, et legitimum natalem suppleat; cujus rei testem citat Petri Apocalypsim[b].

Geniales dæmones.

Curatari Angelo.

Philo Judæus in libro *de Confusione linguarum*, Platonis opinioni subscribens, Deum Angelis mandasse putat formationem, et procreationem hominis, quoniam in bonum, malumque natura sua propensus est, ideoque minime decebat, opus illud ab ipso fabricari Deo, quod depravari poterat. Nam, « Deus, inquit, bonorum tantummodo causa est, mali autem plane nullius[c]. » Sed ineptissimum illud commentum, et indignum homine Judæo, ac Mosis alumno, ne refutatione quidem indiget. Num enim indignius est Deo hominem per sese creare, quam pecudes, aut volucres, aut pisces, ac reliqua, in quibus condendis non idem, quod facturus hominem dixit, *Faciamus?* De quo loquendi genere alibi pluribus.

VII. Ut igitur ad Christianorum theologorum decreta redeam, unicuique suum comitem, custodemque Angelum complures veterum assignant, qui illius sospitatis educationis, vitæ totius, ac sempiternæ præsertim salutis curam gerat; qui dæmonum insidias, et imminentia undique pericula propulset, animos ad virtutem faciat, timidos confirmet, mœrentes recreet, laborantes adjuvet, lapsos erigat, opportuna monita suggerat, orantibus assistat, et eorum preces offerat Deo; postremo, qui perfunctos hujus vitæ casibus post obitum excipiat, et ad beatorum societatem transferat. Ideo τῇ ἀνόδῳ ἐφεστῶτες, *ascensui animarum præpositi* a Clemente nominantur in IV *Stromateon*[3]. Hinc non modo Φύλακες, *custodes* appellantur, sed etiam παιδαδωγοί, et παιδονόμοι, *Pædagogi, ac puerorum institutores* a Basilio dicuntur[4]; ab Athanasio[5] τῶν ἀνθρώπων διδάσκαλοι, *præceptores hominum;* ab Ambrosio[6], *episcopi, et pastores gregum;* ab Hieronymo[7] item, et Eusebio[8] *pastores*; *pedisequos animæ* Bernardus appellat sermone XXXI *in Cantica*. Quorum insuper officia describit Clemens Alexandrinus VII *Stromateon;* et Cyrillus Alexandrinus in IV *contra Julianum;* Bernardus sermone XII *in Psalmum* XC Maximus martyr ad caput IV Dionysii *de Divinis nominibus*.

VIII. Neque vero prosperos tantum, ac salutares Angelos unicuique vel fidelium, vel

a Theod. Ἡ γραφή φησι τὰ βρέφη τὰ ἐκτεθέντα τημελούχῳ παραδίδοσθαι ἀγγέλῳ, ὑφ' οὗ παιδεύεσθαι, καὶ αὔξειν.

b Ibid. Αὐτίκα ὁ Πέτρος ἐν τῇ Ἀποκαλύψει φησὶν, τὰ βρέφη ἐξαμελωθέντα τῆς ἀμείνονος ἐσόμενα πείρας, ταῦτα ἀγγέλῳ τημελούχῳ παραδίδοσθαι, ἵνα γνώσεως μετολαβόντα τῆς ἀμείνονος τύχης μονῆς, παθόντα ἃ ἂν ἔπαθεν, καὶ ἐν σώματι γενόμενα.

c Philo. Μόνον ἀγαθῶν ὁ θεός ἐστιν αἴτιος, κακοῦ δὲ οὐδενὸς τὸ παράπαν.

1 In ep *ad Hebr.* cap. I. — 2 Lib. *de Anim.* cap. XXXVII. — 3 IV *Stromat.* — 4 Basil. *de vera virg.* et cap. XIII *de Spir. sanc.* — 5 Lib. *de Com. essen.* — 6 Lib. II in *Luc.* cap. II. — 7 In cap. XIV *Esa.* — 8 Lib. IV *Dem. Evang.*

hominum ad tutelam, ac custodiam adesse, antiqui, recentioresque omnes asserunt, quos singillatim hic recenseri nihil attinet, cum in promptu sint eorum studiose ab aliis collecta testimonia ; sed etiam malum cuique genium attributum haud paucis placuit. Quam sententiam affirmat Origenes [1] ex libro *Hermæ*, sive *Pastoris*: « Legimus, inquit, (si tamen cui placet hujusmodi Scripturam recipere) justitiæ, et iniquitatis Angelos super Abrahæ salute, et interitu disceptantes, dum utræque turmæ suo eum volunt cœtui vindicare. Quod si cui displicet, transeat ad volumen, quod titulo *Pastoris* scribitur, et inveniet, cunctis hominibus duos adesse angelos, malum, qui ad perversa exhortatur, et bonum, qui ad optima quæque persuadet. Scribitur alibi, quod assistant homini sive in bonam, sive in malam partem duplices Angeli. » Exstat illud *Pastoris* volumen, cujus in secundo libro, mandato sexto, hæc ab Origene commemorata leguntur: tum hic, tum in tertio *de Principiis*, capite XI quæ etiam Antiochus in homiliam suam LVI transtulit.

Gregorius vero Nyssenus idipsum luculenter sic explicat : « Est, inquit, sermo ex majorum traditione fidem sibi vendicans, qui dicit, posteaquam natura nostra in peccatum decidit, Deum hunc lapsum nostrum providentem cura sua minime destituisse ; sed Angelum quemdam ex iis, qui naturam corporis expertem sortiti sunt, adhibuisse ad uniuscujusque vitæ tutelam, ac præsidium ; at ex adverso, naturæ corruptorem pari machinatione contra niti, et pravo quodam, ac malefico adjuncto dæmone, humanæ vitæ perniciem afferre ; porro hominem in amborum medio constitutum, alterutrius adstitutum scopum, ac propositum alterius proposito contrarium, suopte momento valentius reddere [a *]. »

IX. Hunc sermonem, traditionemque veterum ex libro *Pastoris* sine dubio desumpsit ; quem etiam Cassianus [2] ejusdem rei testem nominat. Neque vero Prosper contra Cassianum scribens ob id eum reprehendit, quod Angelos duos adesse dicat hominibus ; sed quod hominem in medio positum naturali judicio, et propriæ discretioni esse commissum asserat. Sed Prosperi verba melius erit hic legi, quibus illa Cassiani ex collatione XIII capite XII redarguit. Cum enim Cassianus ita dixisset : « Adjacere autem homini in quamlibet partem arbitrii libertatem, etiam liber ille, qui dicitur Pastoris, apertissime docet ; in quo duo Angeli unicuique nostrum adhærere dicuntur, id est bonus, ac malus ; in hominis vero optione consistere, ut eligat, quem sequatur. Et idcirco manet in homine semper liberum arbitrium, quod gratiam Dei possit vel negligere, vel amare. » Prosper adversus ista sic disputat : « Post illud autem nullius auctoritatis testimonium, quod disputationi suæ de libello *Pastoris* inseruit, et quo ostendere voluit, inter boni, et mali contrarias suasiones ita omnem hominem naturali judicio, et propriæ discretioni esse commissum, ut ei non plus a Deo præsidii, quam a Diabolo sit periculi, addidit definitioni suæ regulam, dicens : et idcirco manet in homine liberum semper arbitrium, quo gratiam Dei possit vel negligere, vel amare. » Satis hinc apparet, quid in Cassiani, ac *Pastoris* illa sententia Prospero displiceat. Non enim hoc simpliciter ab catholica fide alienum putavit, quod Angelos duos, alterum bonum, malum alterum, adesse cuique nostrum asserant, ut Henricus Cuyckius in *Annotationibus ad Cassianum* persuasit sibi ; sed quod plusculum libero nostro arbitrio virium ad boni amplectendos instinctus tribuerent.

An dæmon suus unicuique sit constitutus.

X. Quanquam, Cassiani verba si quis consideret, nihil admodum a catholica regula discrepans in illis notabit. Sed suspectus ob alia ejus dicta Cassianus illic etiam Prospero fuit ; qua de re non hic agitur modo ; erit

a Gregor. Nyss. lib. *de Vita Mosis*. Λόγος τίς ἐστιν ἐκ πατρικῆς παραδόσεως τὸ πιστὸν ἔχων, ὅς φησι· πεσούσης ἡμῶν εἰς ἁμαφτίαν τῆς φύσεως μὴ παριδεῖν τὸν θεὸν τὴν πτῶσιν ἡμῶν ἀπρονόητον· ἀλλ' ἄγγελόν τινα τῶν τὴν ἀσώματον εἰληχότων φύσιν, παρακαθιστᾶν εἰς συμμαχίαν τῇ ἑκάστου ζωῇ· ἐκ δὲ τοῦ ἐναντίου τὸν φθορέα τῆς φύσεως ἀντιμηχανᾶσθαι τὸ ἴσον διὰ πονηροῦ τινος, καὶ κακοποιοῦ δαίμονος, τῇ τοῦ ἀνθρώπου ζωῇ λυμαινόμενον. ἐν μέσῳ δὲ ὄντα τῶν δύο τὸν ἄνθρωπον τὸν ἑκατέρου τῶν παρεπομένων σκοπὸν ὑπεναντίως πρὸς τὸν ἕτερον ἔχοντα, δι' ἑαυτοῦ ποιεῖν κατὰ τοῦ ἄλλου ἐπικρατέστερον.

* Plura in hanc rem de duobus *Geniis cum homine*, ut loquitur *Hermas* supra n. 8 citatus, congessit eruditissimus Cotelerius ad illum ejusdem *Hermæ* locum. Confer. etiam Huetium in *Origenianis* lib II. *quæst.* Z.

1 Hom. XXXV in *Luc.* — 2 Coll. 8, cap. XVII et col. 13, cap. XII.

enim, cum de gratia, et Pelagianorum hæresi dicetur, proprius de eo disputandi locus. Hac vero seposita opinione de liberi arbitrii potestate, non video, cur illa de duobus Angelis sententia eo præsertim modo, quo illam Gregorius Nyssenus exposuit, erroris damnanda sit. Nam quod Cuyckius opponit, neque « incitatione egere dæmones, ut nos infestent, cum ad id faciendum ex perversæ naturæ suæ inclinatione ipsi propendeant; et si Deus malum Angelum nobis deputasset in exercitium, videri peccati auctorem, cujus fomitem, sive causam nobis subministret; » utrumque leve est. Non enim incitari a Deo malum dæmonem dicimus, ac ne assignari quidem, attribuique singulis, sed permitti tantummodo Diabolo, ut, quos velit, custodibus Angelis objiciat. Quod Origenes [1] ita declarat : « Deus, inquit, dicitur permittere, imo et incitare propemodum adversarias virtutes exire adversum nos in prælium, ut et nos victoriam capiamus, et illæ interitum consequantur; » et Theodoretus oratione III *contra Græcos*; et sive unus idemque perpetuo per omnem vitam adsit homini, sive in eam provinciam aliis alii succedant (quorum utrum verius sit, non liquet) a Diabolo quidem, hoc est dæmonum principe, tentandorum hominum partes, atque officia distribui ex Gregorio Nysseno didicimus.

XI. Auctoris porro *Imperfecti Operis in Matthæum* [2] locus præteriri non debet, qui de utriusque Angeli conflictu in hæc verba disputat : « Duo, inquit, sunt Angeli permanentes cum hominibus, scilicet bonus, et malus. Quandiu circa nos est Angelus bonus, nunquam nos in tentationem potest impellere Angelus malus. Secundum dispensationem autem Dei recedit aliquantulum Angelus bonus; magis autem non recedit, sed abscondit se, invisibilem se reddens ante diabolum, quoniam, nisi voluerit Angelus bonus, a diabolo non videtur. Subtrahit ergo se, ut det diabolo licentiam tentandi, et stans expectat tentationis eventum. » Hæc ille, qui quod ait invisibilem bonum Angelum facere se dæmoni, jam id a nobis explosum est; quod autem utcumque recedere ad tempus tutelarem significat, docuit ante hunc Ambrosius in *Psalmum* XXXVIII. « Denique, inquit, Angelus in circuitu est hominis, qui prætendit, ne quis noceat ei. Non discedit Angelus, nisi jussus a Domino, ut suus athleta decertet. » Etsi non loco recedere tunc Angelum, sed opem differre, idem ad XXXVII *Psalmum* asserit. « Quomodo ergo longe stant, qui ad adjumentum sunt attributi? Sed non illi se separant; sed qui urgetur tentationibus, putat eos longe abesse, quos propius sibi adesse desiderat; et arbitratur dissimulare, cum illi juvandi tempus nutu sui Imperatoris expectent, qui athletam suum, quo gloriosius vinceret, diutius certare præcepit. »

Isidorus Pelusiota in vetere quodam manu exarato libro citatus, custodem Angelum tetro vitiorum odore abigi credit, uti fumo apes, et columbæ tetro odore pelluntur. Sed iste locus Basilii est homilia *in Psalmum* trigesimum tertium jam a nobis supra citatus. Evagrius item impuros ab Angelis suis divelli ait. « Divitiæ, inquit, scientiæ, et sapientiæ multos nobis Angelos addunt. Impurus autem etiam ab eo, qui a puero ipsi attributus est, Angelo divellitur [a]. »

At Clemens Alexandrinus libro septimo *Stromat* [b]. perfectos jam in omni virtute, ac velut emeritos fideles ad eum statum perduci tandem asseverat, ut custodibus Angelis non amplius egeant, sed ipsi custodiam hanc præstent sibi; quod de Gnostico, id est, ut dixi, *perfecto*, parum verisimiliter adstruit. Ita et Joannes Climacus in *Gradu* V, ubi indicat custodes Angelos a peccatoribus longius refugere.

XII. Ut autem recedere ad tempus pius custos creditur, hoc est auxilium differre, dum nos cum hoste tantisper vires expiriri sinit, sic illius adversarius, ubi tentando, oppugnandoque profecit nihil, atque a nobis victus est, velut campo cedere dicitur, ac facessere. Quod nonnulli sic intelligunt, ut, cum semel superatus est, neminem tentet amplius, aut non eumdem saltem, a quo sit victus. Sane Origenes videtur existimasse, victum semel dæmonem a tentandis hominibus deinceps abstinere. Scribit enim [3], « Sanctos quosque repugnantes adversus in-

a Evag. *in Eclog.* Damasc. tit. LIII. Πλοῦτος γνώσεως, καὶ σοφίας προσθήσιν ἡμῖν ἀγγέλους πολλούς· ὁ δὲ ἀκάθαρτος καὶ ἀπὸ τοῦ δοθέντος αὐτῷ ἐκ παιδὸς ἀγγέλου χωρίζεται.

b Clem. VII *Strom.* Οὐ τῆς δι' ἀγγέλων βοηθείας ἐπιδεῆ ἔτι εἶναι βούλεται τοῦτον. παρ' ἑαυτοῦ δὲ ἄξιον γενόμενον λαμβάνειν, καὶ τὴν φρουρὰν ἔχειν παρ' ἑαυτοῦ, διὰ τῆς εὐπειθείας.

1 Hom. LV *in Josue*.— 2 Hom. V. — 3 Hom. XV *in Josue*,

De dæmonibus victis a sanctis singularis Origenis opinio.

centores peccatorum spiritus, et vincentes eos, atque eorum unumquemque superantes, imminuere exercitum dæmonum, et velut quamplurimos eorum interimere. Verbi causa ut is, qui caste, pudiceque vivendo fornicationis spiritum superaverit, non ultra fas sit illum spiritum, qui ab illo Sancto victus est, impugnare iterum alium hominem : sed sicut illi spiritus, qui rogabant Jesum, ne in abyssum mitterentur, quod nunc interim Dominus pro præsenti dispensatione concessit ; ita consequens videtur, quod singuli quique nequam spiritus, cum vincuntur a sanctis, vel in abyssum, vel in exteriores tenebras, vel quo quisquis ille locus eis dignus est, abducantur a justo judice Christo agonis hujus vitæ mortalium præside. Et inde est, quod plurimo dæmonum numero jam victo, ad credulitatem gentes venire relaxantur, qui utique nullatenus finirentur, si integræ eorum, sicut prius fuérant, subsisterent legiones. »

XIII. Jam vero singulis hominum vitiis certos dæmones præsidere, ibidem Origenes putat ; velut esse aliquem fornicationis spiritum, alium iræ, alium avaritiæ, alium superbiæ ; quo fit, ut « per singulos homines plures esse credendi sint, quia non singula singuli homines habent vitia, vel peccata committunt, sed plura ab unoquoque videntur admitti. » Superato itaque vitio, ac peccato aliquo, expugnari, profligarique antistitem ejus spiritum, tam idem docet Origenes, quam Cassianus [1]. Sed quod victum semel in perpetuum a tentando refugere, prior iste scripsit, non satis consentaneum est ei, quod in alio loco dixit [2] : « Non omnes, inquit, omnium sunt adversarii, sed singuli singulos habent, qui ubique eos sequantur, et sint comites. » Nam, si suum quisque dæmonem habet, et assiduum secutorem, non videtur una pugna superatus absistere, nisi ad tempus, ut sanctus Thomas explicat [3]. Quanquam Origenis priorem illam sententiam probabilem putat Hugo Victorinus [4], et Magister Sententiarum [5] eam amplectitur ; mihi vero commentitia, neque probabilis videtur, quippe quam et communis omnium Patrum, et Christianorum sensus respuit ; qui hoc habet, non uno tentationis genere oppugnare nos dæmonem quemlibet, neque semel, sed iterum, ac sæpius, et ad extremum adeo usque spiritum lacessere, ac velut ex insidiis nec opinantes aggredi, intermissa identidem vexatione, ut incautis nobis improvisus irrumpat. Illud quidem verisimile est, quod pulchre disputat Cassianus [6], *colluctationem* illam, quam cum hominibus exercent dæmones, non sine quadam eorum anxietate, et tristitia fieri, maxime cum fuerint validioribus æmulis, id est viris sanctis, perfectisque congressi. Alioqui jam non conflictus, nec colluctatio, sed simplex tantum, ut ita dixerim, secura illis esset hominum attributa deceptio ; » cum tamen Apostolus et colluctationem eam vocet adversus principatus [7], et potestates, ac mundi rectores tenebrarum harum ; et agonem [8], sive certamen, in *quo pugnat non quasi aerem verberans.* Unde et insignibus, ac frequentibus piorum hominum victoriis debilitari eos, infringique credibile est, ut minus crebras, ac validas impressiones in eos faciant, a quibus prostrati sunt ; ut pluribus ibidem Cassianus explicat.

XIV. Ad postremum, uti suo quasi periculo, nec sine sollicitudine, nobiscum dæmones confligunt, sic bonos Angelos suo itidem periculo iis resistere, nosque ad certamen accendere ratus est Origenes [9] ; quod inter ejus absurde dicta, et paradoxa numeramus. Putat enim tutelares parvulorum Angelos non alia conditione Patris faciem videre, quam si fidei suæ commissos ad salutem perducant. « Quam ob causam, inquit, Angeli pro bonis solliciti sunt, scientes, quod, si nos bene gubernaverint, et ad salutem usque perduxerint, habeant etiam ipsi fiduciam videndi faciem Patris. Quomodo enim, si per curam eorum, et industriam salus hominibus comparatur, faciem patris semper attendunt ; sic, si per negligentiam eorum homo corruerit, etiam sui periculi rem esse non nesciunt. Et sicut bonus episcopus, et optimus Ecclesiæ dispensator scit sui meriti esse, atque virtutis si oves gregis sibi crediti fuerint custoditæ : ita intellige et de Angelis. Ignominia Angelo est, si homo justus creditus fuerit, et peccaverit ; ut e contrario gloria est Angelo, si creditus sibi saltem minimus in Ecclesia fuerit. Videbunt enim non aliquando, sed semper faciem Patris, qui est in cœlis, cum alii semper non videant. Secundum meritum enim eorum, quorum Angeli sunt, aut semper, aut nunquam, vel parum, vel plus,

De Angelis custodibus eorum qui pereunt commentitia ejusdem opinio.

1 Col. 7, c. XVII.— 2 Hom. XXXV in *Luc.* —3 In 1 Par. q. CIX, art. 5. — 4 In *Sum. Sent.* t. II, c. IV.— 5 Lib. II, disp. VI.— 6 Col. 7, cap. XXI. — 7 *Eph.* VI.— 8 I *Cor.* IX.— 9 Hom. XXXV in *Luc*, Vide et Hom. XXIII in eumd. *Luc.*

faciem Dei Angeli contemplabuntur. » Sed et homilia XX *in Numeros* idipsum docuit, culpari Angelos, tanquam pædagogos, si eorum commissi curæ ab officio deflexerint. Quod *Apocalypsis* testimonio probat; ubi unicuique Ecclesiæ præesse dicitur Angelus, qui « vel collaudatur pro bene gestis populi, vel etiam pro delictis ejus culpatur. » Vide et alia ejusdem loca apud Sixtum Senensem libro V annotatione CXXVI, et libro sexto, annotatione CXLII. Quod Origenis commentum satis suam prodit absurditatem; idemque ex illa opinione descendit, quæ nec homines, nec Angelos adstruit, ante mundi occasum, extremumque judicium, felicitatis esse compotes; quemadmodum et illa pseudo-Justini in *Quæstionibus ad Orthodoxos* [1], qui dicit, custodes singulorum hominum Angelos animis, ubi corporibus functæ sunt, usque ad resurrectionem assistere. Illam porro Origenianam fabulam expressisse videmus et alios Catholicos Patres; ut Hieronymum libro secundo commentariorum *in Michæam* [2], quem Sixtus commemorat. Sed et Cyrillus Hierosolymitanus nonnulla etiamnum peccari ab Angelis, et « condonari a Deo significat, eo quod solus peccati expers est, qui peccata nostra purgat, Jesus [a]. »

Haud scio, an eo pertineat, quod Hippolytus Portuensis scripsit in *Collectaneis* Anastasii, Christum Deum in carne mira fecisse, « ut sanctos intellectualium substantiarum cœli ordines ad inconvertibilitatem mysterio suæ stabiliret incorporationis [b], » ut ex Græco vertit Anastasius Bibliothecarius. Moses quoque Bar-Cepha Angelos ait Deo servire cum spe præmii consequendi post resurrectionem hominum [3].

XV. In *Eclogis* Joannis Damasceni aliam Origenis fabulam legi ex Antipatri Bostrorum episcopi libro *contra impium Originem*. Hunc enim existimasse refert ille, « Angelos a prima felicitate dejectos, ob primi calamitatem, ex Intelligentiis Angelos et Archangelos, ac cætera deinceps esse factos. Cum igitur defecissent, secundum novam Scripturam, a Dei conjunctione, imperium, ac dominatum sortiti sunt in eos, qui vehementius labefactati corruerant, atque in ministerium missi, propter eos, qui hæreditatem salutis accepturi erant, cum tamen ipsimet exciderint ab illa, et adjutore opus habeant, qui ipsos reducat. Ad quos merito quispiam curam gerens eorum dixerit : Medice cura teipsum. Quæ tu mihi conciliare studes, ea tibi ipse primus acquirito. Etsi enim longius mihi aberrare contigit; ambo tamen in eodem judicio versamur [c]. » Quocirca credit Origenes beatas illas mentes, postquam a Deo creatæ sunt, cum ejus arctiori conjunctione fruerentur, ab eo statu una cum principe suo corruisse, et in minorem gradum redactas, Angelos, atque Archangelos esse factas, et procuratione rerum mundanarum implicatas. Dixerat enim paulo ante in eos invectus Antipater : « Vos autem undenam accepta mysteria tanta prædicatis? quomodo antea se habebant; et quomodo moveri cœperint mentes; tum quemadmodum in diversa corpora deciderint, ac varii ordines facti sint cœlestium, ac terrenorum [d]. » Quem errorem longiori subinde disputatione refellit.

a Cyril. *Cat.* II. Συγχωρεῖ γὰρ κἀκείνοις· ἐπειδὴ εἷς μόνος ἀναμάρτητος ὁ τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν καθαρίζων Ἰησοῦς.

b Hippol. apud Anast. *Sirm.* Καὶ τὰ κατ' οὐρανοὺς ἁγία τάγματα τῶν νοερῶν οὐσιῶν στομώσῃ πρὸς ἀτρεψίαν τῷ μυστηρίῳ τῆς αὐτοῦ σωματώσεως,

c Antipater apud Damasc. *in Ecl.* lit. A. tit. LXXV. Ὅτι περ τῆς προτέρας μακαριότητος ἀποστάντες. διὰ τὴν τοῦ πρώτου ἧτταν τὴν γενομένην ἐν αὐτοῖς γεγόνασιν ἀπὸ νοῶν ἄγγελοι, ἀρχάγγελοι, καὶ τὰ ἑξῆς. Ἀποστάντες δὲ, κατὰ τὴν γενομένην νέαν γραφὴν· τῆς τοῦ θεοῦ ἑνώσεως, ἄρχειν τε, καὶ κυριεύειν τῶν ἐπὶ πλεῖω σαλευθέντων λαχόντες, καὶ εἰς διακονίαν ἀποστελλόμενοι, διὰ τοὺς μέλλοντας κληρονομεῖν σωτηρίαν, αὐτοὶ ταύτης σαλευθέντες, καὶ δεόμενοι τοῦ ἐπανάξοντος· πρὸς οὓς δικαίως τις ἐρεῖ αὐτῶν προνοούμενος· ἰατρὲ θεράπευσον σεαυτόν. ἅπερ ἐμοὶ προὔξενεῖς, κτῆσαι πρῶτος αὐτός. εἰ γὰρ καὶ πλέον ἀπορρέῦσαι συνέβη ἐμὲ, ἀλλ' ἀμφότεροι ἐν τῷ αὐτῷ τυγχάνομεν κρίματι.

d Antip. ib. Ὑμεῖς δὲ πόθεν λαβόντες τοσαῦτα μυστήρια διηγεῖσθε; ὅπως τε πρὸ τούτου ἦσαν, καὶ πῶς ἤρξαντο κινεῖσθαι οἱ νόες· καὶ πῶς ἔπεσαν εἰς διάφορα σώματα, καὶ γεγόνασι διάφορα τάγματα τῶν οὐρανίων τε, καὶ ἐπιγείων.

1 Qu. XXX. — 2 Hieron. *ad Mich.* VI, 1. — 3 Lib. *de Parad.* Part. I, cap. XXII.

CAPUT VIII.

De Angelis civitatum, regnorumque tutelaribus. Deuteronomii *locus capite* XXXII *declaratur : quomodo commissos sibi populos procurent. Eusebii falsa et hæretica opinio, Clementis item Alexandrini, qui stellas et sidera ad cultum proposita esse a Deo credidit. Explicatur Danielis locus capite* X *de præsidibus gentium Angelis. Ecclesiis etiam præesse.*

Angeli civitatum et regnorum tutelares.

I. De Angelorum tutela dixi, qua viritim singulos fovent ; nunc de eorum administratione disputandum, qua civitates et regna, communitatesque hominum regunt. Ut vere « columnis esse illos scripserit similes Philo Judæus, quæ totas domos sustinent ; sic divinæ illæ Virtutes mundum universum, et in humano genere, id, quod optimum ac Deo carissimum est, fulciunt [a]. » Etenim per orbis terrarum partes, ac nationes descriptos esse Angelos, et aliis alios a Deo esse præpositos, ex sacrorum librorum auctoritate Patres asserunt. Quod imprimis *Deuteronomii* capite secundo ac tricesimo confirmari putant ubi ita nos habemus : *Quando dividebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel*; quod est Hebræo consentaneum. At Septuaginta sic vertunt. Ὅτε διεμέριζεν ὁ Ὕψιστος ἔθνη, ὡς διέσπειρεν υἱοὺς Ἀδάμ· ἔστησεν ὅρια ἐθνῶν κατὰ ἀριθμὸν ἀγγέλων θεοῦ *constituit terminos gentium juxta numerum Angelorum Dei.* Aquila vero, Symmachus, imo cæteri Interpretes, ut Græci adnotant, cum Hebraica lectione consentiunt, habentque κατὰ ἀριθμὸν υἱῶν Ἰσραήλ ; quorum sensus est, tantumdem agri gentibus iis, quæ Chananæam prius habitarunt, attribuit, quantum Israelitis in earum inducendis locum sufficeret. Verum plerique omnes antiqui, Septuaginta seniores secuti, de Angelorum distributione locum illum interpretati sunt. Origenes homilia XXVIII *in Numeros* utramque lectionem attigit, ut et homilia XIII *in Ezechielem*, ubi et Hebraicam lectionem anteponit alteri. Homilia autem XXXV *in Lucam*, Græcam magis amplexus, ex ea concludit, « principibus, id est Angelis, ab exordio terram divisam esse. » His porro principibus alios subesse administros, qui singulos tueantur, ne ad alios principes deficiant. Atque in homilia XVI *in Genesim*, Græcum itidem secutus, « pro meritis, ait, unicuique genti Angelorum statui principatum. » Sic etiam homilia octava *in Exodum*, et aliis in locis Clemens Papa in epistola I *ad Corinthios*, eamdem illam in *Deuteronomii* libro lectionem exprimit.

Deuteronomii locus expenditur.

Secundum numerum filiorum Israel.

II. Quod ille copiosius in quinto *contra Celsum* edisserit. Cum enim Celsus alias orbis partes, ac religiones aliis præsidibus, et inspectoribus commissas esse dixisset, ac suos cuique ritus, ac leges esse, quas ibi, ubi receptæ essent, observari, retinerique fas sit ; (cui haud absimilis est Juliani impii disputatio apud Cyrillum [1], qui gentium principatus in Deos ab supremo omnium moderatore distributos esse dicebat, ab iisque singulas suis formari moribus, et imbui) Origenes secretius aliquid, ac sanctius attigisse hoc loco Celsum ait, quod in Sacris Litteris traditum Gentiles leviter adumbrarunt ; qui diversis nationibus diversa præsidere numina dixerunt, ut Atticæ, ac Saitæ Nomo in Ægypto Palladem. At in libro *Geneseos* proditum est a Mose, linguarum partitione facta, plerosque ab Orientali plaga profectos, et per varia loca dispersos esse, qui in potestatem dati sunt Angelorum plus, minusve difficilium, a quibus linguæ istæ distributæ sunt, et in diversas regiones abrepti homines, quarum aliæ immodicis ustæ caloribus, ac squalidæ sunt, aliæ gelu ac frigoribus infestæ, aliæ cultu et aratro minime tractabiles, aliæ ferarum incursionibus expositæ ; quibus malis et incommodis plus, aut minus obnoxias habitationes ad mortalium punienda scelera pro eorum gravitate delectas asserit. Qui autem veteri in lingua, et domicilio relicti sunt, eos solos in partem cessisse Domini, populumque ipsius Jacobi vocabulo dictum, quibus Ἄρχων, id est *Princeps* obtigit non ad pœnam attributus, uti cæteris, sed ad utilitatem, et patrocinium. Hunc vero esse Christum, qui, cum reliquis multo sit valentior, non solum recuperasse suos, quos alii Principes in partes suas traxe-

a Philo. lib. I, qu. *in Gen. in Eclog.* Damasc. Ὥσπερ κίονες οἰκίας ὅλας ὑπερείδουσιν· οὕτω καὶ αἱ θεῖαι δυνάμεις τὸν σύμπαντα κόσμον καὶ τοῦ ἀνθρωπείου τὸ ἄριστον, καὶ θεοφιλέστατον γένος.

1 Lib. IV *cont. Jul.* initio.

rant, sed alienæ insuper ditionis homines ex variorum deorum imperio in suum transtulisse. Hæc fusius Origenes illo in loco, sed et in homilia illa XXXV *in Lucam* [1], eadem significat. Victorinus in *Apocalyp.* lectionem illam sequitur, quæ habet *Angelos Dei*, ex eaque genti cuique præesse Angelos asseverat. Cyrillus quoque eamdem habet in Paschali XXII. Rursus Origenes homilia XVI *in Genesim* existimat, « pro meritis unicuique genti Angelorum statui principatum. » Ad eamdem de distributo in Angelos ad tutelam, et præsidium terrarum orbe sententiam respexit August. ita scribens : « Non clausit Deus fontem bonitatis suæ etiam in alienigenas gentes, quas sub Angelis constituerat, portionem sibi faciens populum Israel [2]. »

Eusebii falsa opinio et hæretica.

III. Eusebius in quarto *de Demonstratione Evangelica* non multum ab Origene discedit, quatenus Angelis, velut pastoribus ac præfectis, commissos esse dicit homines; tum præsidibus illis summum moderatorem præpositum, ac principem Dei Filium : « Quod igitur consentaneum sibi erat, faciens optimus, ac summus omnium rex ipse Altissimus, ac Deus universorum, ne rectoris, ac moderatoris penitus expertes forent in terra degentes homines, tanquam pecudes ratione carentes, præsides eorum, et curatores, velut armentarios, ac pastores divinos Angelos constituit, iisque omnibus, ac toti adeo rerum universitati præfecit unigenitum, et primogenitum suum Verbum. Cui quidem, velut eximiæ sortis loco, Angelos ipsos, et Archangelos, divinasque virtutes expertes materiæ, ac supra cœlum residentes spiritus attribuit, necnon ex iis, quæ sunt in terra, Dei amantes in hominibus animas, quæ Hebræorum lingua Jacobi, et Israelis vocabulis appellantur. Hoc vero mysteriorum longe maximum primus ex theologis Moses inter arcana veteribus Hebræis tradidit, dicens : *Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi ; seniores tuos et dicent tibi* : *Quando separabat Altissimus gentes*, etc. » Quibus in verbis Mosis Altissimi nomine Deum Patrem intelligi putat; Domini vero, Verbum ipsius, qui secundo post supremum Deum loco Dominus vocatur. Porro Angelis ipsis nationum præfectis subjectas esse gentes omnes, ac filios hominum, qui Filii Adam appellantur, ac summi Dei arbitrio distributas; Unigenito vero illius filio, tanquam omnium præstantissimo duci, ac regi universorum Christo Domino, ex omni hominum genere, Jacobum, et Israelem attributum esse, hoc est perspicaci mente, ac pietate præditum genus. Hæc Eusebius ; quæ Arianam impietatem olent, ut in libro primo *de Trinitate* monui. Hac etiam opinione perfusi veteres quidam hæretici, ἄρχοντας suos populatim diviserunt; Judæis vero præstantiorem cæteris, ac fortiorem assignavere principem, a quo isti superati sunt, et eorum abducti populi.

Archontes.

IV. Qualis autem in commissas sibi nationes cura, et providentia fuerit tam ejus, qui Judæis præfuit, summi principis, hoc est, unigeniti Filii Dei, quam Angelorum, quibus reliquæ gentes creditæ sunt, miro quodam modo Explicat Eusebius [3]. Quippe Filium Dei asserit Hebræos suos impulisse ad unius Patris, ipsius videlicet Altissimi, cultum, supra id omne, quod sub aspectum cadit, supraque cœlum, ac quidquid est factum, sensim illos adducentem, ac placide ; iisque tradidisse, solum ut ingenitum, et universorum opificem Deum Altissimum religiose colerent. Porro cæterarum nationum præsides Angelos, et pastores, iis, qui præ imbecillitate non poterant invisibilem contemplari Deum, ac sursum efferre se, præcepisse, ut iis, quæ in cœlo aspectabilia sunt, intenderent, soli, lunæ, ac sideribus reliquis, quæ in hac universitate rerum eminent, et splendore suo contuentium oculos provocant, atque ex magitudine, et pulchritudine creaturarum aspectabilium ad omnium effectoris Dei contemplationem evehunt, quemadmodum docet Apostolus : *Invisibilia*, inquit [4], *ipsius a creatione mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta, con-*

a Euseb. IV. *de Dem.* cap. VI. Εἰκότα γοῦν ἑαυτῷ ποιῶν ὁ πανάγαθος, καὶ παμβασιλεὺς αὐτὸς ὁ ὕψιστος, καὶ θεὸς τῶν ὅλων, ὡς ἂν μὴ ἄναρχοι, καὶ ἀνεπιστάτητοι, θρεμμάτων δίκην ἀλόγων, εἶεν οἱ ἐπὶ γῆς ἄνθρωποι, προστάτας αὐτῶν, καὶ ἐπιμελητὰς ὥσπερ τινὰς ἀγελάρχας, καὶ ποιμένας, θείους ἀγγέλους κατεστήσατο, προτάξας ἁπάντων, καὶ τοῖς πᾶσιν ἐπιστήσας τὸν μονογενῆ, καὶ πρωτότοκον αὐτοῦ λόγον. τούτῳ δὲ κλῆρον ἐξαίρετον αὐτοὺς ἀγγέλους, καὶ ἀρχαγγέλους, καὶ θείας δυνάμεις, ἀΰλά τε, καὶ ὑπερουράνια πνεύματα, ναὶ μὴν καὶ τῶν ἐπὶ γῆς τὰς ἐν ἀνθρώποις θεοφιλεῖς ψυχὰς ἀφωρισάτο, Ἰακὼβ, καὶ Ἰσραὴλ Ἑβραίων προσηγορίᾳ ἐπικαλουμένας. τοῦτο μυστηρίων τὸ μέγιστον πρῶτος θεολόγων Μωϋσῆς ἐν ἀπορρήτοις Ἑβραίους τοὺς πάλαι ἐμυσταγώγει, λέγων· Ἐπερώτησον τὸν πατέρα σου, καὶ ἀναγγελεῖ σοι, τοὺς πρεσβυτέρους σου, καὶ ἐροῦσί σοι· ὅτε διεμέριζεν ὁ ὕψιστος ἔθνη, etc.

1 Vide et Hom. XII in *Luc.*— 2 Aug. in *Psal.* LXXXVIII Tom. Conc. init. — 3 Euseb. ib. — 4 *Rom.* I.

spiciuntur, sempiterna quoque ipsius virtus, et divinitas. Cui consentanea tradidit Moses : qui peculiarem Domini populum adhortans, ut perspicaci mente, purgataque anima intelligibilia, et corporis expertia consectaretur, vetat iis terreri, quæ in cœlo videntur ; *quoniam*, inquit, *ista Deus tuus nationibus omnibus attribuit.* Nam, quia innumerabilis multitudo dæmonum in hoc citimo terris aere volitat, eaque videri, ac discerni ab mortalibus nequit, nihil consultius fuit, quam ut supremi cultu numinis exclusi, ad ea se converterent, quæ in cœlo præstantissima cernuntur, ne forte Dei inquirendi studio, obscura quædam neque oculis subjecta scrutantes, in adversas virtutes, ac dæmones incurrerent. Idem et in sequentibus asserit, Diabolum, ejusque satellites dæmones variis illecebris humanum genus irretisse, et ad profanorum numinum incitasse cultus ; neque gentes tantummodo cæteras, sed illam ipsam, quæ in Domini sortem cesserat, Judæorum occupasse gentem, ac paulatim bonos Angelos, qui nationum præsides erant, imperiis suis, ac præfecturis evertisse adeo, ut omissa mortalium cura, ad reliquarum mundi partium administrationem studium omne suum transferrent ; donec sempiterni Dei Filius ad opem tum hominibus, tum Angelis ipsis ferendam advenit, atque, immanissimis illis hostibus de orbis terrarum possessione dejectis, eam in solidum vendicavit sibi. Hæc Eusebius capitibus præsertim IX, ac X.

V. Qui, quod Filium Dei gentis Hebrææ præsidem, ac tutelarem velut Principem facit, Angelos vero nationum cæterarum, nimis, ut Arianum decet, anguste de illo, jejuneque loquitur. Quod autem ad solem, lunam, ac stellas, et cœlestia contemplanda corpora gentes ab Angelis excitatas ait ; si sic interpretetur, ut illarum rerum scientiam, hoc est philosophiam, ab illis importatam velit, cujus adminiculo ad Deum per creatas res indagandum, et cognoscendum assurgerent, haud absurde sapit. Sin ad illa ipsa colenda, religioseque veneranda sidera inductos ab Angelis mortales existimat, quasi pejoris idololatriæ vitandæ gratia, in eam, quæ tolerabilior esset, impulsi sint, turpissime labitur. Atqui Clemens Alexandrinus, in sexto *Stromateon*[1], unde superiora illa mutuatus est Eusebius, plane hoc, diserteque confirmat, Gentilibus datum a Deo esse solem, lunam, ac stellas ad religionem, atque cultum, ut ne penitus ἄθεοι forent. Hujus verba hoc loco subscribam. « Cum sciret Deus, inquit, tanquam omnium præscius, non crediturum esse gentilem, nihilominus ut congruentem sibi perfectionem reciperet, cum ei philosophiam dedit, sed ante fidem, tum solem dedit, ac lunam, et stellas ad cultum, ac religionem. Quæ fecit gentibus, ait lex, ne, si funditus ἄθεοι essent, funditus perirent. At illi etiam in hoc præcepto inconsiderati, ac vecordes, et in sculptiles intenti statuas, judicantur, nisi resipiscant ; alii, quod, cum possent, noluerunt Deo credere ; alii, quod, etsi vellent, non elaborarunt, ut fideles fierent ; tum et illi, qui ab astrorum cultu ad eorum auctorem minime recurrerunt. Erat enim hæc via data gentibus, ut per astrorum cultum sese ad Deum attollerent[a]. » Hanc quorumdam ante se opinionem fuisse testatur Origenes tomo secundo *in Joannem ;* et videlicet Clementem intelligit præceptorem suum, cui et suffragari videtur.

Item Clementis Alexandrini qui sidera a Deo ad cultum proposita esse credidit

Sine Deo, athei.

VI. Verum quis hoc ferat, data dici hominibus ad cultum, et religionem sidera, (hoc enim est εἰς θρησκείαν ne divinitatis, ac religionis prorsus expertes forent? Ut hoc falsissimum est, sic prius illud certum est, ac receptum, suum cuique genti patronum, et curatorem Angelum, sive Archangelum esse datum. Sic enim Theodoretus, « singulis Angelis uniuscujusque nostrum creditam esse curam, ut custodiant, et tueantur, et a pravi dæmonis nos liberent insidiis[b], » ex *Matthæi* XVIII. capite concludit : « Archangelis

a Clem. VI *Strom.* Ἐπειδὴ γὰρ ἤδει θεὸς, ἅτε προγνώστης ὢν, μὴ πιστεύσοντα τοῦτον οὐδὲν ἧττον ὅπως τὴν γε καθ' ἑαυτὴν ἀναδέξηται τελείωσιν ἔδωκεν μὲν φιλοσοφίαν αὐτῷ· ἀλλὰ πρὸ τῆς πίστεως· ἔδωκεν δὲ τὸν ἥλιον, καὶ τὴν σελήνην, καὶ τὰ ἄστρα εἰς θρησκείαν· ἃ ἐποίησεν ὁ θεὸς τοῖς ἔθνεσι, φησὶν ὁ νόμος. ἵνα μὴ τέλεον ἄθεοι γενόμενοι τελέως καὶ διαφθαρῶσιν. οἱ δὲ κἂν ταύτῃ γενόμενοι τῇ ἐντολῇ ἀγνώμονες, γλυπτοῖς προσεσχηκότες ἀγάλμασι, κἂν μὴ μετανοήσωσι, κρίνονται· οἱ μὲν ὅτι δυνηθέντες οὐκ ἠθέλησαν πιστεῦσαι τῷ θεῷ· οἱ δὲ ὅτι καὶ θελήσαντες, οὐκ ἐξεπόνησαν περιγενέσθαι πιστοί· καὶ μὴν κἀκεῖνοι οἱ ἀπὸ τῆς τῶν ἄστρων σεβήσεως μὴ ἐπαναδραμόντες ἐπὶ τὸν τούτων ποιητήν. Ὁδὸς γὰρ ἦν αὕτη δοθεῖσα τοῖς ἔθνεσιν, ἀνακύψαι πρὸς θεὸν διὰ τῆς τῶν ἄστρων θρησκείας.

b Theodor. in cap. X. *Dan.* Διδασκόμεθα τοίνυν ἐκ τούτων ὡς τῶν ἀγγέλων μὲν ἕκαστος τὴν ἑκάστου ἡμῶν ἐπιμέλειαν ἐγκεχείρισται εἰς τὸ φρουρεῖν καὶ φυλάττειν, καὶ τῶν τοῦ πονηροῦ δαίμονος ἐπιβουλῶν ἀπαλλάττειν. οἱ δὲ ἀρχάγγελοι τὰς τῶν ἐθνῶν ἐπιστασίας ἐνεπι-

1 Edit. Herins.

vero illud munus impositum, ut gentium sint præfecti, sicut beatus Moyses docuit [1]; cujus dictis beatus item Daniel consentit [2], cum dicit ipse, regni Persarum principem, et rursus paulo post, principem Græcorum. » Ergo Mosis illa verba e capite *Deuteronomii* XXXII, persuaserunt veteribus, quod Clemens idem ille simplicins, ac verius testatus est, « per nationes, ac civitates distributas Angelorum esse præfecturas [a]. » Additque, « Fortasse etiam ex iis deputati sunt singulis. » Basilius quoque in tertio *adversus Eunomium* præclare id affirmat, « ut singulis fidelium adesse comites Angelos, sic gentibus alios præesse; et quo præstantior est gens integra singulari aliquo viro, eo potiorem esse dignitate præsidem gentis Angelum, quam illum, cui unius cujuspiam cura committitur [b]. » Et in commentariis ad caput x *Esaiæ*, de iisdem nationum præfectis Angelis testimonium sumit ex illis *Deuteronomii*, ac *Danielis* locis. Epiphanius item Septuaginta secutus interpretes [3], ex *Deuteronomii* capite XXXII colligit, Angelis subjectas esse nationes, ut et Isidorus Pelusiota libro secundo, epistola LXXXV. Cujusmodi Angelos eos esse, quos *Dominationes*, *Principatus*, *et Potestates* Scripturæ vocant, Theodoretus arbitratur [4].

Explicatur Danielis locus c. x.

VII. Dionysius vero in libro *De cœlesti Hierarchia*, capite nono, copiosa id oratione docuit, quemadmodum populo cuilibet suus præpositus sit Angelus, velut Judaico Michael, uti Moses in *Deuteronomio* cecinit. Sed et gentibus reliquis proprios esse datos principes Angelos; qui ad unius, ac veri Dei notitiam, et cultum, quantum in se erat, illos inducerent; de quo legendus Maximus Interpres. Sic autem et Clementis Alexandrini commentum illud refellitur, qui siderum venerationem divinitus in nationes introductam putat, quam ἀπαιδευσίαν, id est *inscitiam* merito vocat, et irridet Isidorus Pelusiota [5]; et Eusebii non minus falsa ratio discutitur asserentis unigenitum Dei Filium Angelum esse illum qui Hebræorum populo præfuit; cui affinis recentiorum quorumdam est opinio, præsertim hæreticorum, qui Michaelem rati sunt esse Christum Dominum, cum quidem Hebræorum præfectum Michaelem fuisse Dionysius, et cum eo plerique omnes arbitrentur. Sed hunc minime esse Christum, recte Dionysius idem significat, et fuse probat Serrarius noster in commentariis *ad Josue*.

VIII. Jam Chrysostomum affirmantem audivimus superiori capite [6], olim quidem gentibus Angelos præfuisse, nunc autem fidelibus singulis. Atqui nihilo secius hoc tempore, quam in veteri lege, tam privatim singulis, quam publice nationibus Angelos præpositos esse verius est; idque antiqui omnes Patres prædicant, ac præter illa, quæ hactenus percensui, loca, Theodoretus hoc latius explicat in quinto *Adversus hæreses* capite VIII ubi de Angelis disputat, et ex *Mosis Cantico*, ac Daniele probat, alium Persas moderari, alium Græcos, cæteros item populos sub alicujus Angeli patrocinio degere, nonnullos singulorum hominum curam habere, ne quid ab improbis dæmonibus noxæ, ac detrimenti capiant [c]. Item Chrysostomus in homilia quadam *de Archangelis*, [7] in qua *Deuteronomii* ex eodem loco custodes esse nationum Angelos dicit [d], necnon singulorum hominum ex *Matthæi* capite XVIII, 10, et ex *Actis Apostolorum* [8]; ubi, cum ex Herodis carcere liberatus Petrus domum revertisset, qui in ea erant, attoniti dixerunt, *Angelus*

De Angelis præsidibus gentium.

στεύθησαν, ὡς μακάριος ἐδίδαξε Μωσῆς. συμφωνεῖ δὲ τούτοις καὶ ὁ μακάριος Δανιήλ. λέγει γὰρ καὶ αὐτὸς τῆς βασιλείας Περσῶν ἄρχοντα.

a Clem. VI *Strom.* Κατά τε γὰρ τὰ ἔθνη, καὶ πόλεις νενέμηνται τῶν ἀγγέλων αἱ προστασίαι· τάχα δὲ καὶ τῶν ἐπὶ μέρους, ὧν ἐνίοις ἀποτεταχάται τινες. Vide et lib. VII.

b Basilius. Οἱ μὲν αὐτῶν ἐθνῶν προεστήκασιν· οἱ δὲ ἑνὶ ἑκάστῳ τῶν πιστῶν εἰσὶ παρεπόμενοι. ὅσῳ μέντοι προτιμότερον ἔθνος ὅλον ἑνὸς ἀνδρὸς, τοσούτῳ δήπου μεῖζον ὑπάρχειν ἀνάγνη τὸ ἀξίωμα τοῦ ἐθνάρχου ἀγγέλου, παρὰ τὸ τοῦ ἑνὸς ἑκάστου τὴν προστασίαν πεπιστευμένου.

c Theod. Τεκμηριοῖ δὲ ταῦτα καὶ τὰ ἐν τῷ Δανιὴλ εἰρημένα, καὶ τὰ ὑπὸ Κυρίου λεχθέντα, τινὰς μὲν τῶν ἀγγέλων ἐθνῶν προστατεύειν, τινὰς δὲ ἑνὸς ἑκάστου τῶν ἀνθρώπων πεπιστεῦσθαι τὴν ἐπιμέλειαν, ὥστε μὴ σίνεσθαι αὐτοὺς, καὶ πημαίνειν τοὺς ἀλάστορας δαίμονας.

d Chrys. Οὐ γὰρ μόνον ἔθνη φρουρεῖν ἐτάχθησαν ἄγγελοι· καθὼς βοᾷ τὸ λόγιον· Ὅτε διεμέριζε, φησὶν, ἔθνη ὁ Ὕψιστος, ὡς διέσπειρεν υἱοὺς Ἀδὰμ ἔστησεν ὅρια ἐθνῶν κατὰ ἀριθμὸν ἀγγέλων Θεοῦ. ἀλλὰ γὰρ τῶν ἀνθρώπων ἑκάστῳ ἔλαχεν ἄγγελος. ὁ λόγος οὐκ ἐμὸς, ἀλλὰ τῆς Θείας γραφῆς. τῆς γὰρ παιδίσκης Ῥόδης ἀπαγγελλούσης τοῖς ἀποστόλοις πρὸ θυρῶν ἑστάναι Πέτρον τὸ Ἡρώδου διαδράντα δεσμωτήριον, ἀπιστοῦντες ἔλεγον ἐκεῖνοι· ὁ ἄγγελος αὐτοῦ ἐστιν.

1 *Deut.* XXXII.— 2 Cap. X. — 3 Hær. LI, n. 34. — 4 In cap. I *ad Col.* Vide eumd. et qu. III, in *Gen.* — 5 Isid. l. 3, ep. CCCXCI.— 6 Hom. III in ep. *ad Col.* — 7 Tom. V ed. Savil. et est c. 169. — 8 Cap. XII, 15.

ejus est. De civitatum, ac populorum præsidibus agit multis in quarto *contra Julianum* Cyrillus.

IX. Ex Latinis vero, populorum præfectos Angelos agnoscunt, Hilarius *in Psalmum* CXXIX, ubi Septuaginta interpretos in *Mosis Cantico* sequitur, Hieronymus in *Ezechielis* caput XXVIII, ex *Daniele* itidem, et *Deuteronomii* Cantico ; etsi Hebræorum lectionem Græcis codicibus in posteriore hoc loco præferat. At in commentariis ad septimum *Danielis*, Græcam asciscit ; et « Quatuor, inquit, ventos cœli quatuor arbitror angelicas potestates, quibus principalia regna commissa sunt juxta illud, quod in *Deuteronomio* legimus : *Quando dividebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum juxta numerum Angelorum Dei.* » Et ad primum Zachariæ prophetæ, regnorum, ac nationum præsides Angelos commemorat. Rursus ad *Isaiæ* caput XLIV Angelos ait « terræ fundamenta portare. » Ac nonnulli verba illa *Jobi* IX. 14. *Sub quo curvantur, qui portant orbem*, de Angelis intelligunt, qui mundum administrant, ac regunt, quod *portare* dicitur, ut Hebr. primo, *Portans omnia verbo virtutis suæ.* Victorinus quoque Pictaviensis quatuor Angelos[1], qui per totidem angulos terræ distributi leguntur in *Apocalysi*, eo pertinere putat ; quod « omni genti a Deo deputatus est Angelus, sicut dicit : *Statuit eos super numerum Angelorum Dei.* »

Ruffinus *in Symbolum Apostolorum*, « Etenim, ait, ut breviter aliqua etiam de secretioribus perstringamus, ab initio Deus, cum fecisset mundum, præfecit ei, et præposuit quasdam virtutum cœlestium potestates, quibus regeretur, et dispensaretur mortalium genus. Quod ita factum Moses indicat in *Deuteronomii Cantico*, ubi dicit : *Cum dividerat excelsus gentes, statuit terminos gentium secundum numerum Angelorum Dei.* »

Paschasius item Radbertus singulos provinciis, regnisque singulis præesse scribit : « Nulli dubium, ait, esse credo, et ex auctoritate divinarum Scripturarum firmatum, Angelos in ministerio esse positos eorum, qui hæreditatem accepturi sint æternæ vitæ, ut singuli per singulas principentur provincias, vel regna, in tantum, ut etiam singuli suos habeant Angelos, maxime qui a Deo prædestinati sunt, quorum hæreditas est æternæ vitæ promissio. »

Isidorus etiam Hispalensis libro primo *Sentent.* capite XII et singulas gentes præpositos habere Angelos ait, et homines omnes, iisdem Scripturæ locis innixus, quæ superius adduximus.

X. Ceterum cum omnes isti, aliique, quos omittimus, Patres, illa Mosis in *Cantico* verba sic ex Græca editione capiant, tanquam Angelorum per nationes officia distributa sint, difficile est tamen eornm sententiam exponere. Nam quid sibi ista volunt, *Constituisse Deum terminos populorum, juxta nnmerum Angelorum Dei* ? An plures Angeli non sunt, quam populi, vel regiones, aut provinciæ? Origenes quidem libro quinto *contra Celsum*, partitionem illam populorum, quæ pro numero Angelorum instituta dicitur, refert ad eam linguarum divisionem, quæ *Geneseos* undecimo capite memoratur, in qua duæ et septuaginta linguæ, totidemque primigenii populi numerari solent. Sed quis ferat, non plures dici Angelos, quam septuaginta duos ? An, ut præcipui quidam populi significantur, sic etiam certi, ac præcipui intelligendi sunt Angeli ; quibus peculiaris est illorum cura commissa? Hieronymus certe in *Danielis* septimum caput, « quatuor ventos cœli, qui a Propheta commemorantur, quatuor arbitratur angelicas potestates ; quibus principalia regna commissa sunt, quod in *Deuteronomio* legimus » : ac Mosis e cantico verba illa subjicit.

Sic Epiphanius hæresi III[2]. Angelos quatuor, quos in *Apocalypsi* Joannes describit[3], quique ad Euphratem fuisse dicuntur, præsides totidem nationum interpretatur, Assyriorum, Babyloniorum, Medorum, atque Persarum. An plures Angeli singulis populis præsident, et turmatim illi pro populorum numero partiti sunt ? Nihil horum est, in quo animus acquiescat. Sed neque Gregorii Papæ[4] probabilis est ratio, qui tantum hominum in cœlum ascendere, « quantos illic contigit electos Angelos remansisse », ex *Deuteronomii* illis verbis colligit ; tanquam Moses dixerit, definitum, ac terminatum esse hominum electorum numerum secundum numerum electorum Angelorum : cui nemo, ut opinor, assentietur.

XI. Jam vero suam illam in populos curam, ac providentiam quanto studio exerceant Angeli, ex Daniele potissimum licet cognoscere ; qui illorum pugnas etiam, et certa-

Quantam populorum curam Angeli gerant.

1 In Com. *in Apocal.* — 2 Num. 34. — 3 Cap. IX, 14. — 4 Hom. XXXIV.

mina pro commissis sibi gentibus invicem suscepta describit, præsertim capite decimo; ubi is, qui Danieli apparuit, Angelus, restitisse sibi Persarum principem, id est tutelarem, ac præsidem, viginti et uno diebus ait, ac sibi Michaelem auxilio venisse. Quanquam de hoc principe vetus est controversia, sitne inter bonos referendus, an malos Angelos, et utrinque auctores, argumentaque sunt. Origenes enim homilia IX *in Genesim*, principes illos Persarum Angelos fuisse dicit, quorum moderationi commissus est orbis terrarum; verum eosdem postea, cum, ut appparet, ab officio descivissent, et à Christo principatu se dejici moleste tulissent, huic ipsi restitisse; eosque principes ac reges esse, qui Christum oppugnasse in *Psalmo* secundo feruntur, et contra quos pugnandum admonet Apostolus capite VI epistolæ *ad Ephesios*. Hunc secutus Hieronymus ambiguam de eo sententiam expromit in commentariis *ad Danielem*. Nam et principem istum Angelum esse scribit, cui Persis credita est, juxta illud, quod in XXXII capite *Deuteronomii* legimus : *Quando dividebat Altissimus gentes, et disseminabat filios Adam, statuit terminos gentium, juxta numerum Angelorum Dei*. Cujusmodi non alius, quam bonus intelligi videtur. Et tamen hunc ipsum ex eorum esse principum numero dicit, de quibus primæ *ad Corinthios* capite secundo Paulus loquitur : « *Sapientiam loquimur inter perfectos, quam nullus principum hujue sæculi cognovit. Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent;* quod de malis dæmonibus debet accipi ». Sed in commentariis ad caput XXV, *Esaiæ* disertius id explicat : « Visitabit, inquit, super reges, et principes terræ rectores tenebrarum istarum, et spiritualia nequitiæ in cœlestibus. De quibus principibus diversis provinciis præsidentibus et in Dianele scriptum est : *Exiit in occursum mihi princeps regni Persarum, et princeps regni Medorum, et princeps regni Græcorum.*» Hos igitur principes, « qui suum non servaverunt gradum, congregabit Dominus in Die judicii », etc. Itaque merito Rupertus [1], et alii sanctum Hieronymum auctorem laudant sententiæ suæ, quæ malum Angelum fuisse asserit Persarum hunc principem.

XII. Cassianus in eadem est causa, qui dæmonum inter se velitationes, et conflictus adstruit ex illa Danielis historia, « Quam, inquit[2], principem regni Persarum adversariam potestatem esse, quæ favebat genti Persarum, inimicam populo Dei, minime dubitandum est; quique ad impediendam utilitatem, quam videbat per absolutionem quæstionis, pro qua Propheta Dominum exoraverat, ab Archangelo ministrandam. lubens semetipsum, ne ocius ad Danielem salutaris Angeli consolatio perveniret, Deique populum, cui Gabriel Archangelus præerat, confortaret, objecit. » Ac subinde, « Legimus ergo Græcorum quoque principem similiter alium nuncupari, qui utique favens genti sibi subditæ, tam populo Israeli, quam nationi Persarum videbatur adversari. Ex quo liquido pervidetur, quod discordias gentium, et conflictus, atque simultates, quas inter se, istis instigantibus, gerunt, etiam contra se adversæ exerceant potestates. » Hunc ipsum conflictum etiam ipsos inter se Angelos instituere censet Epiphanius hæresi LI, ubi quatuor illos Angelos, qui in Euphrate sunt ab Joanne memorati[3], nationum totidem præsides ait esse, secundum illa Mosis in *Cantico* verba, qui hactenus ab Spiritu coercebantur, ne impetum facerent, ac suos incitarent. « Quippe, dum commoventur Angeli, gentes ipsas ad vindictam commovent[a]. » Bonos autem ab Epiphanio intellectos esse dubitari non potest, cum *Deuteronomii* locus ille de iis solis interpretari debeat. Richardus denique Victorinus principes illos Persarum[4], et Græcorum, malignos esse spiritus affirmat.

XIII. Equidem principes istos, quorum meminit Daniel, bonos fuisse Angelos probabilius judico, quam dæmones, qui videam conspirare in eam partem plures ex veteribus, dum Angelorum præfecturas per gentes, ac populos distribui, ex illa Danielis auctoritate approbant, quorum nonnullas superius adduximus. Imprimis autem Basilius libro tertio *contra Eunomium;* Theodoretus in commentariis *ad Danielem*, et Gregorius Papa ita sentiunt[5]; quibus adjici potest Isidorus Pelusiota[6], qui, quemadmodum inter se Angeli isti pugnam exercuerint, fuse declarat. Cum enim nondum iis cognita Dei voluntas esset, jure utrinque certabant; ac Judæorum quidem patronus æquum esse censebat, divi-

a EPIPH. hær. LI, num. 34. Καὶ γὰρ κινούμενοι οἱ ἄγγελοι, κινοῦσι τὰ ἔθνη εἰς ὁρμὴν ἐκδικίας.

1 Lib. IX *de Vict. ver.* cap. VI. — 2 Cass. col. 8, cap. XV. — 3 *Apoc.* IX, 14. — 4 Lib. I *de Emman.* cap. XVII. — 5 Lib. XVII *Mor.* cap. VIII. — 6 Lib. II, ep. LXXXV.

num de illis dimittendis interdictum exitum habere; alter ex adverso nefarios illorum mores, et crimina proferebat, quibus longiorem servitutem meruerant. Sic inter ambos quidam erat misericordiæ, ac justitiæ conflictus; cui consonat Theodoretus; qui viginti et uno diebus tutelarem Hebræorum Angelum persuadere conatum esse dicit Angelo Persarum, jure hac Dei benignitate impartiendos illos esse, adjuvante Michaele. Nec dissimilis est Gregorii Magni ratio [1], ex eoque sancti Thomæ [2]; qui et priorem probat, quam sancto Hieronymo tribuit. Sed videnda est homilia Chrysostomi *in Natalem Christi* apud Photium; ubi de Angelorum præfectura ista [3], et certamine latius disputat, ac bonos fuisse censet. Est autem in editione Savilii CXXXIV, tomi quinti; sed inter dubias habetur.

Ecclesiis Angeli præsunt.

XIV. Cum autem nationibus, populisque præsint omnibus Angeli, tum multo magis Ecclesiis, ac cœtibus religionis jure sociatis, ac locis iis in quibus Christiana sacra celebrantur. De Ecclesiis *Apocalysis* primo capite testimonium exstat; ubi septem Ecclesiis totidem præsides Angeli nominantur, ut interpretantur veteres; Origenes *in Numeros* [4], « Secundum ea, quæ Joannes in *Apocalysi* scribit, inquit, unicuique Ecclesiæ generaliter Angelus præest, qui vel collaudatur pro bene gestis populi, vel etiam pro delictis ejus culpatur. » Et alio in loco binos in singulis Ecclesiis episcopos esse putat [5], alterum visibilem, alterum invisibilem, hoc est hominem, et Angelum, qui de incuria sua judicantur. Tum Ambrosius [6], « Non solum episcopos ad tuendum ʳgregem Dominus ordinavit, sed etiam Angelos destinavit ». Hieronymus item [7], et Hilarius [8], Gregorius Nazianzenus : « Nec enim mihi dubium est, quin alii aliarum Ecclesiarum præsides, ac patroni sint, quemadmodum in *Apocalypsi* Joannes me docet [a]. » Basilius quoque in *Esaiæ* caput primum Angelos nominat, « quibus Ecclesiarum præfectura commissa est [b]. » Et epistola CLXI « Ecclesiæ præsidem » ; quomodo et Gregorius Nazianzenus « Ecclesiæ præsides [c] » in calce orationis illius LII nominat.

Necnon oratoriis locisque sacris.

XV. Quin et oratoriis, sacrisque locis custodes iidem appositi sunt; et incruenti sacrificii tempore Christianis assistunt, eorumque preces, ac vota Deo repræsentant, ac vicissim divinam ad eos gratiam, ac beneficentiam reportant*, In Jacobi Apostoli *Liturgia*, « Christus Deus noster progreditur, ut immoletur, ac detur in cibum fidelibus. Ipsum autem antecedunt Angelorum chori cum omni Principatu, et Potestate, Cherubimi multoculi, et Seraphim sex alarum, facies velantia, et cum clamore clamantia hymnum [d]. » Ambrosius in commentariis *ad Lucam*, « Non dubites, inquit, assistere Angelum, quando Christus assistit, quando Christus immolatur. » Sed egregius est Joannis Chrysostomi locus homilia tertia *de Incomprehensibili Dei natura* ; in quo divinorum mysteriorum tempore pro hominibus ait intervenire Angelos sanctos : « Sic, inquit, et Angeli tunc pro ramis oleaginis, ipsum corpus Dominicum prætendentes, Domino supplicant pro humana natura, ita fere loquentes : Pro his oramus, quos ipse prior sic amare dignatus es, ut vel animam pro ipsis impenderes, pro his supplicationes effundimus, pro quibus sanguinem effudisti; pro his rogamus, pro quibus corpus hoc sacrificasti [e]. » Hic ille est Angelus orationis, cujus Tertullianus meminit in libro

a Greg. Nazianz. orat. xxxii. Πρὸς δὲ τοὺς ἐφεστῶτας ἀγγέλους· πεῖθομαι γὰρ ἄλλους ἄλλης προστατεῖν ἐκκλησίας, ὡς Ἰωάννης διδάσκει μὲ διὰ τῆς ἀποκαλύψεως.

b Basil. *in Isa.* Οἱ γὰρ ἅγιοι ἄγγελοι οἱ τῶν ἐκκλησιῶν τὰς προστασίας πεπιστευμένοι. Id. ep. cxci. Καὶ ὁ ἄγγελος ὁ τῆς ἐκκλησίας ἔφορος συναπῆλθεν ἡμῖν.

c Nazianz. orat. xxxii. Χαίρετε ἄγγελοι τῆς δὲ τῆς ἐκκλησίας ἔφοροι.

d Jacobi *Liturg.* Ὁ γὰρ βασιλεὺς τῶν βασιλευόντων, καὶ κύριος τῶν κυριευόντων, Χριστὸς ὁ θεὸς ἡμῶν προέρχεται σφαγιασθῆναι, καὶ δοθῆναι εἰς βρῶσιν τοῖς πιστοῖς. προηγοῦνται δὲ τούτου οἱ χοροὶ τῶν ἀγγέλων μετὰ πάσης ἀρχῆς, καὶ ἐξουσίας, τὰ πολυόμματα Χερουβὶμ, καὶ τὰ ἐξαπτέρυγα Σεραφὶμ, τὰς ὄψεις καλύπτοντα, καὶ βοῶντα τὸν ὕμνον.

e Chrys. Οὕτω δὴ καὶ οἱ ἄγγελοι τότε ἀντὶ κλάδων ἐλαιῶν αὐτὸ σῶμα τὸ δεσποτικὸν προτεινόμενοι τὸν δεσπότην παρακαλοῦσιν ὑπὲρ τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως, μονονουχὶ λέγοντες, ὅτι ὑπὲρ τούτων δεόμεθα, οὓς αὐτὸς φθάσας οὕτως ἀγαπῆσαι κατηξίωσας, ὡς τὴν ψυχὴν ἐπιδοῦναι τὴν σεαυτοῦ. ὑπὲρ τούτων ἐκχέομεν τὰς ἱκετηρίας, ὑπὲρ ὧν τὸ αἷμα ἐξέχεας. ὑπὲρ τούτων παρακαλοῦμεν, ὑπὲρ ὧν τὸ σῶμα τοῦτο κατέθυσας.

* Sic et *Pseudo Clemens Constitutionum* Apost. lib. VIII cap. IV ordinationem Episcopi quæ fiebat in Ecclesia, docet factam, non modo præsente Spiritu sancto, sed etiam omnibus sanctis et administratoriis spiritibus, παρόντος

1 Lib. XVII *Mor.* c. VII et VIII.— 2 In I Par. qu. CXIII, a. 8.— 3 Phot. cod. 277 estque tom. V Chrys.— 4 Hom. XX *in Num.* — 5 Hom. XIII in *Luc.* et Hom. XXIII. — 6 Libr. II, in *Luc.* — 7 In cap. VII. *Mich.* et in XVIII *Matth.* — 8 In *Psalm.* CXXXI.

de Oratione, capite duodecimo. Et Basilius, « Assistunt, inquit, verba describentes sancti Angeli[a]. » Nota illa historia, quam Josephus in libro septimo capite duodecimo, vel trigesimo primo capite libri sexti *de Excidio* narrat, paulo ante cladem Hierosolymitanæ urbis, ac templi, auditam esse vocem, « *Migremus hinc* ; quam cœlestium fuisse virtutum ex templi adytis erumpentium » interpretatur Hieronymus [1]; qui id tamen ad tempus Dominicæ passionis interdum refert, alias autem, et verius ad excidium Templi. Nam, quod ad Passionem attinet Christi, veli scissio eamdem illam Angelorum tutelarium abitionem portendit, ut Hilarius putat in canone postremo *ad Matthæum* : « Veli, inquit, honor cum custodia Angeli protegendis aufertur. »

CAPUT IX.

De cultu et veneratione Angelorum. Præstentne homines Angelis, an Angeli hominibus ; de quo variant sententiæ. Quatenus Angelos fas sit colere. Λατρεία, *sive cultus uni debitus Deo, nec Angelis deferendus. Licere tamen illos venerari, et templa in honorem ipsorum statuere. Cur ab Joanne adorari noluit Angelus.*

I. De Angelorum meritis in humanum genus satis multa diximus ; nunc de hominum in illos officiis saltem pauca delibanda sunt, ut eos vicissim remuneremur grati hoc animi testimonio, et illorum prædicanda, ornandaque dignitate. Hanc vero disputationem, ut et ne infinite pateat, et intra theologicæ quæstionis modum contineatur, circumscribemus hoc honoris genere, quod illorum curæ in homines, et providentiæ, gubernationique respondet, de qua paulo ante disseruimus. Id est autem cultus imprimis, ac veneratio ; tum eorum invocatio, appellatioque, tanquam mediatorum, et inter Deum ac nos interpretum ; quod utrumque catholica tuetur, ac frequentat Ecclesia ; hæretici vero, præsertim hac ætate, pessime interpretantur, dum unius, singularisque Dei, et unici perinde mediatoris Christi majestatem, et auctoritatem deteri hoc in illos obsequio jactitant, et esse nos affines idololatriæ, ac gentilium, et quorumdam etiam hæreticorum superstitioni sæpius inculcant. Contra quem hostium insultum, impressionemque minime sane formidabilem, armari tamen theologum nostrum, et imparatum non esse convenit ; maxime cum hoc telo contra Catholicos non utantur ii solum, qui imperiti, et contempti jacent in illorum partibus, et *in idololatriam*, ut vocant, *Papistarum* ad ravim usque declamantes apud imperitam concionem sese venditant, verumetiam politiores quidam ex illa secta, et humanitatis artibus exculti, idem de hoc more colendorum Angelorum judicium præ se ferant. Ut qui nuperrime *de Origine, et progressu Idololatriæ* commentarium uberem edidit, qui hoc argumentum attigit, et mihi ut hoc loco dicendum de eo putarem aliquid, occasionem dedit *.

II. Quod priusquam aggredior, universe de Angelorum dignitate, ac præstantia, quorumdam veterum falsa redarguenda est opinio, qui partim natura, partim etiam gratia homines Angelis antecellere dixerunt. Tertullianus in libro secundo *contra Marcionem*, capite octavo, ita sentit in hæc verba : « Nam, etsi Angelus, qui seduxit ; sed liber, et suæ potestatis, qui seductus est, sed imago, et similitudo Dei, fortior Angelo ; sed adflatus Dei generosior spiritu materiali, quo Angeli constiterunt. *Qui facit* [2], inquit, *spiritus Angelos, et apparitores flammam ignis.* Quia nec universitatem homini subjecisset infirmo dominandi, et non potiori Angelis, quibus nihil tale subjecit. » Quo in loco tria complexus est argumenta, quibus hominem Angelo præstare probat ; quod et imago est ac similitudo Dei ; quod Angelo non convenit : quod ex Dei afflatu infusus est illi vitæ spiritus, Angelus vero crassiore ex spiritu constet : quod denique principatus homini, ac dominatus in hunc mundum attributus est. Huic etiam opinioni sunt affines illi, qui corpora-

Cens
Tertul
nus hon
præst
Ange
qui
refelli

a Basil. *in Psal.* xxviii. Ἐστήκασιν γὰρ οἱ ἀπογραφόμενοι τὰ ῥήματα ἅγιοι ἄγγελοι.

δηλαδὴ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, καὶ πάντων τῶν ἁγίων καὶ λειτουργικῶν πνευμάτων. Quem in locum vide quæ congessit vir doctissimus J. B. Cotelerius. Consulendi etiam interpretes ad I *Corinth.* xi, 5. T. AL.

* Intelligit Petavius Joannem Gerardum Vossium qui anno 1641 edidit opus aliquoties in Germania et apud Batavos recusum, *de Theologia gentili et physiologia christiana, sive de origine ac progressu idololatriæ.* T. A. L.

1 Ep. *ad Paul.* et Eustoch. et in cap. lxvi *Esa.*— 2 *Ps.* civ, 4.

tos Angelos esse credunt, cum humanas animas meros spiritus esse censeant. Est enim corpore utique præstantior spiritus. De quo vide, quæ in libro superiore, capite secundo, et tertio dicta sunt.

De afflatu autem illo Dei, quo animatus est homo, agendum erit, cum de mundi opificio disputabitur, ubi et istud explicabimus, cur homo potissimum ad imaginem Dei factus, ac similitudinem dicatur; quod tamen non minus Angelo convenit, imo excellentior quædam est in illo imago divinitatis, ut Gregorius Papa demonstrat in libro XXXII *Moralium*, capite XVIII. Quare extra controversiam esse debet, natura longe præstabiliori Angelos esse præditos, quos idcirco Dionysius in « vestibulo collocatos esse dicit, supersubstantialis Trinitatis [a]. » Ex quo et de gratia eorumdem copiosiore quam concessa sit homini consequens esse plerisque theologis videtur; quod supra a nobis expositum est [1].

Sintne angeli colendi invocandi

III. Nunc illud videndum, sintne colendi ab hominibus, et invocandi. Utrumque negent illi, quos paulo entea nominavi, qui hoc idololatriæ genus esse prædicant; idque partim sacrorum librorum, partim veterum Patrum auctoritate confirmant. Imprimis e Scripturis trita illa, et decantata sæpius ingerunt, *Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies* Tum hoc Apostoli [2] *Iis, qui natura non sunt dii,* serviebatis. Etiam illud epistolæ *ad Colossenses* advocant [3], *Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam, et inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum.* Ac postea [5], *Nemo vos seducat volens in humilitate et religione Angelorum, quæ non vidit ambulans frustra inflatus sensu carnis suæ.* Ad hæc Angelus Joannem adorare se volentem prohibuit [6]: *Ne feceris* inquit, *conservus tuus sum.* Hic Scripturæ testimoniis evertere conatur Angelorum cultum nuperus ille scriptor libri *de Origine idololatriæ.*

Angelorum cultus non est idololatria.

Verum hujus argumenti fractum, ac languentem impetum nullo declinamus negotio, cujus uti teli assiduo jactu, et umbonis ferrei repercussione hebetata jam est acies et retusa. Repellat hoc vice nostra magnus Augustinus, qui totum illum locum de cultu, ac veneratione Sanctorum, inque his Angelorum, graviter, copioseque pertractavit [7]. Nam adversus Faustum Manichæum itidem, ut hodie fit ab adversariis, cultum martyrum Catholicis exprobrantem, et ad invidiam superstitionis profanæ trahentem, disputans, « Colimus, inquit, matyres eo cultu dilectionis, et societatis, quo et in hac vita coluntur sancti homines Dei, quorum cor ad talem pro Evangelica veritate passionem paratum esse sentimus. Sed illos tanto devotius, quanto securius post certamina superata: adeo ut sacrificia quoque Deo in illorum memoriam, non ipsis tamen offerantur, sed Deo, etc. At vero isto cultu, quæ Græce latria dicitur, Latine uno verbo dici non potest, cum sit quædam proprie divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum. Cum autem ad hunc cultum pertineat oblatio sacrificii, unde idololatria dicitur eorum, qui hoc etiam idolis exhibent; nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus vel cuiquam martyri, vel cuiquam sanctæ animæ, vel cuiquam Angelo. » Hunc eumdem cultum soli debitum Deo, qui λατρεία vocatur, distinguit et libro *contra Sermonem Arianorum,* capite XXIX, et epistola LXVI tum in libro primo *Quæstionum supra Genesim*, quæstione LXI. *Latria.*

Latriæ cultus soli Deo exhibitus, nec angelis deferendus.

IV. De hujusmodi cultu, ac λατρεία Mosem loqui, Augustinus, aliique Veteres recte viderunt, consentientibus Hebræis. Nam Hebraica vox עבורה, cum ad religionem adhibetur, sacrificium proprie significat, et similem ritum, qui soli convenit Deo. Sic Aben Hezra verba illa interpretatur capitis XX *Exodi* [b], *Non adorabis ea, neque coles*, quæ posteriores duæ voces sic Hebraice leguntur ולא תעברם, *Et non coles, vel non servies eis*; quæ ille sic enarrat, « Ad sacrificandum, vel adolendum incensum eis omnino [c]. »

Nihil ergo Catholicæ causæ divinum illud obest interdictum, cum Angelos nemo cultu illo dignetur, qui est divinitatis proprius, sed longe inferiori, qui sanctis etiam post mortem hominibus multo major, quam viventibus impendi debet, uti contra Faustum dicit Augustinus; qui in libro X *de Civitate Dei* enucleatius hunc locum explicat, adversus

a Dion. cap. v *de Div. nom.* Καὶ οἷον ἐν προθύροις τῆς ὑπερουσίου τριάδος ἱδρυμέναι πρὸς αὐτῆς.

b Exod. XX, 5. Οὐ προσκυνήσεις αὐτοῖς, οὐδὲ μὴ λατρεύσεις αὐτοῖς.

c Aben. Hez. לדבוח ולהקטיד בכלל.

1 Lib. I *de Ang.* cap. XVI. — 2 *Deut.* cap. VI, 13 et cap. X, 28 *Matth.* IV, 10. — 3 *Gal.* IV, 8. — 4 *Col.* 2, 8. — 5 *Col.* 2, 8. — 6 *Apoc.* XIX, 10 et XXII. 9. — 7 Aug. lib. XX *cont. Faust.* cap. XXI.

dæmonum cultores gentiles, et Platonicos disserens, « qui multos Deos colendos ita putaverunt, vel putari voluerunt, ut etiam quidam eorum dæmonibus divinos honores sacrorum, et sacrificiorum deferendos esse censerent. » Quod vero « ad immortales, ac beatos in cœlestibus sedibus, dominationibus, principatibus, potestatibus constitutos attinet, negat placere eis, ut sibi sacra faciamus, et sacrificemus, etc. Hic est enim divinitati, vel si expressius dicendum est, deitati debitus cultus, » quam latriam mox vocari asserit.

Sic Eusebius Cæsariensis in libro tertio *de Demonstratione Evangelica*, de angelicis Virtutibus scribit, « eas nos agnoscere, et honorare doctos esse pro dignitatis illarum modo ita, ut soli omnium regi Deo summi cultus honor attribuatur[a].»

V. Sed eximie purgavit hanc, ut olim gentilium, sic hæreticorum modo calumniam, et ab catholica propulsavit Ecclesia Cyrillus Alexandrinus adversus Julianum scribens, illa eadem contra cultum Martyrum Christianis objicientem quæ et contra Angelos valere debent si, quid habent virium; nempe pro uno plures ab iis coli, adorarique Deos. Hoc vero Cyrillus eodem, atque Augustinus, et nos hodie Catholici, modo diluit: « Porro sanctos, ait, martyres neque Deos esse dicimus, nec adorare consuevimus, nimirum latriæ cultu, sed relative tantum, et honorandi more vel potius supremis illos honoribus coronamus, ut qui pro veritate generose certaverint[b].» Tum postea: «Nos autem non Deos fuisse sanctos affirmamus martyres, sed eos omni veneratione prosequi solemus et eorum loculos honoramus[c].» Hæc ille post Platonis citatum testimonium, qui cives honesta, et gloriosa morte perfunctos pro dæmonibus habendos, et colendos esse decrevit. eorumque loculos adorandos. Quod gentilis superstitionis exemplum nihil aut Christianos deterruit, quominus citra summum, et uni concessum Deo, similem aliquem cultum gloriosa pro Christo morte functis adhiberent, aut Cyrillum, quominus istum ipsum auctoritate, et sententia probaret sua. Quem imperiti non minus, quam profani hæretici damnare hoc tempore non verentur, et Juliano, impiisque cæteris assentiri potius, quam Ecclesiæ, et catholicæ omni vetustati. Sed de sanctorum hominum cultu erit alius disputandi locus aptior. Ad Angelos ut revertar, vides, quatenus ex Cyrillo, et Augustino fas sit eos adorare, atque colere; nempe ut non λατρευτικῶς, et *Latriæ c* divino ritu veneremur, hoc est, ut illis sacrificemus, templa iis, tanquam diis, exstruamus, et alia tribuamus, quæ nonnisi uni, ac vero Deo debentur.

VI. De iisdem Angelis proprie disserens Augustinus, hoc, quod dico, insigniter ostendit. « Nonne, si templum, inquit[2], alicui sancto Angelo excellentissimo de lignis, et lapidibus faceremus, anathematizaremur a veritate Christi, et ab Ecclesia Dei, quoniam creaturæ exhiberemus eam servitutem, quæ uni tantum debetur Deo? Si ergo sacrilegi essemus faciendo templum cuicumque creaturæ, quomodo non est Deus verus, cui non templum facimus, sed nos ipsi templum sumus? » Quem ad locum Erasmus, puto, adnotavit in margine: « Hoc nunc fit quibuslibet divis;» quasi in catholica *divis*, hoc est *Sanctis* ipsis proprie consecrentur, et non Deo potius in memoriam, honoremque Sanctorum. Quemadmodum Manichæis respondet Augustinus idem Catholicis exprobrantibus in libro *contra Faustum* XX, capite XXI. « Populus, inquit, christianus memorias martyrum religiosa solemnitate concelebrat; et ad excitandam imitationem, ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur; ita tamen, ut nulli martyrum sed ipsi Deo martyrum sacrificemus, quamvis in memorias martyrum constituamus altaria. » Vide et sermonem CL *de Diversis* tomo X.

De hoc λατρείας cultu, quem sancti Angeli *Latria* impendi sibi minime patiuntur, sed uni Deo procurant, agit Cyrillus Alexandrius libro IV *contra Julianum*. Et Theodoretus oratione tertia *contra Græcos*. « Neque, inquit, Deos illos nominamus, neque divinum iis tribuimus cultum neque in eum, qui vere Deus est, et istos divinam adorationem partimur[d]*.

a Euseb. Ἂς δὴ γνωρίζειν, καὶ τιμᾶν, κατὰ τὸ μέτρον τῆς ἀξίας ἐδιδάχθημεν, μόνῳ τῷ παμβασίλει Θεῷ τὴν σεβάσμιον τιμὴν ἀπονέμοντες.

b Cyrill. lib. VI *contra Jul.* Τούς γε μὴν ἁγίους μάρτυρας οὔτε θεοὺς εἶναί φαμεν· οὔτε προσκυνεῖν εἰθίσμεθα λατρευτικῶς, ἀλλὰ σχετικῶς, καὶ τιμητικῶς. στε-

φανοῦμεν δὲ μᾶλλον ταῖς ἀνωτάτω τιμαῖς, ὡς τῆς ἀληθείας γενναίως ὑπεραθλήσαντάς.

c Idem. Ἡμεῖς δὲ, ὡς ἔφην, οὐ θεοὺς γενέσθαι φαμὲν τοὺς ἁγίους μάρτυρας, αἰδοῦς δὲ ἁπάσης ἀξιοῦν εἰθίσμεθα, καὶ τιμῶμεν αὐτῶν τὰς θήκας.

d Theodoret. Οὐ μὴν θεοὺς τούτους ὀνομάζομεν,

* Mirum excidisse Petavio luculentissimum pro Angelorum cultu Justini Martyris testimonium *in Apol.* I uti et

1 Aug. lib. X *de Civ.* cap. 1.— 2 Aug. lib. I *cont. Matth.*

a ratione
Angelus
Apocal.
adorari
oluerit,

VII. Cur autem in *Apocalypsi* Joannem adorare se volentem prohibuerit Angelus, varie ab antiquis causa redditur. Augustinus pro Deo se adorari vetuisse significat in libro XX *contra Faustum* cap XXI, et in sermone CI *de Diversis*, capite VIII. Et in libro primo *Quæstionum*, quæstione LX *in Genesim*, cum dixisset, non quamcumque adorationem prohiberi nos creaturis deferre, sed eam solum, quæ λατρεία vocatur; mox, « Nec moveat inquit, quod alio loco in quadam Scriptura prohibet Angelus hominem adorare se, et admonet ut Dominus potius adoretur. Talis enim apparuerat Angelus ut pro Deo posset adorari, et ideo fuerat corrigendus adorator; et Athanasius oratione tertia *adversus Arianos*. Quibus assentitur S. Thomas [1], qui et aliam affert rationem, eamque duplicem; « tum ad ostendendam dignitatem hominis, quam adeptus est per Christum, ut Angelis æquetur; unde ibi subditur : *Conservus tuus sum, et fratrum tuorum*, tum etiam ad excludendam idololatriæ occasionem, unde subditur : *Deum adora.* » Ambrosii commentarius priorem de duabus his postremis amplectitur [2] : « Redemptio, inquit, sanguinis Christi hoc fidelibus contulit, ut filii Dei, sociique Angelorum efficerentur. Ideoque pertimescit Angelus adorari ab homine, qui super se adorabat hominem Deum. »

Egregie item Gregorius Magnus in homilia VIII *in Evangelia* ad eumdem sensum, « Angeli, inquit, quos prius infirmos, abjectosque despexerant jam socios venerantur. Hinc est enim, quod Loth, et Josue Angelos adorant, nec tamen adorare prohibentur; Joannes vero in *Apocalypsi* sua adorare Angelum voluit; sed tamen idem hunc Angelus, ne se debeat adorare, compescuit, » etc. quæ Ambrosianis illis similia sunt. Non igitur quælibet adoratio ab cultu Angelorum abjudicatur, aliorumve sanctorum, sed ea duntaxat, quæ summæ majestati debetur. Cujusmodi Joannes ei, quem terribili cum splendore apparentem sibi videbat, Angelo tribuere voluit, cum quidem Deum ipsum, Christumve esse suspicaretur : aut subito, ac majori quodam horrore perculsus, non cogitato id, ac meditato tentaret facere, (potest enim ea causa videri verisimilis) vel denique, quod et communem cum Christianis cæteris, et propriam apostolici, ac prophetici nominis excellentiam in Joanne suspiciens, ab tali, tantoque viro se demisse adeo coli vetuerit, quem exæquatum sibi esse sentiebat. Tot nobis eludendi istius argumenti rationes antiquorum Patrum suppeditavit industria *.

CAPUT X.

De invocatione Angelorum. Refelluntur adversariorum argumenta, quibus illam oppugnare student. De mediatore; et quatenus Christus unus sit mediator. Angelos tamen, et sanctos mediatores esse secundi ordinis. Audiri ab his orationes fidelium. Explicatur Apostoli locus ad Colos. II *qui Angelorum religionem vetat; tum Laodicenus canon* XXXV. *Theodoretus ab erroris invidia vindicatur.*

1. Nunc de Angelorum invocatione disputandum; quam qui improbant, partim generali, communique cum sanctis omnibus, partim Angelorum propria ratione nituntur. Sed qui universe implorandos esse sanctos non putant, non valde sunt acuti, nec aliud, nisi vulgare istud, ac detritum adferunt; *Unum esse mediatorem Dei, et hominum hominem Jesum Christum* [3].

Refelluntur argumenta adversus Angelorum invocationem.

Sed, si interdici penitus aliorum omnium invocatione, præterquam Christi, verbis illis existimant ne sequestri, ac mediatori unico fiat injuria, vehementer errant. Siquidem viventium hominum preces pro se, aliisque sæpe Apostolus implorat, eosque *mediatores* utique apud Deum, et interpellatores adhibet; tum vicissim ipse pro illis orationes suas, et eamdem mediatoris operam pollicetur. Quid enim aliud, quam *mediatores* pro se Romanos esse vult, cum sic illos rogat : *Obsecro ergo vos, fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum, et per charitatem Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus pro me ad Deum* [4]? Aut cum *ad Corinthios* scribit sic : *In quem speramus* [5],

οὐδὲ θεῖον αὐτοῖς ἀπονέμομεν σέβας, οὐδὲ μερίζομεν εἰς τὸν ὄντα θεὸν, καὶ τούτους τὴν θείαν προσκύνησιν· ἀλλὰ τούτους τιμιωτέρους μὲν ἀνθρώπων, ὁμοδούλους δὲ εἶναί φαμεν.

Athenagoræ alterum. Utrumque diligenter explanant Maurini S. Justini Editores in præfatione p. 11 cap. IV.

* De hoc Testimonio uberius disputat Cornelius a Lapide in eum *Apocalypsis* locum, et Trombellius *de Cultu Sanctorum* tom. I p. 1 diss. IV cap. X. Z.

1 In II, II, qu. LXXXIV, art. 1. — 2 Ad cap. XIX. — 3 I *Timoth.* II, 5. — 4 *Rom.* XV, 30. — 5 II *Cor.* I, 11.

quoniam et adhuc eripiet, adjuvantibus et vobis in oratione pro nobis, etc. Tum *ad Philemonem*[1]*: Spero, inquit, per orationes vestras, donari me vobis.* Ubi et spem in hominis oratione constituit.

Sancti vivunt semper.

II. Atenim viventium preces, et advocationes persequi minime prohibemur, sed mortuorum duntaxat. Primum quis sanctos esse mortuos dicere audeat? Christus certe vivos esse prædicat[2], mortuos haberi vetat, ut Abraam, Isaac, et Jacob: *Non enim est Deus mortuorum, sed viventium.* Sane Augustinus in tractatu ad *Psal.* LXXVII ad hæc, *Coram patribus eorum fecit mirabilia*, etc. « ubi dicit, ostendisse Deum istis mirabilia coram patribus eorum, » ita scribit: « An forte spiritu præsentes erant? quia de ipsis Dominus in Evangelio ait: *Omnes enim illi vivunt*[3].» Ambrosius item et vivere sanctos, et orantes exaudiri docet his verbis: « Non mediocre etiam dogma, quod ait: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me*[4]*;* quia Deus justos suos audit etiam mortuos, quoniam Deo vivunt. Et merito pro viventibus habentur, quia etiamsi corporis gustaverint mortem, vitam tamen incorpoream capiunt, et illuminantur suorum splendore meritorum, luce quoque fruuntur æterna. » Licebit ergo Sanctos appellare, et eorum uti intercessione, si vivos implorare permittitur. Deinde, si propterea sanctorum uti patrocinio, et eos invocare non licet, quoniam unicus mediator est Christus, cui fit injuria, si quis præter illum convenitur alius; profecto sive vivus adhuc is sit, sive jam excesserit e vita, par est sacrilegii forma ad illum tanquam *mediatorem* confugere. Ut enim, quoniam latriæ cultu nefas est alium venerari, quam Deum, in eadem est causa, parique scelere constringitur, qui aut vivum, aut mortuum quempiam honore illo afficit, nec ibi discrimen illud vivi, atque mortui locum habet; ita, si in totum mediatorem omnem, præter Christum, Apostolica illa sententia resecat, non magis viventem in corpore, quam cum Christo regnantem invocare conceditur. Quod si dicto illi Apostolico interpretationis aliquid adjungere coguntur ipsi, ne vel a suis irrideantur, ac damnentur; cur nos ea prohibent uti, quam, ut in adoratione, sic in invocatione sanctorum, Augustinus, cæterique Patres tum expressa verborum, tum tacita usus, et exempli sui auctoritate sanxerunt? Enimvero mediator unus est, itidem ut magister unus[5], Christus, ut Pater, Deus; neque tamen qui hoc in Evangelio legunt, prohiberi se putant, quominus magistros, et patres alios nominent.

Sanctos in terris invocare licet, pari ratione et in cœlis degentes.

III. Ac Scriptura passim ostendit, Angelos sanctos, ut de hominibus modo nihil dicam, quod alias fiet opportunius, medios se inter Deum, et homines interponere, ut horum ad illum necessitates, vota, et desideria, et illius ad hos beneficia, commodaque perferant. Cujus in Vetere Testamento frequentissima sunt exempla; quibus non utor, ne hoc dicat forte quispiam, nondum unicum illo constitutum tempore fuisse *mediatorem Dei, et hominum Christum Jesum*[6]. Illud ex Novo duntaxat proferam, quod superiora capita docuerunt, unicuique, saltem fidelium, suum a Deo custodem datum esse Angelum, qui iis consulat, et mediatoris officio fungatur, dum et commissi sibi quisque commoda, utilitatesque procurat apud communem Dominum, et ejus orationes eidem repræsentat, et peccatorum veniam, cœlestemque gratiam suis et ipse precibus vicissim conciliat. Nihil enim aliud Christi verba illa significant, quibus ab contemptu, et injuria parvulorum absterrere nos voluit: *Videte ne contemnatis unum de pusillis istis, qui credunt in me; quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est*[7]. Nam quorsum ista ratio pertinet, ut ideo temperetur ab lædendis parvulis, quod Angeli eorum Deum coram assidue contuentur, nisi illud intelligatur, curæ iisdem esse pro custodiæ munere, ut apud Deum pro illis intercedant? Hoc modo locum hunc Hilarius enarravit. « Angeli, inquit, pusillorum præsunt fidelium orationibus. Præesse Angelos, absoluta auctoritas est. Salvatorum igitur per Christum orationes Angeli quotidie Deo offerunt. Ergo periculose ille contemnitur, cujus desideria, ac postulationes ad æternum, et invisibilem Deum ambitioso Angelorum famulatu, ac ministerio pervehuntur. »

Angeli mediatores secundari

Patrum de re sententia

IV. Idemque sensus fuit et aliorum Patrum, quorum auctoritate supra tutelam, ac patrocinium angelicum asseruimus; neque quidquam insitum magis est Christianorum omnium animis, quam istud, interpellare pro nobis Angelos Deum, ac medios et velut

1 Com. XXII. — 2 *Matth.* XXII, 23. — 3 *Luc.* XX, lib. II *de Abel, et Cain*, cap. IX. — 4 *Gen.* IV, 10. — 5 *Matth.* XXIII, 9, 10. — 6 I *Timoth.* II, 5. — 7 *Matth.* XVIII, 10.

sequestres apud Deum intervenire. Quod illi si reipsa faciunt, ac mediatorum partes sponte suspiciunt iidem isti, qui adorari se, et unius Dei proprio cultu affici vetuerunt; non est igitur mediatoris officium soli peculiare Christo, nec ejusmodi, quale ab Calviniana fæce jactatur; cui nemo eruditus, ac politus assentiri malit, quam ei, cujus usum, ac notitiam habeat, Christianæ, doctæque vetustati. Deinde, quam ultro illi fidelibus navant operam, cur non optare ab ipsis fas erit? Quod si eam desiderare licet, cur non et ab iisdem postulare? Quod quidem imploratione, et invocatione fit. Nam, quod optare mihi, ac sperare de aliquo permittitur, id etiam ab eo fas est petere; ac vicissim quidquid postulare nefarium est, hoc ne sperare quidem, ac desiderare convenit.

Augustinus in epistola CXXI, capite IX, mediatorum officio fungi erga nos Angelos affirmat eo ipso, quod preces nostras « offerant Deo, et de his consulant, et quod eo jubente implendum esse cognoverint, sicut oportere ibi cognoverint, hoc nobis vel evidenter, vel latenter apportent. *Dixit enim Angelus homini : Et nunc quando orabas tu, et Sara, ego obtuli orationem vestram in conspectu caritatis Dei*[1]. » Et alibi[2] : « Putamus, quam dulce est, quando vota nostra talia, qualia dixi, Angeli, qui custodes vitæ nostræ sunt, ante conspectum divinæ majestatis obtulerint? » Atque idem insuper exaudire nos ait Angelos, utique invocantes, et ad se, tanquam mediatores, preces allegantes : « Nam et cum exaudiunt, inquit[3], Angeli ejus, ipse in eis exaudit, tanquam in vero, non manufacto templo, sicut in omnibus sanctis ejus, quæ temporaliter fiunt jussa, æterna ejus lege conspecta. » Severianus Gabalitanus oratione prima *De mundi opificio*, dicit Angelos ad Deum omnia referre, non ut quasi « ignarum doceant, sed ut ordinem hunc ministrandi inter creatas res impleant. [a]»

V. Ad hanc veritatis, et antiquæ professionis regulam exigendum est, quod auctor incertus commentariorum in epistolas Pauli inter Ambrosii opera editus, de hoc argumento scripsit. Nam gentiles arguens, qui, cum unum, ac summum Deum ex mundi operibus agnovissent, plures tamen instituerunt colere, « Solent tamen, inquit, pudorem passi neglecti Dei misera uti excusatione, dicentes, per istos posse ire ad Deum, sicut per comites pervenitur ad regem. Age, numquid tam demens est aliquis, aut salutis suæ immemor, ut honorificentiam regis vindicet comiti, cum de hac re si qui etiam tractare fuerint inventi, jure ut rei majestatis damnentur? Et isti se non putant reos, qui honorem nominis Dei deferunt creaturæ, et, relicto Domino, conservos adorant, quasi sit aliquid plus, quod reservetur Deo. Nam et ideo ad regem per tribunos, aut comites itur, quia homo utique est rex, et nescit, quibus debeat rempublicam credere. Ad Deum autem, quem utique nihil latet (omnium enim merita novit) promerendum, suffragatore non opus est, sed mente devota. Ubicumque enim talis locutus fuerit ei, respondebit illi. » Hæc adversus philosophos illos, maxime Platonicos valent, qui veros, ac primores Deos cum hominibus misceri non putabant, aut cum iis ullum habere commercium; sed necessario adhibendos velut interpretes, et internuntios dæmones, ut in primo libro, cap. I diximus. At eo modo, quem fides Catholica præscribit, possunt ad Deum precatores allegari, et conciliatores Angeli, non sine quibus aditus nobis ad Deum nullus patet, sed a quibus exorari se, interpellarique vult, et facilius indulget quidquid ab nobis petitur. Dabo hujus rei testem non ementiti nominis, sed verum Ambrosium.

VI. Qui in libro *de Viduis* ita scribit: « Obsecrandi sunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præsidium dati sunt; martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vendicare. Possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine etiam, si qua habuerunt peccata, laverunt. Isti enim sunt Dei martyres, nostri præsules speculatores vitæ, actuumque nostrorum. Non erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere; qui et ipsi infirmitatem corporis, etiam cum vincerent, cognoverunt[4]. Invenit ergo Petri socrus, qui pro se rogarent. Et tu vidua invenis, qui pro te supplicent. » Hic Ambrosius et Angelos,

a Sever. Ὥσπερ γὰρ ἀπὸ τῶν ἀναφόρων οἱ ἄρχοντες τῷ βασιλεῖ πάντα μηνύουσιν· οὕτω καὶ οἱ ἄγγελοι τῷ θεῷ πάντα τὰ γινόμενα, οὐκ ἀγνοοῦντα διδάσκοντες, ἀλλὰ τὴν λειτουργικὴν τάξιν τῆς δημιουργίας πληροῦντες.

1 *Tob.* XII, 12. — 2 Tom. X, serm. VII *de Temp.* — 3 Lib. X *de Civit*, cap. XII. — 4 *Luc.* IV.

et martyres obsecrandos, ac tanquam mediatores, et intercessores adhibendos esse præcipit; ut sic pro nobis orent, quomodo pro Petri socru febriente Christum qui tum aderant precati sunt : atque insuper eosdem esse dicit martyres vitæ, actuumque nostrorum speculatores, quod est, rerum nostrarum non ignaros esse. Quæ omnia in catholico dogmate displicere solent Ecclesiæ hostibus. De martyribus *mediatoribus* eximium est et illud Prudentii in *Hymno* primo περὶ στεφάνων. *De coronis.*

« Fama nam terras in omnes præcucurrit [proditrix,
Heic patronos esse mundi, quos precantes [ambiant. »

Et paulo post,

« Tanto pro nostris periclis cura suffragan- [tium est,
Non sinant inane ut ullus voce murmur fu- [derit.
Audiunt, statimque ad aurem regis æterni [ferunt. »

VII. Sed de Sanctis in Christo mortuis, et universe de hac *mediatorum*, et *intercessorum* controversia non est instituti agere hoc loco; id enim alias suscipietur. Et alioqui plena sunt veterum monimenta testimoniis, et exemplis istiusmodi, præsertim eorum, qui ad concionem verba fecerunt, ut Ambrosii, Augustini, Zenonis Veronensis, Chrysologi, Gregorii Nazianzeni, et Nysseni, Basilii, Chrysostomi; aliorumque sexcentorum, qui pro se, aliisque Sanctos cum Christo regnantes invocarunt, ac mediatores, intercessoresque tum ipsi ad Deum allegarunt, tum populum Christianum, idem ut facerent, hortati sunt. Quod eorum immane scelus, ac sacrilegium fuisset, si nefas esset, et idololatriæ proximum, mediatore uti alio, præterquam Christo, aut sanctos invocare, sive Angelos, sive Angelorum mortales similes; quemadmodum nullus illorum ad eosdem sanctos pari, ac Deum cultu venerandos incitavit, vel deorum, quos gentiles adorabant, instar habendos. Multum itaque distant hæc invicem, invocare Angelos, et eos adhibere mediatores apud Christum, et Deum, et pro Diis eos habere, vel exæquare cum Christo. Qui, quod *unus mediator* ab Apostolo nominatur, non excludit cæteros ei tanquam primario subjunctos, et ab illo suspensos, ejusque vi, ac virtute subnixos : « Homines omnes Christiani (ait Augustinus libro II, cap. VIII. *contra Parmenianum*) invicem se commendant orationibus suis. Pro quo autem nullus interpellat, sed ipse pro omnibus, hic unus, verusque mediator est. » Nec aliter vox hæc *unus*, vel *solus* intelligi debet, quam mille aliis in locis; in quibus soli Deo aliquid excipitur, quod alibi tamen commune fit pluribus. Ut cum *solùs habere immortalitatem* dicitur [1], solus item lux esse Christus; idque ipsum Joanni Baptistæ tanto, ac tam excellenti viro detrahitur : *Non erat*, inquit, *ille lux*[2]. Et tamen idem ille Christus Apostolis suis, *Vos estis*, ait, *lux mundi*[3], et pleraque similia; quæ, cur hic unius Dei propria dicantur, illic sanctis etiam tribuantur, et obvia ratio est, ac facilis, et usu trita scriptorum, qui contra recentiores præsertim hæreses stylo decertarunt. De qua unum non amplius dictum Augustini hoc loco referam : « Etsi sancti homines, ait in secundo *contra Epistolam Parmeniani*, capite XIV, ut Joannes, secundum quemdam modum dicuntur luminaria; aliud tamen sunt lumina illuminata, aliud lumen illuminans; quod illud est, de quo idem Joannes dicit : *nos omnes de plenitudine ejus accepimus.* » Est ea de re disertus, et elegans Paulini locus in epistola IV. « Sic et honori suo implicans suos, ait de Christo loquens, prope omnia nobis etiam nomina sua communicavit. Ut virtus Dei dicitur, ita et nobis virtus esse dignatur. *Deus enim nostrum refugium, et virtus*[4]. Hæreditas ut illi nos, et ille nobis, » etc. Atque ita pergens, itidem ut ille « lux est, panis, vitis, mons, petra, Dei filius, » etc. sic nos iisdem nominibus, titulisque censeri probat. Sic Augustinus in loco paulo ante citato ex tractatu *in Psalmum* LXXVII tametsi Christus vetuerit [5], patrem nos appellare super terram, nihilominus patres etiam rite vocari homines affirmat.

VIII. Qua de re apposite disserentem hic audiemus Hieronymum : « Nos ab re videtur, inquit [6], breviter perstringere, cur *Deus solus verax*, et *omnis homo mendax*[7] Apostoli voce dicatur. Et, nisi fallor, quomodo solus habere dicitur immortalitatem, cum et Angelos, et multas rationabiles fecerit creaturas, quibus dederit immortalitatem; ita et solus dicitur esse verax, non quod et cæteri non immor-

1 I *Tim.* VI, 16.— 2 *Joan.* I.— 3 *Mat.* V, 14. — 4 *Ps.* XLV, 2.— 5 *Matth.* XXIII, 9.— 6 Hier. in c. 1 ep. *ad Titum*.— 7 *Rom.* III.

tales, et veritatis sint amatores, sed quod ille solus naturaliter sit et immortalis, et verus, cæteri vero immortalitatem, et veritatem ex largitione illius consequantur; et aliud sit verum esse, et quid habere per semet, aliud in potestate donantis esse, quod habeas. »

Ita auctor dialogi primi *de Trinitate*, qui inter opera Athanasii editus est, et est Maximi martyris, causam reddit, cur, cum *nemo bonus, nisi solus Deus* [1], a Christo esse dicatur, idem tamen, *Bonus*, inquit [2], *homo de bono cordis suï thesauro profert bona.* » Nimirum « quoniam Deus non bonitatis participatione bonus est, sed est ipsa bonitas, homo autem bonitatis participatione bonus est [a]. » Sic et Christi vocabulum in Scripturis communicari etiam hominibus observat Cyrillus in encyclica *ad Monachos*: quæ est inter Acta Ephesina.

Angeli et sancti res humanas intuentur.

Sanctos porro tam Angelos, quam homines nosse, et intueri omnia docet insigniter Basilius in libro *De vera virginitate*; ubi dicatam Deo virginem non solum Angelos vereri oportere dicit, sed etiam sanctos, quoniam omnia illi pervident. « Et quid singula, inquit, commemoro, Angelorum infinitas multitudines, cumque his patrum sanctos spiritus? Nam nemo est illorum, qui non ubique contueatur, cum ipse quidem corporis oculis non sit aspectabilis, sed incorporeo aspectu ad notitiam comprehendat omnia [b]. »

Augustinus item sermone XCIV *de Diversis*, capite quinto, de Paulo, et Stephano, « Ambo ibi vos videtis; ambo modo sermonem nostrum auditis, ambo pro nobis orate. »

IX. Quocirca, si hoc maxime catholicæ hostes Ecclesiæ ab invocandis Sanctis absterret, quod preces nostras non audiant, desinant frigida illa se excusatione defendere, quæ in Angelis profecto non valet, quos singulis assistere nostrum, et res nostras procurare Scripturæ fidem faciunt. Itaque illi saltem invocari possunt, et *mediatores* Deum inter et nos adhiberi, eo genere *mediatorum*, quod catholica regula præscribit. Sic enim martyres a Christianis « tanquam ministros quosdam, et legatos postulationum, quas ad Deum concipimus [c], » habitos esse prodidit Eunapius gentilis auctor *in Ædesio*. Absit ergo verbo invidia, et *mediator* absolute cum dicitur, vel « mediator Dei et hominum, » unus intelligatur Christus Dominus. Et Augustinus [3] recte inter utrumque genus distinguit, ut neque sanctos ab intercedendi officio penitus excludat, nec pari cum Christo dignitate censendos esse putet, qui simpliciter, excellenterque *mediator* est; sicut, cum hoc absolute nomen audimus, vel dicimus *Deus*, non alium animo cogitamus, quam summum, ac verum Deum; neque tamen reprehendendus est ille, qui dixit Mosi, *Ecce constitui te Deum Pharaonis* [4]; vel Christus ipse, cum ex Davide sic loquitur: *Ego dixi, dii estis* [5]. Quod idem et de Domini vocabulo, ac reliquis dici poterit.

Sed illum Augustini locum, qui est in secundo *contra Parmenianum*, capite octavo, nobis intentare solent Catholici dogmatis adversarii, tanquam neminem, præter Christum, mediatorem, et advocatum dici, haberive sinat Augustinus. Verum animadvertere illos oportebat, cujusmodi mediatores intelligat in ea disputatione, quam contra Donatistas suscepit. Nimirum quales se esse jactabant istorum episcopi, ut Parmenianus, qui « mediatorem posuit episcopum inter populum, et Deum, » quod ibi refert Augustinus. Etenim sacramenta omnia Christianæ religionis ex ministri conditione valere, Donatistarum hæresis fuit; ut, si ab injusto administrarentur, non modo nihil prodessent, sed etiam obessent, et inquinarent. Itaque merito suo sanctitatem, et fructum sacramentorum iis, quibus ea darant, tribui dicebant, eoque modo inter homines, ac Deum *mediatores*, et conciliatores se esse prædicabant. Quod ex multis libris contra illos scriptis ab Augustino constat. Hic igitur plane hoc sensu negat *mediatorem* esse quemquam, præter Christum Deum et hominem, pro quo nullus interpellat.

X. Rursus Apostolum adversarii nobis

a Ath. dial. I. Ὅτι ὁ θεὸς οὐ κατὰ μετοχὴν ἀγαθότητός ἐστιν ἀγαθὸς, ἀλλ' αὐτός ἐστιν ἀγαθότης· ὁ δὲ ἄνθρωπος μετοχῇ ἀγαθότητός ἐστιν ἀγαθὸς.

b Basil. Καὶ τί λέγω καθ' ἕκαστον, τῶν ἀγγέλων ἀναρίθμητα πλήθη, καὶ μετὰ τούτων τὰ τῶν πατέρων ἅγια πνεύματα; οὐδεὶς γὰρ τούτων ἐστὶν, ὃς οὐχὶ παντα-

χοῦ καθορᾷ, αὐτὸς μὲν σώματος ὄμμασιν οὐχ ὁρώμενος, ἀσωμάτῳ δὲ βλέμματι περιλαμβάνων εἰς γνῶσιν τὰ σύμπαντα.

c Eunap. Μάρτυρες γοῦν ἐκαλοῦντο, καὶ διάκονοί τινες καὶ πρέσβεις τῶν αἰτήσεων παρὰ τῶν θεῶν.

Matth. x, 18. — 2 *Matth.* XII, 34. — 3 Aug. lib. II *cont. epist. Parm.* c. VIII. — 4 *Exod.* VII — 5 *Joan.* x, 34 ex *Ps.* LXXXI, 6.

Locus Apostati Apostoli explicatus.

objiciunt, qui religiosum omnem cultum Angelorum interdixit ita scribens : *Nemo vos seducat volens in humilitate, et religione Angelorum, quæ non vidit ambulans* [a]. Quæ sic vertit Hieronymus in epistola CLI *ad Algasiam*, quæstione decima : *Nemo vos superet volens in humilitate mentis*, etc. Sed ridiculum est, ex illis verbis confici putare, nullum omnino religiosum cultum Angelis esse tribuendum. Non hoc Apostolus voluit. Quid autem voluerit, tutius est, ex antiquorum interpretatione, quam ex suo sibi sensu quemque petere. Hieronymus ille ipse castigari arbitratur eos, « qui credentes ex Judæis in Dominum Salvatorem, Judaicas ceremonias observare cupiebant. » Porro Judæos, « postquam omnis Judaicarum observationum cultura destructa est, quascumque offerunt victimas, non Deo offerre, sed Angelis refugis, et spiritibus immundis. » Quod etiam illos in deserto fecisse, ex *Amos* capite septimo, et *Actorum* itidem septimo demonstrat, ubi *militiæ cœli* serviisse dicuntur : « quæ nunc, inquit, ab Apostolo dicitur religio Angelorum. » Itaque damnat illud Apostolus, quod in capite primo epistolæ *ad Romanos* in gentilibus philosophis arguit, quos ait *servisse creaturæ potius, quam creatori* [b]. Accedit huic expositioni Commentarius Ambrosii.

Falsarum interpretationum.

XI. Melius Chrysostomus, cujus verba omnes παρερμηνειῶν nebulas discutiunt : « Quid sibi, inquit, omnino volunt ista verba? Erant nonnulli dicentes : Non oportet, nos per Christum aditum habere ad Deum, sed per Angelos. Illud enim captum nostrum superat. Hinc Apostolus ubique, quæ de Christo dixerat, inculcare studet : *Per sanguinem crucis illius reconciliati sumus* : Et, *pro nobis passus est* [c]. »

Eadem leges apud Œcumenium ex Photio, necnon apud Theophylactum : « Aiebant, inquit iste, indignum esse majestate Unigeniti, nos ad Patrem adducere, majusque, quam pro humana tenuitate. Unde, inquiunt, rationi magis est consentaneum dicere, Angelos conciliationi nostræ serviisse. Hinc vero cultum Angelorum invehebant, ac simplicioribus persuadebant, ut iis intenderent animum, tanquam iis, qui nos servassent [d]. »

Theodoretus ad eumdem Apostoli locum non abhorret a Chrysostomi sensu. Ait enim, pertinere hæc ad quorumdam hæresim ; « qui tanquam humilitate ducti asserebant, cum invisibilis universorum Deus nec attingi, neque comprehendi possit, oportere per Angelos divinam sibi conciliare benevolentiam [e]. »

Ejusmodi porro Judaicis ritibus assuefactos fuisse dicit, et illud jactitasse, legem per Angelos traditam esse, ac propterea cultu, ac veneratione dignandos videri. Addit præterea, « morbum hunc in Phrygia, et Pisidia hæsisse longo tempore. Cujus gratia synodus apud Laodiceam Phrygiæ oppidum habita, lege vetuit Angelos orare. Et hodieque oratoria sancti Michaelis apud illos, et eorum finitimos videre licet [f]. » Idem repetit in commentario ad caput tertium ; ubi, quod Paulus hortatur [1], *omnia in nomine Domini Jesu facere*, eodem refert, et « Hanc legem, inquit, secuta Laodicena synodus, ut veteri illi morbo remedium afferret, decrevit non esse supplicandum Angelis, neque relinquendum esse Dominum nostrum Jesum Christum [g]. »

Expenditur decretum Laodicense.

a Col. II, 18. Μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω θέλων ἐν ταπεινοφροσύνῃ, καὶ θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων, ἃ μὴ ἑώρακεν ἐμβατεύων.

b Rom. I, 25. Καὶ ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα.

c Chrys. hom. VI. in c. II. epist. *ad Col.* Τί δὲ ὅλως ἐστὶ τὸ λεγόμενον; ἦσάν τινες οἱ λέγοντες, οὐ δεῖ ἡμᾶς διὰ τοῦ Χριστοῦ προσάγεσθαι, ἀλλὰ διὰ τῶν ἀγγέλων. ἐκεῖνο γὰρ μεῖζόν ἐστιν, ἢ καθ' ἡμᾶς. διὰ τοῦτο ἄνω καὶ κάτω στρέφει τὰ ὑπὲρ τοῦ Χριστοῦ λεχθέντα αὐτῷ· διὰ τοῦ αἵματος τοῦ σταυροῦ αὐτοῦ κατηλλάγημεν· ὅτι ὑπὲρ ἡμῶν ἔπαθεν.

d Theophyl. Ἔλεγον γὰρ ὅτι ἀνάξιόν ἐστι τῆς μεγαλειότητος τοῦ μονογενοῦς τὸ προσάγειν ἡμᾶς τῷ πατρὶ, καὶ μεῖζον ἢ κατὰ τὴν ἀνθρωπίνην σμικρότητα. ὅθεν εὐλογώτερον, φασὶν, ἐστι λέγειν, ὅτι οἱ ἄγγελοι ὑπούργησαν τῇ ἡμετέρᾳ προσαγωγῇ· ἐκ τούτου δὲ εἰσῆγον τὴν τῶν ἀγγέλων θρησκείαν, καὶ ἔπειθον τοὺς ἀφελεστέρους τούτοις προσέχειν, ὡς σεσωκόσιν ἡμᾶς.

e Theodor. Τοῦτο τοίνυν συνεβούλευον, ἐκεῖνον γίνεσθαι, ταπεινοφροσύνῃ δῆθεν κεχρημένοι, καὶ λέγοντες, ὡς ἀόρατος ὁ τῶν ὅλων θεὸς, ἀνέφικτός τε, καὶ ἀκατάληπτος, καὶ προσήκει διὰ τῶν ἀγγέλων τὴν θείαν εὐμένειαν πραγματεύεσθαι.

f Ibid. paulo ante. Ἔμεινε δὲ τοῦτο τὸ πάθος ἐν τῇ Φρυγίᾳ, καὶ Πισιδίᾳ μέχρι πολλοῦ· οὗ δὴ χάριν καὶ συνελθοῦσα σύνοδος ἐν Λαοδικείᾳ τῆς Φρυγίας νόμῳ κεκώλυκε τὸ τοῖς ἀγγέλοις προσεύχεσθαι. καὶ μέχρι δὲ τοῦ νῦν εὐκτήρια τοῦ ἁγίου Μιχαὴλ παρ' ἐκείνοις, καὶ τοῖς ὁμόροις ἐκείνων ἐστὶν ἰδεῖν.

g Idem. Τούτῳ ἑπομένη τῷ νόμῳ καὶ ἡ ἐν Λαοδικείᾳ σύνοδος, καὶ τὸ παλαιὸν ἐκεῖνο πάθος θεραπεῦσαι βουλομένη, ἐνομοθέτησε μὴ εὔχεσθαι ἀγγέλοις, μηδὲ καταλιμπάνειν τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν.

1 *Col.* III, 17.

XII. Hæc Theodoreti loca contra catholicum dogma de cultu Angelorum adversarii præ se ferunt; quibus ab nostris valide resistitur. Neque sane Theodoretus communi decreto contrarius est, si recte verba illius expendas. Nam, quod in hæresis illius argumentum, quæ Angelos, spreto Christo, velut primarios, et unicos apud Deum intercessores adhibebat, affert illud, quod etiam tunc præ oculis erat, crebra in illis regionibus oratoria sancti Michaelis; non eo pertinet, ut ea damnet, qualia tunc populari cultu celebrabantur, sed ut indicio sit, populos istos in Angelorum venerationem propensissimos fuisse, quod frequentia illis in locis Michaelis essent oratoria; quæ, tametsi non eodem modo, ac ritu haberentur, ac priscis illis temporibus, neque superstitiosus ibi honor ille tribueretur Angelis, uti, Christo mediatore relicto, soli isti apud Deum sequestres adhiberentur, ostendebant tamen, quanto illic Angelorum veneratio in usu ac pretio fuisset. Ut si Romæ, vel alia quapiam in urbe, in qua Deorum templa innumera fuissent, ea Christianos in usus conversa integra mansissent, atque ex templorum veterum crebritate argumentaretur aliquis, divino cultui deditissimam illam urbem fuisse, non propterea templorum usum in christiana religione damnaret. Sic neque Theodoretus existimandus est illud improbasse, oratoria in honorem sancti Michaelis Deo consecrari; sed ex iis solum conjecturam fecisse, quantopere colendis Angelis dedita ex antiquo fuisset illa regio, quæ tot haberet pristinæ illius monimenta venerationis in Michaelis oratoriis, quæ, cum ad olim superstitioso illi cultui serviissent, transiissent Christianæ religioni congruentem post

Quos Angelorum cultores notet Apostolus.

XIII. Prorsus igitur Angelorum cultores isti, quos notat Apostolus, aut gentiles erant et eorum opinionibus imbuti, qui Christum asserebant philosophi, aut ab his edocti ac fastigii, quam ut majoris esse dignationis, et sequestris, atque de nostris rebus adirent, et mandarentur. Ideo interpellatoris partes ei adhibendos esse Angelos, *mediatores* unicos esset præcipua functio; *Esse enim omnes administratorios spiritus in ministerium missos, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*[1], ac proprie λειτουργούς, id est *ministros* appellari. Atque hæc philosophos inter Platonicorum fuit potissimum opinio, apud quos dæmonum genus tum appellatione, ac disputatione contritum, tum usu, et commercio familiare cumprimis fuit; de quo dixi in antecedentis libri capite primo. Hos Plato conditores esse mortalium omnium animantium, in *Timæo* docuit, ut Augustinus scripsit [2]. Hos etiam Plato, ut ex Apuleio idem narrat Augustinus [3], « in aere medios inter æthereum cœlum, terramque constituit, ut, quoniam nullus Deus miscetur homini, quod Platonem dixisse perhibent, isti ad deos perferant preces hominum, et inde ad homines impetrata, quæ poscunt. Indignum ... putaverunt, qui ista crediderunt, ... num homines diis, et deos hominibus ... nibus, autem misceri dæmones et diis, ... cessa qui hinc petita qui allegent, inde apportent [a]. »

XIV. Ab hoc fonte ... rum, Simoniani, omnes illæ veterum hæ... i, Cerinthiani, ac Menandriani, Valent... procreatione, deque cæteri, qui de m... que cultu cum Platone Angelorum ope... us pauca in primo libro delirarunt; d... e faciunt, quæ de iis memodiximus, fid... nt, qui de hæresibus, scripriæ prod... phanius, Theodoretus, Tertulliasere, ut... teri. Inter hos hæreticos erant, qui nus ... i vocati sunt, illa fortasse de causa, A... Angelorum λατρείαν adhiberent; aut ... us illis arrogarent, quam catholicæ regulæ forma præcribit. Quanquam Epiphanius hæresi LX de iis nihil certi comperit, ut et Augustinus observat [4]. Qui omnes nihil commune cum ecclesiæ catholicæ decretis habuere. Nam neque Deos esse Angelos dicimus, neque mediatores unicos, aut primarios, sed sic, quomodo in tractatu *ad Psalmum* LXVII Augustinus notat, etsi unus sit præcipuus, singularisque mons, esse tamen alios montes illi subjectos, ac longe minores. Item, licet lumen verum sit Christus, nihilominus alia quædam vocari lumina; « Sicut enim lumen illi [5], quia et ipsis dictum est: *Vox estis lumen mundi* [6]; sed aliud illud dictum est lumen verum, quod illuminat omnem hominem. Sic montes illi, sed longe alius major mons paratus in cacu-

Latriam.

[a] PLATO *in Symp.* Θεὸς δὲ ἀνθρώπῳ οὐ μίγνυται· ἀλλὰ διὰ τούτου πᾶσά ἐστιν ἡ ὁμιλία, καὶ ἡ διάλεκτος θεοῖς πρὸς ἀνθρώπους καὶ ἐγρηγορόσι, καὶ καθεύδουσι.

1 *Hebr.* I. — 2 Lib. XII *de Civit.* cap. XXIV. — 3 Lib. VIII *de Civit.* cap. XVIII. — 4 In lib. *de Hæres.* cap. XXXIX. — 5 Aug. in *Ps.* LXVII. — 6 *Matth.* V.

mine montium, » etc. Tum paulo post : « Ut quid ergo suspicamini montes incaseatos, eum montem, in quo placuit Deo habitare in eo? Non quia in aliis non inhabitat, sed quia in ipsis per ipsum. »

Angeli veri mediatores per Christum.

XV. Sic igitur mediatores Angeli nonnisi per Christum sunt. Sunt tamen pro modulo suo, ut et sancti omnes; quod veterum Patrum consensus approbat, et inter hos illius ipsius, qui adversari putatur, Theodoreti, qui plerisque in libris tam Angelorum, quam hominum sanctitate pollentium, præsertim martyrum cultum apud Christianos usitatum esse testatur. De Angelis eximius est locus in sermone tertio *contra Græcos*, et [illegible] institutum nostrum apprime spectans. Ic, cum adversus gentilium minutos Deos tes s disputationem explicasset, objicienhodieq os inducit hoc idem, quod hæretici Christiantholicis exprobrant, nominari ab tabiles, Angstates quasdam minime aspec- Quibus respon Archangelos, et cæteros. tos, et beatos « non se illos spiritus, sanc- num iis cultum co nominare, neque divinem inter verum Dere, ac non adoratio- illos quidem fateri se h et eos partiri; sed res esse, verum nihilo seciibus excellentio- Quapropter, si hominibus an conservos [a].» non est prohibitum, saltem eunt Angeli, minorem iis honorem tribui, quan, ac non nibus habetur, et quem his ipsis The homi- ipse passim detulit, qui duplici officretus stat : altero interiore, cum precibus, et eorum præsidium, et patrocinium ambimus quod nihil est aliud, quam eos mediatores ad Deum allegare : exteriore altero, cum oratoria, et basilicas in illorum honorem excitamus, ac festos dies, et hilares eorum dicamus cultui. Utrumque vero in sanctorum, ac Martyrum præcipue memoriam celebrari in christiana ecclesia solitum, imperitissimus sit, qui nesciat. Idque Theodoretus multis in locis confirmat, et judicio suo comprobat. Non est necesse plura hic ejus rei acervare testimonia; unum alterumve commemorare satis modo sit. Igitur in libro *Religiosæ historiæ*, capite XXVIII de Thalelæo scribens, refert, ipsum « Dæmonum templum evertisse, et ingentem basilicam egregiis victoribus excitasse martyribus, ac falso nominatis diis divinos opposuisse mortuos [b]. » Et in calce capitis secundi ejusdem libri, post narratam Juliani vitam, « Sanctos omnes, quorum gesta describit, orare se dicit, ut per intercessionem suam, supernam benevolentiam sibi concilient [c]. » Tum in sermone VIII *contra Græcos*, multa de martyrum cultu, ac veneratione, deque basilicis, et festis in honorem illorum institutis disserit, nec non de illorum intercessione, ac fidelium ad eos votis et precibus. Atque in fine perorat sic : « Mortuos, inquit, suos Dominus loco Deorum vestrorum introduxit; et illos quidem e medio sustulit, istis vero illorum honores attribuit [d]. »

Religionem.

XVI. Non igitur θρησκείαν Angelorum cum damnavit Apostolus, qualemcumque cultum illorum, proscripsit, sed infamem, ac superstitiosum, cujusmodi philosophi et eorum asseclæ defendebant, hæretici. Nec assentior viro magno, qui θρησκείαν τῶν ἀγγέλων a Paulo nominari putat, non illam sacrilegam venerationem Angelorum, sed religionem Mosaicam ab illis, et eorum interventu, ac dispositione traditam. Nam, si hoc dicere voluisset, νόμον potius, quam θρησκείαν appellasset, hoc est *Legem*, uti passim in epistola *ad Galatas*, et ubicumque adversus eos disputat, qui Christianis ritibus Judaicas cæremonias admiscere volebant. Et *Actorum* VII. *Qui accepistis legem* [illegible] *dispositione Angelorum* [e].

Religionem Angelorum.

Quod autem Theodoretus Laodiceni canonis [illegible] eminit, in quo constitutum est, « Non oport[illegible] Christianos Ecclesiam Dei relinquere, [illegible]ire, atque Angelos nominare, et congregat[illegible]es facere; quæ interdicta noscuntur inventus fuerit huic occultæ idolatriæ servi[illegible], sit anathema, quia derelinquit Dominum [illegible]strum Jesum Christum filium Dei, et se id[illegible]triæ tradidit [f]; » per-

a Theodoret. tom. IV. Οὐ μὴν θεοὺς τούτους ὀνομάζομεν· οὐδὲ θεῖον αὐτοῖς ἀπονέμομεν σέβας· οὐδὲ μερίζομεν εἰς τὸν ὄντα θεὸν καὶ τούτους τὴν προσκύνησιν. ἀλλὰ τούτους τιμιωτέρους μὲν ἀνθρώπων, ὁμοδούλους δὲ εἶναί φαμεν.

b Theodoret. Καὶ τὸ τῶν δαιμόνων κατέλυσε τέμενος, καὶ σηκὸν μέγιστον τοῖς καλλινίκοις ἀνήγειρε μάρτυρσι, τοῖς ψευδωνύμοις θεοῖς τοὺς θείους ἀντιτάξας νεκρούς.

c Idem : Τοὺς ἐμφερομένους τῷ διηγήματι ἁγίους ἀντιβολῶν, προξενῆσαί μοι τὴν [illegible]ωθεν διὰ προσβείας εὐμένειαν.

d Theodoret. Τοὺς γὰρ οἰκείους νεκ[illegible]ὺς ὁ δεσπότης ἀντεισῆξε τοῖς ὑμετέροις θεοῖς· καὶ τοὺς [illegible]ν φρούδους ἀπέφηνε. τούτοις δὲ τὰ ἐκείνων ἀπένειμε γέρα.

e Act. VII, 52. Οἵτινες ἐλάβετε τὸν νόμον εἰς διαταγὰς ἀγγέλων.

f Laodic. can. 35. Ὅτι οὐ δεῖ χριστιανοὺς ἐγκαταλείπειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ θεοῦ, καὶ ἀπιέναι, καὶ ἀγγέ-

spicuum est, non prohiberi quemcumque cultum, et invocationem Angelorum, sed eum tantummodo, qui ad contemptum pertinet Domini nostri Jesu Christi. Quod illi faciebant, qui Angelos pro diis venerabantur Platonico, gentilique more; quam idcirco tacitam, et occultam idololatriam synodus appellat. Vide Zonaram, et Balsamonem, qui canonem istum eodem modo interpretantur, ac Chrysostomus, aliique, quos supra recensuimus *.

Templa olim in honorem Angelorum ædificata.

Cæterum Angelorum, ac Michaelis præsertim venerationem Theodoreti ætate percrebuisse, et in illius honorem frequentia Constantinopoli, et per totum Orientem oratoria instituta fuisse, fidem facit æqualis Theodoreti Sozomenus libro secundo, capite tertio; ubi Michaelia, id est basilicas, et oratoria S. Michaeli dicata, et ingentia in iis facta miracula refert, ex eoque Tripartita libro secundo, cap. x et Nicephorus lib. VII, capite ultimo **.

λους ὀνομάζειν, καὶ συνάξεις ποιεῖν· ἅπερ ἀπηγόρευται· εἰ τις οὖν εὑρεθῇ ταύτῃ τῇ κεκρυμμένῃ εἰδωλολατρείᾳ σχολάζων, ἔστω ἀνάθεμα. ὅτι ἐγκατέλιπε τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, καὶ εἰδωλολατρίᾳ προσήλθεν.

* Uberiora si cupis ad objectata Scripturarum, Patrumque loca, canonemque Laodicenum explicandum, confer Trombellium *de cultu Sanctorum* tom. I, p. I, disp. IV., cap. V, ad X. Barbeyracum non moror eamdem, quam Protestantes obtrudunt, crambem recoquentem in tractatu *de Ethice Patrum* c. IV n. 3. F. A. Z.

** De cultu S. Michaelis Consule Bollandianos, *ad d.* VIII *Maii*, Sabbatinium Aquilanum episcopum, in Vetusto calendario Neapolitano *ad eumdem diem* 8 *Maii*, *et ad* 29 *Septembris*, Georgium, et Sollerium in notis *ad Adonem*, atque Usuardum *ad eosdem Maii, et Septembris* dies, ut omittam Baronium tum in notis *ad Martyrologium*, tum t. VIII *Annal.* Luc. edit. pag. 163 num. 43 de quo quidem Boronii testimonio adversus Johannem Lamium vide sis invicte disputantem eruditum Vallumbrosanum Monachum D. Fidelem Soldanium epistola secunda Florentiæ edita a. 1741. F. A. Z.

THEOLOGICORUM DOGMATUM

DE ANGELIS

LIBER TERTIUS

QUI EST DE DIABOLO, ET ANGELIS EJUS.

CAPUT PRIMUM.

Sintne corporati dæmones. Augustini, et aliorum antiquiorum sententia, ut Justini, Tatiani, Clementis Alexandrini, etc. affirmans. Plerique nidore, ac fumo victimarum pasci illos arbitrati. Esse revera corporis expertes. Græcorum recentiorum falsa sententia.

I. Præter ea, quæ generatim, et universe de Angelorum natura disputata sunt, cum illud inquisivimus, utrum corpore, ac materia constarent, est quædam de dæmonibus propria, et separata quæstio, propter nonnullorum opinionem, qui istos alterius, atque illos conditionis, naturæque esse sentiunt; tum qui utrosque corpore præditos putant, eorum aliqui subtiliora Angelis corpora tribuunt, velut ex pura, et cœlesti materia delibata; dæmonibus vero ex aeria, et densiore, crassa, atque concreta.

Certe dubitavit hac de re sanctus Augustinus, qui in tertio *de Genesi ad litteram*[1], « Etsi, inquit, dæmones aerea sunt animalia, quoniam corporum aereorum natura vigent, et propterea morte non dissolvuntur, quia prævalet in eis elementum, quod ad faciendum, quam ad patiendum est aptius, » etc. Ac paulo post, « In qua fortassis parte, suprema scilicet aeris, ac purissima, si fuerunt ante transgressionem suam transgressores Angeli cum principe suo nunc diabolo, tunc Archangelo; nam nonnulli nostri non eos putant cœlestes, vel supercœlestes Angelos fuisse; non mirum, si post peccatum in hanc sunt detrusi caliginem, » etc. Mox : « Si autem transgressores illi, antequam transgrederentur; cœlestia corpora gerebant, neque hoc mirum est, si conversa sunt ex pœna in aeream qualitatem, ut jam possint ab igne, id est ab elemento naturæ superioris aliquid pati. »

Et in decimo tertio ejusdem operis dubitabundus itidem, « An forte, inquit, ex alio genere Angelorum fuit, (diabolus) quibus Deus non dedit vel de seipsis præscientiam futurorum, etc. Nam et hoc quidem senserunt, non fuisse diabolum in illa sublimi natura Angelorum, quæ supercœlestis est, sed in eorum, qui aliquando inferius in mundo facti sunt, et per sua officia distributi. » Et sequenti capite eadem duo genera commemorat Angelorum, unum supercœlestium, alterum mundanorum, de quibus tamen negat ex Scripturis constare sibi. Sic in lib. XV *de Civitate Dei*, cap. XXIII, dubius est, utrum aliqui spritus elemento aereo corporati, cujusmodi sunt, quos incubos vocant, cum mulieribus rem habere possint. Item in libro primo *contra Academicos*, capite septimo, et in secundo *de Ordine*, capite nono, *aeris animalia* vocat. Tum in libro *de Divin. dæmon.* capite tertio corporeos, et aereos facit.

Faustus Regiensis in epistola quadam, quam Claudianus refellit, meminit illius opinionis, quæ diabolum asserit « de aeris istius conversatione quamdam crassitudinem de elementorum creatione traxisse; » quo etiam argumento utitur, ut et ipsum, et Angelos omnes corporibus esse præditos ostendat. Neque enim crassitudinem, ac concretionem colligere ex aere potuit, nisi corpus esset.

Quanquam Hilarius canone x *in Matthæum*, « animæ subtilitatem per peccatum, ait, in naturam corpoream ingravescere; » quemadmodum e contrario « corpus in naturam animæ transit, et gravitas illa terrenæ mate-

1 Cap. x.— 2 Cap. XVII.

riæ in profectum, et substantiam animæ aboletur, fitque corpus potius spirituale. » Quod non sic intelligendum est, tanquam utriusvis mutetur.

Antiqui theologi Dæmones corporatos asserunt.

II. Antiquiores porro Theologi, qui adversus ethnicos, et eorum profana numina, hoc est dæmones, stylo certabant, uno ore, crassos illos, et ὑλικοὺς, id est *materiæ constantes* esse dictitant, atque aerium, sed sordidum, ac fæculentum habere corpus; quam etiam ob causam hostiarum nidore, ac pinguitudine, fumoque pasci eos, ac delectari.

Justinus Martyr *Apologetico* primo dæmones ex Angelorum concubitu cum feminis ortos esse tradit; de quo postea. Eosdem porro Angelos scribit post peccatum suum, cum passionibus, et perturbationibus totos sese permisissent, sacrificiis, nidoribus, ac suffitibus deinceps opus habuisse, et humano generi scelerum auctores fuisse, ac cædibus, bellis, adulteriis, flagitiis omnia replevisse. Hujus verba digna sunt, quæ hic describantur : « Deus, inquit, qui totum mundum fabricavit, et terrena subjecit hominibus, ac cœlestia elementa ad incrementum fructuum, tempestatum vicissitudinibus ornavit eamque divinam legem instituit, quæ et ipsa hominum causa molitus videtur, hominum, rerumque cæterarum, quæ cœlo subjectæ sunt, providentiam Angelis, quos ei curationi præfecit, attribuit. Angeli porro hunc ordinem prætergressi, consuetudine mulierum capti sunt, ac filios genuerunt, quos dæmones appellamus; atque insuper humanum deinde genus sibi subjecerunt partim magicis scriptis, partim terroribus, ac suppliciis, quæ inferebant, partim sacrificiorum, ac suffituum, et libaminum institutione, quibus indigere cœperunt, postquam cupiditatum perturbationibus tanquam servos se subjecerunt, atque in homines cædes, bella, adulteria, libidines, ac nequitiam omnem disseminarunt. Hinc et Poetæ, et Mythologi ignorantes Angelos, et dæmones ab iis genitos in masculos, ac fœminas, et civitates, ac gentes ista perpetrasse, quæ scriptis prodiderunt, ad Deum ipsum, eosque retulerunt, quos ex ejus, vel fratrum, ut appellabant, et utrorumque filiorum satu procreatos dixerunt, velut Neptuni, et Plutonis. Singulos enim iis nominibus vocavere, quæ sibi quisque Angelorum, ac filiis suis imposuit [a]. » Memorabilis hic locus est, in quo antiquissimorum theologorum de dæmonibus opinio continetur.

III. Tatianus Justini discipulus in libro *contra Græcos*, dæmones censet non carne præditos esse, sed tenuissimis corporibus, velut igneis, et aereis: « Dæmones, ait, omnes carne præditi non sunt, sed spiritualis inest illis concretio, ut ignis, ut aeris; porro ab iis solis, qui Dei spiritu muniuntur, dæmonum corpora perspici possunt, non item ab cæteris, hoc est animalibus. Nam quod minus est, comprehendere non potest id, quod majus est [b]. » Idem docet et Theodotus in *Excerptis*, quæ sunt in calce *Stromateon* Clementis. Porro nidore sacrificiorum, ac fumo pasci dæmones, et proinde liquidis, ac tenuibus constare corporibus, cum Justino pleraque vetustas opinata est. Athenagoras in *Legatione pro Christianis* : « Et hi quidem, qui ad idola eos pertrahunt, dæmones sunt illi, de quibus diximus, qui sanguini victimarum inhiant, eumque delingunt [c]. » Eodem et Clemens Alexandrinus allusit; qui in septimo *Stromateon* de sacrificiis agens, nullum ejus-

a Just. *Apol.* I. Ὁ θεὸς τὸν πάντα κόσμον ποιήσας, καὶ τὰ ἐπίγεια ἀνθρώποις ὑποτάξας, καὶ τὰ οὐράνια στοιχεῖα εἰς αὔξησιν καρπῶν, καὶ ὡρῶν μεταβολαῖς κοσμήσας, καὶ θεῖον τοῦτον νόμον τάξας, ἃ καὶ αὐτὰ δι' ἀνθρώπους φαίνεται πεποιηκὼς, τὴν μὲν τῶν ἀνθρώπων, καὶ τῶν ὑπὸ τὸν οὐρανὸν πρόνοιαν ἀγγέλοις, οὓς ἐπὶ τούτοις ἔταξε, παρέδωκεν· οἱ δὲ ἄγγελοι, παραβάντες τήνδε τὴν τάξιν, γυναικῶν μίξεσιν ἡττήθησαν, καὶ παῖδας ἐτέκνωσαν, οἵ εἰσιν οἱ λεγόμενοι δαίμονες. καὶ προσέτι λοιπὸν τὸ ἀνθρώπειον γένος ἑαυτοῖς ἐδούλωσαν, τὰ μὲν διὰ μαγικῶν γραφῶν, τὰ δὲ διὰ φόβων, καὶ τιμωριῶν (ὧν) ἐπέφερον· τὰ δὲ διὰ διδαχῆς θυμάτων, καὶ θυμιαμάτων; καὶ σπονδῶν, ὧν, ἐνδεεῖς γεγόνασι, μετὰ τὸ πάθεσιν ἐπιθυμιῶν δουλωθῆναι· καὶ εἰς ἀνθρώπους φόνους, πολέμους, μοιχείας, ἀκολασίας, καὶ πᾶσαν κακίαν ἔσπειραν. ὅθεν καὶ ποιηταὶ, καὶ μυθολόγοι ἀγνοοῦντες τοὺς ἀγγέλους, καὶ τοὺς ἐξ αὐτῶν γεννηθέντας δαίμονας, ταῦτα πρᾶξαι εἰς ἄρρενας, καὶ θηλείας, καὶ πόλεις, καὶ ἔθνη, ἅπερ συνέγραψαν, εἰς αὐτὸν τὸν θεὸν, καὶ τοὺς ὡς ἀπ' αὐτοῦ σπορᾶ γενομένους υἱοὺς, καὶ τῶν λεχθέντων ἐκείνου ἀδελφῶν, καὶ τέκνων ὁμοίως τῶν ἀπ' ἐκείνων, Ποσειδῶνος, καὶ Πλούτωνος ἀνήνεγκαν. ὀνόματι γὰρ ἕκαστον, ὅπερ ἕκαστος ἑαυτῷ τῶν ἀγγέλων καὶ τοῖς τέκνοις ἔθετο, προσηγόρευσαν.

b Tatian. Δαίμονες δὲ πάντες σαρκίον μὲν οὐ κέκτηνται, πνευματικὴ δέ ἐστιν αὐτοῖς ἡ σύμπηξις, ὡς πυρός, ὡς ἀέρος. μόνοις δὲ τοῖς πνεύματι θεοῦ φρουρουμένοις εὐσηνόπτα καὶ τὰ τῶν δαιμόνων ἐστὶ σώματα, τοῖς λοιποῖς δὲ οὐδαμοῦ, λέγω δὲ τοῖς ψυχικοῖς· τὸ γὰρ ἔλαττον κατάληψιν οὐκ ἰσχύει ποιεῖσθαι τοῦ κρείττονος.

c Athen. Καὶ οἱ μὲν περὶ τὰ εἴδωλα αὐτοὺς ἕλκοντες οἱ δαίμονές εἰσιν οἱ προειρημένοι, οἱ προστητηκότες τῷ ἀπὸ τῶν ἱερείων αἵματι, καὶ ταῦτα περιλιχμώμενοι.

modi vero Deo ait offerri, quod voluptatem sensibus afferat : « Merito igitur, inquit, ei non offerimus sacrificium, qui voluptatibus non capitur; cum longe infra, ac ne crassissimas quidem adusque nubes, verum procul ab ipsis, fumi ad eos vapor perveniat, ad quos demum pervenit [a]. » Hic dæmones, hoc est gentilium Deos intelligere videtur, qui citimum hunc terris aerem obsident, ad quos e propinquo victimarum fumus pervolat.

Idem vero et aliquot interjectis paginis ejusdem libri, Christianorum sacra nullos ejusmodi vapores habere dicit, qui olfactum afficiant, quod odoratus sine respiratione fieri nequeat : « Deus autem neque perspiret, ut dæmonum genera [b]; » neque inspiretur, ut aquatilia; neque circumspiretur, ut insecta, Quare tenuissimis, et aereis corporibus præditos esse dæmones putavit Clemens.

que e ac victi- um pasci nant.

IV. At Origenes diserte dæmones affirmat, « liguritores esse, ac circum sacrificia, et cruores, et vapores sacrificiorum volutari [c]. » Angelos vero bonos « discrepantis esse tum naturæ, tum propositi ab iis omnibus dæmonibus, qui in terris habitant [d]. »

Verum in Commentario *ad Evangelium Jaannis* tomo XXIII [1]. « Diaboli substantiam diversam esse negat ab essentia sanctorum Angelorum rationis compote; » quam aliquando incorpoream esse censet, ut in superiore libro, capite tertio dixi.

Julius Firmicus in libro *De erroribus profanarum religionum*, capite XIV. « Sed et ipso simulacro, ait, sicut in cæteris, ex assiduis sacrificiis immundi dæmonum spiritus colliguntur. Nihil enim operantur animæ, et cruor ex assidua pecudum cæde profusus, nisi ut dæmonum substantia, qui Diaboli procreatione generantur, ex isto sanguine nutriatur. » Quod ait, dæmones ex diaboli procreatione genitos esse, simile ejus est, quod ex Justino commemoravi, qui dæmones ab Angelis propagatos esse dicit, et ex mulieribus susceptos; de qua re postea. Nec abludit Lactantius, etsi paululum de dæmonibus diversa scribit. Nam Deum, asserit [2], « antequam ordiretur hoc opus mundi, produxisse similem sui spiritum, qui esset virtutibus Dei patris præditus. Deinde fecit, inquit, alterum, in quo indoles divinæ stirpis non permansit. Itaque suapte invidia tanquam veneno infectus est, et ex bono ad malum transcendit, suoque arbitrio, quod a Deo illi liberum datum fuerat, contrarium sibi nomen ascivit. Hunc ergo ex bono per se malum effectum Græci διάβολον appellant, nos *criminatorem* vocamus, quod crimina, in quæ ipse illicit, ipse ad Deum deferat. » Ab hoc criminatore primos nostros parentes in fraudem inductos ait [3], « Cumque numerus hominum cœpisset increscere, providens Deus, ne fraudibus suis diabolus, cui ab initio terræ dederat potestatem, vel corrumperet, vel disperderet homines, misit Angelos ad tutelam generis humani [4]. » Hos diaboli calliditate deceptos, et ad vitia prolectos, congressibus mulierum inquinatos esse refert : « Sic eos diabolus ex Angelis Dei suos fecit satellites, et ministros. Qui autem sunt ex his procreati, quia neque Angeli, neque homines fuerunt, sed mediam quamdam naturam gerentes, non sunt ad inferos recepti, sicut in cœlum parentes eorum. Ita duo genera dæmonum sunt, unum cœleste, alterum terrenum. Hi sunt immundi spiritus malorum, quæ geruntur, auctores. » Duplex ergo dæmonum genus habet Lactantius. Nam alios putat cœlestes illos Angelos initio fuisse, alios horum satu procreatos, et utrosque corporeos, quando priores ex mulieribus istos genuerunt.

V. Sic Minucius Felix in *Octavio*, « Spiritus sunt, inquit, insinceri, vagi, a cœlesti vigore terrenis labibus, et cupiditatibus digravati; isti igitur spiritus, posteaquam simplicitatem substantiæ suæ, onusti, et immersi vitiis perdiderunt, ad solatium calamitatis suæ non desinunt perditi jam perdere, et depravati errorem pravitatis infundere. » Mox naturam eorum ex Platone describit in *Symposio* : « Vult, inquit, esse substantiam inter mortalem, immortalemque, id est inter corpus, et spiritum mediam, terreni ponderis, et cœlestis levitatis admistione concretam, ex qua manare in nos procupidinem amoris, » etc. Tum eos idcirco torquere mortales, « ut

a Clem. Alex. Εἰκότως ἄρα τῷ μὴ νικωμένῳ ἡδοναῖς θυσίαν οὐ προσάγομεν, κάτω που, καὶ οὐδέ μέχρι νεφῶν τῶν παχυτάτων, μακρὰν δὲ καὶ τούτων τῆς διὰ τοῦ καπνοῦ ἀναθυμιάσεως φθανούσης, εἰς οὓς καὶ φθάνει.

b Clem. VII *Strom.* Τί οὖν φασι περὶ τοῦ θεοῦ, πότερον διαπνεῖται, ὡς τὸ τῶν δαιμόνων γένος, etc.

c Orig. III *contra Cels.* Δαιμόνια λίχνα, καὶ περὶ τὰς θυσίας, καὶ τὰ αἵματα, καὶ τὰς ἀπὸ τῶν θυσιῶν ἀποφορὰς καλινδούμενα.

d Idem. Ἄλλης εἰσὶ φύσεως, καὶ προαιρέσεως παρὰ τοὺς ἐπὶ γῆς πάντας δαίμονας.

1 Tom. II oper. Orig. — 2 Lib. II, cap. VIII. — 3 Cap. XI. — 4 Cap. XIV.

ad cultum sui cogant, ut nidore altarium, vel hostiis pecudum saginati remissius, quæ constrinxerant, curasse videantur. » Quem locum Cyprianus transtulit in librum suum *de Idolorum vanitate* ; et Tertullianus ante in *Apologetico*[1] pertractavit, qui, etsi dæmones *substantias* esse *spirituales* scripserit, non minus tamen corporeos esse credidit, ut in primo capite docuimus. Quippe corpora iis affinxit subtilitatis, ac tenuitatis summæ, quibus et pabula necessaria sint. Ideo « captis, et circumscriptis hominum mentibus Deos commendat, ut et sibi pabula propria nidoris, et sanguinis procuret simulacris imaginibus oblata[2].» Item: « Renuntient, se immundos spiritus esse, quod vel ex pabulis eorum sanguine, et fumo, et putidis rogis pecorum, et impuratissimis linguis ipsorum vatum intelligi debuerit. »

De principiis.

VI. Origenes in præfatione operis περὶ ἀρχῶν, dæmones subtilibus, et auræ instar tenuibus esse præditos corporibus ostendit. Nam vocem τοῦ ἀσωμάτου « apud nostras Scripturas esse inusitatam, et incognitam » ait. Quod autem in libello quodam, qui *Petri doctrina* nuncupatur Christus Apostolis dixisse perhibetur, *Non sum dæmonium incorporeum*; respondet primo, librum istum haud esse canonicum ; deinde non eumdem istic sensum habere vocem *incorporei*, ac cum de incorporea natura disputatur a philosophis : « In hoc enim libello incorporeum dæmonium dixit pro eo, quod ipse ille, quicumque est, habitus, vel circumscriptio dæmonici corporis non est similis huic nostro crassiori, vel visibili corpori ; sed secundum sensum ejus, qui composuit illam Scripturam, intelligendum est, quod dixit, id est non esse tale corpus, quale habent dæmones, quod est naturaliter subtile, et velut aura tenue. »

Cur hæc opinio apud veteres christianos perrebuerit

VII. Hæc igitur causa est, cur nidore victimarum, ac sacrificiis pasci, oblectarique dæmones, Christiani plures crediderunt. Eusebius certe rationem hanc reddit, ob quam illi mortalium animos ab veri cultu numinis ad simulacra veneranda, et sacrificiis frequentanda transferre studuerunt : « Isti igitur, inquit, circa terram, ac sub ea degentes, ac terrenum aerem crassum illum, caliginosumque pervagantes, et in tenebricosum, ac terrenum domicilium relegati, ob eas causas, quas subinde referemus, circa mortuorum sepulcra, et monumenta, ac sordidam omnem, impuramque materiam oberrantes, sanguine, ac tabo, et omnigenum animantium corporibus, atque eorum, qui ex terra manant, suffituum, vaporumque halitu gaudentes ; tum eorum principes, quæ sunt aeriæ quædam, et subterraneæ virtutes, postquam animadverterunt, humanum genus per hæc infima volutari, affingenda mortuis hominibus divinitate ; et in sacrificiis, ac nidoribus, quæ res ipsis gratissimæ sunt, toto studio versari proprius adstites, et adjutores erroris adfuerunt [a]. »

VIII. De hoc dæmonum pabulo insignis est Basilii locus, sive qui alius auctor est, in commentario ad *Esaiæ* caput primum, eaque verba illius, *Plenus sum*, quæ hic legi non inutile sit : « Dæmonibus, inquit, propter naturam voluptatum appetentem, et perturbationibus obnoxiam, sacrificia voluptatem quamdam, et usum afferunt in nidorem abeuntia, quod exustione sanguis evaporatus, et ad hunc modum attenuatus in illorum substantiam assumitur. Toti enim per totum vaporibus aluntur, non mandendo, vel ventris officio, sed quemadmodum capilli omnium animalium, et ungues, ac cætera id genus in totam substantiam suam alimentum accipiunt. Ob id avide nidores affectant, thurisque fumos, tanquam ad nutricatum suum idoneos vehementer expetunt [b]. »

Ins Basil

Sic Hieronymus in epistola CXLVI *ad Damasum* , « Talis est dæmonum multitudo, quæ

a Euseb. V *de Præpar.* Οἱ δὲ γοῦν περίγειοί τινες ὄντες καὶ καταχθόνιοι, τόν τε ἐπὶ γῆς βαρὺν, καὶ ζοφερὸν ἀέρα περιπολοῦντες, καὶ τὸ σκότιον, καὶ γεῶδες οἰκητήριον ἔχειν κατακεκειμένοι, δι' ἃς ὕστερον ἀποδώσομεν αἰτίας, τάφοις νεκρῶν καὶ μνήμασι. καὶ πάσῃ τῇ ρυπαρᾷ, καὶ ἀκαθάρτῳ ὕλῃ φιλοχωροῦντες, αἵμασι τε, καὶ λύθροις, καὶ παντοίων ζώων σώμασι, τῇ τε ἐκ τῶν ἀναθυμιωμένων, καὶ ἀπὸ τῆς γῆς ἐξατμιζομένων ἀναδόσει χαίροντες, οἵ τε τούτων ἄρχοντες ἀέριοί τινες ὑπάρχοντες, ἢ καὶ καταχθόνιοι δυνάμεις, ἐπεὶ κατέμαθον τὸ ἀνθρώπινον γένος κάτω που περὶ νεκρῶν ἀνδρῶν θεοποιΐαν ἱλυσσώμενον, θυσίαις τε, καὶ κνίσσαις, ταῖς δὴ μάλιστα αὐτοῖς κεχαρισμέναις διὰ πάσης σπουδῆς ἐκπονούμενον, ἐγγύθεν ἕφεδροι, καὶ συνεργοὶ τῆς πλάνης παρῆσαν.

b Basil. in I *Esa.* Ἁλίμοσι μὲν γὰρ διὰ τὸ φιλήδονον, καὶ ἐμπαθὲς, αἱ θυσίαι φέρουσί τινα ἡδονὴν, καὶ χρείαν ἐκθυμιώμεναι, διὰ τῆς καύσεως ἐξατμιζομένου τοῦ αἵματος, καὶ οὕτω διὰ τῆς τοιαύτης λεπτοποιήσεως εἰς τὴς σύστασιν αὐτῶν ἀναλαμβανομένου. ὅλοι γὰρ δι' ὅλων τρέφονται τοῖς ἀτμοῖς, οὐ διὰ μασσήσεως, καὶ κοιλίας· ἀλλ' ὡς αἱ τρίχες πάντων ζώων, καὶ ὄνυχες, καὶ ὅσα τοιαῦτα εἰς ὅλην ἑαυτῶν τὴν οὐσίαν τὴν τροφὴν κατα-

1 Cap. XXII. — 2 Cap. XXIII.

per idola manufacta cruore pecudum, et victimis pascitur. » Et Chrysostomus oratione secunda *in S. Babylam*, « dæmones, ait, cum nidore, ac fumo, et fuso cruore coluntur, accurrere tanquam canes sanguinem vorantes, et gulosos, ad lambendum ; quando autem nemo est, qui hoc illis præbeat, velut fame quadam enecari [a].»

IX. Atque hoc Porphyrius pluribus exponit in libro secundo *De abstinentia ab animatis;* cujus verba Cyrillus in libro quarto *contra Julianum* descripsit. Eaque videtur a Platonicis manasse potissimum opinio, quam ex Apuleio late declarat Augustinus in octavo libro *de Civitate Dei*[1], et nono ; ubi dæmones mediæ cujusdam a Platone conditionis homines inter, ac Deos constitutos esse docet, quos sic Apuleius definit[2] : « Dæmones esse genere animalia, animo passiva, mente rationalia, corpore aerea, tempore æterna. » Sic etiam Hierocles *ad Aurea Pythagoræ carmina* et medios illos Deos inter et homines, et immortales facit ; tanto melius, quam Tatianus Christiano imbutus dogmate, qui eos *non emori facile* dixit, tanquam aliquando morientes [b].

Ammonius ad *Isagogen* Porphyrii, et caput *de Differentia,* dubium esse scribit, utrum animal sit quodpiam irrationale, et immortale quemadmodum unum est *rationale mortale*, alterum *rationale immortale.* « Ac sunt, inquit, qui asseverant esse aliquod dæmonum irrationalium genus immortale, quod inferiorem gradum obtinere dicunt; quos quidem aversamur. Alii genus ejusmodi mortale esse sentiunt. Quidquid enim est immortale, id omnino esse rationale [c]. »

X. Hebræi, dæmones quos vocant שרים corpora duobus ex elementis habere coagmenta dicunt, ut refert Scholiastes R. Mosis Maiemonidæ ad caput IV tractatus *de Fundamentis legis*, sub initium. Verum R. Moses capite primo tractatus ejusdem, corpore ac materia carere illos putat, esseque separatas substantias.

Cui posteriori sententiæ haud pauci suffragantur Christianorum Patrum, qui universe Angelos tam bonos, quam malos, corporis expertes faciunt; quos in primo commemoravimus[3].Quanquam fuisse quosdam ibi significavimus, qui non eamdem amborum esse naturam sentiant ; quibus accedere videtur Joannes Damascenus capite VII *de Decretis primæ Institutionis*, ubi « Incorpoream, ait, voco substantiam, velut animam, Angelum, dæmonem. Horum enim unumquodque species est specialissima [d]. »

Ergo diversa species est dæmon, et Angelus bonus, etsi uterque corpore caret. Verum alii unam et eamdem in utrisque constituunt, ut Augustinus epistola CVII et in XII *de Civitate Dei*, capite primo, qui et libro XX *contra Faustum* « non pasci nidore dicit, sed erroribus. » Basilius [4], Gregorius Nazianzenus [5], et alter Nyssenus [6], Chrysostomus [7], Theodoretus [8], et auctor *Quæstionum ad Antiochum*, quæstione VII, auctor item *Quæstionum Græcarum* inter opera Justini, quæstione secunda, ubi Angelos, et dæmones ὁμοουσίους, id est *consubstantiales animæ esse dicit* ; ac plerique alii, qui dæmones ex Angelorum ordinibus excidisse volunt, ab iisque voluntatis duntaxat vitio et pravitate discerni. Chrysostomus certe dæmones ἀσωμάτους δυνάμεις nonnunquam vocat [9].

Virtutes corporis expertes.

XI. Nec audiendi sunt Græci recentiores, qui in Florentina synodo diabolum, ejusque satellites post peccatum suum naturam quodammodo, et substantiam mutasse dixerunt : « Diabolus, inquiunt, et qui cum ipso excidederunt gloria Dei, carnem propemodum acceperunt : et qui materiæ erant expertes, ex parte materiales facti sunt. Nam idcirco et ad materialia currunt corpora, et in corporibus acquiescunt; cujusmodi erat ille, qui dixit : *Si ejicis nos, Domine, permitte nos intrare in*

Græcorum recentiorum falsa sententia.

δέχεται. διὰ τοῦτο λίχνως περὶ τὰς κνίσσας ἐπτόηνται, καὶ τὸν ἐκ τοῦ λιβανωτοῦ καπνὸν, ὡς ἐπιτήδειον αὐτοῖς εἰς τροφὴν ὑπερασπάζονται.

a Chrys. Ποιοῦτος γὰρ ὁ τῶν δαιμόνων τρόπος· ὅταν μὲν τῇ κνίσσῃ, καὶ τῷ καπνῷ, καὶ τοῖς αἵμασιν αὐτοὺς θεραπεύωσι, καθάπερ κύνες αἱμοβόροι, καὶ λίχνοι παραγίνονται λάψοντες. ὅταν δὲ μηδεὶς ὁ ταῦτα παρέχων ᾖ, καθάπερ τινὶ λιμῷ διαφθείρονται.

b Οἱ θνήσκουσι μὲν οὐ ῥᾳδίως.

c Ammon. fol. LVII. Οἱ μὲν γάρ φασιν εἶναί τι δαιμονίων ἀλόγων γένος ἀθάνατον, ὅπερ δὴ μείονα ἐπέχειν φασὶ τάξιν, οὓς καὶ ἀποτρεπόμεθα. ὁ δέ φασι καὶ τὸ τοιοῦτον γένος θνητὸν εἶναι. ὅ γὰρ ἂν ᾖ ἀθάνατον, καὶ λογικὸν εἶναι πάντως.

d Damasc. Ἀσώματον δὲ ἐνταῦθα λέγω οὐσίαν, οἷον ψυχὴν, ἄγγελον, δαίμονα· ἕκαστον τούτων εἰδικώτατον εἶδός ἐστιν.

1 Cap. XIV et seq. — 2 Lib. *de Dæmon. Socr.* — 3 Cap. II et III. — 4 Basil. lib. *de Spir. sanc.* cap. XX.— 5 Orat. XXXVIII. — 6 Orat. cat. cap. VI. — 7 Homil. XXII in *Gen.* — 8 Orat. III *cont. Græc.* — 9 Ut Hom. LXXXVIII, tom. V.

gregem porcorum[1]. Et permisit ipsis, et irruit grex in præcipitium. Ac propterea et in humanis corporibus habitare cupiunt. In ipsis enim requiescunt. Ecce quomodo ex parte carnales sunt, et supplicio sunt afficiendi : et materia, quam acceperunt, in igne concremabitur in æternum. Angeli omnino sunt expertes materiæ, ut qui cadere amplius nequeant, nec ulla inest ipsis materia[a]. » Sed hæc opinio plane absona est. Neque enim existimandum est, Dæmones, siquidem naturam sunt eamdem cum sanctis Angelis initio sortiti, ab ea peccando descivisse, aut eorum converti potuisse substantiam. Philastrius[2] quoque opinionem illam pro absurda respuit.

CAPUT II.

De Angelorum lapsu, et peccato ; quod veteres aliqui stuprum feminis illatum esse crediderunt ; alii aliter interpretati sunt. Sed eos superbia peccasse, ex communi sententia defenditur : et quemadmodum acciderit, accurate declaratur.

I. Quæ de statu Dæmonum, et substantiæ conditione diximus antecedenti capite, ea quæstioni huic, quam ingredimur, prævertenda fuerunt, in qua cujusmodi peccatum illorum fuerit, inquiritur. Nam pro eo ac corporibus præditi putantur, aut secus. ita de illorum peccato judicium est.

Antiquiores peccatum Angelorum fuisse stuprum feminis illatum docent.

Primi illi, et antiquiores theologi, qui corpora vel Angelis omnibus, vel dæmonibus assignant, tale peccatum eorum fuisse censent, ut, cum orbi huic administrando præpositi essent a Deo, mulierum capti specie, stupri cum iis consuetudinem habuerint, ac propter impuritatem, et flagitium cœlo, ac Dei consortio sint ejecti. Ita enim interpretandum putarunt, quod in *Genesi* scriptum est a Mose[3] : *Cumque cœpissent homines multiplicari super terram, et filias procreassent, videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant* ; unde et gigantes procreatos esse narrat. Pro *filiis Dei* codices quidam habebant, *Angeli Dei*, ut Philo legit in libro *de Gigantibus*, et Eusebius[4], et Augustinus in decimoquinto *de Civitate*, capite XIII. Alii filios Dei Angelos interpretati sunt, ut Chrysostomus[5], et Theodoretus observant[6]. Quamobrem Philo Judæus non dubitat, Angelos cum mulieribus consuesse, « quos Græci, inquit, dæmones vocant, Moses Angelos appellare solet. Sunt autem animæ, quæ per aera volitant[b]. » Josephus quoque libro primo *Originum*, capite IV, Angelos Dei cum fœminis miscuisse se refert.

II. Ex Christianis Justinus imprimis illis assensus est in *Apologetico ;* cujus verba superiori capite descripsimus.

Athenagoras quoque *Legatione pro Christianis* idem sentit, ac Deum ait principem quemdam Angelum condidisse, cui materiæ, et eorum, quæ ex ea constant, curam, et principatum attribuit, eique subjecisse Angelos reliquos, qui singulorum curationi præessent. Jam vero ex iis omnibus Angelis alios in officio mansisse, et « quales a Deo conditi erant, voluntate sua perseverasse iis deditos, et affixos muneribus, quæ Deus ipsis commiserat. Alii et concreditæ sibi naturæ, ac substantiæ petulanter illuserunt, et imperio abusi sunt, tam ille materiæ, et formis, quæ insunt illi, præpositus, quam alii, qui circa primum illud firmamentum versantur. Scitote vero, nihil nos temere, ac sine teste dicere, sed quæ a Prophetis pronuntiata sunt, declarare. Atque illi quidem in cupiditatem prolapsi virginum, et carnis illicebra superati sunt ; iste autem neglectim se gerens, et in eorum, quæ commisa sibi erant, administratione improbe versatus est. Cæterum ex illis, qui ad virgines adhæserunt, nati sunt, quos gigantes appellarunt[c]. »

a Græci in syn. Flor. Ὅτι ὁ διάβολος, καὶ οἱ σὺν αὐτῷ ἐκπεσόντες ἐκ τῆς δόξης τοῦ θεοῦ παρὰ μικρὸν ἔλαβον σάρκα, καὶ οἱ ὄντες ἄϋλοι μερικῶς ὑλικώθησαν. διὰ τοῦτο γὰρ καὶ πρὸς τὰ ὑλικὰ σώματα τρέχουσι, καὶ ἀναπαύονται ἐν τοῖς σώμασιν· ὡς τὸ λέγον· εἰ ἐκβάλλεις ἡμᾶς κύριε, ἐπίτρεψον ἡμῖν ἀπελθεῖν εἰς τὴν ἀγέλην. καὶ ἐπέτρεψεν αὐτοῖς· καὶ ὥρμησεν ἡ ἀγέλη κατὰ τοῦ κρημνοῦ. διὰ τοῦτο καὶ ἐν σώμασιν ἀνθρωπίνοις ὀρέγονται κατοικεῖν· ἀναπαύονται γὰρ ἐν αὐτοῖς. ἴδοὺ ὡς ἐκ μέρους σαρκικοί εἰσι καὶ μέλλουσι κολάζεσθαι, καὶ τὴν ὕλην, ἣν ἔλαβον, μέλλουσι κατακαίειν ἐν πυρὶ αἰωνίως. οἱ ἄγγελοι παντοίως εἰσὶν ἄϋλοι, ὡς ἄπταιστοι, καὶ οὐδεμία ὕλη ἐστὶν ἐν αὐτοῖς.

b Philo lib. *de Gigant.* Οὓς ἄλλοι φιλόσοφοι δαίμονας, ἀγγέλους Μωσῆς εἴωθεν ὀνομάζειν· ψυχαὶ δὲ εἰσὶ κατὰ τὸν ἀέρα πετόμεναι. Idem habet in lib. *de Immutab. Dei.*

c Athenag. Οἱ μὲν γὰρ ἄλλοι αὐθαίρετοι δὴ, οἷοι γεγόνασιν ὑπὸ τοῦ θεοῦ, ἔμειναν, ἐφ' οἷς αὐτοὺς ἐποίησεν, καὶ διέταξεν ὁ θεός· οἱ δὲ ἐνύβρισαν, καὶ τῇ τῆς

1 *Matth.* VIII, 30.— 2 Cap. LIX.— 3 Cap. VI.— 4 Lib. V *de Pr par.* cap. IV. — 5 Hom. XXII in *Gen.*— 7 Qu. XLVII in *Gen.*

Clemens Alexandrinus eadem imbutus opinione primum in *Pædagogico*, cum voluptate depravatum abripi animum dixisset, « Horum, inquit, indicium tibi præbent Angeli, qui Dei pulchritudinem reliquerunt propter pulchritudinem, quæ flaccessit, ac tantum e cœlo delapsi sunt in terram [a]. » Et in tertio *Stromateon*, « Jam vero et Angeli quidam intemperantia ducti, victi cupiditate huc e cœlo deciderunt [b]. » In quinto vero Angelos ait eosdem mulierum specie captos, iis arcana quænam, ac recondita patefecisse : « Angeli, inquit, illi, quibus superna sors obtigerat, delapsi ad voluptates, enuntiarunt arcana mulieribus, et quæcumque ad eorum venerunt cognitionem, cæteris Angelis occultantibus ; vel potius ad Domini adventum ea reservantibus [c]. » Apud Photium codice CCXXXII Stephanus Gobarus Tritheita, quæstione XXVI problematice utramque in partem disserit.

III. Sic Tertullianus libro *de Idololatria*, capite IX de Astrologia loquens ait « Angelos esse illos desertores Dei, amatores feminarum, proditores etiam hujus curiositatis, propterea quoque damnatos a Deo. » Et in libro *de Habitu muliebri* latius disciplinam illam mulieribus traditam a dæmonibus extendit : « Nam et illi, inquit [1], qui ea constituerunt, (muliebria scilicet ornamenta) damnata in pœnam mortis deputantur; illi scilicet Angeli, qui ad filias hominum de cœlo ruerunt, ut hæc quoque ignominia feminæ accedat. Nam, et cum materias quasdam bene occultas, et artes plerasque non bene revelatas sæculo multo magis imperito prodidissent, (si quidem et metallorum opera nudaverant, et herbarum ingenia traduxerant, et incantationum vires provulgaverant, et omnem curiositatem, usque ad stellarum interpretationem designaverant) proprie, et quasi peculiariter instrumentum istud muliebris gloriæ contulerunt; lumina lapillorum, quibus monilia variantur, et circulos ex auro, quibus brachia arctantur, et medicamenta ex fuco, quibus lanæ colorantur, et illlum ipsum nigrum pulverem, quo oculorum exordia producuntur. »

Id etiam in libro *De cultu fœminarum* repetitur [2]. Et in libro *de Virginibus velandis* [3], tametsi in illo loco *Genesis*, *Filios Dei* legit, tamen Angelos interpretatur ; propter quos velanda mulierum capita dici ab Apostolo putat, in priore *ad Corinthios* [4], « quos, ait, legimus a Deo, et cœlo excidisse ob concupiscentiam feminarum, etc. Debet ergo adumbrari facies tam periculosa, quæ usque ad cœlum scandala jaculata est, ut cum Deo assistens, cui res est Angelorum exterminatorum. » Meminit et in quinto *contra Marcionem*.

IV. Cyprianus ab Tertulliano illud edoctus est de fucis, et ornamentis, quæ mulieres ab amatoribus suis Angelis didicerunt, in libro *de Disciplina, et habitu virginum* Et in libro *de Idolorum vanitate*, sive potius Minucius ibi ab illo descriptus, dæmones « spiritus insinceros et vagos esse dicit, qui postcaquam terrenis vitiis immersi sunt, et a vigore cœlesti, terreno contagio recesserunt, non desinunt perditi perdere. » Ubi ad eamdem de corruptis mulieribus opinionem allusit.

Lactantius item [6], quem superiore capite retuli, Angelos a diabolo mulierum implicatos amoribus putat.

Eusebius quoque in libro quinto *de Præparatione Evangelica*, gigantes ab Angelis procreatos existimat. Et Methodius oratione *de Resurrectione*.

Perinde, ut illi, loquitur, ac sentit Ambrosius variis in locis. In *Apologia David* priore [7], « Non miraris hominem, et Angelis adæquandum judicas, plurimum vitæ suæ, imo a pueritia, in divitiis, honoribus, imperiis demorantem, in multis tentationibus positum,

οὐσίας ὑποστάσει, καὶ τῇ ἀρχῇ, οὗτος τε ὁ τῆς ὕλης, καὶ τῶν ἐν αὐτῇ εἰδῶν ἄρχων, καὶ ἕτερος τῶν περὶ τὸ πρῶτον τοῦτο στερέωμα. ἵστε δὲ μηδὲν ἡμᾶς ἀμάρτυρον λέγειν, ἃ δὲ τοῖς προφήταις ἐκπεφώνηται μηνύειν. Ἐκεῖνοι μὲν εἰς ἐπιθυμίαν πεσόντες παρθένων, καὶ ἥττους σαρκὸς εὑρεθέντες. οὗτος δὲ ἀμελήσας, καὶ πονηρὸς περὶ τὴν τῶν πεπιστευμένων γενόμενος διοίκησιν. ἐκ μὲν οὖν τῶν περὶ τὰς παρθένους ἐχόντων, οἱ καλούμενοι ἐγεννήθησαν γίγαντες.

a Clem. Alex. lib. II *Pæd.* cap. II. Δεῖγμά σοι τούτων οἱ ἄγγελοί τοῦ θεοῦ τὸ κάλλος καταλελοιπότες διὰ κάλλος μαραινόμενον, καὶ τοσοῦτον (an τοσοῦτοι) ἐξ οὐρανῶν καταπεσόντες χαμαί.

b Idem lib. III *Strom.* Ἤδη δὲ καὶ ἄγγελοί τινες, ἀκρατεῖς γενόμενοι, ἐπιθυμίᾳ ἁλόντες, οὐρανόθεν δεῦρο καταπεπτώκασιν.

c Idem lib. V. Οἱ ἄγγελοι οἱ τὸν ἄνω κλῆρον εἰληχότες, κατολισθήσαντες εἰς ἡδονάς, ἠξείπον τὰ ἀπόῤῥητα ταῖς γυναιξίν, ὅσα τε εἰς γνῶσιν αὐτῶν ἀφῖκτο, κρυπτόντων τῶν ἄλλων ἀγγέλων, μᾶλλον δὲ τηρούντων εἰς τὴν τοῦ κυρίου παρουσίαν. Vide et phot. cod. CIX. ex *Hypotyp.* Clem. ejus.

1 Cap. II.— 2 Cap. X.— 3 Cap. VII.— 4 Cap. XI.— 5 Cap. XVIII.— 6 Lib. II, cap. XVI.— 7 Cap. I.

semel tantum locum errori dedisse, et ei errori, quo etiam Angeli cœlorum, ut scriptura commemorat, de sua virtute, et gratia dejecti sunt. » Clarius etiam id exprimit in libro *de Noe, et Arca* [1]; ubi gigantes illos « ex Angelis, et mulieribus generatos asserere divinæ ait Scripturæ conditorem. » Tum in primo *de Virginibus* [2] : « Quam præclarum autem, Angelos propter intemperantiam suam in sæculum cecidisse de cœlo; virginem propter castimoniam in cœlum transiisse de sæculo ! » Memorandum quiddam super ea re legi apud Hilarium in Psalmum CXXXII, qui ea verba declarans, *Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion*, hæc adnotat : « Hermon autem mons est in Phœnice, cujus interpretatio anathema est; quod enim nobis anathema nuncupatur, id Hebraice Hermon dicitur. Fertur autem id, de quo etiam nescio cujus liber exstat, quod Angeli concupiscentes filias hominum, cum de cœlo descenderent, in hunc montem maxime convenirent excelsum. Sed hæc prætermittimus. Quæ enim libro legis non continentur, ea nec nosse debemus; commemorata autem ob id tantum sunt, quod nos de hoc monte Dei per prophetam professio commonebat. Certe hodie gentes montem hunc profana religione venerantur, et interpretationem nominis sui, quod est anathema, ipsa illa impiæ superstitionis sede testantur. »

Hæc Hilarius, quæ in apocrypho libro *Enoch* legebantur, cujus fragmentum a Scaligero in notis Eusebianis descriptum est. Quo ex fonte fabulam istam omnes illi veteres hauserunt. Ac Tertullianus loco illo citato primi *de Cultu fœminarum*, ubi eamdem tuetur opinionem, librum ipsum Enochi in sacrorum auctoritatem conatur asserere. Severus Sulpicius libro primo *Historiæ sacræ* eamdem fabulam refert.

Alii hanc de Angelorum stupro cum mulieribus opinionem rejiciunt.

V. Augustinus vero [3], etsi temere definire non audet, utrum dæmones, quos vulgo incubos vocant, alii Silvanos, Panes, et Faunos, cum mulieribus rem habere possint; « Dei tamen Angelos sanctos nullo modo illo tempore sic labi potuisse » confirmat. Quare quos LXX interpretes et Angelos, et *Filios Dei* nuncupant, vel, ut alii codices habent, solum *Filios Dei*, Aquila *Filios Deorum*, eos homines fuisse ex Sethi progenie non dubitat; quæ communis, et verissima est interpretatio. Itaque Chrysostomus eorum opinionem [4], qui Filios Dei Angelos interpretantur, μυθολογίαν, id est *fabulam* appellat, et *blasphemiam*. Primum quia nusquam *Filii Dei* vocati sunt Angeli. Deinde quia stultum est, Angelos putare, tanto post intervallo cecidisse, cum ante Adamum lapsos esse constet, ut est in libro *Sapientiæ : Invidia diaboli mors intravit in mundum*. Denique quod absurdum sit, naturam corporis expertem cum corporibus misceri, aut illecebris istiusmodi tentari. Verum non animadvertit, eos, qui de Angelis ita senserunt, corporibus præditos illos putasse; quo constituto, consequens potest alterum videri, quemadmodum absurdum merito judicatur, si, ut sunt revera, incorporei censentur Angeli. Quare eodem argumento Theodoretus sententiam illam, et *Geneseos* interpretationem refellit [6], quippe qui diabolum, et dæmones ejusdem, ac bonos Angelos naturæ, et meros sine corporibus spiritus esse credidit [7].

VI. Refellit et istam de Angelorum stupro cum mulieribus opinionem Basilius Seleuciensis [8]. Tum Cassianus collatione octava [9], apud quem Serenus Abbas sic disputat : «Nullo modo credendum est, spirituales naturas coire cum feminis carnaliter posse. Quod si aliquando hoc secundum litteram fieri potuisset, quomodo nunc quoque idipsum vel non raro contingeret, et absque feminæ, vel coitu viri, aliquos nasci similiter de mulieribus conceptu dæmonum cerneremus? quas procul dubio per semetipsos exercere plus, quam per homines mallent, si illud ullo modo potuisset impleri. »

In quo non est Augustino contrarius, ut putat Cuyckius [10]. Primo, quia nihil affirmare de isto dæmonum concubitu voluit Augustinus, utrum scilicet propriis hanc libidinem corporibus paterentur, etsi utcumque cum feminis hanc fœditatem patrasse fatetur; quod negare contra tot testium fidem impudentiæ esse dicit. At Cassianus non negat, quin quoquo modo illudere possint mulieribus dæmones, ac semen alienum in eas transferre. Sed carnaliter id posse fieri negat; nempe ut virorum more coeant, ac suo, et proprio fœtu mulieres gravident ita, ut patres dici possint ex nefanda illa commistione satorum hominum; quemadmodum Filiorum Dei, id est Angelorum filios gigantes fuisse sentiebant ii,

1 Cap. IV.— 2 Col. 463.— 3 Lib. XV *de Civit.* cap. XXIII.— 4 Hom. XXII in *Gen.*— 5 Cap. II, 24.— 6 Lib. V *cont. Hær.* c. VIII.— 7 Orat. III *con. Græc.* et q. XLVII *in Gen.* — 8 Orat. VI.— 9 Cap. XXI. — 10 Annot. *ad Cass*

quos contra disserit. Itaque carnaliter tantummodo coire negat posse, hoc est hominum ritu, cum alioqui tenuissimis corporibus constare tam bonos, quam malos Angelos, Cassian. existimet[1], ut l. I, c. II demonstravi.

Philastrius Brixiensis in libro *de Hæresibus*[2], eam opinionem, quæ asserit « quod Angeli miscuerint se cum feminis ante diluvium, et inde esse natos gigantes, » inter hæreses refert. Vide et Nicetam lib. IV cap. XII.

Cyrillus porro *Glaphyrorum* libro primo utramque loci illius *Geneseos* lectionem referens, posteriorem respuit, quæ *Angelos Dei* habet; et multis adstruit, absurdum esse credere, Angelos mulierum cupiditate tangi potuisse, aut ex iis sobolem procreasse.

VII. Nec illud prætereundum arbitror, quosdam ex antiquioribus illis, qui dæmones incestasse feminas volunt, eamque ruinæ iis occasionem fuisse; non idem de Angelorum principe, quem diabolum vocant, judicare, sed eum propria culpa velle ante cecidisse, tum aliquanto post Angelos libidinum istis illecebris irretitos in eamdem traxisse perniciem. Hæc Lactantii fuit opinio[3], ut ex antecedenti capite constat, qui Diabolum ante primos homines jam principatu decidisse suo scribit, et adversus ejus insidias missos ad præsidium hominum Angelos, ejusdem fraude circumventos esse. Quod et alii quoque persuasisse videntur sibi, qui Angelos ob mulierum cupiditatem e statu suo decidisse sentiunt, ut Methodius apud Epiphanium hæresi LXIV[4]. Unde nec illa Sixti Senensis ratio valet[5], qui Ambrosium negat in communi illa de Angelorum libidine sententia fuisse, quia *ad Psal.* CXVIII, sermone VII « diabolum ait per superbiam naturæ suæ amisisse gratiam. » Sed, ut dixi, Diaboli, id est principis ipsius rebellium Angelorum causam ab reliquis sejunxit Ambrosius. Epistola porro illa *ad Demetriadem*, quam Sixtus idem citat, non est Ambrosii.

Sed priore illa repudiata opinione, quæ tam serum Angelorum lapsum fuisse fingit, et ejusmodi, qui in meros spiritus, quales Angeli sunt, minime congruit; commodius cæteri ex antiquis Patribus primo illorum peccato partim invidiæ, partim superbiæ crimen inscribunt. Nam alterutro solum affici Angelos posse docet S. Thomas[6], etsi reliquorum in se reatum hortando, et incitando suscipiant.

VIII. Atque invidia primum illos esse lapsos nonnulli prodiderunt; quod bifariam patet. Nam aut hominum generi invidisse volunt Angelos istos; aut hominum principi, et capiti Christo. Irenæus homini invidisse credidit[7], « Et tunc, ait, apostata est Angelus hic et inimicus, ex quo zelavit plasma Dei, et inimicum illum Deo facere aggressus est ». Lactantius diabolum putavit[8], « suapte invidia tanquam veneno infectum esse, et ex bono ad malum transcendisse »; invidisse autem Dei Filio, quem Pater produxerat « similem sui spiritum, qui esset virtutibus Dei patris præditus. Invidit, inquit, illi antecessori suo, qui Deo patri perseverando tum probatus, tum etiam carus est ». Sed nimis anguste de Dei sentire Filio scriptorem istum, dictum est in libro primo *de Trinitate*.

Alii invidia lapsos esse Angelos docent.

Gregorius Nyssenus homini invidisse ait Angelum principem, qui terrenarum rerum administrationi præpositus erat, cum ad imaginem Dei factum et expressum esse tam præ se contemptum opificium vidisset, ac suo præsertim imperio subjectum : « Igitur intelligibili creatura prius existente, et unicuique angelicarum virtutum certa functione, ad universi constitutionem, ab ea potestate, quæ præest omnibus, attributa, cum virtus quædam exsisteret ad hoc ordinata, ut terrestrem locum contineret, ac moderaretur, ad idque præstandum corroborata esset ab universorum præside virtute, ac subinde luteum illud figmentum elaboratum esset, superioris illius effigies, et imago Virtutis; (hoc autem animal homo erat, in quo divina intelligibilis naturæ pulchritudo inexplicabili quadam virtute temperata erat) indigne hoc tulit, nec tolerabile ratus est ille, qui terrenarum rerum curationem sortitus fuerat, quod ex subjecta sibi natura substantia quædam esset condita, quæ ad excellentis illius dignitatis similitudinem expressa foret[a]. » Paulinus quidem

a GREGOR. NYSSEN. *Catech.* cap. VI. Ἐπεὶ οὖν τῆς νοητῆς κτίσεως προϋποστάσης, καὶ ἑκάστης τῶν ἀγγελικῶν δυνάμεων πρὸς τὴν τοῦ παντὸς σύστασιν ἐνεργείας τινὸς παρὰ τῆς τῶν πάντων ἐπιστωτούσης ἐξουσίας προνεμηθείσης, ἦν τις δύναμις ἡ τὸν περίγειον τόπον συνέχειν τε, καὶ περικρατεῖν τεταγμένη, εἰς αὐτὸ τοῦτο δυναμωθεῖσα παρὰ τῆς τὸ πᾶν οἰκονομούσης δυνάμεως, εἶτα κατεσκευάσθη τὸ γήϊνον πλάσμα τῆς ἄνω δυνάμεως ἀπει-

1 Lib. VII, cap. XIII, — 2 Cap. LIX, — 3 Lib. II, cap. VIII, XI, XIV. — 4 Epiph. Hær, LXIV, num, 21. — 5 Lib. V *Annot.* — 6 In I Par. q. LXIII, art. 2.— 7 Lib. IV, cap, LXXVIII.— 8 Lib. II, cap. VIII.

epistola quarta, Diaboli peccatum, cujus gratia damnatus est, significat invidiam fuisse, quatenus ob id sine ulla veniæ spe condemnatum esse demonstrat, quod hominem in peccatum impulit : « Sed non sicut ille, inquit, in æternum damnati sumus, quia ille auctor peccati fuit, simulque pro se, et pro homine punietur, qui eodem periit scelere, quo perdidit. »

IX. Hæc Gregorius, ante quem Methodius idem senserat, cujus fragmentum descripsit Epiphanius hæresi LXIV [1], et apud Photium legitur codice CCXXXIV. Ibi refert, diabolum, qui, auctore Athenagora, spiritus sit circa materiam a Deo factus, ut et cæteri Angeli, qui illi subjecti sunt, ut materiæ, ac formis, quæ sunt in materia, præesset; illum, inquam, principem diabolum invidia commotum in genus humanum male commissam sibi provinciam administrasse. Postea vero partem Angelorum, quos subjectos habebat, mulierum amore captam, stupri cum illis consuetudinem habuisse.

Cyprianus quoque hoc ipsum tradidit in libro *de Zelo et livore*; cujus verba descripsit Augustinus in quarto libro *de Baptismo contra Donatistas*. capite VIII, « Vtdeamus, ait, unde zelus, et quando, et quomodo cœperit. Facilius enim a nobis malum tam perniciosum vitabitur, si ejusdem mali et origo, et magnitudo monstretur. Hinc Diabolus inter initia statim mundi et periit primus, et perdidit. Ille dudum angelica majestate subnixus, ille Deo acceptus, et carus, postquam hominem ad imaginem Dei factum conspexit, in zelum malevolo livore prorupit, non prius alterum dejiciens inflictu zeli, quam ipse zelo ante dejectus », etc. Mox item : « Quale malum est, fratres dilectissimi, quo Angelus cecidit, quo circumveniri alta illa, et præclara sublimitas potuit; quo deceptus est ipse, qui decepit? »

Viæ duce. X. Paulo aliter hoc invidentiæ crimen exponit Anastasius Sinaita in Ὁδηγῷ. « Cum igitur Deus, inquit, spectabilem hunc mundum fabricaret, hoc est cœlum, ac terram, quæque terra continentur, arbitrabatur diabolus, ut quidam doctorum ait, se a Deo constitutum iri regem, ac dominum aspectabilis creaturæ. Postquam autem productum Adamum vidit, et a Deo collatum ipsi terrenarum omnium rerum dominatum, ægre hoc ferens, et invidens homini, decepit ipsum [b]. »

Neque Tertullianus abludit ab hac sententia, tametsi impatientiæ hoc adscribit, quod invidiæ cæteri : « Igitur, inquit [2], natales impatientiæ in ipso diabolo deprehendo jam tunc, cum Dominum Deum universa opera, quæ fecisset, imagini suæ, id est homini, subjecisse impatienter tulit. Nec enim doluisset, si sustinuisset; nec invidisset homini, si non doluisset. Adeo decipit eum, quia inviderat. Inviderat autem, quia doluerat. Doluerat, quia patienter utique non tulerat. Quid primum fuerit ille Angelus perditionis, malus, an impatiens, contemno quærere, palam cum sit, impatientiam cum malitia, aut malitiam ab impatientia auspicatam deinde inter se conspirasse, et individuas in uno patris sinu adolevisse. »

Augustinus item invidia dejectum esse diabolum in tractatu V *in Joannem* : « Et quid est, inquit, invidere? Horrendum malum. Ipso malo Zabulus dejectus est. Ipsum dejecit multum maligna pestis. »

Sed et Tertullianus in libro secundo *contra Marcionem*, capite X videtur Satanæ peccatum in eo constituere, quod « læsit hominem ejectum a Dei obsequio, et ex illo deliquit, ex quo delictum seminavit. »

Alii han invidiam natura humana Verbo assumend intelligun

Sunt qui invidiam istam diaboli aliter intelligant. Nimirum existimant illum, cum a Deo didicisset humanam naturam ad consortium divinitatis assumendam esse, invidia commotum id iniquo animo tulisse. Verum nulla id Scripturæ, vel antiquorum Patrum auctoritate defenditur. Neque vero probabile mihi videtur, tanto ante patefactum hoc Angelis mysterium; neque sine gravissimo argumento, quod nullum est omnino, vati-

κόνισμα· τοῦτο διὰ (cor. δι' ἣν) τὸ ζῶον ὁ ἄνθρωπος· καὶ ἦν ἐν αὐτῷ τὸ θεοειδὲς τῆς νοητῆς φύσεως κάλλος, ἀῤῥήτῳ τινὶ δυνάμει συγκεκραμένον· δεινὸν ποιεῖται, καὶ οὐκ ἄνεκτον ὁ τὴν περίγειον οἰκονομίαν λαχὼν εἰ ἐκ τῆς ὑποχειρίου αὐτῷ φύσεως ἀναδειχθήσεταί τις οὐσία πρὸς τὴν ὑπερέχουσαν ἀξίαν ὡμοιωμένη. Ubi et ἑκάστῃ pro ἑκάστης lego, et προσνεμηθείσης.

a ANASTAS. cap. IV. Δημιουργοῦντος οὖν τοῦ θεοῦ τὸν ὁρώμενον κόσμον· λέγω δὴ τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν, καὶ τὰ ἐν αὐτῇ, ἐνόμιζεν ὁ διάβολος· ὡς φησί τις τῶν διδασκάλων· ὅτι αὐτὸν μέλλει καθιστᾶν ὁ θεὸς βασιλέα, καὶ κύριον τῆς ὁρατῆς κτίσεως. ὅτε δὲ εἶδε τὸν Ἀδὰμ γεγονότα, καὶ κατασταθέντα ὑπὸ τοῦ θεοῦ δεσπόζειν τῶν ἐπὶ τῆς γῆς, διαπονηθεὶς, καὶ φθονήσας τῷ ἀνθρώπῳ ἐπάτησεν αὐτόν.

1 Epiph. Hær. LXIV, n. 21.— 2 Lib. *de Patien.* cap. V.

cinari de re tanta fas esse arbitror. Et Rupertus in secundo *de Victoria Verbi Dei*, mysterium hoc Angelis absconditum fuisse, ex Apostolo demonstrat[1]. Prior illa porro de invidia diaboli post conditum hominem opinio eo minus placet, quod nimis serum illius lapsum facit; quem quidem sub rerum initium ante primi hominis procreationem evenisse multo est verosimilius. Adde invidia priorem videri superbiam, quam primum, ac potissimum Diaboli peccatum plerique constituunt; quibus et nos merito subscribimus.

Angeli superbia corruerunt.

XI. Quocirca diabolum, ejusque satellites non alio prius, quam superbiæ peccato corruisse communis fere sensus Patrum omnium est; quos hoc loco commemorare, præter paucos, nihil attinet.

Quod sententiis Patrum approbatur.

Imprimis autem audiendus est Augustinus, qui, quod de invidia, et superbia diximus, egregie confirmat undecimo libro *de Genesi ad litteram*[2]: « Nonnulli, inquit, dicunt, ipsum ei fuisse casum a supernis sedibus, quod inviderit homini facto ad imaginem Dei. Porro hæc invidia sequitur superbiam, non præcedit. Non enim causa superbiendi est invidentia, sed causa invidendi superbia. Cum igitur superbia sit amor excellentiæ, invidia vero sit odium felicitatis alienæ; quid inde nascatur, satis in promptu est. Amando enim quisque excellentiam suam, vel paribus invidet, quod ei coæquantur, vel inferioribus, ne sibi coæquentur, vel superioribus, quod eis non coæquetur. Superbiendo igitur invidus, non invidendo quisque superbus est. Merito initium omnis peccati superbiam Scriptura definivit, dicens, *Initium omnis peccati superbia.* » Hanc vero superbiam sic explicat[4], « ut sua potestate propter excellentiam delectatus, tumesceret superbia. » Ac subinde « amasse illum ait propriam potestatem[5], et perverso sui amore privatum sancta societate turgidum spiritum ». Et capite XXIII, « Factus continuo se a luce veritatis avertit, superbia tumidus, et propriæ potestatis delectatione corruptus. » Tum in tract. *ad Psal.* CXXI de vocabulo *idipsum* agens, quod Dei proprium esse dicit, qui semper idem est, neque commutatur, « Qui voluit, inquit, ex se habere idipsum, ut quasi sibi esset idipsum, lapsus est. Cecidit Angelus, et factus est diabolus. Propinavit homini superbiam, dejecit secum invidentia eum, qui stabat. Isti sibi voluerunt idipsum esse, sibi principari, sibi dominari voluerunt. » Et in XII *de Civ. Dei*[6] causam miseriæ malorum hanc affert, quod ab illo, « qui summe est, aversi, ad seipsos conversi sunt. » Et alio in loco[7], « Malæ voluntatis initium quod potuit esse, nisi superbia? Initium enim omnis peccati superbia est. Quid autem superbia, nisi perversæ celsitudinis appetitus? Perversa enim celsitudo est, deserto eo, cui debet animus inhærere, principio, sibi quodammodo fieri, atque esse principium. Hoc fit, cum sibi nimis placet, sibi vero ita placet, cum ab illo bono incommutabili deficit, quod ei magis placere debuit, quam ipse sibi. » In XXII quoque libro, capite primo: « Qui cum præsciret, inquit, Angelos quosdam per elationem, qua ipsi sibi ab beatam vitam sufficere vellent, tanti boni desertores futuros, non eis ademit hanc potestatem; potentius, et melius esse judicans, etiam de malis benefacere, quam mala esse non sinere .» Et libro XXII *contra Faustum*, capite LXXXVII: « Quod in veritate non stetit, sed a luce sua superna, quam de Deo habebat, superbiæ merito abcissus est.» Et libro *de Natura et gratia*, capite XXIX. Tum *in Psalmum* LVIII, et alibi passim.

XII. Augustino subscribit Abbas Serenus apud Cassianum[8], qui de lapsu diaboli percontantibus, et invidiam primum ejus fuisse peccatum opinantibus, respondet, ante hoc superbia cecidisse; quoniam Scriptura ante primorum parentum deceptionem, « serpentini nominis eum nota credidit inurendum, ita dicens: *Serpens autem erat sapientior*, sive, ut Hebræi exprimunt libri, *callidior cunctis bestiis terræ, quas fecit Dominus Deus*[9]. Intelligitis ergo, quod ante illam circumventionem primi hominis, de angelica discesserat sanctitate ita, ut non solum nominis hujus insigniri mereretur infamia, sed etiam in nequitia tergiversatione cæteris præferretur bestiis terræ. » Atqui non magnum ex illis Scripturæ verbis argumentum habetur, invidia non corruisse diabolum. Potuit enim, antequam primus homo procrearetur, divinum illi consilium de eo producendo significari, quod cum propter invidiam damnasset, e statione sua deciderit. Sed ante hanc invidiam tamen alia calamitate prostratum esse ita declarare pergit: « Denique livoris,

1 I *Timoth.* III.— 2 Cap. XIV. —3 *Eccl.* XVIII,— 4 Cap. XIII.— 5 Cap. XV. — 6 Cap. VI Vide cap. I. — 7 Lib. XIV, cap. XIII.— 8 Col. 8, cap. X.— 9 *Gen.* III.

ac seductionis materia, qua, ut hominem deciperet, instigatus est, de anterioris ruinæ exstitit causa, quod scilicet de limo terræ nuperrime figuratum ad illam eum gloriam cerneret evocandum, unde, cum esset unus de principibus, se meminerat corruisse. Et idcirco priorem ejus lapsum, quo superbiendo corruerat, quo etiam serpens meruerat nuncupari, secunda ruina per invidiam subsecuta est, quæ inveniens eum adhuc aliquid in sese rectum habentem ita, ut etiam cujusdam colloquii, atqui consilii cum homine posset habere consortium, sententia Domini utiliter in ima dejectus est. »

XIII. Quibus verbis indicat, post primum superbiæ casum, nondum omnino depravatum fuisse diabolum, sed rectum adhuc aliquid habuisse, donec eum nova, et postrema invidiæ plaga confecit. In quo non est audiendus. Et melius plane sanctus Augustinus, qui invidia omni naturaliter anteriorem ait esse superbiam, et ideo prius hac illum esse dejectum.

Cui consentit Athanasius in oratione *de Virginitate :* « Satanas, inquit, non propter fornicationem, aut adulterium, aut furtum de cœlo dejectus est. Sed superbia ipsum in inferiores abyssi partes præcipitavit[a]. »

Eusebius libro VII *de Præparatione*, ob superbiam, qua, ut Ezechiel ait, Altissimo exæquari voluit, in Tartarum cum suis deturbatum esse dicit. Ita Gregorius Nazianzenus in carmine sexto *Arcanorum*.

> Τοὕνεκεν ὁ πρότιστος ἑωσφόρος ὑψόσ' ἀερθεὶς
> (Ἠ γὰρ δὴ μεγάλοιο θεοῦ βασιληίδα τιμὴν
> Ἥλπετο, κύδος ἔχων περιώσιον) ὤλεσεν αἴγλην.
> Καὶ πέσεν ἐνθάδ' ἄτιμος.

Ideo primus omnium Lucifer sublime elatus
(Quippe magni Dei regium honorem
Sperabat, decus habens excellens) perdidit [splendorem.
Et cecidit huc inhonorus. »

Et apud Joannem Damascenum in *Eclogis* idem Gregorius, « Angelorum, inquit, ex numero ille, qui seditionem facere ausus est, et supra dignitatem suam evehi, contra omnipotentem Dominum ambitione elatus, ac supra nubes solium suum constituere cogitans, ut ferunt, pœnas dedit superbia sua dignas, ad hoc damnatus, ut pro luce caligo fieret[b]. »

Sic in oratione XXXIV et XXXVIII qua in posteriore dicit primum Angelum « ob splendorem prius appellatum Luciferum, propter superbiam, caliginem ait et effectum esse, et nominatum[c]. »

Ac recte quidem S. Chrysostomus tum eorum commentum, qui dæmones per illa cum mulieribus stupra concidisse volebant, eodem, quo Serenus apud Cassianum, argumento convincit; nam tum demum peccasse illos, longo post initium rerum intervallo, consequens esset : tum superbia ante prolapsum memorat, « cum majora sibi, quam pro merito, arrogaret[d]. »

XIV. Hieronymus in caput XVI *Ezechielis*, « Superbiam proprium diaboli, primumque peccatum vocat. Unde Apostolus, *Ne inflatus*, ait, *superbia in judicium incidat diaboli*, propter quam de cœlo corruit. » Et in caput XXVIII ejusdem, « *Donec inventa est iniquitas in te*, inventa a Deo, quæ in thesauris pectoris tui per superbiam, et abusionem potestatis, quam acceperas, tenebatur inclusa. » Et mox, « Dum enim multa conquirit, et non est contentus scientia, quam acceperat, nec potestate, cui præpositus erat, replevit cellaria, et interiora pectoris sui, ut saturatus, et incrassatus calcitraret contra creatorem suum. »

Sic Ambrosius, vel alius auctor epistolæ *ad Demetriadem*, quæ inter Ambrosianas ponitur [1]: « Hæc superbia, inquit, a diabolo sumpsit exordium ; qui, quoniam sua, quam a creatore acceperat, potentia, et dignitate sibi placuit, seque auctoris sui gloriæ compa-

a Athan. Ὁ γὰρ Σατανᾶς οὐχ' ἕνεκεν πορνείας, ἢ μοιχείας, ἢ κλόπης κατηνέχθη ἐκ τῶν οὐρανῶν· ἀλλ' ἡ ὑπερηφανία αὐτὸν κατέβαλεν εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς ἀβύσσου.

b Nazianz. *in Orat. ad Monach.* apud Dam. lit. D, tit. XXVIII. Τῶν ἀγγέλων ὁ στασιάσαι τολμήσας, καὶ ὑπὲρ τὴν ἀξίαν κατέναντι κυρίου παντοκράτορος τραχηλιάσας, καὶ ὑπὲρ τὰ νέφη καθέδραν ἐπινοῶν, ὡς λόγος, δίκην ἔδωκε τῆς ἀπονοίας ἀξίαν, σκότος ἀντὶ φωτὸς εἶναι κατακριθείς.

c Nazianz. Ὁ διὰ τὴν λαμπρότητα ἑωσφόρος, σκότος διὰ τὴν ἔπαρσιν καὶ γενόμενος, καὶ λεγόμενος.

d Chrys. hom. XXII *in Gen.* Καὶ μὴ ἡ γραφὴ ἄλλως ἡμᾶς διδάσκει, ὅτι καὶ πρὸ τῆς τοῦ πρωτοπλάστου δημιουργίας, τῆς ἀξίας ἐκείνης κατηνέχθησαν καὶ ὁ διάβολος, καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ, μεῖζον τῆς ἀξίας φρονήσαντες. Vide et hom. I *ad Thessal.*

1 Lib. IV, ep. XXXIII.

ravit, cum iis Angelis, quos in consensum impietatis suæ traxerat, a cœlesti sublimitate dejectus est. » Ac subinde : « Sive itaque in lapsu diaboli, sive in prævaricatione hominis, initium peccati superbia est, quæ congruenter et avaritia nominatur, quia utraque appellatio eum significat appetitum, qui et suam mensuram concupiscat excedere, et non dignetur dives esse, nisi propriis; tanquam habeat hoc simile Deo, ut bonorum suorum ipse sibi fons, ipse sibi sit copia. » Qui locus non universe solum Diaboli peccatum, cujusmodi fuerit, informat, ut plerique Patres, qui superbia peccasse tantummodo demonstrant; sed explicat etiam, quo superbiæ genere ceciderit, nimirum quod excellentiæ suæ amore cæcus, hanc ipsam non Deo acceptam referre, sed sibi ipsi tribuere voluerit, de quo mox plenius.

XV. Cyrillus in secundo commentariorum *ad Esaiam*, « Erat enim, inquit, quod ad gloriam attinet, insignis inter Angelos, et superis potestatibus spectabilis; et sane veluti inter astra Lucifer cecidit, et comminutus est, tumida, et turgida cogitans, et honorem, ac gloriam soli summæ naturæ congruentem rapere cupiens, quantum molimine, et vi, et animo poterat [a]. » Vide et in paschali decima, et XI *in Joannem* [1].

Theodoretus quoque, superbia primam esse cladem acceptam, memorat in *Epitome divinorum dogmatum* capite *de Diabolo*, « Hic, inquit, Diabolus, ac dæmonum turma cum cæteris incorporeis producti, illorum quidem quidem erga Dominum Deum benevolentiam non sunt imitati; sed superbiæ, et arrogantiæ morbum admittentes, in deterius conversi sunt, ac priori ex sorte ceciderunt. Atque hoc divinus ostendit Apostolus, cum de episcopali manuum impositione præscriberet : *non neophytum, ne superbia elatus in judicium incidat diaboli.* His enim verbis significat, superbiam diabolo ruinæ causam præbuisse. Tum ad Ephesios scribens hoc ipsum demonstravit dicens [2], in deterius versam esse aeris gubernationem, quæ illi commissa erat. *Secundum principem enim* ait, *potestatis aeris, Spiritus, qui nunc operatur in filiis dissidentiæ* [b]. » Et in serm. III *contra Græcos infideles* de dæmonibus agens, « Nos, inquit, istos non ab initio malos esse conditos ab universorum Deo dicimus, neque naturam ejusmodi sortitos, sed vitio voluntatis a melioribus ad pejora præcipites corruisse, et iis minime contentos, quæ sibi ab conditore præstita fuerant, sed majora quædam appetentes superbiæ labem admisisse ita, ut exciderent, et eo, qui initio concessus iis erat, honore spoliarentur [c]. » Vide eumdem in commentario ad prioris *ad Timotheum* caput tertium ad illa verba : *ne in superbiam elatus in judicium incidat Diaboli;* necnon Œcumenium, Theophylactum, et alios post Chrysostomum. Idem habet et Procopius in commentariis *ad Esaiam*, et Joannes Damascenus libro secundo cap. xxx.

XVI. Prudentius in *Hamartigenia*, partim superbia primum peccasse, partim invidia diabolum his versibus cecinit. Nam de superbia sic loquitur :

« Horum de numero quidam pulcherrimus ore,
Majestate ferox, nimiis dum viribus auctus
Inflatur, dum grande tumens sese altius effert,
Ostentatque suos licito jactantius ignes;
Persuasit propriis genitum se viribus, ex se
Materiam sumpsisse sibi, qua primitus esse
Inciperet nascique suum sine principe cœp-
[tum. »

a Cyril. lib. II, tom. II *in Esai.* Ἦν γὰρ τό γε ἧκον εἰς δόξαν, ἐπίσημος ἐν ἀγγέλοις, καὶ ἐν ταὶς ἄνω δυνάμεσι περιφανὴς, καθάπερ ἀμέλει καὶ ἐν τοῖς ἄστροις ἑωσφόρος· ἐξέπεσε δὲ, καὶ συνετρίβη πεφρονηκὼς ὑπέρογκα, καὶ τὴν μόνῃ πρέπουσαν τῇ ὑπερτάτῃ φύσει τιμήν τε, καὶ δόξαν ἁρπάσαι τολμήσας, τό γε ἧκον εἰς ἐγχειρημάτων δύναμιν, καὶ εἰς νοῦν τὸν ἐν αὐτῷ.

b Theod. Οὗτος ὁ διάβολος καὶ τῶν δαιμόνων τὸ στίφος σὺν τοῖς ἄλλοις ἀσωμάτοις γενόμενοι, τὴν μὲν ἐκείνων περὶ τὸν δεσπότην θεὸν οὐκ ἐζήλωσαν εὔνοιαν, τὸ δὲ τοῦ τύφου, καὶ τῆς ἀλαζονείας εἰσδεξάμενοι πάθος, ἐπὶ τὸ χεῖρον ἐτράπησαν, καὶ τῆς προτέρας ἐξέπεσον λήξεως, καὶ τοῦτο δεδήλωκεν ὁ θεῖος Ἀπόστολος περὶ τῆς ἐπισκοπικῆς χειροτονίας νομοθετῶν, μὴ νεόφυτον, ἵνα μὴ τυφωθεὶς εἰς κρίμα ἐμπέσῃ τοῦ διαβόλου. διὰ γὰρ τῶνδε τῶν λόγων αἰνίττεται, ὡς τῆς ἐκπτώσεως τῷ διαβόλῳ τύφος ἐγένετο πρόξενος. καὶ Ἐφεσίοις δὲ γράφων, παρεδήλωσεν εἰπὼν, ἐπὶ τὸ χεῖρον τραπῆναι τὴν τοῦ ἀέρος οἰκονομίαν, ἣν ἐπεπίστευτο. κατὰ τὸν ἄρχοντα γὰρ φησὶ, τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος τοῦ πνεύματος τοῦ νῦν ἐνεργοῦντος ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας.

c Idem in III *contra Gr.* IV. Τούτους ἡμεῖς οὐ πονηροὺς ἐξ ἀρχῆς παρὰ τοῦ θεοῦ τῶν ὅλων δημιουργηθῆναί φαμεν, οὐδὲ τοιάνδε φύσιν λαχεῖν· ἀλλὰ τῇ παρατροπῇ τῆς γνώμης ἀπὸ τῶν ἀμεινόνων εἰς τὰ χείρω μεταπεσεῖν, καὶ τοῖς παρὰ τοῦ πεποιηκότος παρασχεθεῖσιν οὐκ ἀρκεσθέντας, ἀλλ' ὀρεχθέντας μείζονων, εἰσδέξασθαι μὲν τοῦ τύφου τὸ πάθος, ἐκπεσεῖν δὲ, καὶ τῆς ἀρχῆθεν δοθείσης γυμνωθῆναι τιμῆς.

1 Lib. V *in Joan.*— 2 *Eph.* II, 2.

Sed non est credibile persuasisse vel sibi, vel aliis spiritibus diabolum, se non ab alio productum, verum a seipso procreatum esse. Hoc enim ne homo quidem sui, ac rationis compos de se sibi persuaserit. Quare poetica quadam exaggeratione superbum illius factum interpretando sic explicasse videtur, tanquam nullum sui procreatorem agnoverit, quem per superbiam contemneret. Sic luxuriæ[1], ac ganeæ dediti pro Deo ventrem habere dicuntur, non quod ita revera sentiant, sed quod re ipsa, factisque plus se abdomini, quam Deo tribuere testentur. Pergit deinde Prudentius :

» Sed factus de stirpe bonus. bonitatis in usum
Proditus, et primo generis de fonte serenus,
Deterior mox sponte sua, dum decolor illum
Inficit invidia, stimulisque instigat amaris.
Arsit enim scintilla odii de formite zeli,
Et dolor ingenium subitus conflavit iniquum.
Viderat argillam, simulacrum et structile [flatu
Concaluisse Dei, dominum quoque condi- [tione,
Qui cunctum proprio regeret moderamine [mundum
Impositum, natura soli, pelagique, polique,
Ut famulans homini locupletem fundere [partum
Nosset, et effusum terreno addicere regi;
Inflavit fermento animi stomachante tumo- [rem
Bestia, deque acidis vim traxit acerba me- [dullis. »

XVII. Hic invidia in recenter creatum hominem exarsisse, ac primum ita peccasse dicit. Sic enim ex bono, ac sereno deteriorem esse redditum, infectumque significat. Eodem ergo momento et superbiam, et invidiam concepisse animo putat.

Melius Alcimus Avitus, qui in secundo libro posteriorem invidiæ labem agnoscit, qua hominem oppugnavit, ut ne cœlum, unde dejectus erat, obtineret, cum jam ipse superbia præceps ruisset.

« His protoplastum sensum primordia sacra
Continuere bonis ; donec certamine primo
Vinceret oppressos fallacem culpa per hostem.
Angelus hic fuerat dudum ; sed crimine post- [quam
Succensus proprio, tumidos exarsit in ausus;
Se fecisse putans ; mox tanquam conditor [esset
Ipse sui, rabido concepit corde furorem,
Auctoremque negans, Divinum consequar, [inquit,
Nomen, et æternam ponam super æthera [sedem
Excelso similis, summo nec viribus impar. »

Eodem modo interpretanda ista sunt, quo superiora illa Prudentii. Non enim credibile est, diabolum ignorare potuisse conditorem suum, aut se factum a seipso credere.

Cassianus itidem collat VIII cap. VIII et X ante superbia depravatum esse diabolum cum suis asserit, quam invidia peccaret ; ac priorem illam ruinam ex Ezechielis, et Isaiæ locis illis adstruit : « Denique livoris, ac seductionis, ait capite decimo, materia, qua, ut hominem deciperet, instigatus est, de anterioris ruinæ exstitit causa, quod scilicet de limo terræ nuperrime figuratum ad illam eum gloriam cerneret evocandum, unde, cum esset unus de principibus, se meminerat corruisse.» Ita etiam Theodotus Ancyranus ab Joanne Damasceno citatus in *Eclogis*, littera D., titulo XXVIII, prius superbia cecidisse, deinde invidiam concepisse dicit in oratione *in Natalem Domini*.

XVIII. Sic etiam Leo Papa prius superbia, quam invidia deliquisse satanam arbitratur : « Primum, inquit[2], superbus, ut caderet : deinde invidus, ut noceret, quia in veritate non stetit, totam vim suam in mendacio collocavit. »

Fulgentius vero in primo *ad Monimum*[3] : « Itaque si initium peccati requiritur, nihil aliud nisi superbia invenitur. Dicit enim Scriptura : *Initium omnis peccati superbia.* Quæ itaque tunc initium sumpsit, cum Angelus adversus Deum elatus, et ipsa elatione prostratus, per concupiscentiam (quæ radix est omnium malorum) volens usurpare, quod illi datum a Deo non fuit, a Deo discessit, et cecidit, in quo si stetisset, non cecidisset. Sed per concupiscentiam malam, qua concupivit plus extra se, minus factus est in se. Quam concupiscentiam, licet, explere nequiverit opere, tamen retinuit voluntate. »

Paschasius Diaconus libro secundo *de Spiritu sancto*, capite tertio, « In illo fuit ista excellentior creatura, qui in cœlesti claritate

1 *Philip.* III, 17.— Serm. 4 *de Coll.*— 3 Cap. XVII.

præfulgens, muneris conscius, auctoris ignarus, habere se vidit, accepisse nescivit; et ideo gloriam, quam beatus non intellexit, elatus amisit, ita dicens: *Ascendam super astra nubium, ponam super thronum solium meum, et ero similis Altissimo.* Hic ergo nullum in creaturis superiorem se, ut reor, habuit; nullum medium inter se, et Deum vidit, in cujus æmulatione superbiæ stimulo concitatus assurgeret, et ideo nullum ante se stare in ordine militiæ cœlestis, aspiciens, ipsi rerum Domino se æquare præsumpsit. » Item Prosper lib. III *de Vita Contemplativa*, cap. III. « Superbia ex Angelis dæmones fecit; humilitas homines sanctis Angelis similes reddit. » Et in epistola *ad Demetriadem*. Faustus lib. I *de Libero arbitrio*, capite primo: « Ac sic callidus serpens superbiæ malo ejectus e cœlo machinas sibi ad hominem subruendum de casu proprio, lapsuque disposuit, et quomodo cecidit, sic decepit. » Sic Antonius M. in epistola secunda *ad Arsenoitas*, quæ est in tomo tertio Bibliothecæ Patrum, « Diabolum, ait, per superbiam, et inanem gloriam cœlitus fuisse dejectum. »

XIX. Consentit et Gregorius Papa [1], qui superbiæ crimen illud enucleatius aperit: « Ei quippe, a quo conditus fuerat, inquit, subesse despexit. Ita enim Deus super omnia est, ut ipse sub nullo sit; Leviathan vero iste ejus celsitudinis culmen aspiciens, jus perversæ libertatis appetiit, ut et præesset cæteris, et nulli subesset, dicens, *Ascendam super altitudinem nubium, et similis ero Altissimo* [2], Cujus eo ipso similitudinem perdidit, quo esse ei superbe similis in celsitudine concupivit. Qui enim caritatem ejus imitari debuit subditus, ambiit ejus celsitudinem, et hoc, quod imitari poterat, amisit elatus. Celsus nimirum esset, si ei, qui veraciter celsus est, inhærere voluisset. Celsus esset, si participatione veræ celsitudinis contentus fuisset. Sed, dum privatam celsitudinem superbe appetiit, jure perdidit participatam. Relicto enim eo, cui debuit inhærere, principio, suum sibi appetiit quodammodo esse principium. Relicto eo, qui vere illi sufficere poterat, se sibi sufficere posse judicavit; et tanto magis intra se cecidit, quanto magis se contra gloriam sui conditoris erexit. » Et in libro *Pastorali* [3], de prælato Ecclesiæ superbia elato disserens, « in quodam quippe, ait, se constituit culmine apud semetipsum; et qui æqua cæteris naturæ conditione constringitur, ex æquo respicere cæteros dedignatur. Sicque usque ad ejus similitudinem ducitur, de quo scriptum est: *Omne sublime videt, et ipse est rex super universos filios superbiæ.* Qui singulare culmen appetens, et socialem Angelorum vitam despiciens, ait, *Ponam sedem meam ad aquilonem, et ero similis Altissimo.* Miro ergo judicio intus foveam dejectionis invenit, dum foris se in culmine potestatis extollit. Apostatæ quippe Angelo similis efficitur, dum homo hominibus esse similis dedignatur. » Et alio loco [4]: « Hostis enim noster inter omnia conditus, voluit videri super omnia elatus, Redemptor autem noster magnus manens super omnia, fieri inter omnia dignatus est parvulus. »

Invidia dæmonum in homines illorum lapsu posterior.

XX. Porro invidiam, qua in hominem exarsit, posteriorem ipsius ruina fuisse, adeoque peccato altero, demonstrat in eodem *Pastorali* [5], sic scribens: « De illo namque scriptum est: *Invidia autem Diaboli mors intravit in orbem terrarum.* Quia enim ipse malignus spiritus adversarius noster cœlum perdidit, condito ad hoc homini invidit, et damnationem suam perditus adhuc alios perdendo cumulavit. » Vide et homiliam XXXIV. Et Alcuinum libro *de Virtutibus, et vitiis*, cap. X et XXIII.

Sic Damascenus contra Deum insurrexisse ait principem illum cum satellitibus suis, eique ausum esse resistere [a].

Bernardus quoque sæpe idipsum prædicat· Ut in sermone primo *de Adventu*, ubi Luciferum illum damnatum esse ait, « pro eo quod Altissimi similitudinem usurpare tentatavit, et rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo (quod utique Filii est.) » Quare superbiam ejus in hoc statuere videtur, quod proprium Filii affectavit honorem, ut Patri esset æqualis. : « Nihil ille fecit, ait, nihil operatus est; tantum cogitavit superbiam, et in momento, in ictu oculi irreparabiliter præcipitatus est. » Ita et in sermone XI *ad Psalmum* XC, et sermone XXXIII *in Cantica*, et sermone secundo *in Octavam Paschæ*, et sermone secundo, ac tertio, *de Verbis Esaiæ*, et serm. primo *de Omn. Sanct.*

a Damasc. Καὶ ἐπήρθη κατὰ τοῦ πεποιηκότος αὐτὸν θεοῦ. ἀντᾶραι αὐτῷ βουληθείς.

1 Lib. XXXIV *Mor.* XVII; Vide et lib. IV, cap. IX et XIII et lib. XIX *Moral.* cap. I. — 2 *Esa.* XIV. — 3 Part. I, cap. VI. — 4 Part. III, cap. XVIII. — 5 Part. III, cap. XI.

Cujusnam generis superbiæ sit peccatum dæmonis.

XXI. Igitur diaboli peccatum plerique superbiæ genere illo circumscribunt, quod Deo æqualis, ac similis esse voluerit. Quo et vulgata illa prophetarum oracula pertinere sentiunt; ut Isaiæ de rege Babylonis, quem Luciferum vocat: *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo: In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum; sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium; similis ero Altissimo.* Et *Ezechielis* capnt octavum et vicesimum [1], quo sub regis Tyri figura describi volunt rebellium Angelorum principem; cujus cum insignem habitum, ornatumque repræsentasset, mox addit: *Et elevatum est cor tuum in decore tuo; perdidisti sapientiam tuam in decore tuo. In terram projeci te:* et si qua alia sunt istiusmodi Scripturæ loca, quæ figurate referuntur ad diabolum, ut plerique sentiunt, etsi non desunt, qui de diabolo negant ullo modo debere intelligi; qua de re paulo post.

Illum similem esse Deo affectasse intellectu difficile.

XXII. Quemadmodum autem Deo esse similis affectarit, ac tantum superbiæ conceperit, non est explicatu facile. Neque enim id appetere potuit, nisi intelligentia ut cumque caperet, posse creatam quampiam rem eo pertingere. At hoc sine summa cæcitate, ac stoliditate persuadere sibi ne mortalis quidem homo possit, nedum Angelus, et quidem sapientia, intelligendique vi longe, ut creditur, omnium præstantissimus, quem nulla perturbatio, errorque nullus in fraudem induceret; qui cum perfectissime ex sese, operibusque cæteris, necnon infusa, ut plures existimant, fidei luce Deum cognosceret, tum hoc perspicue videbat, infinito se intervallo distare ab summa illa, excellentique majestate, cui se subjici vel invitum necesse esset, neque se imperio illius, ac dominatui posset eripere. Disputavit de eo latius cæteris, ac subtilius Guillelmus Parisiensis [2]. Cujus hæc imprimis est ratio: Peccasse superbia diabolum [3], quod non, ut servum decebat, subjectus esse Deo, sed, ut filius, liber, ac sui juris esse, ac præesse omnibus voluerit. Cum enim excellentiam suam, ac nativa ornamenta contemplaretur, eorum amore, ac voluptate captus, et plus æquo sibi placens, nulli subesse penitus, ac rebus omnibus a Deo conditis summo, ac nulli obnoxio jure dominari voluit.

XXIII. Itaque præcipitem [4], et inconsideratum mentis illum fuisse motum ait, nec deliberatum [5]; cujusmodi ex formosæ mulieris aspectu subita, neque tamen non voluntaria libido, et cupiditas oritur, quæ sic animum occupat, ut ab aliarum rerum, et quidem salutarium, cogitatione illum avocet. Quamvis autem nulla in Angelo isto similis perturbatio, aut ignorantia tum fuerit; vis est tamen tanta superbiæ, ac φιλαυτίας, ut sapientissimum quemque facile implicet ad seque rapiat: « Incredibilis virtutis (ait non bonis verbis [6], sed veris, et eruditis, Parisiensis ille antistes) ad obtenebrandum intellectum, et ad pervertendum palatum spirituale, est falsa dominatio, et honor illustris. Vel incredibilis levitatis, atque infirmitatis fuit in isto primo peccatore unaquæque virium istarum, sicut evidenter vides in hominibus, quos tanta celeritate rapit in se, et inflammat amore suo honor illusoriæ, ettam fugacis dominationis. Nec ignoravit hoc ille poeta de gente Latinorum, qui dixit.

Amoris proprii.

Nihil est, quod credere de se
Non possit cum laudatur Diis æqua potestas [7].

Adjuvaberis autem ad hoc lucidius videndum, si dementationes adulationum cogitaveris, quæ adeo falsa, adeoque incredibilia suadent, et credere faciunt homines, quos dementant. Si tanta est virtus adulationis ex alieno ore blandissime applaudentis, ut falsa manifestissima, et incredibilia sic suadeat, et credi faciat; cujus virtutis esse putanda est, quæ ex ipso corde, seu intellectu unicuique confingit inopinabilia, cum idem est orator, et judex, decipiens, et deceptor? » Ac nonnullis interpositis, « Si quis, inquit, quoque admiretur, qualiter, tam subito rapere potuit eum in se honoris illius illusorii pulchritudo; utinam attendat, quanta facilitate pulchritudo mulieris rapuerit in se corda sapientissimorum? Eodem modo et pulchritudo divitiarum atque deliciæ. »

Quo sensu id intelligendum.

XXIV. Quinetiam verisimile arbitratur idem [8], diabolum, et angelos ejus divinum sibi honorem voluisse tribui, hoc est pro diis haberi se, et adorari; quod ab gentibus obtinere magno deinde studio conati sunt. Hæc,

1 *Ezech.* xxviii, 17.— 2 In 1 Part. secundæ Part. *de Univ.* a c. xcix.— 3 Cap. cvi et cix.— 4 Cap. cx.— 5 Cap. cxi.— 6 Cap. cx.— 7 Juven. Sat. iv.— 8 Cap. cxi.

et alia, quamplurima de peccato diaboli, ac superbia Guillelmus Parisiensis ; ex quibus interpretari possumus, quemadmodum æqualitatem cum Deo, ac similitudinem affectari improbus ille, nimirum quod summæ majestatis proprium in creatas res dominatum, ac nulli subjectum imperium, affectu saltem, ac voto concupivit.

Sane Rupertus in primo *de Victoria Verbi Dei*, capite VIII et sequentibus , postquam Diaboli, quem summum Angelorum fuisse censet, peccatum primum superbia definiit, quam ex *speciositate*, *scientia*, *et magnitudine* sua concepit, quibus tribus ornamentis sanctæ Trinitatis signaculum, atque imago quædam excellens erat : Deum quoque haberi voluisse credit, et ab Angelis adorari, majori inde sumpta fiducia, quod, cum ante omnes creatus esset, neminem productionis suæ conscium haberet. « Non suffecit, inquit, ei tanta largitas creatoris, nisi idem diceretur, vel existimaretur de ipso, quod de Deo, nisi adoraretur ab Angelis ut Deus, nisi prædicaretur et ipse increatus. Negavit quippe Deum esse creatorem suum, et dixit se esse Deum,» etc. quæ ex *Ezechielis* capite illo XXVIII latius edisserit, ac præsertim illud docet, cum nullum haberet ex omnibus Angelis conscium suæ creationis, mentitum esse, se a nullo procreatum fuisse, eique multos adulatos esse, quos delectabat servire potius creaturæ, quam creatori. Idem de superbia et aliis in locis repetit, ut in secundo libro, capite duodecimo.

Anselmus vero similitudinem illam Dei paulo accipit laxius[1], minusque proprie. Nam « contra voluntatem Dei, inquit, hoc voluit inordinate similis esse Deo, quia propria voluntate, quæ nulli subdita fuit, voluit aliquid. Solius enim Dei esse debet, sic voluntate propria velle aliquid, ut superiorem non sequatur voluntatem. Imo, inquit, non solum voluit esse æqualis Deo, quia præsumpsit habere propriam voluntatem, sed etiam major voluit esse, volendo, quod Deus illum velle nolebat ; quoniam voluntatem suam supra voluntatem Dei posuit. » Vide ejusdem *Elucidatorium*.

XXV. Utrumque, et æqualem se esse Deo et superiorem voluisse diabolum scripsit Isidorus[2], sed prius illud, hoc posterius admisisse : « Uno, inquit, superbiæ lapsu, dum Deo per tumorem se conferunt, et homo cecidit, et diabolus ; sed homo reversus ad pœnitentiam, Deo se inferiorem esse cognovit ; Diabolus vero non solum hoc contentus, quod se Deo æqualem existimans cecidit, insuper etiam superiorem Deo se fecit, secundum Apostoli dictum[3]; *Qui adversatur, et colitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur*. Verum hoc, ut dixi, postea. Nam prima labes illius tumor ille fuit, ac superbia, « qua, cum se clariorem cæteris Angelis aspiceret, confestim intumuit, et cor suum ad superbiam elevavit, » ut idem ait ; vel, ut ex eodem Hugo Victorinus[4], et Magister Sententiarum referunt[5], « postquam creatus est, absque aliquo intervallo, profunditatem suæ scientiæ perpendens, in suum creatorem superbivit, et, ut dicitur in Esaia , Deo æquari voluit dicens : *In cœlum conscendam ; super astra cœli exaltabo solium meum, et ero similis Altissimo*. Tum addunt : « Similis esse voluit, non per imitationem, sed per æqualitem potentiæ. » Imo vero imitatione magis, quam æqualitate potentiæ similis esse cupiit ; hoc est non *per æquiparentiam*, sed *per similitudinem*, ut loquitur sanc. Thomas[6] ; quippe prius obtineri non posse satis intelligebat. Similem autem optavit se esse Deo, ut idem explicat quatenus, « vel ut finem ultimum beatitudinis appetiit id, ad quod virtute suæ naturæ poterat pervenire, avertens suum appetitum a beatitudine supernaturali, quæ est ex gratia Dei. Vel si appetiit, ut ultimum fidem, illam Dei similitudinem, quæ datur ex gratia, voluit hoc habere per virtutem suæ naturæ, non ex divino auxilio, secundum Dei dispositionem. » Hæc sanctus Thomas ; quæ haud scio, an veterum Patrum placitis perinde consentanea sint, atque illa Guillelmi Parisiensis.

Auctoris sententia.

XXVI. Quocirca summæ, et absolutæ dominationis in creatas res omnes cupiditate, et subjectionis odio, ac detestatione, si quidem id consequi posset, lapsum esse diabolum arbitramur, et sanctus Bonaventura testatur in *Breviloquio*[7] : « Primus, inquit, Lucifer inter Angelos præsumens de privato bono, privatam appetit excellentiam, volens aliis superferri ; et ideo cecidit cum cæteris consentientibus sibi. » Ac subinde : « Lucifer suæ pulchritudinis et altitudinis consideratione

1 Lib. *de Casu diab.* c. IV.— 2 Lib. I *de Sum. bono.* c. XII.— 3 II *Thes.* II, IV. — 4 *Sum. Sent.* Tr. II, c. IV.—5 In II, dis. VI.— 6 In I Par. qu. LXIII, art. 3.— 7 Cap. VI.

excitatus ad se diligendum, et suum privatum bonum, præsumpsit de altitudine habita, et ambivit excellentiam propriam, non tamen obtentam, ac per hoc præsumendo constituit se sibi summum bonum in seipso quiescendo.» Hæc enim illa Dei similitudo est, secundum quam hominem ad Dei imaginem factum in Scriptura dici Chrysostomus, aliique Patres interpretantur, ut alio loco docuimus ; quod ideo procreatus sit, ut *dominaretur bestiis terræ, ac piscibus maris*, sed ita tamen, ut se Deo subjectum esse non intelligeret modo, verum etiam libens, ac volens pateretur ; quod superbus ille apostata detrectare ausus est, ac summum, et αὐτοκρατὲς in res omnes imperium vel voto tenus, et inani desiderio concipere. Hoc enim peccati genere labi potuisse Angelum, nemo diffitetur. Quo quidem referri potest hoc, quod Honorius Augustodunensis in libro *de Prædestinatione, et libero arbitrio* prodidit [1]. « Similem Altissimo Diabolum eo fieri voluisse, quod Deus dici voluit, et ut Deus ab Angelis adorari. » Hujusmodi Diaboli peccatum recte Augustinus *ad Psalmum* LXX descripsit : « Porro, inquit, si perverse voluerit imitari Deum, ut, quomodo Deus non habet a quo formetur, non habet a quo regatur, sic ipse velit sua potestate uti, ut, quomodo Deus, nullo formante, nullo regente vivat; quid restat, fratres, nisi ut recedens ab ejus calore torpescat, recedens a veritate vanescat, recedens ab eo, quod summe. atque incomparabiliter est, in deterius mutatus deficiat? Hoc Diabolus fecit ; imitari Deum voluit, sed perverse ; non esse sub illius potestate. sed habere contra illum potestatem. »

XXVII. At Cyrillus libro V *in Joannem*, naturam ipsam divinitatis affectasse Satanam putat : « Falsa, inquit, opinione persuasit sibi, posse creaturam ad naturam sui creatoris ascendere, et in eodem throno sessuram cum universi rectore Deo [a]. » Verum φύσιν ibi dixit, opinor, pro naturali, et propria divinitatis gloria. Anselmus vero in *Elucidatorio*, non æqualem modo Deo, sed majorem se esse voluisse scribit diabolum : « Cum videret se, inquit, omnes Angelorum ordines gloria, et decore præcellere, spretis omnibus, voluit Deo æqualis, imo major existere. » Interroganti deinde, « quomodo major, vel æqualis ? » respondet : « Meliorem statum, quam ei Deus dedisset, voluit Deo invito arripere, et aliis per tyrannidem imperare. » Nimirum non proprie, ac reipsa Deo major esse conatus est, sed interpretatione quadam ; quemadmodum is, qui voluntati suæ contra Dei mandatum obtemperat, Deo se anteferre dicitur.

Naturam.

CAPUT III.

De rebellium Angelorum principe diabolo. Unde hoc illi nomen. Utrum supremus Angelorum omnium fuerit. Variæ de eo sententiæ. Probabilius esse summum illum inter Angelos fuisse. Esaiæ, et Ezechielis loca de Lucifero ; et quatenus hoc illi nomen congruit. Post lapsum mansisse in dæmonibus graduum discrimen. Cur caput reproborum dicatur Diabolus ; et quomodo in peccatum alios traxerit. Utrum statim, postquam creati sunt, peccaverint ; ac subinde etiam post lapsum dejecti fuerint. Nemesii locus illustratus. Non videri statim excidisse, ex antiquorum sententia, Cassianus notatur. Utrum uno, an pluribus peccatis lapsi sint, Cur, postquam semel peccarunt, negata illis est venia.

I. Desertorum, ac rebellium spirituum princeps fuit, is, qui exemplo, vel hortatu suo cæteros in ruinam præcipitasse creditur ; qui et Diabolus, et Satanas, et vulgo etiam Lucifer nominatur. Nam diabolum a reliquis, quos dæmones, et Angelos illius Scriptura vocat [2], tam hæc separat, quam Patrum veterum plerique. Chrysostomus apud Photium ait, « sæpius in Scriptura draconem vocari diabolum, et serpentem flexuosum [b]. » Tum hoc illi nomen ait « tribui, non quod radix sit malitiæ, ut asserunt Manichæi, sed quod imperet dæmonibus, et auctor eorum ruinæ fuerit [c]. » Sic Joannes ὁ νηστευτὴς in tomo VII operum Chrysostomi, diabolum, ejusque dæmones discernit.

Quis rebelliu spirituu princep

Unde diaboli men Angelor rebelliu princi inditur

Jejunat

Ita Tertullianus libro quinto *contra Marcio-*

a Cyr. V *in Joan.* Ἐφαντάσθη γὰρ δύνασθαι τὸ ποιηθὲν εἰς τὴν τοῦ ποιήσαντος ἀναβῆναι φύσιν, καὶ συνθρόνον ἔσεσθαι τῷ πάντων ἔχοντι τὸ κράτος θεῷ.

b Cod. CCXXXVII. Ὅτι δράκοντα πολλάκις ἡ γραφὴ καλεῖ τὸν διάβολον, καὶ ὄφιν σκολιὸν.

c Mox : Οὐχ' ὡς ῥίζα κακίας, ὥς φασιν οἱ Μανιχαῖοι· ἀλλ' ὡς κατάρχων τῶν δαιμόνων, καὶ ἀρχηγὸς αὐτοῖς τῆς ἐκπτώσεως γεγονώς

1 Tom. IX *Bibl. Patr.*— 2 *Matth.* XXV, 41.

nem, [1] « diabolo subjungi, ait, potestates, et munditenentes tenebrarum istarum. » Et in secundo libro diabolum istum « eminentissimum Angelorum, Archangelum, et sapientissimum omnium » fuisse dicit, qui ab Ezechiele describitur sub Tyrii principis figura. Quem et diabolum appellatum esse, hoc est *delatorem* putat, quod falsum de Deo detulerit : « primo quod Deus illos ex omni ligno edere vetuisset : dehinc quasi morituri non essent, si edissent : tertio quasi Deus illis invidisset divinitatem. »

Didymus in libro *contra Manichæos*, qui est in tomo quarto Bibliothecæ Patrum, « Diabolus, inquit, quia Deum accusat apud homines, et homines apud eos ipsos inter se, hoc nomen sortitus est. » Tum satanam eumdem appellari, hoc est ἀντικείμηνον *adversarium*.

olum. Cæsarius vero [a] διάβολον nominatum ait duplicem ob calumniam, quoniam et Angelos apud Deum calumniatus est, et Deum apud Adamum ; quod posterius Andreas secutus est in *Scholiis* ad caput duodecimum *Apocalypsis*, ad ista verba ; *Et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, et satanas, qui seducit universum orbem ; et projectus est in terram. et Angeli ejus cum illo missi sunt.* « Sanatas, inquit, vocatus est, tanquam adversans domino suo ; diabolus vero, tanquam Deum apud homines calumnians, velut Adamum [b]. » Addit Joannes : *Projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die, ac nocte.* Hanc jugem accusationem Andreas idem « perpetuam, nec interruptam ait esse vexationem, qua nos improbus iste persequitur [c]. » In *Catena Græca in Job* Dionysius ponitur, qui satanam dici ait quasi adversarium ; Diabolum vero, « quod idem peccari nostri sit administer, et accusator ; vel quod Deum apud hominem accusavit invidiæ, et hominem apud Deum, tanquam spe mercedis virtutem operetur [d]. »

II Hunc itaque dæmonum antistitem, Angelorum omnium fuisse principem, ac longe creatis omnibus spiritibus antecellentem complures asseverant ; nonnulli infra supremum illum gradum, ordinemque collocant. Prioris vindex sententiæ Tertullianus est, quem paulo ante citavimus ; et Lactantius [2] Cyrillus item Hierosolymitanus, qui diabolum propria voluntate factum asserit, cum Archangelus, id est *princeps* esset *angelorum*, et ex *Ezechielis* capite illo XXVIII loco illo demonstrat, qui vulgo solet adduci [e]. Sic Beda in commentariis *in Job* [3], qui falso inscribuntur Hieronymo, eodem ex *Ezechielis* loco, primum omnium Angelorum fuisse diabolum colligit. Quod eximie declarat Paschasius Diaconus in secundo libro *de Spiritu sancto* [4], cujus verba capite superiori descripsimus. Auctor commentariorum *in Psalmos*, qui Hieronymo tribuuntur, in *Psalmum* XXIII. « Diabolus, inquit, novem ordines Angelorum sub sua habuit dominatione, sive bonos, sive malos. »

Utrum supremus omnium Angelorum fuerit.

Gregorius quoque Papa passim id affirmat, ut in quarto *Moralium*, capite XIII. « Ille, inquit apostata Angelus, qui ita conditus fuerat, ut Angelorum cæteris legionibus emineret, ita superbiendo succubuit, ut nunc stantium Angelorum ditioni substratus sit. » Et latissime in libro XXXII capite XVIII ubi quod *Jobi* capite XL legitur : *Ipse est principium viarum Dei*, sic interpretatur : « Et principium viarum Dei Behemoth dicitur ; quia nimirum, cum cuncta creans ageret, hunc primum condidit, quem reliquis Angelis eminentiorem fecit. » Quod deinceps *Ezechielis* trita illa auctoritate probat. Sic Isidorus libro *de Summo bono*, capite duodecimo, supra citatus a nobis.

Beda item in libro *Quæstionum*, quæstione nona : et Bernardus [6] non uno in loco, ut in primo sermone *de Adventu* : « *Initium omnis peccati superbia* ; quæ tam velociter ipsum quo-

a Cæsarius dial. III inter. 3. Ἐκ γὰρ τοῦ διαβάλλειν θεῷ τὰς τῶν ἀγγέλων χορείας φερωνύμως ἐκλήθη διάβολος, ὑπάρχων ἀρχάγγελος, τῶν δὲ ὑπερκοσμίων καταῤῥαγεὶς ὑπῆρχε τῇ πράξει ἐχθρὸς, μήπω γενομένου τοῦ ὁρατοῦ τούτου κόσμου, μηδὲ ὑπάρχοντος τοῦ παρ' αὐτοῦ ὑπαχθέντος ἀνθρώπου, γενομένου δὲ αὖθις διαβάλλει τῷ Ἀδὰμ τὸν θεὸν.

b Andreas. Διώνυμος δὲ καλεῖται, Σατανᾶς μὲν, ὡς ἀντικείμενος τῷ δεσπότῃ· διάβολος δὲ, ὡς διαβάλλων θεὸν ἀνθρώποις, ὡς τῷ Ἀδάμ.

c Idem Andreas. Ἡμέρας δὲ καὶ νυκτὸς τὴν κατηγορίαν τὴν κατὰ τῶν ἀδελφῶν ἡμῶν φησι συγκροτεῖν τὸν κατήγορον, τὸ ἐνδελεχὲς, καὶ ἀδιάλειπτον παριστῶν τῆς τοῦ Πονηροῦ καθ' ἡμῶν ἐπηρείας.

d Caten. Διάβολος δὲ ἐπειδὴ ὁ αὐτὸς καὶ συνεργὸς τῆς ἁμαρτίας ἡμῶν, καὶ κατήγορος γίνεται, ἢ ἐπειδὴ θεὸν μὲν ἀνθρώπῳ διέβαλεν, ὡς φθονερόν· ἄνθρωπον δὲ θεῷ, ὡς μισθοῦ τὴν ἀρετὴν ἐργαζόμενον.

e Cyril. Hieros. *Cat.* II. Ἀρχάγγελος γὰρ ὢν διάβολος ὕστερον ἐκλήθη ἀπὸ τοῦ διαβάλλειν, καὶ ἀγαθὸς ὢν ὑπηρέτης θεοῦ, γέγονε Σατανᾶς φερωνύμως· ὁ γὰρ Σατανᾶς τὸν διάβολον ἑρμηνεύει.

1 Cap. X.— 2 Lib. II, cap. VIII et seq. — 3 Ad cap. XL.— 4 Cap. III. — 6 Hom. I *de Adv.*

que sideribus cunctis clarius micantem æterna caligine obtenebravit Luciferum, quæ non modo Angelum, sed Angelorum principem in diabolum commutavit. »

Hugo Victoribus itidem [1], ut Magister Sententiarum [2], excellentiorem omnibus et qui lapsi sunt, et qui steterunt, Angelis diabolum facit, iisdem, quæ citavimus, et Jobi, atque Ezechielis, et Gregorii, Isidorique testimoniis adducti. Quod idem et sanctus Thomas, et Guillelmus Parisiensis, et scholastici vulgo sentiunt. Et Rupertus libro II *de Victoria Verbi Dei*, capite XII omnibus præcelluisse Angelis affirmat.

Isaiæ et Ezechielis loca de Lucifero et quatenus hoc illi nomen congruit.

III. Cæterum prophetica illa loca, tam Esaiæ, ubi Babylonium regem, quam Ezechielis, ubi Tyrium perstringere videntur, de diabolo plerique omnes interpretati sunt. Sed nonnullis placuit, de solo hoc intelligi; neque locum in illis prophetarum vaticiniis ullum esse regibus istis. Ita Tertullianus Ezechielem exponit in secundo *contra Marcionem* [3]; cui subscribit Hieronymus [4], ac Theodoretus [5], et Anastasius Sinaita in septimo *Anagogicarum Comtemplationum ad Hexaemeron*; et in eo libro, qui Ὁδηγὸς inscribitur. de diabolo prophetas ambos exponit, ut et Rupertus in primo *de Victoria Verbi Dei*, capite VIII et ante hos Origenes [6], et Eusebius [7], et Titus Bostrensis libro primo *contra Manichæos*, et Gregorius Nazianzenus. Sunt tamen ex antiquis Patribus, qui recto, proprioque sensu, Babyloniæ Tyrique reges, sub eorum vero persona diabolum, atque ejus etiam satellites, et ministros significari velint; ut Augustinus [8], qui et minus apte in diabolum, quam diaboli membra, convenire Isaiæ verba docet in tertio *de Doctrina Christiana*, « quæ sub figura regis Babyloniæ » notantur. Quinetiam Hieronymus in commentariis *ad Isaiam*, de Nabuchodonosoro totum illum locum explicat, necnon Cyrillus [9]. Cassianus Ezechielem de utroque, Tyri scilicet rege, et diabolo explicari posse demonstrat [10]. Quibus equidem assentior, ac diabolum, et ejus administros, nonnisi allegorice, ac figurate describi arbitror. Itaque non audiendus est Leo Castrius, qui in commentariis *ad Isaiam*, solum ab eo diabolum intelligi contendit. Nam nihil in utraque prophetia est, quod historice de illis exponi nequeat, ut ex eruditorum Interpretum scholiis constat, per quos brevioribus hic esse nobis licet. Hinc et illud consequens est, non posse ex propheticis illis locis certo confici, quod indidem probari solet, Angelorum illum rebellarium ducem, summum inter cœlestes omnes spiritus occupasse dignitatis locum. Nam ex allegorico sensu, nisi aliunde constet, theologicum dogma, probari non potest, ut Augustinus contra Donatistas asserit, solos se in Africa veram Ecclesiam habere gloriantes propter illa *Cantici Canticorum* verba [11]: *Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie*; quasi ad meridianam plagam sponsi cubile, id est Ecclesia contracta sit. Contra quos disputans Augustinus [12]. « Quis autem, inquit, non impudentissime nitatur aliquid in allegoria positum pro se interpretari, nisi habeat et manifesta testimonia, quorum lumine illustrentur obscura? »

Viæ duæ.

Lucif nom dæmor princi proprie vindica

IV. Eodem modo concluditur, neque tritum illud usu nomen *Luciferi* principi illi dæmonum proprie vindicari, ex illo *Esaiæ* loco, non solum quia nonnisi figurate de Diabolo interpretari debet, sed etiam quia Lucifer ibi non tanquam propria ejus appellatio ponitur, sed ad comparationem, et similitudinem, quod phosphori instar eximio splendore coruscaret, antequam *Vesper ex Lucifero* fieret, ut ait Hieronymus [13]. Quemadmodum si eumdem appellasset filium Dei, quomodo et Angeli filii Dei nominantur, atque ita compellasset: *Quomodo cecidisti de cœlo fili Dei*? nemo diabolum jam factum ex Angelo, Filium Dei proprio nomine vocaret. Sane diabolum ἑωσφόρον proprie Græci nunquam appellant; frustraque nomenclaturæ istius auctor adducitur Gregorius Nazianzenus oratione *de Nativ.* Nam contrarium potius suadet illius oratio. « Ille, inquit, ob splendorem Lucifer, qui propter superbiam caligo et effectus est, et nominatur [a]. » Non ipsum ait nunc appellari *Luciferum*, tanquam proprie hoc ei nomen impositum sit; sed, cum *Lucifer* antehac esset splendore, ac decore suo, postea in tenebras evasisse, ac σκότον etiam vocatum fuisse. Ut ergo Lucifer reipsa amplius non est, sic nec appellari debet, si recte ex illis verbis argumentamur. Eadem et versi-

Lucifer

Caligi

a Greg. Nazianz. Ὁ διὰ τὴν λαμπρότητα ἑωσφόρος, σκότος διὰ τὴν ἔπαρσιν καὶ γενόμενος, καὶ λεγόμενος

1 *Sum. Sent.* Tractat. II, cap. IV. — 2 Lib. II, dist. VI. — 3 Cap. X. — 4 In cap. LIV *Esa.* — 5 In *Ezech.* — 6 Lib. IV *Peri* c. II et Hom. XIII in *Ezech.* — 7 Lib. IX *de Dem.* cap. IX. — 8 Lib. XI *de Civit.* cap. XV et lib. III *de Doctrina Christ.* c. XXXVII. — 9 Lib. II et VI ad cap. XIV *in Joan.* — 10 Col. 8, cap. VIII. — 11 Cant. I, 7. — 12 Ep. XLIII. — 13 In Com. *ad Isa.*

bus cecinit in carmine sexto *de substantiis intelligibilibus*[1] ; ubi Angelorum omnium principem eum constituere videtur his verbis :

Τοὔνεκεν ὁ πρώτιστος ἐωσφόρος ὑψόσ' ἀερθεὶς
(Ἡ γὰρ δὴ μεγάλοιο θεοῦ βασιληΐδα τιμὴν
Ἤλπετο κύδος ἔχων περιώσιον) ὤλεσεν αἴγλην.

« Ideo princeps Lucifer in sublime elatus ;
(Certe enim magni Dei regium honorem
Sperabat, decus habens excellens,) amisit [splendorem.

At Origenes Luciferum distinguere videtur ab eo[2], qui inter Cherubim habitasse dicitur apud Prophetam.

pauci nsent llium. elorum signum non e unum prio- ibus.

V. At vero rebellium Angelorum antesignanum istum neque omnibus antecellentem fuisse, adeoque iis etiam, qui in officio manserunt, neque unum aliquem e supremis, velut Seraphimis, nec pauci, nec obscuri censent ex antiquis Patribus. Gregorius Nyssenus illum infimo Angelorum gradui assignare videtur, cui terrenarum rerum procuratio commissa fuerat. Censet enim, procreatis Angelis, Deum suam cuique ordini partem universitatis attribuisse ; inter quos « erat, inquit, virtus quædam ad terrestrem locum continendum, et moderandum constituta[a]. » Cui Damascenus adstipulatur ita scribens : « Ex Angelicis istis virtutibus antistes quidam terreni ordinis, cui terræ commissa erat a Deo custodia[b], » etc. Augustinus vero cum ipse dubitat, tum alios affirmare scribit, ex infimo illos fuisse Angelorum gradu. Nam, cum inquisisset[3], utrum diabolus casum suum divinitus præsciverit, sic inter alia respondet : « An forte ex alio genere Angelorum fuit, quibus Deus non dedit vel de seipsis præscientiam futurorum ; qui, quonam modo beati possent esse, non video, quibus incerta est sua beatitudo. Nam et hoc quidam senserunt, non fuisse diabolum in illa sublimi natura Angelorum, quæ supercœlestis est, sed eorum, qui aliquando inferius in mundo facti sunt, et per sua officia distributi. » Tametsi capite XIX hanc opinionem, quæ duo ponit Angelorum bonorum genera, « alterum supercœlestium, in quibus nunquam fuit, qui cadendo diabolus factus est ; alterum autem mundanorum, in quibus fuit, quomodo secundum Scripturas asserat, fatetur sibi non occurrere. » Vide et librum tertium operis ejusdem, capite decimo, ubi dubitationem eamdem paucis perstringit. Maximus item dæmones cum diabolo lapsos inferioris ordinis facit[4].

Odego. Unum ex ordinum ductoribus.

VI. Anastasius in Ὁδηγῷ, diabolum vocat ἕνα τῶν ταξιάρχων. « Ex his, inquit, incorporeis ordinibus ductor quidam superbia concitatus adversus conditorem suum, ut aiunt Esaias, et Ezechiel Prophetæ, abjectus est, et cecidit cum ordine suo, qui nunc vocatur diabolus, et dæmones, qui cum ipso sunt[c]. » Non igitur supremum omnium fuisse censet, uti neque Cassianus, qui de Angelorum numero principes fuisse collapsos, ex Ezechiele, et Isaia probat, non unum aliquem omnibus antecellentem. Sunt qui ex Cherubimorum ordine exstitisse velint ; atque ita Cyrillus existimasse videtur in libro primo *Glaphyrorum*, ubi, cum Angelorum aliquot recensuisset ordines, ac summos esse Seraphimos dixisset, diabolum, sive Satanam, ex iis Angelis fuisse refert, et, ut Ezechiel ait, inter Cherubimos positum, qui tamen ipsi, cadente illo, in suo gradu permanserunt.

Athanasius quoque in epistola *ad Serapionem de Spiritus sancti divinitate*, eodem Ezechielis utitur loco. « Sed enim diabolus, qui in medio Cherubim, et signaculum similitudinis fuit, decidit e cœlo, tanquam fulgur[d]. » Sed allusit nimirum Ezechiel ad Cherubim illos, qui expansis alis ante arcam steterunt. Et qui satanam inter Seraphimos[6], eorumque præstantissimum fuisse sentiunt, causam reddunt, cur Seraphim Scriptura non appelletur potius, quam Cherub. Nempe quod prius vocabulum ardorem quemdam charitatis, et amoris indicat, qui cum peccato, et odio Dei non consistit ; at posterius scientiam, quæ in diabolo etiamnum residet.

a Greg. Nyss. *Cat.* cap. VI. Ἦν τις δύναμις ἡ τὸν περίγειον τόπον συνέχειν τε, καὶ περικρατεῖν τεταγμένη.

b Damasc. lib. II, cap. IV. Ἐκ τούτων τῶν ἀγγελικῶν δυνάμεων προστάτης τῆς περιγείου τάξεως, καὶ τῆς γῆς τὴν φυλακὴν ἐγχειρισθεὶς παρὰ θεοῦ, etc.

c Anast. cap. IV. Ἐκ τούτων δὲ τῶν ἀσωμάτων (καὶ) ταγμάτων ταξίαρχος εἷς ἀλαζονευθεὶς κατὰ τοῦ δημιουργοῦ, ὥς φησι ὁ Ἡσαΐας, καὶ Ἰεζεκιὴλ οἱ προφῆται, ἀπερρίφη, καὶ ἔπεσε σὺν τῷ τάγματι αὐτοῦ, ὁ καλούμενος νῦν διάβολος, καὶ οἱ δαίμονες οἱ σὺν αὐτῷ.

d Athan. Ἀλλὰ γὰρ ὁ διάβολος ἐν μέσῳ τῶν Χερουβὶμ ὢν, καὶ ἀποσφράγισμα ὁμοιώσεως γενόμενος, ἐξέπεσεν ἐκ τῶν οὐρανῶν ὡς ἀστραπή.

1 Gregor. Nazianz. Carm.— 2 Orig. lib. VI *in Joan.*— 3 Lib. XI *de Gen. ad lit.* cap. XVIII.— 4 Max. ad c. XI Dion *de cæl. Hier.*— 5 Col. 8, cap. VIII.— 6 S. Th. Par. q. LXIII, art. 5, ad. I.

Prior præferenda sententia.

VII. Quamvis ergo de diaboli suprema, et antecellenti reliquis dignitate non omnino inter antiquos theologos convenit; communis tamen, eaque anteponenda est alteri sententia, aliis omnibus excelluisse, sic tanquam Luciferum stellis cæteris. Itaque Guillelmus Patrisiensis hanc esse Christianorum doctrinam asserit[1]: « Et placuit creatori, inquit, benedicto Angelum illum primum nobilissimum in illa excellentia scientiarum, et virtutum naturalium creare, in qua nec consortem, nec parem habuit. Nec prohibitus fuit creator omnipotentissimus, et ulla optimus necessitate multos ejusdem nobilitatis creare. Verum quoniam prævidit, atque prænovit, illum pervertendum, et in tantam malitiam ruiturum, tolerabilius judicavit, illum solum ex tanta altitudine casurum, quam multos. Probabile namque erat, æquales per omnia substantias aut æqualiter casuras, aut æqualiter in gradu suæ altitudinis permansuras. » Dixit esse *probabile*, quod, ut mox aperit, etiam secus evenire potuerit propter arbitrii libertatem.

Jam, quod ad cæteros Angelos spectat, qui dæmones proprie nominantur, communis et istud fert opinio, eos ex ordinibus omnibus excidisse. Tametsi veteres aliqui certo ex Angelorum gradu fuisse illos velint, qui procurandis terrenis rebus a Deo constitutus erat, ut supra diximus.

Post lapsum mansit in dæmonibus graduum discrimen.

VIII. Ac videri potest idem, quod in illis ante ruinam erat, ordinis ac dignitatis perseverare discrimen. Siquidem «regi immundos spiritus a nequioribus potestatibus', eisque subditos esse » ut ait Cassianus[2], ex Evangelio probatur, in quo Beelzebub *princeps dæmoniorum* dicitur[3]. Quæ ordinis, gradusque diversitas vel ex naturæ dissimili, et inæquali oritur præstantia, siquidem natura invicem discrepant, ut recentioribus theologis placet; vel ex Dei ordinatione, si, quod antiquioribus visum est, eadem omnes natura censentur, ac specie. Cassianus cap. VIII libri octavi scribit, « has differentias ordinum, quas instar sanctarum, cœlestiumque virtutum, adversæ potestates exhibere dicuntur, vel ex illius anterioris ordinis gradu, in quo unaquæque creata fuerat, nunc etiam retentare, vel de cœlestibus devolutas ad similitudinem illarum virtutum, quæ ibidem perseverant, pro nequitiæ suæ merito, in qua unaquæque in malum crevit, hos inter se gradus, et ordinum vocabula in parte contraria vendicasse. » Horum itaque omnium, imo vero reproborum omnium caput est, et princeps summus ille, qui non dignitate magis cæteris, quam improbitate, et peccandi auctoritate præstitit. Quod sanctus Gregorius his verbis explicat[4]: « Sicut autem idem Redemptor noster una persona est cum congregatione bonorum, ipse namque caput est corporis, et nos hujus capitis corpus; ita antiquus hostis una persona est cum cuncta collectione reproborum, quia ipse eis ad iniquitatem quasi caput præeminet; illi autem, dum ad persuasa deserviunt; velut subjunctum capiti corpus inhærent. » Quod ille ex Augustino sumpsit[5], et Ticonii regulis, quarum prima est de Domino, et ejus corpore: « septima, eademque postrema de diabolo, et ejus corpore. Est enim et ipse caput impiorum, qui ejus sunt quodammodo corpus, » ait Augustinus.

Cur diabolus improborum caput dictus.

IX. Neque vero facile prætereundum est quod addit Gregorius, diabolum idcirco caput esse improborum omnium, adeoque dæmonum, quia tanquam caput illis ad iniquitatem præeminet, hoc est, ut mox declarat, persuasione illos in peccatum induxit. Quod ut de hominibus reprobis facile est cognitu, ita et de reprobis Angelis non minus ab eo usurpatur; quia et isti omnes reprobi sunt, et ad unum reproborum corpus, personamve attinent, cujus ille est caput. Quanquam et quod persuasione principis illius depravatos reprobos omnes homines significat, non potest aliter intelligi, quam ut ad summum illius imperium, dominatumque referatur, sub quo continentur, et a quo pro potestate mittuntur, et ordinantur dæmones, qui proxime, ac per sese singulos aggrediuntur. Non enim princeps ille per se adire illos potest, et ad malum incitare, ut qui carcere interim, ac vinculis tenetur, ut postea dicemus. Quare vel ex eo supremum ejus imperium ostenditur, cui quidquid ubique mali, ac sceleris aliorum opera, et ministerio procuratur, velut auctori adscribitur. Cyrillus vero Alexandrinus libro *de Adoratione in spiritu*, Satanam dæmonibus omnibus induratum magis, et obfirmatum in scelere, ac Dei contemptu esse scribit; de quo apud Jobum ita legitur: *Cor ejus indurabitur tanquam lapis*[6], *et stringetur quasi malleatoris incus.*

1 In Part. I secun. Par. *de Univ.* cap. LVI.— 2 Col. 8, cap. XV.— 3 *Matth.* II.— 4 Lib. IV *Mor.* cap. XIV.— 5 Lib. III *de Doctr. Christ.* cap. XXXI et XXXVII.— 6 *Job.* XLI, 16.

modo
:catum
ios
erit.

X. Sed quomodo Angelorum iste coryphæus Angelos cæteros, qui modo dæmones, et illius Angeli dicuntur, in peccatum traxerit, curiosus aliquis inquiret, meritoque dubitabit, an exemplo, persuasioneve ad hoc eos excitarit, ut et eamdem sibi quisque dignitatem appeteret, cujus studium ipse conceperat, ac privatim singuli anteponi cæteris, eorumque principes esse cuperent, nemini subjecti, ac ne ipsi quidem Deo ; an eo pertrahere voluerit, ut Deo, quem nondum videbant, spreto, ac relicto, ad seipsum, cujus splendorem intuebantur, et gloriam, cultum, et obsequium, quod illi debebant, omne transferrent. Dici utrumvis haud absurde potest, aut ejusmodi aliquid opinione fingi, velut a seipsis potius, quam a Deo, perfectum, et absolutum beatitatis statum singulos optasse consequi, tum illius summæ majestatis imperio, si potuissent, subjici noluisse, præsertim in capessenda rerum conditarum administratione, uti hominum, et aliorum ; quas sibi partes procurandæ universitatis vel mandaverat Deus, ut complures antiquorum asserunt, vel se mandaturum ostenderat. Fecit igitur illorum superbia, ut, præsenti servitute damnata, seditionem facerent, et ἀναρχίαν appeterent ; aut certe tolerabiliorem, et gloriosiorem sub tyranni principatu sibi conditionem fingerent.

Nulli besse.

Porro Deus illos, post peccatum, vel invitos diabolo in servitutem tradidit, uti ne, si velint quidem, detrectare illius imperium queant ; tum cæteros quoque sub primario isto ductores ordinum præesse voluit aliis, ne; quod illos fortassis appetisse dixi, hoc assecuti viderentur, uti sui juris essent, ac nullius creaturæ obnoxii potestati. Sed hæc, iisque plura, quæ sola sibi humanæ cogitationis opinio, non certa, explorataque vel ratio, vel auctoritas asserit, missa facimus ; de quibus haud pauca, neque contemnenda disputat Guillelmus Parisiensis in secunda parte prioris partis *de Universo*.

statim
post
ationem
:averint.

XI. Non omittam tamen ejus rei commemorationem, quæ ad calamitatem illam Angelorum pertinet ; et quamvis liquido in Scripturis explicata non sit, ab antiquis tamen pertractata legitur : utrum aliquanto spatio, postquam creati sunt, in priore illo, ac felici statu vixerint Angeli ; an subinde post creationem in peccatum lapsi, deque cœlo præcipitati sint.

Græci quidem illi Patres, quos cum Latinis quibusdam pene omnes opinatos fuisse diximus [1], ante mundi conditum Angelos exstitisse, aliquanto intervallo bonum inter bonos mansisse diabolum, arbitrati sunt, quantum videlicet post eorum productionem ad mundi primordium est secutum. Non enim ante corporearum rerum procreationem excidisse illos putant, ut ex genere peccati, quo illos corruisse, et conditione, in qua fuisse tum illos sentiunt, aperte colligitur. Siquidem terrenarum rerum procurationi attributos illos, invidia ex hominis dignitate concepta, lapsos esse plerique volunt, ut superius exposui ; ut illam antiquiorum falsam, et explosam a nobis sententiam hoc loco taceam, qui tam sero mulierum consuetudine depravatos esse dæmones existimarunt. His igitur omissis, fuere quidam, qui, post admissum peccatum, aliquanto spatio cum sanctis Angelis perseverasse putant diabolum, ejusque Angelos. Quos quidem Nemesius christianus philosophus designat in libro *de Hominis opificio*, capite primo ; ubi homini tanquam peculiare quiddam, concessam esse dicit pœnitendi facultatem, negatam vero Angelis, nimirum duntaxat postquam e cœlo ceciderunt, cum antea possent : « Atque ut proprium, ait, ejus naturæ ridere est, nam et soli adest, et omni, et semper ; ita in iis, quæ ad gratiam spectant, proprium est hominis, præ omni creatura rationabili, ut per pœnitentiam omni eorum, quæ prius admisit, culpa liberetur. Nam soli homini, et omni, et semper, quamdiu in mundo vivit, hoc datum est ; morte vero obita, non item. Quomodo etiam Angelos nonnulli volunt, non amplius postquam exciderunt, veniam consequi per pœnitentiam. Mors enim iis fuit illud ipsum, quod exciderunt. Sed antequam exciderent, ad vitæ hominum similitudinem, etiam ipsis oblatam esse veniam. Qua cum usi non sint, æternam, nec ulla venia remittendam deinceps pœnam, et vindictam pro merito sustinent [a]. »

An post lapsum statim dejecti fuerint.

XII. Hic ἔκπτωσις, quæ mortis instar Angelis

Casus.

a Nem. Καὶ ὥσπερ ἴδιόν ἐστι τῆς οὐσίας αὐτοῦ τὸ γελαστικόν· ἐπειδὴ καὶ μόνῳ τούτῳ πρόσεστι, καὶ παντὶ καὶ ἀεὶ· οὕτως ἐν τοῖς κατὰ χάριν ἴδιον ἀνθρώπου παρὰ πᾶσαν τὴν λογικὴν κτίσιν τὸ διὰ τῆς μετανοίας ἀπολύεσθαι τῶν προημαρτημένων τῆς αἰτίας· καὶ γὰρ μόνῳ τῷ ἀνθρώπῳ τοῦτο δεδώρηται, καὶ παντὶ, καὶ ἀεὶ, παρὰ τὸν καιρὸν τῆς ἐγκοσμίου ζωῆς· μετὰ δὲ θάνατον οὐκέτι. οὕτω δέ τινες καὶ τοὺς ἀγγέλους βούλονται μηκέτι μετὰ

1 Lib. I, cap. xv.

Nemesii locus illustratus.

fuisse dicitur, non est *lapsus*, ut eruditus alioqui vertit Interpres. Hac enim voce peccatum exprimi solet; quod Nemesius intelligere non potuit. Nam ante peccatum nulla ipsis proposita fuit pœnitendi conditio, veniæque spes, qua nihil opus habebant. Atqui et oblatam iis ait resipiscendi facultatem, ex aliquorum sententia, et ab illis esse contemptam. Prorsus igitur intervallum aliquod, post admissum peccatum, ad emerendam veniam datum illis est, ut opinati sunt isti, nec statim e cœlo deturbati sunt. Eodem sensu Damascenus explicandus est, qui Nemesii verba ipsa transtulit in librum secundum : « Scire, inquit, oportet, idipsum, quod hominibus mors est, hoc Angelis esse, quod exciderunt. Postquam enim exciderunt, non est illis pœnitentiæ locus, ut neque post mortem hominibus[a]. » Quamobrem non statim ac peccarunt, de cœlo dejecti sunt, neque veniæ consequendæ spem amiserunt, ut illi putarunt. Ac fuerunt alii, qui sub incerta spe promerendæ illius veniæ diutius eos fuisse suspensos arbitrati sunt, ut Justinus, Tertullianus, vel alius quispiam auctor carminum *contra Marcionem* [1], Epiphanius [2], quos supra libro primo, capite VIII percensui.

Non videntur statim ac creati sunt cecidisse Angeli, ex antiquorum sententia.

XIII. Rupertus Tuitiensis in primo *de Victoria Verbi Dei* [3], et in tertio *de Glorificatione Trinitatis* [4], Nemesio consentit. Duo enim asserit : alterum non statim, ac conditus est diabolum peccasse, quoniam de eo scripsit Propheta [5] : *In medio lapidum ignitorum ambulasti, perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te.* Ac si nulla interjecta mora depravatus esset, videretur, qualis nunc est, talis a Deo conditus esse : « Itaque non parva mora, inquit [6], permansisse in medio Angelorum sanctorum, præsens sermo convincit, etc. Non ergo putandum est, quod conditus statim ceciderit. Imo istud verum est, quia primum conditus, et tunc demum positus est in illo paradiso cœlesti. » Alterum, non statim, postquam peccavit, e cœlo detrusum esse, sed aliquanto tempore toleratum, tanquam provocaretur ad pœnitentiam : « Sed et illud, ait Rupertus eodem capite, datur intelligi, quod non statim in initio peccati de cœlo projectus fuerit; sed ipsum quoque expectaverit patientia Dei. Ipse autem secundum duritiam suam, et cor impœnitens, iram sibi thesaurizavit. » Ac statim : « Tria hæc sunt incrementa peccati, quæ in hominibus quoque tandem justum consequitur judicium Dei. Primum iniquitatem mente concepisse. Deinde ipsam iniquitatem non semel, aut uno actu, sed multipliciter adimplesse. Deinde opera iniquitatis defendendo peccare. Itaque, quia et inventa est iniquitas in te, et multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, et peccasti, non parva intelligitur mors in iniquitate illius peccatoris antiqui, ad instruendos electos Angelos, ut scirent, justum esse judicium Dei, videntes illum peccatorem, quod esset incorrigibilis. » Hæc primo *de Victoria Verbi Dei*, quibus alio in opere *de Glorific. Trin.* consentanea memorat.

Cassiani sententia notatur.

XIV. Non alia Cassiani fuit opinio, qui duplex in dæmonibus peccatum exstitisse vult, ac nonnisi post secundum esse dejectos. « Et idcirco priorem ejus lapsum, quo superbiendo corruerat, quo etiam serpens meruerat nuncupari, secunda ruina per invidiam subsecuta est, quæ inveniens eum adhuc aliquid in sese rectum habentem ita, ut etiam cujusdam colloquii, atqui consilii cum homine posset habere consortium, sententia Domini utiliter in ima dejectus est, ut non jam, sicut ante sublime aliquid intuens excelsus incederet, sed ut solo cohærens reperet, et humiliatus super ventrem terrenis vitiorum escis, et operibus pasceretur, occultum deinceps publicans inimicum; ac ponens inter ipsum, et hominem utiles inimicitias, salutaremque discordiam ut, dum cavetur tanquam hostis noxius, amicitiis fraudulentis ulterius homini nocere non posset. » Sed hæc Cassiani ratio penitus est absurda, quatenus post superbiæ peccatum, et tunc, cum primos parentes aggressus est, aliquid in se rectum habuisse dicit. Nam, quod moræ plurimum inter Angelorum conditum, et lapsum intercessisse ab nonnullis asseritur, ferri hoc potest; maxime

τὴν ἔκπτωσιν τυγχάνειν τῆς ἐκ μετανοίας συγγνώμης· Θάνατος γὰρ τούτων ἡ ἔκπτωσις· πρὸ δὲ τῆς ἐκπτώσεως καθ' ὁμοιότητα τῆς ζωῆς τῶν ἀνθρώπων, καὶ αὐτοὺς ἀξιοῦσθαι συγγνώμης· ὅπερ μὴ ποιήσαντες, ἀσύγγνωστον, καὶ διαιωνίζουσαν ἔχουσι τὸ λοιπὸν τῆς τιμωρίας τὴν προσήκουσαν δίκην.

b Damasc. lib. II, cap. IV. Χρὴ δὲ γινώσκειν, ὅτι ὅπερ ἐστὶ τοῖς ἀνθρώποις ὁ Θάνατος. τοῦτο τοῖς ἀγγέλοις ἡ ἔκπτωσις, μετὰ γὰρ τὴν ἔκπτωσιν οὐκ ἔστιν αὐτοῖς μετάνοια, ὥσπερ οὐδὲ τοῖς ἀνθρώποις μετὰ τὸν Θάνατον.

1 Lib. I, c. III.— 2 Hær. XXXIX.— 3 Cap. XXI.— 4 Cap. IX et X.— 5 *Ezech.* XXVIII.— 6 Cap. XXI, lib. *de Victor.*— 7 Col. 8. c. X.

si vera est Græcorum Patrum sententia, Angelos longe ante mundum hunc exstitisse. Quo quidem constituto, verisimilius videtur nondum peccasse dæmones, quam admisso crimine in bonorum cœtu tandiu perseverasse. Quod autem emergendi a peccato copiam illis esse factam, antequam e cœlo pellerentur, aliqui putant, id est absurdum. Quærendum est enim, num quem existimant ex illo rebellium numero resipuisse, et in bonorum gradum fuisse restitutum. Si aliquem dixerit, ridebimus. Si nullum, mirum hoc, et incredibile judicabimus, ne unum quidem ex tanta multitudine repertum esse, qui oblatam gratiam admitteret. Sed huic tamen commento affinis, et notanda est opinio, quam ex Basilii commentariis *in Esaiam* Joannes Damascenus in *Eclogis* descripsit : « Forte, inquit, antequam homo crearetur, locus aliquis pœnitentiæ diabolo relinquebatur; ac poterat superbia, tametsi vetustior erat ægritudo, sanata, cum se ille pœnitentia expiasset, pristinum ad statum revocare. Postquam autem mundi apparatus, et paradisi exstitit, et homo in eo collocatus est, et præceptum a Deo datum, et individia diaboli, et dilecti cædes accidit, locus ille pœnitentiæ interclusus est. Nam, si Esau locum pœnitentiæ non invenit, cum primogenita vendidisset; qui ei pœnitentiæ locus relinquitur, qui primum a Deo formatum hominem interfecit, et per illum mortem introduxit[a] ? »

Huic affinis Damasceni opinio.

XV. Augustinus in undecimo *de Genesi ad litteram*, postquam nonnullorum redarguit errorem[1], qui diabolum cum malo, et peccato fuisse creatum asserebant, brevissimam moram intercessisse vult inter conditum eorum, ac lapsum. Certe non diuturnum hoc spatium constituere potuit, cum et Angelos prima die factos esse censeat, et antequam homo crearetur, jam superbia depravatos ex iis quosdam fuisse, ut in superioribus exposui; sed neque longo, postquam creati sunt, intervallo cecidisse confirmat. Hujus verba referam ex capite XXIII. « Quod ergo putatur, inquit, nunquam diabolus in veritate stetisse, nunquam cum Angelis beatam duxisse vitam, sed ab ipso suæ conditionis initio cecidisse, non sic accipiendum est, ut non propria voluntate depravatus, sed malus a bono Deo creatus putetur; alioqui non ab initio cecidisse diceretur; neque enim cecidit, si talis est factus. Sed factus continuo se a luce veritatis avertit superbia tumidus, propriæ potestatis delectatione corruptus. Unde beatæ, atque Angelicæ vitæ dulcedinem non gustavit, quam non utique acceptam fastidivit, sed nolendo accipere deseruit, et amisit. » Itaque in bono, et veritate conditus est a Deo, et aliquantam in eo moram egit, sed non permansit, ut et in undecimo *de Civitate Dei*, capite XV idem disputat Augustinus. Philippus abbas Bonæ Spei in epistola secunda putat Angelos, nulla interjecta mora, statim atque creati sunt, voluntate sua, vel conversos ad Deum, vel ab eodem aversos; nec a prima origine formam, id est gratiam accepisse, sed eam libero suo arbitrio comparasse. Tum ista subjicit : « Creata igitur statim nullo spatio mediante convertitur, et eum, a quo erat, amore complectitur; et, cum per liberum arbitrium vel in melius, vel in deterius posset ferri, aspexit, et dilexit, quod dignum fuerat anteferri. Voluntatis quippe libertas, quæ illi naturaliter affuit, subotio vel ad modicum vacare non potuit, quin sine dilatione ad aliquid volendum verteretur, etc. Creata igitur natura angelica, quia liberam habuit voluntatem, et voluntariam libertatem, statim et voluit voluntate, et, quid vellet, elegit libertate; et pars eorum altera Deum voluit, quem suum creatorem et novit, et amavit, pars vero altera libera nihilominus voluntate ad volendum aliud declinavit. Et illa quidem in proposito confirmatur gratia, et merito liberæ voluntatis, et ab eo, quem voluit, accipit gratiam firmitatis, ut quæ erat mutabilis per naturam, pro eo scilicet, quod de nihilo facta est, jam non possit mutari per gratiam, quia bono incommutabili voluntate spontanea conjuncta est, etc. Pars autem ista,

a Basil. apud Damasc. lit. D. tit. XXVIII. Τάχα γὰρ πρὸ τοῦ κτισθῆναι τὸν ἄνθρωπον, τόπος τις μετανοίας καὶ τῷ διαβόλῳ ὑπελείπετο· καὶ ἠδύνατο ὁ τῦφος, εἰ καὶ ἀρχαιότερον ἦν νόσημα, ὅμως διὰ μετανοίας ἑαυτὸν ἐξιλασκμένου θεραπευθεὶς ἀποκαταστῆσαι ἑαυτὸν εἰς τὸ ἐξαρχῆς. ἀφ' οὗ δὲ τοῦ κόσμου παρασκευὴ, καὶ παραδείσου, καὶ ἄνθρωπος ἐν αὐτῷ, καὶ ἐντολὴ θεοῦ, καὶ φθόνος τοῦ διαβόλου, καὶ φθόνος (cor. φόνος) τοῦ τετιμημένου, ἀπεκλείσθη αὐτῷ ὁ τόπος τῆς μετανοίας· εἰ γὰρ Ἡσαῦ τόπον τῆς μετανοίας οὐχ' εὗρε τά πρωτοτόκια ἀποδόμενος· τίς τόπος μετανοίας ἀπολείπεται τῷ τὸν πρωτόπλαστον ἀποκτείναντι ἄνθρωπον, καὶ δι' ἐκείνου τὸν θάνατον εἰσαγαγόντι;

[1] Cap. XX.

quæ liberam quoque, ut dictum est, habuit voluntatem, ad seipsam mox conversa, eam perdidit, in qua facta fuerat, dignitatem ; et quia sibi, non Deo, perverse voluit adhærere, nec in eo, quod erat, potuit permanere. Lapsa igitur, et in profundum tenebrarum demersa, æterno supplicio cruciatur, et crucianda in diem judicii reservatur, etc. »

XVI. At Hugo Victorinus « nullam moram fuisse dicit [1], et tamen illud prius, istud posterius, sed sine intervallo. »

Quod S. Thomas ita declarat [2], ut « post primum instans suæ creationis peccaverit; » quoniam scilicet cum gratia creatum illum existimat [3]. Nam, « cum Angeli per unum actum meritorium ad beatitudinem perveniant, si diabolus in primo instanti in gratia creatus meruit, statim post primum instans beatitudinem accepisset, nisi statim impedimentum præstitisset peccando. » Addit vero, « Si ponatur, quod Angelus in gratia creatus non fuerit, vel quod in primo instanti actum liberi arbitrii non potuerit habere ; nihil prohibere, aliquam moram fuisse inter creationem, et lapsum. » Hoc posterius amplexus est Petrus Lombardus [4], qui Angelos in mero naturæ statu, ac sine gratia et justitia procreatos docuit, ut supra demonstravi. Itaque morulam aliquam inter creationem, et lapsum interjectam esse sentit, sed brevissimam. Quod ex Origene probat [5]; qui serpentem, id est diabolum, non a principio veritati fuisse contrarium ait, nec supra pectus suum incessisse. Verum hic locus Origenis non brevem aliquam interpositam esse moram, sed longiorem suadet ; quippe Angelos creatos esse censuit ante mundum hunc aspectabilem ; serpentem autem illum, qui Evam decepit, antea neque serpentem fuisse, neque supra pectus ambulasse, neque a Deo maledictum fuisse, sed initio *in Paradiso deliciarum* versatum esse, *et ambulasse immaculatum in omnibus viis suis*, ut de eo Ezechiel affirmat [6]. Quocirca non brevem aliquam moram Origenes definire potuit, nedum instans, de quo illius sententiam interpretatur S. Thomas [7], sed longissimum omnino intervallum. Nos, ut momento illo unico contenti esse non debemus, sic mediocre aliquod spatium figere possumus ; cujus modum circumscribere, non certæ rationis est, sed conjecturæ, ac fortasse temeritatis.

Auctoris sententia.

XVII. Ac nonnulli sunt de schola theologi, qui Angelos non uno peccati genere deliquisse volunt, sed pluribus ; neque simul omnibus, aut eodem puncto temporis, sed gradatim, et ordine quodam, velut primum superbia, tum odio, invidia, et cæteris, quo intervallo in via, ut loquuntur, adhuc exstiterunt. Quæ Scoti est opinio [8], et recentioris cujusdam. Quinetiam malorum peccato bonos tentatos esse sentiunt iidem, et hunc laudis cumulum illorum accessisse meritis, quod ei tentationi restiterint. Atque hoc Joannis auctoritate comprobant, qui *Apocalypsis* XII Michaelem, et Angelos ejus prælium fecisse cum rebellibus narrat, et victoriam reportasse. Ex quibus, ut illud sequitur, quod ego verum arbitror, moræ aliquid intercessisse, quo geri ista potuerunt ; sic etiam alterum illud, resipiscere post primum peccatum potuisse dæmones, quandiu nimirum *in via*, ut loqui solent, fuerunt. Quod nemo facile iis assentietur. Sed, ut sobrie de occultis istis, ignotisque disputemus, nec temere quidquam adstruamus, scire debemus, Antipatrum Bostrensem, quem in sexti capitis fine citavimus in opere illo, quod adversus Origenem edidit, in eum acrius invectum fuisse, quod impune pro arbitrio suo tam abstrusis de rebus nova quædam, et inaudita garrire ausus esset : « Quisnam, inquit, Moses, aut Paulus, sive quis alius Prophetarum, et Apostolorum tam accurate de omnibus, quæ ante mundum exstiterunt, et supra cœlum sunt, cum omni auctoritate disputare, ac docere potuit [a] ? »

An pluribus peccatis lapsi sint angeli.

XVIII. Postremo cur Angeli, postquam semel lapsi sunt, nullum veniæ locum postea consecuti sunt, vulgo hæc a Patribus causa redditur, quam Gregorius Papa in libro nono *Moralium* attulit, capite XXVIII « Angelorum, inquit, spiritus ideirco irremissibiliter peccaverunt, quia tanto robustius stare poterant, quanto eos carnis commixtio non tenebat. Homo vero ideirco post culpam veniam meruit, quia per carnale corpus aliquid, quod seipso minor esset, accepit. » Et in libro XXXII capite XVIII. « Qui ideirco peccans sine venia

Cur semel lapsi nullum pœnitentiæ locum consecuti.

a Antipat. apud Damasc. *in Eclog.* lib. A, tit. LXXV. Ποῖος Μωϋσῆς, ἢ Παῦλος, ἢ ἕτερός τις τῶν προφητῶν, καὶ Ἀποστόλων οὕτως ἀκριβῶς περὶ πάντων τῶν πρὸ τοῦ κόσμου, καὶ ὑπέρ οὐρανὸν μετὰ πάσης αὐθεντίας ἐκθέσθαι, ἢ διδάξαι ἠδύνατο ;

1 *Sum. Sent.* tract. 2, cap. III.— 2 In I Par. q. LXIII, art. 6.— 3 Qu. LXII, art. 3.— 4 Lib. II, dist. III.— 5 Hom. I in *Exech.* — 6 *Exech.* XXVIII.— 7 Loc. cit. ad II.— 8 In II, disp. V, qu. I.— 9 Scribonii in *Cosmoctisi* disp. VIII, qu. IV.

damnatus est, quia magnus sine comparatione fuerat creatus. »

Et eleganter Goffridus Abbas Vindocinensis[1], « Provida namque, et rationabili Dei dispensatione actum est, inquit, ut cujus gradus fuerat altior, ejus casus fieret gravior, et qui nullo alio, nisi seipso, suadente, vel decipiente, nec carnem portabat humanam, de qua forsitan, licet injuste, materiam peccandi posset contrahere, sed sola iniquitate superbiæ, suæ perditionis factor fuit, et alterius culpæ, dum in illo superbia cepit initium, ejus careret fine supplicium, nec ulla deinceps ratione ei liceret habere spem veniæ, qui inventor exstitit, et manet auctor tantæ nequitiæ. » At eumdem cum peccaret, non putasse, Deum pœnas a se repetiturum, adeo præsertim severas, et sempiternas, suspicatur Bernardus[2], ac sic apud se cogitasse : « Si enim, cum bonus sit, non potest illi placere malum meum, quanto minus suum ? Meum quippe dixerim, contra ejus voluntatem aliud velle ; suum autem, si vindicet sese. Tam ergo quodcumque scelus non valet velle ulcisci, quam nec vult, nec valet sua bonitate privari. » Et postea : « Sed miror, cum in præsentia Dei tuum prævideris principatum, cur non in eadem prævidisti et præcipitium. Nam, si prævidisti, quæ insania fuit, ut cum tanta miseria cuperes principari, ut malles miseriæ præesse, quam feliciter subesse ? An non expediebat, participem esse plagarum illarum luminosarum, quam principem tenebrarum harum ? Sed credibilius est, quod non prævidisti ; aut propter illam causam, quam superius dixi ; quia Dei bonitatem attendens, dixisti in corde tuo, Non requiret. Propter quod, o impie, Deum irritasti ? Aut quia, viso principatu, statim in oculo superbiæ trabes excrevit, qua interposita, causam videre non potuisti. » Quæ postrema ratio consentanea est illi, quam ex Guillelmo Parisiensi supra capite secundo retuli. Alchwinus quæstione IV *in Genesim* sciscitanti, « cur summi Angeli peccatum insanabile fuit, et hominis sanabile, » respondet ita : « Angelus sui sceleris inventor fuit ; homo vero alterius fraude seductus. » Item, « quanto sublimior Angelus in gloria, tanto major in ruina ; homo vero quanto fragilior in natura, tanto facilior ad veniam. »

CAPUT IV.

Utrum in Tartarum relegati modo sint dæmones, an in aere versentur. Variæ hac de re sententiæ proponuntur, et expenduntur, Explicantur Petri, et Judæ Apostolorum loca. De diabolo illorum principe, an inferis attineatur. Tum ea quæstio disceptatur, an omnes illi ignis inferni modo pœnas patiantur. Plerosque negasse veterum. Justini locus insignis. Nondum illos summum, extremumque pati tormentum, quod in fine judicii toterabunt. Cajetani de hac re sententia.

I. Post admissum qualecumque, et quandocumque, peccatum suum, dæmones non statim ad ima tartara præcipitatos esse, certa fere veterum est fides ; in aere, ac supra terras tantisper degere illos putant ; quidem etiam supplicii interim, et ignis expertes, dum extremus mundi occasus, ac judicii dies adveniat. De aeris habitatione scribit Athenagoras in *Legatione pro Christianis* ; ubi, posquam Angelos docuit mulierum cupiditate in libidinem exarsisse, et qui ex iis propagati sunt, gigantes illos fuisse, statim addit : « Hi igitur Angeli, qui cum cœlis excidissent, circa aerem, et terram observantes, non amplius evehi supra cœlos possunt, necnon animæ gigantum, dæmones illi sunt, qui circa mundum oberrant, et motus, hæ quidem constitutioni, quam (a parentibus) acceperunt, illi vero pristinis cupiditatibus suis congruentes edunt [a]. » Hanc ille opinionem a Philone expressisse videtur ; qui in libro *de Gigantibus* verba illa declarans, *Videntes Angeli Dei filias hominum, quoniam pulchræ sunt* [b], etc. ita scribit, « Quos alii philosophi dæmones, Moses Angelos nominare consuevit. Sunt autem animæ per aera volitantes. Ac ne quis existimet, fabulam hoc esse, quod diximus. Est enim necesse, universum hunc mundum animatum esse per totum, cum unaquæque primarum, et elemen-

Post peccatum dæmones non in ima statim Tartara detrusos, sed interdum in aere versari, veterum est fides.

a Athenag. Οὗτοι τοίνυν οἱ Ἄγγελοι οἱ ἐκπεσόντες τῶν οὐρανῶν, περὶ τὸν ἀέρα ἔχοντες, καὶ τὴν γῆν, οὐκέτι εἰς τὰ ὑπερουράνια ὑπερκύψαι δυνάμενοι· καὶ αἱ τῶν γιγάντων ψυχαὶ, οἱ περὶ τὸν κόσμον εἰσὶ πλανώμενοι δαίμονες, ὁμοίας κινήσεις οἱ μὲν αἷς ἔλαβον, συστάσεσιν οἱ δαίμονες· οἱ δὲ αἷς ἔσχον ἐπιθυμίαις, οἱ ἄγγελοι ποιούμενοι.

1 Serm. 1 *de Nat. Dom.* — 2 Tract. *de grad.* — 3 Col. 75. — 4 *Gen.* VI.

tarium partium propria, et congruà animantia contineat [a]. » Et in libro *de Confusione linguarum* : « Est autem et per aerem animarum corporis expertium sacratissimus chorus, cœlestium assectator. Angelos enim animas, istas appellare divinus sermo consuevit [b]. »

II. Tertullianus etiam in *Apologetico* dæmones aeris incolas agnoscit [1]. « Habent, inquit, de incolatu aeris, et de vicinia siderum, et de commercio nubium, cœlestes sapere paraturas. »

Philoxenus vetus auctor apud Mosem Barcepha, parte prima libri *de Paradiso*, capite XXII. « Angelorum, ait, sedes est cœlum, dæmonum vero post ipsorum casum, aer ; nimirum medio positus loco, etc. »

Idem sentit Augustinus in tertio *de Genesi ad litteram,* qui dæmones aerea vocat animalia, quæ post lapsum ad imam, terrisque citimam aeris regionem detrusa sunt. « In qua fortassis parte, superiori, et serena aeris, si fuerunt ante transgressores Angeli cum principe suo nunc diabolo, tunc Archangelo, (nam nonnulli nostri non eos putant cœlestes, vel supercœlestes Angelos fuisse) non mirum, si post peccatum in hanc sunt detrusi caliginem, ubi tamen et aer sit, et humore tenui contexatur, » etc. et paulo post, « Nec aeris, inquit, saltem spatia superiora, atque puriora, sed ista caliginosa tenere permissi sunt, qui eis pro suo genere quidam quasi carcer est, usque ad tempus judicii. » Et in *Enchiridii* cap. XXVIII « in hujus aeris imam caliginem de superna cœlesti habitatione dejectos » ait. Tum in octavo *de Civitate Dei*, cap. XXII dæmones esse scribit « spiritus nocendi cupidissimos, qui in hoc quidem aere habitant ; quia de cœli superioris sublimitate dejecti, merito irregressibilis transgressionis, in hoc sibi congruo velut carcere prædamnati sunt. Nec tamen, quia supra terram, et aquas aereus locus est, ideo et ipsi sunt meritis superiores hominibus » etc.

III. Sed et in *Enarratione Psalmi* CXLIX diserte id explanat his verbis : « Propterea ad istam caliginosam, id est ad hunc aerem, tanquam ad carcerem, damnatus est diabolus, de apparatu superiorum Angelorum lapsus cum angelis suis. Nam Apostolus hoc de illo dicit, *Secundum principem potestatis aeris hujus, qui nunc operatur in filiis diffidentiæ* [3]. Et alius Apostolus dicit [4] : *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed carceribus caliginis inferni retrudens, tradidit in judicio puniendos servari*, infernum hoc appellans, quod inferior pars mundi sit. » Proinde, ut scribit Cassianus [5], « Tanta spirituum densitate constipatus est aer iste, qui inter cœlum, terramque diffunditur, in quo non quieti, nec otiosi pervolitant, ut satis utiliter humanis aspectibus eos providentia divina absconderit, atque subtraxerit. Aut enim terrore concursus eorum, vel horrore vultuum, in quos se pro voluntate sua, cum libitum fuerit, transformant, atque convertunt, intolerabili formidine homines consternarentur, atque deficerent, nequaquam valentes hæc carnalibus oculis intueri ; aut certe nequiores quotidie redderentur, exemplis eorum jugibus, et imitatione vitiati, et per hoc inter homines, et immundas, atque aereas potestates fieret noxia quædam familiaritas, atque perniciosa conjunctio. » Quæ Cassiani verba sic exponenda sunt, non ut talia esse dæmonum corpora, quæ naturaliter videri possint, existimet ; (neque enim aer aspectabilis est, cujus generis, imo vero subtiliora Angelis corpora tribuit, uti superius ostendimus) sed ut non sinat illos Deus horrificis spectris, et imaginibus illudere mortalium oculis, et eos e vicino perterrefacere ; quod etiam nullis constantes corporibus, ac meri, uti revera sunt, spiritus, facere possent, et vero cuperent, si id Deus permitteret.

IV. Hieronymus in commentario ad epistolam Pauli *ad Ephesios,* enarrans illa verba capitis VI. *Adversus mundi rectores tenebrarum harum, adversus spiritualia nequitiæ, in cœlestibus* vocabulum *cœlestium* de aere interpretatur. « Hæc autem, inquit, omnium doctorum opinio est, quod aer iste, qui cœlum et terram medius dividens inane appellatur, plenus sit contrariis fortitudinibus. » Sic Apostolus in secundo ejusdem epistolæ capite, *principem*

a Philo. Οὓς ἄλλοι φιλόσοφοι δαίμονας, ἀγγέλους Μωσῆς εἴωθεν ὀνομάζειν. ψυχαὶ δέ εἰσι κατὰ τὸν ἀέρα πετόμεναι. καὶ μηδεὶς ὑπολάβῃ μῦθον εἶναι τὸν εἰρημένον. ἀνάγκη γὰρ ὅλον δι' ὅλων τὸν κόσμον ἐψυχῶσθαι, τῶν πρώτων, καὶ στοιχειωδῶν μερῶν ἑκάστου τὰ οἰκεῖα, καὶ πρόσφορα ζῶα περιέχοντος.

b Idem. Ἔστι δὲ καὶ κατὰ τὸν ἀέρα ψυχῶν ἀσωμάτων ἱερώτατος χορὸς, ὁπαδὸς τῶν οὐρανίων. ἀγγέλους γὰρ τὰς ψυχὰς ταύτας εἴωθε καλεῖν ὁ θεσπιῳδὸς λόγος.

1 Cap. XXII.— 2 Cap. X. — 3 *Eph.* II.— 4 II *Pet.* II. — 5 Col. 8, cap. XII.— 6 *Eph.* VI, 12.

vocat potestatis aeris hujus spiritum [a]. Ad quæ verba Chrysost. adnotat, diabolum « non amisisse principatum in ea, quæ sub cœlo sunt, etiam post peccatum [b]. » Quippe per ea, quæ sub cœlo sunt, spiritus intelligit, qui in aere versantur ; quasi dicat, « principem, et dominatorem omnis aerii spiritus [c] », ut ait Theophylactus. At Theodoretus « diabolum ait, olim aeris potestatem sibi creditam obtinuisse, ab eaque post peccatum excidisse [d]. » Quæ verba descripsit Œcumenius.

Sed observandum est, quod Græci illi tradunt, diabolum, antequam peccaret, principem a Deo constitutum aeris hujus, ac totius mundi plagæ cœlo subjectæ. Ita enim post orbem conditum peccasse demum illos consequens erit. Nam Adamo creato jam peccaverat. Atqui longo ante mundi conditum intervallo Angelos exstitisse communis est Græcorum opinio, et ipsius adeo Chrysostomi, ut supra meminimus[1]. Ideo consentaneum erit, diabolum, ejusque socios haud exiguo spatio bonos inter bonos vixisse. Sed, si Apostoli simplex, et verus sensus quæritur, per aerem intelligendi sunt aerii spiritus mali, in quos eumdem, quem ante peccatum sortitus erat, diabolus principatum retinet. Quod in Œcumenii Catena legitur*.

V. Rursus de habitatione dæmonum in aere meminit Eusebius in libro tertio *de Demonstratione Evangelica*, et in decimo, et Chrysostomus homilia XI in epist. I *ad Thessalonicenses*, Theodoretus oratione tertia *contra Græcos*, Fulgentius libro *de Trinitate*, capite VIII, Bernardus libro *de Gradibus humilitatis*, et in *Psalmum, Qui habitat.*

Rupertus vero, nullo excepto, dæmones omnes in aerem tantummodo dejectos usque ad supremi judicii diem ibi manere statuit in primo commentariorum *ad Genesim*, capite XVII. « Ille, inquit, terribiliter indignatione Dei, trementibus cunctis Angelorum ordinibus, cœlo excussus in hunc aerem miser cecidit, ab omni luce extinctus, et jam in æternum lucem Dei non visurus. Et nunc quidem in hunc aerem illum esse dejectum, et omnes satellites ejus, quos aereas catervas dicimus, passim in Scripturis habemus ; verbi gratia in Apostolo dicente, *Non est nobis colluctatio adversus carnem, et sanguinem, sed adversus principatus, et potestates, adversus mundi hujus rectores, tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cœlestibus.* Futurum est autem, ut in infernum inferiorem videntibus cunctis præcipitetur in ignem æternum, qui paratus est ei, et Angelis ejus. Sicut enim homo propter primum peccatum de paradiso, in quo nequaquam conditus fuerat, ejectus est, ut operaretur hanc terram, de qua sumptus fuerat ; sic et ille de cœlo, quo per gratiam cum cæteris spiritibus receptus fuerat, in hunc, de quo creatus fuerat, rejectus est aerem caliginosum, utpote necdum sole, et luna, et stellis illustratum, cum ille creatus est ; in quo nec modo sibi ad recipiendam lucem sol iste prodesse potest, et inde cum Angelis suis et malis hominibus, propter peccata perseverantia, in die judicii præcipitandus est. » Vide eumdem in libro primo *de Victoria Verbi Dei*, cap. XXV. Sane incredibilem aereorum incolarum copiam describit Æneas Gazæus, cujus verba supra descripsimus, cum de Angelorum multitudine pene infinita verba faceremus. Ibi enim plenum ait esse aerem, plenam terram, et mare, et quæ sub terra sunt, dæmonibus. Quod et responso quodam suo unus ex illis testatus est Apollo, ut refert Lactantius in hæc verba,

a EPH. II, 2. Τὸν ἄρχοντα τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος τοῦ πνεύματος.

b CHRYS. hom. IV in ep. *ad Eph.* Ἐμοὶ γὰρ δοκεῖ γενόμενος ἄρχων ὑπὸ τὸν οὐρανὸν μὴ μεταπεπτωκέναι τῆς ἀρχῆς καὶ μετὰ τὴν παράβασιν.

c THEOPHYL. Τουτέστι κατὰ τὸν ἄρχοντα, καὶ ἐξουσιαστὴν παντὸς ἐναερίου πνεύματος.

d THEOD. Ὡς πάλαι μὲν ὁ διάβολος τοῦ ἀέρος ἐνεπιστεύθη τὴν ἐξουσίαν, ἐκπεσὼν δὲ ταύτης διὰ τὴν πονηρίαν.

* Miror Petavium non vidisse in Græcis, quæ partim profert in margine, verba Pauli male latine a se adscripta fuisse. Habet Paulus : *Ambulastis secundum sæculum mundi hujus*, κατὰ τὸν ἄρχοντα τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος, τοῦ πνεύματος τοῦ νῦν ἐνεργοῦντος : Secundum potestatem æris (addit vulg. *hujus*) Spiritus qui nunc operatur ; hoc est *Spirituum qui* etc. Nam *potestas aeris* sunt cacodæmones, vel *Spiritus qui operantur in filios diffidentiæ.* Est ergo apud Paulum singularis pro plurali, πνεύματος pro πνευμάτων. Fallitur in sequentibus Petavius, ubi *aerem* explicat Spiritus malos aereos ; nam sequentia satis ostendunt significari locum in quo Spiritus illi versantur, præsertim si conferantur cum *Ephes.* VI, 12. TH. AL.

1 Lib. I, cap. XVI— 2 Lib. I, cap. XIV, n. 13.

Δαίμονες, οἳ φοιτῶσι περὶ χθόνα, καὶ περὶ πόντον
Ἀκάματοι, δάμνανται ὑπαὶ μάστιγι θεοῖο.

« Dæmones, qui commeant circa terram, et [circa pontum
Indefessi, domantur sub flagello Dei [1]. »

Chrysostomus vero in homilia *de Assumptione Domini*, etiam « Angelis sanctis plenum esse dicit aerem [a]. »

Multi plerosque dæmones in tartara detrusos censent.

VI. At vero non omnem penitus rebellium Angelorum multitudinem supra terram constitisse, plerosque autem in ima detrusos esse Tartara multorum est opinio, quam Eusebius in septimo *de Præparatione Evangelica* declarat. Ubi, postquam Principis illius. et defectionis auctoris miserrimum e cœlo lapsum Propheticis testimoniis explicavit; innumerabiles ait alios iisdem implicatos sceleribus cum eo corruisse, quorum complures in infernas specus relegati sunt, paucis ad homines exercendos supra terram relictis. « Innumerabile est autem, inquit, aliud genus illi subjectum, iisdem delictis obnoxium; quod propter impietatem a priorum sorte excidens, splendente, ac diviniore, quo dudum circumdatum erat, ornatu, et honoris gradu, quem in regio palatio sortitum erat, ac vita illa quam inter beatos Angelorum choros degebat, consentaneum impiis domicilium, et Tartari habitationem, quem abyssum divinæ Scripturæ nominant, ac tenebras nequaquam nostrarum similes, sed cujusmodi Sacræ Litteræ significant, permutare compulsum est justo magni Dei judicio, ac sententia. Quorum perexigua particula ad athletarum pietatis exercitium, circa terram, et sublunarem aerem relicta, superstitiosi illius erroris, qui Deorum multitudinem asciscit, nec ab omnimoda divinitatis ignoratione, contemptuque discrepat, causam hominibus attulit [b]. » Hæc Eusebius, cujus et alterum locum e quinto ejusdem operis adduximus supra, qui dæmones in aere, ac terrenis spatiis, et inter busta mortuorum, et sepulcra commorari, asserit. Cui rei fidem faciunt, præter sacras Scripturas, veteres, ac recentes historiæ; tum communis auctorum recensio, in quibus percensendis supervacaneam operam non sumimus. Quin idem Eusebius in quarto *de Demonstratione Evangelica*, diabolum, ac dæmones, qui per infimam aeris regionem volitant, ante adventum Domini totum orbem pervagatos ait, ac sibi in nationes omnes dominatum, et tyrannidem usurpasse, præsidibus illarum ejectis Angelis; cujus loci summam in superioribus descripsimus. Hieronymus in cap. XXXII *Ezechielis* similiter, atque Eusebius, dæmonum alios in aere, alios in inferis collocat. Nam versum V capitis illius, in quo colles, et valles implendas ait draconis sanguine, sic enarrat : « Aut certe montes adversarias potestates, quæ in aere discurrunt, et valles, quæ inferna penetrant, et æternis suppliciis mancipatæ sunt. »

Explicantur Petri et Judæ loci.

VII. Atenim Scriptura dæmones omnes in Tartarum præcipitatos esse, et ibidem velut in carcere, atque ergastulo vinculis contrictos asservari ait in extremum Judicii tempus. Nam Petrus in epistola canonica secunda sic scribit [2] : *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos in judicium reservari.* Cui Judas consonat in Canonica [3] : *Angelos vero*, ait, *qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit.* Augustinus in tractatu illo *ad Psalmum* CXLIX cujus paulo ante meminimus, infernum, sive Tartarum a Petro pro inferiori parte aeris accipi putat. Et adstipulatur Gregorius Papa [4] libro XV *Moralium* capite XVII ex eoque Beda, qui sic adnotat : « Quantum enim ad sublimitatem cœli, jam hujus aeris spatium dici infernus potest; sicut et quantum ad ejusdem aeris altitudinem, terra, quæ inferius jacet, infernus intelligi potest, et profundus; » quæ verba Gregorii sunt. Itidemque Rupertus in primo *Comment. ad Genesim*, capite XVII, et Petrus

a Chrys. hom. LXXXVII. Ὅτι γὰρ ἅπας ὁ ἀὴρ ἀγγέλων ἐμπέπληται.

b Euseb. Μυρίον δέ ἐστιν ἄλλο γένος ὑπὸ τούτῳ τοῖς παραπλησίοις ἔνοχον πλημμελήμασιν, ὃ τῆς δυσσεβείας χάριν, τῆς τῶν εὐσεβῶν ἀποπεσὸν λήξεως, ἀντὶ τῆς πάλαι φωτοειδοῦς, καὶ θειοτέρας περιβολῆς τῆς τε ἐν τοῖς βασιλείοις τιμῆς, καὶ τῆς ἐν μακαρίοις, καὶ ἀγγελικοῖς χοροῖς διατριβῆς, τὸν ἐφαρμόζοντα τοῖς δυσσεβέσι χῶρον, κρίσει δικαίᾳ, καὶ ἀποφάσει τοῦ μεγάλου θεοῦ Τάρταρον οἰκεῖν, ὃν ἄδυσσον οἱ θεῖοι λόγοι προσαγορέυουσι, καὶ σκοτὸς οὐ τὸ παρ' ἡμῖν, τὸ δι' ὑπὸ τῶν θείων λογίων δηλούμενον, ἀντικατηλλάξατο, ὧν βραχύ τι, καὶ μικρὸν ἀπόσπασμα, γυμνασίου χάριν τῶν εὐσεβείας ἀθλητῶν, ἀμφὶ γῆν, καὶ τὸν ὑπὸ σελήνην ἀέρα καταλειφθὲν τῆς ἐν ἀνθρώποις πολυθέου πλάνης κατ' οὐδὲν ἀθεότητος διαφερούσης συναίτιον γέγονε.

1 Apud. Lact. lib. I, cap. VI.— 2 II *Pet.* II, 4.— 3 *Jud.* VI.— 4 In Com. ad II *Pet.* cap. II.

Abaelardus in libro primo *Introductionis ad Theologiam,* capite XVII.

Verum non est probabilis hæc interpretatio; quippe *Tartarus*, et *infernus*, et *caligo*, perspicue inferos significant. Quibus tamen sic addictos esse, et affixos dæmones, ut inde, tanquam e carcere, nunquam exeant, quod Apostolos illos docere quis putet, non est verum. Nam constat illos per aera discurrere, ibique sedem suam constituere. Unde et a Paulo vocatur diabolus *princeps potestatis aeris hujus* [1] cui scilicet obsequuntur, ac subjecti sunt dæmones, qui in aere degunt. Et apud Lucam iidem illi, cum se ex insessis corporibus exturbandos viderent a Christo [2], *rogaverunt illum, ne imperaret illis, ut in abyssum irent;* quo nomine Tartara, inferosque designant. Quanquam Ambrosius mare istic abyssum esse putat [3]. Sed alii inferos intelligunt, velut Titus Bostrensis libro primo *contra Manichæos* [4], et Cyrillus libro primo *Glaphyrorum in Exodum*[5], et libro VI *in Joannem,* necnon Theophylactus; quod et probabilius sane mihi videtur.

VIII. Sed, ut cætera desint, certe, cum a dæmonibus invadi, occuparique hominum, ac pecudum corpora certum sit, non possunt illa Petri, Judæque verba tam præfracte accipi, nusquam ut ab inferis egredi dæmones velint. Quocirca necesse est, commode a nobis duorum apostolorum loca illa sic exponi, ut nec omnes prorsus asserant hærere in inferorum claustris, ac vinclis attineri dæmones, neque perpetuos; sed eorum plerosque, quod Eusebio placet, reliquos in aere, vicinisque locis stationem habere; tum vicissim mutare sedes, et qui in inferis erant, illinc emergere, et ad inferos, terræ, aerisque penetrare incolas, atque ultro citroque commeare. Ita verum esse potest, quod Petrus, et Judas scripserunt, desertores istos Angelos Tartaro, velut carceri, ac vinculis addictos esse, quoniam et illorum pars major ibi habitat, et, si qui indidem emittuntur, eo subinde redeunt. Nam et perpetuo damnati carcere homines, tametsi ad tempus exsolvantur, eodem postea reversuri in perpetuo esse carcere dicuntur.

IX. Credit Guillelmus Esthius, « omnes Angelos apostatas, simul atque peccaverunt, in profundum infernum dejectos, ac præcipitatos fuisse. Postea vero principem eorum, Dei judicio, permissum tentare primos parentes, ac post horum transgressionem etiam aliis, Deo, quibus vellet, permittente, concessum fuisse, ut in hoc aere, velut assignato eis carcere temporario, morarentur, humanum genus tentaturi, atque pro meritis multifariam vexaturi. » Quod, ut verisimile est, sic ad Petri, ac Judæ interpretanda verba nihil pertinet. Si enim ad omnes, qui lapsi sunt, Angelos illa referas; necesse est perpetuo illic eos esse fateare, usque ad judicii diem. Quod vero Œcumenium conjecturæ illius testem citat, qui Lucæ verba illa [6], *Et rogabant eum, ne imperaret illis, ut in abyssum irent*, sic interpretatur, « ne in abyssum remitterentur; » frustra id facit. Nam Œcumenius Græce ita scribit: « Nam in Evangelio rogant, ne in abyssum ipsos demittat; tanquam alteri omnes id passi sint. » Καταπέμψαι dixit, hoc est *demittere*, non *remittere*. Cæterum pro πάντων legendum illic arbitror πάντως, ut dicat, illos dæmones veritos esse, ne in Orcum ire cogerentur, quod alii quidam socii sui perpessi fuerant, non omnes utique, sed pauci, quos Christus ex obsessis corporibus expulerat.

An princeps dæmoniorum in inferi attineatur.

X. Horum principem diabolum, sive Satanam, cum antea per orbem impune volitaret, Christi virtute in inferos retrusum esse, et in abysso religatum vinculis quibusdam, et catenis asservari plerique colligunt ex *Apocalypsi* Joannis [7], *Vidi*, inquit, *Angelum descendentem de cœlo, habentem clavem abyssi, et catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus et Satanas, et ligavit eum per annos mille. Et misit eum in abyssum, et clausit, et signavit super illum, ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni; et post hæc oportet illum solvi modico tempore.* Ita sanctus Gregorius *Moralium* IV capite XIII ubi Leviathan « ab electis Angelorum spiritibus nunc in puteo abyssi clausum premi dicit: Ille enim apostata Angelus, qui ita conditus fuerat, ut Angelorum cæteris legionibus emineret, ita superbiendo succubuit, ut nunc stantium Angelorum ditioni substratus sit, quatenus, vel nunc ad utilitatem nostram, eis ministrantibus, religatus lateat, vel tunc ad probationem nostram, eis

a ŒCUM. Καὶ γὰρ ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ δέονται μὴ εἰς τὴν ἄβυσσον αὐτοὺς καταπέμψαι, ὡς καὶ ἑτέρων τοῦ τὸ πάντων παθόντων.

1 *Eph.* II, 2. — 2 Cap. VIII, 31. — 3 Lib. I *Hexaem* c. VIII. — 4 Tom. II Auct. *Bibl. Patr.* col. 893. — 5 Tom. I et l. VI *in Joan.* — Cap. VIII. — 7 Cap. XX.

relaxantibus, totis se suis contra nos viribus solutus exerceat. »

At Augustinus alligari Satanam interpretatur [1], « ejus potestatem ab eis seducendis, ac possidendis, qui fuerant liberandi, cohiberi, atque frenari. » Puteum vero abyssi « multitudinem innumerabilem impiorum, quia exclusus a credentibus, plus cœpit impios possidere. » Quæ allegorica potius enarratio videtur, quam propria, et germana. Itaque verisimile est, uti Joannis verba præ se ferunt, quodcumque tandem sit, et quocumque modo intelligendum mille annorum intervallum illud, in eo Satanam alligandum esse, aut jam alligari in imis inferorum penetralibus, indeque sub occasum mundi aliquanto spatio solutum iri.

Cyrillus Alexandrinus libro VI commentariorum *in Joannem*, quorumdam opinionem refert, nec probat, qui Satanam illum, a quo Angeli multi in præceps abrepti sunt, apud inferos alligatum fuisse volunt; sed alium ejus loco substitutum. qui primos nostros parentes astute circumventos oppresserit, et superioris illius quasi filius vocetur a Christo, cum dicit. *mendax est, et pater ejus* [2]. Sed vana est, et ludicra ista fabula. Vide Hugonem tractatu secundo *Summæ sententiarum* capite IV, et Lombardum in secundo libro distinctione VI qui ambigue de diaboli vinculis loquuntur.

An omnes dæmones ignis inferni pœnas modo sustineant. Nondum sustinere censent veteres.

XI. Utrum autem et iste, et qui in eodem inclusi carcere detinentur, tum multo magis qui in aere, terrisque degunt, ac liberiorem evagandi potestatem habent, eos ipsos, quibus addicti sunt, cruciatus sentiant, an post judicium demum toleraturi sint, non levem, neque sane prætermittendam quæstionem continet. De qua veteres haud pauci sic statuunt, nondum illos æternis incendiis macerari, sed in expectatione adhuc esse, dum judicii dies appetat. Sic Tertullianus in *Apologetico* tradidit his verbis [3]: « Nam licet subjecta sit nobis tota vis dæmonum, et ejusmodi spiritus, ut nequam tamen servi metui nonnunquam contumaciam miscent, et lædere gestiunt, quos alias verentur. Odium enim etiam timor spirat, præterque et desperata conditio eorum ex prædamnatione solatium reputat fruendæ interim malignitatis de pœnæ mora. » Sic antea « dæmones ob malitiam prædamnatos esse scripsit [4], in eumdem judicii diem cum omnibus cultoribus, et operatoribus suis. » Fuit hæc eadem antiquorum illorum opinio; qui diabolum ante Domini adventum blasphemare ausum non esse dixerunt, quia nondum sciret damnationem suam; cum autem ex Christi, et apostolorum sermonibus didicisset, æternum sibi ignem esse præparatum, eum, a quo se condemnatum intellexerat, Deum blasphemare per suos hæreticos cœpisse. Quod a Justino martyre proditum Irenæus commendat [5], et Eusebius [6], necnon Epiphanius [7], uti supra commemoravi.

XII. Quod Œcumenii verbis hoc loco declarare non alienum puto ab instituto nostro : « De his autem, ait, nunquam intermissis insidiis, et diligenti ad nos circumveniendos calliditate agens Justinus sanctissimus martyr, et illius causam exponens, ait diabolum, ante adventum Domini, non tam manifeste scisse vim damnationis suæ, cum eam divini prophetæ obscure, ac per ænigmata significassent, ut Esaias sub persona regis Assyrii omne id, quod circa diabolum gestum est, tragica comploratione descripsit. Postquam autem, adveniente Domino, perspicue audiit diabolo reservatum esse, ac paratum ignem æternum, et Angelis ejus, fidelibus insidiari non desinit, multos habere volens defectionis suæ socios [a]. » Ac Justinus quidem in *Apologia* priore testis est, nondum dæmones sempiternis cruciari ignibus, sed postea cruciandos. « Qui, inquit, dignas pœnas, et supplicia reportabunt, sempiternis inclusi ignibus. Nam, cum jam ab hominibus per nomen Jesu Christi superentur, documentum hoc est futurorum, qui tam ipsos, quam eorum cultores manent, in æterno igne cruciatuum. Ita enim et prophe-

Justini locus insiguis.

a Œcum. in fine comm. in ep. I. *Petri*. Περὶ τῆς τοιαύτης δὲ ἀνενδότου ἐπιβουλῆς καὶ Ἰουστῖνος ὁ ἅγιος μάρτυρ, καὶ τῆς ἐπιμελοῦς αὐτοῦ καθ' ἡμῶν πανουργίας τὴν αἰτίαν παρατιθέμενός φησιν, ὡς ὁ διάβολος πρὸ τῆς τοῦ κυρίου παρουσίας οὐκ ᾔδει τρανῶς οὕτω τῆς ἑαυτοῦ τιμωρίας τὴν δύναμιν, τῶν θείων Προφητῶν αἰνιγματωδῶς ταύτην διαγορευσάντων· ὡς ὁ Ἡσαΐας ὑπὸ προσώπῳ τοῦ Ἀσσυρίου, πᾶσαν τὴν κατὰ τὸν διάβολον δραματουργίαν ἐκτραγῳδῶν ἀπεκάλυψεν· ἐν οἷς δὲ τοῦ κυρίου παραγενομένου, καὶ τῷ διαβόλῳ σαφῶς ἀποκεῖσθαι, καὶ ἡτοιμάσθαι τὸ αἰώνιον πῦρ, καὶ τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ ἤκουσεν, οὐ παύεται τοῖς πιστοῖς ἐπιβουλεύειν, πολλοὺς ἔχειν βουλόμενος τῆς ἑαυτοῦ κοινωνοὺς ἀποστάσεως.

1 Lib. XX *de civ.* cap. VII.— 2 *Joan.* VIII, 45.— 3 Cap. XXVII.— 4 Cap. III.— 5 Lib. V, cap. XXVI.— 6 Lib. IV *Hist.* cap. XVIII.— 7 Hær. XXXIX, n. 8.

tæ omnes fore prædixerunt, et Jesus præceptor noster docuit [a]. » Et in apologia posteriore, « Apud nos, inquit, princeps malorum dæmonum serpens vocatur, et Satanas, et diabolus; quemadmodum et ex monimentis nostris, si scrutari velitis, potestis discere. Quem in ignem esse mittendum cum exercitu ipsius, et hominibus, qui eum sequuntur, in æternum puniendos, Christus ante significavit. Porro quod nondum hoc factum sit a Deo, propter hominum genus, cui mora hæc datur, id accidit. Prævidet namque quosdam ex pœnitentia salutem consecuturos, quosdam etiam, qui fortassis necdum nati sunt [b]. » Quibus verbis ostendit, non ante Judicii diem extremum æterno igne cruciandos dæmones; quem diem ideo repræsentare modo nolit, quod multi interim homines ad salutem perveniant,

XIII. Minucius Felix in *Octavio* : « Et ideo apud eos etiam ipse rex Jupiter per torrentes ripas, et atram voraginem jurat religiose. Destinatam enim sibi cum suis cultoribus pœnam præscius perhorrescit. »

Lactantius quoque in postremo libro *Institutionum* [1], de extremo judicio agens : « Sed et dominus illorum (diabolus) cum ministris suis comprehendetur, ad pœnamque damnabitur; cum quo pariter omnis turba impiorum pro suis facinoribus in conspectu Angelorum, atque justorum perpetuo igni cremabitur in æternam. »

Tatianus in oratione *contra Gentes*, dæmones, qui nunc vitam per scelera transigunt, postea puniendos; et hoc ipsum, quod non ut homines moriuntur, majori esse detrimento, quoniam pluribus se delictis obstringunt. « Qui non facile moriuntur, inquit, cum carnei non sint; sed viventes mortis officia faciunt, toties et ipsi morientes, quoties eos peccare docuerint, qui seipsos sequuntur. Quamobrem, quod in præsentia peculiare habent, ut non similiter, atque homines, moriantur, et, hoc ipsum et, cum puniendi sunt ipsis aderit, ac vitæ sempiternæ participes non erunt, ita ut pro morte illius in immortali corpore compotes fiant. Quemadmodum autem nos, quibus nunc facile mors supervenit, postea vel immortalitatem cum voluptate, vel tristitiam cum immortalitate assequemur; sic dæmones, qui præsenti vita ad peccandum abutuntur, et perpetuo etiam vivendo moriuntur, eamdem postea immortalitatem habebunt, similem priori, quæ ipsis inerat, quandiu vivebant [c]. »

Antonius monachorum parens in epistola secunda [2], « Ipsi quoque cognoscentes, ait, indulgentiam Conditoris, quod mors his fiat in terris, illis vero sit præparatum hæreditare gehennam propter negligentiam suam. »

XIV. Origenes homilia VIII *in Exodum* : « Quoniam patres, id est diabolus, et Angeli ejus, cæterique principes mundi hujus, et rectores tenebrarum harum, et ipsi enim efficiuntur patres peccati, sicut et diabolus; quoniam, inquam, patres isti indigni sunt, qui in præsenti sæculo corripiantur, sed in futuro recipient, quæ merentur. » Et in libro V in epistolam *ad Romanos* ait, « Diabolum, et Angelos ejus igni damnatos esse; eos vero, qui non servaverunt suum principatum, æternis vinculis constrictos reservari ad diem judicii, » tanquam aliis irrogata sit pœna, aliorum dilata. Vide et caput VI primi libri *de Principiis*, et homiliam XIII *in Numeros*. Idem sentit et Didymus libro *contra Manichæos* [3].

a Justin. Οἱ τὴν ἀξίαν κόλασιν, καὶ τιμωρίαν κομίσονται, ἐν αἰωνίῳ πυρὶ ἐγκλεισθέντες. εἰ γὰρ ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων ἤδη διὰ τοῦ ὀνόματος Ἰησοῦ Χριστοῦ ἡττῶνται. δίδαγμά ἐστι τῆς καὶ μελλούσης αὐτοῖς, καὶ τοῖς λατρεύουσιν αὐτοῖς ἐσομένης ἐν πυρὶ αἰωνίῳ κολάσεως· οὕτω γὰρ καὶ οἱ Προφῆται πάντως προεκήρυξαν γενήσεσθαι, καὶ Ἰησοῦς ὁ ἡμέτερος διδάσκαλος ἐδίδαξε.

b Idem. Παρ' ἡμῖν μὲν γὰρ ὁ ἀρχηγέτης τῶν κακῶν δαιμόνων ὅφις καλεῖται καὶ Σατανᾶς, καὶ διάβολος· ὡς καὶ ἐκ τῶν ἡμετέρων συγγραμμάτων ἐρευνήσαντες, μαθεῖν δύνασθε· ὃν εἰς τὸ πῦρ πεμφθήσεσθαι μετὰ τῆς αὐτοῦ στρατιᾶς, καὶ τῶν ἑπομένων ἀνθρώπων κολασθησομένους τὸν ἀπέραντον αἰῶνα, προεμήνυσεν ὁ Χριστός. καὶ γὰρ ἡ ἐπιμονὴ τοῦ μηδέπω τοῦτο πρᾶξαι τὸν θεὸν, διὰ τὸ ἀνθρώπινον γένος γεγένηται. προγινώσκει γάρ τινας ἐκ μετανοίας σωθήσεσθαι μέλλοντας, καί τινας μήδεπω ἴσως γεννηθέντας.

c Tatian. *contra Græc.* Οἱ θνήσκουσι μὲν οὐ ῥᾳδίως. σαρκὸς γὰρ ἀμοιροῦσι· ζῶντες δὲ θανάτου πράττουσιν ἐπιτηδεύματα, τοσαυτάκις καὶ αὐτοὶ θνήσκοντες, ὁσάκις ἂν τοὺς ἑπομένους αὐτοῖς τὰς ἁμαρτίας ἐκπαιδεύσωσιν. ὥσθ' ὅπερ ἐστὶν αὐτοῖς περιττὸν ἐν τῷ νῦν, μὴ ὁμοίως τοῖς ἀνθρώποις ἀποθνήσκειν, τοῦθ' ὁποτ' ἂν μέλλωσι κολάζεσθαι, παρὸν αὐτοῖς, οὐ μεθέξουσιν ἀϊδίου ζωῆς, ἀντὶ θανάτου ἐν ἀθανάτῳ μεταλαμβάνοντες. ὥσπερ δὲ ἡμεῖς, οἷς τὸ θνήσκειν ῥᾳδίως ἀποβαίνει νῦν, εἰσαῦθις μετὰ ἀπολαύσεως ἢ τὸ ἀθάνατον, ἢ τὸ λυπηρὸν μετὰ ἀθανασίας προσλαμβάνομεν· οὕτω καὶ οἱ δαίμονες τῇ νῦν ζωῇ πρὸς τὸ πλημμελεῖν καταχρώμενοι, διὰ παντὸς καὶ διὰ τοῦ ζῆν ἀποθνήσκοντες, εἰσαῦθις ἕξουσι τὴν ἀθανασίαν ὁμοίαν τῆς παρ' ὃν ἔζων χρόνον.

1 Cap. XXXI.— 2 Tom. III *Bibl. Patr.* — 3 Did. tom. IV *Bibl. Patr.*

Ambrosius in caput *Lucæ* XII nondum damnatum æternis suppliciis esse diabolum videtur ostendere, dum sic scribit : « Si enim, dum sumus in hac vita, exsolvamus nos a vinculis diaboli, nec ille propter nos damnabitur, et nos a vinculis ejus erimus alieni. » Et in commentariis *ad Psalmum* CXVIII quem locum postea referemus.

Nemesius item in libro *de Natura hominis* capite primo : « Et hominem immortalem conditum, mortalem subinde fecit. Non enim in Angelis, qui peccaverant, videtur hoc fecisse, sed secundum primam illorum naturam immortales manserunt, aliam ob peccata sua pœnam præstolantes, quam mortem [a]. »

Isidorus etiam Pelusiota non aliter sentit, qui diabolum in nova lege varias hæreses ideo concitasse refert, quod tum demum damnationem suam, ac futuras pœnas didicerit. Sic igitur scribit : « Postquam autem e cœlo venit salutare Verbum, nobis quidem cœlestis vitæ generis documenta ferens, diabolo vero per eas minas, quas in peccatores intendebat, pœnam, quæ ipsum manebat, prænuntians, dicebat enim : *Ite in ignem, qui paratus est diabolo, et Angelis ejus* [1], tum vero communis ille omnium hostis, etc. cum condemnationis suæ decretum audisset, acrius adversum nos spiravit. atque hæreses in lucem protulit[b]. »

XV. Augustinus vero idipsum perspicue, nec uno in loco tradidit ; ut in calce libri XIII *de Civitate Dei*. « Sicut etiam desertores, inquit, Angeli, licet secundum modum quemdam mortui sint peccando, quia fontem vitæ deseruerunt, qui Deus est : quem potando, sapienter, beateque poterant vivere ; tamen non sic mori potuerunt, ut omnino desisterent vivere, atque sentire, quoniam immortales creati sunt ; atque ita in secundam mortem post ultimum præcipitabuntur judicium, ut nec illic vita careant, quandoquidem etiam sensu, cum in doloribus futuri sunt, non carebunt. » Item et in libro XXI pluribus in capitibus demonstrat [2], et in libro *de Natura boni contra Manichæos*, et sermone XXI *in Matt.* « Illi dies novissimus, ait, pœnalis servatur in finem ; tamen mortem, quam nos patimur, ille non patitur. » Tum in epistola XLIX quæst. III dæmonia « in hoc proximo, et caligoso cœlo inhabitare, ait, tanquam in aereo carcere suo prædestinata supplicio sempiterno. » Et in *Psalmum* LVII, duplicem pœnam ignis agnoscit, unam in præsenti, alteram in judicio.

Hieronymus etiam in caput XXV *Esaiæ*, de dæmonibus loquens, « Hos igitur principes, ait, qui suum non servaverunt gradum, congregabit Dominus in die judicii, quasi in uno fasce pariter colligatos, et mittet in lacum inferni, ut in illis quoque impleatur, quod de impiis scriptum est : *Lacum aperuit, et effodit eum, et incidit in foveam, quam fecit.* Et includentur in carcere, juxta illud, quod ait Dominus : *Ite in ignem æternum, qui præparatus est diabolo, et Angelis Deus.* » Chrysologus sermone LII. « Deus, qui dæmones est perpetuo crematurus incendio, qui jam eos et in præsentia astringit vinculis, angit cruciatibus, urget pœnis. »

Alcimus Avitus libro secundo *De peccato Originali*, diabolum sic loquentem inducit :

« Sit comes excidii, subeat consortia pœnæ ;
Et quos prævideo nobiscum dividat ignes. »

Theodoretus in quinto libro *contra Hæreses* cap. IX diabolum, et Angelos ejus in extremo judicio pœnis damnandos esse significat ex iisdem illis Christi verbis : *Ite maledicti in ignem æternum*, etc. « Igitur puniendos illos esse certo didicimus. Consideremus vero deinceps, an juste id patientur, naturam ejusmodi a conditore sortiti [c]. » Chrysostomus homilia XXIV *in Matthæum* ait dæmones putasse sibi a Christo ante tempus repræsentanda esse supplicia ; quod et Theophylactus, et alii sequuntur.

XVI. Victor Antiochenus in caput V *Marci*, non abhorret ab hac sententia ; tametsi igni

c Nemesius. Καὶ τὸν γενόμενον ἀθάνατον θνητὸν εὐθέως ἐποίησεν. οὐδὲ γὰρ ἐπὶ τῶν ἁμαρτησάντων ἀγγέλων τοῦτο φαίνεται πεποιηκώς. ἀλλὰ κατὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς φύσιν ἀθάνατοι διέμειναν, ἄλλην τῶν ἡμαρτημένων ἀπεκδεχόμενοι δίκην, ἀλλ' οὐ τὸν θάνατον.

d Isid. lib. II, epist. XC. Ἐπειδὴ δὲ ἦκεν οὐρανόθεν ὁ σωτήριος λόγος, φέρων μὲν ἡμῖν οὐρανίου πολιτείας δόγματα. τῷ δὲ διαβόλῳ δι' ὧν τοῖς ἁμαρτάνουσιν ἠπείλει, προμηνύων τὴν ἀναμένουσαν αὐτὸν δίκην. ἔλεγε γὰρ· πορεύεσθε εἰς τὸ πῦρ τὸ ἡτοιμασμένον τῷ διαβόλῳ, καὶ ἀγγέλοις αὐτοῦ· τότε δὴ ὁ κοινὸς ἁπάντων ἐχθρὸς, etc. Ἀκούσας καὶ τῆς καθ' ἑαυτοῦ ἀποφάσεως τὸν ὅρον, σφοδρότερον ἔπνευσε καθ' ἡμῶν, καὶ τὰς αἱρέσεις ἔτεκε.

e Theod. Ὅτι μὲν οὖν κολασθήσονται, σαφῶς ἐδιδάχθημεν· σκοπήσωμεν δὲ λοιπὸν, εἰ δικαίως τοῦτο πείσονται, φύσιν τοιαύτην παρὰ τοῦ πεποιηκότος δεξάμενοι.

1 *Matth.* XXV.— 2 Cap. I, X et XIII.

quodam cruciatos esse, jam tum Christo vivente, dæmones arbitretur. Sic enim scribit : « Neque enim igni, qui sub sensum non cadebat, Christique præsentia dire tantum incendebantur, et torquebantur, verum etiam impendentium malorum metu. Arbitrabantur enim, ultimum supplicium jam tum adesse, adeoque ad inferorum cruciatus e vestigio sese abreptum iri. Metu itaque consternati rogant, perque omnia sacra obtestantur, ne ante tempus ad pœnarum locum amandentur. Nam, cum Dominus in nefario, planeque iniquo opere ipsos occupatos deprehendisset, verebantur, ne propter scelerum, quæ designaverant, immanitatem, communi punitionis tempore non expectato, statim ad abyssum ablegarentur. » Et mox : « Etsi dæmones sint nequissimi flagitiosissimisque moribus deformati, attamen certo compertum habent, propter mala, quæ quotidie perpetrant, tandem aliquando gravissimas pœnas se daturos. » His ex verbis colligitur, nondum dæmones ante judicii tempus pœnas ultimas expendere, hoc est igne illo cruciari, qui ipsis paratus dicitur. Nam quod igni quodam, qui sub sensum non cadit, tum incensos illos esse dicit, non proprie, sed methaphorice videtur ignem appellare extraordinariam aliquam pœnam, et cruciatum, quo illos Christi præsentia torquebat. « Ignis quippe est Dei verbum ; ait Rupertus [1], id est sic intolerabile impiis spiritibus malignis, ut est infirmis corporibus ignis visibilis. » Ac Rupertus idem perinde, ut alii veteres, nondum igne illo cruciari sensit [2], ut ex iis locis constat, quæ paulo ante citavimus, sed in judicium reservari.

XVII. Atque in primo *de Victoria Verbi Dei* [3], duplicem velut ignem constituit ad diaboli supplicium ; quorum alterum jam experitur, altero post judicium torquebitur. « Sciendum est, ait, interea, quia quocumque se vertat, pœnam suam secum portat, et plaga ignis ignitorum lapidum, qua semel est fulminatus, intrinsecus in ipso perseverat. Hæc ejus pœna ex illis Domini dictis ad beatum Job, salvo sacratiore intellectu, valet intelligi. *De ore ejus lampades procedunt, sicut tædæ ignis accensæ ; de naribus ejus procedit fumus, sicut ollæ succensæ ; atque fervens halitus ejus prunas ardere facit ; et flamma de ore egreditur.* Interim ergo, donec veniat dies universalis judicii, quo in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et Angelis ejus, præcipitabitur cunctis videntibus, jam pœnam habet incendium fulminis, quo fulminatus de cœlo cecidit. » Hæc Rupertus ; qui ignem illum nescio quem, quo ante judicium cruciari dæmones ait, proinde, ut Victor, metaphorice videtur intellexisse, quod ex reliqua illius oratione colligitur : nempe fulmen Verbi Dei, quo præceps e cœlo dejectus est, ac sententiam ipsam, quam semel contra se latam assidue meminit, eaque recordatione uritur, et si quid aliud est, quod eum angit, ac male afficit, citra ignem illum, qui ipsi, et Angelis ejus præparatus est, et in quem omnes cum reprobis hominibus in fine mundi præcipitandi sunt. Ut etiam Damascenus scribit in calce operis *de Orthodoxa fide*, quem et ad superiores Patres adscribere oportet. Nam ait, post judicium, diabolum, et ejus satellites æterno igni tradendos esse, « Tradetur, inquit, diabolus, ejusque dæmones, et homo ipsius, nimirum Antichristus, et impii, ac peccatores in ignem æternum [a]. »

XVIII. Sic Gregorius Papa in quarto *Moralium* [4] : « Antiquus hostis nequitiæ suæ vinculis astrictus, aliud est, quod nunc patitur, aliud, quod in fine patietur. Quia enim a lucis intimæ ordine cecidit, nunc semetipsum intrinsecus erroris caligine confundit. Sed post hoc amaritudine involvitur, quia ex merito spontaneæ caliginis æterno gehennæ tormento cruciatur. Dicatur ergo : Is qui serenitatem lucis intimæ perdidit, quid est, quod ante extremum supplicium tolerat ? Occupet eum caligo, subjungatur etiam, quæ illum pœna subsequens etiam sine termino devastat, etc. Involvi ergo amaritudine antiquus hostis dicitur, quia superbiæ ejus supplicia, non solum omnimoda, sed etiam infinita præparantur. Quæ videlicet ejus pœna tunc initium accipit, cum districtus ad extremum judicium judex venit. » Tum in IV *Dialog.* capite XXIX Diabolum, et Angelos ejus « in fine corporeo igne cruciandos ait. » Glossa item interlinearis in illum Petri locum, epistola secunda, verba ista, *detractos in Tartarum tradidit cruciandos in judicium reservari*, sic exponit ; « Id est tradidit, ut reservarentur in judicium, id est damnationem. »

a Damasc. Καὶ παραδοθήσεται ὁ διάβολος, καὶ οἱ δαίμονες αὐτοῦ, καὶ ὁ ἄνθρωπος αὐτοῦ, ἤγουν ὁ Ἀντίχριστος, καὶ οἱ ἀσεβεῖς, καὶ οἱ ἁμαρτωλοὶ εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον.

1 Lib. I *de Vict. Verbi Dei.* — 2 Lib. I *de Op. Trin.* et in I *de Vict. Ver.* cap. XVII et XXV. — 3 Cap. XVII. — 4 Cap. X.

Fulgentius etiam in libro *de Trinitate* capite VIII iisdem accedit : « Ex quibus, ait, quædam pars Angelorum, nolens sui creatoris facere voluntatem, ab ejus contemplatione dejecta servatur in judicio punienda, Petro Apostolo dicente, » etc. Et mox : « In hujus aeris ima detrusi servantur in judicium puniendi. »

Denique Bernardus in sermone *de Transitu S. Malachiæ*, « Diffinita quidem, ait, sed nondum promulgata sententia est. Denique jam diabolo ignis paratus, etsi nondum ille præcipitatus in ignem, modico adhuc tempore sinitur malignari. » Quod in loco sic *definitam*, id est latam esse *sententiam* ait, etsi nondum *promulgata* sit, quomodo « non potuisse judicium effugere scribit Augustinus [1], per quod miserrimi sunt. » Ex quo minime concludi potest, jam nunc igni, extremoque supplicio traditos esse dæmones ex hujus sententia, ut quidem existimant, cum ad id, ut miserrimus sit, sufficiat, jam in eum certissimum futuri supplicii constitutum esse decretum.

XIX. Hæc igitur antiquiorum fere theologorum opinio exstitit, nondum igne illo sempiterno, ac novissimo, gravissimoque supplicio affici dæmones, sed hoc in extremi judicii tempus reservari. Unus nunc Bena nobis occurrit [2], qui illos gehennæ incendio cremari diserte asserit. Imo vero « ubicumque, ait, vel in aere volitant, vel in terris, aut sub terris vagantur, sive detinentur, suarum secum ferunt semper tormenta flammarum, instar febricitantis ; qui etsi in lectis eburneis, etsi in locis ponatur apricis, fervorem tamen, vel frigus insiti sibi languoris evitare non potest. Sic ergo dæmones, etsi in templis colantur auratis, etsi per aera sua discurrant, igne semper ardent gehennali, et ex ipsa sua pœna commoniti, deceptis quoque hominibus fomitem vitiorum, unde et ipsi pereant, invidendo suggerunt. »

Sed complures, ut dixi, ac fere vetustiores aliter sentiunt, ut ad octavum *Matthæi* caput Maldonatus fatetur. In quo prudentius sane, consultiusque facit, quam plerique theologi ; qui antiquos illos, quos citavi, Patres invitos ab ea, quam perspicue tuentur, ad suam, communemque sententiam transferre student ; ac tormentum illud extremum dæmonum, quod iis judicii dies afferet, secus interpretantur, quam illorum testimonia ferunt.

XX. Etenim, quia post judicium æterno inclusi carcere nullam amplius ultro citroque discurrendi potestatem habebunt, neque tentare homines poterunt, aut eorum damnis novas eorum conditori injurias facere, tum quod ignominia, tum majore et invidia cruciabuntur ; ideo Patres illos existimant dæmonum in id tempus condemnationem, pœnamque distulisse. Sed aliter judicare necesse sit eum, qui in eorum dicta, scriptaque intenderit animum. Profecto enim tales eis pœnas imminere censent, quæ sunt damnationis illorum præcipuæ, non adventitiæ, et, ut vulgo loquuntur, accidentariæ, cujusmodi est ab igne torqueri, et hoc ipsum perpeti, cui Christus eos cum reprobis omnibus adjudicabit, cum dicet : *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et Angelis ejus.* Quæ veterum opinio etsi hoc tempore recepta non est, qui dæmones damnationis suæ pœnas omnes expendere, quæ quidem *essentiales* vocantur, theologi fere sentiunt ; non est tamen erroris, nedum hæresis accusandus, qui asserat, diabolum, et ejus Angelos nondum extremo, ac summo supplicio cruciari, sive ignis efficientiam illam experiri, in qua damnationis illorum, quod ad sensum, et perpessionem attinet, summa consistit.

XXI. Ita Cajetanus opinatur in commentariis ad Petri secundam epistolam, ejusque caput secundum, ubi Apostolus servari dæmones ait in judicium ; quæ sic Cajetanus enarrat ; « Servatos autem, seu servandos in judicium dicit, quia adhuc non sunt extremæ damnationi subjecti. Sed hoc extremo judicio reservatur. Unde et Dominus in Evangelio dicit de igne æterno, qui paratus est diabolo, et Angelis ejus ; et non dicit, qui jam datus est diabolo, et angelis ejus. » Quam Cajetani sententiam primum catholicæ fidei contrariam non esse certum est. Nam neque Scriptura, neque concilium ullum hactenus docuit, dæmones extrema illa supplicia perpeti, quæ parata iis esse judex ipse dicit. Quare prudenter ea de re S. Thomas locutus est [3], qui, cum eorum commemorasset opinionem, qui asserunt, « usque ad diem judicii differri pœnam sensibilem tam dæmonum, quam animarum, et similiter beatitudinem sanctorum differri usque ad diem judicii, » atque hoc *erroneum* esse pronuntiasset ; mox addit : « Alii vero, licet hoc non concedant de animabus, concedunt tamen de dæmonibus. » Cui sententiæ nullam imponit erroris notam.

Majori supplicio tenebuntur post judicium ultimum.

Nec hæretica nec erronea hæc veterum sententia.

Cajetani sententia.

1 Lib. *de Corrept. et gr.* cap. x.— 2 In com. ad cap. III ep. *Jacobi*.— 3 In I Par. qu. LXIII, art. 4, ad 3.

Thomæ ntentia.

Sed hoc affirmat unum, « melius esse dicendum, quod idem judicium sit de malis animabus, et malis Angelis, sicut idem judicium est de bonis animabus, et bonis Angelis. » Ac deinde statuit, quemadmodum cœlestis locus ad beatorum gloriam pertinet, neque tamen eo minuitur illa, quod ad nos beati descendunt, quia suum esse locum illum cogitant, aut ut episcopi honor nihilo fit minor, dum in throno suo non sedet; sic dæmones, « licet non actu alligentur gehennali igni, dum sunt in aere isto caliginoso; tamen ex hoc ipso, quod sciunt, illam alligationem sibi deberi, eorum pœnam non diminui. »

XXII. Sane Florentina synodus postea de hominum tantum animis idem constituit [1]; eos scilicet, qui in lethali peccato sive proprio, sive originali decesserint, e vestigio ad inferos descendere, ibique pœnas, licet inæquales, pendere; de dæmonibus nihil omnino tradidit. Itaque citra fidei periculum Cajetanus ista defendit. Quin et Fevardentius in *Scholiis ad Irenæum* [2], hujus, et Justini, aliorumque sententiam, cujus supra memini, quæ diabolum ante Domini adventum nondum suam scisse damnationem asserit, « damnatam negat vel a concilio, vel a quoquam veterum. » Tum addit : « Neque parum roboris ei adferunt verba B. Andreæ Apostoli, quibus dæmones relegat in loca arida, et infructuosa, donec accipiant debitum sibi ignis æterni supplicium, referente Abdia Babylonio libro tertio, quasi necdum plane accepissent. » Tametsi Bellarminus hanc sententiam ab errore vindicari non posse putat; quam, præter Justinum, Irenæum, Epiphanium, Œcumenium, etiam Isidorum Pelusiotam ascivisse supra demonstravimus. Quare, ut illi de errore, vel hæresi non assentior, sic eam minime esse probabilem arbitror. Illam vero alteram, quæ Cajetano placuit, si sic exponatur, nullam ut omnino sentire pœnam modo dæmones velit, equidem non laudo. Sed si ita doceat, præter visionis beatæ privationem, quæ prima, et sempiterna illorum est pœna, etiam cruciatus aliquos, ac dolores perpeti, sed multo iis acerbiores, sævioresque post judicium esse passuros, ac tum scilicet ignibus adjudicandos esse vel omnes, vel eos saltem, qui nunc libere per aera spatiantur, non video, cur rejici, ac damnari debeat.

XXIII. Certe S. Thomas in eo loco, quem citavi, dæmones illos, qui in aere degunt, nondum alligatos igni esse putat; etsi, quia se certo illigandos esse sciunt, non minus torqueantur. Ac de igne quidem illo, quemadmodum in dæmones sæviat, nondum inter theologos convenit; plerique solum hunc ex eo cruciatum agnoscunt, quod ei alligentur, et quasi vinculis adstricti teneantur nefarii illi spiritus. Alii præterea occultum [4], ignotumque tormenti genus ab eodem igne derivari in eos existimant. Quocirca nihil prohibet hoc longe acerbissimum, ac præcipuum supplicium, quod hominibus ignotum est, ad extremum judicii differre tempus, in eoque damnationis, quæ quidem post privationem divini aspectus secundum locum habet, caput statuere. Ita verum erit, quod tanta veterum consensione traditur, et in Scripturis expressum videtur, diabolum cum suis postremo summi Judicis decreto igne esse damnandum, ac supremo supplicio mactandum. Quod de hominum animis quidam etiam antiquorum opinati sunt, ut alio loco dicemus; hoc vero tempore sine errore defendi nequit, quoniam in Florentino concilio definitum est, animas statim atque evolarunt e corporibus, aut in cœlum evectas, siquidem expiandum nihil habent, ad æternam admitti felicitatem. Deique conspectum; aut peccatis gravibus irretitas rapi ad inferos, ac torqueri. Quæ fuit etiam Gregorii M. in quarto *Dialogorum* opinio [5]; quod sane miror, cum idem de dæmonibus aliter existimarit, ut supra memoravi. Atqui ratio illa, quam affert, cur animarum non differri supplicia censeat, quod nimirum beatorum in cœlo animæ statim æterni præmii compotes fiunt, valet etiam in Angelis. Gregorii porro verba sunt hæc : « Si esse sanctorum animas in cœlo sacri eloquii satisfactione credidisti, oportet, ut per omnia esse credas et iniquorum animas in inferno; quia ex retributione æternæ justitiæ, ex qua justi jam gloriantur, necesse est per omnia ut et injusti crucientur. Nam sicut electos beatitudo lætificat, ita credi necesse est, quod a die exitus sui ignis reprobos exurat. » Quare, cum Angeli sancti cœlesti beatitate fruantur; consequens ex eo sit, dæmones extremo ignis supplicio affici; quod ille tamen non putavit.

In *Decreto fid.*— 2 Lib. V, c. x xvi.— 3 Lib. I *de Sanctor. beat.* c. vi.— 4 Vasq. in I Par. Disp. cxlviii, c. vi.—5 Cap. xxviii.

CAPUT V.

Ecquid inferorum ignis, cui addicti sunt dæmones, corporeus sit. Origenis falsa de eo sententia negantis esse corporeum. Quid de ea narret Hieronymus. Quidam Erigenem ex parte secuti. Alii corporeum esse dixerunt, præsertim Augustinus ; cujus illustratur opinio, ut et Gregorii Papæ. Nullum de igne corporeo decretum exstare fidei ; etsi verum sit. Quomodo dæmones, ac spiritus eo torqueantur. Augustini sententia de hac re, itemque Gregorii Papæ. Uri ab igne dæmones probabilius videri.

I. Sed de illa vel præsenti, vel futura dæmonum pœna, quæ sunt reliqua, persequamur. E quibus illud est primum *: Ignem eum, cui jam addicti, vel addicendi sunt, omnino sub sensus cadentem, et corporeum esse, tametsi quidam aliter judicasse videntur; quos Origenis auctoritatem secutos esse verisimile sit. Hic enim de reprobis, ac damnatis agens hominibus [1], qui æterno adjudicantur igni, sic eum ipsum ignem interpretatur, ut dicat nihil esse aliud, quam peccatorum conscientiam, et quæd am velut ab iis relicta vestigia.

Ignem inferni metaphoricum esse censent nonnulli veteres.

Nam Esaiæ verba illa declarans [2] : *Ambulate in lumine ignis vestri, ac flamma, quam accendistis*, sic scribit : « Per quos sermones hoc videtur indicari, peccator ut flammam sibi ipse proprii ignis accendat, et non in aliquem ignem, qui antea fuerat accensus ab alio, vel ante ipsum substiterit, demergatur. » Ac deinde, ut in corpore ex cibi redundantia, et qualitate febres, ac diversi morbi generantur ; « Ita anima, inquit, cum multitudinem malorum operum, et abundantiam in se congregaverit peccatorum, competente tempore omnis illa malorum congregatio effervescit, atque supplicium inflammatur ad pœnas, cum mens ipsa, vel conscientia per divinam virtutem omnia in memoriam recipiens ; quorum in semetipsa signa quædam, et formas, cum peccaret, expresserat, et singulorum, quæ vel fœde, ac turpiter gesserat, vel etiam impie commiserat, historiam quamdam scelerum suorum ante oculos videbit expositam, » etc.

II. Hieronymus quoque testatur, hanc Origenis fuisse sententiam, in epistola LIX *ad Avitum* : « Ignis quoque gehennæ, et tormenta, inquit, quæ Scriptura sancta peccatoribus comminatur, non ponit in suppliciis, sed in conscientia peccatorum, quando Dei virtute, et potentia omnis memoria delictorum ante oculos nostros ponitur, et veluti ex quibusdam seminibus in anima derelictis, universa vitiorum seges exoritur, et quidquid fecerimus in vita vel turpe, vel impium, omnis eorum in conspectu nostro pictura describitur, ac præteritas voluptates mens intuens conscientiæ punitur ardore, et pœnitudinis stimulis confoditur. »

Et Apologia secunda *contra Ruffinum* : « Ignes autem æternos, quos intelligere solet Origenes, puto, quod te non fugiat ; conscientiam videlicet peccatorum, et pœnitudinem interna cordis urentem. » De qua et Esaias loquitur : *Vermis eorum non morietur*, et *ignis eorum non extinguetur* [3]. Vide et commentarium in epistolam *ad Ephesios*.

Atidem in fine commentariorum *ad Esaiam*, eamdem commemorat opinionem, neque tamen admittit, ut quidam asserunt, etsi nullam ei severiorem notam inurat. Solet enim ita in manifeste damnatis etiam hæresibus facere, ut ex commentariis in epistolam *ad Ephesios* liquet, tum ex apologia *contra Ruffinum*. Quare nihilo istic magis illam Origenis de igne sententiam admisit, quam illic reliqua ejusdem dogmata, quæ nulla reprehensione perstrinxit, cum ea tamen alias gravissime condemnet.

Ambrosius vero hoc ipsum [4], quod in Origene notat Hieronymus, amplectitur, pene verba ipsa mutuatus Origenis : « Ergo neque corporalium, inquit, stridor aliquis dentium, neque ignis aliquis perpetuus flammarum corporalium neque vermis est corporalis. Sed hæc ideo, quia, sicut ex multa eruditate et febres nascuntur, et vermes, ita, si quis non decoquat peccata sua, velut quadam interposita sobrietate abstinentiæ, sed miscendo peccata peccatis, tanquam eruditatem quamdam contrahat veterum, et recentium delictorum, igne aduretur proprio, et suis vermibus consumetur. »

Sic Damascenus in calce operis *de Ortho-*

* « Fuse hoc totum de igne corporeo argumentum persequutus est Joh. Vincentius Patuzzius Dominicanus libro II *de futuro impiorum statu* capp. VII et seqq.

1 Lib. II *Periar.* cap. XI.— 2 Cap. L.— 3 *Esa.* LXVI, 24.— 4 Lib. VIIIn *Luc.* cap. XIV.

doxa fide, dæmones, et reprobos omnes in extremo judicio mittendos ait in ignem æternum, « non materialem, ut est noster, sed qualem novit Deus. [a]» *

Apertius quoque Theophylactus in nonum caput *Marci*, vermem et ignem prorsus Origenis more tropice declarat. « Vermis autem, et ignis, ait, qui peccatores puniunt, uniuscujusque conscientia est, et memoria eorum, quæ in hac vita turpia commissa sunt; quæ tanquam vermis consumit, et sicut ignis incendit [b]. »

III. At Victor Antiochenus [1], cujus locum citavimus in capite superiori, etsi ignem quidem, *qui sub sensum non cadebat*, dæmones incendisse ait, præsente Christo, non necessario in eamdem opinionem includitur; primum quia videtur ad communem illam adhæsisse sententiam, quæ dæmones ante postremum judicii diem expertes ignis, atque incendii facit; (unde non corporeo tum igne, sed spirituali cruciatos esse dæmones consequens erit) deinde, licet corporeus tum illos ignis adureret, non tamen sub sensum cadebat hominum. Quinetiam Damascenus, ut ejus verba sunt, facile potest cum vulgata hodie catholicorum opinione conciliari. Siquidem materialem, et nostri similem negat esse inferorum ignem, hoc est crassum, atque densum, et pabuli egentem; quemadmodum elementum illud ignis, quod lunæ orbi citimum est, Aristoteles τὸ πῦρ, id est *ignem*, negat esse, quod ignis proprie sit excessus quidam caloris, et fervor, cujusmodi noster est [c]. Quare, si ignis ille superior tantum distat ab nostro, et infimo, ut prope specie differre videatur; quidni et inferorum ignem longe utroque subtiliorem ὑλικὸν, ac nostri minime similem esse, Damascenus jure dixerit, quamvis perinde corporeum esse judicaret?

ege
ὑλικὸν.

Certe Lactantius huic interpretationi favet [2]; qui et corporeum, et nostratis dissimilem illum ignem statuit elegantissimis his verbis: « Cujus, inquit, natura diversa est ab hoc nostro; quo ad vitæ necessaria utimur, qui, nisi alicujus materiæ fomite alatur, extinguitur. At ille divinus per seipsum semper vivit, ac viget sine ullis alimentis; nec admistum habet fumum, sed est purus, ac liquidus, et in aquæ modum fluidus. Non enim vi aliqua sursum versus urgetur, sicut noster, quem labes terreni corporis, quo tenetur, et fumus intermistus exilire cogit, et ad cœlestem naturam cum trepidatione mobili subvolare.»

Augustinus aliique plures corporeum esse asserunt.

IV. Augustinus vero corporeum, ac verum ignem non minus agnoscit in vicesimo primo *de Civitate Dei* [3]; ubi illorum rationem improbat, qui, quod de igne, ac verme scriptum est apud *Esaiam* [4], *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur;* putant ad animæ pœnas, non ad corporis pertinere; dicunt etiam uri dolore animæ sero, atque infructuose pœnitentis eos, qui fuerint a regno Dei separati, et ideo ignem pro isto dolore urente non incongrue poni potuisse contendunt. Unde illud Apostoli est [5]: *Quis scandalizatur, et ego non uror?* Ipse autem utrumque pœnam esse corporis probabilius, quam neutrum existimat, cum non minus verisimile sit, vermem ad animum, ignem ad corpus referri. Quo quidem igne puniri dæmones, in sequenti capite scribit, cum et sua ipsis etiam sint corpora; imo, etsi nulla sint iis corpora, cruciari tamen ab igne corporeo putat, ut paulo post ostendam. Ac de corporeo igne diserte ita capite illo decimo scribit: « At vero gehenna illa, quod etiam stagnum ignis, et sulphuris dictum est, corporeus ignis erit, et cruciabit corpora damnatorum, aut et hominum, et dæmonum, solida hominum, aerea dæmonum, aut tantum hominum corpora cum spiritibus, dæmones autem spiritus, sine corporibus hærentes, sumendo pœnam, non impertiendo vitam corporalibus ignibus. »

Neque vero dubitavit hac de re, ut quidam aiunt, in vicesimo ejusdem operis [6], cum sic loquitur: « Qui ignis cujusmodi, et in qua

* « Le Quienius Dominicanus præstantissimæ eruditionis Damascenum omnino ab igne corporeo alienum fuisse disputat, atque locum alium urget ex dialogo *contra Manichæos*, quem tamen Billius, Combefisius, aliique S. Patri abjudicant. Verum a Patuzzio redarguitur non injuria L. 2 *de futuro impiorum statu* cap. XIII num. 12 et seqq.

a Damasc. Οὐχ ὑλικὸν, οἷον τὸ παρ' ἡμῖν· ἀλλ' οἷον εἰδείη ὁ Θεός.

b Theophyl. Σκώληξ δὲ καὶ πῦρ κολάζοντα τοὺς ἁμαρτωλοὺς ἡ συνείδησίς ἐστιν ἑκάστου, καὶ ἡ μνήμη τῶν πραχθέντων ἐν τῷ βίῳ τούτῳ αἰσχρῶν. ἤ τις ὥσπερ σκώληξ καταδαπανᾷ, καὶ ὡς πῦρ φλέγει.

c Arist. I *Meteor.* cap. 1 et seq. Καὶ ὁ διὰ συνήθειαν καλοῦμεν πῦρ· οὐκ ἔστι δὲ πῦρ. ὑπερβολὴ γὰρ θερμοῦ· καὶ οἷον ζέσις ἐστὶ τὸ πῦρ.

1 In cap. v *Matth.*— 2 Lib. VII, cap. XXI.— 3 Cap. IX.— 4 Cap. LXVI. — 5 In ep. II *ad Cor.* cap. XI.— 6 Cap. V.

mundi, vel rerum parte futurus sit, hominem scire arbitror neminem, nisi forte cui divinus spiritus ostendit. » Nam, etsi corporeum esse pro certo haberet, non tamen de ejus conditione et qualitate constabat illi. Etvero qui dæmones, ut dixi, corporibus esse præditos arbitratus est, quid aliud, quam corporeo igne cruciandos decerneret?

V. Sensit idem Magnus Gregorius in IV *Dialogorum* capite XXIX, ubi et gehennæ ignem corporeum esse, et eodem reproborum animas pariter et copora, tum etiam diabolum, et angelos ejus incorporeos spiritus torqueri asserit. Verum in libro XV *Moralium*, capite XVII incorporeum ignem illum esse dicit. « Ignis, inquit, corporeus, ut esse ignis valeat, corporeis indiget fomentis. Qui cum necesse est ut servetur, per congesta ligna procul dubio nutritur; nec valet, nisi succensus esset, et nisi refotus, subsistere. At contra gehennæ ignis, cum sit incorporeus, et in se missos reprobos corporaliter exurat, nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur, sed creatus semel durat inextinguibilis.» Verum male, ut opinor, in vulgatis omnibus libris istic legitur *incorporeus*, cum sit melius *corporeus*, quomodo legit S. Thomas[1], ut Sixtus Senensis adnotat[2]. Cui conjecturæ fidem facit, quod inter libros Origenis exstat homilia, quæ nona est *de Diversis*, cujus in fine illa ipsa Gregorii verba ponuntur ita, ut scribi oportere dicimus: « At contra gehennæ ignis, cum sit corporeus » etc. Ac licet incorporeum ibi Gregorius ignem inferorum esse decret, non esset, quod multum miraremur, Gregorium a se ipso dissentire potuisse, cum Augustinus ipse de eadem re haud satis consentanea scripserit. Qui enim in libro vigesimo primo *de Civitate Dei*, capite nono, ac decimo, inferorum ignem corporeum esse tam diserte tradidit, eoque vel incorporeos spiritus, ut mox dicemus, cruciari, idem in duodecimo libro *de Genesi ad litteram*[3], « Inferorum substantiam spiritualem ait arbitrari se esse, non corporalem. » Tum illud: « Quamvis ergo non sint corporalia, sed similia corporalibus, quibus animæ corporibus exutæ afficiuntur, seu bene, seu male, cum ipsæ corporibus suis similes sibimet apparent; sunt tamen et vera lætitia, et vera molestia facta de substantia spirituali. » Idipsum et Gregorius Nyssemus in libro *de Anima et resurrectione*, sub Macrinæ sororis persona significare videtur, inferos non esse corporeum aliquid.

VI. Sed, quod ad Augustinum spectat, si corporeus ignis inferorum est, ut in vicesimo primo *de Civitate Dei* docuit; quinam « corporalia non sunt, sed similia corporalibus ea, quibus animæ corporibus exutæ cruciantur? » Non satis hæc cohærent; itaque pristinam mutasse sententiam videtur, quemadmodum et in eo mutavit, quod in eodem duodecimo *de Genesi* dixerat [4], « inferos sub terris non esse » Nam in secundo *Retractationum* id reprehendens [5]. « Magis, inquit, mihi videor docere debuisse, quod sub terris sint, quam rationem reddere, cur sub terris esse credantur sive dicantur, quasi non ita sit. »

Ubi situs infernus

Et vero, qui dæmones tam constanter esse corporeos existimavit, ac propterea corporeum iis ignem attribuit, si sibi consentire vellet, certum aliquod, et corporeum spatium assignare debuit tam igni illi, quam dæmonibus; qui, cum infernus appelletur, non alibi, quam infra corpora omnia, hoc est sub terris, collocandus videtur. Cum autem eumdem ignem damnatis hominibus constitutum esse, qui dæmonibus paratus est, Scriptura testetur; etiam animabus ante judicium puniendis ille ignis ipse, et infimus in hac universitate locus merito convenire putandus est. Quod ex Evangelico testimonio probat Isidorus Hispalensis: « Sicut autem, inquit[6], cor animalis in medio ejus est; ita et infernus in medio terræ esse perhibetur. Unde et in Evangelio legimus *in corde terræ.*[7] » Nam de inferis istic sermonem esse credit, ubi Christus in corde terræ futurum se tribus diebus et tribus noctibus affirmat.

VII. Idem quoque Isidorus in primo *Sententiarum*, capite XXXI ignem illum corporeum et aspectabilem esse demonstrat. Basilius, aut alius quispiam auctor commentarii *in Esaiam*, ad illa Prophetæ, *Propterea dilatavit infernus animam suam*, hæc adnotat[8]: « Fortassis hæc oratio demonstrat nobis locum quemdam communem in inferiori terræ parte, obscurum ab omni parte, et opacum inferni esse locum. Ibidem vero orificium quoddam inesse ad terræ concava permeans, per quod animæ deteriori addictæ sorti demittuntur [a]. » Et in

a Basil. Τάχα δὲ ἡμῖν ὁ λόγος ἐνδείκνυται κοινόν τινα τόπον ἐν τῷ ἐσωτάτῳ τῆς γῆς ἐπίσκιον πανταχόθεν, καὶ

1 In IV, d. XLIV, q. III, a. 2.— 2 Lib. V, an. 141.— 3 Cap. XXXII.— 4 Cap. XXIII et XXXIV.— 5 Cap. XXXIV.— 6 Lib. XV *Or.* c. IX.— 7 *Matth.* XII, 50.— 8 *Esa.* V, 14.

homilia priore in *Psalmum* XXVIII verbis istis : *Vox Domini intercidentis flammam ignis*[1], significari credit ignem illum *qui Diabolo et Angelis ejus paratus est*[2]. « Ut quoniam duæ sunt in igne vires, urendi et illuminandi ; prior, quæ est acerrima, et ad puniendum idonea, iis attributa sit, qui exustione digni sunt, illuminandi vero splendida vis ad eos hilarandos, qui gaudio perfruuntur, attineat[a]. »

Verum Chrysostomus homilia XXXI in epistolam *ad Romanos*, quærenti, ubi sit gehenna, respondet, « arbitrari se extra mundi hanc universitatem esse. Ut enim regum carceres, et metalla procul collocari solent ; ita et gehenna longe extra mundum istum consistit[b]. » At Augustinus in libro XX *de Civitate Dei*, capite XVI de inferorum igne dubitat, ubi tandem sit : « Qui ignis, inquit, cujusmodi, et in qua mundi, vel rerum parte futurus sit, hominem scire arbitror neminem, nisi forte cui spiritus divinus ostendit. » Verum communis, et, ut apparet, certissima est opinio, ignem illum, ut et inferos, in terra ipsa contineri. Cæterum, uti corporeum, et materia constantem esse inferorum ignem, quo utrique illi torquentur, theologi hodie omnes, imo et Christiani consentiunt ; ita nullo Ecclesiæ decreto adhuc obsignatum videtur, ut recte Vasquezius observat[3]. Neque enim ulla in synodo sancitum illud est, etsi nonnulli rem esse fidei pronuntient.

VIII. Minus etiam de eo convenit, quomodo dæmones, et damnatorum animæ ab illo igne patiantur. Lactantius dæmones, animas, ac meros spiritus[4], expertesque corporis a solo Deo castigari inenarrabili quodam modo putat, cum nihil a corporibus pati possint. « Primum igitur dicimus, ait, tantam esse Dei potestatem, ut etiam incorporalia comprehendat, et quemadmodum voluerit, afficiat. Nam et Angeli Deum metuunt, quia castigari ab eo possunt inenarrabili quodam modo ; et dæmones reformidant Deum, quia torquentur ab eo, ac puniuntur. Quid ergo mirum, si, cum sint immortales animæ, tamen patibiles sint Deo ? Nam cum in se nihil habeant solidum, et contrectabile, a solidis, et corporalibus nullam vim pati possunt. Sed, quia in solis spiritibus vivunt, a solo Deo tractabiles sunt, cui virtus, ac substantia spiritualis est. » Statimque, quomodo pœnas impii laturi sint, explicat, nimirum carne rursus induendos esse, ut ab igne torqueantur. Proinde corporeum ignem esse apud inferos Lactantius credidit, ut jam supra docuimus ; et hoc solos non torqueri spiritus, sed corpora ipsa censuit.

IX. Augustinus vero[5], cum sic quæstionem illam concepisset. « Si non erit ignis incorporalis noxius, sicut est animi dolor, sed corporalis tactu noxius, ut eo possint corpora cruciari ; quomodo in eo erit etiam pœna spirituum malignorum ? Idem quippe ignis erit supplicio scilicet hominum attributus, et dæmonum, dicente Christo : *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et Angelis ejus*[6], » respondet ita : « Nisi quia sunt quædam sua etiam dæmonibus corpora, sicut doctis hominibus visum est, ex isto aere crasso, atque humido, cujus impulsus vento flante sentitur. Quod genus elementi si nihil igne perpeti posset, non uereret fervefactus in balneis. Ut enim urat, prius uritur, facitque, quod patitur. » Verum, licet incorporei sint dæmopes, nihilominus ab igne affici, cruciarique mox asserit. « Si autem quisquam nulla habere corpora dæmones asseverat, non est de hac re aut laborandum operosa inquisitione, aut contentiosa disputatione certandum. Cur enim non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affici, si spiritus hominum etiam ipsi profecto incorporei, et nunc potuerunt includi corporalibus membris, et tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari ? Adhærebunt ergo, si nulla sunt eis corpora, spiritus dæmonum ; imo spiritus dæmones, licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi, non ut

Augustini sententia.

ἀλαμπῆ τὸ τοῦ ᾅδου χωρίον εἶναι· στόμιον δέ τι ἐπὶ τὰ κοῖλα καθῆκον, δι' οὗ τὴν κάθοδον εἶναι ταῖς πρὸς τὸ χεῖρον κατεγνωσμέναις ψυχαῖς.

τὸ δὲ φωτιστικὸν αὐτοῦ, καὶ λαμπρὸν τῇ φαιδρότητι τῶν εὐφραινομένων ἀποκληρωθῇ.

a Basil. Ἵνα ἐπειδὴ δύο εἰσίν ἐν τῷ πυρὶ δυνάμεις, ἥ τε καυστικὴ, καὶ ἡ φωτιστικὴ, τὸ μὲν δριμὺ καὶ κολαστικὸν τοῦ πυρὸς τοῖς ἀξίοις τῆς καύσεως προσαπομείνῃ,

b Chrys. Ἔξω ποῦ, ὡς ἔγωγε οἶμαι, τοῦ κόσμου τούτου παντός. καθάπερ γὰρ τῶν βασιλέων τὰ δεσμωτήρια, καὶ τὰ μέταλλα πόῤῥω διέστηκεν. οὕτω δὴ καὶ τῆς οἰκουμένης ταύτης ἔξω που ἔσται ἡ γέεννα.

1 *Ps.* XXVIII, 7. — 2 *Matth.* XXV, 41. — 3 Disp. CCXLIII, c. I, tom. II, in I par. — 4 Lib. VII, cap. XXI. — 5 Lib. XXI *de Civ.* c. X. — 6 *Matth.* XXV.

ignes ipsi, quibus adhærebunt, eorum junctura inspirentur, et animalia fiant, quæ constent spiritu, et corpore, sed, ut dixi, miris, et ineffabilibus modis adhærendo, accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam. »

Item Gregorii papæ.

X. Augustini posterius illud, de incorporeis spiritibus ab corporeo igne patientibus amplectitur Gregorius Papa in quarto *Dialogorum*[1]. Petro enim sciscitanti, quomodo « rem incorpoream tenere ignis corporeus possit » in hunc modum occurrit. « Si viventis hominis incorporeus spiritus tenetur in corpore, cur non post mortem, cum incorporeus sit spiritus, etiam corporeo igne teneatur? » Deinde cujusmodi sit ea pœna, declarat. « Teneri autem spiritum per ignem dicimus, ut in tormento ignis videndo, atque sentiendo puniatur. Ignem namque eo ipso patitur, quod videt, et quia cremari se aspicit, crematur. Sicque fit, ut res corporea incorpoream exurat, dum ex igne visibili ardor, ac dolor invisibilis trahitur, ut per ignem corporeum mens incorporea etiam incorporea flamma crucietur; quamvis colligere ex dictis Evangelicis possumus, quia incendium anima non solum videndo, sed etiam experiendo patiatur. » Cui probando Divitis illius apud inferos in igne conflagrantis historiam accommodat[2]. Quanquam Augustinus in eo loco, quem paulo ante posui, veram istam fuisse divitis flammam haud existimat, « sed talem, quales oculi, quos levavit, et Lazarum vidit, qualis lingua, cui humorem exiguum desideravit infundi, qualis digitus Lazari, de quo id ibi fieri postulavit, ubi tamen erant sine corpore animæ. Sic ergo incorporalis et illa flamma, qua exarsit, et illa guttula, quam poposcit, qualia etiam sunt visa dormientium, sive in extasi cernentium res incorporales, habentes tamen similitudinem corporum. » Gregorii locum illum Julianus Toletanus citat, approbatque in secundo *Prognosticon*, capite XVII. Eodem sensu dixit Cyprianus[3], illos Christianorum « voce, et operatione majestatis occultæ flagris cædi, igne torreri, incremento pœnæ propagantis extendi » : quæ omnia spiritualem aliquam pœnam incendii nomine ac similitudine demonstrant.

XI. Arnobius libro secundo *contra Gentes* existimat, id, « quod sit immortale, quod simplex, nullum posse dolorem admittere; quod autem sentiat dolorem, immortalitatem habere non posse. » Ideo impiorum animas « nescientes Deum perlongissimi temporis cruciatu ignifero consumi putat. » Methodius vero apud Photium sua quædam corpora[4], et membra dicit habere animas; ut nos alibi retulimus[5]. Leontius primo *contra Nestorium, et Eutychem*[6] : « Patitur, inquit de anima loquens, quippe quæ habet potentias passivas cum quibus migrat a corpore. Id quod animæ, quæ apud inferos sunt, et earum vincula declarant, etc. Declarant præterea immundi dæmones, qui pœnas dant, et dabunt, quamvis a corporibus humanis liberi, ac soluti. Sed patitur quidem simpliciter anima, quia passivas potentias ad utilitatem suam aptatas accepit; patitur autem passiones corporeas propter unionem cum corpore, cum quo colligata est. » Sed non satis explicat, qui vel ipsa, si est expers corporis, vel dæmones incorporei ipsi patiantur. Augustinus, et Gregorius ab igne corporeo pati aliquid dæmones affirmant quemadmodum anima inclusa corpore, licet purus sit spiritus, illius adustione torquetur. Quam opinionem nonnulli de schola theologi secuti sunt*; tametsi explicatu difficile sit, quomodo spiritus corporeum aliquid ab igne patiatur. Hic enim non alia ratione, quam calefaciendo, et desiccando potest agere; quod cum vehementius facit, urere dicitur. At spi-

* Hoc (scilicet spiritum igne corporeo torqueri) intellectu difficilius non ert, quamvis aliter sentiat Petavius, quam intelligere qui motus corporis nostri mentem nostram incorpoream, qualis vulgo statuitur, afficiunt. Scio dicturum, qui hæc legerit, mentem esse cum corpore in unam personam conjunctam, ideoque corporis motibus necessario percelli. De re ipsa hic philosophari nolo, sed quemadmodum Deus mentes immateriales ita cum corporibus conjunxit, ut motibus eorum afficerentur : Sic in loco pœnarum, novis legibus naturæ impositis, efficere posset, ut spiritus igne conspicuo urcrentur. Nec velim etiam definire corpoream fore ejus ignis naturam, quia corpora, ut vulgo sentiunt theologi, malorum plectentur, cum in hac ipsa vita, non corpus sed mens sentiat, ut philosophi plurimi ostenderunt. Sed corporis dolores dicuntur quia in mente nascuntur, ex occasione mutationis quæ in membris corporis oritur, mentis vero qui siti sunt in tristitia atque anxietate. Nihil vetaret, si vellet Deus, damnatos utriusque generis pœnas sentire, ut veluti uri, quamvis nullus cerneretur ignis extra eorum corpora. Urimur hic ardore febris, et posset Deus in immortalibus illis corporibus mutationes creare, nobis nunc ignotas, ex quorum occasione animi damnatorum vehementer urerentur, et cacodæmonum etiam inconspicua corpora, aut mentis potius similiter cruciare. .... Sed modus est statuendus et conjecturis et objectionibus, quibus nemo mortalium possit satisfacere. Danda duntaxat est opera, ut non experiamur unqaum in nobis quæ sint eæ pœnæ. TH. AL.

1 Cap. XXIX.— 2 *Luc.* XVI.— 3 Lib. *ad Demet.*— 4 Phot. cod. 234.— 5 Lib. II *de Deo*, c. I.— 6 Tom. IV *Bibl. Patr*, col. 962.

ritualis, expersque corporis, et materiæ substantia nihilo magis calefieri, siccarive potest, quam colorari, aut accidente alio quopiam affici. Itaque multum in eo laborant theologi, dum, quod investigari non potest, inexhausta curiositate perquirunt.

Multæ cruciatu emonum spirituum ab igne ntentiæ.

XII. Septem de ea re sententias enumerat, ac singillatim expendit Abulensis in *Matthæi* caput XXXV et in postrema tandem acquiescit, in quam et scholastici fere confluunt: Dæmones eo ipso torqueri, cruciarique igne, quod in eo vincti, alligatique detinentur sic, ut alio evolare nequeant; ex quo incredibilem dolorem capiunt. Quod si interdum emissi ab inferis evagari sinuntur, non minus cruciari putat; non quod eos comitetur ignis, sed quod, ubicumque sunt, addictos se carceri isti, vinculisque cogitant, eoque tandem redituros esse, ac perpetuo ibi mansuros. Futile ergo, et ineptum esse censet, quod quidam jactitant, dæmones, ac damnatorum animas, quocumque extra inferos abeant, ignem ferre secum; quod nihil est necesse: tum si id fieret, quacumque ferrentur, incendio omnia corriperent. Quocirca sola illos alligationis captivitatisque recordatio angit, et afficit. Atque hoc sanc. quoque Thomas asserit [2], ut capite superiori docuimus; et Glossam ad eumdem modum interpretatur, quæ ad *Jacobi* caput tertium ait, « portare secum illos ignem gehennæ quocumque vadant. » Quod et Beda in commentariis ad idem caput affirmat, ut in illo capite memoravimus.

obabilius ri igne emones.

XIII. Sed, etsi Dæmonum vera est, et non mediocris ista pœna; nos tamen alio quoque modo, et occulto cruciari ab igne illos arbitramur sic, ut propriam et peculiarem aliquam in illos actionem exerceat. Alioqui non ab igne potius, quam a circumstante terra, et subterraneis specubus, atque eo denique loco, ubi infernus est, pati dicerentur; extra inferos autem non minus ab aere, vel quocumque alio corpore, sic afficerentur, adeoque ab hibernis nivibus, et glacie, a quibus uri, et concremari perinde dici possent, atque ab igne, si nihil aliud ab eo perpetiuntur, nisi quod vi in illo, constrictique tenentur. Ac, ne quis fortasse putet, ignem potissimum adhibuisse Deum, cum idem et alia quævis corpora præstare possent, quod damnatorum hominum corporibus communem cum dæmonibus locum, ac supplicium destinaret; velim is cogitet, primo ac per sese *Diabolo, et Angelis ejus parata* [3], et constituta illa esse tormenta, hominibus vero, quasi ex accidenti, præterque judicis mentem, ac voluntatem; quare sic illa designari, accommodarique oportuit, ut illis conveniebat, quorum causa comparata sunt.

XIV. Igitur exuri ab igne dæmones, et functas corpore animas existimo, quicumque sit ille conflagrandi modus, quem *mirum*, sed *verum* appellat Augustinus. Certe Guillelmus Parisiensis non dubitat [4], quin « materiales pœnæ infligi possint dæmonibus, postquam ordine divinæ justitiæ in tantam miseriam dejecti sunt, ut a corporibus patiantur. Si enim passibiles ab igne materiali justissimo judicio creatoris effecti sunt, cur non similiter et ab aqua, et ab aere, et a terra passibiles erunt ejusdem ordine justitiæ?

Et Rupertus in secundo *de Victoria Verbi Dei* [5], dæmones, ut et homines, uri igne revera putat: « Angelos, inquit, et non etiam homines, aeris substantia vehit, in quem Angeli dæmones facti de cœlo sunt præcipitati. E contra, non Angelorum, vel spirituum, sed hominum vitam aquarum substantia suffocare potest, vel potuit, quibus inundantibus tunc homines terribiliter sunt deleti. At vero substantia ignis tam Angelos, quam homines urere simul poterit, ut testatur ipse Dominus, dicturum se profitens malis hominibus: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, et Angelis ejus.* »

CAPUT VI.

Utrum sempiternæ sint dæmonum pœnæ. Veterum de hac re sententiæ, præsertim Origenis exponuntur; qui dæmonum, ac reproborum hominum perpetuas negavit fore. Id Platonis e dogmate manasse. De Origene accuratius agitur tum ex veterum de eo testimoniis, tum ex istius scriptis. Epiphanius de illo Origenis dogmate in ejus hæresi non meminit. Ejusdem Epiphanii locus expenditur. Refelluntur, qui Origenem excusare conantur.

Christiani omnes æternas dæmonum damnatorumque pœnas tenent.

I. Nihil est Christianorum tam doctorum, quam indoctorum sensibus insitum magis, quam dæmonum, ac damnatorum hominum, perinde atque immortales ipsi sunt, sic æternas esse pœnas, ac nullo unquam tempore

1 Qu. DVI et DIX.— 2 In I Par. qu. LXIV, a. 4, ad 3.— 3 *Mat.* XXV.— 4 In II Par. secundæ partis *de Univ.* c. XVII— 6 Cap. XXVIII.

desituras. Itaque supervacanea cuipiam aut etiam ludicra videbitur ista quæstio, quam ea de re instituimus hoc in capite. Sed cum idem veterum Patrum super hac ipsa partim fixas sententias, partim dubias opinationes didicerit; neque absurdam judicabit hanc disputationem, neque indignam, quæ hoc loco pertractetur. Pertinet autem non ad Dæmones solum, sed etiam ad homines iisdem addictos suppliciis hæc inquisitio; quorum et omnes hodie Christiani, et plerique olim conjunctam causam esse putaverunt; pauci ex his separatam esse suspicati sunt.

Dæmones aliquando salvos fore ex Platonis schola dogma descendit.

Horum vero, qui aut ambos, aut alteros saltem fore salvos decreverunt, ex Platonicorum schola dogma descendit. Hæc enim a Platone tradita ab ejus imitatoribus propagata est opinio, animas eorum hominum, qui se multis in vita sceleribus inquinassent, post mortem in varia transire hominum, ac bestiarum corpora, prout eorum vitia fuerant, quorum similitudinem alterni illi hospites gerebant. Atque hoc tamdiu fieri, dum bene purgatæ, et quasi defæcatæ animæ pristinum ad statum, ac nitorem redirent.

II. Quod summorum duorum virorum disertissimis verbis Græce, ac Latine declaratum hic adscribam, Platonis, ac Ciceronis, illius in *Timæo*, hujus in libro *de Universitate*. « Atque ille, qui recte, et honeste curriculum vivendi a natura datum confecerit, ait Cicero, ad illud astrum, quo cum aptus fuerit, revertetur; qui autem immoderate, et intemperate vixerit, eum secundus ortus in muliebrem figuram transferet. Et, si ne tum quidem finem vitiorum faciet, gravius etiam jactabitur, et in suis moribus simillimas figuras pecudum, et ferarum transferetur; neque malorum terminum prius aspiciet, quam illam sequi cœperit conversionem, quam habebat in se ipso ejusdem, et unius simul innatam, et insitam; quod tum eveniet, cum illa, quæ ex igne, aere, aqua, atque terra turbulenta, et rationis expertia insederint, denique ratione depulerit, et ad primam, atque optimam affectionem animi pervenerit [a]. » Igitur, quæ maximis sceleribus, ac vitiis infectæ migrant e corporibus animæ, tandiu purgantur, ut aiebat Plato, dum crassum illud, et turbulentum, quod ex iis criminum vestigiis adhæserat, penitus abstersum, expiatumque sit. « Finis autem iis laborum erit, ait Alcinous, cum ea, quæ adhæserunt, vicerint, et ad propriam affectionem pervenerint [b]. » De hoc Platonis commento, quod et in libro decimo *de Republica*, et in *Georgia* legitur, plura disputat Plotinus *Enneadis* tertiæ libro quarto; et ad eum Marsilius Ficinus. Eodemque respexit et Virgilius, qui in sexto *Æneidos* ita cecinit:

Quin et supremo cum lumine vita reliquit,
Non tamen omne malum miseris, nec funditus [omnes
Corporeæ excedunt pestes, penitusque necesse [est,
Multa diu concreta modis inolescere miris.
Ergo exercentur pœnis, veterumque malo- [rum
Supplicia expendunt; aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad ventos; aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni. »

III. Quem Virgilii locum ad Platonicorum sententiam accommodari scribit, et illustrat Augustinus in XXI *de Civitate Dei*; ac Philosophos illos ait nullas nisi purgatorias pœnas esse voluisse post mortem. Quanquam nonnullos e sceleratis istis sempiterna luere supplicia docet Plato in fine *Georgiæ*, ubi quosdam ait, qui minus gravia, et sanabilia delicta commiserunt, aliquanto temporis spatio dolores, cruciatusque perpeti, quibus expiantur; qui autem remediis majora omnibus, ac de-

a Plato *in Tim.* Καὶ ὁ μὲν εὖ τὸν προσήκοντα βιοὺς χρόνον, πάλιν εἰς τὴν τοῦ συννόμου πορευθεὶς οἴκησιν ἄστρου, βίον εὐδαίμονα ἔξει. σφαλεὶς δὲ τούτων, εἰς γυναικὸς φύσιν ἐν τῇ δευτέρᾳ γενέσει μεταβάλλοι. χιλιοστῷ δὲ ἔτει ἀμφότεραι ἀφικνούμεναι ἐπὶ κλήρωσιν, καὶ αἵρεσιν τοῦ δευτέρου βίου, αἱροῦνται ὃν ἂν ἐθέλῃ βίον ἑκάστη. ἔνθα καὶ εἰς θηρίου βίον ἀνθρωπίνη ψυχὴ ἀφικνεῖται. μὴ παυόμενος δὲ ἐν τούτοις ἔτι κακίας, τρόπον ὅν κακύνοιτο κατὰ τὴν ὁμοιότητα τῆς τοῦ τρόπου γενέσεως, εἰς τινα τοιαύτην ἀεὶ μεταβάλλει θηρίου φύσιν. ἀλλάττων δὲ οὐ πρότερον πόνων λήξει, πρὶν τῇ ταυτοῦ, καὶ ὁμοίου περιόδῳ τῇ ἐν αὐτῷ ξυνεπισπόμενος, τὸν πολὺν ὄχλον, καὶ ὕστερον προσφύντα ἐκ πυρὸς, καὶ ὕδατος, καὶ ἀέρος, καὶ γῆς θορυβώδη, καὶ ἄλογον ὄντα λόγῳ κρατήσας, εἰς τὸ τῆς πρώτης, καὶ ἀρίστης ἀφίκοιτο εἶδος ἕξεως.

b Alcin. cap. xvi. Τέλος δὲ αὐταῖς τῶν πόνων ἔσται τὸ νικῆσαι μὲν τὰ προσφύντα, εἰς δὲ τὴν οἰκείαν ἕξιν ἐλθεῖν.

* Quæ hoc capite, et sequentibus tradit Petavius, conferenda cum iis sunt, quæ de eodem argumento latissime disseruerunt Benedictinus Sinsartus in Gallico libro Parisiis edito 1748 inscriptoque *defense du dogme Catholique sur l'Eternité des Peines*, et Patuzzius libro III *de futuro impiorum statu*. Z.

sperata patraverint, nullum pœnarum terminum habituros[a]. Quare non universe verum est, quod de Platonicorum sententia scripsit Augustinus. Sed et Virgilius quorumdam pœnas apud inferos æternas facit his versibus ;

« Sedet, æternumque sedebit
Infelix Theseus. »

Quam Platonis de utroque reorum, ac criminum genere opinionem eleganter exponit Synesius ex eadem Platonicorum schola præstantissimus philosophus in epistola XLIV, Ibi enim sic esse dicit peccatorum animas, uti pannos ac vestes, dæmones vero tortores animarum, uti fullones, atque ut pannorum ii, quibus sordes, ac maculæ non tam penitus adhærescunt, ut elui, abstergique nequeant, lotione ac politura repurgantur ; quibus vero pertinacius infixæ, et inolitæ sunt maculæ, eos neque carminando, neque lavando ad pristinum nitorem revocare possis. Sic animam, quæ se hærente penitus, et illutibili noxia contaminavit, ut immortalis est, ita immortali pœna affici; quæ vero non tam alte insitas habet criminum sordes, iis abstersis, ad salutem, incolumitatemque pervenire. Hæc germana Platonicorum doctrina fuit, ad quam ex Christiana antiquis nonnullos plus, minusve adhæsisse comperi.

Ejusdem dogmatis Origenes auctor in Ecclesia perhibetur.

IV. Ac, priscis quidem illis, et famosis hæreticis omissis, quos a Platone fere subornatos in fidei perniciem majoribus errorum portentis grassatos esse supra memini; princeps illius dogmatis in Ecclesia vulgo perhibetur Origenes; quamvis ab hac eum suspicione purgare recentiores etiam aliqui studuerint, quibus non assentior. Nam omnino Platonem in hac re, ut in aliis plerisque, sectatus est. Testes sunt ejus rei complures veterum, qui Origenem ita sensisse prædicant, ut Theophilus Alexandrinus epistola secunda paschali, ubi diabolum ex illius opinione scribit « purgatum vitiis, atque peccatis pristinam aliquando gloriam recepturum. » Imo vero « Salvatorem præ dæmonibus, ac spiritualibus nequitiis apud superos affigendum cruci.» Et Athanasius libro *de Communi essentia*. Hieronymus item in epistola LV *ad Pammachium* eumdem ait existimasse, « post multa sæcula, atque unam omnium restitutionem, idipsum fore Gabrielem, quod diabolum, Paulum, quod Caipham, virgines, quod prostibulas. » Quod in apologia prima *adversus Ruffinum* clarius exponit asserens, Origenem « de Angelis, et Seraphim, et Cherubim dicere dæmones, et homines fieri. » Et fusissime in epistola LIX *ad Avitum* ex primo *Periarchon*, promiscue ex hominibus fieri dæmones : hos vero, « si voluerint capere virtutes, pervenire ad angelicam dignitatem. » Et in epist. LXI *contra Joannem Hierosolymitanum*, « diabolum, et dæmones acturos pœnitentiam aliquando, et cum sanctis ultimo tempore regnaturos. » Tum in LXXV *adversus Vigilantium*.

V. Epiphanius quoque in epistola, quam ad Joannem Hierosolymitanum scripsit adversus Origenem, quam Hieronymus latine vertit, eumdem illi adscribit errorem, « Diabolum id rursum futurum esse, quod fuerat, et ad eamdem rediturum dignitatem, et conscensurum regna cœlorum. » At idem in libro *de Hæresibus*, hæresi LXIV quæ est *Origenis*, illius erroris, quantum memini, mentionem nullam attigit, quod satis mirari nequeo ; sed totam contra illum disputationem, quæ bene longa est, in una de resurrectione dogmate consumit, ex Methodii libro ejusdem argumentis quam plurimis descriptis, quæ totum fere illud de Origeniana hæresi caput occupant. Refert et aliam ejusdem hæresim contra Filii, ac Spiritus sancti divinitatem nec non de animarum creatione ante corpora, tum quod Scripturæ sacræ narrationes omnes ad allegorias, ac figuratos sensus detorquet. Addit in *Synopsi*, quæ initio tomi primi libri secundi posita est, quod haud scio, an in ipsa hæresi tractaverit, « putasse illum, Christi regnum desiturum, ac simul desituros et Angelos[b] ; » ubi verbo usus est præteriti temporis πεπαῦσθαι, quod *desiisse* possis vertere. Sed illud præteritum accipiendum est pro

Epiphanius in libro de hæres. illius non meminit erroris.

a PLATO. Οὗτοι οἱ ἂν ἰάσιμα ἁμαρτήματα ἁμάρτωσιν, ὅμως δὲ δι' ἀλγηδόνων, καὶ ὀδυνῶν γίγνεται αὐτοῖς ἡ ὠφέλεια καὶ ἐνθάδε, καὶ ἐν ᾅδου. οὐ γὰρ οἷόν τε ἄλλως ἀδικίας ἀπαλλάττεσθαι. οἱ δι' ἂν τὰ ἔσχατα ἀδικήσωσι, καὶ διὰ τοιαῦτα ἀδικήματα ἀνίατοι γένωνται, ἐκ τούτων τὰ παραδείγματα γίνεται. καὶ οὗτοι, αὐτοὶ μὲν οὐκέτι ὀνίνανται οὐδὲν, ἅτε ἀνίατοι ὄντες· ἄλλοι δὲ ὀνίνανται οἱ τούτους ὁρῶντες διὰ τὰς ἁμαρτίας τὰ μέγιστα, καὶ ὀδυτηρότατα, καὶ φοβερώτατα πάθη πάσχοντας τὸν ἀεὶ χρόνον.

b EPIPH. *in Synop.* Χριστοῦ δὲ τὴν βασιλείαν πεπαῦσθαι ληροῦντες, καὶ ὁμοῦ τοὺς ἀγγέλους παυθήσεσθαι. Χριστὸν δὲ σὺν διαβόλῳ παυθησομένῳ.

futuro, quod ex *Anacephalæosi* constat, ubi ita illud exprimitur. « Et regnum Christi finem habiturum audent dicere [a]. » Additur in *Synopsi*, quod in *Anacephalæosi* non exstat, « Christum quoque cum Diabolo regno subjiciendo [b]. » Quæ sunt mendosa; ac videtur scribendum βασιλευθησόμενον, ut sit sensus Originem docuisse, Christum cum diabolo subjiciendum esse; forsitan Dei Patris, uti duo sint hæretica dogmata : alterum de terminando Christi regno, cujus ex illo Apostoli loco sumpta est occasio : *Deinde finis* [1], *cum tradiderit regnum Deo et Patris:* alterum de diabolo Patris regno subjiciendo ex iis verbis : *Cum autem subjecta fuerint illi omnia , tunc et ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus* [2]. Hoc enim loco nitebantur Origenistæ, qui diabolum, reprobosque omnes aliquando fore salvos asseverabant, ut in omnibus regnaret Deus. Tum igitur et diabolum in regno Dei futurum; quod Epiphanii verba illa significant, quæ, ut dixi, in *Anacephalæosi* desunt.

Subjiciendum.

VI. Est autem *Anacephalæosis* ista epitome quædam, breves singularum hæreseon summas continens, quæ per totum *Panarium* ita dispersæ sunt, ut singulis tomis, in quos libri dividuntur, indiculi more præfigantur summæ hæreseon, quæ in illo tomo disputantur. Hanc *Anacephalæosim*, sive Epitomen, solam vidit Augustinus, eamque, cum Epiphanii librum *de Hæresibus* citat, intelligit, ut in præfatione ad Epiphanium ostendimus. Itaque in librum *de Hæresibus ad Quodvultdeum* pleraque ex epitome illa transtulit. Et in ejusdem libri capite XVIII Origenianæ hæresis ex epitome illa Epiphanii summam referens, ne ea quidem posuit, quæ hodie in *Anacephalæosi* leguntur de Christi regno desituro, nedum illa, quæ in *Synopsi* addita sunt de diabolo una cum Christo regno Dei subjiciendo. Quare incertum nobis est, utrum hæc ab aliis addita fuerint postea, an Epiphanius ipsemet adjecerit in iis exemplaribus, quæ non vidit Augustinus. Porro idem Augustinus pro certo asserit, Origenis illud dogma fuisse, diabolum post longa tempora restituendum. « Sunt et alia, inquit, hujus Origenis dogmata. quæ catholica Ecclesia omnino non recepit in quibus nec ipsum falso arguit, nec potest ab ejus defensoribus excusari, maxime de purgatione, et liberatione, ac rursus post longum tempus ad eadem mala revolutione rationalis universæ creaturæ. Quis enim catholicus christianus vel doctus, vel indoctus non vehementer exhorreat eam, quam dicit, purgationem malorum, id est etiam eos, qui hanc vitam in flagitiis, et facinoribus, et sacrilegiis, atque impietatibus quamlibet maximis finierunt, ipsum etiam postremo diabolum, atque Angelos ejus, quamvis post longissima tempora purgatos atque liberatos, regno Dei, lucique restitui, et rursus post longissima tempora omnes, qui liberati sunt, ad hæc mala denuo relabi, et reverti, et has vices alternantes beatitudinem et miseriarum rationalis creaturæ semper fuisse, semper fore ? »

Epiphanii locus expenditur.

VII. Eadem narrat et in lib. XXII *de Civit.* cap. XVII, ut et ipse in illo *de Hæresibus* libro meminit. Idem de Origene, quod ad veritatis fidem majoris est auctoritatis, testatur quinta ipsa synodus pro œcumenica recepta, cujus ex Actis Nicephorus Callisti F. refert, inter Origenis errores damnatum hunc esse, quo diceret, « Omnium impiorum hominum, ipsorumque etiam dæmonum tormenta finem habitura, atque impios, et dæmones in priorem suum statum restitutum iri. Præterea Christum oportere pro dæmonibus crucifigi, et idipsum sæpius per futura sæcula perpeti a spiritibus nequitiæ, qui sunt in cœlestibus [c]. » Quod et in anathematismis eadem synodus expressit. Meminit et Photius inter quindecim Origenis errores istius quoque [3], « non esse sempiternas malorum pœnas. » Sophronius quoque idem testatur in epistola *ad Sergium* [4], et Gennadius libro *de Dogmatibus* [5]. Joannes vero Damascenus libro secundo, capite primo significare videtur, Origenem arbitratum esse post annos mille restitutionem illam fore, quam vocat Ὠριγενιαστικὴν ἀποκατάστασιν ; cujus et in lib. *de Hæresibus* meminit. Vide Orosium

Origenistarum restitutionem.

a Anaceph. tom. II Epiph. Καὶ τέλος ἔξειν τὴν Χριστοῦ βασιλείαν τολμῶσι λέγειν.

b In Synop. Χριστὸν δὲ σὺν διαβόλῳ βασιλευθησομένῳ.

c Nicephr. lib. XVII, cap. XXVII et XXVIII. Καὶ ὅτι περ πάντων ἀσεβῶν ἀνθρώπων. καὶ πρός γε δαιμόνων ἡ κόλασις πέρας ἔχει. καὶ ἀποκαταστήσονται ἀσεβεῖς τε' καὶ δαίμονες εἰς τὴν πρότεραν αὐτῶν τάξιν· καὶ ὅτι ὑπὲρ δαιμόνων δεῖ τὸν Χριστὸν σταυρωθῆναι, καὶ πολλάκις τοῦτο εἰς τοὺς ἐσομένους παθεῖν ὑπὸ τῶν πνευμάτων τῆς πονηρίας τῶν ἐν τοῖς ἐπουρανίοις.

1 I *Cor.* XV, 24.— 2 Ibid. ver. 28.— 3 Cod. CXVII.— 4 In Actis Syn VI *Act.* XI.— 5 Cap. VIII.

in commonitorio *ad Augustinum*, quod præfixum est libro ejusdem *contra Priscillianistas, et Origenistas*, tomo sexto, ac librum adeo ipsum Augustini. Sed, ne ex aliorum de Origene testimoniis potius, quam ex ipsius scriptis, de ejus opinione statuamus, legatur famosi illius operis περὶ ἀρχῶν primus liber, ejusque caput sextum. Tametsi non sincerum et uti ab auctore prodierat, sed ab Ruffino interprete mutilatum, interpolatumque opus illud exstat; nihilominus pervagatus iste error adhuc in eo loco citra ambiguitatem exprimitur.

riarchon.

Ex ipsius scriptis Origenis llius error nvincitur.

VIII. Postquam enim docuit, Angelorum bonorum pro meritorum discrimine gradus esse distinctos, ut alii inter Angelos, alii inter virtutes, aut principatus, aut potestates, ac cæteros ordines referrentur, mox ita scribit: « Hi vero, qui statu primæ beatitudinis moti quidem sunt, non tamen irremediabiliter moti, illis, quos supra descripsimus, sanctis, beatisque ordinibus subjecti sunt ad regendum; quorum adjutorio usi, et institutionibus, ac disciplinis salutaribus reformati, redire, ac restitui ad statum beatitudinis possunt. » Ibi Angelorum aliquos, qui levius peccarunt, sub eorum, qui in officio steterunt, cura, et gubernatione positos, in integrum esse restituendos asserit. Subinde vero quosdam esse dicit, « qui in tantam indignitatem, ac malitiam delapsi sunt, ut indigni habiti sint institutione hac, vel eruditione, qua per carnem humanum genus adjutorio virtutum cœlestium instituitur, atque eruditur; sed e contrario etiam adversarii, atque repugnantes his, qui erudiuntur, atque imbuuntur, exsistunt. » Verum mox dubitat, an aliqui ex his ipsis, « qui sub principatu diaboli agunt, ac malitiæ ejus obtemperant, poterunt aliquando in futuris sæculis converti ad bonitatem pro eo, quod est in ipsis liberi facultas arbitrii. » Ac statim eo labitur, ut omnes istos, adeoque, nullo excepto, dæmones universos, post longa tempora ad summos etiam Angelorum gradus evehendos esse pronuntiet. « Interim, ait, tam in his, quæ videntur, et temporalibus sæculis, quam in illis, quæ non videntur, et æterna sunt, omnes isti pro ordine, pro ratione, pro modo, et meritorum dignitatibus dispensantur, ut alii in primis, alii in secundis, nonnulli etiam in ultimis temporibus, et per majora; ac graviora supplicia, nec non diuturna, ac multis, ut ita dicam, sæculis tolerata, asperioribus emendationibus reparati, et restituti, eruditionibus primo angelicis, tum deinde etiam graduum virtutibus, et sic per singula ad superiora provecti, usque ad ea, quæ sunt invisibilia, et æterna, perveniant, singulis videlicet quibusque cœlestium virtutum officiis quadam eruditione in specie paragratis. » Hic vero dæmones omnes, non eos solum, qui tolerabilius lapsi sunt, et sub Angelorum principatu collocati sunt, sed illos etiam, qui ob culpæ gravitatem indigni habiti sunt hac Angelorum gubernatione, post longiora supplicia redituros ait in pristinum statum, imo et altius ascensuros. Quippe « unamquamque rationabilem naturam posse mox affirmat ab uno in alterum ordinem transire, et per singulos in omnes, et ab omnibus in singulos pervenire, dum accessus profectuum, defectuumque varios, pro motibus, vel conatibus propriis, unusquisque pro liberi arbitrii facultate perpetitur. »

IX. Hæc Origenes; qui alio in loco diabolum quidem, ac dæmones æterno igne damnandos putat, homines vero iisdem addictos suppliciis, tandem esse liberandos: « Quum diabolus, inquit [1], et angeli ejus igni tradentur æterno, Domino nostro Jesu Christo sedente rege, et judice, et dicente iis, qui priores, et posteriores vicerunt: *Venite benedicti Patris mei; percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi;* aliis autem dicit: *Ite in ignem æternum, quem præparavit Deus diabolo, et angelis ejus;* donec omni animæ, quibus ipse novit, remediis consulat, et omnis Israel salvus fiat. »

Sic in homilia nona *de Diversis* pene idem asseverat. Sed hæc homilia, velut cento quidam variis ex Patrum sententiis contexitur, ut Gregorii Magni, quod superiori capite attigi. Illa vero, quæ de Christianorum finienda damnatione loqui dixi, sunt Hieronymi, quæ postea referemus. At vero tomo XVIII *in Joannem* existimat, aliquot ex principibus, et potentiis angelicis, qui cum diabolo ceciderant, per pœnitentiam conversos ad Deum per Christum, cujus potestate, ac divinitate obstupefacti erant. « Existimo enim aliquot ex principibus, inquit, obstupefactos propter potentiam, et divinitatem Jesu, confugisse ad eum, et orasse pro sibi subditis. Alioqui cur quæso homines pœnitentiam recipiunt, ex infidelitateque ad fidem transeunt, idem vero in potentiis

1 Hom. VIII in *Josue*.

dicere veremur ? Vel nobis dicat aliquis causam, cur homines carnem, et sanguinem induti confugere possint (mutàti) [ad Deum per Christum, eos vero, qui puriori natura utantur, idem non posse, sed omnes incapaces esse credendi in Salvatorem, minimeque obstupescere, propter prodigiosas virtutes, quas ipse fecerit. At ego reor, etiam circa eas potentias (principatus quos vocant) aliquid factum fuisse, immutatas in melius in Christi adventu. »

X. Quo et illud referri potest, quod in homilia XXIII *in Lucam* scripsit, tam Joannem Baptistam, « quam ipsum Salvatorem et hominibus, et Angelis, et virtutibus cæteris salutarem prædicasse pœnitentiam, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum ; » ubi incertum, dæmones, an Angelos sanctos velit ad pœnitentiam esse commotos, tanquam et ipsi peccaverint, quod et alio in loco significavit. Tum in tomo I *in Joannem*, « Absurdum est, inquit, pro peccatis quidem humanis dicere eum mortem gustasse, non ita vero pro quibuscumque etiam aliis, qui præter hominem in peccatis essent, verbi gratia pro astris, nimirum neque astris omnino coram Deo puris existentibus. » Videtur ergo de sanctis Angelis interpretandus, quos et peccasse aliquando censuit. Quinetiam tomo XIX *in Joannem* quosdam esse tradit, « qui non solum in hoc sæculo, verumetiam in futuro, a proprio peccato detineantur ; veluti istos, de quibus Filius inquit Dei : *Qui blasphemaverit in Spiritum sanctum*[1], *non habet remissionem, neque in præsenti sæculo, neque in futuro ;* nec tamen sequitur : non habet remissionem in futuro sæculo, ergo nec in superventuris sæculis. » Ergo eos putat, qui in peccato illo contra Spiritum sanctum decesserint, in futuro sæculo veniam minime assequi, sed tamen in superventuris sæculis ad eam pervenire, hoc est post longissima temporum intervalla. De quo vide Athanasii locum illum, quem supra citavimus in libro *de communi essentia*. Idem etiam Origenes [a] in libro VI *contra Celsum* de purgatione illa post mortem impiorum, quædam obiter intexit ; neque tutum esse dicit, apertius ista commendare litteris, propter malos, qui vix metu sempiterni supplicii ab flagitiis absterreri possunt.

Refelluntur qui Origenem excutare nituntur.

XI. His omnibus in locis erroris ejus, qui Origeni tribuitur a Patribus, haud obscura relicta sunt vestigia. Plura fortassis exstarent, et clariora, si integra opera illius haberemus, neque ab temeraria manu corrupta. Non enim adduci possum, ut tot sanctissimos, eruditissimosque viros, atque adeo synodum Œcumenicam ; vel errore, vel impotentia, et odio sic occæcatos fuisse credam, ut de Origenis opinione falso ista prodiderint ; aut sine manifestissimis argumentis, ac non satis probata, exploratàque re, decreto suo, et sententia notaverint ; imo vero nomini ejus, et memoriæ sempiternam plagam, et ignominiam imposuerint. Certe in iis, quas attuli, sententiis Origenis, principis dæmonum, sive diaboli futura salus minus expresse declaratur, Dæmonum vero paulo distinctius, hominum denique damnatorum citra ullam dubitationem asseritur. Quod erroris discrimen diligenter observari volumus, ne, sicubi æternum inferorum ignem ab eo nominari ex Evangelio legimus, aut a salute consequenda diabolum, aut etiam dæmones excludi, de hominibus perinde reprobis sanam, ac sinceram illius mentem putemus fuisse. Quanquam, etsi quibusdam aliis in locis de æterno damnatorum omnium tam dæmonum, quam hominum supplicio recte senserit, quod non negamus, statim consequens non est, eum in aliis minime aberrasse. Quod propter Pici Mirandulani, Jacobi Merlini, ac Genebrardi rationem dicere est necesse ; qui in Origenis defensionibus hoc uno genere argumenti purgari illum, satis superque confidunt, si eum doceant alibi de istis vere, catholiceque scripsisse.

XII. Atque nihil hoc genere defensionis levius est. Ut enim qui semel, iterumque in scribendo lapsus est, non eum sequitur, ubique esse lapsum ; sic qui aliquando recte, et catholice scripsit, non is propterea nullo in loco titubavit. Sed est illa præterea superior animadvertenda dogmatis in scriptore isto varietas, et inconstantia. Nam omnia fere loca, quæ a Merlino, et Genebrardo ex Origene deprompta sunt, aut nihil efficiunt om-

a Orig. Ἀλλ' οὐδ' ἀκίνδυνον τὴν τῶν τοιούτων σαφήνειαν πιστεῦσαι γραφῇ· ἅτε τῶν πολλῶν οὐ χρῃζόντων πλείονος διδασκαλίας παρὰ τὴν περὶ τῆς κατὰ τῶν ἁμαρτόντων κολάσεως. εἰς γὰρ τὰ ὑπὲρ ἐκεῖνα αὐτῆς οὐ χρήσιμον ἀναβαίνειν, διὰ τοὺς μόγις φόβῳ τῆς αἰωνίου κολάσεως κἂν συστελλόντας ἐπὶ ποσὸν τῆς κακίας, καὶ τῶν ἀπ' αὐτῆς ἁμαρτανομένων χύσιν.

1 *Matth.* XII.

nino, aut ad homines minine referuntur. Velut quod inferorum ignem æternum vocat Origenes, nihil hoc est; non enim hominum causa, sed diaboli, sic appellare, vel sic potius Evangelica verba interpretari potuit. Tum quod Judæ Apostoli locum illum usurpavit[1], in quo *vinculis æternis sub caligine reservari* dæmones ait, non plus habet momenti; quippe *ad judicium magni diei* istis vinculis attineri illos, idem scribit Apostolus, ut *æterni* vox perpetuum ad id usque tempus significare possit. Post judicium autem futuram illam ἀποκατάστασιν censuit Origenes; quin et ultra futura sæcula alia quædam somniavit superventura sæcula, ut, tametsi ne in futuro quidem sæculo, sæculisve restituendos dæmones, hominesve dixerit, non minus propterea de se suspicionis reliquerit. Ejusmodi esse potest, quod in libro VIII commentariorum ad caput epistolæ *ad Romanos* XI posuit, verba hæc explicans: *Numquid sic offenderunt, ut caderent*[2] *?* ubi dissimilem esse Judæorum, et Luciferi, vel Satanæ casum asserit; quod « illorum vel in fine sæculi conversio erit tunc, cum plenitudo gentium subintraverit; istius autem, qui de cœlo cecidisse dicitur, nec in fine sæculi erit ulla conversio. » Et de Lucifero, ac diabolo nonnunquam vere Origenem statuisse fateor; tamen non hic prorsus vacat suspicione, ne sic de illo locutus sit, quomodo de eo, qui contra Spiritum sanctum peccaverit, tomo decimo nono *in Joannem*, ut paulo ante meminimus.

XIII. Addit his Jacobus Merlinus[3] et alium locum ex homilia I *in Ezechielem*, ubi exponens illud, *Restituetur Sodoma*[4], etc. « per *Sodomam* intelligens peccatorum animas, culpat aliquos ex Hebræis asserentes, Sodomam aliquando restitui. » Hæc ille; sed quam oscitanter hic versatus sit patronus iste Origenis, ex eo cognoscitur, quod in prima homilia *in Ezechielem* contrarium potius diserte scripserit Origenes. Ibi enim Sodomitas ita in hoc sæculo punitos esse vult, ut in futuro restituendi sint; quia Dominus *non vindicat bis in idipsum in judicio*[5]. » Itaque « puniti sunt, inquit, in præsenti, ne in futuro jugiter punirentur. » Quod et ex illo ipso *Ezechielis* loco comprobat: *Restituetur Sodoma in antiquum.* « Et adhuc dubitas, an bonus sit Dominus puniens Sodomitas? » Ceterum locus ille, quem in animo Merlinus habuit, ex homilia X petitus est. Hic enim Hebræos quosdam ait dicere, *Sodomam in eumdem statum restituendam*; ac subinde Sodomam interpretatur de anima sua. Verum neque ab illa opinione Hebræorum abhorret, et damnatarum animarum post longum intervallum restitutionem, nusquam evidentius, quam ibi, commendat. « Aiunt, inquit, Hebræi, Sodomam in eumdem statum restituendam, in quo et antea constitit, ut rursum paradiso Dei, et terra Ægypti comparetur. Si hoc se sic habet, et sive futurum est, sive non, quærentur enim istiusmodi res apud eos, qui doctissimi sunt, ut autem fiat, quod dicitur complebuntur mihi annorum tria millia, et tunc restituetur excruciata tribus millibus annorum Sodoma, id est anima mea, Sodoma meis pœna peccatis. Grande intervallum temporis inter restitutionem, et ruinam positum est. » Et subinde: « Si autem tanto post tempore restituetur id, quod præcessit in signum (animæ peccatricis, cujus figuram Sodomam, et Samariam esse docuit) quando tu restitueris, si tamen restitueris Samaritana, et hæretica anima, quæ simulacris, et feriis non veris, ac figmentis de Hieroboam corde venientibus credidisti? quando restitueris, o anima infelix, cum post tanta sæcula restituatur exemplum tui? » Subjicit et alia, quibus peccatorum animas post earum expiata crimina sic, tanquam vulnera corporis, evadere, ac liberari demonstrat. Adscribatur itaque hic locus ad superiores alios, quos de damnatorum hominum in integrum restitutione ex Origene produximus.

Neque vero, quod ab iisdem illis patronis Origenis dici pro eo solet, mihi probabilius videtur, disputandi gratia potius ista, quam certo, et asseveranter ab illo esse dicta. Profecto enim, quæ a nobis allata sunt ejus loca, ex animi sui sententia locutum esse satis ostendunt.

1 *Judæ* ver. 6.— 2 *Rom.* XI, 11.— 3 Vide Sixte Sen. lib. V. an. 31.— 4 *Ezech.* XVI, LIII secundum LXX.— 5 Naum. 1.

CAPUT VII.

De aliis veteribus, qui in illud Origenis dogma propensiores fuisse videntur, præsertim Gregorio Nysseno; cujus varia loca excutiuntur. Germani Patriarchæ de Nysseno sententia. Pseudo-Ambrosii cum Origene consensio. Hieronymi de re eadem exploratur sententia: necnon Ambrosii, et Pseudo-Ambrosii illius, qui in epistolas Pauli commentarios edidit, quem non fuisse Hilarium Diaconum ostenditur, ut viri docti hactenus rati sunt. Gregorii Nazianzeni de eadem quæstione opinio proponitur.

Alii quidam veteres in illud Origenis dogma propensiores

I. Ejusmodi, qualem superiori capite descripsi, de dæmonum, reproborumve salute Origenis fuisse mentem ac sententiam, illud præterea suadere potest, quod nonnullos ex antiquis videmus, qui Originem magni facere, et in Scripturis interpretandis fere ducem adhibere consueverant, speciem quamdam dogmatis istius plus minusve scriptis adspersisse suis. Ut enim qui sæpe, ac diu convictu, et consuetudine alicujus utuntur, ejus in se mores paulatim exprimunt; sic qui in auctoris cujuspiam lectione multum habitant, illius et scriptionis, et sententiarum genere colorantur.

Gregorius Nyssenus.

Quo ex numero nullus ante Gregorium Nyssenum commemorandus venit, qui ad idem Origenis dogma multum implicatus videtur. Nam in libro *Catechetico*, de Christi Incarnatione loquens, Dei Filium ait pio ac salutari dolo circumvenisse mali inventorem, et architectum diabolum, qui primos homines in fraudem imposuerat, humana illi objecta specie, qua ratione « non eum solum, inquit, qui perierat, sed eum etiam, qui perniciem contra nos molitus erat, affecit beneficio. Nam ex eo, quod vitæ quidem mors appropinquavit, luci autem tenebræ, interitus vero corruptioni; deletur quidem id, quod est deterius, et in nihilum redigitur, juvatur vero id, quod per illa purgatur. Ut enim viliore materia cum auro commista, ubi auri excoctores, quod in eo peregrinum, ac reiculum est, igne consumpserint, rursus ad nativum splendorem præstantiorem revocant materiam; neque tamen labore vacat ista secretio, cum ignis sua consumendi vi aliquanto temporis spatio, quod adulterinum est, deleat. Verumenim vero auri quædam est medicatio, quod in ipso eliquatur, quod ad melioris perniciem insitum illi fuerat; eodem modo, cum mors, et interitus, et tenebræ, et si quis est alius nequitiæ fœtus, ad mali repertorem adhærescerent, divinæ virtutis accessus ignis instar, id, quod præter naturam inerat, abolens, naturam incorruptionis afficit beneficio, tametsi laboriosa sit secretio. Ergo ne ipse quidem dubitavit adversarius, quin id, quod fit, justum, ac salutare sit, siquidem ad sentiendum beneficium pervenerit. Nunc enim, quemadmodum illi, qui curandi gratia secantur, et uruntur, iis, qui curant, irascuntur, quod eos acriter pungat sectionis dolor; at, si ex eo sanitas consequatur, et adustionis transeat dolor, his, a quibus curati sunt, gratiam habebunt. Ita longis temporum circuitibus oblato e natura malo, quod ei nunc immistum, concretumque est, postquam eorum, qui nunc in malis jacent pristinum in statum erit facta restitutio, una voce creatura omnis gratias aget, tam ii scilicet, qui in purgatione castigati fuerint, quam qui nulla unquam purgatione opus habuerint [a]. »

a Greg. Nyss. *Cat.* cap. xxvi. Οὐ μόνον τὸν ἀπολωλότα διὰ τούτων εὐεργετῶν, ἀλλὰ καὶ αὐτὸν τὸν ἀπώλειαν καθ' ἡμῶν ἐνεργήσαντα. ἐκ γὰρ τοῦ προσεγγίσαι τῇ ζωῇ μὲν τὸν θάνατον, τῷ φωτὶ δὲ τὸ σκότος, τῇ ἀφθαρσίᾳ δὲ τὴν φθορὰν, ἀφανισμὸς μὲν τοῦ χείρονος γίνεται, καὶ εἰς τὸ μὴ ὂν μεταχώρησις, ὠφέλεια δὲ τοῦ ἀπὸ τούτων καθαιρομένου. καθάπερ γὰρ τῆς ἀτιμοτέρας ὕλης τῷ χρυσῷ καταμιχθείσης, τῇ διὰ τοῦ πυρὸς δαπάνῃ τὸ ἀλλοτρίον τε, καὶ ἀπόβλητον οἱ θεραπευταὶ τοῦ χρυσίου καταναλώσαντες, πάλιν ἐπανάγουσι πρὸς τὴν κατὰ φύσιν λαμπρότητα τὴν προτιμοτέραν ὕλην. οὐκ ἄπονος μέντοι γίνεται ἡ διάκρισις, χρόνῳ τοῦ πυρὸς τῇ ἀναλωτικῇ δυνάμει τὸ νόθον ἐξαφανίζοντος. πλὴν ἀλλὰ θεραπεία τίς ἐστι τοῦ χρυσίου, τὸ ἐκτακῆναι παρ' αὐτῷ τὸ ἐπὶ λύμῃ τοῦ καλοῦ ἐγκείμενον. κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον θανάτου, καὶ φθορᾶς, καὶ σκότους, καὶ εἴ τι κακίας ἔκγονον, τῷ εὑρετῇ τοῦ κακοῦ περιφυέντων, ὁ προσεγγισμὸς τῆς θείας δυνάμεως πυρὸς δίκην ἀφανισμὸν τοῦ παρὰ φύσιν κατεργασάμενος, εὐεργετεῖ τῇ ἀφθαρσίᾳ τὴν φύσιν, κἂν ἐπίπονος ἡ διάκρισις ᾖ. οὐκοῦν οὐδ' ἂν παρ' αὐτοῦ τοῦ ἀντικειμένου μὴ εἶναι δίκαιόν τε, καὶ σωτήριον τὸ γεγονὸς ἀμφιβάλλοιτο, εἴπερ εἰς αἴσθησιν τῆς εὐεργεσίας ἔλθοι. νυνὶ γὰρ καθάπερ οἱ ἐπὶ θεραπείᾳ τεμνόμενοί τε, καὶ καιόμενοι χαλεπαίνουσι τοῖς θεραπεύουσι, τῇ ὀδύνῃ τῆς τομῆς δριμυσσόμενοι. εἰ δὲ τὸ ὑγιαίνειν διὰ τούτου προσγένοιτο, καὶ ἡ τῆς καύσεως ἀλγηδὼν παρέλθοι, χάριν εἴσονται τοῖς τὴν θεραπείαν ἐπ' αὐτούς ἐνεργήσασι. κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον ταῖς μακραῖς περιόδοις ἐξαιρεθέντος τοῦ κακοῦ τῆς φύσεως τοῦ νῦν αὐτοῖς καταμιχθέντος, καὶ συμφυέντος, ἐπειδὰν ἡ εἰς τὸ ἀρχαῖον ἀποκατάστασις τῶν νῦν ἐν κακίᾳ

II. Hæc Gregorius, qui sane Domini adventum, et incarnationem non solum homini, qui perierat, et a dæmone circumventus erat, sed etiam illi ipsi, qui perniciem, et interitum attulerat, utilem, ac salutarem fuisse dicit. Atqui nullus alius hic, quam diabolus intelligi potest, quem et εὑρετὴν τοῦ κακοῦ, *inventorem auctoremque mali* vocat, et post longam, ac laboriosam purgationem, velut aurum, detersis igni maculis, ac sordibus, pristinum in statum rediturum esse ait, ac salutem adepturum ita, ut communes ab creaturis omnibus, tam iis, quæ cruciatibus istis expiatæ fuerint, quæque nunc in vitio jacent, quam ab iis, quæ integræ, innocentesque fuerint, gratiæ Deo reddantur. Quod et clarius etiam in iis, quæ sequuntur, exponit his verbis: « Hæc, et ejusmodi alia tradit magnum divinæ incarnationis mysterium. Hoc enim ipso, quod cum humanitate mistus est, per omnes naturæ proprietates generationem, et educationem, et incrementum, et ad mortis experimentum usque transiens, omnia illa, quæ diximus, effecit, ut et hominem a malitia liberaret, et ipsummet inventorem malitiæ sanaret. Ægritudinis enim sanatio est morbi purgatio, tametsi laboriosa sit [a]. » Ergo non solus homo a peccato, et nequitia liberatus est adventu, et incarnatione Verbi, sed etiam ille ipse malitiæ auctor, et inventor, τῆς κακίας εὑρετής, quemadmodum et Methodius [b] in libro *de Resurrectione* diabolum appellat *peccati artificem, ac repertorem*. Et idem Gregorius εὑρετὴν ψεύδους *mendacii repertorem*, in libro *de Anima, et resurrectione*. Athanasius quoque oratione prima sub initium: « Malitiæ inventorem, et magnum dæmonem vocat diabolum [c]. » Et Cyrillus Alexandrinus passim [d]. Et sexta synodus in *Decreto Fidei* actione XVIII. Sic etiam Gregorius Nazianzenus oratione *in sancta Lumina*. Ex Latinis quoque Tertullianus *auctorem delicti* vocat diabolum[1]. Augustinus libro *de Natura, et gratia*, capite XXVIII « omnium peccatorum auctorem Satanam. » Et libro primo *de Nuptiis, et concupiscentia*, capite XXIII « principem, auctoremque peccati. » Goffridus Vindocinensis in sermone I *de Nativitate*, « inventorem, et auctorem nequitiæ, » sicut Leo Papa sermone IV *de Collectis*, incentorem, auctoremque peccati. » Paulinus item epist. IV quem supra citavimus. « auctorem peccati » vocat diabolum. Philippus Abbas Bonæ Spei « inventorem peccati, » supra itidem laudatus a nobis.

III. Ac Nyssenus in libro *de Anima, et resurrectione* idem dogma de dæmonum, ac damnatorum omnium futura salute affirmare videtur sub Macrinæ sororis persona. Nam Pauli verba illa prioris *ad Corinthios* capite XV, *Deus erit omnia in omnibus*, sic explicat, tanquam vitiositas, et malitia funditus aliquando destruenda, extinguendaque sit ita, ut in nulla re consistat. « Hoc, inquit, in loco mihi videtur perfectum, et absolutum interitum vitiositatis, ac nequitiæ tradere Scriptura. Si enim in omnibus rebus Deus erit, vitiositas, nequitiaque nimirum in rerum natura non erit. Nam, si quis vitiositatem etiam, et nequitiam esse posuerit, quomodo servabitur ea sententia, qua dicitur, in omnibus esse Deum? Siquidem illius exemptio mancam, ac defectam omnium comprehensionem facit. Atqui ille, qui in omnibus futurus est, in iis, quæ non sunt, minime erit [e]. » Quæ postrema verba nonnihil obscura sunt; sed ita intelligi debent: Quoniam Deus in omnibus futurus aliquando dicitur, nusquam malitia, et peccatum debet consistere. Si enim alicubi reperiatur, ibi Deus non erit; atque ita fal-

κειμένων γένηται, ὁμόφωνος εὐχαριστία παρὰ πάσης ἔσται τῆς κτίσεως, καὶ τῶν ἐν τῇ καθάρσει κεκολασμένων, καὶ τῶν μηδὲ τῆς ἀρχῆν ἐπι δεηθέντων καθάρσεως.

a Idem Greg. Ταῦτα, καὶ τὰ τοιαῦτα παραδίδωσι τὸ μέγα μυστήριον τῆς θείας ἐνανθρωπήσεως. δι' ὧν γὰρ κατεμίχθη τῇ ἀνθρωπότητι, διὰ πάντων τῶν τῆς φύσεως ἰδιωμάτων γενόμενος, γενέσεώς τε, καὶ ἀνατροφῆς, καὶ αὐξήσεως, καὶ μέχρι τῆς τοῦ θανάτου πείρας διεξελθὼν, τὰ προειρημένα πάντα κατείργασται, τόν τε ἄνθρωπον τῆς κακίας ἐλευθερῶν, καὶ αὐτὸν τὸν τῆς κακίας εὑρετὴν ἰώμενος. ἴασις γάρ ἐστιν ἀῤῥοστίας ἡ τοῦ νοήματος κάθαρσις, κἂν ἐπίπονος ᾖ.

b Method. apud Epiph. hær. LXIV, num. 56. Ἐπειδὴ ὁ διάβολος, ὃν ἁμαρτίαν νῦν οὗτος ἐκάλεσε, διὰ τὸ δημιουργὸν αὐτὸν ἁμαρτίας ὑπάρχειν καὶ εὑρετήν, etc.

c Athan. Ὁ τῆς κακίας εὑρετὴς, καὶ μέγας δαίμων ὁ διάβολος.

d Cyril. lib. I *de Adorat.* Εὑρετὴς ἁμαρτίας: ut et X *in Joan.* Τῆς ἁμαρτίας ἀρχή: et libro primo *contra Nestor.* et orat. paschali XXI. Ἀνομίας εὑρετής: et paschali XVII et XXVIII.

e Nyssen. Ἐν τούτῳ δέ μοι δοκεῖ τὸν παντελῆ τῆς κακίας ἀφανισμὸν δογματίζειν ὁ λόγος. εἰ γὰρ ἐν πᾶσι τοῖς οὖσιν ὁ Θεὸς ἔσται ἡ κακία δηλαδὴ ἐν τοῖς οὖσιν οὐκ ἔσται. εἰ γάρ τις ὑπόθοιτο κἀκείνην εἶναι, πῶς σωθήσεται τὸ ἐν πᾶσι τὸν Θεὸν εἶναι; ἡ γὰρ ὑπεξαίρεσις ἐκείνης, ἐλλιπῆ τῶν πάντων ποιεῖ τὴν περίληψιν. ἀλλ' ὁ ἐν τοῖς πᾶσιν ἐσόμενος, ἐν τοῖς μὴ οὖσιν οὐκ ἔσται.

1 Lib. II *cont. Marc.* cap. X et XXVIII.

sum erit, Deum in omnibus esse. Nam exceptio illa peccati, quod in aliqua re inesse dicitur, obstat, ne generalis hæc enuntiatio vera sit, *Deum esse in omnibus*. Deum enim in peccato esse non potest, quia peccatum nihil est. Hæc Macrina apud Gregorium Nyssenum; quæ quam firma, et necessario conclusa sint, nihil hic dicere attinet. Origenis quidem dogma ista redolent, cum et damnatos homines; et dæmones, ac principem horum diabolum fore salvos indicat, post longissimi temporis supplicia adeo, ut peccati, ac nequitiæ ne levissimum quidem ulla in re vestigium supersit.

Sed in eodem illo libro *de Anima et resurrectione* diserte idipsum significat. Nam Pauli locum illum pertractans: *In nomine Jesu omne genu flectetur, cœlestium, terrestrium, et subterraneorum*[1], triplex ibi genus ratione præditorum complexum esse dicit Apostolum; Angelos, qui *cœlestium* nomine continentur; homines, qui in terra degunt; et animas corpore solutas, nec non dæmones, qui subterranei censentur. « Subterraneum, inquit, est, quod jam a corpore secretum est. Aut certe si alia quoque, præter enumeratas, natura inter ratione præditas animadvertitur, quam sive quis dæmones, sive spiritus, sive aliquid aliud tale voluerit denominare, non contendemus. Persuasum est enim tam ex communi opinione, quam ex Scripturarum traditione, esse quamdam naturam extra talia corpora, quæ recto, atque honesto contraria sit, et in humanæ naturæ detrimentum, et perniciem incumbat, quæ sponte sua a meliori sorte exciderit et sua ab honesto defectione, id, quod contrarium intelligitur, in seipsa produxerit. Quam quidem, aiunt, Apostolum inter subterranea, et inferna numerare, id illo sermone significantem, quod vitiositate longis sæculorum anfractibus, et circuitionibus aliquando abolita, nihil extra bonum relinquetur. Sed etiam dæmones concorditer dominationem Christi confitebuntur[a].» Ecce, præter animas corpore exsolutas, quæ καταχθονίων, id est infernorum vocabulo comprehenduntur, etiam dæmones eodem significatos nomine, post multos annorum circuitus, extra malum, ac nequitiam fore dicit, et Christum Dominum esse confessuros. Potuitne quidquam apertius ex Origenis opinione illa disputari?

V. Ac quod ad humanum genus attinet, illos etiam, qui sine baptismo, ac pœnitentia excesserint e vita, post diuturnam purgationem liberandos esse, in libro *Catechetico* tradit idem Gregorius[2]. Nam, cum baptismi fructum eum esse dixisset, ut absque illo pervenire ad resurrectionem homines nequeant, non illam communem bonis, ac malis, cujus nemo erit expers, sed beatam illam, et bonorum propriam, quis utrobique futurus sit exitus, ita declarat: « Non enim quæcumque per resurrectionem ad hoc, ut sint denuo, reditum habent, eamdem ad vitam revertuntur; sed plurimum interest inter eos, qui purgati sunt, et eos, qui purgatione indigent. Nam illi, in quibus hac in vita lavacri purgatio præcessit, ad id, quod sibi cognatum est, receptum habebunt. Est autem passionis expers ei, quod purum est, cognatus status. In impatibilitate vero beatitatem consistere nemo dubitat. Quibus autem induratæ occalluerunt affectiones, neque ulla maculæ est adhibita purgatio, non aqua mystica, non divinæ virtutis invocatio, non pœnitentiæ correctio, necesse est, ut ii quoque in conveniente sibi statu ponantur. Est autem auro adulterato congruens conflatorium, ut cum illis admista nequitia eliquata fuerit longis postea sæculis, pura Deo natura conservetur. Quoniam igitur inest in igne, et aqua vis quædam abstergendi; qui aqua mystica nequitiæ sordes eluerunt, altero purgationis genere opus non habent; qui autem purgationi illi nondum initiati sunt, necesse est eos igne purgari[b]. »

a Nyssen. Καταχθόνιον τὸ διακεκρυμμένον (cor. διακεκριμένον) ἤδη τοῦ σώματος. ἢ δή τις καὶ ἄλλη παρὰ τὰ εἰρημένα φύσις ἐν λογικῇ θεωρεῖται· ἣν εἴτε δαίμονας, εἴτε πνεύματα, εἴτε τοιοῦτον ἐθέλοι τις κατονομάζειν, οὐ διοισόμεθα, πεπίστευται γὰρ ἔκ τε τῆς κοινῆς ὑπολήψεως, καὶ ἐκ τῆς τῶν γραφῶν παραδόσεως, εἶναί τινα φύσιν ἔξω τῶν τοιούτων σωμάτων ὑπεναντίως πρὸς τὸ καλὸν διακειμένην, καὶ βλαπτικὴν τῆς ἀνθρωπίνης ζωῆς, ἑκουσίως τῆς κρείττονος ὑπολήψεως (videtur interpres legisse λήξεως) ἀποῤῥυεῖσαν, καὶ τῇ ὑποστάσει τοῦ καλοῦ τὸ ἐκ τοῦ ἐναντίου νοούμενον ἐν αὐτῇ ὑποστήσασαν. ἣν περ φασὶ καταχθονίοις ἐναριθμεῖν τὸν Ἀπόστολον, τοῦτο ἐν ἐκείνῳ τῷ λόγῳ σημαίνοντα, ὅτι τῆς κακίας ποτὲ ταῖς μακραῖς τῶν αἰώνων περιόδοις ἀφανισθείσης, οὐδὲν ἔξω τοῦ ἀγαθοῦ καταλειφθήσεται· ἀλλὰ καὶ παρ' ἐκείνων ὁμοφώνως ἡ ὁμολογία τῆς τοῦ Χριστοῦ κυριότητος ἔσται.

b Nyssen. *Cat.* cap. xxxv sub fin. Οὐ γὰρ ὅσα δι' ἀναστάσεως τὴν ἐπὶ τὸ εἶναι πάλιν, ἐπάνοδον δέχεται, πρὸς τὸν αὐτὸν ἐπάνεισι βίον. ἀλλὰ πολὺ τὸ μέσον τῶν τε κεκαθαρμένων, καὶ τῶν τοῦ καθαρσίου προσδεο-

1 *Phil.* II.— 2 Cap. xxxv sub fine.

ermani
. Const.
Gregorio
ysseno
ntentia.

Ita Nyssenus; qui cum homines non baptismi solum expertes, sed etiam pœnitentiæ, ac nullo prorsus genere purgationis redemptos a peccatis, ad spem consequendæ post mortem salutis vocat, nullum potest excludere.

VI. Atque hæc quidem de dæmonum, hominumque damnatorum salute, ita diserta, expressaque sunt, præsertim in *Catechetico*, ut aliorsum trahi nequeant, nec ulla interpretatione molliri. Animadvertit hoc pridem Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, qui in eo libro, cujus mentio est apud Photium [1]; quem inscripsit 'Ανταποδοτικὸν,, hoc est *Compensatorium*, sive 'Ανόθευτον, id est *Sincerum*, propositum hoc habuit, ut suspectum Origeniani erroris Nyssenum Gregorium defenderet. Tribus autem ex ejus libris peti illius hæresis argumenta dicit; quorum duo a nobis allati sunt, tertius est περὶ τελείου βίου, *de perfecta vita*, qui haud scio, an exstet. Est quidem scriptus ab eo liber tomo secundo operum ipsius περὶ τελειότητος, *de perfectione Christianæ vitæ*; tum alter *de Vita Mosis*, qui et περὶ τῆς κατ' ἀρετὴν τελειότητος, *de perfectione vitæ ex virtute institutæ* præfixum titulum habet; sed nihil in istis occurrit priorum simile. Igitur Gregorio Germanus ita patrocinatur, ut pro certo. et confesso habeat, illa, quæ objiciuntur e libris illius, loca, qualia sunt ea, quæ descripsi, Origenianum istud dogma complecti: neque de iis explicandis, aut quoquo modo conciliandis laborat, ut nonnulli hoc tempore pie magis, quam vere, aut etiam pudenter instituunt. Sed sola hunc exceptionc defendit; nam libros ejus ab Origenis fautoribus hæreticis corruptos esse causatur iisque alienas istas insertas esse sententias. Verum non facile sibi hoc persuaderi sinet, qui ad illa legenda judicium, et candorem adhibebit. Quippe tam stylus, et dicendi character, quam reliqua consequens oratio, germana et nativa illa esse demonstrat.

VII. Cum autem ex antedictis appareat, non satis in errore constantem sibi fuisse Origenem, ac trifariam omnino eum exposuisse, ut aut diabolum, et dæmones pariter, ac damnatos homines salvos aliquando fore diceret, aut, solo excepto principe dæmonum diabolo, cæteros omnes, aut denique solos homines, diabolo, et Angelis ejus in perpetuum rejectis; priores opiniones duas pauci Catholicorum amplexi sunt. Ac videtur ea nonnihil afflatus auctor commentariorum in epistolas Pauli, qui Ambrosio tribuitur. Nam ad eam, quæ est *ad Ephesios*, capite III affirmare videtur, dæmones, qui diaboli tyrannidi assensi sunt, Apostolorum prædicatione ad fidem, et salutem aspirasse. Hæc enim verba interpretans, *Ut innotescat principibus, et potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei*, ait potestates, et principes esse spiritus in cœlestibus, quibus per Ecclesiam Christi veritas innotuit, « ut agnoscentes per Ecclesiam, quæ multifarie ad vitam attracta est; in Christo unius Dei manere mysterium, desinant ab errore. Id enim agitur, ut prædicatio Ecclesiastica etiam his proficiat, et deserant assensum tyrannidis diaboli, qua se adversus Dei unius fidem impia præsumptione armavit. » Tum illa *Psalmi* XXIII verba huc accommodat, *Tollite portas, principes, vestras, et elevamini portæ æternales, et introibit rex gloriæ*, quæ sic enarrat: « Dicitur ergo his principibus, qui in errore sunt, in cœlestibus sive ministris ejus in terris, ut auferant portas principis sui diaboli de mentibus suis, per quas multorum deorum asserendorum error intravit. »

Auctoris comment. in ep. Pauli.

VIII. Hic non alios, quam impios spiritus interpretari fas est, qui fide carent, et in errore sunt, ac tyrannidi assensi sunt diaboli; quos etiam ab errore illo prædicatione liberari Ecclesiæ docet. Nam ad bonos Spiritus, *qui vident faciem Patris cœlestis* [2], et Christum, statim *atque introductus est in orbem terrarum* [3], adorare jussi sunt, absurdum sit referre, imo sacrilegum. Quanquam non me præterit, inter alia Origenis somnia et istud fuisse, bonos Angelos, quibus hominum custodiam permisit Deus, suo periculo functio-

μένων ἐστίν. ἐφ' ὧν γὰρ κατὰ τὸν βίον τοῦτον ἡ διὰ τοῦ λουτροῦ προκαθηγήσατο κάθαρσις, πρὸς τὸ συγγενὲς τούτοις ἀναχώρησις ἔσται. τῷ δὲ καθαρῷ τὸ ἀπαθὲς προσοικείωται. ἐν δὲ τῇ ἀπαθείᾳ τὸ μακάριον εἶναι οὐκ ἀμφιβάλλεται. οἷς δὲ προσεπωρώθη τὰ πάθη, καὶ οὐδὲν προσήχθη τῆς κηλίδος καθάρσιον· οὐχ' ὕδωρ μυστικόν· οὐκ ἐπίκλησις θείας δυνάμεως, οὐχ' ἡ ἐκ μεταμοίας ὄρθωσις· ἀνάγκη πᾶσα, καὶ τούτοις ἐν τῷ καταλλήλῳ γενέσθαι· καταλλήλον δὲ τῷ κεκιθδηλευμένῳ χρυσίῳ τὸ χωνευτήριον, ὡς τῆς ἐμμιχθείσης αὐτοῖς κακίας ἀποτακείσης, μακροῖς ὕστερον αἰῶσι καθαρὰν ἀποσωθῆναι τῷ θεῷ τὴν φύσιν. ἐπεὶ οὖν ῥυπτική τίς ἐστι δυνάμις ἐν τῷ πυρὶ, καὶ τῷ ὕδατι· οἱ διὰ τοῦ ὕδατος τοῦ μυστικοῦ τὸν τῆς κακίας ῥύπον ἀποκλυσάμενοι, τοῦ ἑτέρου τῶν καθαρσίων εἴδους οὐκ ἐπιδέονται. οἱ δὲ ταύτης ἀμύητοι τῆς καθάρσεως, ἀναγκαίως τῷ πυρὶ καθαρίζονται.

1 Cod. 235.— 2 *Matth.* XVIII, 10.— 3 *Heb.* I.

nem hanc obire, ut, si in ea negligentes fuerint, pœnas luant; quod capite sexto libri secundi supra meminimus. Verum plus aliquid auctor ille dicit de principibus istis, et potestatibus, quoque minus ad sanctos angelos accommodari possit. Igitur de diaboli, ac dæmonum pœnis terminandis, futuraque liberatione, pauci, ut dicere cœperam, assensi sunt Origeni. De damnatis hominibus plures imitatores habuit opinionis suæ, nondum per illa tempora hæresis inustæ notis; quam quidem non eadem firmitate omnes adseiverunt; quidam enim plenius, levius alii, et quasi cunctanter amplexi sunt.

Hieronymi.

IX. Hieronymus in calce commentariorum *ad Esaiam*, postquam Origenis sententiam, tacito ejus nomine, proposuit, ostenditque, quibus Scripturæ locis utantur ii, « qui asseverant, post cruciatus, atque tormenta, futura refrigeria, quæ nunc abscondenda sunt ab his, quibus timor utilis est, ut, dum supplicia reformidant, peccare desistant, » primum de hac re sententiam suam suspendit : « Quod nos, inquit, Dei solius debemus scientiæ derelinquere, cujus non solum misericordiæ, sed et tormenta in pondere sunt, et novit quem, quomodo, aut quamdiu debeat judicare. » Deinde vero eo descendit, ut solos dæmones, et impios homines, hoc est a fide alienos, sempiternis mactandos esse cruciatibus affirmet; Christianos vero, post expiationem operum suorum esse liberandos : « Et, sicut diaboli, inquit, et omnium negatorum, atque impiorum qui dixerunt in corde suo, Non est Deus, credimus æterna tormenta; sic peccatorum, atque impiorum, et tamen Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt, atque purganda, moderatam arbitramur, et mistam clementiæ sententiam judicis. » Hæc Hieronymus ex animi sui sententia, quæ de purgatoriis piorum ignibus non possunt intelligi, ut ex orationis serie liquet. Nam de iis tormentis, atque suppliciis agit, quæ Origenistæ « aliquando finiri, licet post multa tempora » sentiebant. Ea vero damnatorum sunt, ac reproborum tormenta, quæ illi nonnisi purgatoria, Platonicorum more, esse volebant, ut S. Augustinus meminit in XXI *de Civitate Dei*.

X. Quinetiam in primo *adversus Pelagianos* clarius illam ipsam opinionem aperit, quæ cum dæmonibus solos impios, id est Deum ignorantes, aut negantes, perpetuis tormentis excruciandos asserit; iniquos vero, et peccatores, qui quidem Christiani sint, a damnatione liberandos. Sic autem scribit : « Illud vero, quod in sequenti ponis capitulo, in die judicii iniquis, et peccatoribus non parcendum, sed æternis eos ignibus exurendos, ferre quis potest, et interdicere te misericordiam Dei, et ante diem judicii de sententia judicis judicare; ut, si voluerit iniquis, et peccatoribus parcere, te præscribente, non possit? Dicis enim, Scriptum est in centesimo tertio *Psalmo : Deficiant peccatores a terra, et iniqui ita, ut non sint*. Et in *Esaia*[1] *: Comburentur iniqui, et peccatores simul; et, qui relinquunt Deum, consummabuntur*. Et non intelligis, comminationem Dei interdum sonare clementiam? Non enim dicit, eos æternis ignibus exurendos, sed a terra deficere, et iniquos esse cessare. Aliud enim est, ipsos a peccato, et iniquitate desistere, et aliud, ipsos perire in perpetuum, et æternis ignibus concremari. Denique Esaias, de quo ponis testimonium : *Comburentur*, inquit, *peccatores, et iniqui simul;* non addidit in æternum. Et qui relinquunt Deum, consummabuntur. Proprie hoc de hæreticis loquitur, qui rectum fidei tramitem relinquentes consummabuntur, si noluerint ad Dominum reverti, quem dereliquerunt. Quæ sententia et tibi parata est, si neglexeris ad meliora converti. Deinde cujus est temeritatis, iniquos, et peccatores impiis jungere? qui a nobis sic definiuntur : Omnis impius iniquus est, et peccator; nec reciprocatur, ut possimus dicere : Omnis peccator, et iniquus etiam impius est. Impietas enim proprie ad eos pertinet, qui notitiam Dei non habent, vel cognitam transgressione mutarunt; peccatum autem, iniquitas, pro qualitate vitiorum, post peccati et iniquitatis vulnera, recipit sanitatem. » Mox inter impios, et peccatores ita distinguit, « ut impii non resurgant in judicio[2], » id est non judicentur, quia « jam in perditionem sunt præjudicati; » peccatores autem in judicium veniant, sed « in consilio justorum, » non resurgant, non tamen perpetuo pereant. « Aliud enim est, gloriam perdere resurgendi, aliud perire perpetuo. *Veniet*, inquit[3], *hora, in qua omnes, qui in sepulchris sunt, audient vocem ejus, et egredientur, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui autem mala egerunt, in resurrectionem judicii*. Unde et Apostolus eodem sensu[4], quia et eodem spiritu, loquitur ad Ro-

1 *Isa.* VI. — 2 *Psal.* I. — 3 *Joan.* V. — 4 *Rom.* II. 12

manos: *Quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt, et quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur.* Sine lege impius est, qui in æternum peribit; in lege peccator credens in Deum, qui per legem judicabitur, et non peribit. »

XI. Hæc Hieronymus, quem perspicuum est de inferorum, ac damnatorum igne, et cruciatu loqui, non de purgatoriis pœnis, ut eum quidam interpretari student. Etenim ignem illum intelligere se dicit, quo hæretici, et impii soli in sempiternum cremantur; deinde peccatores, et impios eos ipsos in æternum perituros esse negat, qui in gloria non resurgent, neque in resurrectionem vitæ, sed *in resurrectionem judicii*. Judicium autem pro condemnatione hic, et alias passim sumitur. Ad hæc solos impios, hoc est infideles, excludit a judicio; eos autem, qui in judicio sistentur, per legem judicandos ait, non tamen perituros in æternum. Igitur illi, quibus dicturus est in fine Dominus; *Ite maledicti in ignem æternum*, etc. qui utique judicantur, et « in resurrectionem judicii » veniunt, a pœnis longo intervallo liberi fient. His affine quiddam legi in commentariis *ad Psalmos* Gilberti Porretani, in *Psalmum*, primum ubi impios, id est infideles, non judicandos ait, quia jam judicati sunt : « peccatores vero expectare sententiam, quæ salvat per ignem.» Postremo Hieronymus paulo post ista subjicit : « Si autem Origenes omnes rationabiles creaturas dicit non esse perdendas, et diabolo tribuit pœnitentiam; quid ad nos, qui et diabolum, et satellites ejus, omnesque impios, et prævaricatores dicimus perire perpetuo, et Christianos, si in peccato præventi fuerint, salvandos esse post pœnas? »

Ruffinus in prima *Invectiva* duo alia loca ex commentariis in epistolam *ad Ephesios* eidem objicit Hieronymo. Sed ab eo responsum est in apologia prima *contra Ruffinum*. Porro, etsi alibi contraria quædam dogmati illi priori scripserit, non tamen efficitur, non eum illic ita, ut diximus, existimasse, atque scripsisse. Nam sæpe pugnantes invicem sententias variis in locis ponere consuevit.

mbrosii. XII. Accedit opinioni huic etiam Ambrosius [1], qui diaboli æterna fore supplicia censet, ideoque pœnam illius differri, ut sempiterna sit; hominum vero, quia misericordia temperari, ac circumscribi supplicia debent, subinde post obitum ea repræsentari. « Diabolus enim, inquit, et ministri ejus cum hominibus non flagellabuntur. Separata est pœna, ubi distat et culpa. » Hinc et divitem illum, qui Lazari opem imploravit, evasurum aliquando putat. Verba illius hæc sunt : « Si hoc operatur humanum examen, (ut judicis misericordiam impetrent rei, ac relegatis non in perpetuum intercludatur reditus) quanto magis Christi est omnibus expetendum? Differtur diaboli judicium, ut sit semper in pœnis reus, semper improbitatis suæ innexus catenæ, conscientiæ suæ ut in perpetuum subeat ipse judicium. Ideo dives ille in Evangelio, licet peccator, pœnalibus urgetur ærumnis, ut citius possit evadere. Diabolus autem nequaquam puniri ad judicium demonstratur, nequaquam adhuc pœnis esse subjectus, nisi quas ipse tantorum conscius scelerum solvit timore perpetuo, ne aliquando securus sit. » Auctor commentariorum in epistolam *ad Ephesios*, qui sub Ambrosii nomine vulgo editus est, ad caput secundum illius epistolæ, nescio quid ejusdemmodi posuit ad illa verba : *In magna domo non solum sunt vasa aurea, et argentea, verum et lignea, et fictilia.* « Ecclesia, inquit, quanquam sancta dicatur, habet tamen et vitiosos, et prava sentientes, sicut superius memoravimus. Quos contumelia dignos ostendit, non tamen perituros, sed purgandos per ignem; quia domui ex aliqua parte necessaria sunt. » Ex quibus liquido colligitur, auctorem commentariorum istorum non fuisse Hilarium Diaconum Luciferiani schismatis columen, ut Bellarminus in libro *de Scriptoribus*, aliique censent. Non enim homo Luciferianus talia scriberet, cum Luciferiani puram ab omni contagione peccati Ecclesiam esse oportere dixerint. Tum, quod de Novato subjicit, idipsum magis affirmat. « Novatus autem, ait, elatus superbia, ut Ecclesiæ suæ veritatem, et sanctitatem generalem defenderet, hoc modo intelligendum decrevit, quasi Ecclesia penes ipsum sit, et cunctos habeat purificatos, propter illas causas, quibus nos ut nocentes accusat. » Atqui Luciferiani idem, quod olim Novatus, asserebant, puros se esse, et ab catholica Ecclesia propterea discessisse, quod hæreticorum se communione fœdasset. Itaque non dubito, quin alius commentariorum istorum sit auctor quærendus; quod et alibi altero argumento probavimus.

Pseudo-Ambrosius non fuit Hilarius diaconus.

XIII. Gregorius deinde Nazianzenus locis

1 In *Psal.* cxviii, Oct. xx ad ver. 2.

aliquot significationem haud obscuram dat, eadem se opinione perfusum fuisse. Nam in fine orationis nonæ et tricesimæ, quæ est *In sancta lumina*, Novatianos incessens, comminatur eis, nisi resipiscant, ac nisi Christi viam incedant, supplicia post mortem, sed purgatoria, minimeque perpetua : « Atque hi quidem nostra, si velint, atque adeo Christi via, sin minus, sua insistant. Forte illic igne baptizabuntur ultimo baptismo, qui laboriosior est, et longior, quique materiam, ceu fœnum, depascitur, et omnis malitiæ levitatem consumit[a].» Apparet, damnatorum, et in alia, quam Christi, via decedentium, hoc est in hæresi morientium, pœnas nequaquam sempiternas constitui, tametsi longissimæ sint; quod etiam indicant illa verba, « consumi igne illo materiam omnem, ac peccata; » quæ purgationem, non æternam damnationem arguunt. Alludit autem ad locum illum prioris *ad Corinthios*[1], in quo igne probari opera tradit, et lignum, ac stipulam exuri ; quem locum de inferorum igne, quo damnati puniuntur, interpretantur Chrysostomus[2], Photius, Theophylactus, ac Græci quoque recentiores, ut ex actis Florentinæ synodi constat. Sed et Hieronymus loco illo citato commentariorum *ad Esaiam*.

Gregorius Nazianzenus dubitat.

XIV. Rursus idem Gregorius oratione sequenti, duo ignium genera percenset; alterum purgatorium, quod « materiæ, ac malæ affectionis absumendæ vim habet[b], » alterum minime purgatorium, sed pœnale, et sempiternum, quo utrum homines perpetuo torquendi sint, sub dubio relinquit, « Novi, inquit, et ignem non purgatorium, sed pœnalem, sive Sodomiticum, quem in omnes peccatores pluit, sulphure, et procella mistum, sive eum, qui paratus est diabolo, et Angelis ejus, sive eum, qui ante faciem Domini procedit, et inflammabit in circuitu inimicos ejus. Atque his formidabilior est adhuc ille, qui cum insomni illo verme conjunctus est, nec unquam extinguitur, verum in sceleratorum hominum pœnam sempiternus est. Hi enim omnes eam vim habent, ut perdant; nisi malit quisquiam hoc humanius, et ut puniente dignum est, intelligere[c].» Manifestum est, hoc in loco Gregorium Nazianzenum de damnatorum hominum pœnis dubitasse, utrum sempiternæ futuræ sint, an ex Dei benignitate potius æstimandæ, uti scilicet aliquando terminentur.

XV. Sic in primo *Carmine Heroico* de vita sua sub finem, de extremo judicio agens, et duplici hominum sorte, quorum alii ignibus damnabuntur, alii Dei compotes erunt; dubitat, an aliquando Dei omnes participes sint futuri.

Ὅς ῥα καὶ οὐδὲν ἐόντας ἐπήξατο, καὶ μετέπειτα
Λυομένους πήξει τε, καὶ εἰς βίον ἄλλον ἐρύσσει,
Ἢ πυρὸς, ἢὲ θεοῖο φαεσφόρου ἀντιάσοντας.
Εἰ δὲ θεοῦ, καὶ ἅπαντάς ἐσύστερον, ἄλλοθι κείσθω.

« Qui et (homines) nihil existentes composuit [et postea
Dissolutos componet, et ad vitam aliam trahet,
Aut ignis, aut Dei illuminantis participes [futuros.
Utrum autem Dei et omnes posthac, (partici- [pes erunt) alius sit sermo[4]. »

In eumdem gregem temporales damnatorum pœnas arbitrantium referri potest et Arnobius[5], qui illorum animas in ignem conjectas extingui putavit; non enim torqueri, et doloribus affici posse, si sint immortales. « Jaciuntur enim, ait, et ad nihilum redactæ interitionis perpetua frustratione vanescunt. Sunt enim mediæ qualitatis, sicut Christo auctore compertum est, et interire quæ possint, Deum si ignoraverint vitæ, et ab exitio liberari, si ad ejus semina, atque indulgentias applicarint. » At Tatianus infidelium, et pravorum animas perire cum corporibus, et cum iisdem resurgere scribit.

a Gregor. Nazianz. orat. xxxix. Οὗτοι μὲν οὖν, οἱ μὲν βούλοιντο, τὴν ἡμετέραν ὁδὸν, καὶ Χριστοῦ. εἰ δὲ μὴ, τὴν ἑαυτῶν πορευέσθωσαν. τυχὸν ἐκεῖ τῷ πυρὶ βαπτισθήσονται, τῷ τελευταίῳ βαπτίσματι, τῷ ἐπιπονωτέρῳ, καὶ μακροτέρῳ· ὃ ἐσθίει ὡς χόρτον τὴν ὕλην, καὶ δαπάνᾳ πᾶσης κακίας κουφότητα.

b Nazianz. orat. xl. Οἶδα πῦρ καθαρτήριον, etc. Ἀναλωτικὸν τοῦτο τῆς ὕλης, καὶ τῆς πονηρᾶς ἐστιν ἕξεως.

c Mox : Οἶδα καὶ πῦρ οὐ καθαρτήριον, ἀλλὰ κολαστήριον· εἴτε καὶ Σοδομιτικὸν, ὃ πᾶσιν ἁμαρτωλοῖς ἐπιβρέχει θείῳ, καὶ καταιγίδι μιγνύμενον. εἴτε τὸ ἡτοιμασμένων τῷ διαβόλῳ, καὶ τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ· εἴτε ὃ πρὸ προσώπου κυρίου πορεύεται, καὶ φλογιεῖ κύκλῳ τοὺς ἐχθροὺς αὐτοῦ· καὶ τούτων ἔτι φοβερώτερον, ὃ τῷ ἀκοιμήτῳ σκώληκι συντέτακται, μὴ σβεννύμενον, ἀλλὰ διαιωνίζων τοῖς πονηροῖς. πάντα γάρ ταῦτα τῆς ἀφανιστικῆς ἐστι δυνάμεως· εἰ μὴ τῷ φίλον καταθῦσθαι νοεῖν τοῦτο φιλανθρωπότερον, καὶ τοῦ κολάζοντος ἐπαξίως.

1 Cap. III.— 2 Hom. IX.— 3 Naz. ed. *Græco-Lat.*— 4 Lib. II.

CAPUT VIII.

Ostenditur damnatorum æterna esse supplicia, tum ex Scripturis, tum ex antiquis Patribus, et illis ipsis, qui Origeniano adspersi dogmate videbantur. Damnatorum animas fidelium precibus sublevari quidam arbitrati sunt; quæ tamen opinio refellitur.

I. Hæ sunt de statu damnatorum, ac reproborum sive Angelorum, sive hominum, abnormes antiquorum opinationes, quas et Scripturæ condemnat auctoritas, et communis Patrum consensio, et Ecclesiæ demum judicium, ac decretum.

Æternitas pœnarum probatur e Scriptura.

Quod enim ad Scripturam attinet, quid illis Judicis summi verbis expressius? *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et Angelis ejus*[1]. Hinc enim necessario concludimus, diabolum, ac dæmones omnes æternis suppliciis esse mactandos; quia æternus ignis nonnisi cruciandis in sempiternum iis, quibus paratus est, convenit. De hominibus vero damnatis aperta mox sententia sequitur. Quippe de illis loquens, qui judicati, condemnatique fuerint, ita dicit: *Et ibunt hi in supplicium æternum; isti autem in vitam æternam.* Itaque non ignis solum æternus, sed pœna ipsa, et supplicium erit æternum, ut argumentatur Augustinus[2]; qui illam superiorum, quos supra memoravi, opinionem refutat, aientium, solos infideles, et impios in perpetuum perituros; Christianos vero, qui fidem retinuerint sine operibus, temporali pœna functuros. In eos ergo sic disputat ex illo Matthæi testimonio: « Neque illud dici hic potest, in quo nonnulli seipsos seducunt, ignem æternum dictum, non ipsam combustionem æternam. Per ignem quippe, qui æternus erit, transituros arbitrantur eos, quibus propter fidem mortuam per ignem promittunt salutem, ut videlicet ipse ignis æternus sit; combustio vero eorum, hoc est operatio ignis, non sit in eos æterna; cum et hoc prævidens Dominus, sententiam suam conclusit ita dicens: *Sic ibunt illi in combustionem æternam, justi autem in vitam æternam.* Erit ergo æterna combustio, sicut ignis; et eos in illam ituros veritas dicit, quorum non fidem, sed bona opera defuisse declaravit. »

II. Videtur Augustini tempore non *supplicium æternum* apud Matthæum scriptum fuisse, sed *combustio æterna*; proindeque καῦσιν αἰώνιον, non κόλασιν, in Græco legerant; quæ vox utraque tantumdem ad pœnarum immortalitatem valet. Cæterum ii, contra quos agit Augustinus, qui christianos solos ob mala opera damnatos fidei merito salvos fore putabant, Pauli in priore *ad Corinthios* epistola testimonio nitebantur[3]; in quo eos ait, qui super unico fundamento, qui est Christus, ejusmodi opera struxerint, quæ igne ardeant, salvos fore, sic tamen, quasi per ignem. Quem locum Chrysostomus, Photius, Theophylactus de inferorum igne, ac suppliciis interpretantur quidem, sed ita, ut æterna hæc esse sentiant, idque Paulum indicare, cum ait, *Salvus erit, sic quasi per ignem*, hoc est non consumetur igne, sed integer manebit. Quam interpretationem Græci recentiores amplexi sunt, ut ex Florentinæ synodi actis intelligitur. Sed ea ex contextu ipso, ac verbis Apostoli refellitur, ut alio in loco demonstrabimus.

Item *Marci* tertio[4], de certo peccati genere agens Christus, *Qui autem*, inquit, *blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habet remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti.* Quod Matthæus ita concipit: *non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.*

De impiis porro, et infidelibus Paulus ita scribit[5]. *Qui pœnas dabunt in interitu æternas a facie Domini.* Joannes quoque de iis, qui bestiam adoraverint, quique cruciabuntur igne, et sulphure, *Et fumus*, inquit, *tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum.*

Judas apostolus de perditis quibusdam[6], *Quibus*, ait, *procella tenebrarum servata est in æternum.*

Est et *Danielis* perspicuus hac de re locus in duodecimo capite. *Et multi*, inquit, *qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alii in vitam æternam, alii in opprobrium, ut videant semper*: vel ut Hebraice legitur לדראון עולם *in contemptum sempiternum*, εἰς ὀνειδισμὸν, καὶ αἰσχύνην αἰώνιον.

III. Denique vel ipsum æternitatis nomen ad ignem additum, cui addicendi sunt reprobi, non solum dæmonibus sempiternos cruciatus allaturum esse significat, sed etiam iis, qui æterno igne damnantur. Ut, si quis æterno addici carceri dicatur, nemo aliter intelligat, quam non alteri, sed illi ipsi, cujus in

1 *Matth.* xxv, 41.— 2 Tom. IV lib. *de Fide* et oper. cap. xv.— 3 Cap. III, 15.— 4 Ver. 31.— 5 II *Thes.* I, 9.— 6 Ver. 13.

eo supplicium constituitur, fore sempiternum.

Idipsum et, quæ damnationi opponitur, salutis, ac felicitatis æternitas ostendit, quæ *vita æterna* nuncupari solet ; haud dubie, quod illi est æterna, qui ejus est particeps. Quare, qui ab æterna vita excluditur, non minus æternitate ipsa, quam vita spoliatur. Appellatur autem et regnum Dei æterna illa vita ; quo ab regno segregandos esse peccatores, velut *fornicatores*, *immundos*, et *avaros* Apostolus pronuntiat[1] : *Omnis*, inquit *ad Ephesios* scribens, *fornicator*, *aut immundus*, *aut avarus*, *quod est idolorum servitus*, *non habet hæreditatem in regno Christi*, *et Dei*; vel, ut *ad Corinthios* scribit, *regnum Dei non possidebunt*. Itaque neque æternitatis beatæ erunt compotes, neque regnum possidebunt ; quod, ut ex omni æternitate paratum est iis, qui in illud admittuntur, sic per omnem æternitatem obtinebitur. Falsum autem esset, quod Paulus scripsit, si impii, ac peccatores regnum illud Dei tandem aliquando possiderent, et hæreditatem illam haberent.

IV. Hoc genere argumenti, quo ex alterutrius æternitate alterius æternitas colligitur, usus est Hilarius canone quinto in *Matthæum* : « Igitur, inquit, requies nulla gentibus, neque mortis, ut volunt, compendio quies dabitur. Sed corporalis et ipsis æternitas destinabitur, ut ignis æterni sit in ipsis æterna materies, et in universis sempiternis exerceatur ultio sempiterna. Si igitur gentibus idcirco tantum indulgetur æternitas corporalis, ut mox igni judicii destinentur ; quam profanum est sanctos de gloria æternitatis ambigere, cum iniquis æternitatis opus præstetur ad pœnam ? » Quod autem Hilarius hic de gentilium sempiterno supplicio disserit, id aliis in locis de peccatoribus universe, cæterique itidem Patres affirmant ; quos cum singillatim recensere longum, ac fastidii, ut in re clara, neque hac ætate dubia, plenissimum sit ; non omnes tamen licet prætermittere. Itaque paucissimos, et ex antiquioribus fere, commemorabo breviter, quorum auctoritate instructus possit esse theologus.

1° Probatur ex Patribus.

Justinus martyr in *Apologetico* utroque, tam diabolum, ac dæmones, quam, qui eos secuti fuerint, homines in sempiternum igne puniendos esse prodidit ; cujus verba capite IV supra descripsimus.

Irenæus in quarto libro[2], « Quibuscumque, inquit, dixerit Dominus, *Discedite a me maledicti in ignem æternum*, isti erunt semper damnati ; et quibuscumque dixerit, *Venite benedicti Patris mei*, *percipite hæreditatem regni quod præparatum est vobis in sempiternum*, hi semper percipiunt regnum, et in eo proficiunt. » Tum in quinto fusius id enarrat, et ait inter cætera : « Æterna autem, et sine fine sunt a Deo bona ; et propter hoc et amissio eorum æterna, et sine fine est. Quemadmodum in immenso lumine, qui excæcaverunt semetipsos, vel ab aliis excæcati sunt, semper privati sunt jucunditate luminis [a]. »

V. Clemens Romanus a Damasceno citatus in *Eclogis*, impiarum animarum sempiternas pœnas ita prædicat : « Immortales, inquit, omnes animæ sunt et impiorum ; quibus melius foret non incorruptibilibus esse. Nam pœna sempiterna ab inextinguibili igne punitæ, neque morientes, magno suo malo, nullum finem obtinere possunt [b]. » Theophilus *ad Autolycum* : « Deo fidem habeo, lubenti animo ei obtemperans, cui te quoque hortor, ut obedias, ne, si nunc incredulus es, aliquando credere cogaris magno tuo malo, subditus pœnis sempiternis [c]. » Mox æternas istas pœnas a prophetis didicisse poetas, asserit.

Cæterum Justini ejusdem ab Irenæo citatum de æterna diaboli damnatione testimonium eodem illo capite IV produximus ; tum etiam Tatiani, qui fuit Justini discipulus.

Tertullianus in *Apologetico*[3], piis, ac bonis « vitæ æternæ retributionem » destinatam asserit, profanis vero « ignem æque perpetem ac jugem. » Et apertius postea [4] : « Enimvero nos, qui sub Deo omnium speculatore dispungimur, quique æternam ab eo pœnam providemus, merito soli innocentiæ occurrimus, et pro scientiæ plenitudine, et pro latebrarum difficultate, et pro magnitudine cruciatus non

a Iren. lib. V, cap. xxvii. Αἰώνια δὲ, καὶ ἀτελεύτητα παρὰ θεοῦ τὰ ἀγαθά. καὶ διὰ τοῦτο καὶ ἡ στέρησις αὐτῶν αἰώνιος καὶ ἀτελεύτητος· ὡς διηνεκοῦς τοῦ φωτὸς ὄντος οἱ τυφλώσαντες ἑαυτοὺς, ἢ καὶ ὑπὸ ἄλλων τυφλωθέντες διηνεκῶς ἀποστεροῦνται τῆς τοῦ φωτὸς ἀπολαύσεως.

b Clemens apud Damasc. littera ψ. tit. I. Ἀθάνατοι πᾶσαι αἱ ψυχαὶ καὶ τῶν ἀσεβῶν· αἷς ἄμεινον ἦν μὴ ἀφθάρτους εἶναι· κολαζόμεναι γὰρ ὑπὸ τοῦ ἀσβέστου πυρὸς ἀπεράντῳ τιμωρίᾳ, καὶ μὴ θνήσκουσαι ἐπὶ κακῷ τῷ ἑαυτῶν τέλος λαβεῖν οὐκ ἔχουσι.

c Theoph. in calce lib. I. Ἀλλὰ πιστεύω πειθαρχῶν θεῷ, ᾧ, εἰ βούλει, καὶ σὺ ὑποτάγηθι, πιστεύων αὐτῷ, μὴ νῦν ἀπιστήσας πειθῇς ἀνιώμενος τότε ἐν αἰωνίαις τιμωρίαις.

1 *Eph.* v, v et 1 *Cor.* vi, 9. — 2 Cap. xlvii. — 3 Cap. xiii. — 4 Cap. xlv.

diuturni, verum sempiterni, eum timentes, » etc. At idem antea dæmones esse dixit[1], « ob malitiam prædamnatos in eumdem judicii diem cum omnibus cultoribus, et operatoribus suis. » Quare perinde, atque homines, æternis suppliciis macerandos dæmonibus Tertullianus credidit. Ad hæc in libro *de Testimonio animæ*, capite quarto, animam ait, « pro meritis aut cruciatui destinari, aut refrigerio, utroque sempiterno. » De dæmonibus quoque ejusdem est Tertulliani locus insignis in libro *de Carne Christi*, capite XIV ubi nonnullos arguit, qui Angelum a Christo susceptum putabant : « Homo perierat, inquit, hominem restitui oportuerat. Ut Angelum gestaret Christus, nihil tale de causa est. Nam, etsi Angelis perditio reputatur in ignem præparatum diabolo, et Angelis ejus ; nunquam tamen illis restitutio repromissa est. Nullum mandatum de salute Angelorum suscepit Christus a Patre. Quod Pater neque repromisit, neque mandavit, Christus administrare non potuit. »

VI. Minucius Felix inferorum cruciatus tam in puniendo diabolo, ac dæmonibus, quam hominibus, sempiternos fore elegantissime testatur his verbis : « Et tamen admonentur homines doctissimorum libris, et carminibus poetarum, illius ignei fluminis, et de Stygia palude sæpius ambientis ardoris, quæ cruciatibus æternis præparata, et dæmonum indiciis, et de oraculis prophetarum cognita tradiderunt. Et ideo apud eos etiam ipse rex Jupiter per torrentes ripas, et atram voraginem jurat religiose. Destinatam enim sibi cum suis cultoribus pœnam præscius perhorrescit. Nec tormentis aut modus ullus, aut terminus. Illic sapiens ignis membra urit, et reficit, carpit et nutrit, sicut ignes fulminum corpora tangunt, nec absumunt : sicut ignes Ætnæ, et Vesuvii montis, et ardentium ubique terrarum flagrant, nec erogantur ; ita pœnale illud incendium non damnis ardentium pascitur, sed inexesa corporum laceratione nutritur. »

Cyprianus in calce libri *ad Demetrianum* : « Quando istinc excessum fuerit, nullus jam pœnitentiæ locus est, nullus satisfactionis effectus ; hoc vita aut amittitur, aut tenetur. »

VII. Lactantius in secundo libro secundam mortem[2], id est damnationem, sempiternam statuit, atque ita definit : « Mors est æterni doloris perpessio ; vel ita, Mors est animarum pro meritis ad æterna supplicia damnatio. » Et in septimo libro, diabolum, ejusque ministros, et impios omnes « perpetuo igni cremandos in æternum » scribit. Item eodem libro[3] : « Qui maluerit, inquit, bene vivere ad tempus, male vivet in æternum. Damnabitur enim sententia Dei ad æternam pœnam, quia cœlestibus bonis terrena præposuit. » Hilarius præterea canone XXVII *in Matth.* fidelium etiam, qui in peccatis moriuntur, desperatam esse salutem, perspicue declarat, cum de servo illo loquens, qui per absentiam heri sui, insolenter in domo se gerit, « Quod si contuens, inquit, longam Dei patientiam, quæ in profectum humanæ salutis extenditur, adversum conservos insolescet, et sæculi malis, vitiisque se tradet ; præsentium tantum curam in cultu ventris exercens, desperata die Dominus adveniet, eumque a bonis, quæ sponderat, dividet, portionemque ejus cum hypocritis in pœnæ perennitate constituet, quia mandatis non obtemperaverit, quia præsentibus studuerit, quia vita gentium vixerit. »

Et mox, iisdem peccatoribus, quos quinque fatuæ virgines adumbrant, nullum post mortem superesse pœnitentiæ tempus affirmat. Idem et ad *Psalmum* septimum et quinquagesimum perspicua oratione declarat.

Etiam ex illis qui Origeniana labe aspersi videbantur.

VIII. Quinetiam illi ipsi veteres, qui in absurda illa, quam superiori capite retuli, opinione censentur, catholico dogmati favent interdum. Origenes certe homilia VII *in Exodum*, « Audi, inquit, de peccatoribus, et iis, qui præsens sæculum diligunt, quæ sit Prophetæ sententia. *Vermis enim*, inquit[4], *eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur.* Isti sunt vermes, quos generat avaritia ; isti sunt vermes, quos generat divitiarum cæca cupiditas, » etc. Si avarorum, etc. aliorum peccatorum vermis non moritur, neque ignis extinguitur, pœna debet esse sempiterna.

Apud Gregorium Nyssenum in oratione de his, qui differunt baptisma, locus est, in quo iis qui sine baptismo moriuntur, spem salutis eripit, quam videtur iis, qui in peccato decedunt post baptismum, non prorsus abnegare : « In electione, ait, malorum magis est eligendum, ut salutare lavacrum assecutus rursus sic in peccato, quam ut gratiæ expers vitam finiat. Nam peccatum quidem veniam fortasse consequetur, aut clementiam, cujus magna spes est apud bonos ; alteri autem est

1 Cap. XXIII.— 2 Cap. XII.— 3 Cap. V Vide eumdem lib. I, cap. VI et lib. VI, cap. IV et lib. *de Ira Dei*, cap. XXI.— *Esa.* LXVI.

omnino vetita salus ex certa, ac definita sententia [a]. »

Gregorius Nazianzenus in *Iambico Carmine* XIX, vermem, qui apud inferos rodit, describens :

Σκώληξ ἐκεῖθεν ἐσθίων ἀϊδίως.

« At vermis illinc perpeti morsu premens. »

Idem etiam alibi eorum, qui in divino judicio condemnati fuerint, nullo fine terminandas esse pœnas luculenter, fuseque disputat. Ut cum ait, « in illis suppliciis pœnæ tempus esse, non purgationis. Quemadmodum enim qui Deo memor hic est, morte superior est, idque a Davide optime dictum est ; ita iis, qui e vita excesserint, non est in inferno confessio, nec morum correctio. Hic enim Deus vitam, et actionem, illic rerum gestarum censuram conclusit [b]. » Addit, post judicium neque pœnitentiæ locum esse, neque oleum impetrare fatuas virgines. Denique damnatis restare « tormenta, et, quod supra omnia est, abjici a Deo, et conscientiæ pudorem, qui nullo fine claudatur [c]. »

IX. Ambrosius perinde æternas pœnas impiorum constituere videtur, cum in septimo commentariorum *in Lucam* [1], vermem et ignem, de quo Esaias ita loquitur [2], *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur*, de damnatorum suppliciis exponit. et libro secundo *de Fide* capite quarto [3] : « Tu te a diabolo creatum Manichæe arbitraris, inquit. Ad illius ergo festina sedem, ubi ignis et sulphur, ubi non restinguitur ejus incendium, nec unquam pœna moritur. »

Nec minus diserte in commentariis *ad Psalmum* CXVIII [4]. « Scientes igitur, inquit, in æternum mansura judicia omnia justitiæ Dei, caveamus, ne opera nostra displiceant, et in æternum incipiamus subire judicium. » Et in libro *de Bono mortis*, capite secundo, « Qui hic non acceperit remissionem peccatorum, illic non erit. Non erit autem, qui ad vitam æternam non potuerit pervenire, quia vita æterna remissio peccatorum est. » Vide eumdem in libro *de Symbolo*, capite XXIII, et XXV.

Sic Hieronymus in commentario *ad Matthæum* verba illa declarans [6], *Et ibunt hi in supplicium æternum ; justi autem in vitam æternam*, universe ita pronuntiat : « Prudens lector adverte, quod et supplicia æterna sint, et vita perpetua metum deinceps non habeat ruinarum. » Ad Esaiam vero scribens contra eos invehitur, qui diabolo pœnitentiam promittunt : « Ubi sunt ergo, qui dant diabolo pœnitentiam, et dicunt, illum posse mutari? » Nec non ad ejusdem prophetæ cap. XXVII, et *Danielis* tertium. Et in *Jonæ* caput tertium, Origenianam ἀποκατάστασιν dæmonum, ac damnatorum omnium copiose redarguit : « Sed hoc, inquit, quia Scriptura sancta non dicit, (nimirum neque diabolum, neque rationabilem ullam creaturam perituram, ideoque etiam diabolum acturum pœnitentiam) et evertit penitus timorem Dei, dum facile homines labuntur ad vitia, putantes, etiam diabolum, qui auctor malorum est, et omnium peccatorum fons, acta pœnitentia posse salvari, de nostris mentibus abjiciamus ; et sciamus, peccatores in Evangelio mitti in ignem æternum [7], qui præparatus sit diabolo et Angelis ejus, et de his dici ; *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur* [8]. » *Redintegrationem*

X. Omitto cætera, quæ contra hunc errorem latius edisserit ; quorum hoc præcipuum, absurdum videri, imo impium, putare, idem fore aliquando Gabrielem, quod diabolum, apostolos, quod dæmones, prophetas, quod pseudoprophetas, martyres, quod persecutores, matrem denique Domini, quod victimas libidinum publicarum ; ac demum, « Finge inquit, quotlibet annos, et tempora duplica, et infinitas ætates congere cruciatibus ; si finis

a Nyssen. Αἱρετώτερον ἐν κακῶν ἐκλογῇ ἀξιωθέντα τινὰ τοῦ σωτηρίου λουτροῦ, γενέσθαι πάλιν ἐν ἁμαρτήμασι, ἢ τῆς χάριτος ἀμέτοχον τελευτῆσαι τὸν βίον. τὸ μὲν γὰρ πλημμέλημα τυχὸν καὶ συγγνώμης, καὶ φιλανθρωπίας ἀξιωθήσεται, ἧς πολλὴ παρὰ τῶν ἀγαθῶν ἐλπίς· τὸ δὲ παντάπασιν ἀπηγορευμένην ἔχει τὴν σωτηρίαν ἐξ ἀποφάσεως ὡρισμένης.

b Nazianz. orat. XV et seq. Ἡνίκα κολάσεως καιρὸς, οὐ καθάρσεως. ὥσπερ γὰρ θανάτου κρείττων ὁ ἐνταῦθα θεοῦ μνημονεύων, καὶ κάλλιστα τῷ θεῷ Δαβὶδ τοῦτο πεφιλοσόφηται· οὕτως οὐκ ἔστιν ἐν ᾅδῃ τοῖς ἀπελθοῦσιν ἐξομολόγησις, καὶ διόρθωσις, συνέκλεισε γὰρ ὁ θεὸς ἐνταῦθα μὲν καὶ βίον, καὶ πρᾶξιν, ἐκεῖ δὲ τὴν τῶν πεπραγμένων ἐξέτασιν.

c Ibid. Τοῖς δὲ μετὰ τῶν ἄλλων βάσανος· μᾶλλον δε πρὸ τῶν ἄλλων, τὸ ἀπερρίφθαι θεοῦ, καὶ ἡ ἐν τῷ συνειδότι αἰσχύνη πέρας οὐκ ἔχουσα.

1 Ad cap. XIV *Lucæ* sub. fin.— 2 Cap. LXVI.— 3 Col. 142.— 4 Octon XX in fin.— 5 Ad cap. XXIV, vers. 45.— 6 Cap. XIV, ver. 20.— 7 *Matth.* XXV.— 8 *Esa.* LXVI.

omnium similis est, præteritum omne pro nihilo est, quia non quærimus, quid aliquando fuerimus, sed quid semper futuri simus. » In apologia quoque prima *contra Ruffinum*, hæresim vocat opinionem illam, quæ ex Angelis dæmones, et rursum ex dæmonibus Angelos fieri dicit, et « animas hominum ita, ut conditæ, non in Angelos, sed in id, quod a Deo sint conditæ, reformari ut et justi, et peccatores æquales fiant. » Et in epistola CLII, « Oportet enim, corruptibile istud induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem, ut possit in utramque partem, vel in pœnis, vel in cœlorum regno manere perpetuo.» Tum ad quintum *Esaiæ*[1], « infernum, ait, devorare in perpetuum puniendos.» Et paulo post de peccatoribus, etiam Christianis, « Fame, inquit, et siti pereunt bonorum operum, atque virtutum; et detrahentur in gehennam, ibique æternis cruciatibus deputati potentiam et superbiam miseria cernent, et humilitate mutari. »

Quamobrem constat, Hieronymum, et si qui alii sunt ex sanctis illis Patribus, qui scriptis suis Origeniana illa dogmata, velut nævos quosdam intexuerunt, hæc aliud agentes ex Origenis lectione traxisse, atque identidem emendasse.

XI. Quod ad Ruffinum spectat, quem diabolicæ salutis suspectum facit Hieronymus[2], is istam a se suspicionem strenue propulsat in priore *Invectiva*. Et in symbolo, hæresis notam inurit, asserentibus, « diabolum a debita absolvi damnatione pœnarum. » De hominibus vero damnatis in eodem Symbolo non satis liquido, quid sentiret, exposuit. Nam resurrectionem fore dicit omnium, « Justorum quidem, ut semper possint permanere cum Christo; peccatorum vero, ut absque interitione sua debitas luant pœnas. » Et, « Dabitur etiam peccatoribus incorruptionis, et immortalitatis ex resurrectione conditio, ut sicut justis Deus ministrat ad perpetuitatem gloriæ, ita peccatoribus ad prolixitatem confusionis ministret, et pœnæ. » Hæc ambigua videri possunt, quia perpetuitatem pœnarum non perinde, ac felicitatis exprimunt. Unum hoc apertius est, quod Danielis verba illa eodem accommodat. *Tunc resurgent, qui sunt in terræ pulvere; hi quidem in vitam æternam, hi autem in opprobrium, et confusionem æternam*[3]. Quanquam et subdole interpretari ista potuit. At in apologia, quam ad Anastasium Papam scripsit, « De quo, inquit, illud sentimus, quod scriptum est in Evangelio, quia et ipse diabolus, et omnes angeli ejus, cum his, qui opera ejus faciunt, id est, qui criminantur fratres, cum ipso pariter æterni ignis hæreditate potietur, (ita legit Hieronymus, cum vulgo exstet, hæreditatem patietur.) Si quis ergo negat, diabolum æternis ignibus mancipandum partem cum ipso æterni ignis accipiat, ut sentiat, quod negavit. » Hic de diabolo, plane; de hominibus non adeo perspicue loquitur, ut non calumniæ locus esse possit. Nam potuit æternos ignes intelligere, qui dæmones in æternum exurant, non item homines. Quin et Hieronymus hanc ipsam de dæmonibus professionem tanquam dubiam redarguit, et in ea « sublevari diabolum, ait, cum iisdem, quibus homines Christiani, ignibus puniendus sit. » Quæ non satis assequor; videntur enim hoc docere, diversos ignes fore, quibus diabolus cruciandus est, ab iis, quibus Christiani damnantur; quod Evangelio repugnat. Sed Ruffinum omittamus.

XII. Jam Patrum cæterorum, Græcorum, Latinorumque de pœnarum perpetuitate, quibus dæmones, hominesque plectuntur, evidens, ac certa sententia est; e quibus aliquos recensere pergam.

Lucifer Calaritanus libro primo *pro S. Athanasio* : « Quæso, quid si aliud dicere, damnate eum, quem scitis innocentem; facite contra Dei mandata, etc. nisi vobis ipsis vitam auferte: sumite perpetuam mortem, etc. desiderate esse cum omnibus, qui sunt semper dantes pœnas, etc. Hæc sunt præmia, quæ tua egregia conquirunt consilia; hæc illa optima, quæ mortem pariunt sempiternam. » Et alibi[5]: « Te enim cum temporali, caduco, fragili, corruptibili regno tuo transiturum, et ad æternam pœnam, nisi tibi, dum est locus, provideris, perventurum. » Et, « Vult nos Deus mortem morte dissolvere; tormentis temporariis æterna cruciamenta discutere; supplicia futura perpetua tuis suppliciis evacuare; » et paulo post: « Tibi vero injustissimo persecutori nostro venturum sine fine supplicium scire debes. »

Didymus in libro tertio *de Spiritu sancto* : « De supernis, inquit, et divinis lapsus ad prava, ad æternam pœnam deducit, et barathrum. »

Auctor commentariorum in epistolas Pauli, sub Ambrosii nomine, in caput secundum

1 Hieron. in V *Esa.* col. XLIII. — 2 *Apol.* II.— 3 *Dan.* XII.— 4 *Apal.* II.— 5 In lib. *Moriend. esse pro Dei fil.*

epistolæ *ad Romanos*, « Necesse est, inquit, severiori pœna ut plectatur, imo flammis perennibus torqueatur, qui longa Dei patientia non solum se emendare noluit, sed adhuc addens ad comtemptum, exaggeravit peccata. »

Julius Firmicus libro *de Errore profanarum religionum*, capite XIX. « Singulorum, ait, pari gratia merita pensantur. Illi vita confertur propter hujus sæculi mala : tibi, propter hujus sæculi bona, perpetua tormentorum pœna decernitur. »

XIII. Nemesius Christianus philosophus in libro *de Natura hominis*, capite primo, solis concessam hominibus ait peccatorum veniam, quandiu in hac vita degunt ; at neque Angelis ullo tempore, neque hominibus post mortem pœnitentiæ, indulgentiæque esse locum : « Soli, inquit, homini datum hoc est et omni, et semper, per id tempus, quo in mundo versatur ; (ut pœnitentia peccata diluat) post mòrtem vero non datur [a]. » Cur autem Angelis, postquam exciderunt, non idem tributum sit, causam etiam affert, quod propter naturæ præstantiam, et molis, ac corporis expertem statum minus in peccando excusationis habuerint.

Basilius in *Exhortatione ad baptismum*, voluptatem vocat « nutricem vermis perpetui [b]. » Et sub finem, damnatæ, ac sero resipiscentis animæ querelam hanc memorat : « Ob brevem peccati voluptatem æternum crucior. »

Sic in homilia ad *Psalmum* tertium et tricesimum, de extremo judicio, et quidem de Christianis exercendo, disserens, ac consequente damnatione, pœnam illam ex omnibus acerbam maxime, et intolerabilem fore dicit, « probrum illud, et pudorem sempiternum [c]. » Quæ sunt Danielis prophetæ verba [1].

XIV. Pacianus Barcinonensis episcopus in *Parænesi ad pœnitentiam* : « Post animarum tempestiva supplicia, redivivis quoque perpetua corporibus pœna servatur. » Et mox, « Mementote fratres, quia apud inferos exhomologesis non est ; nec pœnitentia tunc tribui poterit, consumpto tempore pœnitendi. »

Prosper in primo *de Contemplativa vita* [2]. « Ut jam nec renumerati præmium finiant, inquit, nec damnati supplicium ; quandoquidem propterea incorruptio, et immortalitas dabitur etiam corporibus miserorum, ut nec ipsi æternam finiant, nec ipsos consumat immortalis pœna, sed puniat. » Hanc esse Catholicæ fidem Ecclesiæ adeo, ut vel dubitare sit nefas, affirmat Fulgentius in libro *de Fide ad Petrum* [3] : « Firmissime, inquit, tene, et nullatenus dubites, ex ore Dei, justi, æternique judicii sempiterna, atque incommutabili prolata sententia, iniquos omnes ituros in combustionem æternam, justos autem in vitam æternam. Iniquos semper arsuros cum diabolo ; justos autem regnaturos sine fine cum Christo. » Vide et secundum librum ejusdem *de Remissione peccatorum* [4] ; ubi et causam æternitatis illius exponit [5].

Leo Papa sermone IV *de Collectis*, et hominibus « præcipitia perpetuæ mortis » proposita esse dicit ; et diabolum conari « in consortium damnationis suæ illos trahere, ad quorum ipse reconciliationem pertinere non possit. » Valerianus homilia prima. « Quia, quos ista temporalis non affligit pœna, hos illa in æternum insatiabili tormentorum persequitur dolore. »

Basilius Imperator in *Parænesi ad Leonem filium*, veram et catholicam professionem hac sententia profitetur : « Nam neque bonorum præmia interitura esse cogites ; neque malorum supplicia finem unquam habitura. Utraque enim perpetuo manebunt, et ambo nullo fine terminabuntur [d]. »

Joannes Jejunator in homilia *de Pœnitentia*, « Igitur cujusmodi, inquit, erit judicium Dei, quod non solum in annos quinquaginta sed in infinita sæcula pœnas extendit [e] ? » Item : « Demus, toto nos vitæ tempore nihil nisi voluptatibus indulgere ; quid hoc ad sæcula finem nullum habitura ? Hic bona pari-

a Nemes. Καὶ γὰρ μόνῳ τῷ ἀνθρώπῳ τοῦτο δεδώρηται, καὶ παντὶ, καὶ ἀεὶ παρὰ τὸν καιρὸν τῆς ἐγκοσμίου ζωῆς· μετὰ δὲ θάνατον οὐκέτι.

b Basil. Ἡδονὴ τροφὸς τοῦ αἰωνίου σκώληκος. Ibid. Διὰ πρόσκαιρον ἁμαρτίας ἀπόλαυσιν ἀθάνατα βασανίζομαι.

c Idem, *in Psal.* XXXIV. Εἶτα τὴν πασῶν χαλεπωτάτην κόλασιν, τὸν ὀνειδισμὸν ἐκεῖνον, καὶ τὴν αἰσχύνην τὴν αἰώνιον. Vide et tom. II lib *ad Virg. lap.* et lib. *de Vera fide.*

d Basil. Imp. c. IV. Μήτε γὰρ τὰ τῶν ἀγαθῶν γέρα λογίζου θνητὰ, μήτε μὴν τὰς τῶν φαύλων κολάσεις τέλος δέξασθαί ποτε. ἀμφότερα γὰρ αἰωνίαν ἔχει τὴν διαμονὴν, καὶ ἐν ἀμφοτέροις ἔσται τὸ ἀτελεύτητον.

e Joannes. Ἆρα ποταπὸν ἔσται τὸ τοῦ θεοῦ δικαστήριον τὸ μὴ μόνον εἰς πεντήκοντα ἔτη, ἀλλ' εἰς ἀπείρους αἰῶνας ἐκτεῖνον τὴν κόλασιν ;

1 *Dan.* XII.— 2 Cap. III.— 3 Cap. XLIII.— 4 Cap. XIII et XV.— 5 Cap. XXI.

ter et mala exitum habeant ; ibi vero immortales pœnæ sunt [a]. »

XV. Verum tres præ cæteris copiose de hac re disputarunt, Gregorius Papa, Augustinus, et Chrysostomus. Primus in libro *Moralium* quarto et tricesimo, toto capite XVI; ubi contra Origenistarum hunc errorem, tanquam fidei catholicæ contrarium, fuse disputat. Et in quarto *Dialogorum*, capite XLIV; tum passim alibi, idque brevius, ut in octavo *Moral.* capite octavo, et in nono libro, capite XXXVIII. Augustinus vero in vicesimo primo *de Civitate Dei*, multis capitibus. Quo etiam in libro *Ecclesiæ fidei* [1], et Scripturæ auctoritati adversari demonstrat illos, qui vel diabolo et angelis ejus, vel eodem cum iis judicio damnatis hominibus salutem pollicentur. Quemadmodum et in libro *de Hæresibus ad Quodvultdeum* [2], « inter Origeniana dogmata, quæ catholica Ecclesia omnino non recipit, » illud recenset. Atque in primo quidem et vicesimo *de Civitate Dei* docet, idcirco neque pro diabolo, et angelis ejus, neque pro damnatis Ecclesiam orare, nec pro illis exaudiri fidelium preces ; quod etiam in libro de *Cura pro mortuis agenda* latius disputat, ubi neque Sanctorum preces, quorum in memoriis illorum cadavera sepulta sunt, neque altaris sacrificia, neque orationes, vel eleemosynas fidelium prodesse quicquam iis ostendit, qui inferorum cruciatibus adjudicati sunt ; sed « eis solum, qui, cum viverent, ut hæc sibi postea prodesse possent, meruerunt, » ut ait in *Enchiridio ad Laurentium* [4]. Vide quæ scribit idem in libro XXII *de Civitate Dei*, capite primo ; et libro XXXIII *contra Faustum*, capite IV. Et epistolam XLIX quæstione IV et in libro *ad Dulcitium*, tomo IV: De dæmonibus item præcipue in libro *ad Orosium* contra Priscillianistas, et Origenistas, capite V, et epistola CVII.

XVI. Quanquam in *Enchiridio*, damnatorum animas, etsi non omnino a pœnarum æternitate solvantur, sublevari tamen istis vivorum auxiliis, eorumque mitigari supplicia credit. « Cum ergo sacrificia sive altaris, sive quarumcumque eleemosynarum, ait, pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro non valde malis propitiationes sunt ; pro valde malis, etsi nulla sunt adjumenta mortuorum, qualescumque vivorum consolationes sunt. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certe tolerabilior fiat ipsa damnatio, » Et in cap. CXII de hoc *Psalmi* septuagesimi septimi versu agens, *Non enim obliviscetur miscreri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas ;* sic eum interpretari vetat, ut damnatos e pœnis eximi aliquando putemus ; concedit autem, ut mitigari aliquantum eas arbitremur. « Sed pœnas, ait, damnatorum certis temporum intervallis existiment, si hoc eis placet, aliquatenus mitigari. Etiam sic quippe intelligi potest manere in illis ira Dei, hoc est ipsa damnatio. Hæc enim vocatur ira Dei, non divini animi perturbatio, ut in ira sua, hoc est manente ira sua, non tamen contineat miserationes suas, non æterno supplicio finem dando, sed levamen adhibendo, vel interponendo cruciatibus. »

XVII. Ab hac opinione non videtur abhorrere Chrysostomus ; qui, cum plerisque locis, sempiternas esse dæmonum, ac damnatorum pœnas egregie disserat, præsertim vero homilia nona in priorem *ad Corinthios*, et homilia XXI in *Acta*, et homilia XIII in epistolam *ad Philippenses*, et aliis in locis [5] ; tamen homilia tertia in epistolam *ad Philippenses* ait, fidelium preces, eleemosynas, et sacrificia, quæ pro mortuis in Ecclesia fieri solent, exiguum aliquod damnatis afferre solatium. Hortatur enim populum, ut in luctu mortuorum moderetur sibi, ac deflendos quidem, et perpetuo planctu prosequendos eos, qui in peccatis obierunt, velut infideles, catechumenos, divites ; qui cum peccatis suis compensare caritatis, et largitatis officia noluerunt ; atque hos ipsos duntaxat, qui cum fide Christiana decesserunt, levi illo quidem, sed nonnullo tamen solatio juvandos. « Ploremus igitur, inquit, istos, opitulemur ipsis pro viribus, excogitemus opem illis aliquam, parvam quidem, sed quæ juvare nihilominus possit. Quinam istud, et qua ratione ? Ut et oremus ipsi, et alios hortemur, ut pro illis orationes faciant, et pauperibus pro illis largiamur assidue. Affert ea res solatii aliquid. » Mox de catechumenis ista nectit : « Verum hoc quidem pro iis agendum, qui in fide

damnatis
oncedatur
aliqua
œnarum
iminutio.

a Ibid. Δεδόσθω γὰρ, ὅτι ὅλην ἑαυτῶν τὴν ζωὴν ἡδονῇ μόνῃ σχολάζομεν, τί πρὸς τοὺς ἀτελευτήτους αἰῶνας ; ἐνταῦθα καὶ τὰ ἀγαθὰ, καὶ τὰ κακὰ τέλος ἔχει· ἐκεῖ δὲ ἀθάνατοι αἱ κολάσεις.

Cap. XXIII et XXIV.— 2 Cap XLV.— 3 Tom. IV.— 4 Cap. CX.— 5 Ut Hom. III in II *ad Thes.* Hom. IX in I *ad Tim.* et in I. I *ad Th.* lap.

decesserunt. At Catechumeni ne hoc quidem solatium percipiunt; sed ea omni ope destituuntur, una tantum excepta. Qua tandem? Licet pauperibus pro ipsis erogare. Nonnullam ea res consolationem ipsis tribuit [a]. »

XVIII. Ergo preces, et sacrificia, et largitiones in pauperes, fideles damnatos nonnihil sublevant, ut levius tantummodo torqueantur; catechumenis vero solæ eleemosynæ opem afferunt, si vere ista scripsit Chrysostomus*. Est non absimilis ea de re opinio Joannis Damasceni in libro *de Defunctis*. In quo etiam damnatorum animas utilitatis aliquid, et laxamenti capere vivorum ex precibus, ac piis operibus ostendit, etsi post judicium nulla sit salus adhibenda damnatis.

Denique Prudentius in hymno quinto τῶν Καθημερινῶν per festum Paschale, dæmonibus, et inferorum incolis pusillum requietis, et relaxationis indulgeri versibus istis cecinit.

« Sunt et spiritibus sæpe nocentibus
Pœnarum celebres sub Styge feriæ
Illa nocte, sacer qua rediit Deus
Stagnis ad superos ex Acheruntiis, etc.
Marcent suppliciis Tartara mitibus,
Exultatque sui carceris otio
Umbrarum populus liber ab ignibus;
Nec fervent solito flumina sulphure. »

Hæc opinio a communi fidelium sensu nunc abhorret etsi de hac nihil sit decretum ab Ecclesia.

De hac damnatorum saltem hominum respiratione nihil adhuc certi decretum est ab Ecclesia catholica, ut propterea non temere, tanquam absurda, sit explodenda sanctissimorum Patrum hæc opinio, quamvis a communi sensu catholicorum hoc tempore sit aliena. Et vero maximum adversus illam præjudicium est, quod nunquam Ecclesia pro damnatis orare consuevit; quod profecto faceret, si levari saltem illorum cruciatus possent, etsi penitus terminari non possent. Quo argumento utitur Julianus libro secundo *Prognosticon*, capite XXV. At superior illa ex Origenis officina edita damnatorum restitutio, prorsus ab usu Christianorum rejecta in hæresim abiit; etenim inter Origenianos errores in quinta synodo damnata est, ut supra meminimus, et tum Scripturæ sacræ disertis testimoniis, tum Patrum sententiis confossa, jamdudum conticescit.

a Chrys. Κλαίωμεν οὖν τούτους· βοηθῶμεν αὐτοῖς κατὰ δύναμιν· ἐπινοήσωμεν αὐτοῖς τινα βοήθειαν, μικρὰν μὲν, βοηθεῖν δὲ ὅμως δυναμένην· πῶς, καὶ τίνι τρόπῳ; αὐτοί τε εὐχόμενοι, καὶ ἑτέρους παρακαλοῦντες εὐχὰς ὑπὲρ αὐτῶν ποιεῖσθαι· πένησιν ὑπὲρ αὐτῶν διδόντες συνεχῶς. ἔχει τινὰ τὸ φρᾶγμα παραμυθίαν.

Mox : Ἀλλὰ τοῦτο μὲν περὶ τῶν ἐν πίστει παρελθόντων· οἱ δὲ καὶ κατηχούμενοι οὐδὲ ταύτης καθαξιοῦνται τῆς παραμυθίας· ἀλλὰ ἀπεστέρηνται πάσης τῆς τοιαύτης βοηθείας, πλὴν μιᾶς τινος. ποίας δὴ ταύτης; ἔνεστι πένησιν ὑπὲρ αὐτῶν διδόναι. ποιεῖ τινα αὐτοῖς παραψυχὴν τὸ πράγμα.

* Aliter Chrysostomum interpretari, seu potius torquere studuit P. Patuzzius in citato opere *de futuro impiorum statu* (Lib. III c. XII n. 14.) Nolim ego in Chrysostomi mente frustra expendenda immorari. Illud aio, etsi Patres aliqui idem, quod Petavio visus fuit sensisse Chrysostomus, sunt opinati, Ecclesiam tamen universam ab ea admodum abhorruisse sententia. « Est enim, ut cum B. Thoma Aquinate loquar apud Berlendi (*De oblationibus ad Altare* c. III n. 11 pag. 82) prædicta opinio præsumptuosa utpote Sanctorum (intellige plerosque) dictis contraria, et vana, nulla auctoritate fulta, et nihilominus irrationabilis; tum quia damnati in inferno sunt extra vinculum Caritatis, secundum quam opera vivorum continuantur defunctis: tum quia totaliter ad Vitæ terminum pervenerunt, recipientes ultimam pro meritis retributionem. » Scio equidem in pluribus vetustis Missalibus Missam exstare, cujus ope sublevandas damnatorum pœnas existimasse olim aliqui videntur. Johannes Lamius in *Hodœporico* quodam suo (part. I pag. 311.) Missale XI sæculo scriptum citaverat, atque in Riccardiana selectissima Bibliotheca adservatum, in quo ea legitur Missa; tum aliud addidit in Florentinis Ephemeridibus an. MDCCXLIX, ubi de memorato Patuzzii libro agit, olim ad Metropolitanæ Ecclesiæ Florentinæ usus adcommodatum, inque *Operæ*, ut aiunt, Archivo conditum. Duos et ipse (*hist. Liter. Ital.* T. I pag. 351) in hanc sententiam adtuli Miss. Codices; alterum quidem Gellonensis in Occitania Abbatiæ a Tournelii continuatore citatum, ante hunc vero a Mabillonio indicatum in *Actis SS. Ord. S. Benedicti*. (Sæc V) in quo hæc legitur oratio : « Omnipotens, et misericors Deus.... Te humiles trementesque deprecamur pro anima famuli tui, quam traxisti de præsenti sæculo absque pœnitentiæ spatio, ut si forsitan ob gravitatem criminum non meretur surgere ad gloriam, per hæc sacræ oblationis Libamina, vel tolerabilia fiant ipsa tormenta; » Florentinum vero alterum Laurentianæ Bibliothecæ (*Plut.* XVI n. 8.) XII sæculo, aut sub superioris sæculi finem exarato, in quo item Missa exstat « pro anima de qua dubitatur, » paucis admodum in prima oratione immutatis, atque a Riccardiano exemplo Lamiani *Hodœporici* diversis. Sed et Græcam Ecclesiam recentis ævi pro damnatis preces fundere ex Renaudotio (T. V *de la perpétuité de la Foi* l. VII c. X) adseruit idem Lamius in suis illis *Ephemeridibus*. Ego vero non tam ut Petavium defenderem ab injusto accusatore Lamio, quam ut ab erroris nota Ecclesiam universam vindicarem, respondi in citato primo *Litterariæ Italiæ historiæ* volumine, Græcam Ecclesiam recentis ævi nulla esse auctoritate, quum Lamius ipsemet in *Hodœporico* (p. 213) Græcos ea sentientes ac liturgias ad damnatorum levamen aliquod adhibentes pronuntiaverit, a vetustioribus sacrisque Ecclesiæ institutionibus longe aberrare.

Quod vero ad Missalia illa occidentalium Ecclesiarum

spectat, aiebam (p. 36) ex illis Latinæ Ecclesiæ sententiam perperam duci, quæ non ex unius alteriusve Ecclesiæ praxi, sed ex omnium, aut certe plerarumque ac Romanæ præsertim consuetudine sit colligenda. At non omnes Latinas Ecclesias ejusmodi Missam habuisse in usu, confirmabam exemplo vetustissimi codicis liturgici, qui ad Tirolensem quampiam Ecclesiam vero similiter pertinuit, in Magliabechiana Bibliotheca servati; in eo enim hæc Missa desideratur. Hæc ibi, quæ, occasio quoniam sese nobis offert, retractanda sunt. Nam Lamius, qui convelli hisce sententiam suam animadvertebat, studio omni in *Ephemeridibus* anni MDCCL (col. 473 et 871 ac seqq.) ea conquisivit, quæ probant pervulgatiorem, quam Petavius senserit, fuisse hancce de sublevandis precum, ac Liturgiæ ope damnatorum pœnis opinionem. Itaque ait Lamius, in privata Subdecani Gabrielis Marchionis Riccardii Bibliotheca tres editos Missales libros exstare, Romæ unum a. MCDLXXIV; Venetiis reliquos, atque alterum sub XV sæculi finem, alterum a. MDXVIII divulgatos, in quibus eadem, quæ in Gellonensi aliisque antea indicatis codicibus, reperire est. Præterea sibi missum scribit a P. D. Josepho de la Rue et P. D. Carolo Decheriemont Benedictinæ Congregationis exemplum quarumdam precum, quæ in Missali Regiæ Abbatiæ S. Cornelii Compendiensis leguntur. Eæ sunt hujusmodi. « Memento etiam Domine Famulorum Famularumque tuarum ill. et ill. qui nos præcesserunt cum signo Fidei, et dormiunt in somno pacis. Ipsis Domine, et omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis, et pacis, ut indulgeas, deprecamur; ac si qui peccatorum meritis Inferni tenebris, et suppliciis detinentur, misericordiæ tuæ oramus indulgentiam, et clementiam, ut eos ad requiem transire præcipias, et portio eorum sit in terra viventium. Per Christum etc. » Præterea P. Porrius Canonicus Lateranensis Romæ quoque Missales libros exstare Lamio adfirmavit, in quibus eadem, quæ in Florentinis, et cæteris ante Compendiensem indicatis Libris habentur. Hæc Lamius. At quid iste hoc Missalium apparatu probare se posse confidat, equidem non intelligo. Num fuisse, qui errorem a Petavio confutatum tuiti sint, eosque multo plures, quam vir ille longe doctissimus aut indicavit aut etiam norit? At quorsum hæc? Negavitne umquam Petavius, præter auctores a se citatos exstitisse alios, qui idem senserint? Minime vero. Quid igitur? Ecclesiam orasse aliquando pro damnatis hoc aio, inquiet Lamius; quod inficiatus est Petavius. At, mi bone, cave, ne isthæc prudenti excidant. Nam qui Ecclesiam, universam inquam, ac Romanam saltem Ecclesiam omnium Magistram preces pro damnatis fudisse adfirmas, errorem huic ipsi universæ aut Romanæ Ecclesiæ adfingis in iis, quæ ad dogmata Fidei pertinent. Sed Missales ipsos, quos Lamius objecit, consideremus. Ecclesiam orasse pro damnatis negat Petavius; at quam? Universam certe; quemadmodum enim si dicas; *id docet Ecclesia*, non Florentinam, non Fæsulanam, non Pratensem intelliget quisquam, nisi stultorum caput sit, sed universam; ita profecto qui ait; *id negat Ecclesia*, non singulares Ecclesias indicat ille, sed Ecclesiam toto late Orbe diffusam, aut majorem, præcipuamque ipsius partem. Quæro jam qui ex indicatis Missalibus collectio isthæc exoriatur, universæ eam fuisse praxim Ecclesiæ? Repete tantisper animo ingentem Ecclesiarum (Episcopales intelligo) numerum, qui in Occidente, atque in Oriente etiamnum floret, ac multo majorem illum, qui prioribus sæculis vigebat. Quid quæso, decem, viginti (adde centenas, ducenas adde) Ecclesiæ, in quibus mos ille obtinuerit cum cæteris? Quot in Ariminensi concilio fidem Catholicam prodiderunt Ecclesiarum Antistites? Multi sane. Catholicus quispiam adsentieturne propterea Janseniano cuipiam aienti, maximam Episcoporum partem a fide tum defecisse? Avertat Deus. Ridebit ille Jansenianum Sophistam, et Episcopalium Ecclesiarum, in quas christianus tunc orbis tribuebatur, numerum rite perpendens ostendet Episcopos illos Arianorum fraudibus irretitos maximo licet numero, cum cæteris multo pluribus, qui Nicænam fidem strenue propugnabant, conferri vix posse. Habeto idem plane responsum Lamianæ objectioni. Sed insto, ne constare quidem, num Missales illi ad plures diversasque Episcopales Ecclesias, saltem omnes spectarint: quid si intra eamdem Diœcesim eorum aliquot usui fuerint Monasteriis, aut Paræciis? Quanto tum arctior eorum numerus? quanto minus idoneus ad universæ Ecclesiæ praxim colligendam? Urgeo amplius: quid si codices illi usui quidem fuerint Ecclesiis, quod ad alia spectat, non quod pertinet ad Missas illas pro damnatis? Sed has ea una de causa habuerint, quod Amanuensis illas in exemplo, unde descripserat, invenerit? Præsto sunt hanc in rem plura ejusmodi exempla non in remotassolum antiquitate, sed nostris etiam temporibus. Vidi ego non semel in nostris Sacrariis editos Missales Libros, in quibus Typographus peculiares addiderat missas secundum Franciscanorum, aut aliorum Regularium morem; neque tamen illarum usus in nostris Templis ullus est. Hinc autem et illud sequitur, ex uno eodemque exemplo potuisse alia plura describi, quæ tandem in prius illud referenda sint nec pluris facienda, quam unum illud, ex quo cætera derivarunt. Neque illud satis aptum argumentum est: « Romæ ejusmodi plures libri sunt; igitur ea Romanæ Urbis praxis fuit, quæ illis continetur; » Nam præterquam quod vitiosæ Amanuensis diligentiæ, ut nuper dixi, tribui isthæc possunt, qui, ut exemplum fideliter redderet, inutilia, atque adeo usui hujus illiusve Ecclesiæ contraria quæpiam in Volumen suum retulerit, quid si illuc aliunde advecti fuerint? Magliabechiana Bibliotheca Missalem librum, (quod supra indicavi) Tirolensis Ecclesiæ servat; servat Tabularium Pistoriensium Canonicorum S. Zenonis sermones in antiquo Codice olim Veronensis Ecclesiæ descriptos: mitto sexcenta ejusmodi. Viden ergo? quot nominibus ludicra sit, atque inanis eorum Missalium ostentatio? Adrevaldus Floriacensis Monachus (in libro *de Miraculis S. Benedicti* cap. XXI.) refert, suos Floriacenses Monachos in Diœcesi Aurelaniensi fidem suam obligasse ad precationes pro damnatis faciendas, « quatenus etsi perpetuis non merentur absolvi cruciatibus, saltem minoribus mulctarentur a districto Judice pœnis. » Scribebat porro ista Adrevaldus anno circiter DCCCXC. Hæc quantum conjecturis adsequi possum, istarum in Liturgicis libris precum origo fortasse fuit; a Floriacensibus Monachis ad alios persuasio ista facile transiit; quum autem Monachi libris describendis operam maximam darent, quid mirum, preces ex ea sententia profectas, atque a se usurpatas exarasse illos in Missalibus libris, quos aliis exscribebant? Neque vero ante illud tempus Liturgicus liber inventus est, qui ejusmodi Missas complectatur, et in Monachorum libris Missalibus crebrius continentur. Hinc quum Monachi Lateranensi Basilicæ inservierint, quod aptis Monumentis docet Cl. Antonellus in erudita præfatione « ad vetus Missale Romanum Monasticum Lateranense, » multo minus mirandum, si ejusmodi Missales libri in Lateranensi Archivo serventur ex tribus illis Monasteriis, quæ prope Lateranensem Basilicam fuere, satis verosimiliter illuc translati.

Z.

THEOLOGICORUM DOGMATUM

DE SEX PRIMORUM MUNDI DIERUM OPIFICIO

LIBER PRIMUS

F. A. ZACHARIÆ.

DISSERTATIO PROLEGOMENA

QUA PRÆADAMITARUM SYSTEMA CONFUTATUR.

CAPUT PRIMUM.

Quinam huic systemati præluserint? Isaacus la Peyrere tamen primus ejus auctor dici non immerito potest. Quid ille docuerit. Tum qui illum refellerunt, impiaque ejus dogmata, indicantur.

I. Impia inter commenta, quæ imperator Julianus hostis ille Christiani nominis perditissimus excogitavit, suisque in libris posteritatis odio, seu potius ludibrio proposuit, non extremum certe sibi vindicant locum quæ de primis hominum parentibus in fragmento quodam deliranti similis scripsit. « Siquidem, inquit ille, a duobus tantummodo geniti essent omnes, neque leges adeo varias, et discrepantes futuras fuisse, neque totum alioqui terrarum orbem ab uno duntaxat impleri potuisse, tametsi plures una fœtura mulieres ipsis parerent, ut in suillo genere cernimus. Enimvero passim per omnes terras, adnuentibus Diis eodem modo, quo unum et unam volunt aliqui (Christiani scilicet ex Mosaicis libris) plures simul in lucem homines exstiterunt auctoribus generis Diis adtributi. » Id ipsum paulo antea ex morum varietate, ac legum duxerat; accuratius vero se alias ostensurum pollicitus fuerat; quod utrum præstiterit, ignoro; in iis certe quæ ejus exstant, operibus factum non memini.

Verum ubi Julianus multos simul a Diis conditos homines tradidit, alii contra a Deo plures ex intervallo, et per vices creatos, unde reliquum genus nostrum prodiit, scripto docuere. Zabæi ex his fuerunt. Nam Rabbi Maimonide teste in *More Novochim* Adamo non patrem modo, ac matrem fuisse adserebant, sed in litteris quoque institutorem, atque magistrum Somboscer nescio quem, seu Jambuschar. Origenis sententia fortasse huc trahi posset alium hominem adfirmantis ad imaginem Dei, alium ex limo terræ fuisse conditum, quemadmodum doctiss. Huetius animadvertit in notis *ad Origenem*. Quamquam Joh. Albertus Fabricius, in illa, quæ in ejus opusculorum sylloge exstat *De hominibus orbis nostri incolis, specie et ortu avito inter se non differentibus* dissertatione critica nihil aliud Origenem voluisse scribit, nisi corpus distinguere ab anima, hancque prius illo creatam docere. Itaque primos inter Præadamitici systematis auctores referendus est potius Jordanus Brunus Dominicani ordinis sui, imo et Italici nominis dedecus sempiternum. Blasphemus hic scriptor, qui scelerum suorum, pravorumque dogmatum Romæ tandem meritas pœnas dedit, ex apocrypho *Esdræ* libro quarto[1], quem per-

1 Lib. VII *de Universo et immenso.*

peram intellexerat, Judæorum gentem ad unum protoplastem refert, reliquos homines ad Henoch, et Leviathan, qui biduo ante creati fuerint. Quod etiam *de Monade numero, et figura* lib. I ineptis hisce carminibus expressit :

« Cœlorum terna est regio, terna aeris, unde
Discrimen ternum, telluris terna potestas,
Et ternæ genti ternus datus est Patriarcha ;
Cum peperit Tellus genitrix animalia pri- [mum
Ennoch, Leviathan, et quorum est tertius [Adam,
Maxima Judææ ut credebat portio gentis,
Cui erat ex uno tantum generatio sancta. »

Quod hi præconceperant animo Præadamiticum systema, explicatius protulit, et multiplici argumentorum genere comprobavit Isaacus la Peyrere domo Burdigalensis, religione Calvinianus anno MDCLV (in Calmetii Biblico dictionario annus MDCLII perperam adscriptus est.) Nam illo anno librum edidit urbis, et typographi suppresso nomine inscriptum : *Præadamitæ, sive Exercitatio super versibus* 12 13 *et* 14 *capitis V epistolæ divi Pauli ad Romanos, quibus inducuntur primi homines ante Adamum conditi.* Quod opus immutato solum titulo eodem anno recudit ; prænotavit autem : *Systema Theologicum ex Præadamitarum hypothesi, pars prima:* Nam etsi duo diversa hæc opera esse plures adfirmant ; unum tamen, atque eumdem librum duplici titulo ab Isaaco la Peyrere anno MDCLV de hoc argumento bis excusum fuisse monet Abbas d'Artigny t. III novorum historiæ, critices, atque litterariæ eruditionis monumentorum. Jam quid somniator iste venditet, expono.

IV. Duas hominum procreationes a Mose *Geneseos* initio narrari ait insanus hic fabulator, capite primo alteram, alteram capite secundo ; illa vero conditum fuisse Gentilium parentem, et caput, cujus et nomen et posteros sacer historicus silentio præterierit, quod Judæus ipse solius gentis suæ origines, leges, res gestas, eventa, chronologiam scribere esset aggressus ; altera Judæorum parentem primum Adami nomine insignitum longo post tempore prodiisse. Duplicem ergo protoparentem fingit sibi Calvinianus Præadamita, quemadmodum geminum constituit hominum genus, Gentilium, inquam, et Judæorum, utrumque ex alio plane stipite propagatum, ac multorum inter se sæculorum intervallo disjunctum. Hinc Gentilium ille anonymus pater ejusque posteri. *Prædamitæ* vocantur, quod longo ante creatum Adamum, unde Judæorum natio exorta est, annorum spatio mundum inhabitarint. Quæ autem efficaciora sunt systematis sui argumenta, cum eversum iri intelligeret, si Gentiles suos diluvii Noetici aquis fateretur submersos, lubens in eam sententiam concessit, quæ Isaaco Vossio quoque, Burneto, Woodwardio, aliisque intemperantioris ingenii heterodoxis probata fuit, ut hanc rerum universitatem omnem aquarum vi fuisse vastatam, genusque hominum universum tunc periisse inficiaretur. Nam, terræ, super quam factum esse diluvium quadraginta diebus narrat Moses[1], nomine unam Palæstinam significari contendebat. Hæc Præadamatici sysmematis summa est.

V. Non multo post divulgatam apud Batavos libris, quos recensui, doctrinam suam Romam adiit Isaacus, ubi cum Calviniana dogmata ejurasset, Præadamiticum quoque recantavit systema, edita Romæ an. MDCLVII *ad Philotimum* epistola, quæ sequente mox anno Parisiis, et Francofurti recusa fuit. Parisios deinde commigravit, atque apud Patres Oratorii se recepit, inque eorum domicilio tandem annum agens secundum supra octogesimum pridie Kalendas Februarias an. MDCLXXV, Christianorum ritu decessit. Sunt tamen, qui illum velint, ut Alexandri VII. P. M. gratiam aucuparetur, palinodiam cecinisse : cæterum in præconcepto sui systematis errore perseverasse. Qua de re uti de rebus aliis ad eum pertinentibus consule sis Bœlium in *Lexico historico*, Guillelmum Patinum primo *Epistolarum* volumine, Theoph. Spizelium *in infelici litterato*, selectas Richardi Simonii epistolas tomo secundo, et Abbatem d'Artigny supra appellatum.

VI. Si Petavio nondum demortuo Isaacus hocce suum edidisset systema, non dubito, quin præstantissimus ille theologus ubi *de Mundi opificio* adgrederetur ad scribendum, in pravam novi dogmatistæ doctrinam diligenter inquisivisset. Quod Pitavio non licuit, præstitere alii quamplures, quos inter, ut ne Philippum le Prieur, Natalem Alexandrum, cæterosque commemorem a Bœlio in *Dictio-*

1 *Gen.* VII.

nario, a Niceronio [1], a Lipenio *in Bibliotheca Theologica*, a Calmetio in *Dictionario Biblico*, ac præsertim ab Joh. Alberto Fabricio in citata dissertatione recensos, Angli historiæ universæ scriptores tomo primo, P. Serry in *Prælectionibus Theologicis*, ubi de Mundi opificio disputat, et P. Franciscus Xaverius Widenhofer olim in Romano collegio theologiæ mecum auditor in egregio opere inscripto: *Sacræ Scripturæ Dogmatice*, et *Polemice explicatæ* pars prima. Nos tamen ne quid præclarissimo Petaviano operi deesset, quod ad celeberrimas nostrorum temporum controversias pertineret, brevem hanc dissertationem perscripsimus, qua impii systematis fundamenta convelleremus. In hac autem nihil dicam de illa Præadamatici systematis parte, quæ terram universam negat diluvio fuisse submersam. Nam et majus ita scribendi otium postularet, et a pluribus egregie est confutata, ut a Natali Alexandro, a Blanchinio, Constantinio, nuperrime vero ab Anglis historiæ universæ scriptoribus in ea, quam de primis in Americam deductis coloniis divulgavere, eruditissima dissertatione [2].

CAPUT II.

Scripturarum, Geneseos cum primis, testimonia nonnulla in medium adferuntur, et cum illis Præadamitarum systema pugnare ostenditur.

I. Diximus, Isaacum la Peyrere contendere, hominem, cujus Moses creationem describit capite primo *Geneseos*, alium ab Adamo fuisse, de quo secundo ejusdem libri capite sermo est. Atqui nihil absurdius excogitari potuit, nihil, quod Mosis narrationi magis repugnet. Prodiit Bruxellis (si tamen fictitium urbis nomen non est) a. MDCCLIII libellus inscriptus : *Conjectures sur les mémoires originaux, dont il paroît que Moyse s'est servi pour composer le livre de la Genèse.* Suspicatur autem anonymus hujus opusculi auctor, Mosen plures rerum, quæ *Genesis* libro continentur, monumenta præ manibus habuisse, illaque Origenianorum hexaplorum instar disposita paucis resectis, qualia primitus a vetustis auctoribus prodierant, in suum librum intulisse. Atque hinc earumdem rerum repetitiones, quæ in eo libro ab amanuensibus deinde perperam una serie descripto, occurrunt, ingeniose deducit. Quum enim in monumentis, quæ Moses integra scripto illo suo exhibuerat, eædem sæpe res in aliis quoque narratæ describerentur, mirum non est, turbato a Librariis monumentorum illorum ordine, neque his, quemadmodum in Mosis autographo, ante inter se se distinctis, sed uno volumine continenter transcriptis insolentes quasdam narrationum iterationes in *Genesis* librum irrepsisse. Quod quidem systema si probetur, de Præadamitis actum est. Nam unus tunc, atque idem homo erit, cujus primo et secundo capite narratur creatio, neque aliunde iteratæ narrationis causæ petendæ erunt, quam ex diversitate monumentorum, in quibus Moses eamdem Adæ creationem descriptam repererat, contra sacri scriptoris qui illa discrete repræsentaverat in expanso volumine, mentem atque consilium ab imperitis amanuensibus confuse et permixte exaratorum. Verum etsi fateor anonymum istum ingenio, atque scribendi elegantia præstare, neque satis tutum ejus systema mihi videtur (qua loci hujus non est demonstrare) neque ad arguendos, revincendosque Præadamitas necessarium.

II. Itaque ea incedamus via, quam secundo ipso christianæ æræ sæculo nobis præmonstravit Theophilus Antiochenus in secundo *ad Autolycum* libro, dicamusque quæ versu VII secundi capitis de Adæ creatione dicuntur, nonnisi superioris capitis anacephalæosim continere, eamque uberiorem, qua quæ ibi pressius dicta fuerant. retractantur, atque accuratius explicantur, Atque hujus quidem rei certissima habemus argumenta. Nam eodem secundo capite cœli, et terræ, plantarumque creationem, quam primo capite descripserat, iterum commemorat Moses his verbis : *istæ sunt generationes cœli, et terræ, quando creata sunt, in die, quo fecit dominus Deus cœlum, et terram, et omne virgultum agri antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis, priusquam germinaret.* Dicentne Præadamitæ, cœlum, terram, plantas hoc loco memoratas alias ab illis esse, quæ primo capite describuntur ? Cur igitur solus homo v. 7 hujus ipsius capitis ab homine primi capitis alius habebitur ? Anacephalæosim potius et hic agnoscant, quemadmodum ibi necesse est ab ipsis quoque admitti. Sed gravius ad Præadamitarum fabulam evertendam

1 Tom. XXIII.— 2 Tom. XIII.

momentum ex capite quinto sumitur, ubi sic Moses : *Hic est liber generationis Adam : In die qua creavit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum : masculum, et feminam creavit eos, et benedixit illis : et vocavit nomen eorum Adam in die qua creati sunt.* Confer nunc ista cum iis, quæ capite primo scripserat Moses : *et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum, masculum, et feminam creavit. Benedixitque illis Deus, et ait : Crescite, et multiplicamini, et replete terram, et subjicite eam, et dominamini piscibus maris, et volatilibus cœli, et universis animantibus, quæ moventur super terram.* Certe de eodem homine utrobique loquutum fuisse Mosen manifestum est. Porro et illud negari non potest, capite quinto Mosen de ipso illo Adam agere, de quo capite secundo dixerat ; igitur Adam secundi capitis ipse est homo, qui primo capite dicitur a Deo creatus.

Hæc decretoria sunt. Præadamitæ tamen, ut suum illud figmentum tueantur, ante Adam *Gen.* II, v. 7 memoratum alios sexto mundi die creatos homines fuisse *Gen.* I. xxvi. 27., tria objiciunt. Nam aiunt, Hebraicam vocem *Adam Gen.* I, xxvi non unum hominem significare, sed plures; in Hebræo quippe textu sequitur verbum *veiirdu*, *et præsint* plurali numero piscibus maris, non singulari, quemadmodum in *Vulgata*, *et præsit.* Animadvertunt præterea creationem hominis primo *Geneseos* capite aliter describi, atque Adæ formationem secundo capite. Tandem observant, sexto orbis creati die in lucem prodiisse homines, de quibus *Gen.* I sermo est; at non potuisse eo die creari Adam *Gen.* secundo capite indicatum multa sunt, quæ suadeant. Hic nempe non simul cum femina creatus est, quemadmodum ille, sed multis ante Evam diebus. Formata enim est Eva postquam Deus plantaverat Paradisum [1]; postquam in eo Adamum posuerat [2]; postquam *bestiis omnibus, et volatilibus cœli* [3] Adam imposuerat nomina. Quis autem hæc uno sexto die fieri potuisse credat? præsertim cum ad Adamum venire debuerint e remotis Indiæ, Africæque regionibus elephanti, ex America peregrinæ volucres. Adde sopore tanto correptum Adam fuisse, [4] ut costam eximi sibi ad Evam formandam minime senserit. Illi igitur homines *Gen.* I. xxvii creati alii fuere ab Adamo, et Eva multo post peculiari cura formatis.

IV. Nullo tamen negotio ista solvuntur. Enim vero quoniam Præadamitæ ad Hebraicum textum provocant, edisserant cur si plures viri, feminæque sexto nati orbis die lucem adspexere, dicat Moses *creavit Deus hominem* singulari numero, quemadmodum et LXX interpretes, et Chaldæa, Arabica, Latina versio exhibet? cur singulari quoque numero scripserit idem Moses : *ad imaginem Dei creavit illum*, hebraice *Otho*? cur *feminam* a Deo formatam indicaturus singulari nomine *nekebha* usus est, qui plura ab eodem Deo producta narrans superioribus versiculis pluralem ubique numerum usurpaverat, ut v. xvi *Luminaria*, v. xxi *cete grandia*, v. xxv *bestias*? Re ipsa igitur Deus unum virum creavit, postea Evam, *masculum, et feminam.* Quia tamen plures creare statuerat, Adamum, et Evam, ejusque posteros, dum quasi consultans ait : *Faciamus hominem* etc., utitur plurali numero *iirdu*, quod verbum ad universos homines ex Adamo, et Eva gignendos referebatur. Quod vero secundo loco addebatur, oppido falsum est. Capite primo describitur res, altero capite rei modus. Neque tamen hinc fit, perperam primo capite creatos dici, qui secundo capite alio omnino productionis genere feruntur editi, Adam scilicet e limo terræ fictus, ex Adæ costa Eva formata. Nam revera quod spectat ad animam creati sunt; quod autem ad corpus adtinet, creati etiam dici possunt, ut qui e materie proxime creata emerserint. Porro cum Evæ formationem, in qua potissimum vis tertii agumenti sita erat, considerabam, duas esse de productæ illius mulieris tempore sententias reperiebam, quarum neutra Præadamitis favet. Cornelius a Lapide, aliique putant, sexto die eam fuisse creatam, cum Deus *die septimo requievisse* dicatur *ab universo opere*, *quod patrarat* [5]: imo utriusque Adæ scilicet [6], et Evæ creationem jungat Moses : *masculum, et feminam creavit eos.* Ita tamen adfirmant hi, Evam *sexto die* creatam fuisse, ut non simul cum Adamo, sed duodecim circiter post illum horis productam velint : quo quidem intermedio temporis spatio potuit Deus et Paradisum momento plantare, et illuc Adamum ferre, et præcepta ei dare, bestiasque et aves, quarum species singulæ aderant, quin ex India, America, cæterisque id genus regionibus adcerserentur, ad illum adducere, ut eis nomina imponeret ; et soporem tandem, quem LXX interpretes, et Patres ἔκστασιν vertunt, illi immittere, Evamque ex ejus costa sine vulnere

Extasim

1 *Gen.* xi, 8.— 2 *Gen.* xi, 15.— 3 *Gen.* xi, 19.— 4 *Gen.* xi, 21.— 5 *Gen.* xi, 2.— 6 *Gen.* xi, 27.

exemptam ædificare. Multo magis potuisse hæc fieri intelligimus in Origenis, Eucherii, et S. Thomæ sententia, quæ Evam post septimum diem creatam statuit[1], ejusque mentionem c. I, 27 fieri per prolepsin. Sed de hac quæstione consule Pererium t. I *in Genesim*. Illud in rem nostram satis est, quod hactenus vidimus, quamcumque demum de tempore formatæ Evæ amplectamur sententiam, nihil juvari Præadamitarum systema.

V. Pergamus nunc illud novis ex *Genesi* adductis testimoniis infirmare. Ac primo quid illud : et *homo non erat, qui operaretur terram*[2] ? Finge Præadamitas homines exstitisse, quorum origines cap. I descriptæ fuerint. Quei verbis illis sua constabit veritas ? An illi, si extitissent, *terram operari* non potuissent ? Deinde animalia non ante nomine suo quæque insignita sunt, quam Deus *adduxerit ea ad Adam, ut videret, quid vocaret ea ; omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus*[3]. Verisimile porro non est, Præadamitas, si qui fuissent, animalia omnino omnia anonyma relicturos fuisse. Ipsi certe ratione, et sermone non minus, quam homines Adamitæ, præstitissent ; animalium quoque seu in publicos, seu in privatos usus, quam habuissent, necessitas postulare ab eis videbatur, ut aliquo illa nomine distinguerent. Neque satis intelligi potest, Adamum unum in animalia omnia imperium exercuisse nomina illis imponendo, si ipse Judæorum tantum caput constitutus fuisset, non item Gentilium, quibus tamen non secus atque Judæis inservire animalia debuissent. Quæro et illud a Præadamitici systematis auctore, an Adamum a Deo creatum existimet ? Negabit ? At id Scripturis, Patribus, omniumque sæculorum traditioni aperte pugnat. Affirmabit ? Cogetur ergo aut fateri, Adamum die sexto fuisse creatum, aut in posterius aliud tempus ejus creationem differre. Atqui primum illud ipsius systema non patitur ; alterum Scripturis adversatur, quæ complevisse Deum testificantur *die septimo opus suum, quod fecerat, et requievisse die septimo ab universo opere, quod patrarat*. Ubi et illud observandum, Judaicum Sabbatum in memoriam quietis illius Dominicæ fuisse institutum [4]. Ecquid autem adtinebat Dominicum illlud Sabbatum tanta ab Judæis religione observari, si Adamus illorum caput et pater ante illud conditus non est ? Imo vero ad Gentiles potius, quam ad Judæos Sabbati observatio pertinuisset.

VII. Sunt et alia utriusque testamenti loca, quæ idipsum confirmant. Quid enim ista significant, quæ in *Sapientiæ* libro legimus ? *Hæc* (Sapientia) *illum, qui primus formatus est a Deo Pater orbis terranum, cum solus esset creatus, custodivit* [6]. Hoc certe, initio unum tantummodo hominem fuisse creatum, qui *pater* sit omnium. Quod et Apostolus in areopago concione habita docuit his verbis [5] : *Fecitque* (Deus) *ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ*. Quo in loco Græcus quidem textus addit substantivum nomen αἵματος, *Sanguine*. Verum hoc nomen, quod in Syro quoque codice legitur, non innuit, homines ex una omnes, eademque materie fuisse a Deo compactos, ex una eademque terra, ex uno eodemque limo, quemadmodum illud explicatum video ab auctore Præadamitici systematis, sed hominem, ex quo tanquam ex uno stipite, ex uno capite, ex uno parente cæteri omnes enati sint. Hæc certe interpretatio communi Patrum, Ecclesiæque sensu consecrata quodammodo videri potest. Quid ? quod in antiquissimo Alexandrino Codice deest nomen αἵματος. Quare suspicatur Harduinus [8] « additum fortassis ad traducem etiam animæ adstruendum : quoniam scriptum est (sed dictum ibi de animantibus) : *anima omnis carnis in sanguine est* [9]. » Quod tamen non probo.

CAPUT III.

Quid de originali peccato doceat Catholica fides : tum systema Præadamiticum huic doctrinæ adversari invictis argumentis demonstratur. Adduntur Patrum testimonia, quæ idem systema falsitatis, errorisque redarguunt.

I. Quæ hactenus Scripturarum loca expendimus, satis Præadamitarum systema infringunt ; nihil tamen ad illud evertendum efficacius Catholico dogmate de originali peccato. Duo itaque (quod ad institutum nostrum adtinet) docet de originis noxa Catholica fides ; alterum est, ab uno homine Adamo scilicet, in omnes homines derivatam illam esse, ac

1 I p. q. LXXIII, art. 1, ad III.— 2 *Gen.* XI, 5.— 3 *Gen.* XI, 20.— 4 *Gen.* XI, 2.— 5 *Exod.* X, 8.— 6 *Sap.* X, 1— 7 *Act.* XVII, 26.— 8 In Notis ad eum Actorum locum.— 9 *Lev.* XVII, 14.

propagatam; alterum ob hoc peccatum morti homines omnes fuisse obnoxios redditos. Utrumque dogma paucis in epistola *ad Romanos* complexus est Apostolus scribens : *Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit , et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt... Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem ; sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.* Facillimum porro est ostendere, cum utroque hoc dogmate pugnare Præadamiticum systema.

II. Nam ut a primo initium ducam, si Judæorum tantum primus parens habendus est Adam, non vero primus universorum hominum, omnes et singuli cæterarum nationum homines originis peccatum minime contraxissent. Quomodo enim ad homines genere et stirpe diversos ab eo labes pervasisset? B. Anselmus Christum discriminans a cæteris hominibus ait [1]: « Omnes alii sic fuerunt in illo (Adamo) ut per naturam propagandi, quæ potestati, et voluntati ejus subdita erat, de illo essent. Solus vero iste (Christus) non sic in eo fuit, ut per naturam, aut voluntatem ejus de illo fieret. » Viden? Voluntati Adæ subditæ cæterorum hominum voluntates esse debuere, imo et in illius voluntate contineri, ut ad eos illius culpa traduceretur. Atqui Præadamitæ non secus atque Christus « non sic in eo fuissent, ut per naturam, aut voluntatem ejus de illo fierent. » Adam enim Judæos, quorum tantummodo caput fuisset, ut posteros repræsentasset. Non ergo ad illos Adæ peccatum dimanasset. Argumenti genus est plane invictum.

III. Objectum sibi hoc iri sensit Isaacus la Peyrere, quamobrem ut ab eo aliqua demum ratione sese expediret, novum, et Christianæ Ecclesiæ ad eum diem inauditum commentus est modum, quo peccatum originale non in Judæos tantum, sed in universas gentes ex Adamo propagari etiam in systemate suo potuisse persuaderet. Ait igitur, Adæ peccatum etiam illis, quorum caput non fuisset, imputari potuisse. Enimvero filiis patrum suorum imputari peccatum propter conjunctionem quamdam physicam, qua inter se copulantur, notum est non ex Scripturis solum, in quibus Deus *visitare* dicitur *iniquitates patrum in filios in tertiam, et quartam generationem*, sed etiam ex divinæ ultionis exemplis, cujusmodi illud est luculentum septem filiorum Saul, quos respondente, et jubente Deo David piaculares tradidit in manus Gabaonitarum ob fidem a Saule illorum parente olim Gabaonitis violatam. Neque vero sola id efficit physica conjunctio; satis est commuuio quædam politica, imo et mystica. Scimus enim imputasse Deum et universæ Tribui Benjamin flagitium habitatorum Gabaa in Levitæ concubinam[2], quam usque ad mortem compresserant, et toti populo furtum Achan[3], et Judaico regno numerationem, quam jusserat David, uti deinde Sedeciæ regis perjurium. Communionis autem, et societatis mysticæ vis et in Fide Abrahæ, quæ Fidelibus omnibus, et in morte, ac justitia Christi, quæ omnibus hominibus imputata est, mirifice dignoscitur , atque elucescit. Quidni ergo peccatum Adæ imputari hominibus omnibus potuerit ob conjunctionem quamdam cum eo sive politicam, sive mysticam? Hæc ille.

IV. Verum, ut optime animadvertit Natalis Alexander, hæc de imputatione doctrina homines nasci peccatores non patitur. Sicut enim fideles non nascuntur hi, quibus propter mysticam, ut ait Isaacus la Peyrere, cum Abrahamo societatem fides ejus imputatur, ita propter solam Adamitici peccati imputationem omnes homines peccatores nasci, *natura esse filii iræ*, peccatum nascendo contrahere dici non possent; nec magis dicendum esset originale peccatum propter Adamum, quam fides originalis propter Abrahamum, aut justitia originalis propter Christum. Deinde a fide Catholica prorsus alienum est, quod vel sola imputatione justitiæ Christi justi simus, non vero justitia inhærente, vel sola Adamici peccati imputatione peccatores constituamur, non vero peccato, quod sit unicuique nascendo proprium, etsi aliena voluntate sit liberum et quod in singulos carnali generatione transfusum animam inficit, sola regeneratione, quæ in Christo est, expungendum. Tertio mystica illa communio, et societas, ratione cujus imputatur Fidelibus omnibus Abrahami Fides, in sola exemplaris ratione fundatur; non enim Filii dicuntur Abrahami, nisi Fidei ejus imitatione, qui propterea *Pater credentium* dicitur, quod exemqlum fidei posteris dederit; Conjunctio vero mystica, ratione cujus mors et justitia Christi hominibus imputantur , est communio capitis et membrorum, vadis, redemptoris, mediatoris, et reorum. At nulla

1 Lib. *de Concept. Virgin. et orig. pec.* cap. XXIII.— 2 *Judic.* XIX.— 3 *Josue.* VII.

similis conjunctio est, et communio Adami cum omnibus, retro hominibus, ratione cujus Adamicum peccatum ipsis imputari potuerit, posito Præadamitarum systemate; nec enim imitatione sola ipsius peccati possunt dici peccatores; id siquidem erroris monstrum in Pelagianis confixit Ecclesia : neque ad ipsum ut ad caput membra pertinuisse dici possunt Gentiles, si pater dumtaxat, et protoplastes Judæorum fuit, non omnium hominum absolute primus. Hactenus Natalis Alexander.

V. Narrat P. Serry[1], alium fuisse non ita pridem, qui ut Ecclesiæ fidem de originali peccato cum Præadamitarum systemate conciliaret, novum hoc excogitarit effugium, ut omnes quidem homines diceret nunc originale ex Adamo peccatum contrahere, non tamen ante diluvium, quo illos deletos existimabat plane omnes, qui ex altero vetustiore Protoparente suam derivarant originem; quare cum nunc nulli alii homines existant, quam qui ex Adamo procreati sunt, mirum esse non debet, Scripturas de his solum hominibus, non de illis, qui ex altero protoplaste profecti diluvii aquis periere omnes, loqui, eosque originali culpæ obnoxios adfirmare. Verum non cum fide solum pugnat hocce commentum, sed (quod Serrius non animadvertit) cum ipso, cujus vindicandi causa excogitatum dicitur, Præadamitarum systemate. Nam Catholica fides docet non eos solum homines, qui post diluvium Noeticum superfuere, ejusque posteros peccatores nasci, et naturafilios iræ ob originale, quod ex Adamo contraxere peccatum; sed omnes omnino homines cujuscumque demum remotioris, et antediluvianæ ætatis. Confer Apostoli locum antea descriptum. Præterea Isaacus la Peyrere diluvio negabat suos Præadamitas extinctos fuisse; neque injuria, quæ enim systematis sui argumenta ex historia, physicaque petit, ea plane nullius essent ponderis, quemadmodum illa considerans statim intelliget, si soli Adæ posteri ex Diluvio superfuere.

VI. Hinc ut ad mortem originalis peccatis consectarium transeam, et huic dogmati plane contrarium esse systema Præadamitarum constat. « Nam, ut aiebat S. Augustinus a Mario Mercatore in libro *Subnotationum* citatus[2], si peccatum non pertransisset, non omnis homo cum lege peccati, quæ in membris est, nasceretur; si mors non pertransisset non omnes homines quantum ad istam conditionem mortalium pertinet, morerentur, Quod autem dicit Apostolus, *in quo omnes peccaverunt*, in quo intelligitur, nisi Adam, in quo eos dicit et mori, quia non erat justum sine crimine transire supplicium? » Respondet quidem auctor Præadamiticæ fabulæ, morti obnoxios fuisse homines Præadamitas, ipsumque Adamum antequam peccasset, naturali morte fuisse mortuos, aut morituros, quum essent ex corruptibili, mortalique materie compacti, non vero morte legali, cui ob divinæ legis transgressionem addictus est Adam. At hoc merum est putumque Pelagianum dogma, quod Scripturis, Patribus, et Conciliis adversatur. Non vacat hujusmodi testimonia congerere, quum plurima Petavius citet ipsis hisce in libris, quibus hanc dissertationem nostram præmittimus. Confer etiam Cl. P. Garnerii [3] dissertationem VII in Marii Mercatoris commonitorium [4].

VII. Non minus cum Patrum traditione, quam cum Scripturis et Catholica de originali peccato doctrina pugnat Prædamitarum systema. Infinitus sim, si omnes Patrum sententias collegero. Paucas de multis exhibeo, antequam huic capiti finem impono. Primus sit Lactantius sexto *Institutionum* libro[5]. « Si ab uno homine, inquit, quem Deus finxit, omnes orimur, certe consanguinei sumus, et ideo maximum scelus putandum est odisse hominem vel nocentem.» Egregius est etiam hanc in rem S. Augustini locus, in quo ait[6]; « in ipso exordio Adam et Eva parentes omnium gentium erant, non tantummodo Judæorum. » Recentior Laurentius Justinianus his accedit[7], « propterea, inquiens, Deus voluit unicum hominem primo formare, ex quo omnes procederent, ut tanquam fratres omnes se amarent : non sic legitur factum esse in Angelis, vel in brutis. » Confer etiam S. Hieronymum XVI libro *in Esaiam*, et ex Græcis S. Joh. Chrysostomum homilia *de Caritate*, ac Theodoretum[8].

1 *De Opif. mundi*, disp. unic. prælect. VI.— 2 Cap. VI.— 3 Lib. II, c. VI, § 4.— 4 Cap. III.— 5 Cap. X.— 6 Tract. IX *in Joan.*— 7 *De charit.* cap. XV.— 8 Lib. III *Therapaut.*

CAPUT IV.

Isaaci la Peyrere argumenta aliquot ex Scripturis ducta refelluntur.

I. Nullus est error, qui in sui patrocinium Scripturas sacras non advocet. Præadamitica fabula, ut cætera argumenta deessent, id luculenter ostenderet; quum ejus auctor si quis alius Scripturis sanctis impudenter abusus sit, ut illam suaderet. Earum loca aliqua, quibus commentum suum Isaacus la Peyrere fulcire studuit, hic expendemus; gravissimam ex epistola *ad Romanos*, difficilemque sententiam sequenti capite explanabimus. Igitur illud primum objicit hic auctor, bestias, volucres, arbores, pisces non in Mesopotamia tantum, sed in omnibus terræ partibus fuisse sexto die creatos, idque hominum gratia; hincque arguit, homines in iisdem locis condi a Deo debuisse, qui illis uterentur. ne inanis dicatur horum animantium creatio. Nimirum non animadvertit Peyrerius, eadem se premi difficultate, si quis ipsi objiciat bestias, arbores, pisces in præruptis, atque inaccessis locis constitutos, qui quum illis uti vix possint homines, frustra creati a Deo videri possent. Hoc interea habeat sibi responsum, posse monarcham præesse provinciis, quibus ipse non adest; præterea Angelos ob ea divinam laudasse potentiam; tandem Adam per se, vel certe per posteros suos illis uti ad Dei gloriam potuisse. Quæ omnia satis ostendunt, non frustra fuisse illa a Deo creata, etsi sexto die homines ubique non fuerunt a supremo numine collocati.

II. Graviora sunt, quæ ex quarto *Geneseos* capite congerit Peyrerius. Nam hæc ibi legimus *Fuit autem Abel pastor ovium, et Cain agricola*[1]. Porro qui dicit aratoriam artem, multas alias sumit artes, sine quibus consistere illa non potest; et qui agricolam dicit, innumeros item fere sumit artifices. Cur vero Abel custodiebat oves? Quos fures timere debuerat præter patrem, matrem, et fratrem, si nulli præterea fuissent homines in terris? A lupis autem et feris rapacibus, quæ gregem suum invasissent, plus sibi, quam ovibus timendum erat. Ea deinde objicit, quæ Deus Caino dixisse fertur: *quare iratus es, et cur concidit facies tua? Nonne si bene egeris, recipies? sin autem male, statim in foribus peccatum aderit*[2]. Quid hic fores? Portæ scilicet, in quibus judicia apud Orientales exerceri consuevisse Scripturæ non uno loco testificantur; ut significarit Deus Caino, si male ageret, rapiendum ipsum ad judices, qui pœnas ab eo patrati sceleris reposcerent. Id autem qui possit intelligi, si nulli præter Adamitas homines tum exstitissent? Majorem hominum numerum indicant verba illa Caini Deum adloquentis *Ecce ejicis me hodie a facie terræ, et a facie tua abscondar, et ero vagus, et profugus in terra: Omnis, qui invenerit me, occidet me*[3]. Timuit ergo Cain homines, timuit judices, a quibus capite secundum leges plecteretur. Quamobrem reorum omnium more a regione, in qua occiderat fratrem suum, alio aufugit, nempe *ad orientalem plagam Eden*. Neque inanem hunc Caini metum fuisse quis putet, Deus enim *posuit Cain signum, ut non interficeret eum omnis, qui invenisset eum*. Quid? quod profugum Cain rem familiarem auxisse per vim, et rapinas « adcitis undequaque latrociniorum, et nequitiæ sociis; nec non magistrum illis ad facinorosam vitam effectum » refert Josephus. Hos autem perditos homines, quorum societati se adjunxit Cain, nemo prudens nepotes ejus fuisse arbitretur. Eccur enim nepotes suos in mutuam perniciem armasset? Sed et uxorem habuisse Cain docet *Geneseos* liber; quam vero uxorem[4]? Non certe filiam Adami, qui nullam ad eum diem susceperat. Duxerat igitur illam ex filiabus gentium, quæ ex primo homine *Geneseos* primo capite memorato prodierant. Illud etiam de Caino docet Scriptura, *ædificasse* illum *civitatem, vocavisseque nomen ejus ex nomine filii sui*[5] (utique primogeniti) *Henoc*. Architecti igitur aderant, aderant, quos in eam urbem deduceret, cives: at qui hi? quum occiso Abele unus Adam cum Eva superfuisset.

III. Ineptus tamen sit oportet, qui futilibus hisce conjecturis sibi sinat imponi. Antequam autem illas refello, duo sunt in antecessum constituenda, quæ certissima quum sint, ad rem maxime faciunt. Primum illud, omnia quæ nuper objecit Peyrerius non ante annum mundi centesimum, ac tricesimum contigisse. Nam sub finem anni centesimi vicesimi noni Cain fratrem occidit. Quum enim Seth anno Adami cxxx natus sit, nec

1 V. 2.— 2 V. 6 et 7.— 3 V. 14. — 4 IV. 17.— 5 IV. 17.

multo ante occisus sit Abel[1], uti illud Genesis indicat[2] : *Cognovit quoque adhuc Adam uxorem suam, et peperit filium, vocavitque nomen ejus Seth, dicens : posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain.* Abelis cædes in alium annum conferri non potest, quam in centesimum vicesimum nonum, ni malis cum aliis in annum ipsum Sethi nati, centesimum ac tricesimum mundi. Alterum, quod statuendum dixeram, est, in eo turpiter aberrare Peyrerium, quod putet, paucos admodum in orbe exstitisse tunc homines ex Adamo procreatos, quia paucos admodum Scriptura sacra ex nomine appellat usque ad Noetici diluvii tempora. Nec advertit imprudens, paucos idcirco homines in *Genesi* recenseri, non quod pauci reapse fuerint, sed quod suscepti a Mose operis ratio non postularet, ut alios propemodum innumeros percenseret. Unum nempe Mosis institutum fuit, ut per certas generationum successiones ab uno primo homine Adam ad Abraham perveniret, cui prima de venturo Messia facta promissio est. Hoc autem quo præstaret, satis illi erat, vel illos solos Adæ filios, ac nepotes enumerare, per quos rectæ genealogiæ successio ducta est; cæteris silentio missis, e quibus transversæ lineæ duci possent. Præivit nobis in hac sententia B. Augustinus, cujus fere verba mutuati sumus[3]. Ecquis certe tam bardus sit, et stipes, ut credat, protoparentes nostros, quibus gignendi officium ea ætate in præcepto erat, ut orbis propagaretur, non aliis donatos filiis fuisse nongentorum et amplius annorum spatio, quo vita illorum protracta est, quam qui a Mose recensentur numero tres, Cain, Abel, et Seth? Quanquam plures illis fuisse filios, imo et filias, compendio licet significavit Moses ipse his verbis de Adam : *genuitque filios, et filias. Et factum est omne tempus, quod vixit Adam, anni nongenti triginta, et mortuus est*[4]. Centum autem et fere triginta annis quantum multiplicari genus humanum potuerit, ac multo magis quadragentis aut quingentis annis, quorum scilicet emenso spatio Henochiam urbem a Cain ædificatam infra dicam, nemo non intelligit; exemplo tamen, eoque splendidissimo, quod Scriptura suppeditat, explicare libet, et confirmare. Ducentos quindecim annos in Ægypto egit Jacob familia, annos enim CDXXX peregrinationis Hebræorum eruditiores Chronologi non ad servitutem illorum in Ægypto referunt, sed a promissione repetunt facta Abrahamo duodecimo *Genesis* capite, secundum quam statim e Charan egressus in Chananæam commigravit. Ita tamen propagata est, ut in exitu Israelitarum ex Ægypto sexcenta et eo amplius hominum millia fuisse referantur[5], et ea quidem bellicæ tantum juventutis, demptis nempe mulieribus, pueris, senibus, quibus per sexum, aut ætatem tractare arma haud licebat, imo et levitarum duobus supra viginti millibus ad Tabernaculi ministerium, custodiamque excubantium.

IV. Vides jam Peyrerii argumenta omnia concidere per sese, ut supervacaneum videri possit, singillatim illa confutare. Tamen eruditionis potius, quam necessitatis gratia de singulis dicam. Cain ergo (nam hoc primum Peyrerii argumentum erat,) patris magisterio, fratrumque ope agriculturam exercebat; nec tamen existimandum est, terram tunc temporis coluisse homines ea ratione, iis instrumentis, eoque apparatu, quo nostros videmus agricolas; neque enim hæc omnia postulabat simplicior illa ætas, majorque terræ diluvio nondum vastatæ fertilitas : quod vero ad Abelum attinet, pastoritia ars non furibus arcendis continetur tota; sed in grege versatur ad opima, et salubria pascua ducendo, a noxiis, et venenatis herbis avertendo, in caulas reducendo, cæterisque id genus plurimis, quæ ad primam quoque illam mundi ætatem spectasse quid vetat? Sed quoniam ex artibus, quæ Adamitico ævo exercebantur, placuit Peyrerio argumentari, videat, quid sibi respondendum sit, si objecero, artium inventores non alios a Mose notari quam Adæ posteros[6]; quin etiam illum quis cujusque artis auctor fuerit, inventorque nominatim observare; quum tamen sine artibus civilem vitam ducere Præadamitæ nequivissent, ut propterea quemadmodum artes antea non fuisse ex Mosis historia rite colligimus; ita ne homines quidem tunc exstitisse legitima argumentatione efficiatur.

V. Alterum argumentum ex iis verbis ducebatur : *statim in foribus peccatum aderit.* At ea nihil aliud significant, quam imminentem peccati pœnam, sicut viatores, quum proxime sunt adcessuri, ad januas esse dicimus; qua metaphora non Scriptura Sacra solum alibi utitur, ut Marci tertiodecimo capite, ubi de supremi judicii die : *scitote quod*

1 *Gen.* V. 3.— 2 *Gen.* IV. 25.— 3 Lib. XV *de Civit. Dei.* cap. VIII.— 4 *Gen.* V. 4. 5.— 5 *Exodi* XII.— 6 *Gen.* IV.

in proximo sit in ostiis[1], sed etiam Plutarchus, apud quem illud legitur adagium : « Febris est in foribus. » Frustra ergo de Judicibus in portis civitatum jus dicentibus ad quorum tribunalia Cainus trahendus esset, *Geneseos* illa verba intelligenda contendit Præadamiticus dogmatistes. Ea porro pœna, quam peccanti Caino minatur hic Deus, conscientia ipsa sceleris intelligi potest ; quo spectat illud Horatii : « Culpam pœna premit comes. » Fac tamen, in Judices intendisse animum aut Deum, aut Mosen ea domini verba narrantem. Nihil Peyrerius inde in rem suam extundet. Nam anno CXXIX homines fuisse ingenti multitudine supra monuimus. Potuit præterea Moses hæc scribens ætatis suæ mores spectasse ; quo nihil Livio, Josepho, cæterisque historicis usitatius, imo et ipsi Mosi. Quid enim quæso illa Dei Noe adloquentis paulo ante diluvium verba? *ex omnibus animantibus mundis tolle septena, et septena, masculum, et feminam* (in sacrificium scilicet offerenda); *de animantibus vero immundis*(nec aptis ad sacrificia) *duo et duo, masculum, et feminam*[2]. Animantium certe mundorum, et immundorum discrimen, nomenque nondum ea ætate obtinuerat, sed post datam duntaxat a Deo legem, uti notavit Chrysostomus[3].

VI. Metus porro Cain non inanis fuit, hominum multitudine eo temporis, ut monuimus, late diffusa. Quid? quod « potuit, quemadmodum ab Ambrosio observatum reperio[4], et parentes parricidas timere, qui docuerat parricidium posse committi ; potuerunt enim et parentes de filio discere, quod didicerant posteri de parente. » Nec magis proficit Peyrerius ex Josephi illa quam indicavimus, narratiuncula. Non enim quo tempore Cain latrocinia illa perpetrarit, notat historicus ; potuit ergo longo post occisum Abelem tempore cum facinorosorum, sui nempe similium hominum manu alienos fines invadere, aliorumque facultates prædari; quum ad octingentos et amplius annos vitam produxerit. Id autem maxime adtentasse impium hominem verisimile est, quo tempore ex Seth propagati sunt *Filii Dei*. Quum enim Cain terrenæ civitatis, id est eorum, qui secundum hominem vivebant, caput malitia sua esset effectus ; civitatis Dei, illorum scilicet, qui secundum Deum vivebant, caput et propagator alter ab Adamo constitutus est Sethus. Harum vero societatum discretione facta ; inter cives terrenæ civitatis, et civitatis Dei dissensionem excitavit irreconciliabilem morum studiorumque disparitas. Potuit ergo Cain cum suis in Sethitarum fines excurrere, et prædas agere, illosque, tametsi nepotes suos, hostilem in modum lacessere, ac persequi. Neque incredibile est, eum qui fratrem occiderat, in nepotes, maxime remotæ adeo, vel nullius cognationis, rapinas, et scelera exercuisse.

VII. Quod autem de Caini uxore quarto loco adserebat Peyrerius, ineptum est, ac jamdudum ab Augustino gravissime refutatum[5]. Quamvis igitur nullam Adamo filiam tunc natam Scriptura commemoret, non sequitur, nullam natam fuisse. Sororem itaque suam uxorem duxit Cain ; quod ipsi in illo humani generis exordio, ut propagaretur, licuisse non Augustinus modo adfirmat, sed Græci etiam Patres Epiphanius, S. Joh. Chrysostomus vivissima *in Genesim* oratione[6], ac Theodoretus[7]. Idem Augustinus egregie, ac multiplici quidem ratione solvit[8], quod de Henochia civitate dicebatur, nimirum nec certum esse ait, Henoch fuisse primogenitum Cain, ut magnus propterea esse illi potuerit filiorum, ac nepotum numerus, quo tempore urbem illam ædificavit ; « non enim abs re est, ut propter aliquam causam, quum et alios haberet, diligeret eum Pater cæteris amplius (etsi non primogenitum); neque enim et Judas primogenitus fuit, a quo et Judæa cognominata est et Judæi : » nec si primogenitum demus Enoch fuisse, « ideo putandum est, tunc a Patre conditæ civitati nomen ejus impositum, quando natus est... sed quum illius hominis familia tanta numerositate cresceret, ut haberet jam populi quantitatem, tunc potuit utique fieri, ut et constitueret, et nomen primogeniti sui constitutæ imponeret civitati. » Certe ea est doctissimorum Chronologorum sententia, non ante annum mundi CD, fortasse etiam D primum anno Cainum Henochiam urbem condidisse.

VIII. Restat, ut aliud argumenti genus diluatur, in quo maxime triumphat Peyrerius. Negavit S. Augustinus antipodas[9], quod ipsi nimis absurdum videretur, « aliquos homines ex hac in illam partem, Oceani

1 V. 29.— 2 *Gen.* VII.— 3 Hom. XXIV in *Gen.*— 4 Lib. II *de Cain et Abel*, cap. IX.— 5 Lib. XV *de Civit. Dei*. cap. XVI. — 6 H. XXXIX Sethian.— 7 Qu. XLIII in *Gen.* — 8 *De Civit. Dei* lib. XV c. VIII.— 9 Lib. XVI *de Civit. Dei*. cap. IX.

immensitate trajecta, navigare, ac pervenire potuisse, ut etiam illic ex uno illo primo homine genus institueretur humanum. » Quinetiam usque adeo octavo sæculo ea inolevit opinio, ut Zacharias Romanus pontifex Virgilii cujusdam[1], qui antipodas exstare adfirmabat, sententiam « perversam, et iniquam doctrinam » vocaverit, ejusque auctorem damnari jusserit. Quum igitur jam constet, Antipodas existere, eos necesse est ab alio homine, quam ab Adamo prodiisse. Quis enim credat, homines ab uno Adam in Palæstina propagatos in oppositam terræ partem navigasse? nec ullam rei tantæ mentionem vel in Sacris Litteris, vel in profanis historiis fieri? Accedit, primum omnium navigium fuisse arcam Noe; quid enim opus fuisset, ut Deus de ea construenda Noe diligentia tanta curaque doceret, si naves aliæ, quibus vecti homines in oppositas terras commeassent, antea fuissent exstructæ?

IX. P. Serry ut huic argumento ad speciem molesto respondeat[2], hoc idem ait a Præadamitici systematis auctoribus solvendum; quum enim diluvio perierint omnes homines, Noetica dempta familia, eadem plane difficultas illos urgebit, si quis petat, qui homines ex illa familia procreati ad illas regiones ex Armenia appulerint; nec hujus tam audacis facinoris ullum in sacris, profanisve libris exstet vestigium. Nolim ego hoc uti responsionis genere; Peyrerius enim negat, diluvio omnes omnino homines interemptos fuisse : atque ut id concederet, illud nobis superesset incommodi, quod ex arcæ constructione derivatur. Nam post Noeticam arcam facile fuerit alias instruere naves, quibus oceanus trajiceretur : quod si illa primum omnium navigium fuit, ante diluvium aut antipodas exstitisse negandum erit, aut alios ab Adami genere homines regiones illas habitatas iterum colliget Peyrerius. Verius respondit idem Serry, non omnia esse scripto consignata; neque forte necesse fuisse, ut trajecto Oceano, partes illas Adæ posteri occuparent. Quis enim certo sciat, num eamdem ab initio mundi amplitudidem occuparet Oceanus, quam subinde, transacto diluvio, occupavit? Non desunt quippe, qui id negent, quique mare ex residuis diluvii aquis in immensum excrevisse putent, novaque subinde ac propemodum infinita spatia occupasse: unde effectum existimant, ut modo nonnisi navigio ad regiones antipodas iter sit, quum antea absque navigio iter esset. Hæc Serrius. Sed navigio opus fuerit. Qui probabit Peyrerius, Noeticam arcam primum omnium fuisse navigium? Nam quod Deus Noe universam condendæ arcæ rationem tradiderit, non inde factum, quod nulla ante illam navis instructa esset, sed quod non quæcumque navis esse debuit, verum ea, quæ tot animantibus ferendis esset par. Ad Zachariam Papam quod attinet, mirum est eum adferri in medium, qui ipsius sententiam plane confixit. Non enim Virgilius ad ipsum delatus est, quod antipodas esse doceret, sed quod alios, seu alterius speciei sub terris exstare homines, cujusmodi Præadamitæ essent, alio plane sole, aliaque luna collustratos disseminaret in vulgus. Neque Zacharias illum damnavit, sed Bonifacio Moguntino archiepiscopo causam ejus dijudicandam tradidit. Utrum vero Virgilius illius doctrinæ, quam *iniquam et perversam* non injuria Zacharias appellavit, reus deprehensus fuerit, ac propterea sacerdotio exutus, in disputationem cadit, negante Caronio, adfirmante P. Le Cointe[3]. Atque hæc satis in rem nostram sunto. In Trevoltinis litterariis monumentis anni MDCCVIII[4], egregia exstat de Virgilii doctrina, ac damnatione dissertatio, quæ lectu digna est.

CAPUT V.

Difficillimus ex epistola ad Romanos locus explanatur.

I. In arcem nunc invadimus Peyrerianæ sententiæ, difficillimum illum epistolæ *ad Romanos* locum, qui sanctorum Patrum doctissimorumque Interpretum ingenia maximopere torsit. Postquam Apostolus capite quinto dixerat : *propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt*[5], subjungit continenter : *usque ad Legem enim peccatum erat in mundo : peccatum autem non imputabatur, quum lex non esset ; sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysem etiam*

1 Ep. x *ad Bonifactum*. — 2 Prælect. VII. — 3 In Annal. Franc. ad ann. DCCXLVIII, n. 52. — 4 Januar. a. 11 et Febr. a. 33. — 5 V. 12.

in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ[1]. In quæ Apostoli verba, nomine legis, inquit Peyrerius, hic intelligenda venit lex Adamo data ; cujus transgressio peccatum Adami fecit; quam datam omnibus hominibus in Adamo consendum est, ratione eadem, qua violavisse illam homines omnes in Adamo reputandi sunt. Peccatum igitur erat in mundo usque ad Legem Adamicam ; ergo et ante legem Adamicam. Homines igitur agnoscendi sunt, qui ante Adamum peccaverint, quamvis peccatum ipsis imputatum non fuerit, quum lex non esset.

II. Porro ut hujus argumentationis vis, quam nostrorum interpretum discordantes sententiæ auxere, plane infringatur, de primo Apostoli commate dicendum prius, deinde de altero. Et quod ad illud spectat, quatuor quæri posse video ; nempe primum quorsum hæc ab Apostolo adferantur ? secundo de quo præsertim peccato loquatur Apostolus ? Tertio quænam sit ea lex, de qua ait : *usque ad Legem enim peccatum erat in mundo?* quarto qui fieri potuerit, ut peccatum esset in mundo, et non imputaretur, quum lex non esset ? Verum quod primo loco posui, placet in extremum reservare. Itaque ut de peccato, quo de agit Apostolus, disseramus, sanc. Anselmus, et P. Salmeron peccatum originale hic intelligi pugnant[2] ; Cornelius a Lapide peccatum interpretatur originale simul et actuale ; actuale tantum denotari contendunt post Origenem, pseudo-Ambrosium, aliosque veteres doctissimus cardinalis Toletus, et P. Harduinus in hunc Apostoli locum. His omnino adsentiendum. Nam uti scite animadvertit appellatus Tolletus, aut quod sequitur : *peccatum non imputabatur, quum lex non esset*, intelligitur de eodem peccato originali aut non, sed de actuali. Si de actuali intelligatur, videtur ambigua satis locutio, et inconnexa ; si de originali autem etiam exponatur, ut exponit Anselmus, causa non est accommodata, nimirum non imputari peccatum originale, quia lex (Mosis, hanc enim hic ab Apostolo denotari mox dicemus) non erat. Nam etiam lege posita originale non imputabatur, quovis modo exponamus imputationem ; peccatum enim originale non est contra legem Mosis ; non ergo vere diceretur, *peccatum originale non imputabatur, quum lex non esset*.

III. At enim videtur, inquit P. Salmeron, sermo esse de illo peccato de quo maxime ante dixit, quod *intravit in mundum*. et hic ait: *Peccatum erat in mundo;* at hoc originale erat, non actuale. Imo vero quia superiore versiculo de originali peccato egit Apostolus, hic actuale intelligendum est. Sed hoc clarissime constabit, ubi primam ex antea propositis quæstionibus expediero. Interea liceat pro re nata P. Harduinum refellere, qui cum contra Patrum, ac Theologorum mentem, atque adeo ipsa sacrosanctæ synodi decreta audacter sane superioris commatis verba illa : *in quo omnes peccaverunt* de peccato actuali explicuisset, eodem quod usurpavit P. Salmeron, argumenti genere utitur ad id confirmandum. Causalis, inquit, hæc particula *enim* perspicue admonet, illud quod proxime antecessit, *in quo omnes peccaverunt*, de peccato originali accipi non posse. Admonet enim de eodem peccati genere utrobique sermonem esse ; atqui in isto versu 13 de peccato actuali sermo est... ergo et prius illud *in quo omnes peccaverunt*, de peccato actuali Apostolus intellexit. At falsam esse majorem propositionem, ut nuper dixi, infra docebo. Deinde peto ab Harduino. Nonne fatetur ipse versiculo illo 12 *propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors*, peccati nomine originale designari peccatum ? Qui ergo ad actuale peccatum detorqueri possunt quæ in eodem leguntur versiculo, *in quo omnes peccaverunt ?* Mitto ambiguam, qua usus fuisset Apostolus, loquendi rationem ; sed mors certe utrobique eadem est in hoc versiculo, *et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit ;* igitur ut sibi constet Apostolus, de eodem quoque peccato intellexit ea *in quo omnes peccaverunt*, de quo prius dixerat : *et per peccatum mors*. Neque Harduino favent docti illi viri, qui voculas illas *in quo* non ad Adamum referunt, sed explicant *in eo, in quo*, seu *quatenus*. Nam sive ad Adamum illas spectare dicas, sive aliter interpreteris, verbum *peccaverunt* ad originale peccatum est referendum, uti illi ipsi referunt, qui illud *in quo* modis nuper indicatis reddunt. Sed quid ab eo homine exspectes, qui Theologos, et ipsos Tridentinos Antistites ait de illis Apostoli verbis ita sentire, quemadmodum diximus, « nullo alio nixos fundamento, quam Librorum, quos a Patribus scriptos falso putarunt, et adhuc putent. » Doleo de socio meo acer-

1 V. 13. 14.— 2 In ep. *ad Rom.* disp. XI.

rimi viro ingenii, et admirandæ eruditionis hæc me scribere debuisse; sed ubi Christianum dogma, Œcumenicæ synodi auctoritas, recepta ab Ecclesia Scripturarum interpretatio in discrimen adducitur, atque adeo labefactatur, societatis cujuscumque, ac vinculi rationes nihili habendæ sunt. Quamquam (quod ad excusandum virum doctissimum, ac piissimum maxime facit) et postumus est ille commentarius *in Novum Testamentum*, ipsique auctori dum viveret, e manibus invito ereptus, et erroribus illis inspersus, quos qua erat in Præsides suos reverentia, edita jam pridem palinodia recantaverat.

IV. Sed ad alteram transeo quæstionem, quæ de lege erat a Paulo hic memorata. Eam Adamicam fuisse, seu præceptum illud, quo Deus vetuit Adamum de *ligno scientiæ boni, et mali comedere* [1], vidimus initio capitis a Peyrerio traditum. P. Serry negat [2], eam intelligi posse, illud enim præceptum Adamo soli fuisse impositum, ita ut illius posteri eo minime obstringerentur. cum Abulensi existimat, qua in re non admodum dissentientem habet Pererium nostrum [3], qui incertum esse ait, et inexplicabile, an si status innocentiæ permansisset, posteri Adæ illa lege obligandi essent. At dum gravissimas illas, quibus theologi alii doctrina, et auctoritate summi, ut P. Salmeron [4], et Suarezius [5], adducti legem illam non Adæ soli, seu universæ ejus posteritati indictam contendunt, rationes considero, nolim incertæ opinioni, ac verosimilius falsæ orthodoxum adversus Præadamitas dogma committere. Itaque (ut nunc ea mittam, quibus paulo post ostendam, Apostolum de Mosis scripta lege fuisse locutum) satis sit animadvertere, ista ad rem Pauli haud futura, si legis nomine Adamicum præceptum esset intelligendum. Id enim Paulus ad probandum sumit, quod superiore versiculo dixerat, ab uno homine et peccatum, et mortem in mundum intrasse. Quæ autem esset argumentatio isthæc? « Usque ad legem Adamo latam peccatum erat in mundo; igitur per Adamum legis illius contemptorem peccatum, indeque mors in mundum intravit. » Ridicula sane, atque Apostolo indigna foret ista collectio, cui contraria potius ex altera illa propositione consequens est.

V. Quod vero Origenes legem naturalem intellexit, et eam quidem, quæ non ab exordio nativitatis hominibus advenit, sed aliquanto post tempore, elucescente rationis usu, invictis a Salmerone [6], et Toleto argumentis refellitur. Certe (ut unum ex his, alterumve indicem) neque cum superioribus cohærere iste sensus potest, neque peccatum diceretur apte esse in mundo, id est in omnibus hominibus, quum tantum esset in pueris rationis usu carentibus. Idem Salmeron eorum confutat sententiam, qui legem Evangelicam sibi parum prudenter visi sunt hic videre a Paulo memoratam. Nos ne in refellendis aliorum opinionibus longiores simus, quam in nostra confirmanda, cum plerisque Patribus, atque Interpretibus legem Mosis hic intelligimus. Ac Natalis Alexander quidem multa Scripturarum testimonia congessit, quæ in sacris Litteris legis nomine Mosaicam plerumque denotari suadent; sed his opus non est. Paulus enim ipse, ut acute a Salmerone, et Toleto animadversum fuit, videtur interpretari se ipsum; verbis enim, quæ explicamus, statim hæc addidit, *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysem*, idem significans *per Moysem*, quod ante significaverat *per legem*.

VI. Illud nunc disquirendum est, antequam alterius pergo, num præpositio *usque* ita intelligenda sit, ut tempus etiam Mosaicæ legis includat? an ita potius, ut illud excludat? Includi censent Theodoretus, Augustinus Anselmus [7], et ex recentioribus interpretibus Joh. Gagnæius in scholiis ad hanc Pauli epistolam; neque ab hac sententia abhorret Natalis Alexander; excludi adfirmant Chrysostomus, Pseudo-Ambrosius, Photius, atque his antiquior Irenæus, quos doctissimus Toletus appellat, sequiturque. Enimvero (nam probatior mihi est altera hæc sententia) Paulus ipse continenter subjungit: *Peccatum non imputabatur, cum lex non esset*, oportet igitur illud tempus interpretari, quod fuit ante legem datam. Accedat etiam, inquit Toletus, sententiam sic expositam, ut alterius illius interpetationis auctores aiunt: « peccatum erat in mundo usque ad legem, quia nec lege auferri potuit, » non posse cohærere præcedenti sententiæ, maxime quia est particula causalis (*usque ad legem enim*) nec etiam sequentibus connectitur, ut intuenti facile erit intelligere.

1 *Gen.* II.— 2 Prælect. VII.— 3 In *Gen.* lib. IV, quæst. II.— 4 In ep. *ad Rom.* disp. XLV.— 5 Tract. II *de opere sex dierum* lib. XXI, n. 7.— 6 Disp. XL in ep. *ad Rom.*— 7 Lib. I *de peccat. mer.* cap. X.

VII. Non minor est Patrum, interpretumque dissensio in verbo illo *imputabatur* explicando. Sunt qui cum Augustino ad homines referant [1], atque interpretentur *reputari*, *cognosci*, ut sensus sit : *ante legem erat peccatum*, *sed non cognoscebatur*, *parvi fiebat* : atque hæc explanatio placuit Bellarmino [2] et Cornelio a Lapide in commentario ad hanc, qua de agimus, Pauli epistolam. Alii Deum hic spectari aiunt ; sed hi ipsi in in varias abeunt sententias. Photius ab Œcumenio citatus non imputari peccatum exponit non adscribi culpæ ; non ita tamen ut ante legem scriptam peccata plane non adscriberentur perpetrantibus, et imputarentur in peccatum ; sed quod non ita imputarentur, quemadmodum postea ; magnitudo enim peccati non erat tunc cognita, sicuti cognita est post legem diversas pœnas stabilientem, variaque prohibentem peccata. Alii, quorum opinionem amplectitur Natalis Alexander, fatentur ante legem a Deo imputata fuisse hominibus tum ad reatum, tum ad pœnam ; sed negant fuisse imputata ad transgressionem ; *lex enim iram operatur* ; *ubi enim non est lex*, *nec prævaricatio*, inquit Apostolus [3]. Tandem Salmeron, et Toletus tunc imputari peccata existimant, quando qui illa patravit, tanquam reus pœnæ temporali condigne adjudicatur. Non vacat singulas hasce opiniones ad examen vocare. Confer citatos Salmeronem, et Toletum, quorum satis erit. ut quæ cæteris probabilior mihi videatur, explanationem confirmare. Ea certe, quod mox videbimus, ad mentem Pauli est ; sed et aliis ejusdem Pauli locis apte respondet. *Omnes*, inquit ille in secunda *ad Timotheum* epistola, *me dereliquerunt* [4], *ne eis imputetur* ? ne eis imputetur ? Quid est, hoc nempe, ne eos puniat Deus, neque tali peccato sumat vindictam ; non enim precabatur Paulus, ne illis esset hoc peccatum ; si enim male fecerant, eos peccasse necesse erat : sed rogat, ne Deus pœnam illis infligat, verum ignoscat. Similis est locus ille epistolæ *ad Philemonem* : *Si quid*, inquit, *tibi nocuit*, *aut debet*, *mihi imputa*. Quid aliud est, *mihi imputa*, quam a me pœnam exige, a me satisfactionem require ; ego pro eo reum me, ac debitorem constituo ?

VIII. Sed jam tempus est, ut quid intenderit Apostolus, aperiamus, locumque totum, cujus gratia ista hactenus disputavimus, cum Toleto explicemus. Probat ergo Paulus (utor doctissimi Cardinalis verbis), omnes mori propter peccatum, quod in Adam peccaverunt, nec pœnam hanc mortis inflictam esse hominibus propter actualia, et particularia sua peccata contra legem commissa, sed propter peccatum, quod in Adam commiserunt ; ab eo enim peccatores, et morti obnoxii omnes nascuntur. Probatio autem hæc est : peccatum in mundo fuit usque ad legem scriptam, et a Deo datam ; semper enim peccatores inventi sunt toto tempore, antequam lex a Deo per Mosem data esset. Horum peccatorum mors pœna esse non potuit, quia peccata non imputantur ad pœnam temporalem, nisi ex legis præscripto ; tunc autem non fuit lex data pœnam talem præcribens ; ergo non potuit propter talia peccata mors infligi omnibus ; regnavit ergo mors ab Adam usque ad Mosen, etiam in eos qui non peccaverunt ullum proprium peccatum actu commissum ; igitur non alia ex causa quam ex Adæ peccato.

Hoc est totum argumentum Pauli, qui subtiliter usus est tempore illo, quando lex nondum fuit data : non quod etiam post legem non nascantur homines peccatores, et morti obnoxii ; nati enim sunt ea lege et nunc in hoc tempore, antequam renascamur in Christo ; sed quod illo tempore, quando nondum lex data fuit, manifestius probabatur, mortem non propter peccata particularia hominum inflictam esse : nam ubi non est lex scripta, non est pœna temporalis contra transgressores, quam postea lex Mosis propter multa peccata infligendam statuit ; lex enim naturalis non infligit pœnas temporales determinatas contra transgressorem ; nam hoc est particulare legis positivæ. Cum ergo illo tempore fuerit pœna hæc, et adeo universalis, ut etiam in eos pervaserit, qui adhuc nec legem naturalem transgressi fuerant, profecto referenda est ad peccatum Adæ, in quo peccavimus, et mortem contraximus ex divina illa lege, et præcepto, quo sub mortis pœna omnes in Adam vetiti sumus de ligno comedere. Hactenus Toletus. Atque hinc constat, cur Paulum dixerimus de actualibus peccatis hic locutum fuisse, etsi de originali culpa in superiore commate egerat. Nam ut argumento Pauli sua stet vis, eoque originale peccatum probetur, necesse fuit, Apostolus ex actualibus peccatis, eorumque ad omnes homines mortis pœna damnandos minore efficacia argumentari.

1 Lib. I *de pecc. mer*, cap. x.— 2 *De amiss. grat. et statu pecc.* lib. IV, cap. VIII.— 3 *Ad Rom.* IV, 5. — 4 Cap. IV.

IX. Atqui Peyrerius diluvium hic urget, cœlestes flammas, quæ Pentapolim in cinerem redegere, aliasque gravissimas pœnas, quibus ante Mosaicam legem de hominum sceleribus ultus est Deus. Sed nihil proficit hisce divinæ ultionis exemplis fabulator Præadamita. Neque tamen necesse est cum P. Serry Apostoli verba ad ea solum peccata contrahere, quæ deinde scripta lege vetita sunt; nam si peccatis, quæ contra naturæ legem admissa fuere, cujusmodi ea omnia sunt, quæ Deus graviter puniit, mortem, cæterasque id genus temporarias pœnas fere debitas fuisse fatemur, multum Pauli argumento vis imprudentes demimus. Itaque consultius est cum Toleto respondere, Deum in aliquos ob peccata legi naturæ adversantia animadvertisse quidem, sed id fuisse potius propter illa crimina pœnam mortis, cui ex Adami peccato obnoxii erant, ante tempus exigere, quam mortem ob ejusmodi scelera illis inferre; nam qui puniti sunt, ex antiquo illo capite mortis erant rei. Adde etiam cum eodem Toleto, illud non semper fuisse; at hoc semper; non ergo ex peccato aliquo proprio perpetrato id esse potest, sed ex origine, et causa dicta.

X. Hactenus de primo illo Apostolici textus commate; secundum etsi num. 8 qui intelligendum sit, indicavimus, uberius nunc est explicandum. Verum antea de legitima ejus lectione disquirendum est; de qua duo disputantur. Primum est, utrum particula *non* auferenda sit? alterum utrum verba illa *in similitudinem mortis Adæ* cum illis *non peccaverunt* conjungenda sint, an potius ea spectent ad superiora: *Sed regnavit mors ab Adam usque ad Mosem?* Ad primam quæstionem quod spectat, sanc. Ambrosius, seu potius Hilarius Diaconus, quem ferunt auctorem esse commentarii in Pauli epistolas inter Ambrosii opera divulgati, demendam esse ait particulam *non*, quam nec Tertullianus, nec Victorinus, nec Cyprianus legerunt, nec alii vetustiores latini codices ab ipso inspecti habebant. Origenes, seu potius Ruffinus ejus interpres ne ipse quidem negationem legit [1]; in quibusdam tamen exemplaribus inveniri fatetur, eamque in commentariis suis in Joannem exhibet genuinus Origenes. Sanc. Augustinus duplicem hujus loci lectionem recenset; et neutram rejicit quidem [2], propendet tamen potius in nostram, adfirmans facilius esse corrumpi Græca, quam latina exemplaria: quod ipsum docet in libro *de peccatorum meritis et remissione* [3]. Sedulius utramque lectionem admittit, sed lectio Græci textus editi, atque vulgatæ, Salmerone, Toleto, et Calmetio judicibus, melior est atque probatior, ac belle sanc. Pauli sententiæ respondet, eamque sanc. Irenæus [4], et vulgo plerique Græci, latinique Patres sequuntur, uti et veteres hujus epistolæ tituli ex antiquissimis codicibus eruti a Card. Thomasio, atque a Vezzosio. Quamobrem illam omnino retinebimus. Sanc. Chrysostomus, ut ad aliam transeam disquisitionem, ab illis verbis *qui non peccaverunt,* commate disjungit sequentia *in similitudinem prævaricationis Adæ*, quæ propterea cum superioribus *regnavit mors* conjungit.

Idipsum placuit Toleto; sed hac in re adsentiri illi non possum, repugnantibus interpretibus fere omnibus, ac Patribus ac vetustissimis Thomasianis titulis. Planus jam erit hujus versiculi sensus, qui hujusmodi est: *Regnavit mors*, quia nemo ab ea se, aut alium liberare potuit, sed necessario omnibus moriendum fuit. Dicitur etiam *ab Adam* regnasse mors *usque ad Mosem*, non quod etiam post Mosen, imo et Christum non regnarit, regnetque etiamnum, sed quia de illis, qui ante legem Mosis vixere, loqui maluit Paulus, quam de aliis, ut eis apertius ostenderet, quemadmodum supra docuimus, mortem adeo non infligi propter actualia peccata, sed propter originale. Dicitur præterea mors regnasse *etiam in eos, qui non peccaverunt*, intellige opere suo, et in se, ut infantes. Tandem addit Apostolus *in similitudinem prævaricationis Adæ*; quod quidem qui cum Chrysostomo ad verbum *regnavit* referunt, explicant causa similitudinis Adæ, seu quod similes prævaricatori Adæ nascantur propter originale peccatum: nos autem interpretamur, *ut Adam, qui actu peccavit;* unde in veteri titulo Thomasiano pressius ad rem nostram legitur: *in similitudine prævaricationis Adæ*. Nec plura de hoc Apostoli obscurissimo loco suppetunt, quæ addamus.

1 In ep. *ad Rom.* — 2 Ep. CLVII, al. 89 *ad Hilar.*— 3 Cap. XI.— 4 Lib. III, cap, XX.— 5 Tom. I.

CAPUT VI.

Isaaci la Peyrere argumentis ex veteri historia petitis fit satis; deque vetustissimorum Regnorum originibus disputatur.

I. Incredibilis est annorum numerus, quos Gentes quædam sibi tribuere, ut aliis præstare se antiquitate demonstrarent. Nam Chaldæos usque ad Asiaticam Alexandri expeditionem « quadringenta, et septuaginta annorum millia numerasse, ex quo sidera observare cœpissent, » ex Diodoro Siculo, ex Cicerone [1], et Lactantio cognovimus [2]. Ægyptios vero quid memorem, qui cum et reges Deos, et reges heroas, et reges demum homines habuisse se jactarent, regum suorum historias per immensam annorum seriem produxerunt? De antiquissimis eorum Dynastiis mira sunt, quæ ab Herodoto, aliisque narrantur rerum Ægyptiarum scriptoribus. Salmasius vetustissimi auctoris meminit, qui Ægyptiorum regum dynastias omnino triginta posuit, easque per annorum myriadas tres duravisse scripsit; myriadas vero illas exposuit millies decies millia cum tribus annorum millibus. Diodorusquoque Siculus sacerdotes Ægyptios testificatur [3], « facta supputatione temporum a regno solis ad Alexandri transitum in Asiam annorum vigiati tria millia circiter colligere. » Plinius autem refert [4], Ægyptios gloriari solitos artem pingendi sex annorum millibus in Ægypto floruisse, antequam in Græciam transiret. Herodotus præterea ait sacerdotes Ægyptios tempus, per quod homines reges in Ægypto regnavissent, numerasse « decem millia trecentos et quadraginta annos. » Imo decem retro mille annos ante vetustissimum Deucalionis diluvium sacerdotem quemdam Ægyptium Solonі numerasse Plato in *Timæo* commemorat. Sed Sinarum quoque periodus portento similis est. Nam juxta Sinenses « hic annus MDXCIV, inquit Scaliger, qui eo anno Emendationem temporum scribebat, est a conditu rerum octingenties octogies millesimus septuagesimus tertius. » In sæcula item innumera recurrit Scytharum, atque Americanorum de origine mundi computum. Hæc ergo cum verissima haberet Peyrerius, gentiles multis annorum myriadibus Adamo, ejusque posteris antiquiores fuisse collegit; quo enim circiter tempore creatus sit Adam, ex sacris Litteris constat, et certe quamcumque illarum putationem sive Hebraicam, sive Samaritanam, sive etiam ampliorem Græcam sequare, nunquam intra annorum, quos illæ exhibent, spatia tot a Gentilium monumentis indicata sæcula contrahes.

II. Hæc tamen fabulosa omnino esse commenta tam certum est, quam quod certissimum. Ostendam id prius argumentis quibusdam communibus; tum de singulis, quorum Peyrerius tantam jactat, tamque incredibilem antiquitatem, Regnis, populisque demonstrabo. Ac primum argumento utar efficacissimo, quod a Scriptura suppeditatur. Moses enim, cujus divinam auctoritatem se venerari profitetur Peyrerius, de filiis, posterisque Noe scribit *hæ familiæ Noe juxta populos, et nationes suas. Ab his divisæ sunt gentes in terra post diluvium* [5].

Atque equidem scio, negari a Peyrerio universorum hominum cædem a Noetico diluvio terris illatam fuisse. Verum ne in hanc ingrediamur quæstionem, in qua tamen certissimis Scripturarum testimoniis aliisque ex omnium gentium historia monumentis possem hujus auctoris deliramenta refellere, illud saltem ex eo *Genesis* loco efficitur, gentes et regna ab una familia Noe derivasse.

Argumentum aliud suggerit sanc. Augustinus his verbis [6]: « si semper humanum genus fuit, quonammodo verum loquitur Historia narrans, qui fuerint, quarumque rerum inventores, qui primi liberalium disciplinarum, aliarumque artium institutores, vel a quibus primum illa vel illa regio, parsque terrarum illa atque illa insula incoli cœperit. » Quæ ratio, inquit Natalis Alexander, invicta est non modo contra mundi æternitatem, quam ibi Augustinus impugnabat, verum etiam contra fictitia tempora, quæ a profanis Auctoribus retro lapsa finguntur ante illud tempus, quo sacra historia mundum fuisse conditum commemorat. Cur enim stupendo tot annorum intervallo, quod ante Adamum comminiscuntur, inventæ non essent artes, quarum Auctores, et origines post Adamum notantur? Quum incredibile sit, genus humanum, quod arte, et ratione vivit, infinita

1 Lib. I *de Divin.*— 2 Lib. VIII *Instit.* cap. XXXIV. — 3 Lib. I.— 4 Lib. XXXV, cap. XII.— 5 *Gen.* X, 32· — 6 Lib. XII *de Civit. Dei.* cap. X.

propemodum annorum serie absque artibus vixisse. Accedit mira historiarum profanarum conflictio in annis Regnorum illorum notandis, quæ talis, tantaque est ut vix unum Scriptorem alteri consentientem sit invenire. Nam Justinus Assyriorum imperio mille tantum tribuit, et trecentos annos; Diodorus Siculus mille trecentos et sexaginta; Paterculus mille septuaginta, Josephus mille trecentos septemdecim; e nostris vero Eusebius mille ducentos quadraginta. Ægyptii autem quinque annorum millia Imperio illi adscribunt. De ipsis vero Ægyptiis quanta Scriptorum dissensio sit, superiore numero vidimus; nec minor certe est quod ad Sinenses attinet, ut infra dicam. Quantus et illud est ad infringendam tantam horum populorum antiquitatem, quod A. Franciscus Blanchinius in *Historia universali* animadvertit eorum scilicet historicos de tanto sæculorum intervallo posteritatem edocturos, nihil nisi ridiculas fabulas scripto consignasse, aut nuda principum nomina retulisse; imo ne nomina quidem, ut ex iis, quæ ex Ecatæo de Ægyptiis prodit Herodotus, fit manifestum[1]. Incredibile enim est, populos, qui tantam jactabant vetustatem, cæterisque propterea gentibus antecellere se existimabant, nihil servasse monumentorum, quibus res stupendo illo sæculorum spatio a suis gestæ confirmarentur; ut ne illa ostentari magis, quam vera esse videretur. Atque id quidem in astronomicis observationibus eo majorem vim habet, quod Ægyptii Chaldæos a se, suisque sacerdotibus in astrorum scientia institutos gloriarentur; hi vero cœlestes observationes quadringentis septuaginta annorum millibus peractas, monumentisque comprehensas se habere delirarent. Qui ergo factum, ut Ptolomæus, etsi Ægyptius is erat, quum suas cum vetustioribus observationes contenderet in Almagesto, non ad patriorum sacerdotum libros, nec ad mille ducentas eclipses quas hi quadringentis octo annorum millibus ante Alexandrum Magnum in Ægypto notatas a se, majoribusque suis Laertio teste jactabant in vulgus[2]; sed ad Chaldæorum confugerit monumenta? Hæc porro cur tantum eclipses octo antea sæculis observatas comprehendebant? nisi quod non remotiorem ea natio habuerat ætatem?

III. Jamvero ut de singulis aliqua dicam, atque ab Ægyptiis incipiam, eorum annus olim uno mense definiebatur; bimestris deinde fuit, tum quadrimestris, ac tandem ad duodecim menses adcessit. Docent id Plinius Diodorus Siculus[3], et Censorinus[4]. Sanc. quoque Augustinus, « perhibentur, inquit[5], Ægyptii tam breves annos habuisse, ut quaternis mensibus finirentur. » Calmetius quidem in suis disquisitionibus in chronologiam Ægyptiorum, Græcorum etc. negat, Ægyptios annum adeo brevem, atque imperfectum habuisse; sed CL. P. Le Quien in libro inscripto: *Défense du texte Hebreu et de la version vulgate* antiquioribus illis fidem habendam esse jure optimo contendit; nam quod Moses etsi Ægyptiacarum rerum peritissimus annum duodecim mensibus semper comprehenderit, non aliud efficit, nisi aut sacrum illum scriptorem ad gentis suæ potius quam ad Ægyptiacæ consuetudinem annos putasse, aut ejus ævo Ægyptios fortasse ab Hebræis edoctos annum duodecim mensibus numerare cœpisse. Hinc autem multum decrescit grandis ille Ægyptiacorum annorum numerus. Cæterum Manetho is est ex vetustis scriptoribus, cui in Ægyptiacis rebus magis credendum sit. Is autem ad Nectanebum regem generationes numerat CXIII in dynastiis XXX Deorum, Semideorum, et mortalium. Nunc ab Isaaco Peyrerio peto, num fidem Manethoni haberi velit? Eam elevant quidem post Josephum, Eusebium, et Syncellum doctissimi viri Petavius, Jacobus Cappellus, Hermannus Conringius, Ed. Stillingfleetus, aliique, quos recenset Joh. Alb. Fabricius[7]; demus tamen, quod multis nunc temporis placere video, credendum Manethoni. Angli auctores universæ historiæ Deorum dynastias antediluvianas fuisse suspicantur, Semideorum et mortalium postdiluvianas, et has quidem a Mene, illas a Mezraim initium duxisse; nec sane negari potest, satis verisimilibus ista niti conjecturis, et Præadamiticis fabulis evertendis conferre. Sed hoc (etsi Isaacus Newtonius aliter sensit in sua *Chronologia*) fere omnes Herodoto adsentiuntur scribenti, « Menen fuisse primum Ægypti regem. » Utrum autem hic Cham fuerit Noe filius, quod placuit Marshamo[8], an potius anno post ortum Phaleg CXVII Ægypto imperarit, ut Pezronio visum est[9], an etiam serius circa Abrahæ tempora collocandus sit,

1 Lib. II, n. 140.— 2 In prol. *Vit. Philosoph.* — 3 Lib. VII, c. XLVIII.— 4 Lib. I.— 5 XII *de Civ.* c. X.— 6 *Bibl. Græc.* t. II.— 7 Tom. I, cap. I, sect. V et cap. III, sect. III.— 8 In Canon Chron. p. mihi 23.— 9 *Antiquité des temps rétablie*, c. XIII.

quemadmodum Perizonius sensit in *Origin. Ægyptiac. et temp. antiquissimorum investigatione*? quæstio est alterius instituti. Hoc certum est, Menen, Ægyptiacumque Regnum post Noeticum diluvium floruisse; imo et Mestraim secundus Chami filius, quem Ægyptum primum habitasse Jesephus refert[1], et ex eo appellatus Pezronius, (Tourneminius tamen non hominis id nomen esse, sed populi contendit) ad postdiluviana tempora spectat. Nam Manethonis illæ dynastiæ non successive omnes in Ægypto floruerunt, sed uti post Marshamum plerique existimant (etsi non una est in illis collocandis horum omnium sententia) illarum aliquæ simul in variis regionis illius provinciis sedem, regnumque obtinuere. Sed et aliam Manethonis cum sacra chronologia conciliandi viam longe expeditissimam superioribus annis detexit doctus canonicus Gallus Richerus; de quo consule Trevoltianos Patres in *Litterariis* a. MDCCXLIV monumentis. Viden [2]? quot suppetant momenta, ut ne ob miram Ægyptiacæ gentis antiquitatem Præadamitica deliramenta adoptemus.

IV. Nec pauciora ea sunt, quæ cum objecta Chaldæorum vetustate pugnant. Atque illud omitto, quod viri quamplures docti aiunt, Chaldæorum annos initio non ultra diem excurrisse, quemadmodum et de antiquioribus Ægyptiis Palæphatus tradit in fragmentis ex Chronico Alexandrino; nam licet id verisimilibus suadeant conjecturis Angli historiæ universæ scriptores in animadversionibus ad tomi primi, capitisque item primi sectionem quintam, illud tamen et a Ricciolio [3] et ab Joh. Alberto Fabricio [4] improbatum reperio. Ctesiæ, et Berosi fragmentis universa nititur Chaldaica historia. Atqui Ctesias vanus fideque indignus Scriptor visus jam olim est quamplurimis, Straboni, Plutarcho[5], aliisque itemque recentioribus Hermanno Conringio[6], et (ut cæteros sileam) CL. Bernardo de Montfaucon in libro *de veritate historiæ Judith*. Berosus vero [7], (etsi multa vere scripsit, ac Mosaicæ narrationi non dissentanea, qua de causa et ab Josepho primo *contra Apionem* libro, et a Theophilo Antiocheno in tertio libro *ad Autolycum* laudatur) fabulis veritatem inspersit, fœdavitque. Confer Isaaci Jaquelotii dissertationem primam *adversus Atheos*. Ex Scriptura certiora Babylonicarum originum monumenta habemus[8]. De Nemrod enim hæc prodit Moses : *Fuit autem principium Regni ejus Babylon, et Arach, et Achad, et Chalanne in terra Sennaar*[9]. Igitur a Nemrod sive is Belus sit, quod le Quienius, aliique plures opinantur, sive alius a recentiore Belo uti Pezronius existimat, repetendæ sunt Babyloniorum origines. Nemrod autem filius fuit Chus, et Chami nepos. Quid ergo garrit Peyrerius? quid Babylonios jactat, ut Præadamitas suos confirmet?

V. De Sinensibus pauca dicam. Hæc certa videntur. I. Sinenses annales scatent fabulis. Exemplo sit, quod in illis legitur, sub rege Jao sole per decem dies hærente, immotoque in eodem cœli loco mundum propemodum conflagrasse; cum tamen sciamus ex libro *Josue stetisse solem in medio cœli, et non festinasse occumbere spatio unius diei; non fuit antea nec postea tam longa dies* [10]. II. Sinensium opinio, quæ multas sæculorum myriadas mundo tribuit, et recentior est, et a sagacioribus falsa habita, ut quæ arbitrariæ epochæ nitatur a Lienou-hiungo LXVI ante Christum natum anno cursus cujusdam astronomici auctore inventæ. III. Ipsimet Sinenses historici mire in statuendis suæ gentis originibusque, suorumque Imperatorum successionibus, annisque inter se dissentiunt. Freretus vir clariss. in disquisitionibus de Sinensis Chronologiæ antiquitate, et certitudine in monumenta Regiæ Parisiensis Inscriptionum, atque cultiorum litterarum Academiæ illatis undecim omnino de Jai Imp. initiis sententias refert ita invicem discrepantes, ut quæ recentissimum illum statuit, ab ea, quæ in vetustiora eumdem tempora conjicit, CCLXXXIV annorum intervallo dissideat. IV. Vel Jaus primus cum P. Mastinio fuisse dicatur Sinensis Imperii institutor, vel potius Foius; ut plerique sentiunt, salva res est, nam ille circa annum ante Christum MMCXLV, floruit, hic Hebero Phaleg Patri æqualis temporum fuit juxta putationem Pentateuchi Samaritani, cui maxime favet Sinensis chronologia. Sed de his præter Pezronium[11], Le Quienium et citatum Freretum consule Leonardum des Malepeines tomo secundo Warburthoniani speciminis super Ægyptiis hieroglyphicis Gallice versi, et Trevoltianorum Patrum monumenta litteraria anni MDCCXLIV [12].

1 *Ant.* lib. I, cap. VII.— 2 Apr. art. 31.— 3 Chron. Ref. V, cap. II.— 4 Tom. XIV *Bibl. Græc.*— 5 In Artaxercis vita.— 6 In Advers. Chronol. — 7 Cap. XIX.— 8 *Gen.* X, 10.— 9 Cap. X.— 10 Cap. XIV.— 11 II p. cap. VII.— 12 Sept. art. 65 et oct. art. 75.

CAPUT VII.

Frustra Peyrerius ex varia hominum forma, diversoque colore suo systemati præsidium quærit. Unde nam Æthiopibus, aliisque quos Nigritas vocant, niger color, diligentius disquiritur.

I. Stultissimus sit, oportet, qui Blemyas capita non habentes, sed os, oculosque pectori adfixos, homines in lupos, et animantia alia conversos, cæteraque id genus figmenta commemoret, ut homines specie diversos colligat. Neque simias, et cercopithecos, et sphingas appellabo, quos « si nesciremus homines non esse, sed bestias, ut aiebat sanc. Augustinus [1], possent illi historici (dic in re præsenti Præadamitas) de sua curiositate gloriantes, velut gentes aliquas hominum nobis impunita vanitate mentiri. » Monstra ipsa quid advocem ? in quibus (quod animadvertit Joh. Alb. Fabricius) « defectum aut errorem, vel Dei nefandas hominum libidines castigantis documenta intelligere licet, nullum autem ducere argumentum ad ultimæ originis nec ab Adamo repetendæ diversitatem cum hoc habeant monstra, atque ideo monstra sint plerumque, quod proximi etiam parentibus suis dissimilia generentur, sæpe ne in proximam quidem generationem propaganda, neque communia integris gentibus (licet sanc. Augustino haud absurdum visum fuerit [2], dari ut singulorum hominum, sic etiam monstra gentium) sed uni tantummodo, vel paucis quibusdam peculiaria. Sed de his omnibus confer citatum Fabricium, auctoresque [3], quos ille eruditissime percenset.

II. Ex varia hominum figura, statura, et colore proclivius foret pro Peyrerii systemate argumentari. Enimvero Jordamus Brunus multo ante Peyrerium stulte [4], impieque cecinerat,

« quia multicolores
Sunt hominum species, nec enim generatio [nigra
Æthiopum, et qualem producit America [fulva,
Udaque Neptuni vivens occulta sub antris,
Pygmæique jugis ducentes sæcula clausis
Cives venarum telluris, quique minæræ
Adstant custodes, atque austri monstra Gi- [gantes,
Progeniem referunt similem, primique pa- [rentis
Unius vires cunctorum progenitrices.

Quid ? quod in Parisiensi Litteratorum hominum diario anni MDCLXXXIV, systema legitur celebris cujusdam peregrinatoris, qui quatuor aut quinque hominum species indicatis de causis comminiscitur. Lugdunensis quidam, medicus nostris quoque temporibus dissertationem edidit, in qua licet in fidei catholicæ obsequium unam tantummodo hominum speciem se agnoscere disertis verbis fateatur, rationem tamen ait pro multiplici stare, ob nimiam scilicet difficultatem, quæ in explicando Nigritarum colore occurrit; qua de causa a Trevoltianis Patribus in litterariis anni MDCCXLIV monumentis graviter auctor iste reprehenditur [5].

III. Certe, nt etiam a CL. Leibnitio observatum est [6], hæc hujusmodi non sunt, ut hominis alterius speciei suadeant, cum variorum climatum vis eamdem omnino speciem potuerit nonnihil immutare, quemadmodum in plantis quoque, animantibusque videmus, quæ in alia climata translatæ naturam quodammodo mutant, atque aut meliores fiunt, aut in deterius degenerant. Sed de statura, et colore hominum vario paulo fusius infra disserendum erit. Placet interea cum Fabricio animadvertere [7], formæ in hominum facie, atque universo habituum corpore diversitatem, quam Præadamitæ, aliique tantopere urgent, ut homines in plures species partiantur, sæpe a moribus, et institutis humanis esse derivandam. Frequens in veteribus monumentis memoria Pictorum, qui faciem pinxere coloribus (vide Sirmondum ad septimum Sidonii carmen. et Cellarii Geographiam antiquam). Nec monstrosa capitum in hominibus forma, quam in nonnulis novi Orbis regionibus repertam fama est, alii causæ, quam mori barbaro debetur detorquentium capita in infantibus statim a partu, ut ex Petri Hispalensis Silva Henricus Kornmannus [8] in libro *de Miraculis vivorum* aliique commemorant. Solet etiam in quibusdam gentibus veluti singulare quoddam adnotari, quod faciem simam, nullasque fere nares exhibeant; quum tamen ne

1 Lib. XVI *de Civit. Dei.* c. VIII.— 2 L. cit.— 3 Diss. *de hominibus ortu non differentibus* c. II et III. — 4 Lib. VII *de Monade, numero, et figura.* — 5 Januar. art. 7.— 6 Miscell. Leibnitz.— 7 Cit. Diss. cap. V.— 8 Cap. XXXV.

hoc quidem a natura proficiscatur, sed ineptæ cuidam debeatur, at receptæ inter eas consuetudini, qua solent illæ gentes tenellis infantibus tota vi nares deprimere, ut in Hottentotis oculatus testis observavit Petrus Kolbe, inque accurata Capitis bonæ Spei descriptione memoriæ prodidit. Similiter unimammæ ut essent Amazones, non efficiebat natura, sed matrum crudelis industria; quæ illis adhuc tenellis æreo instrumento in hunc usum parato, igneque candefacto dexteram mammam auferebant, exurebantque, ne iterum succrescere contingeret, atque ut omnis vis, ac robur in dextrum humerum, et brachium deferretur; uti narrat Hippocrates in libro *de aere, locis, et aquis*. Toto hirtos, hispidosque corpore sunt nonnulli, qui certos homines venditent, ut Lappones; atqui hi toti unice contecti sunt pellibus, villosa parte extrinsecus versa; quod quum viderent aliqui, atque ejusmodi vestium prorsus essent ignari, corpus ipsum eorum hirsutum rati fabulam hanc in vulgus disseminarunt. Plura in hanc rem possent commemorari, si esset necesse.

IV. Exstitisse gigantes negari non potest. Nam ut demus, *Nephilim* illos, de quibus *Geneseos* liber[1], gigantes non fuisse, alios gigantes dubio procul Scriptura commemorat, ut Ogum Basanitarum Regulum et Goliam in libris *Regum*[2]. Sunt etiam ex historiis gigantes alii per quam celebres, quos recensent, illustrantque Theodorus Ryckius in oratione *de Gigantibus*, Calmetius in dissertatione *de Gigantibus*, Fabricius in citata dissertatione *de hominibus ortu non differentibus*[3], Abbas Artigny in novis monumentis historiæ, critices, et Litterariæ eruditionis[4], qui postremus auctor refellit Mahudelium gigantes non ultra regios pedes XII proceros fuisse adserentem in dissertatione monumentis regiæ Parisiensis academiæ inscriptionum, politiorisque litteraturæ inscripta[5]. Contra pygmæi non pauci ab eodem Fabricio numerantur, nosque etiam in nostris urbibus non semel hujusmodi homunculos vidimus. Frustra tamen et hos et illos argumento esse quis dixerit diversæ inter homines speciei. Gigantes enim materiæ tamen, et formatricis naturæ excessum, ac vim, pygmæi defectum, et vitium intra eamdem speciem produnt.

V. Difficilius expeditu est, quomodo si ater fuit, aut albus Adamus, ex nigro candidi, ex albo atri procreari potuerint. Quamobrem in varias, ut in rebus arduæ disquisitionis fieri solet, discessum est ab Auctoribus sententias. Atque has antequam refero, illud contra Præadamitas potissimum observari velim, non esse, cur hoc argumento tantopere glorientur. Fac enim, pæne impossibile esse Nigritarum coloris causas adferre. Quæ quæso consecutio isthæc est? « igitur ab alio parente nati sunt, non ab Adamo. » Quot phænomenorum causæ nos latent? Num propterea aut phænomena illa negabimus, aut causas adferri licebit in medium quæ orthodoxæ fidei, quæ Scripturis sanctis adversentur? Atqui unde unde tandem repetendus sit Æthiopum color, nisi fidei dogmata convellere, ac sanctis Scripturis repugnare velimus, ad diversas alborum, et nigrorum hominum ex diversis protoparentibus origines referre illum minime possumus. Præterea si semel contra Præadamitas, uti facile possumus, diluvio periisse omnes homines demonstretur, nulla huic difficultati vis inesse poterit. Tunc enim omnes qui a diluvio nati sunt homines cujus cujus demum coloris, ab uno Noe, filiisque ejus progeniti erunt. Interroga jam Præadamitas an universorum hominum, atque adeo suorum etiam ab alio quam Adam fuerit homine prognatorum cædem adstruendam coactos : aterne, an albus fuerit Noe? Urge illos, ut edicant, qui ab uno homine, qui aut albus, aut niger, utrumque certe non fuit, et albi, et nigri homines editi fuerint. Atque quod illi responsum dederint, ad antediluvianos homines refer.

VI. Sed tamen satis verosimiles hujus rei causæ proferri possunt. Distinguendum vero ante omnia duplex in hominibus nigroris genus. Alterum gradus varios admittit, et fuscum fere colorem, lividumve gilvum ac luridum refert; cujusmodi color est eorum, qui ex albo et nigra, aut nigro et alba nascuntur. Alterum nigroris genus est perfectioris, conjunctique cum nitore argentei splendoris æmulo, qualis in Æthiopibus observatur, qui tanto pulchriores habentur, quanto atriores sunt. De priore genere minus dubium est, et facile quis adsentietur Theodoreto illam coloris diversitatem solaribus radiis diversimode in diverso climate aerem ferientibus tribuenti[6]. Hæc veterum videtur

1 Cap. VI, 4.— 2 *Deut.* III, 2.— 3 Cap. IV.— 4 Tom. I, art. XII.— 5 Tom. V.— 6 Lib. VII *de Provid.*

fuisse sententia. Hinc Plinius a « Gange, inquit, versa ad meridiem plaga tinguntur sole populi[1], jam quidem infecti, nundum tamen Æthiopum modo exusti, quantum ad Indum accedunt, tantum colore præferunt sidus, nigriores scilicet fiunt. Solinus etiam aiebat[2] : Indo flumini proximantes, versa ad meridiem plaga, ultra alios torrent calore : denique vim sideris prodit color. » In quam sententiam Poetæ sæpius abiisse inveniuntur. Sic Lucanus[3] :

« Testis tibi sole perusti
Ipse color populi. »

Et antiquior, elegantiorque Propertius [4]

« Ustus et Eoo decolor Indus equo ;

Ad quem locum adi interpretes, præsertim Broekhusium, et Vulpium. Atque hinc fit, ut qui domi se continent, cum minus figant in cute solem, minus nigrorem contrahant, quemadmodum Thomas Hyde observat in notis *ad Peritsolii itinera*. Neque ab æstu solis tantum, sed et ab urente frigore provenire etiam posse fuscum, luridumque in cute colorem et ab Hippocrate olim notatum fuit in libro *de aere, locis et aquis* [5], et experientia confirmat. Barrerius medicus Gallus aliam hujus phænomeni explicandi rationem iniit, quam infra edisseram.

VI. Perfectiorem autem, et qualis Ethiopum est, profundum ac saturum nigrorem nolim aut cum anonymo, cujus systema legere est in Trevoltianis Ephemeridibus anni MDCCXXXIII [6], ad signum illud referre, quod Caino posuisse Deus dicitur a Mose, ne interficeretur, ut Nigritæ Caini posteri habeantur. aut cum Jo. Ludovico Hannemanno, aliisque ab imprecatione Noe in Cham, ejusque posteros, quales dicuntur fuisse Æthiopes a Chus Chami primogenito exorti, accersere. Nam prima illa opinio et diluvium negat in universas terras effusum, et cum Mose pugnat, qui ait de tribus Noe filiis : *Tres isti sunt filii Noe, et ab his disseminatum est OMNE genus hominum super UNIVERSAM terram* [7] ; qua de causa a doctissimo P. Tourneminio egregie confutata fuit in iisdem Trevoltianis Ephemeridibus anni MDCCXXXIV[8]. Altera autem sententia multis de causis displicet. Etenim primo imprecatio illa non Chus, sed ejus fratrem Chanaam affecit, qui Chamum de Noe nuditate monuerat. Deinde Chananæi, et Jebusæi Chami posteri fuere, neque tamen nigredinem præ se tulerunt. Tandem huc Noetica imprecatio spectavit, ut « Chanaam servus servorum esset fratribus suis [9] ; » quæ impleta sunt, cum Chananæos Israelitæ in servitutem redegerunt.

VII. Notabamus supra num. 111 apud aliquas gentes obtinuisse morem infantibus aut capita detorquendi, aut nares deprimendi. Nunc tamen his opus non est, ut ejusmodi nascantur filii. Nam matres, cum nonnisi homines sima facie, ac naribus fere destitutos videant; unam hanc figuram animo ita defixam habent, ut filios quales olim fingebat ars, industriaque, omnino procreent. Idipsum quod ad Nigritas spectat, statuit Isaacus Vossius Pictos olim Britanniæ populos variis[10], ac diversi coloris pigmentis faciem sibi illivisse antea diximus. Quid ni igitur Nigritæ, cum se a sole jam nonnihil exustos viderent, nigrum colorem pulchritudinis loco habere cœperint, eumque sibi arte parare? Hinc autem factum, ut matres unum hunc colorem præ oculis habentes illum etiam in prolem vi phantasiæ transfuderint. Hæc Vossius, cujus sententia cæteris probatior visa est erudito Giliberto Carolo le Gendre in tractatu historico, et critico *de opinione* [11].

VIII. Ea certe præstare illorum opinioni videtur, qui a solaribus radiis unice nigroris causam in Æthiopibus repetunt. Sed alia fortasse magis probabitur Joh. Alberti Fabricii sententia, quacum Trevoltiani quoque Patres consentire videntur in litterariis anni MDCCXXXVIII monumentis[12]. Explorata esse certisque argumentis constare hæc duo sumunt istius doctrinæ patroni. Primum est, alimenta, et aquas, et quo vescimur, aerem non minus quam solis radios, vel ustionem frigoris conferre posse ad alterandum corpus, et colorem inducendum nigrum, atque ut Thomas Brownius sexto pseudodoxiæ epidemicæ lib. docet[12], vitrioli vegetabilis virtutem etiam in corpore hominis, et in textu reticulari sub cuticula exserere. Alterum est, per longas generationum successiones demum esse factum, ut a candidissimo colore ad perfecte nigrum natura descenderit, donec tandem ita confirmatus ille hæsit in corpore, hæretque, ut cum san-

1 Lib. VII h. p. nat. cap. XIX. — 2 Cap. LII. — 3 Lib. X, v. 222. — 4 Lib. IV, eleg. III, v. 10. — 5 Cap. XLVIII. — 6 Mens. Nov. — 7 *Gen.* IX, 19. — 8 Aprili mense. — 9 *Gen.* IX, 25. — 10 In Pomp. Mel. l. III, c. IX. — 11 Lib. VI, c. 1. — 12 Junii par, II. — 13 Cap. XII.

guine ipso virtus illa ad materiem nigroris efficiendam etiam in posteros propagetur; accedente præsertim (quod addunt Angli historiæ universæ scriptores in procœmio ad opus suum) uxorum in viros[1], quos nigro illo colore gloriari animadvertunt, amore, summaque in fœtum maternæ vi phantasiæ.

IX. Ni placeant ista, suppetit alia phænomeni hujus explicandi via, quam, ut supra indicavi, Braverus ingressus est in Gallica dissertatione *de causa physica coloris Nigritarum* Parisiis edita a. MDCCXLI. Ea hujusmodi est. Nigritarum cuticula cum aliud non sit, quam uti in hominibus cæteris, vasium textura quædam, ejus color ex succo, quem vasa illa continent, maxime pendet. Pervulgatum est illud Hippocratis: *qualis humor, talis color in cute efflorescit.* Atra porro bile abundant maxime Nigritæ. Quemadmodum ergo in iis, qui icterico morbo laborant, bilis diffusa si flava sit, pelli flavum colorem tribuit, atrum si atra, ita de Æthiopibus dicendum videtur, ut eorum color sit naturalis quidam, ac perpetuus arquatus morbus. Atque hinc nullo negotio explicatur, qui ex albo, et nigra subnigri tantum homines enascantur. Bilis enim albi, quæ bile Nigræ calida minus est, minusque fervens, cum hac commixta ejus temperat vim, simulque nigrorem illum profundum, quem cum cuticula vehementior illa communicaret. Confer Trevoltianas a. MDCCXLII ephemerides[2]. Quamobrem valeant Præadamitæ, quos hactenus confutasse sit satis.

1 Venetæ versionis an. MDCCXXXIV.— 2 Sept. art. 64.

PROŒMIUM

Quemadmodum ex rebus a Deo conditis ad ejus notitiam perducantur homines, maxime sensibilibus. Has solas a Mose commemoratas esse. Origenis allegorica interpretandi ratio castigata. Cautiones adhibendæ ad Mosis narrationem explicandam.

I. Veterum philosophorum unus, opinor, alterve, cum a quodam rogaretur, quem se in finem editum putaret in mundum, ille cœli, solis iste contemplandi causa natum se esse respondit. Ea vox quibusdam visa magnifica est, et sapiente digna, cum sit stultissima. Nam quis ad majora factum se non intelligit, quam quæ culicibus, ut magnus ille dicebat Antonius, sunt communia nobiscum? Aut, si ideo præstantius aliquid hoc in genere tributum videtur homini, quod non ipsum modo solis orbem, ejusque radios, ac lucem intueri oculis, sed vim etiam ac motum, et efficientiam animo consequi possit; magis erit, ut suimet videndi cognoscendique gratia natum putet hominem, cujus est sole, ac corporibus universis natura præstantior. Sed nec sui, nec ullius a Deo conditæ rei perfruendæ intelligendæque causa factus est homo; quoniam, etsi pulchra, bona, præclara, studio et admiratione digna sunt universa quæ condidit; tamen, si in iis ipsis consistit animus, vanitatem, hoc est stultitiam evitare non potest, quæ est felicitati non minus adversa, quam inimica sapientiæ: *Vani quippe sunt omnes homines*, ait liber *Sapientiæ*[b], *in quibus non subest scientia Dei; et de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est, neque operibus attendentes agnoverunt, quis esset artifex.* Neque vero solius per sese Dei cognitio, ut interim de amore taceam, finis est hac quidem in vita propositus homini, quod dici a plerisque vulgo solet; quoniam ne obtineri quidem in hac vita potest. Non enim solum, ac per se Deum, quantumvis enitatur, humana capere intelligentia potest, uti nec adversum luce media solem oculorum acie sustinemus. Medium igitur quiddam superest nobis, ut in rebus a Deo creatis, ac per eas contemplari, et amare Deum, finis sit, cujus homo gratia sit introductus in mundum.

A creatis rebus ad creatoris notitiam perducuntur homines.

II. Sed, cum sint duo creatarum a Deo genera rerum, quarum aliæ corporatæ sunt et aspectabiles, aliæ corporis expertes, et in utriusque tenuioribus, vel insignioribus notis, pro cujusque modo et captu, sit expressus illarum artifex; per posteriores tamen, et corporeas publica, et quasi regia nobis ad Dei cognitionem via sternitur. Nam priorem illam quidem ingredi pauci possunt, præsertim rudes, et nullis doctrinarum artibus expoliti, quorum longe in communi vita major est numerus, qui, ut olim aiebat Plato, nihil in rerum esse natura putant, nisi quod exstat et eminet foris, quod manibus arripere, amplectique possunt, velut arbores et saxa; rem autem, præter hæc, ullam esse, quæ corpore non constet, omnino non existimant. Posterius nemo est qui iter, si velit, non et invenire facile, et invento, constanter per illud tendere possit ad Deum, dummodo aliis, quam quibus bestiæ ac pecudes utuntur, oculis prospicere ista consuescat. Quo in argumento præclare inter cæteros versatus est Athanasius in oratione *Contra gentes*; ubi Deum quidem excellenter in hominis anima, tanquam in effigie sua, hoc est spiritum in spiritu videri ait, et intelligi. Sed eam nimis subtilem, nimisque difficilem esse rationem, quod propter affluentes ex usu sensuum, et infimarum tractatione rerum, crassas imagines ac spissas, mentis hebescit acies, ut ne seipsam quidem satis, nedum in se Deum pervidere possit: « Non sufficit, inquit, illa, quæ capitur ex anima, disciplina, propter ea, quæ mentem extrinsecus turbidam reddunt[a].» Quamobrem per eas res, quæ corpore constant, quæ oculis contrectantur, ac reliquis sensibus, perveniri

Per corporeas creaturas regia via nobis ad Dei cognitionem sternitur.

a Athan. Οὐκ αὐτάρκης ἐστὶν ἡ παρὰ τῆς ψυχῆς διδασκαλία, διὰ ἐπιθολοῦντα ταύτης ἔξωθεν τὸν νοῦν.

b *Sap.* XIII.

ad Dei notitiam oportere ; « quarum in dispositione, atque conventu, velut quibusdam exaratus litteris, ac descriptus omnium significatur ac prædicatur dominus, et artifex[a]. »

III. Vetus est apud Clementem Alexandrinum in secundo *Stromateon* apostoli Matthiæ dictum, in traditionibus, quod « admirari jubet præsentia, ac per ea nos gradatim ad ulteriorem[b], » hoc est divinarum rerum, « cognitionem attollere. » Imo, quia vox ipsa θαυμάζειν non *mirari* solum, sed etiam *discere*, ac discipulum esse significat, ut Grammatici docent, et inter eos Hesychius[c], his velut magistris, ac doctoribus ad Dei notitiam proficere, ac sic, tanquam in ludo quodam, et schola divinæ contemplationis, in hac rerum universitate versari nos volebat Apostolus. Tritum illud est usu scriptorum omnium, ac sermone commune, quod magnus ille prædicabat Antonius, grandem esse librum mundum hunc, in quo, velut antiquarii periti manu, pulcherrimis litterarum notis auctoris ipsius ornamenta descripta sunt : « In pulchritudine cœli, et terræ, ait auctor epistolæ *ad Demetriadem*, quæ est inter Ambrosianas XXXIII, quædam sunt paginæ, ad omnium oculos semper patentes, et auctorem suum nunquam tacentes, quarum protestatio doctrinam imitatur magistrorum, et eloquia Scripturarum. » Atque, ut Facundus Hermianensis libro XII scribit, « Sicut nobis ad rerum significationem verba sunt data ; sic omnipotens Deus, cujus potestati subjecta sunt omnia, et cujus sapientia singulariter novit in usum doctrinæ etiam voluntarios nescientium motus convenienter aptare, quascumque res voluerit, actu creaturæ suæ significat. » « Quemadmodum igitur, ut Augustini verbis absolvam [1], si litteras pulchras alicubi inspiceremus, non nobis sufficeret laudare scriptoris articulum, quomodo eas pariles, æquales, decorasque fecit, nisi etiam legerimus, quid nobis per illas indicaverit. Ita Dei opus qui tantum inspicit, delectatur pulchritudine operis, ut admiretur artificem ; qui autem intelligit, quasi legit. » Hoc est θαυμάζειν τὰ παρόντα, non otiosum spectatorem, et admiratorem esse, sed docilem, intelligentemque discipulum. *Mirari præsentia*

Egregie Basilius Magnus mundos constituit duos ; unum anteriorem, et eumdem intelligibilem, hoc est sempiternam, ac divinam lucem, in qua, velut proprio et naturali domicilio carentes illi corpore Spiritus habitarunt, quos longe ante hanc aspectabilem rerum universitatem exstitisse, cum Græcis plerisque credidit : alterum hunc ipsum, quem nos oculis aspicimus, usuque sentimus, quem in eum finem præcipue fabricasse Deum asserit, « uti velut quidam disciplinæ ludus esset ac schola, in qua hominum erudirentur animi[d] ; » (quæ verba parum accurate Eustathius vetus Basilii interpres ita vertit[2], *Qui est præcipue castigatio, et doctrina humanorum animorum.*) De quo utroque mundo plenius Philo Judæus disputavit initio libri *De mundi opificio*, ac nos de amborum sententia aliis in locis[3], ubi erat commodius, egimus. Hic vero unum illud dicimus, e duobus mundis istis intelligibilem illum ad Angelos instituendos proprie referri, deque eo mentionem propterea nullam fecisse Mosem ; alterum vero ad erudiendos homines, et a Deo fabricatum esse, et ab hujus interprete, ac propheta Mose explicatum initio libri hujus, qui *Genesis* inscribitur. Quo in libro illam nobis sensuum nostrorum, et perceptarum ab iis rerum, atque corporei mundi totius opportunitatem, quam dixi, aperit ostenditque, quemadmodum niti per illa Dei ad notitiam quamlibet doctrinarum rudis, et imperitus homo possit, « si illa viatici instar habeat, aut scalæ, dum in sublime tendit, inventis semper innitens, et ad anteriora contendens, ac præclaras illas ascensiones, ut Propheta loquitur, in corde disponens[e], » ut de Abraamo scribit Nyssenus Gregorius.

IV. Ac rerum a Deo creatarum solas illas, quæ sub sensus cadunt, a Mose descriptas esse, quanquam nonnulli secus judicant, verior est opinio ; cui Philo Judæus assentitur, nec ad eam tamen firmum satis argumentum *Sola sensibilia Mose commemorata.*

a Ibid. Τῆς κτίσεως ὥσπερ γράμμασι διὰ τῆς τάξεως, καὶ ἁρμονίας, τὸν ἑαυτοῦ δεσπότην, καὶ ποιητὴν σημαινούσης, καὶ βοώσης.

b Clem. Alex. II *Strom.* Θαύμασον τὰ παρόντα, βαθμὸν τοῦτον πρῶτον τῆς ἐπέκεινα γνώσεως ὑποτιθέμενος.

c Hesych. Θαυμάζειν θεάσασθαι, καὶ μανθάνειν.

d Basil. hom. I *in Hexaem.* Προηγουμένως διδασκαλεῖον, καὶ παιδευτήριον τῶν ἀνθρωπίνων ψυχῶν.

e Greg. Nyss. lib. XII *contra Eun.* Πάντα ἐφόδια πρὸς τὴν ἄνω πορείαν, καὶ ὑποβάθρας ποιούμενος καὶ ἀεὶ τοῖς εὑρισκομένοις ἐπερειδόμενος. καὶ τοῖς ἔμπροσθεν ἐπεκτεινόμενος, τὰς καλὰς ἐκείνας ἀναβάσεις, καθὼς φησιν ὁ Προφήτης, ἐν τῇ καρδίᾳ διατιθέμενος.

1 August. tract. XXIV *in Joan.* — 2 Tom. I *Biblioth. Patrum.* col. 1470. — 3 De Basil. lib. *II*, cap. X *de Philone.* l. III, c. IV.

Genesis.

adhibet, ex nomine ipso τῆς γενέσεως. Nam quidquid sentiri non potest, estque intelligibile, illud esse sempiternum putat; quod autem sensu percipitur, in hoc proprie γένεσιν, hoc est *ortum* congruere, « Quoniam ergo aspectabilis, et sensibilis est mundus iste, ait Philo, necesse est eum esse factitium. Unde non absurde illius ortum descripsit, gravem admodum de eo theologiam explicans[a]. » Sed ea Philonis ratio ab nostris theologis exploditur, qui Angelos, ut et ratione præditas animas, neque corporeos esse norunt, et a Deo nihilominus in tempore productos. Etsi de Angelis veteres quidam existimant, eorum sub lucis nomine, ac mentione meminisse Mosem, ut Augustinus; de quo, ubi ad illum locum venerimus, disputandum erit.

Origenis allegorica interpretandi ratio exploditur.

Hic vero nonnullorum non falsa tantum, sed etiam periculosa notanda sententia est; qui nihil a Mose crassum, et corporeum narratione ista comprehendi volunt, sed intelligibilia omnia et a sensibus remota, quæ sensibilibus rebus, velut figuris, adumbrantur. Itaque totam hanc mundi orientis historiam figuratam et allegoricam esse docent; tanquam absurde is sentiat, qui, cum, exempli causa, legit, dixisse Deum *Fiat lux*, lucem illam significari putet quam oculis aspicimus; aut cœli, ac firmamenti nomine aliud non intelligit, quam quod proprie vocabula ista demonstrant. Unus hic ex Origenis erroribus fuit; qui tum in aliis plerisque, Scripturæ simplici, et, ut loqui solent, *litterali* spreta damnatave sententia, ad allegorias, figuratosque sensus omnia transtulit, tum illam mundi nascentis historiam a Mose traditam eadem ludificatione pervertit.

V. Contra quem disputavit Epiphanius in ejus hæresi, quæ est quarta et sexagesima, multo vero uberius in *Ancorato*[1]; ubi, quæ de Paradiso ac primi hominis procreatione scripta sunt initio *Geneseos*, ac cætera ejusdemmodi, non ut præ se fert narratio ipsa, hoc est revera facta esse, docuisse scribit Origenem, sed illud totum spirituales ad sensus traxisse. Cujus opinionis vestigia in libro quarto *de Principiis* adhuc exstant, quæ in excerptis *Philocaliæ* capite primo leguntur. Adversus hunc Origenistarum errorem declamat Sophronius Hierosolymitanus episcopus, vir pius et eruditus in epistola, quam ad Sergium Constantinopolitanum scripsit « Sed et alia, inquit, plurima, præter Apostolicam, paternamque traditionem nostram asserunt, Paradisi plantationem respuentes, in carne formatum esse Adam negantes, et ex eo factam Evæ formationem vituperantes, serpentis vocem refutantes[b]. »

De hac Origenistarum insania, utires feret, propriis in locis agemus. Interim hoc universe statuimus: quæ de mundi conditu, ejusque sex dierum spatio elaboratis partibus a Mose memoriæ prodita sunt, tum revera esse gesta, tum ab illo historico esse more descripta. Ac tantum absumus ab eo, ut quæ de cœli, terræque creatione, ac dierum singulorum opificio scripsit, spirituales ad nescio quas interpretationes transferri patiamur, nullam ut in tota illa narratione, nisi corporatarum rerum, mentionem putemus fieri; de Angelis vero, cæterisque corpore carentibus Mosem omnino tacuisse; « Nam, cum ad Judæos verba faceret, qui præsentibus perdite erant affixi, nec intelligibile quidquam imaginari poterant, ab sensibilibus illos interim ad universorum opificem provehit[c], » ait Chrysostomus. Gregorius quoque Nyssenus libro *in Hexaemeron* de rebus tantummodo corporeis disputare Mosem existimat, nec non Severianus homilia prima, Procopius, et Cyrillus in libro secundo *contra Julianum*; quod et Aben-Hezra sequitur.

VI. Itaque de mundi aspectabilis, ac rerum corpore constantium origine ac creatione propositum hic est agere, ad eum quidem modum, « nihil ut a me ipso, ac proprium afferam[c], » quod Philo Judæus præfatus est, sed ut Mosem præeuntem sequar, cujus

a Philo. lib. *de Opif.* Τῷ μὲν ἀοράτῳ, καὶ νοητῷ τροσένειμεν ὡς ἀδελφὸν, καὶ συγγενὲς. ἀϊδιότητα· τῷ δ' αἰσθητῷ γένεσιν τὸ οἰκεῖον ὄνομα ἐπεφήμισεν. ἐπεὶ οὖν ὁρατός τε, καὶ αἰσθητὸς ὅδε ὁ κόσμος, ἀναγκαίως ἂν εἴη καὶ γενητός. ὅθεν οὐκ ἀπὸ σκοποῦ καὶ τὴν γένεσιν ἀνέγραψεν αὐτοῦ, μάλα σεμνῶς θεολογήσας.

b Sophron. in ep. quæ est in sexta Syn. act. II. Ἀλλὰ καὶ ἕτερα μυρία παρὰ τὴν ἀποστολικὴν, καὶ πατρῴαν παράδοσιν λέγουσι, παραδείσου φυτείαν ἐκβάλλοντες, ἐν σαρκὶ πεπλάσθαι τὸν Ἀδὰμ οὐ βουλόμενοι, τὴν ἀπ' αὐτοῦ τῆς Εὔας διάπλασιν ψέγοντες, τὴν ἠχὴν ἀθετοῦντες τοῦ ὄφεως.

b Chrys. hom. II *in Gen.* Ἐπειδὴ γὰρ Ἰουδαίοις διελέγετο τοῖς περὶ τὰ παρόντα ἐπτοημένοις, καὶ οὐδὲν νοητὸν φαντασθῆναι δυναμένοις, ἀπὸ τῶν αἰσθητῶν τέως αὐτοὺς ἀνάγει πρὸς τὸν τῶν ὅλων δημιουργόν. Idem tom. V, hom. I *Sever.* item. Cyr. II *contra Jul.* et seq. Et Nyssenus.

c Philo init. *Cosmop.* Ἀλλ' ἕνεκα τοῦ θεοφιλοῦς. καὶ ὑπὲρ δύναμιν ἐπιτολμητέον λέγειν, οἴκοθεν μὲν οὐδὲν,

1 Num. 51 et seq.

capita priora duo enarrabimus hac nostra disputatione itidem, ut veteres theologi, ac recentiores hodicque solent.

Quorum capitum propria est *Genesis* appellatio, quæ, ut Hebræis mos est, ab operis initio sumpta, ad libri totius inscriptionem transiit; ex eo nata, quod in iis mundi nativitas, et præcipuarum illius partium origo describitur distributa in dies sex. In quibus universe singillatimque declarandis, ut in summam, quæ sunt hactenus explicata, conferam, duplicem mihi cautionem ac regulam præscripsi: altera est, rerum olim reipsa vereque gestarum historiam in Mosis enarratione contineri, non allegoriis adumbratos et involutos nescio quos sensus spiritualium rerum, corporeque carentium: altera, in illis ipsis naturalibus et corporeis exponendis rebus, Moysem rudis hebetisque populi ad captum, et ingenium temperasse stylum. Quæ posterior cautio eo magis usurpanda fuit, quod nonnulli in hoc interpretando dierum sex opificio, limatas et exquisitas rationes adhibent media ex philosophia, theologiaque de promptas. Sed hæc mea perpetuo sententia fuit, omnia fere, quæ hic Moses attigit, popularem ad usum esse loquendi intelligendique demissa. Quod quanto sit aptius, quamque late utilitas regulæ istius et commoditas pateat, disputatio nostra consequens ostendet. Huc spectat Augustini similitudo illa in tractatu *in Psalmum* XCV. « Voluit, inquit, explicare, ut humana poterat lingua; et quamvis magnus sit tactor organi Spiritus sanctus, tamen per augustias spiritus humani syllabas sonat, sed cogitationes generat. » Ad quod alludit et Rupertus primo commentar. *in Joannem*: « Nam quid sumus nos, inquit, nisi magni Musici Dei quædam instrumenta? Unde et in citharis, et in organis, quæ profecto corda, et corpora nostra sunt, Dominum laudare jubemur. »

Regulæ ad Moysis narrationem explicendum.

VII. Quamvis autem simplex, nec ad fucum affectata sit Mosis ista narratio; rerum tamen maximarum et excellentium, atque ad contemplandum altissimarum tractationem continet. De quibus vere ista scripsit auctor antiquissimus Theophilus Antiochenus in secundo libro ad *Autolycum*, postquam Mosis verba descripsit. « Sex porro dierum illorum narrationem, ac dispositionem omnem nemo pro dignitate potest exponere, nec si infinita quidem ora, infinitasque linguas habeat, sed neque si innumerabiles annos hac in vita transigat, idoneus erit ad ista, uti par est, explicanda, propter eximiam illorum majestatem ac divinæ opes sapientiæ, quæ insunt in illa, quam dixi, sex dierum descriptione [a]. » Quam quidem Mosis narrationem, et operum admirabilitatem complures ait gentilium assequi conatos frustra laborasse, cum eorum vim ingenii ac facultatem rerum illarum magnitudo superaret.

CAPUT I.

Quem scopum sibi Moses proposuerit in mundi origine perscribenda. Philosophorum error de mundi æternitate, cum hæreticorum de ejusdem procreatione. Tertulliani falsa sententia notata super iisdem hæreticis. Deum ex creatione cognosci; idque dupliciter, tum quod e nihilo produxit, tum quod eadem ordinavit, ac perpolivit. Creandi vocabulum non significare productionem e nihilo per se, ac proprie. Explicatur principii notio; nec non illa Mosis: in principio creavit, *etc. tum illud Aquilæ, in capite.*

I. Duo Mosi proposita fuisse scribit Severianus Gabalorum episcopus [b]; ut et mundi originem ac procreationem exponeret, et legem divinitus acceptam Israelitis perscriberet. Quorum ab eo, quod est prius, ideo sumpsit initium, « ut non extraneis, sed suis legem ferre auctorem ejus monstraret Deum. Nam nisi antea mundi opificem esse Deum ostenderet, haud satis idoneus ad finem legislator haberetur. Siquidem alienis jura præscribere, violentum, ac tyrannicum est; suos

Mosis scopus in describenda mundi origine.

ὀλίγα δι' ἀντὶ πολλῶν, ἐφ' ἃ τὴν διάνοιαν φθάνειν εἰκὸς ἔρωτι καὶ πόθῳ σοφίας κατεσχημένην.

a Theoph. lib. II. Τῆς μὲν οὖν ἑξαημέρου οὐδεὶς ἀνθρώπων δυνατὸς κατ' ἀξίαν τὴν ἐξήγησιν, καὶ τὴν οἰκονομίαν πᾶσαν ἐξειπεῖν, οὐδ' εἰ μυρία στόματα ἔχοι, καὶ μυρίας γλώσσας· ἀλλ' οὐδὲ εἰ μυρίοις ἔτεσι βιώσει τις ἐπιδημῶν ἐν τῷδε τῷ βίῳ, οὐδὲ οὕτως ἔσται ἱκανὸς πρὸς ταῦτα ἀξίως τι εἰπεῖν, διὰ τὸ ὑπερβάλλον μέγεθος, καὶ τὸν πλοῦτον σοφίας τοῦ θεοῦ τῆς οὔσης ἐν ταύτῃ τῇ προγεγραμμένῃ ἑξαημέρῳ.

b Sever. homil. I *in Cosmop.* Τίς δε ὁ σκοπὸς τῷ προφήτῃ; δύο πρόκεινται Μωϋσεῖ ποιῆσαι, καὶ διδασκαλίαν ἐκθέσθαι, καὶ νομοθεσίαν ὑποτυπῶσαι. In Vet. cod. pro διδασκαλίαν, scriptum reperi, δημιουργίαν.

autem instituere, rationi consentaneum [a]. » Ex quo et illa causa sequitur prioris haud multum dissimilis, quam Acacius Cæsariensis affert, ut commendata Dei majestate ac potentia, majorem Judæis metum, et ex metu obsequendi studium injiceret. Atque hæc, cur unum Moses alteri præverterit, probabilis est ab illis reddita ratio ; cur autem universe, absoluteque de mundi ortu, et creatione verba fecerit, magno est ista consensu omnium veterum excepta, ut falsa exterorum sapientum excluderetur opinio, præsertim Ægyptiorum, ut Theodoretus adnotat [1], et latissime Cyrillus Alexandrinus libro secundo *contra Julianum* [2].

II. Mundum enim Philosophi complures ab nullo esse conditum putarunt, iidemque providentiam sustulerunt. Contra quos hanc suam historiam objecisse Mosem, Philo Judæus ita docet : « Quidam, inquit, mundum magis, quam mundi creatorem admirantes, illum quidem non factum, et æternum asserunt ; Deum vero alto in otio degere, impie mentiuntur, cum debuissent contra hujus quidem, ut conditoris et patris, admirari potentiam, illum vero non præter modum venerari [b]. » Quod etiam Tertullianus animadvertit sic, ut alterum adjiceret, hæreticorum plerosque Deo mundi creationem adscribere : « Plane apud philosophos habes, inquit [3], qui mundum hunc innatum infectumque defendant, Sed multo melius, quod omnes fere hæreses natum, et factum mundum annuentes, conditionem Deo nostro adscribunt. » Quo quidem in loco mirum est, hoc sensisse Tertullianum, hæreses omnes, quæ factum esse mundum asserunt, ejus conditum Deo nostro tribuere. Quod sane falsum est, et ex Irenæo, Epiphanio, et ipsomet Tertulliano refellitur. Etenim plerique omnes antiqui hæresum architecti mundum ab Angelis, tanquam minoribus diis, conditum esse dixerunt, ut Simon, Menander, Saturninus, Basilides, Carpocrates, Cerinthus. Valentiniani quoque similiter atque isti, de mundi fabricatione nugati sunt ; quod Tertullianus ipse in libro contra illos tradidit. Alii principia duo statuerunt, bonum unum, alterum malum ; ab hoc vero mundum esse factum. Ita Cerdo, ita Marcio ; quem luculentissime Tertullianus idem libris quinque refutavit. Quinam ergo constat sibi, dum hæreticos pene omnes factum esse mundum asseverantes ait Deo nostro illius originem affingere ? Certe Athanasius aliter existimat, qui in libro *contra Gentes*, « Hæreticos, ait, qui ab Ecclesiæ doctrina recesserunt, et in fide naufragium fecerunt, malum propriam subsistentiam dixisse, ac, præter verum Christi patrem, Deum sibi alterum finxisse, et hunc Ingenitum mali opificem, auctoremque pravitatis, nec non creaturæ conditorem [c]. » Hæreticorum itaque pars magna non ab nostro, id est vero Deo, factum esse mundum putavit, sed ab altero, eoque malo principio.

Philosophorum error de mundi æternitate.

Falsa de hæreticis Tertulliani sententia.

III. Utcumque autem hæretici illi senserint, pertinet ad eos confutandos Mosaica narratio, dum res omnes ab vero, bonoque Deo procreatas refert. E philosophis vero « præcipue pulsatur Aristoteles, qui mundum semper fuisse, et fore usurpat dicere » ut loquitur Ambrosius [4]. Sed et complures alii in eodem hæserunt luto « ac vel sempiternum exstitisse cum Deo cœlum arbitrati sunt, (ait Basilius) vel ipsummet Deum esse principio carentem ac fine dixerunt, et singularum rerum dispensandarum auctorem [d]. » Quæ postrema Basilii verba ad Platonem spectant. Hic enim in *Epinomide* « Deum esse pronuntiat cœlum, quod ut cæteri faciunt, dæmones pariter, ac dii, honore nos prosequi, idque potissimum precari æquissimum sit [e]. » Ac dubium est an

a Ibid· Ἵνα δειχθῇ θεὸς οὐκ ἀλλοτρίοις νομοθετῶν, ἀλλὰ τοῖς ἰδίοις. εἰ μὴ γὰρ πρῶτον ἔδειξεν αὐτὸν δημιουργὸν τοῦ κόσμου, οὐκ ἂν ἀξιόπιστος ἐδείχθη νομοθέτης τοῦ κόσμου. τὸ γὰρ ἀλλοτρίοις νομοθέτειν, βίας· τὸ δὲ τοὺς ἰδίους παιδεύειν, ἀκολουθίας.

b Philo Jud. initio *Cosmop.* Τινὲς γὰρ τὸν κόσμον μᾶλλον, ἢ τὸν κοσμοποιὸν θαυμάσαντες, τὸν μὲν ἀγέννητόν τε, καὶ ἄϊδιον ἀπεφήναντο, τοῦ θεοῦ δὲ πολλὴν ἀπραξίαν ἐναγῶς καταψεύσαντο. δέον ἔμπαλιν τοῦ μὲν τὰς δυνάμεις ὡς ποιητοῦ, καὶ πατρὸς καταπλαγῆναι, τὸν δὲ μὴ πλέον τοῦ μετρίου ἀποσεμνῦναι.

c Athan. *contra Gen.* Οἵ δὲ ἀπὸ τῶν αἱρέσεων ἐκπεσόντες τῆς ἐκκλησιαστικῆς διδασκαλίας, καὶ περὶ τὴν πίστιν ναυαγήσαντες, καὶ οὗτοι μὲν ὑπόστασιν τοῦ κακοῦ παραφρονοῦσιν εἶναι· ἀναπλάττονται δὲ ἑαυτοῖς παρὰ τὸν ἀληθινὸν τοῦ Χριστοῦ πατέρα θεὸν ἕτερον, καὶ τοῦτον ἀγέννητον τοῦ κακοῦ ποιητὴν καὶ τῆς κακίας ἀρχηγὸν, τὸν καὶ τῆς κτίσεως δημιουργόν.

d Basil. I *Hexaem.* Ὥστε οἱ μὲν συνυπάρχειν ἐξ ἀϊδίου τῷ θεῷ τὸν οὐρανὸν ἀπεφήναντο· οἱ δὲ αὐτὸν εἶναι θεὸν ἄναρχον, καὶ ἀτελευτήτον, καὶ τῆς τῶν κατὰ μέρος οἰκονομίας αἴτιον.

e Plato *in Epinom.* Τίνα δὲ καὶ σεμνύνων ποτὲ λέγω θεὸν, ὦ Μέγιλλέ τε, καὶ Κλεινία, σχεδὸν οὐρανόν. ὃν καὶ δικαιότατον, ὡς ξύμπαντες ἄλλοι δαίμονες ἅμα, καὶ θεοὶ, τιμᾷν τε, καὶ εὔχεσθαι διαφερόντως αὐτῷ.

1 In Catena Manuscr.— 2 Theodor. qu. 1 in *Gen.*— 3 Tertul. *de refut. carn.* cap. XI.— 4 Lib. I *in Hexaem.* cap. I.

inter philosophos illos, qui sempiternum mundum esse, voluerunt, annumerandus sit Plato ; nec de magistri opinione satis inter discipulos convenit. Quam nos quæstionem, cum de æternitate Dei ageretur [1], exposuimus, ac probabilius dicere eos ostendimus, qui ex omni æternitate procreatum a Deo mundum putare ipsum asserunt ; uti si sol ex æterno fuisset, lucem itidem, splendoremque suum ex æterno profudisset. Tam hos vero, qui ab auctore aliquo mundi originem ita repetunt, ut sempiternam illam faciant, id est pari cum Deo æternitate censeant, quam qui sine principio et opifice vel mundum ipsum, vel ejus materiam constare volunt ; sed hos præsertim, refutandos sibi Spiritus sanctus in ipso libri Mosaici primordio sumpsit, tum ex hæreticis eos omnes, qui ab alio, quam vero, bonoque Deo, id est ab æterno nescio quo, sed malo principio, putant utrumvis esse productum. « Nam sive Manichæus prodeat, ait Chrysostomus, materiam prius exstitisse dicens, sive Marcio, sive Valentinus, sive gentiles, dicito ipsis : *In principio fecit Deus cœlum et terram* [a]. »

IV. Et Hilarius *in Psalmum* CXLVIII enarrans Davidis illa verba, *Quia ipse mandavit, et creata sunt ; ipse dixit, et facta sunt*, et cum hoc nostro *Geneseos* exordio contendens, tam illos, quam alios stulti patronos erroris reprehensos asserit : « Primum, inquit, errorem hunc humanæ ignorationis avertit, quo fortuitis concursibus hunc mundi habitum in se coisse, atque ita ex inordinatione in ordine constitisse, quidam ausi sunt opinari. Tum quod alii hunc ipsum mundum Deum esse, qui se agitet ac moveat, et in annuam temperiem cursu dimensæ rationis moderetur, existiment. Postremo quod quædam sibi ex his ipsis unusquisque legit elementis, aut cœlum, aut solem, aut aquam, aut aera, quibus Dei honorem inani, atque impia religione deferret. Omnem igitur errorem ignorationis exclusit dicens, *Quoniam ipse dixit, et facta sunt, ipse præcepit, et creata sunt*. Nullus igitur hic fortuitorum concursus, nulla naturæ propriæ virtus, nulla æternitatis ex semet substantia in his, quæ creata docentur, admittitur. In quo dicto etiam id docetur, quod et Genesis distinxit, et Evangelia testata sunt, et Apostolus prædicavit, Dei jussu facta esse omnia, non per se exstitisse, tanquam ipsa illa materia obedientiæ vitalis exsisteret, cum esse, ac subsistere juberetur ; sed omnia ex mandato creata esse, et dictum fuisse ab eo, qui dicebat, ut fierent. Ita enim *Genesis* est locuta : *Et dixit Deus*, et *fecit Deus :* Et nunc Propheta ait, *Dixit et facta sunt.* Non enim sibi præcepit, ut fieret, sed sunt facta, cum dixit. » Vide Cyrillum Alexandrinum libro secundo *contra Julianum*. »

V. Nihil est vero, quod Deum hominibus ac Dei majestatem, omnipotentiam, sapientiam, cæteraque cum illius notione complexa, commendet æque ac mundi hujus aspectus, ex quo tum illius exstantia, tum qualitas conditioque cognoscitur. Dei quem nos unum verum ac bonum profitemur, exstantiam ex hoc aspectabili universo Tertullianus contra Marcionem adstruit ; cujus fictum, et commentitium Deum, quem diversum a Creatore [2], et ignotum hactenus introducebat, hac potissimum exceptione removet « Deum ex operibus cognosci debuisse alicujus proprii sui mundi, et hominis, et sæculi. Quando etiam error orbis propterea Deos præsumpserit, quos homines interdum confitetur, quoniam aliquid ab unoquoque prospectum videtur utilitatibus, et commodis vitæ. Ita et hoc ex forma Dei creditum est divinum esse, instituere, vel demonstrare, quid aptum et necessarium sit rebus humanis. Adeo inde auctoritas accommodata falsæ divinitati, unde præcesserat veræ. Unam saltem circerculam Deus Marcionis propriam protulisse debuerat, ut novus aliquis Triptolemus prædicaretur. » Hinc per Jeremiam Spiritus sanctus, *Dii, qui cœlos et terram non fecerunt, pereant de terra, et de his, quæ sub cœlo sunt* [3].

VI. Sed neque via est alia, qua ad Dei notitiam pervenisse gentiles philosophos, ad Romanos scribit Apostolus [4], quam *mundi creatio*, et externa illa Dei opera quæ in sensus incidunt ; ex quibus etiam, secundum exsistentiam ipsam, summa ejus perfectio cognoscitur et præclara divinitatis ornamenta, velut vis et potentia et magnitudo, sapientia, bonitas ; quod in *Psalmo* XVIII et in aliis passim sacris canticis, David Propheta prædicat. « Primum itaque mens admiratione suspenditur, ait Maximus martyr apud Euthymium ; divinam cogitans in omnibus infinitatem [5], et

a CHRYS hom. II *in Gen.* Κἂν γὰρ Μανιχαῖος προσέλθῃ, λέγων τὴν ὕλην προϋπάρχειν, κἂν Μαρκίων, κἂν Οὐαλεντῖνος, κἂν ἑλλήνων παῖδες, λέγε πρὸς αὐτούς· ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸν οὐρανὸν, καὶ τὴν γῆν.

1 Lib. II *de Deo*, cap. x.— 2 Tertull. I *contra Marc.* c. XI.— 3 *Jer.* x, 11.— 4 *Rom.* I, 20.— 5 Euth. *Panop.* par. I, Tit. VI.

immensum illud neque permeabile pelagus. Deinde in stuporem rapitur, quemadmodum e nihilo rerum exstantium substantiam ad id, ut essent, provexerit. Græci igitur facessant, qui ex nihilo fieri nihil posse jactitant. Nos autem dicimus, uti magnitudinis factoris non est finis, sic neque sapientiæ, ac virtutis illius esse comprehensionem [a]. » Hunc eumdem stuporem admirantis animi ex divinorum operum contemplatione collectum, pulchre declarat Hieronymus ad tertium caput prophetæ Habacuc, ejus verba explicans : « Ex creaturis, inquit, intellexi creatorem ; et per singula, quæ fecisti, et quæ quotidie operaris in universo mundo, totus obstupui, et, sensu humanitatis amisso, in sanctam amentiam sum conversus. »

VII. Quam ad rem apposite eleganterque Basilius, in *Psal.* XXXII verba illa Davidis *Omnia opera ejus in fide,* sic enarrat : « Quoniam sive, inquit, cœlum suspicis, ipsiusque consideras ordinem, dux tibi est ad fidem. Nam per seipsum artificem ostendit. Sive ornatum ac dispositionem terræ variam inspexeris, rursus inde tua crescit in Deum fides. Non enim carnis oculis Deum edocti in ipsum credimus ; sed vi mentis per ea, quæ videntur, invisibilem contuemur [b]. » Quocirca merito ex creaturis Deus agnoscitur. « Ut ipsis vestigiis revertatur homo ad Deum, ait Isidorus Hispalensis [1] quibus aversus est ; ut, quia per amorem pulchritudinis creaturæ a creatoris forma se abstulit, rursum per creaturæ decorem ad creatoris revertatur pulchritudinem. » Quemadmodum vero non in magnis tantum operibus Dei, sed etiam in parvis, ac vilibus, admirabiliter oculos, animosque contemplantium capiat « ars illa divina, quæ in omnibus sui similis est, quia in suo quoque genere perficiendo ubique perfecta est ; » pulchre Augustinus exponit in libro XXI *contra Faustum*, capite V. Vide et Tertullianum primo *contra Marcionem*, capite XXIII et sequenti.

VIII. Sed, cum duo sint in operibus Dei, quæ cogitatione majorem omni illius excellentiam ac præstantiam reliquarum rerum prædicant, alterum, quod e nihilo universa molitus est, alterum quod affabre et omnibus absoluta partibus ac numeris eadem illa perfecit ; horum, quod posterius est, in describenda mundi origine Moses potissimum spectavit ; prius autem cogitari magis intelligique voluit, quam expresse ac diserte est elocutus, Nam, quod creandi verbo est usus, scripsitque, *In principio creasse Deum cœlum, et terram*, non hoc rerum e nihilo procreationem aperte, sed obscure et ex consequenti significat. Etenim Hebraica vox ברא plus semel in hac Mosis historia, et in aliis Scripturæ locis, eam productionem significat qua res aliqua non e nihilo fit, sed ex re alia prius existente. Quod quidem adnotavit Aben Hezra in commentariis ad initium *Geneseos*. Scribit enim communem hanc opinionem esse [c], הבריאה, id est *creationem* dici, *cum e nihilo res educitur*. Quæ est opinio Davidis Kimhii, qui in dictionario refert, בריאה sumi quidem pro יצירה, quod est *fingere*, vel *formare* ; hoc tamen interesse, quod hæc dictio usurpatur de eo, quod jam constabat, et exsistebat, sed alio modo conformatur : ut cum ex argilla fingitur vas, aut statua. Sed eam refellit Aben Hezra ex locis aliquot Scripturæ ; ut est ille capitis primi com. XXI. *Creavitque Deus cete grandia*, ubi vox est eadem ויברא ; et commate XXVII ter idem verbum adhibuit ad rei ex alia re, id est hominis ex humo procreationem, quæ magis יצירה sit, quam בריאה, id est *formatio*, et, ut noster loquitur Interpres *plasmatio*, quam *creatio* ex nihilo. Hujus porro significationis exemplum affert idem Aben Hezra ex *Numerorum* XVI, 30 ubi sic Hebraice legitur : *Sin autem creationem creaverit Dominus ;* noster autem : *Sin autem novam rem fecerit Dominus* [d] ; Græci vero ἐν φάσματι *in visione*, id est aspectu rei inusitatæ ; nimirum בראיה, *in visu*,

Deus ex creati duplici cognosci

Ex initi Genesis non pote conclud Deum e nihil procreas

a Maxim. Πρῶτον μὲν θαυμάζει ὁ νοῦς, τὴν θείαν ἐννοούμενος κατὰ πάντα ἀπειρίαν, καὶ τὸ ἀνέκβατον ἐκεῖνο πέλαγος· δεύτερον δὲ ἐκπλήττεται πῶς ἐκ τοῦ μὴ ὄντος τὴν τῶν ὄντων οὐσίαν εἰς τὸ εἶναι παρήγαγε. Ἕλληνες μὲν οὖν ἐρρέτωσαν, μηδὲν ἐξ οὐκ ὄντων γενέσθαι λέγοντες. ἡμεῖς δέ φαμεν ὅτι ὥσπερ τῆς μεγαλωσύνης τοῦ πεποιηκότος οὐκ ἔστι πέρας, οὕτως οὐδὲ τῆς σοφίας καὶ δυνάμεως αὐτοῦ κατάληψις.

b Basil. Τί οὖν ἐστιν ὃ λέγει ; ἐάν τε οὐρανὸν, φησὶν, ἴδῃς, καὶ τὴν ἐν αὐτῷ τάξιν, πίστεώς ἐστιν ὁδηγός. δείκνυσι γὰρ τὸν τεχνίτην δι' ἑαυτοῦ. ἐάν τε τὰς περὶ τὴν γῆν διακοσμήσεις, πάλιν καὶ διὰ τούτων αὖξεταί σοι ἡ περὶ τὸν θεὸν πίστις. οὐ γὰρ σαρκίνοις ὀφθαλμοῖς καταμαθόντες τὸν θεὸν πεπιστεύκαμεν εἰς αὐτὸν, ἀλλὰ τῇ τοῦ νοῦ δυνάμει διὰ τῶν ὁρωμένων τὸν ἀόρατον καθορῶμεν.

c Aben Hezra *in Comment.* רובי חמפדשים אבורו שהבריאה להיציא יש ביאיק .

d Aben Hezra. ibid. ואם בדיאה יברא יהוה .

1 Lib. I *de sum. bono*, cap. IV

legerunt a verbo ראה. Erudite vero noster interpres *novam rem* transtulit. Ita enim Hebræi verbum חרש, quod proprie est *innovare*, de mundi creatione solent usurpare, præsertim qui librum R. Mosis, *More Nebochim* ex Arabico in Hebræum transtulit. Igitur ברא non est solum ex nihilo proferre in lucem, sed id, quod antea non erat, utcumque producere, quemadmodum Græca vox κτίζειν, de qua diximus in secundo *de Trinitate*, capite primo *.

IX. Ut igitur ad id revertar, quod explicare cœperam, non potest ex illo *Geneseos* initio concludi, Deum ex nihilo cuncta procreasse, si solam verborum vim, proprietatemque spectes, sed res tantummodo nondum exstantes ex aliis jam exstantibus, tanquam ex materia, fabricasse. Quam quidem commuta-

MONITUM RECENTIS EDITORIS.

* Quæ sequuntur notæ auctorem habent D. Emil. Roques Podii Laurentii, in diœcesi Albiensi, parochum, nobisque longa consuetudine viciniorem quam loco et situ. Is enim scientias tum mathematicas tum physicas apprime callens, præ cætecis par erat qui sophismata, quæ ex his scientiis adversus narrationem Mosaicam eruuntur, et enuclearet et exploderet. Ejus notas Gallico sermone conscriptas, nos Latinas tantummodo fecimus. J. B. F.

Etsi admittatur, cum auctore, vocabulum ברא non semel usurpari de eo quod antea existebat, novamque tantummodo accipit formam; certum est propria nativaque significatione de creatione proprie dicta, seu e nihilo productione hic a Moyse accipi. Is enim duplici, in historia creationis texenda vocabulo utitur, ברא videlicet et עשא. *Bara* creationem proprie dictam refert, estque Dei proprium, ait Buxtorfius, *Asah* actionem indicat in præexistentem materiam, quæ variis eam afficiendo modis exercetur; nec unquam synonyme hæc duo vocabula usurpata inveniuntur. Videsis lexica hebraica, prætertimque lexicon Gesenii.

Hæc quidem sunt a rationalistis in dubium vocata, sed irrito conatu. Omnes enim objectiones e philologia petitæ, cum notione quam Moyses de Deo habebat, aliisque inculcandam assumpserat, constare nequeunt. Hæc enim notio mundum et materiam constanter supponit non a se existentia, vel æterna, sed creata, et ab alio habentia est sint, unde fit evidens hanc notionem initio Geneseos haberi expressam, vocabulumque ברא creationem proprie dictam referre.

Hæc sole meridiano clariorora evadent si paulo attentius Dei in rubo ardenti apparentis historia legatur. Ibi enim Moyses Judaici populi educandi regendique munus assumpturus a Deo ipso nomen Dei proprium edocetur, quod non est aliud quam יהוה *Jehova*. Hæc autem vox significat non solum *qui est*, sed qui est excellenti modo, qui solus a se habet *esse*, qui potentia in se continet omnem possibilem existentiam, a quo cuncta habent ut sint vel ut esse possint. Unde certum fit hanc notionem de Deo Moysen initio Geneseos expressisse, nec ei materiam coæternam statuisse, proindeque vocabulum *bara* creationem proprie dictam referre.

Non desunt eruditissimi sacræ Scripturæ enarratores qui primam vocem Geneseos, בראשית bereshit de secunda Trinitatis persona, scilicet Dei verbo, intelligendam censeant: Sed etiamsi hæc expositio, quæ non spernendis eruditorum virorum veterisque synagogæ testimoniis commendatur, admitteretur, nullum inde detrimentum veræ vocabuli *bara* significationi accedet. Nec absonum videri poterit auctorem sacrum, initio suæ narrationis subindicasse quod postea alius auctor, eodem afflatus Spiritu clarius expresserit elicens: « Dominus sapientia (id est verbo suo) fundavit terram... Sapientia ejus eruperunt abyssi. etc. *Proverb.* 3. 12.

Materiam a Deo productum, e nihilo, rudem informem, elementarem e qua Deus Verbo suo educit cœli terræque ornatum, cunctaque mirabilia quæ oculos mentemque tum sapientum, tum insipientum demulcendo perstringunt, enarrans Moyses, ideam Dei perfectissimam; tamque numeris omnibus absolutam quam quæ maxime ab hominibus haberi possit, nobis exhibet, necnon mundi hujus aspectabilis imperfectum statum, Deique providentiam cunctis invigilantem creaturis, et ad finem perfectionemque congruentem eas adducentis. E. R.

His quæ supra posita sunt addi potest, Scripturæ Sacræ enarratores non satis forsan attendisse ad tertium comma secundi Geneseos capitis ubi Moyses res quæ in primo capite narrantur, breviter colligit. « Benedixit diei septimo (Deus) et sanctificavit illum, quia in ipso cessaverat ab omni opere suo quod *creavit Deus ut faceret* » אשר לעשת הלהים ברא *Aser bara Elohim laassoth*. En duo vocabula, *bara* et *asah* e regione posita: posterius *asah* fatentibus omnibus actionem denotat in præexistentem materiam, ei videlicet formam impertiendo: Prius ergo *bara* creationem propriam refert, nisi absonam ibi ridendamque tautologiam admittere malis quod sane est absurdum. Unde hæc verba nostræ vulgatæ: *creavit Deus ut faceret*, non aliter intelligenda sunt ac si auctor dixisset, e nihilo produxit, est postea ordinaret jam creata eisque congruentem daret formam. Hanc vocabuli *bara* interpretationem passim in vetere synagoga fuisse receptam evidens fit ex libro Macchabæorum secundo ubi mater admirabilis filium alloquens hæc exprimit: « Peto, nate, ut aspicias ad cœlum et terram et ad omnia quæ in eis sunt et intelligas quia *ex nihilo fecit illa Deus.* »

Sed etiamsi quod tantopere contendunt rationalistæ obtinerent, vocem *bara* non proprie creationem, sed materiæ præexistentis ordinationem signiûcare, causa pariter caderent: ex hac enim actione Dei in materiam, ut ei formam impertiat evidenter sequitur materiam Deo esse subjectam. Sed impossibile est ut sit a Deo dependens, si a Deo ut sit non acceperit. Si increata supponitur, habet esse a se et independenter a qualicumque causa, habet æque independenter formam suam, nam *modus essendi sequitur esse*. Ergo ex eo quod conceditur Deum materiam ordinasse evidenter colligitur illam e nihilo eduxisse. Hoc haberi potest, ait Nicolaus (etudes philosophiques sur le *Christianisme*) ut mathematica creationis demenstratio. « Mihi inhæret, ait unus e modernis rationalistis, D. Broussais, cui in extremo vitæ cursu, radius veritatis illuxit, sensus intelligentiæ *coordinatricis*, quam non audeo vocare creatricem, quamvis creatrix esse debeat. » J. B. F.

tionem non minori jure creationem posse censeri, quam si ex nihilo procederet, Tertullianus judicat in libro *de Resurrectione carnis*, capite XI. « Igitur confide, inquit, illum totum hoc ex nihilo protulisse, et Deum nosti, fidendo, quod tantum Deus valeat. Nam et quidam infirmiores hoc prius credere de materia potius subjacenti volunt ab illo universitatem dedicatam secundum philosophos. Porro, etsi ita in vero haberetur, quum tamen longe alias substantias, longeque alias species ex reformatione materiæ diceretur protulisse, si ea protulerat, quæ omnino non fuerant. Quo enim interest, ex nihilo quid proferri, an ex aliquo, dum quod non fuit, fiat? quando etiam non fuisse, nihil sit fuisse. Sic et fuisse e contrario, non nihil est fuisse. »

Quod Tertulliani dictum non ad philosophiæ, ac scholastiscæ subtilitatis regulam exigi debet, sed ad popularis judicii trutinam. Permultum enim interest, ex aliquo, an ex nihilo fiat quippiam. Hoc enim, præterquam Deus, nulla res potest alia; cujus rationem spisse quidem, ac difficulter, reddunt tamen scholarum magistri. Nos in eorum tricis non libenter insistimus. Hanc autem ad institutum nostrum aptiorem, utpote faciliorem, judicamus, quam offert nobis vetus scriptor Methodius in libro *de Libero arbitrio* apud Photium. Deum enim probat ex nihilo, id est ex nulla substantia, sive materia prius exstante, substantiam ac materiam, adeoque res omnes creasse, negante id philosopho, quocum disputantem se, vel alterum facit. Id autem eo argumento confirmat, quod omnis artifex de non exstantibus exstantia molitur opera, uti domum ex non domo. Sic et artem qua opus efficit, ex non arte sibi ipse parat. Ac denique ex non qualitatibus qualitates producunt artifices; tametsi neutiquam substantias ex non substantiis proferant. « Quod si ita se res habet in hominibus; nonne magis convenit, inquit, uti Deus non solum qualitates ex non exstantibus efficere possit, sed etiam substantias? Eo enim ipso, quod e non exstantibus fieri posse quippiam apparet id in substantiis locum habere monstratur[a]. » Vide Tertullianum in libro *contra Hermogenem*, cap XXI.

X. Ceterum universe Deum e nihilo creasse aliquid, ac non omnia sine creatione constitisse, vel, ut Methodius, aliique loquuntur, esse ἀγένητα, iisdem rationibus demonstrari potest, quibus esse Deum aliquem, hoc est summum et unicum rerum omnium, æternumque principium, et a nullo productum alio probari solet; quod nos initio libri primi *de Deo* fecimus. Quod vero ad ea pertinet opera, quorum effectionem initio Geneseos Moses attigit, non potest sola ex hujus narratione colligi, ex nihilo produxisse Deum quæcumque fecisse dicitur, sed adhibita ea, quam dixi, ratiocinatione potest; id quod in sequentibus melius intelligetur. Ac Græci quidem verbum Hebraicum ברא, non per Græcum ἔκτισε, id est *creavit*, sed per ἐποίησε, verterunt, quod est *fecit*. Hoc autem nihilo magis effectionem e nihilo proprie significat; sed eam tamen, qua res sola creata producitur, ut a divinarum personarum origine separetur. Sic enim disputare consueverunt antiqui theologi, cum Filii contra Arianos divinitatem, necnon sancti Spiritus asseverant. Hos enim demonstrant neque γενητοὺς, neque ποιητοὺς in Scripturis appellari, aut reipsa et sententia designari, quia τὸ γίνεσθαι, et ποιεῖσθαι creatarum rerum, operumque proprium est, quæ non οὐσιώδη, id est *substantivam* habent originem, et ex ipsa producentis substantia, qualis est generatio, sed extrinsecus elaborantur.

Innata

Genita neque fa Nasci fieri.

Procopius in commentario *in Genesim*, Hebraicam vocem ait significare idem, quod ἐποίησε, id est *fecit* et ἔκτισε, id est *creavit*. et ἀνέδειξε, quod est *instituere*. Quam postremam notionem magis convenire dicit. « Etenim, quoniam *fecit* de iis etiam dicitur, quæ aliqua ex materia fiunt, ut e ferro falcem, aut aliud tale fecit artifex, occasionem illud quibusdam dedit asserendi, Mosem ab Ægyptiis edoctum, ex materia prius exstante totum hoc universum esse factum, merito dixisse *fecit*. Quorum ignorantes calumniam interpretes dixerunt *fecit*, cum oportuerit dicere *instituit*[b]. » Quæ Procopii λεπτολογία non est

Argutiol

a Method. apud Phot. cod. CCXXVI. Καὶ γὰρ παρ' ἡμῖν ὁρώμεν ἀνθρώπους ἐξ οὐκ ὄντων ποιοῦντάς τινα· οἷον ἐπὶ τῶν ἀρχιτεκτονικῶν τὸ παράδειγμα λάβωμεν· εἰ γὰρ οὗτοι ποιοῦσι πόλεις οὐκ ἐκ πόλεων, καὶ ναοὺς οὐκ ἐκ ναῶν, etc. Εἰ τοίνυν τοῦτο οὕτως ἔχειν επ' ἀνθρώπων ἐδείξαμεν, πῶς οὐχὶ προσῆκε τὸν θεὸν μὴ μόνον ποιότητας ἐξ οὐκ ὄντων φάναι δύνασθαι ποιεῖν, ἀλλὰ καὶ οὐσίας; τὸ γὰρ δυνατὸν φανῆναι τὸ γίνεσθαί τι ἐξ οὐκ ὄντων; καὶ τὰς οὐσίας οὕτως ἔχειν δείκνυται.

b Procop. Τὸ δὲ Ἑβραϊκὸν τὸ ἐποίησε σημαίνει, καὶ τὸ ἔκτισε, καὶ τὸ ἀνέδειξεν· ὅπερ ἔοικε μᾶλλον δηλοῦν ἡ γραφὴ, ὡς ἐξ οὐκ ὄντων ἀνέδειξε· τὸ γὰρ ἐποίησεν ἐπειδὴ

nauci. Neque enim ἀναδεικνύναι, quod est *demonstrare*, et *efficere*, significat ex nihilo rem producere.

XI. Quamobrem, cum duo sint rerum genera quæ producuntur et originem habent : alia sempiterna et divina, ut est Filius, et Spiritus sanctus : alia in tempore procreata, quales sunt conditæ res omnes ; qui utrumque commemorarunt scriptores sacri, Moses, et Joannes Evangelista, ita simili ab exordio cœperunt, ut diviso modo ambas illas origines expresserint. Nam uterque *In principio* posuit ; verum Moses *In principio creavit*, Joannes *In principio erat Verbum* scripsit. « Ego illud miror, ait Severianus, quemadmodum Joannes, et Moyses idem proœmium usurparunt. Nam et hic loquitur in hunc modum : *In principio fecit* ; et ille dicit : *In principio erat*. Verum et utiliter ille, et proprie iste dixit. Nam ubi est operis molitio, *faciendi* verbo usus est Moses ; ubi autem molitor est operis, Evangelista verbum, *erat*, usurpavit. Latum est vero discrimen inter, *fecit*, et, *erat*. Nam alterum factum est, cum non esset ; ille autem erat, qui semper est [a].» Itaque ambo scriptores ab eadem orsi sunt mentione principii, « ut una eademque stirps, et radix pietatis appareat, atque ut germanitate quadam inter se conjuncta duo Testamenta videantur [b]. » Nimirum credidit Severianus, utrobique *principii* nomen eadem usurpari significatione ; quod paulo est accuratius hoc loco tractandum.

Variæ Principii significationes.

XII. *Principii* voc multiplicem habet notionem, ac toto genere diversam ; de qua in quinto libro *de Trinitate*, capite quinto disputare memini. Sed quod ad usum disputationis hujus attinet, Basilius homilia I *in Hexaemeron*, qaatuor percenset, quæ in earum numero fere continentur, quas ex Aristotele in illo *de Trinitate* libro commemoravimus. Prima est, ut sit temporis initium ; ita enim Basilium interpretatur Joannes Philoponus [c] [1]. Secunda dicitur prima operis pars, a qua illius fabricatio incipit ; ut fundamentum ædificii principium est. Tertia, ut ars principium est operis faciundi ; atque hæc est efficieus causa. Quarta est finis, cujus gratia quippiam fit. Atque istas omnes ad Mosis verba deinceps accommodat. Nam et *in principio* dici ab illo potuit, ut sit « in exordio mundi, quando fieri cœpit, » ait Ambrosius [2]. Et sic intelligi potest, ut cœlum, atque terram velut fundamenta jecerit totius universitatis. Vel principium mundi *ratio* est *artifex*, id est τεχνικὸς λόγος, quod est Verbum, in quo, et per quod constituta sunt omnia. Vel denique idipsum est, cujus gratia, et in quod intuens mundum architectatus est Deus,

XIII. Ambrosius vero secundum genus principii bifariam partitus est ; et alterum ad numerum alterum ad fundamentum retulit. Ac numerum, explicat sic, tanquam dicas : « In primis fecit Deus cœlum, et terram ; deinde colles, regiones, fines inhabitabiles. Vel sic : Ante reliquas visibiles creaturas, diem, noctem, ligna fructifera, animantium genera diversa, cœlum et terram fecit. » Quin ita posse principium interpretari asserit, quomodo scriptum est, *Mensis hic initium est vobis* [3] ; ubi, præter temporis notionem. quam posteriorem refert, alteram indicat, quæ videtur ad fundamenti genus pertinere.

Acacius item in *Catena quadam calamo scripta*, principii significata percenset ista : « velut loci principium est terminus, superficiei linea, lineæ punctum, temporis quod primum est intervalli [d]. »

Memoratur et a Patribus Aquilæ Græca vox, qua ἀρχὴν reddidit, ut sit ἐν κεφαλαίῳ. « In capite, inquit, creavit Deus simul cœlum, *Principium, In capite.*

λέγεται καὶ ἐπὶ τῶν ἐκ τινὸς γινομένων, οἷον ὅτι ἐκ σιδήρου ὀρέπανον, ἤ τι τοιοῦτον ὁ τεχνίτης ἐποίησε, δέδωκέ τισι λαβὴν τοῦ λέγειν ὡς Μωϋσῆς ἐξ Αἰγυπτίων μαθων ἐξ ὕλης πρπϋποκειμένης γεγονέναι τό πᾶν, εἰκότως εἶπεν ἐποίησεν· ὧν ἀγνοοῦντες τὴν συκοφαντίαν ὁ ἑρμηνεύσαντες, ἐποίησεν εἶπαν, δέον εἰπεῖν τὸ ἀνέδειξεν.

a Sever. hom. I *in Cosmop.* Ἐγὼ θαυμάζω πῶς Ἰωάννης, καὶ Μωϋσῆς τὸ αὐτὸ προοίμιον ἔσχον· καὶ γὰρ οὗτος λέγει. Ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν· κἀκεῖνος λέγει· ἐν ἀρχῇ ἦν. ἀλλὰ κἀκεῖνος χρησίμως, καὶ οὗτος κυρίως. ὅπου μὲν γὰρ δημιουργία, ἔταξε Μωϋσῆς τὸ ἐποίησεν. ὅπου δὲ δημιουργὸς, ἔταξε τὸ, ἦν, ὁ Εὐαγγελιστής· πολὺ δὲ τὸ μέσον τοῦ ἐποίησε, καὶ τοῦ, ἦν. τὸ μὲν γὰρ ἐγένετο, μὴ ὂν· ὁ δὲ ἦν, ἀεὶ ὤν.

b Ibid. Διὰ τοῦτο τὸ προοίμιον ἴσον εἶπον, ἐν ἀρχῇ, καὶ ἐν ἀρχῇ, ἵνα δειχθῇ μία ῥίζα τῆς εὐσεβείας ἡ κἀκεῖνον παιδεύσασα τὸν νομοθέτην, καὶ τούτον φωτίσασα τὸν θεολόγον. ἀδελφαὶ γὰρ αἱ δύο διαθῆκαι, ἐξ ἑνὸς πατρὸς τεθεῖσαι· διὰ τοῦτο καὶ συμφώνως τὸν λόγον προφέρουσι.

c Basil. hom. I. Λέγεται μὲν οὖν ἀρχὴ καὶ ἡ πρώτη κίνησις.

d Acac. Δειχθέον δὲ ποσαχῶς ἡ ἀρχὴ λέγεται· οἷον τόπου τὸ πέρας· ἐπιφανείας γραμμὴ· γραμμῆς σημεῖον· χρόνου τὸ πρῶτον τοῦ διαστήματος.

1 Lib. I *de Mundi creatione* cap. III. Vide et Procop. in *Gen.*— 2 Lib. I *Hex.* cap. IV.— 3 *Exod.* XII, 1.

simul terram [a]. » Barbara, et putida interpretatio, συντὸν et συντὴν pro eo, quod Hebraice legitur את, quæ particula interdum significat, σύν; sed hoc loco articuli vim habet, ut sufficiat Græcus item articulus τὸν et τήν.

In capite. XIV. Quid sit autem ἐν κεφαλαίῳ, non satis liquido constat. Basilius interpretatur ἀθρόως, καὶ ἐν ὀλίγῳ, hoc est *summatim*, vel *brevi*, *subitoque*, ut vertit Eustathius. Nimirum quomodo paulo ante Basilius *principii* vocem exponendam esse censuit; « quod momento, et sine ullo temporis intervallo, rerum est absoluta procreatio [b]. » Ergo *momentum*, sive *instans* significari putat; quod « non est tempus, neque pars temporis ne minima quidem, » ut statim subjicit : « Quemadmodum viæ principium via non est, neque domus principium est domus; ita neque temporis principium est tempus, aut pars minima temporis. » Quod deinceps probat ex communi philosophorum decreto, qui partes omnes temporis in infinitum secari sentiunt. Basilium non tam secutus, quam interpretatus Ambrosius[1], « *In principio*, inquit, id est ante tempus. Denique alii traduxerunt, ἐν κεφαλαίῳ, quasi *in capite*; quo significatur in brevi, et in exiguo momento, summa operationis impleta. » Addit et sensum alterum nominis istius, ut « dicatur summa operis; quia rerum visibilium summa cœlum, et terra est. »

In capite. in principio. Joannes Philoponus quosdam ait, ἐν κεφαλαίῳ putare idem esse, atque ἐν ἀρχῇ, « quoniam caput corporis est principium. » Qua ille opinione spreta, hanc potius amplectitur, ut significet « conjunctim simul factum esse cœlum, atque terram; siquidem istorum non illud quidem primum, hoc vero secundum Deus fecit [c]. » Et adjuvat hanc sententiam, quod Aquila non scripsit simpliciter τὸν οὐρανὸν, καὶ τὴν γῆν, sed συντὸν οὐρανὸν, et συντὴν γῆν. Procopius vero in Hebræo legi ait τὴν κεφαλὴν, quod est *caput*; intelligique cœlum ac terram, prima omnia condita, uti caput primum est in humano corpore [d]. Gregorius Nyssenus ἐν κεφαλαίῳ interpretatur συλλήδδην, hoc est omnia simul condita fuisse; quoniam cœlum et terra partes sunt extremæ totius universi : Ideo « una cum illis mediæ omnes et comprehensæ pariter exprimuntur [e]; » illud autem *in principio* significare idem, ac momento, et sine ulla temporis intercapedine.

XV. Ego vero non nimis argute, ac subtiliter enucleandam esse puto vocabuli vim istius ab Aquila positam. Nam cujusmodi interpres fuerit, si nondum scimus, ex Hieronymo, et iis fragmentis, quæ illius editionis reliqua sunt, licet discere. Fuit enim *contentiosus*, ut idem testatur Hieronymus, et *etymologias nominum persequens*, hoc est voces magis, quam vocum sententias appendens. Itaque, quod in Hebræo legitur ראשית, putavit κεφάλαιον interpretandum esse; quoniam, ut ab eo, quod est ראש, id est *caput*, deflexa vox est ראשית; sic ab eo, quod est κεφαλὴ, fit κεφάλαιον. Itaque κεφάλαιον usurpavit pro *initio*, et *capite rei;* neque *summam*. aut *contractum* nescio quid cogitavit, et in breve redactum *.

a Aquila apud Philop. lib I *de Opif. mun.* c. iv. Ἐν κεφαλαίῳ ἔκτισεν ὁ Θεὸς συντὸν οὐρανὸν, συντὴν γῆν.

b Basil. hom. i *in Hex.* Ἡ τάχα διὰ τὸ ἀκαριαῖον καὶ ἄχρονον τῆς δημιουργίας εἴρηται τὸ, ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν· ἐπειδὴ ἀμερές τι καὶ ἀδιάστατον ἡ ἀρχὴ. ὡς γὰρ ἡ ἀρχὴ τῆς ὁδοῦ οὔπω ὁδὸς, καὶ ἡ ἀρχὴ τῆς οἰκίας οὐκ οἰκία, οὕτω καὶ ἡ τοῦ χρόνου ἀρχὴ οὔπω χρόνος, ἀλλ' οὐδὲ μέρος αὐτοῦ τὸ ἐλάχιστον.

c Philop. lib. I *de Opif.* cap. iv. Τινὲς μὲν οὖν τὸ, ἐν κεφαλαίῳ ταὐτὸν δηλοῦν φασι τῷ ἐν ἀρχῇ, ἀπὸ τῆς ἀρχῆς τοῦ σώματος τῆς κεφαλῆς. Ἐμοὶ δὲ δοκεῖ μᾶλλον σημαντικὸν εἶναι τοῦ συνῃρημένως ὁμοῦ γενέσθαι οὐρανόν τε, καὶ γὴν, οὐ γὰρ τὸ μὲν αὐτῶν πρῶτον, τὸ δὲ δεύτερον ἐποίησεν ὁ θεός.

d Procop. *in Genes.* Ἐν δὲ τῷ Ἑβραϊκῷ ἡ ἀρχὴ κεφαλὴν σημαίνει· καὶ δύναται οὐρανὸν, καὶ τὴν γῆν πρῶτα ὄντα τῶν ὁρωμένων δημιουργήματα κεφαλὴν καλεῖν· ὥσπερ κεφαλὴ σώματος οὐ τῇ θέσει μόνον, ἀλλὰ καὶ τῇ αἰσθήσει, καὶ τῇ ζωῇ ἡγεμονικωτέρα.

e Nyssen. *in Hex.* Τοῖς γὰρ ἄκροις καὶ τὰ πάντως ἐμπεριέχεται.

1 Amb. lib. I *Hex.* cap. iv.— 2 Nyss. tom. I.

* Rectissime judicavit Petavius de *Aquila*, verba ejus intelligenda esse ex hebraicis, potius quam ex linguæ græcæ ingenio, quod Aquila numquam sequutus erat, argutius explicanda. Nam ille multa vocabula græca finxerat, aut novo sensu usurparat, ut totidem græcis verbis Hebraica redderet. Idem factitarunt, quamquam alii parcius aliis, omnes interpretes verbis nimium adstricti. Quod licuit olim animadvertere in illa veteri versione latina ex LXX. Int. Quæ ante Hieronymianam legebatur in occidentalibus ecclesiis, et quæ sæpe intelligi non poterat nisi a græce scientibus. Hinc factum ut græcæ linguæ minus periti, non raro hujus versionis barbarie atque ambiguitate decepti sint. Cujus rei exempla non pauca apud Augustinum occurrunt, quod et ipse postea partim sensit, ut ex ejus retractationibus liquet.

Th. Al.

Plures veteres *Principii* nomine *Verbum* intelligunt.

XVI. Est hæc insuper apud antiquos pervagata, multumque communis opinio, *principii* nomine *Verbum* significari, sive *Filium*. Imo ita legi in Hebræis codicibus affirmare ausi sunt aliqui : « In Filio fecit Deus cœlum et terram, » quod refert Hieronymus initio *Quæstionum Hebraicarum*, et Tertullianum in libro *contra Praxeam* laudat auctorem. Atque hoc quidem argumento Tertullianus utitur ad personarum discrimen asserendum adversus hæresim illam [1], quæ Sabellio prælusit. Sed ex aliorum fide potius, quam sua ita commemorat. Aiunt quidem et Genesim in Hebraico ita incipere : *In principio fecit sibi Filium.* » Verum hæc Hebraismi inscitia facile redarguitur. At complures, etsi non sic in Hebræo legi putarent, *principii* tamen vocabulo Verbum, ac Filium intelligi voluerunt. Ut Origenes homilia prima *in Genesim* : « Quod est, inquit, omnium principium, nisi Dominus noster, et Salvator omnium Christus Jesus, primogenitus omnis creaturæ? In hoc ergo principio suo, hoc est in Verbo suo, Deus cœlum, et terram fecit. » Cui favet imprimis Basilius; qui « in nomine principii significationem dicit inesse artificis Verbi, quod aspectabilium rerum ordinationi præfuit [a]. »

XVII. Tum Ambrosius [2], et Augustinus [3] variis in locis assentiuntur, ut et Beda, Eucherius, et alii multi, A quibus non abhorrent, qui principii nomine σοφίαν intellexerunt ut Methodius apud Photium [4], et Acacius *in Catena*, et Tertullianus libro *contra Hermogenem*, capite XIX ubi et *principatum*, vel *potestatem* interpretatur. Nam et hoc Græca vox significat; et interdum etiam Latina, *principium*. Sed hanc principii significationem, qua Filius intelligitur, merito Joannes Philoponus excludit, tametsi futilibus argumentis eam oppugnat; quod si sic interpretere, « non potest inde probari, mundum existendi initium habuisse, cum tamen Moses hujus productionis initium indicare velit. Deinde quod dicitur, in Filio factum esse cœlum, et terram, detrahit aliquid de eo quod etiam alia opera in illo facta sunt. Nam de solo cœlo, terraque dictum illud est, In principio, non de iis omnibus, quæ mundo continentur. Denique, quod consentaneum magis fuerit, scribere per ipsum [b].»

Atqui levissima sunt hæc argumenta. Nam, ut Moses ita scripserit. *In Filio*, id est *per Filium*, *creavit Deus cœlum et terram*, satis ex *creandi*, vel, ut in Græco legerat Philoponus, *faciendi* verbo cognoscimus, mundum ab initio aliquo esse cœpisse. Tum cœli ac terræ nomina totam hanc universitatem significant, nihil ut propterea ab creationis, et initii conditione sit exceptum; quod postea clarius erit, cum de iisdem vocibus agetur. Tertium argumentum ineptissimum est. Siquidem Hebræi Græcum διὰ per litteram ב exprimunt. Nihil igitur rationibus illis efficit Philoponus; etsi verum dicit, non illic *principii* nomen usurpari de Filio.

XVIII. Quocirca *In principio* simplicius positum existimo, ut sit idem, quod *ante omnia*, vel cum primum ad externarum rerum molitionem se contulit Deus. Ut si de architecto loquar, qui ædificium aliquod extruxit, itaque dicam : *Initio*, id est ante omnia fundamenta posuit. Quam in sententiam plerique conveniunt. Acacius ita explicat, idem esse « in principio, atque in primis. Vel, initium fecit, nempe eorum, quæ deinceps procreata sunt [c]; » atque ita Severianus. Hunc eumdem sensum alii quoque partim indicant, quos supra commemoravi; ut Tertullianus [5], qui sic exponit, ut sit, *a primordio*. Et alibi [6], *in initio*. « Nos autem ait, unicuique vocabulo proprietatem suam vindicamus, principium initium esse, et competisse ita poni rebus incipientibus fieri. Nihil enim, quod fieri habet, sine initio esse, quin initium sit illi ipsum, dum incipit fieri. Ita principium, sive initium, inceptionis esse verbum, non alicujus substantiæ no-

a Basil. hom. I. Ὅτι ἐστί τις τεχνικὸς λόγος ὁ καθηγησάμενος τῆς τῶν ὁρωμένων διακοσμήσεως· ὡς ἐνδείκνυταί σοι ἡ φωνὴ τῆς ἀρχῆς.

b Philop. lib. I *de Mundi opif.* cap. III. Οὐκ οἶμαι δὲ τοῦτο δηλοῦν τὸ λόγιον· πρῶτον μὲν, οὐ δείκνυται διὰ τούτου ἀρχὴν τοῦ εἶναι λαβὼν ὁ κόσμος. τὴν ἀρχὴν δὲ τῆς τούτου γενέσεως διδάξαι θέλει Μωϋσῆς. ἔπειτα τὸ ἐν τῷ υἱῷ πεποιῆσθαι τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν, ἀφαιρεῖται τοῦ καὶ τὰ λοιπὰ τῶν δημιουργημάτων ἐν αὐτῷ γεγονέναι. περὶ γὰρ μόνου τοῦ οὐρανοῦ, καὶ τῆς γῆς εἴρηται τὸ ἐν ἀρχῇ. οὐ μὴν περὶ πάντων τῶν ἐν τῷ κόσμῳ. καὶ ὅτι ἀκολουθότερον ἦν τὸ δι' αὐτοῦ.

c Acacius *in Cat.* Ὡς εἰ ἔφασκεν, ἐν πρώτοις ἐποίησεν ὁ Θεὸς, etc. Ἡ ἀρχὴν ἐποίησε, δηλονότι τῶν μετὰ ταῦτα κτισθέντων.

1 Tertull. lib. *cont. Prax.* cap. V. — 2 Lib. I *Hex.* cap. II. — 3 Lib. XI *Conf.* c. IX et lib. XII c. XIX, XX, XXVIII et lib. I *de Gen. ad lit.* cap. V et lib. I *cont. Adver. leg.* cap. II, — 4 Phot. cod. 235.— 5 Lib. I *cont. Mar.* c. X.— 6 *Cont. Herm.* c. XVI.

men. » Basilius item, et Ambrosius, cum initium operum ab illis fecisse Deum asserunt. Augustinus libro *de Genesi ad litteram imperfecto*, capite tertio : « An ideo dictum *in principio est*, inquit, quia primum est. » Et in libro, *contra Adversarium legis, et Prophetarum*, capite secundo, « Ut principium sit, ex quo esse cœperunt. Non enim Deo coæterna semper fuerunt, sed facta initium, ex quo esse inciperent, acceperunt, » Sic illud Severianus dictum existimat, quod est in *Proverbiis* octavo capite, *Dominus creavit me in initio viarum suarum*. Verum hoc loco non est in Hebræo ברא, sed קנה, quod est *possidere*. Tamen eodem sententia revolvitur.

Cyrillus item Alexandrinus in secundo libro *contra Julianum* censet Mosem ostendere non carere principio cœlum atque terram, nec eadem ac Deum æternitate constare, « sed in tempore, et principio ad ortum vocante [a]. » Ut sit ἀρχὴ *principium exsistendi ;* videlicet quando ad procreandum Deus animum adjecit, primum omnium cœlum, terramque condidit.

XIX. Ex iis perspicuum est, quid eadem principii vox a qua Joannes Evangelium orsus est, a seipsa distet perinde initio libri a Mose posita ; de quo nihil hoc loco dicam, dixi enim in secundo *de Trinitate,* capite octavo.

Neque vero subtiliter otioseque puto quærendum, fueritne tempus initium illud, vel *principium*, an tempus antecesserit ; quod Basilius indicat. Habet enim negandi potius vim quam affirmandi vox *principii* ; tanquam dicat, antequam ulla res esset, vel cum nihil exstaret adhuc. Potest tamen et omne illud intelligi tempus quo conditus elaboratusque mundus est, ut principium tam illud spatium, quod sex dies antecessit, quam dies ipsos sex comprehendat. Etenim omnium Dei actionum princeps fuit, adeoque *principium*, cœli atque terræ, id est rerum omnium creatio, et prima illa perpolitio quæ sex est diebus absoluta.

CAPUT II.

Quid cœli, atque terræ vocabulis Moses initio Genesis expresserit. Quidam materiam primam intelligunt, ut Augustinus et, ut videtur, Gregorius Nyssenus. Philonis absurda ratio, incorporea quædam describi putantis. De quorumdam opinione, qui supremum aliquod cœlum, quod empyreum vocant, creatum initio putant ; quæ quidem refellitur. Necnon aliorum, qui systema cœlestium orbium intellexerunt. Videri Mosis illa verba generalem esse propositionem, qua totum mundum a Deo creatum pronuntiat ; quem deinde per partes explicat.

I. In horum interpretatione nominum tota fere opificii illius series, ac Mosaicæ narrationis ratio vertitur ; quæ sunt nobis diligentius enucleanda, ut hic semel constituatur, quod alioqui sæpe repeti a nobis oporteret.

Quid nomine cœli et terræ intelligatur

Cum autem varii sunt explicandi modi, tum omnes ad duo capita referuntur. Aut enim cœli terræque vocabula, et illius præcipue, sine ulla figura, propriaque notione intelliguntur ; aut tropice, ac figurate, ut aliud significent, quam quod consuetudo communis solet illis subjicere. De hoc posteriori primo loco dicemus. Complures antiquorum initio rerum, et ante dierum sex opera, informe quiddam et inconditum a Deo procreatum esse censent ; quod ὕλην Græci, nostri vel *hylen*, vel *materiam* appellant. Ita sensit Augustinus libro primo *de Genesi contra Manichæos*, capite v. « Prima, inquit, materia facta est confusa et informis, unde omnia fierent, quæ distincta atque formata sunt ; quod, credo, a Græcis chaos appellari. Sic enim et alio loco legimus dictum in laudibus Dei : *Qui fecisti mundum de materia informi* [b]. Quod aliqui codices habent *de materia invisa.* » Est autem locus ille in capite XI libri *Sapientiæ*. Hac ex materia cætera deinceps omnia fabricata docet capite sequenti. « Et ideo Deus rectissime creditur, inquit, omnia de nihilo fecisse, quia, etiamsi omnia formata de ista materia facta sunt, hæc ipsa materia tamen de omnino nihilo facta est. » Igitur

Nonnulli materiam primam intelligunt.

a Cyril II *contra Jul.* Οὐ γάρ τοι συνάναρχον καὶ συναΐδιον τῷ θεῷ κατά τινας ἐφίησι καὶ αὐτὸς νοεῖσθαι τὴν ὕλην, etc. Χρόνῳ δὲ μᾶλλον, καὶ ἐν ἀρχῇ καλούσῃ πρὸς γένεσιν περιορίζει τὴν κτίσιν.

b Sap. XI, 18. Κτίσασα τὸν κόσμον ἐξ ἀμόρφου ὕλης.

« informis illa materia quam de nihilo Deus fecit, ait capite septimo, appellata est primo cœlum et terra, et dictum est, In principio fecit Deus cœlum et terram; non quia jam hoc erat, sed quia hoc esse poterat. Nam et cœlum scribitur postea factum. Quemadmodum si semen arboris considerantes dicamus, ibi esse radices et robur et ramos et fructus et folia, non quia jam sunt, sed quia inde futura sunt. » Mox etiam, terram et aquam appellari dicit eamdem materiam, « ut res ignota notis vocabulis insinuaretur imperitioribus, et non uno vocabulo, sed multis; ne, si unum esset, hoc putaretur esse, quod consueverant homines in illo vocabulo intelligere. Dictum est ergo cœlum, et terra, quia inde futurum erat cœlum et terra. Dicta est terra invisibilis, et incomposita, et tenebræ super abyssum, quia informis erat et nulla specie cerni, aut tractari poterat, etiamsi esset homo, qui videret, atque tractaret. Dicta est aqua, quia facilis et ductilis subjacebat operanti, ut de illa omnia formarentur. Sed sub his omnibus nominibus materia erat invisa, et informis, de qua Deus condidit mundum. » Idem sensit et in libro XII *Confessionum*, capite IV, VIII et XII. Et in opere imperfecto *de Genesi ad litteram*, tum in ejusdem tituli perfecto, ac primo operis libro, inquirentis, ut solet, ac dubitantis more proponit eamdem de informi materia opinionem suam. Vide et librum *de fide et Symbolo*, capite secundo. Hanc interpretationem Albinus Flaccus, et Beda, Isidorus, aliique deinceps, qui Augustinum consuevere sequi, ejus exemplo posuerunt; necnon Cæsarius *dialogo* primo interrogatione LI.

His accedit Philo.

II. Ab his non alienus potest videri Philo, quatenus materiam informem antecessisse rerum omnium conditum significat. Nam Dei bonitatem ea re demonstrari ait, « quod præstantissimam naturam suam non inviderit ei substantiæ, quæ nihil boni per seipsam habet, potest vero fieri omnia. Erat enim ex se ordinis expers, qualitatis, animæ, plena diversitatis, inconcinnitatis, discordiæ [a]. » Quam enim describit his verbis aliam substantiam quam materiam? Beda insuper Origenem scribit existimasse [2], materiem informem antecessisse formatam speciem. Atqui in libro secundo *de Principiis*, capite primo, de materia disputans, ex philosophorum veterum sententia negat eam sine qualitatibus, ac formis posse subsistere; « Hæc tamen, inquit, materia, quamvis (ut diximus) secundum suam propriam rationem sine qualitatibus sit, nunquam tamen subsistere extra qualitatem invenitur. » Augustinus item in libro *contra Adversarium legis, et Prophetarum*, cum in capite octavo scripsisset, Deum ex informi illa materia cuncta procreasse, et eam ipsam materiem non esse omnino nihil, nec malam esse, sed bonam, et a Deo creatam; mox nono capite, quemadmodum creata sit ostendit. « Nec putandus est, inquit, Deus informem prius fecisse materiam, et, intervallo aliquo interposito temporis, formasse, quod informe prius fecerat. Sed, sicut a loquente fiunt verba sonantia, ubi non prius vox informis post accepit formam, sed formata profertur; ita intelligendus est Deus de materie quidem informi fecisse mundum, sed simul eam concreasse mundo. Non tamen inutiliter prius narratur, unde aliquid fit, et postea quod inde fit, quia, etsi potest utrumque simul fieri, non simul potest utrumque narrari. »

Augusti sententia priore diversa

Hæc opinio posterior Augustini prorsus est a priore diversa. Illic enim non eodem momento, punctoque temporis materiam conditam esse cum forma putavit, sed aliquanto ante hanc, illam exstitisse, cum *inde*, id est e materia, *futurum cœlum esset ac terra*. Sed nec ista ipsa posterior consentanea mihi videtur. Cujusmodi enim illud est, cœlum, terram, creatasque res omnes e materia fecisse Deum, si non hæc ante fuit, quam illa exstarent omnia, quæ ex ipsa procreata dicuntur? Profecto enim si argilla non prius in natura rerum exsisteret, quam vas ex ea fictum, sed eodem momento vas cum argilla figulus efficeret; non ex argilla vas fieret. Antecedat itaque necesse est id, ex quo tanquam materia formari aliquid dicimus.

III. Neque vero, si cœli ac terræ nomina materiam significant, aliud *principii* voci subjectum potest esse, quam antecessio aliqua; cum Moyses scribit, *In principio Deus creavit*

a Philo *de Mundi opif.* Οὗ χάριν τῆς ἀρίστης αὐτοῦ φύσεως οὐκ ἐπεθύνησεν οὐσίᾳ μηδὲν ἐξ ἑαυτῆς ἐχούσῃ καλὸν, δυναμένῃ δὲ γενέσθαι πάντα. ἦν μὲν γὰρ ἐξ ἑαυτῆς ἄτακτος, ἄποιος, ἄψυχος, ἑτεροιότητος, ἀναρμοστίας, ἀσυμφωνίας μεστή.

1 Isidor. lib. I *de Diff.* cap. IX.— 2 In Gloss. Ordin. citatus.

cœlum et terram, ut ante cætera, quæ deinceps exposuit, materiam factam esse demonstret. Quare neutra Augustini ratio procedit, sive cum materiam forma carentem omni prius ait esse conditam ; sive cum *in principio factam* vult esse sic, ut non sine forma atque adeo qualibet specie rerum, quarum est materia, procreata fuerit. Ac prior ambarum a philosophorum abhorret placitis ; qui materiam nunquam a forma separatam exstitisse, quidam etiam neque vel divina potuisse vi putant exsistere. Quod ut minime concedatur, certe nihil est, quod ita esse factum a Deo, uti facere potuit, nos cogat asserere. Nam quod *terram invisibilem* et *informem* suspicantur esse materiam, non est ita ; uti paulo post constabit. Et Tertullianus in libro *contra Hermogenem* opinionem refellit istam [1] ; ac de materia ne littera quidem mentionem fecisse Mosem, verissime defendit. Ubi et hoc memorabile [2], minimeque prætereundum a nobis explicat de eo, quod hæreticus objectabat : Si ideo ex nihilo facta esse dicimus omnia, quoniam nulla materiæ fit mentio, ex qua procreata fingantur ; vicissim contendi posse, « ex materia facta omnia, quia proinde non aperte significatum sit, ex nihilo quid factum. » Cui sic respondet, diversam utrobique esse causam. « Dico enim, etsi non aperte Scriptura pronuntiavit, ex nihilo facta omnia, sicut nec ex materia, non tantam fuisse necessitatem aperte significandi, de nihilo facta omnia, quanta esset, si ex materia facta fuissent. Quoniam quod fit ex nihilo, eo ipso dum non ostenditur ex aliquo factum, manifestatur ex nihilo factum ; et non periclitatur ne ex aliquo factum existimetur, quando non demonstretur ex quo sit factum. Quod autem ex aliquo fit, nisi hoc ipsum aperte declaratur ex aliquo factum, illud, dum ex quo factum sit ostenditur, periclitabitur primo, videri ex nihilo factum, quia non editur, ex quo sit factum. »

IV. Rursus Augustinus in primo *de Genesi ad litteram*, capite XV posteriorem opinionem suam latius, clariusque describit ; ubi materiam informem, cujus Sapientiæ liber meminit, formatis rebus tempore priorem fuisse negat, « cum sit utrumque simul concreatum et unde factum est, et quod factum est. Sicut enim vox materia est verborum, verba vero formatam vocem indicant, non autem qui loquitur, prius emittit informem vocem, quam possit postea colligere atque in verba formare ; ita creator Deus non priorem tempore fecit informem materiam, et eam postea per ordinem quarumcumque naturarum, quasi secunda consideratione formavit, formatam quippe creavit materiam. Sed quia illud, unde fit aliquid, etsi non tempore, tamen quadam origine prius est, quam illud, quod inde fit, potuit dividere Scriptura loquendi temporibus, quod Deus faciendi temporibus non divisit. Si enim quæratur, utrum vocem de verbis, an de voce verba faciamus, non facile quisquam ita tardo ingenio reperitur, qui non potius verba fieri de voce respondeat. Ita, quamvis utrumque simul, qui loquitur, faciat, quid unde faciat, naturali attentione satis apparet. Quamobrem, cum simul utrumque Deus fecerit, et materiam quam formavit, et res in quas eam formavit, et utrumque ab Scriptura dici oportuerit, nec simul utrumque dici potuerit, prius illud, unde aliquid factum est, quam illud, quod inde factum est, dici debuisse quis dubitet ? »

Verum, si quis Mosis verba, et expositum ab eo creationis ordinem, seriemque consideret, ac quemadmodum ante omnia cœlum terramque, id est, si vere interpretatur Augustinus, materiam informem condiderit, postea hanc ipsam in illis sex diebus formaverit ; mirum, si assentiri illi possit, simul cum materia, et eodem puncto temporis, rerum omnium formas, ac res adeo ipsas esse procreatas.

Nam, quod *Sapientiæ* locus ille demonstrare videtur, orbem terrarum ex informi materia conditum esse, non est necesse materiam hanc informem, id est forma carentem omni prorsus, intelligere, sed nondum digestum, ordinatumque corpus, ac rude adhuc, et impolitum, sui tamen generis, ex forma, ut et materia, concretum. Porro *creandi* verbum, quod Græce est κτίζειν, plerumque idem esse, ac *componere*, *perpolire*, et *digerere* id, quod confusum et inconditum erat, sæpe diximus. Quod autem sit corpus illud, ex quo moles hæc universitatis extructa sit, paulo erit postea demonstrandum. Atque ita Severianus intelligendus est, qui « rerum omnium materiam prima die factam esse [a] » dicit.

a Sever. hom. I. Πάντων τῶν γενομένων τὴν ὕλην τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ ἐποίησεν.

1 Cap. XX et seq. — 2 Cap. XXI.

Eorum opinio qui rerum semina tantum ab initio extitisse putant.

V. Non est multum aliena ab hac informis materiæ propugnatrice sententia quorumdam ratio ; qui initio non res ipsas, corporaque, sed rerum semina atque corporum exstitisse tradunt. Ita Gregorius Nyssenus in libro *Operum sex dierum*, ubi non satis perspicue mentem suam explicat. Apparet tamen accuratius, quæ ab eo scripta sunt, legenti, sic illum existimasse, imprimis Deum momento ac simul omnia condidisse, idque duabus istis vocibus contineri, ἀρχῇ, id est *principio*, quod habent LXX et κεφαλαίῳ, quod Aquila posuit. « Nam in κεφαλαίῳ, id est *summa*, demonstratur omnia simul fuisse procreata. Per nomen vero *principii* declaratur, momento, et sine ullo temporis spatio fuisse facta [a]. » Igitur « Rerum simul omnium constructio ab ineffabili Dei potentia profecta, principium a Mose, sive summa nominatur [b]. » Verum non res ipsas in se, « sed earum semina quædam, et causas, ac virtutes in illo momento jactas esse [c] » mox ostendit. Et disertius postea ex eo, quod terra *invisibilis et incomposita* vocetur, confirmari putat, « Vi et potestate omnia exstitisse in illo primo Dei ad procreandum appulsu, tanquam vi quadam seminali ad universitatis productionem jacta; ita tamen, ut actu res singulæ nondum essent [d]. » Tum eamdem terram ait fuisse, et non fuisse, neque corporum proprias qualitates habuisse ; et potestate sola id, quod est modo, fuisse. Itaque neque cœlum, neque terram adhuc exstitisse putat, hoc est reipsa, et actu cœlum fuisse, vel terram, sed potestate sola ; ut appareat, solam ex illius sententia materiam principio fuisse. Nempe, ut ibidem ait, « Potestatem qualitatum susceptricem a mundi conditore productam [e]. »

VI. At Philo Judæus e contrario rem nullam materia, vel corpore constantem adhuc exstitisse censet, antequam firmamentum esset a Deo conditum ; sed spirituales quasdam intelligibilesque numero septem intelligibilis perinde mundi partes, hoc est ideas, et formas corporatarum rerum, ac velut descriptiones futuri operis. Primum itaque « cœlum minime corporatum prodiisse vult; deinde terram sub aspectum non cadentem ; tum aeris ideam, et vacui. Illum vocavit tenebras, quoniam niger est aer natura; hoc autem, abyssum. Profundissimum enim est vacuum, et immensum. Deinde aquæ incorpoream substantiam, et Spiritus. Postremo septimæ lucis substantiam perinde corporis expertem, et intelligibile Solis exemplar, et astrorum omnium lucentium, quæ in cœlo constituenda erant. »

Absurda Philonis sententia exploditur.

Sed Philonis ista sententia prorsus est inepta, et Platonis quam Mosis discipulo dignior, ut et Origenis pleraque ad eum modum inconsiderate et otiose disputata ; quæ, ut facile est, sic inutile ac supervacuum refellere. Itaque non iis immorabor diutius.

Opinio illorum qui cœli terræque vocabulis proprias subjiciunt notiones.

VII. Transeo nunc ad illos, qui cœli terræque vocabulis proprias subjiciunt notiones, quorum major est copia. Ex his Theophilus Antiochenus, auctor pervetus in secundo *ad Autolycum*, elegans quiddam in eo reperit. Mosem ait opificii divini narrationem auspicatum a cœlo, tanquam a tabulato domus, ut artificis ac molitoris Dei commendaret omnipotentiam. « Nam homo, qui in infima mundi regione situs est, a terra ædificare incipit, nec, nisi fundamento jacto, tectum construere potest. Dei vero in hoc potentia monstratur, ut ex iis primum, quæ non exstant, creata omnia pro voluntate sua faciat. Quæ enim penes homines impossibilia sunt, penes Deum possibilia sunt. Idcirco Propheta

a Nyssen. *in Hexaem.* Ἐν μὲν γὰρ τῷ κεφαλαίῳ συλλήβδην τὰ πάντα γεγενῆσθαι παρίστησιν· διὰ δὲ τῆς ἀρχῆς δηλοῦται τὸ ἀκαρές τε, καὶ ἀδιάστατον.

b Ibid. Ἡ οὖν ἀθρόα τῶν ὄντων παρὰ τῆς ἀῤῥάστου δυνάμεως τοῦ Θεοῦ καταβολὴ, ἀρχὴ παρὰ τοῦ Μοϋσέως, εἴτουν κεφάλαιον κατωνομάσθη.

c Ibid. Πάντων τῶν ὄντων τὰς ἀφορμὰς, καὶ τὰς αἰτίας, καὶ τὰς δυνάμεις συλλήβδην ὁ Θεὸς ἐν ἀκαρεῖ κατεβάλλετο.

d Id. Ὅτι τῇ μὲν δυνάμει τὰ πάντα ἦν ἐν πρώτῃ τοῦ θεοῦ περὶ τὴν κτίσιν ὁρμῇ, οἱονεὶ σπερματικῆς τινος δυνάμεως πρὸς τὴν τοῦ παντὸς γένεσιν καταβληθείσης· ἐνεργείᾳ δὲ τὰ καθ' ἕκαστον οὔπω ἦν. ἡ γὰρ γῆ, φησὶν, ἦν ἀόρατος, καὶ ἀκατασκεύαστος· ὅπερ ἴσόν ἐστι τῷ λέγειν, ὅτι ἦν, καὶ οὐκ ἦν. οὐ γάρ που συνδεδραμήκεισαν περὶ αὐτὴν αἱ ποιότητες.

Mox : Ὅτι ἐνεργείᾳ μὲν οὔπω ἦν, ἐν μόνῃ δε τῇ δυνάμει τὸ εἶναι εἶχε.

e Ibid. Ὥστε διὰ τοῦτου μαθεῖν, ὅτι δεκτικὴν δύναμιν τῶν ποιοτήτων ὁ τοῦ παντὸς κτίστης προκατεβάλλετο.

f Philo *de Opif.* Πρῶτον οὖν παρὰ τοῦ νοητοῦ κόσμου ὁ ποιῶν ἐποίει οὐρανὸν ἀσώματον, καὶ γῆν ἀόρατον, καὶ ἀέρος ἰδέαν, καὶ κενοῦ. ὧν τὸν μὲν ἐφήμισε σκότος, ἐπειδὴ μέλας ὁ ἀὴρ τῇ φύσει· τὸ δὲ ἄβυσσον. πολύβυθον γὰρ τό γε κενὸν, καὶ ἀχανὲς. εἶθ' ὕδατος ἀσώματον οὐσίαν, καὶ πνεύματος, καὶ ἐπὶ πᾶσιν ἑβδόμου φωτὸς, ὃ πάλιν ἀσώματον ἦν, καὶ νοητὸν ἡλίου παράδειγμα, καὶ πάντων ὅσα φωσφόρα ἄστρα κατὰ τὸν οὐρανὸν ἔμελλε συνίστασθαι.

dixit, primo cœli fabricationem esse factam, quod tecti instar esset, loquens sic : *In principio fecit Deus cœlum*, hoc est per principium factum esse cœlum, ut supra monstravimus. »

Verum, quia secundo die firmamentum, quod est cœlum, a Deo conditum esse paulo post Moses refert, eo plerique sunt inducti, ut non uniusmodi cœlum utrobique nominari crederent, sed saltem duplex ; quorum primum ante dies sex, initio cum terra procreavit ; alterum die secundo. Prius autem illud cœlum supremum esse volunt, neque sub aspectum cadere ; sed Angelorum ac beatorum esse domicilium. Ita Diodorus Tarsensis in *Catena Lipomani* ; qui cœli nomine non aspectabile hoc, et inferius, sed sublimius, ac divinius intelligendum ait, quod *cœlum cœli* Scriptura nominat. Epiphanius item in libro *de mensuris, et ponderibus*, « primo die factos esse dicit superiores orbes cœli, atque terram [b]. » Basilius quoque homilia tertia, et Ambrosius [1], Cæsarius [2], et Philoponus [3], qui Firmamentum diversum ab illo, quod cum terra factum esse memoratur, cœlum esse sentiunt, sublimius quoddam in principio creatum agnoscunt. Severianus præterea homilia prima, « Primo, inquit, die cœlum, quod non erat, condidit ; non hoc, quod videmus, sed superius. Hoc enim die secunda factum est. Fecit Deus cœlum illud, de quo David dicit : *Cœlum cœli Domino* [4]. Est autem superior ista contignatio [c]. » Idem censet Joannes Damascenus libro secundo, capite VI, Beda in *Hexaemeron*, ac plures alii.

Nonnulli cœlum aliquod supremum imaginantur.

VIII. Verum, cum, ut initio dixi, Moses ad Judæorum, hebetis ac rudis populi, captum ista scriberet, non est verisimile, statim initio libri, cœli nomine aliud intelligi voluisse, quam quod vulgo docti omnes, et indocti voci illi subjiciunt, et quod in Scripturis sanctis sæpius exprimitur. At supremum illud cœlum nullius sensibus discernitur ; nec aliter, quam auctoritate sola, et doctorum opinione statuitur. Ac Mosi quidem propositum fuisse, plerique, quod supra memini, confirmant veterum, Judæos ab ea gentium persuasione longius abducere, quæ cœlestibus corporibus divinitatem æternitatemque tribuebat. Itaque librum suum a contrario dogmate statim exorsum putant, ut ea ipsa, quæ suspiciunt, ac summa veneratione dignantur homines, scirent a Deo esse fabricata. Atqui cœlum illud potissimum, quod videtur, quod solem ac stellas continet, quod assidue supra capita sua volvebatur, intelligebant isti, qui ei adscribebant divinitatem ; nec de alio locutus est Propheta, cum in *Ps.* CI ita scripsit, *Initio tu, Domine, terram fundasti ; et opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt ; tu autem permanes*, » etc. Complures autem supremum illud cœlum, quod et *Empyreum* vocant, incorruptum esse putant, et immutabile ; quare de hoc illa minime a Propheta fuerint dicta.

Atenim occurrit Joannes Philoponus, mirum nemini oportere videri, quod Moses cœli cujusdam, quod oculis aspici nequeat, mentionem fecerit. « Nam neque ante Ptolemæum, et Hipparchum, mathematicorum ullus nonam sphæram stellis carentem cognoverat [d]. » Sed aliud est eruditis auribus recondita illa, et abstrusa committere ; aliud in vulgus indoctum sine ullo operæ pretio depromere.

Sententia probabilior.

Ac, quod ad cœlum istud omnium supremum, neque sub aspectum cadens attinet, minime id quidem inficiari licet, esse beatum quoddam, ac cœleste supra omnia domicilium Angelis, et sanctis omnibus attributum. Sed cujusmodi sit, nonnisi conjecturis et humanis commentis asseritur [5]. Sanctus Thomas de hoc cœlo non aliter constare dicit, quam ex Strabi, ac Bedæ auctoritate, tum etiam Basi-

a THEOPH. lib. II *ad Autol.* Ἄνθρωπος γὰρ κάτω ὢν. ἄρχεται ἐκ τῆς γῆς οἰκοδομεῖν, καὶ οὐ πρὸς τάξιν δύναται καὶ τὴν ὀροφὴν ποιῆσαι, ἐὰν μὴ τὸν θεμέλιον ὑπόθηται· θεοῦ δὲ τὸ δυνατὸν ἐκ τούτου δείκνυται· ἵνα πρῶτον μὲν ἐξ οὐκ ὄντων πονῇ τὰ γινόμενα, καθὼς βούλεται· τὰ γὰρ παρὰ ἀνθρώποις ἀδύνατα. δυνατά ἐστι παρὰ θεῷ. διὸ καὶ ὁ Προφήτης πρῶτον εἴρηκε τὴν ποίησιν τοῦ οὐρανοῦ γεγενῆσθαι, τρόπον ἐπέχοντα ὀροφῆς, λέγων· ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸν οὐρανὸν, τουτέστι διὰ τῆς ἀρχῆς γεγενῆσθαι τὸν οὐρανόν. καθὼς ἔφθημεν δεδηλωκέναι.

b EPIPH. I b. *de Mens.* num. 22 Τῇ μὲν γὰρ πρώτῃ ἡμέρᾳ ἐποίησε τοὺς ἀνωτέρους οὐρανοὺς, τὴν γῆν, etc.

c SEVER. hom. I. Ἐποίησε τὸν οὐρανὸν μὴ ὄντα· οὐ τοῦτον, ἀλλὰ τὸν ὑπεράνω. οὗτος γὰρ τῇ δευτέρᾳ ἐγένετο. ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸν οὐρανὸν τὸν ἄνω. περὶ οὗ Δαβὶδ λέγει· ὁ οὐρανὸς οὐρανοῦ τῷ κυρίῳ. ὑπερῷον δέ ἐστι τοῦτο.

d JOAN. PHILOP. lib. I *de Opif.* cap. VII. Ὡς οὐδὲ τῶν πρὸ Πτολεμαίου, καὶ Ἱππάρχου μαθηματικῶν οὐδὲ εἷς τὴν ἐννάτην, καὶ πᾶσῶν ἔξωθεν σφαῖραν ᾔδει τὴν ἄναστρον.

1 Lib. II *Hex.* c. III.— 2 Cæsar. dial. I Inter. LI.— 3 Phil. lib. I *de Opif.* c. VII.— 4 *Ps.* XIII, 25.— 5 In I p. q. LXVI, a. 3.

lii. Sed multo plures ejusdem meminere, nec tamen *empyreum* nominant; quæ vox nihil est, ac barbara. Neque enim ὁ ἐμπύρεος dicitur, ut sit *igneus*, sed ἔμπυρος.

Sed utut habeat, nullam ejus mentionem fecisse puto Mosem. Quod Aben Hezra ex articuli Hebraici proprietate confirmat; quia scriptum est את השמים, tanquam digitum intenderet in eos orbes, quos oculis suspicimus. Verum neutiquam id necesse est.

IX. Superest igitur, ut cœlum hoc loco non aliud sit, quam quod videtur a nobis, et cœlum proprie nuncupatur; hoc est systema illud splendidorum, et terram ambientium corporum. Quæ cum terrra et aqua elementisque reliquis, initio esse creata complures arbitrantur; quibus ita placet, primo ipso die simplicia omnia producta fuisse corpora, quæ στοιχεῖα id est *elementa*, Græci nuncupant. Quo nomine non vulgata solum quatuor, sed etiam cœlestia corpora censentur.

Sic Hilarius *in Matthæum*, canone IV « Cœlum et terram maxima vocat elementa. » Illa igitur primo die, et ante omnia produxisse Deum existimant.

Sic Gennadius Massiliensis libro *de dogmatibus Ecclesiasticis*, capite X. « In principio creavit, inquit, Deus cœlum et terram, et aquam ex nihlo. »

Quocirca firmamentum ipsum eodem die primo creatum volunt; secundo vero novum ei mandatum officium aquarum dividendarum. R. Selomoh firmamentum, quod primo die tenerum, et musteum a Deo conditum erat, secundo roboratum fuisse dicit. « Roboravit, inquit, firmamentum. Quoniam etsi creati sunt cœli die primo, adhuc erant molles; et condensati sunt die secundo ab increpatione Domini, quando dixit, *Fiat Firmamentum*[a]. » Sed subinepta est hæc sententia. Prius illud vero tuetur Pererius noster; quod et dici necesse est, siquidem initio *Genesis* cœlum a Deo conditum affirmari putat, hoc est certam universi totius partem, quæ vocabulo isto significatur.

Atqui Moses diserte testatur, Deum secundo die jussisse, fieri firmamentum, quod statim exstitit. Neque hoc solum dixit, Dividat firmamentum aquas ab aquis, ut jam factum esse monstraret; quemadmodum die tertia, qua, ut plerique computant, aquæ certum in locum coactæ sunt, quia jam erant creatæ; non dixit, Fiant aquæ, et congregentur, etc. sed tantummodo *Congregentur aquæ*. Quid igitur causæ comminisci possunt, cur ille dixerit, *Fiat firmamentum, et dividat aquas*, etc. etsi jam perfectum erat; non istic dixerit, *Fiant aquæ, et congregentur*, etc. quas similiter jam factas esse constabat?

Sententia Auctoris.

X. Nostra itaque sententia hæc est, prima illa *Geneseos* verba, *In principio creavit Deus cœlum et terram*, non peculiare opus aliquod continere, quod initio et ante dies sex molitus sit Deus, quasi ante lucem ac reliquas deinceps opificii partes, qualecumque cœlum ac terram creaverit; sed esse generale quoddam effatum, quo omnia, quæ sunt a Deo facta, complexus est. Etenim Moses, ut initio dicebam, Judæos statim edocere voluit, totam illam aspectabilem rerum universitatem a Deo conditore profectam esse. Quare ita pronuntiavit, tanquam diceret: Quidquid videtis et quodcumque cœli ac terræ comprehendit ambitus, una cum cœlo ipso terraque, id omne fabricatus est initio Deus. Postea vero per partes ac singillatim, ut quæque est elaborata, descripsit. Hæc verborum Mosis interpretatio veteres habet auctores; quorum meminit imprimis Basilius homilia tertia, tametsi ab illis dissentiat: « Dictum est, inquit ex Latina Epiphanii versione, a præcessoribus nostris, non esse hanc secundi cœli creationem, sed prioris expositionem. Ibi enim captim Scriptura retulit cœli terræque facturam; hic curiosius rationem tradit nobis, qua unumquodque confectum sit elementum. Nos autem dicimus, quia et quando nomen aliud, et usus proprius est in secundo, aliud esse necessario illud primum, quod factum est, cœlum, habens naturam validiorem, quæ præstat rebus omnibus utilitatem præcipuam [b]. » Ambrosius eadem Latine reddidit in secundo libro, capite III. Meminit etiam opinionis ejusdem Augustinus in lib. I *de*

a R. Selom. יחוק הרקיע שאע"פ שנבראו שמים ביום ראשון עדיין לחים היו דקרשו בשני מגערת הקב"ה באמרו יחי רקיע.

b Basil. hom. III. Εἴρηται μὲν οὖν τισι τῶν πρὸ ἡμῶν, μὴ δευτέρου οὐρανοῦ γενέσιν εἶναι ταύτην· ἀλλ' ἐπεξήγησιν τοῦ προτέρου· διὰ τὸ ἐκεῖ μὲν ἐν κεφαλαίῳ παραδεδόσθαι οὐρανοῦ καὶ γῆς ποίησιν· ἐνταῦθα δὲ ἐπεξεργαστικώτερον, τὸν τρόπον, καθ' ὃν ἕκαστον γέγονε, τὴν γραφὴν ἡμῖν παραδιδόναι, ἡμεῖς δέ φαμέν, ὅτι, ἐπειδὴ ὄνομα ἕτερον, καὶ χρεία ἰδιάζουσα τοῦ δευτέρου οὐρανοῦ παραδέδοται ἕτερός ἐστι παρὰ τὸν ἐν ἀρχῇ πεποιημένον οὗτος, στερεωτέρας φύσεως, καὶ χρείαν ἐξαίρετον τῷ παντὶ παρεχόμενος.

Genesi ad litteram, cap. III ubi quærit, « Utrum prius universaliter nomine cœli, et terræ comprehendendum erat, et commendandum quod fecit Deus; et deinde per partes exequendum, quomodo fecit, cum per singula dicitur, Dixit Deus, id est per Verbum suum fecit, quidquid fecit? » Et libro primo *contra Adversarium legis et Prophetarum*, c. X. illam ipsam opinionem, tanquam probabilem, commemorat : « Sive per cœlum, et terram, inquit, generaliter prius insinuata sit spiritualis corporalisque natura, sive aliquid aliud, quod hic salva fidei regula, intelligi potest. » Tum in lib. XII *Confessionum*, cap. XVII eamdem refert.

Ita Gregorius Nyssenus libro *in Hexaemeron*, in illis verbis Mosem asserit duo illa commemorasse, cœlum atque terram, « tanquam extrema rerum omnium, quæ sensibus percipiuntur; ut, cum ea, quibus comprehensa sunt cætera, a Deo procreata diceret, id omne complecteretur, quod intra extrema continetur [a]. »

Cyrillus item Alexandrinus perspicue ita sentit libro *contra Julianum* secundo : « Cum igitur Moses ait, *In principio fecit Deus cœlum et terram*, intellige, summatim, ac velut in compendium collatis omnibus, universarum rerum creationem exponere; tum artificiose progredi ad explicandum, quemadmodum ordinata fuerint, et qua ratione singulæ rerum creatarum hoc ipsum, quod sunt, consentanee sint adeptæ [b]. » Quod etiam tradidit in tertio libro ejusdem operis [1].

Hanc eamdem sententiam sanc. Thomas Chrysostomo tribuit. Verum hic in *Commentariis ad Genesim* [2], cœli nomine iis in verbis, *In principio creavit Deus cœlum et terram*, cœlum proprie dictum intelligit, ac partem mundi supremam. Sic etiam homilia prima tomi quinti, quam ad eadem verba dixit. Verum id ex homilia IV *in Genesim* colligit sanc. Thomas, ut postea dicam [3]. Porro cœli ac terræ nominibus tota rerum universitas sive mundus intelligitur. Definitur enim mundus ab auctore libri *de Mundo* ad Alexandrum sic : « Mundus est collectum aliquid e cœlo, atque terra, atque ex iis naturis quæ intra ea continentur [c]. »

CAPUT III.

Quis rerum status fuerit ante lucem conditam. Cur terra primum incondita, et inculta fuerit. Exponuntur Hebraicæ voces, quibus status ille describitur, tum Græcæ. Cur terra non statim ornata et absoluta prodierit. De Spiritu Domini, quid fuerit, variæ sententiæ, aliis aerem, aliis Spiritum sanctum putantibus. Videri Deum ipsum significari, idque quomodo intelligendum.

I. Quatuor vel quinque sunt omnino, quæ ante lucis ortum exstitisse, Moses significat, cœlum, terra, abyssus, aquæ, et Spiritus Domini. Sed ex iis detrahenda sunt duo, cœlum, et Spiritus Domini; quorum illud secundo demum die conditum, hic a nullo creatus est, cum sit ipse Deus, ut paulo post dicam. Jam abyssus et aqua una sunt et eadem res. Ita duo tantum fuere tum corpora terra et aqua. De terra non ex illis verbis fidem facimus, *In principio creavit Deus cœlum et terram;* nam certas universi partes non exprimunt, ut superiori capite docui; sed generatim totum mundum significant, non qui ante lucem constiterit, sed qui sex totis diebus elaboratus, ac suis absolutus est partibus. Quare ex sequentibus potius argumentum ducitur. Postquam enim universe dixit, a Deo omnia esse procreata, quæ cœli terræque ambitu, ac vocabulis continentur; mox quemadmodum unumquodque prodierit, particulatim narrare aggreditur, atque omissa cœli mentione, quod nondum, ut jam diximus, exstabat, terram duntaxat et abyssum, vel aquas exstitisse demonstrat.

a Nyssen. Οὐρανῷ δὲ, καὶ τῇ γῇ ὁρίζεται ἡμῖν ἡ διὰ τῆς ὄψεως γνῶσις. διὰ τοῦτο ὡς περιεκτικὰ τῶν ὄντων τὰ ἔσχατα τῶν διὰ τῆς αἰσθήσεως ἡμῖν γινωσκομένων ὁ λόγος ὠνόμασεν· ἵνα διὰ τοῦ τὰ περιέχοντα εἰπεῖν παρὰ θεοῦ γεγενῆσθαι, συμπεριλάβῃ πᾶν τὸ ἐντὸς τῶν ἄκρων περιεχόμενον.

b Cyril. lib. II *contra Jul.* Ὅταν τοίνυν λέγει Μωσῆς· ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸν οὐρανὸν, καὶ τὴν γῆν· σύνες ὅτι συλλήβδην μὲν ὥσπερ, καὶ ὡς ἐν βραχεῖ τὰ πάντα συνενεγκὼν, τῆς ὅλης κτίσεως ἀφηγεῖται τὴν γένεσιν· εἶτα πρόεισιν ἐντέχνως ἐπὶ τὸ χρῆναι λέγειν, τίνα τε διεκοσμήθη τρόπον, καὶ ὅπως ἕκαστα τῶν πεποιημένων τοῦθ' ὅπερ εἰσὶν εὖ μάλα διεκληρώσατο.

c Auctor lib. *de Mundo* cap. II. Κόσμος μὲν οὖν ἐστι σύστημα ἐξ οὐρανοῦ, καὶ γῆς, τῶν ἐν τούτοις περιεχομένων φύσεων.

1 Cyr. lib. II *cont. Julian.*— 2 In I par. qu. LXVIII, art. 1, ad 1.— 3 Cap. IX.

Itaque supervacanea nobis est illa ratio, quæ reddi solet ab iis, qui initio cœlum cum terra procreatum esse statuunt, cur, post commemorata illa duo, de cœlo tacuerit : solius vero terræ, quis status tum fuerit, aperiat : *Terra autem*, inquit, *erat inanis et vacua* ; nempe quod cœlum jam perfectum erat, neque quidquam illi deerat; terra vero cultu omni, et ornatu carebat.

Cur terra non ab initio perfecta.

II. Cur non repente perfecta prodierit, causam affert Chrysostomus, ut homines intelligerent, nec a se ipsa, ut in rerum esset natura, neque ut ornata , et tot bonorum fecunda esset, accepisse, sed ab auctore suo ac conditore Deo ; atque hoc modo ab cultu venerationeque illius absterrerentur, cujus ad omnes vitæ partes utilitas magno ad divinum ei impertiendum honorem incitamento esse poterat : « Communis est, inquit, mensa et patria, nutrix et parens est omnium terra et civitas et commune sepulchrum. Nam et corpora nostra sunt ex ipsa ; indidemque corporibus nostris alimenta suppeditantur. In eadem habitamus, et degimus, ac post mortem iterum receptus ad illam patet. Igitur, ne forte commoditatis, quæ ex illa capitur, necessitas efficeret, ut illam præter meritum admirarere, ac beneficiorum multitudo ad impietatem te dejiceret, eam tibi demonstrat, antequam esses, informem, et inconditam [a]. »

Sic Ambrosius libro primo *in Hexameron* capite VII sciscitantibus, cur non initio « ornatus congruos assurgentibus donavit elementis » Deus ; respondet ita : « Potuit utique ; sed ideo primo facta, postea composita declarantur, ne vere increata, et sine principio crederentur, si species rerum velut ingeneratæ ab initio, non postea additæ viderentur. Incomposita terra legitur, et iisdem a philosophis æternitatis, quibus Deus privilegiis honoratur. Quid dicerent, si ab initio ejus pulchritudo vernasset ? Demersa aquis describitur, velut cuidam principiorum suorum addicta naufragio ; et adhuc a nonnullis facta non creditur ; quid si decorem primogenitum vindicaret ? Accedit illud, quod imitatores sui nos Deus esse voluit, ut primo faciamus aliqua, postea venustemus ; ne, dum simul utrumque adorimur, neutrum possimus implere. Fides autem nostra quodam gradu crescit. » Quam posteriorem causam breviter Augustinus indicat libro primo *contra Adversarium legis*, capite VIII. « Ut tanquam proficientis hominis, quod postea futurum erat, hoc modo significaretur affectio. »

Explicantur vocabula Hebraica quibus ille status describitur.

III, Sed vocabula ipsa, quibus tumultuarius ille status elementorum describitur, paucis expendenda sunt. Hebraica primum, quæ sunt תהו, et בהו. De his magistri diverse sentiunt. Aben Hezra substantivum utrumque nomen esse putat, et idem significare, nempe *id in quo nihil est solidi, vel subsistentis* [b]. At R. Selemoh תהו putat esse *stuporem*, quem vernacule ait appellari a popularibus suis estourdisson ; בהו vero significare *vastitatem* et *inanitatem*. Quasi diceret Moses , eum terræ habitum fuisse, « ut si quis hominum videret, obstupesceret, et miraretur vastitatem illius [c]. » Ita solam בהו vocem interpretatur רקות, et צרו *inanitatem, et vastitatem*. Sic David Kimhius in *Radicibus* exponit utrumque nomen eodem vocabulo שממה, quod *desolationem*, ac *stuporem* exprimit ; additque physicos existimare, תהו significare materiam, quam Græci vocant ὕλην, quæ omni ex sese carens forma, cujuscumque est capax ; בהו vero ipsam esse formam, quæ materiam afficit : Deum porro, ambobus illis vi sua sociatis, mundum fabricasse. Quæ est opinio R. Mordekai auctoris *Concordantiarum Hebraicarum ;* sed ea falsa est, et inepta. Quare audiendus potius est Aben Hezra ; cui et Thargum Onkelos suffragatur, qui voces illas reddit ita צריא et ריקניא, hoc est *desolata*, et *vacua*. Ab Hierosolymitano vero sic exponitur : *Et vacua est hominibus, et jumentis*. Itaque recte Latinus noster *inanem et vacuam* vertit ; a quo non abhorret Aquila, qui, ut eamdem nominum amborum esse notionem ostenderet, pro iis οὐδὲν καὶ οὐδὲν posuit ; etsi Joannes Philoponus libri secundi Aquilam scripsisse dicit, κένωμα καὶ οὐθὲν, *inanitatem et nihil* ; Theodotionem vero κενὸν καὶ οὐθὲν ;

Nihil et *nihil*.

Vacuum et *nihil*.

a Chrys. hom. II. Κοινὴ τράπεζα, καὶ πατρὶς, καὶ τροφὸς, καὶ μήτηρ ἁπάντων ἐστὶν ἡ γῆ, καὶ πόλις, καὶ τάφος κοινός. καὶ γὰρ τὰ σώματα ἡμῶν ἐξ αὐτῆς, καὶ τροφὴ τοῖς σώμασιν ἡμῶν ἐκεῖθεν, καὶ οἴκησις ἐν αὐτῇ, καὶ διαγωγὴ, καὶ μετὰ θάνατον πρὸς αὐτὴν πάλιν ἐπάνοδος. ἵν' οὖν μὴ τὸ τῆς χρείας ἀναγκαῖον ὑπὲρ τὴν ἀξίαν σε θαυμάζειν αὐτὴν παρασκευάσῃ, καὶ τὸ τῶν εὐεργεσιῶν πλῆθος πρὸς ἀσέβειαν ὑποσκελίσῃ, δείκνυσί σοι, πρὶν ἢ γενέσθαι, αὐτὴν ἀμόρφωτον, καὶ ἀδιατύπωτον.

b Aben Hezra. שאין בו ביטוש .

c R. Selemoh. תהו לשון תמה ושממון שאדם תהה ומשתומם על בהו שבה .

d Thar. Hieros. וצרו מן בני אנשא וריקניא מוכל בעיר .

Symmachum porro, ἡ δὲ γῆ ἦν ἀργὸν, καὶ ἀδιάκειτον, *Terra erat otiosum, sive vacuum, et inconditum.* Quæ omnes interpretationes in eamdem cum Nostro conspirant sententiam.

Item Græca. IV. At Septuaginta, ἡ δὲ γῆ ἦν ἀόρατος, καὶ ἀκατασκεύαστος, *Terra autem erat iuvisibilis, et incomposita.* Cur invisibilem dixerit, causa hæc a Basilio duplex traditur : « Terram autem invisibilem (ait ex Epiphanii Latina interpretatione) ob duas causas; aut quia necdum spectator ejus processerat homo : aut quia sub aquis, quæ tunc ei supererant, latens nullo modo cernebatur [a]. » Porro ἀκατασκεύαστος, id est *incomposita*, et *inculta* propterea fuit, quia « terræ plena compositio, (ut ait Basilius eodem interpretante Epiphanio) est propria fœcunditas, id est universarum germinatio plantarum, et arborum fructiferarum copia, necnon colores, odoresque florei, et alia quæ paulo post divino jussu progenita decoravere tellurem. Quorum quia nondum aliquid exstiterat, merito eam sermo Scripturæ incompositam nominavit[b]. »

Ambrosius itidem invisibilem ideo dictam putat, « quia aquis operta, visibilis corporeis oculis esse non poterat. » Rursus, « quia nondum lux , quæ illuminaret , nondum sol ; postea enim luminaria facta sunt cœli. » Denique, « Et merito invisibilis, quia incomposita, quæ figuram, et speciem congruentem adhuc non acceperat a proprio conditore , » Eleganter idem *incompositæ* vim [2], notionemque declarat : « Erat incomposita, utpote solertis agricolæ inarata culturis. Erat incomposita, quia nuda gignentium, nec toris herbosa riparum, nec opaca nemoribus, nec læta segetibus , nec umbrosa superciliis montium, nec odora floribus, nec grata vinetis. » Augustinus libro I *de Genesi*, capite XIII. « Invisibilis, quod aquis operta videri non posset, etiamsi esset, qui posset videre. Incomposita, quia nondum à mari distincta, et cincta littoribus, et suis fetibus, animalibusque decorata. »

Hoc modo etiam Acacius in *Catena* quadam manuscripta τὸ ἀόρατον exponit. Sed hoc Severianus improbat [3], et ἀόρατον vocari putat, eodem modo, quo Ambrosius, quod esset ἀκόσμητος, « inornata ; quod nondum ornata stirpibus, nondum fructibus coronata, nondum succincta fluviis, ac fontibus, nondum reliquo variegata cultu. Et erat invisibilis, nondum ad gignendum idonea [c].» Sic in libro secundo *Regum* capite XXIII, 21. *Ipse quoque interfecit virum Ægyptium, virum dignum spectaculo.*. Græce ἄνδρα ὁρατὸν, איש מראה. Latini hoc sensu *visendum* usurpant. Ut Plinius senior Padum oriri dixit *fonte visendo* [4] ; necnon Solinus [5]. Plinius Junior *artem visendam*. Sic e contrario *terram invisam*, nominatam existimat, quasi indignam aspectu. Cæsarius utramque complexus est opinionem. Nam primum « invisam, et incompositam dici ait, non natura, sed ordinationis, et aspectus gratia [d] ; » tum postea, « quod nondum homo spectator illius existeret [e]. » Philoponus vero itidem ad aspectum retulit, « quod undique aquis esset operta, nondum conceptaculis in terra factis, in quæ aqua confluerent [f]. » Quæ omnia Procopius *in Genesim* colligit.

Nam quod ad Gregorium Nyssenum attinet, dum terram reipsa, et ex sese prorsus aspectabilem negat fuisse, idque ἀόρατον interpretatur, consentanea dicit opinioni illi suæ, quam antecedenti capite proposui. Cum enim nondum *actu*, et ἐνεργείᾳ constitisse terram existimet, sed *potestate*, quatenus seminalis, ac genitalis quædam vis initio jacta fuit; inde, quod est consequens, adjecit, non habuisse terram, cœlum ac reliqua quæ tum erant condita, qualitates suas, atque idcirco sub sensus cadere nullo modo potuisse.

a Basil. hom. II. Ἡ ὅτι οὔπω ἦν αὐτῆς ὁ θεατής. ἢ ὅτι ὑποβρύχιος οὖσα ἐκ τοῦ ἐπιπολάζοντος τῇ ἐπιφανείᾳ ὕδατος οὐκ ἠδύνατο καθορᾶσθαι.

b Basil. ibid. Ἔστι μέν οὖν τελεία κατασκευὴ γῆς ἡ ἀπ' αὐτῆς εὐθηνία, φυτῶν παντοδαπῶν βλαστήσεις· δένδρων ὑψηλοτάτων προβολαὶ καρπίμων τε, καὶ ἀκάρπων· ἀνθῶν εὔχροιαι, καὶ εὐωδίαι· καὶ ὅσα μικρὸν ὕστερον μέλλει τῷ προστάγματι τοῦ θεοῦ ἐπανατείλαντα τῇ γῇ τὴν γεννησαμένην κατακοσμεῖν. ὧν ἐπειδὴ οὐδὲν οὔπω ἦν, ἀκατασκεύαστον αὐτὴν ὁ λόγος εἰκότως ὠνόμασε.

c Sever. hom. I *in Hexaem.* Ἀόρατος δὲ λέγεται, οὐχ' ὅτι οὐκ ἐφαίνετο· ἀλλ' ὡς ἄν εἴποι τις ἀκόσμητος οὐδέπω ἦν φαιδρυνομένη τοῖς φυτοῖς· οὐδέπω καρποῖς ἐστεφανωμένη· οὐδέπω ποταμοῖς, καὶ πηγαῖς διεζωσμένη· οὐδέπω τῇ ἄλλῃ εὐκοσμίᾳ πεποικιλμένη· καὶ ἦν ἀόρατος μηδέπω κατασκευασθεῖσα πρὸς ἐπιτηδειότητα τοῦ γεννᾶν.

d Cæsar. dial. I, interr. 63. Ἀόρατος, καὶ ἀκατασκεύαστος, οὐ τῇ φύσει· ἀλλὰ τῇ διακοσμήσει, καὶ τῇ ὄψει.

e Interr. 64. Οὔπω γὰρ ἦν ὁ θεατὴς αὐτῆς ἄνθρωπος.

f Philop. lib. II, cap. II *de Opif.* Διὰ τὸ παντα χόθεν ὑπὸ τῶν ὑδάτων καλύπτεσθαι, οὔπω δοχείων ἐν γῇ γενομένων, εἰς ἃ τὸ ὕδωρ εἴη συῤῥεῖν.

1 Ambr. I *Hex*, cap. VII.— 2 Cap. VIII.— 3 Oper. Chrys.— 4 Plin. lib. III, cap. XVI.— 5 Solin. c. VIII.— 6 Plin. l. VI, op. 31.

Est autem ex omnibus Græcæ lectionis interpretationibus illa Severiani ad Hebraicam accommodata maxime ; sed Græci vocabuli proprietati minus congruit. Nam etsi ὁρατὸς potest esse *visendus*, et *aspectu dignus*, tamen ἀόρατος minus, opinor, quod illi contrarium est, significat.

Genuinus Mosis sensus

V. Sed Græcis LXX sepositis, Hebræa, Latinaque, tum reliquorum fere Græcorum lectiones in eum possunt sensum redigi, quem, quia simplicissimus est, ideo cæteris anteponam. Mosem enim arbitror, quod jam supra dixi, et sæpius quam dico, cogitandum est, ad rudis hebetisque populi captum verba sua sententiasque temperantem, inanem appellare terram, quæ nec urbibus et habitationibus, neque incolis frequentaretur adhuc, nec arbores frugesque pareret, nihil denique haberet in superficie, quod emineret, cujusmodi erant illa, quæ Judæi oculis ac sensibus tum, cum ista legebant, usurpare poterant. Hujusmodi principio terram existere, hoc est indecoram et omni ornatu carentem, voluit Deus, et ab iis sciri, qui ista legerent, ut qui in rebus a Deo conditis nihil tam spectabant, quam usum earum, et quæ ex illis commoda capiebant, iis ipsis ad Dei notitiam, venerationem, ac timorem adducerentur, cujus sola vi et omnipotenti virtute, ac sapientia, tot ac tantæ res tam admirabiliter in lucem editæ, ac solo verbo, et imperio procreatæ fuissent, non naturalibus ex causis, aut usitatis adminiculis ad fructum humani generis exiissent. Nec abludit ab hoc sensu etiam ille, quem attigi supra, incultam, et ornatu carentem, vel inanem fuisse terram, quod sub abysso lateret, velut informis, et indigna conspectu.

Jam abyssi nomine aquam intelligi, una est omnium Interpretum opinio ; de qua mox dicam.

Quid sit Spiritus Domini.

VI. Sequitur ille *Domini spiritus*, qui *super aquas ferebatur* ; de quo trifariam sunt sententiæ, quas Ambrosius libro primo, capite VIII et Augustinus libro primo *de Genesi ad litteram* imperfecto, referunt. Prima est aerem significari, sive ventum ; quod Theodoretus sequitur, ac Severianus in prima homilia , Nam de aere utique meminisse debuit, ait Severianus. Sic *Psalmo* CXLVII *Flabit spiritus ejus*. Ita Etiam R. Moses Maiemonides [1] , et Aben Hezra, qui Spiritum Domini vocari putat, quod a Domino missus erat ad terram exsiccandam. Assentitur et Tharghum Onkelos. Alii vitalem intelligunt spiritum , quem carpimus , ait Ambrosius [2]. Augustinus[3], « vitalem creaturam, qua universus visibilis mundus, atque omnia corporea continentur, et moventur ; cui Deus omnipotens tribuit vim quamdam sibi serviendi ad operandum in his, quæ gignuntur. » Atque hunc spiritum « omni corpore ætherio meliorem esse dicit ; quia omnem visibilem creaturam omnis invisibilis creatura antecedit. » Ergo *invisibilem* hunc facit et creatum. Puto etiam æthereum, sed in eo genere præstantissimum, utique corporeum. Chrysostomus huic interpretationi subscribit homilia tertia *in Genesim*. Censet enim indicari « vitalem quamdam vim, et efficientiam aquis insidentem ita, ut stans aqua non esset » quod stagnum dicitur « et immobilis, sed agitata, et vim habens, ut dixi, vitalem. Quod enim immotum est, prorsus est inutile ; quod movetur, ad multa opportunum est[a] » Procopius vel Deum, vel aerem in Spiritu illo demonstrari credit.

Postremo Deum ipsum plerique significari asserunt, tam Latini, quam Græci ; nominatim vero aliqui Spiritum sanctum, ut Cyrillus libro secundo *contra Julianum Apostatam*. Augustinus in libro illo imperfecto *de Genesi*, cap. IV « Spiritum operantem esse vult vi quadam effectoria, et fabricatoria, ut illud, cui superfertur , efficiatur , et fabricetur ; sicut superfertur voluntas artificis ligno, vel cuique rei subjectæ ad operandum, vel etiam ipsis membris corporis sui, quæ ad operandum movet. »

Præcipue vero Spiritum sanctum e tribus personis designari putat tam Augustinus idem, quam Ambrosius [4] post Basilium [5]. Et Prudentius in *Apotheosi*.

« Qui Spiritus olim
Ore superfusus patrio volitabat in undis
Nondum discretis, nec certo littore clausis. »

Assentitur et Hieronymus in *Traditionibus*.

a CHRYS. hom. III. Ἐμοὶ δοκεῖ τοῦτο σημαίνειν ὅτι ἐνέργειά τις ζωτικὴ προσῆν τοῖς ὕδασι καὶ οὐκ ἦν ἁπλῶς ὕδωρ ἑστὼς, καὶ ἀκίνητον· ἀλλὰ κινούμενον, καὶ ζωτικήν τινα δύναμιν ἔχον. τὸ γὰρ ἀκίνητον πάντη ἄχρηστον, τὸ δὲ κινούμενον πρός πολλὰ ἐπιτήδειον.

1 Ram. in I Part. Jud. Tract. I, cap. IV, § 2.— 2 Libr. I, cap. I.— 3 Lib. *de Gen. Imp.* cap. IV.— 4 Lib. I *de Symb.* cap. V et lib. I in *Hex.* cap. VIII.— 5 Hom. II.

Victor Uticensis in *Fidei ratione ad Hunericum*, « Superferebatur, inquit, Spiritus Dei super aquas, utpote creator virtute potentiæ suæ continens creaturam ; ut ex iis viva omnia producturus ipse rudibus elementis ignis proprii fomenta præstaret. »

Ac denique trita multorum usu est hæc Mosis interpretatio. Atque etiam R. Selomoh ad eam accedit, dum aquas veluti *solium fuisse* vult *Dei in aere consistentis*[a]. Nam Aben Hezra ventum existimat ad aquas siccandas immissum a Deo. Joannes Fornus in homilia *de Spiritu sancto*, quæ est adjuncta Gregorii Tauromenitani homiliis, aquas illas esse Angelos existimat; quod non est verosimile.

VII. Nostra hæc sententia est, Mosem verbis istis ostendere, nullum supra aquas tum fuisse corpus ; atque ἰδιωτικῶς dicere, Deum solum, ejusque Spiritum aquis incubuisse. Quare Spiritum intelligo Deum ipsum, quatenus hæc infima fovet, ac circumplectitur, iisque genitalem vim impertitur. Nam vulgus Deum in cœlo esse , ac supra cœlum existimat ita , ut extra cœlum nihil sit, præter Deum. Ut ergo, si quis dicat, Dei Spiritum, vel Deum cœlo, ac mundo superferri et incubare, sic interpretabimur, nullum ibi corpus remve aliam esse, quæ mundum amplexu suo contineat, præter Deum ; ita, cum Moses ait, Spiritum Domini aquis insedisse, demonstrat supra aquas nihil omnimo corporis exstitisse. Atque hoc sensu probabilis est opinio R. Selomoh.

Proprie.

Est autem aptissima vox Hebræa, qua superferri significatur aquis Spiritus Dei. Quam Basilius[b], Ambrosius, Augustinus ex fide cujusdam Syriacæ linguæ periti sic exponunt, ut sit *fovere, vivificare, sicut ova gallinarum incubitu foventur. quæ vim quandam fotu suo vivificam immittunt,* Ita sentit et Diodorus Tarsensis, et Cæsarius[1]. Eadem vox רחף alias *movere* significat ; Graci ἐπεφέρετο , *superferebatur*. « Non pervagatione, ait Eucherius, sed potestate ; non localiter, sed potentialiter. »

CAPUT IV.

Quænam exstiterint ante primæ lucis exortum. Videri solam terram cum aqua initio procreatam. Eam esse materiam omnium rerum, ex quorumdam philosophorum sententia ; tum chaos illud poeticum. Refellitur novum quoddam opinionis portentum de Melchisedeco et Christo ante lucis exortum productis.

I. Quæ superioribus capitibus exposita sunt, in eam nos sententiam inducunt, uti duo tantum in rerum tunc natura fuisse credamus, terram, et quam *abyssi* vocabulo significari jam diximus, *aquam*. Nihil enim, præter hæc duo, diserte Mosis est complexa narratio. Ac mihi propterea creata solum ista duo videntur, ut quasi materiam futurorum operum, utramque repositam haberet Deus, ex qua cœlum, sidera , plantæ , animantia , ac postremus omnium homo constaret; tum etiam elementa cætera, imprimisque quem aera nominant ; quam esse Firmamenti partem suo loco monstrabimus. Nam de igne, propriumne locum, ac situm habeat, dubitari a philosophis video. Quem quidem si habet ullum, non minus, quam aerem et cœlum, hoc est æthera, (id enim putatur ignis) ex aqua, sive vaporis immensitate illa prodiisse, non vana sit suspicio. Atque ita demum intelligenda est illorum opinio , qui materiam prorsus informem ac rudem initio creatam a Deo dixerunt, ut Augustinus , Gregorius Nyssenus, aliique, quos supra commemoravi. Materiem enim non illam , quæ a philosophis *prima* vocatur , ac forma caret omni , sed minus perfectum elaboratumque corpus interpretari licet, ex quo absolutas rerum species formavit Deus. Hujusmodi autem sunt ex elementis omnibus terra et aqua ; quæ minus actuosa, plusculum de materia trahere videntur.

Sola
ci
aqua
tio c

Quin illud, dimidia saltem ex parte, verum est, quod Thales Milesius asseruit[2], aquam omnium rerum esse principium. Quod eatenus reprehendit Petrus Chrysologus, si et ipsum minime procreatum a Deo principium esse dicitur. Ita sermone XLVI. « Ubi sunt, inquit,

a R. Selomoh. כסא כבוד עומך באויר .

b Basil. Συνέθαλπεν, καὶ ἐζωογόνει τὴν τῶν ὑδάτων φύσιν, κατὰ τὴν εἰκόνα ἐπωαζούσης ὄρνιθος, καὶ ζωτικήν τινα δύναμιν ἐνιείσης τοῖς ὑποθαλπομένοις.

1 Dial. 1 Interrog. I.— 2 Apud Aristot. I *Met.* cap. III.

qui Deum de materia, et maxime de aquâ mundum figurasse confingunt? Deus noster in cœlo, in terra, non ut inventor, sed ut conditor materiæ, ex nihilo cuncta perfecit. » Hoc vero seposito, quod Christiana condemnat fides, primam omnium corporum aquam exstitisse cum terrâ, et Mosis historia persuadet, et, si de inferioribus, ac mutabilibus, corporibus loquimur, antiquorum plurimi consentiunt; qui ad ista duo, cœlum, idque fere supremum, neque sensibus cognitum adjiciunt. Sic Epiphanius primo die supremos illos orbes, terram et aquas cum Angelis condidisse Deum affirmat, uti postea dicam.

Nihil aliud chaos poeticum.

II. Hoc illud *Chaos* Hesiodium significabat; quam congeriem ac molem inconditam fuisse constat, in unam massam conglobatorum corporum, e quibus mundi deinde partes conflatæ sunt, ac confectæ. Quod si Stoicis quibusdam auscultamus, nihil chaos aliud, præter aquam fuit, ut in libro *de Mundi incorruptibilitate* Philo testatur: « Stoicorum, ait, nonnulli aquam esse putant chaos; idque nomen ab eo, quod est χύσις, derivant [a]. » Quod utrumque in opinionem nostram convenit.

Gennadius in libro *de Ecclesiasticis dogmatibus*, materiam, ex qua procreatus est mundus, similiter cœli, terræ et aquæ corporibus contineri credidit. Nam capite x « In principio, inquit, creavit Deus cœlum, et terram, et aquam ex nihilo', etc. Et ita hic visibilis mundus ex materia, quæ a Deo facta fuerat, factus est, et ornatus. » Sed nos eatenus ab eo dissentimus, quod terram et aquam ante cœlum conditam fuisse credimus. Certe, quod cœlum, perinde ac terram et aquam, e nihilo factum asserit Gennadius, haud satis cohæret cum eo, quod subjicit, « visibilem hunc mundum ex materia, quæ a Deo facta fuerat, (utique quam ex nihilo conditam paulo ante docuit,) factum et ornatum fuisse. » Quod enim ad cœlum attinet, non potest materia cœli nominari, quod visibilis mundi pars præcipua. Atqui visibilem mundum ex illis, quæ de nihilo procreata dixit, corporibus esse factum docet. Quinam ergo cœlum e cœlo fieri potuit? Quocirca cœli nomine, quod cum terra et aqua de nihilo constitutum est, non illud aspectabile, sed supremum alterum, quod sub sensus non cadit, Gennadius intellexit itidem, ut alii veteres; quod supra meminimus. Ex quo sequitur, eodem nobiscum consentiente Gennadio, cœlum illud, quod oculis aspicimus, quodque visibilis mundi pars est potissima, e terra vel aqua fabricatum fuisse. Nemo autem sic absurde sapiat, ut e terra cœlum a Deo factum putet. Quare superest, ut ex aqua productum fuerit; quod nobis merito placuit.

Hanc eamdem tumultuariam, et inconditam corporum congeriem, chaos appellat, et materiam interpretatur Hilarius in carmine *ad Leonem* his versibus:

« Omnia cum tegeret nigrum Chaos, altaque [moles
Desuper urgeret informis corpora mundi,
Et caliganti premeret serotina nocte,
Nec species, nec forma foret; Deus intus [agebas,
Corporibus tectis mistus, secreta potestas. »

Eodem intervallo, quod ortum lucis antecessit, præter illa, quæ dixi, corpora, cœlestes creatos esse spiritus, et Angelos, multorum est opinio; de qua dictum est priore *de Angelis* libro, capite decimo quinto, ubi de tempore, quo Angeli conditi sunt, uberrime disputavimus. Quare nihil hic ea de re attinet quærere.

Commentum de hominibus terrenis et cœlestibus.

III. Verum non est omittendum hoc loco portentum quoddam barbaræ opinionis ac putidæ, imo vero pestilentis ac nefariæ, quod dum ista meditabamur, prodiisse in lucem animadvertimus; deque eo lucubratiunculas duas legimus: alteram calamo scriptam: alteram ad sæculi ludibrium et invidiam typis etiam commissam. Utriusque argumentum istud erat, probare quosdam homines ante Adamum, et initio conditi orbis exstitisse, nullo humano satu in mundum editos, sed ab ipso Deo procreatos. Ac prioris quidem illius, cui, cum recitaretur, nihil præter aures dedimus, obscuram tantummodo, neque satis explicatam retinemus memoriam; quare de illa, quoniam ejus, ut audivi postea, majorum auctoritate suppressa est editio, nihil hic habeo, quod dicam. De posteriore, quæ in publicum prodiit, paucis verba faciam. Hujus auctor ipse librum quemdam edidit nuper, quem *Epiphaniam* inscripsit, in quo de tribus Magis anilem et insulsam fabulam texuit. Hos enim tres istos esse defendit, Henochum, Melchisedecum et

[a] Philo. Περὶ ἀφθαρ. κοσμ. τῶν δὲ Στοϊκῶν ἔνιοι τὸ ὕδωρ παρὰ τὴν χύσιν τοὔνομα πεποιῆσθαι νομίζοντες.

Eliam. Tum de Melchisedeco ita sentit, cœlestem hunc hominem esse, hoc est non terreno, sed cœlesti constantem corpore ; qui non ex Adami stirpe descendens, nec humano satu editus, ante Adam ipsum, imo ante lucis exortum primumque diem, procreatus est a Deo. Et quoniam de Melchisedeco scribit Apostolus, *assimilatum hunc esse Filio Dei*[1]; consequens putat, Filium Dei paulo ante Melchisedecum, unum esse factum e cœlestibus illis hominibus, de quibus loqui Paulum existimat iis verbis : *Primus homo de terra terrenus* ; *secundus homo de cœlo cœlestis*[2]. Hinc enim concludit, duo esse hominum genera : unum terrenorum, qualis fuit Adam : alterum cœlestium, cujusmodi Dei Filius exstitit, itemque Melchisedecus. Utrumque ergo ante Angelos, ac lucis ortum, hoc est ante primi opera diei a Deo productum asserit. Et ad hanc priorem, cœlestemque nativitatem in tempore factam referri Davidis illa verba contendit : *Ex utero ante Luciferum genui te ;* hoc est ante creatos Angelos, sive ante lucem, quæ mundo diem attulit. Hæc ille ; de quibus exclamare cum Augustino libet[3]: «O portentum non solum a Christianorum auribus, verum etiam a finibus Christiani orbis arcendum.»

Necnon de Melchisedeco et Christo ante lucem productis.

IV. Quod monstrum sane multiplex est, et ex varia fœdissimarum hæresum colluvione conflatum. Primum enim ex Valentinianorum, Marcionitarum, Manichæorumque secta virus hoc expressit, ut Christo cœleste corpus affingeret. Deinde istos ipsos doctores et magistros suos etiam improbitate vicit ; dum eumdem Dominum Jesum bis hominem esse factum putat ; primum cœlestem cum cœleste corpus induit sub orbis initium : deinde terrenum, cum carnem assumpsit e Virgine. Tertio tam Christum, quam Melchisedecum, adeoque genus illud hominum nescio quod, aliunde, quam ex Adamo propagatum existimat : quod sane dictu, est nefas, et cum Scriptura ipsa pugnat, quæ *ex uno omne genus hominum* ortum habuisse significat[4]. Et *Ecclesiastici* XXXIII. *Omnes homines de solo, et ex terra, unde ortus est Adam.* ἄνθρωπόι πάντες ἀπὸ ἐδάφους, non utique de cœlo. Item *per unum hominem peccatum in hunc mundum intrasse, et per peccatum mortem, et ita in omnes homines pertransisse mortem*[5]. Atqui commentitii ac fabulosi homines illi, qui de cœlo sumunt originem, uti nihil habent commune cum Adamo, sic ab eo peccatum nullum, neque mortis legem, conditionemque traxerunt ; neque pro illis denique mortuus est Christus. Quas horrendas, et Christianis detestandas auribus, ac plusquam hæreticas blasphemias commemorare, confutare est. Agemus de iis, cum adversus primos illarum inventores, quos modo nominavi, Valentinianos, Manichæos, cæterasque pestes, de vera Christi Incarnatione disputabimus ; quemadmodum aliam in ista fœce, ac barbaric latentem hæresim alibi jugulavimus, quæ locum illum *Psalmi* CIX. *Ex utero ante Luciferum genui te,* non ad sempiternam Verbi generationem, qua Deus de Deo natus est, sed ad falsam illam, absurdamque pertinere statuit, contra communem Ecclesiæ Catholicæ, ac Patrum et doctorum omnium, concordemque sententiam.

V. Nam, quod cœleste nescio quod genus hominum, ab ipso satu, et ob corpus e cœlo delibatum, vel æthereum ab Apostolo nominari, Melchisedecianus statuit, crassa hæc inscitia est, et incredibilis stupor. Legeret, quæ antecedunt, verba illa Apostoli, et quæ sequuntur, statim hallucinationem suam deprehenderet. Paulus isto in loco de resurrectione corporum agens, eorumque statu, quæ ad potiundam immortalitatem resurgent, ea spiritualia ex animalibus fore dicit. Nam præcedere id debet, quod animale est, quod vero spirituale est, subsequi. Sicut grana frumenti, quæ seruntur, prius nativum, et ab origine acceptum corpus habent ; deinde corrupta ac resoluta in novam adolescunt segetem, et in alio corpore reviviscunt. Ita corpus hoc nostrum prius est animale atque concretum, postea, cum a mortuis excitatum fuerit, spirituale fiet. *Est enim corpus animale, et corpus spirituale. Sed non prius, quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale.* Hoc vero probat in duobus hominibus Adamo primo homine, et Christo secundo. *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis.* Tum paulo post : *Igitur sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis.* Manifestum est, ex tota illa serie orationis Apostolicæ, corpora illa cœlestia, et spiritualia hominesque spirituales, posteriores esse terrenis, et horum caput Adamum illorum capite Christo prius et antiquius. Quid igitur adversus Apostoli sententiam fingi potest expressius, quam cœlestes illas, spiritualesque larvas nescio quas hominum, anteriores

1 *Heb.* VII, 3.— 2 1 *Cor.* XV, 47.— 3 August. lib. II *cont. Adver. leg.* cap. II.— 4 *Act.* XVII, 26.—5 *Rom.* V, 12.

fuisse Adamo, dicere, terreno homine, terrenorumque capite ac principe?

VI. Enimvero cur Christus cœlestis homo dicatur, non est obscurum, neque plurimum acuti ingenii est dispicere. Quod tamen ad cœlestes illos μετεωρολέσχας, et Aristophaneæ νεφελοκοκκυγίας municipes dedocendos, paucis antiquorum testimoniis obiter exponam. Athanasius in oratione II. « Cæteri, inquit, homines solum ex Adamo oriundi mortui sunt, ac mortem in se regnantem habuerunt; at iste secundus homo e cœlo est. Quippe Verbum caro factum est; ac dicitur ejusmodi homo esse de cœlo, et cœlestis, quoniam Verbum e cœlo descendit[a]. » Et in libro *de salutari adventu Jesu Christi*, « Cœlestis est, inquit, homo Dominus, non quod e cœlo carnem ostentarit, sed quod eam, quam expresserat e terra, cœlestem reddiderit. Ideo qualis est cœlestis, tales, et cœlestes, propter ejus sanctitatis participationem[b]. » Joannes quoque Chrysostomus verba illa Pauli interpretans, *Primus homo de cœlo cœlestis*, cavendum esse admonet pluribus, ne ad naturæ conditionem ista referamus, tanquam cœleste aliquod corpus habuerit Christus, ac dissimile nostri, Non enim *naturam* illic agi *sed vitæ rationem*, *et institutum*, οὐ φύσιν, ἀλλὰ πολιτείαν. « Cœlestis dicitur, ait Ambrosii commentarius, qui non humanæ fragilitatis ritu, sed divinæ majestatis nutu et conceptus est, et enixus. Nam usque adeo naturam nostri habuit, ut secundus Adam dicatur, et homo. » Tum nuperos istos cœlestium corporum, et hominum architectos hæreticorum includit appellatione, et inevitabili argumentatione constringit: « Si ideo, ut hæretici volunt, nostri generis assumptus homo non fuit, qui cœlestis dicitur ergo nec isti naturæ nostræ sunt qui cœlestes appellantur. Si vero de his nemo dubitat, nec de illo est ambigendum. » Prorsus ibi conclusa et convicta tenetur istorum temeritas et inscitia. Nam, si veri sunt homines, et carne constantes ac terreno corpore, qui post resurrectionem spirituales cœlestesque futuri sunt, cum tales ii futuri sint qualis primus ille cœlestis fuerit; etiam iste corpus ex carne terraque sibi sumpsit.

Sublimium rerum tractatores. Nephelokokkugias.*

VII. Quid quod eadem licentia, qua priorem illum primæ *ad Corinthios* depravavit locum, etiam alterum Joannis Melchisedecianus ad ineptæ fabulæ patrocinium detorquet? Quod enim Christus ab Joanne dixisse fertur[2]: *Amen, amen dico vobis, antequam Abraam fieret, ego sum*, sic intelligendum censet, ut non de divinitate sua Christus locutus sit, sed de assumptò homine, non vero tamen, et ex carne Virginis expresso, sed cœlesti, et ante Luciferum, sive primum orbis conditi diem, formato, una cum Melchisedeco, cæterisque cœlestibus. Verba Melchisedeciani hic adscribi melius fuerit. « Pro certo, inquit, habendum est, Christum de humana tunc natura sua locutum esse. Nam alioqui non eum Judæi lapidibus obruere voluissent, tanquam planum, et impudenter mentientem, nec valde mirum id fuisset, si de divinitate tantummodo sua locutus esset. Nemo est enim, qui nesciat, æternum esse Deum. Itaque ludibrio tantum habuissent illum Judiæ, qui se Deum esse diceret. » etc. Futilis oratio, minimeque cohærens. Sed illud in ea capitale, quod illam ipsam humanam Christi naturam, quam vidisse dicit Abraamum, non illam veram, uti dixi, et a matre genitam interpretatur, sed cujusmodi significari antea, verbis istis docuit e *Psalmo* CIX *Ante Luciferum genui te;* nempe quæ libato, allatoque de cœlo corpore constabat, quale et Melchisedeco, ac cœlestibus ceteris hominibus affingit.

VIII. Atenim, disputat Melchisedecianus, Apostolus de Melchisedeco loquens[3], eum ἀπάτορα, καὶ ἀμήτορα, καὶ ἀγενεαλόγητον fuisse dicit, hoc est *neque patrem habuisse*, *neque matrem*, *neque genealogiam*. Igitur aliunde, quam ab homine primo, editus est in lucem; alioqui non careret iis ipsis, quæ illum habuisse negat Apostolus, parentibus, atque stirpe. Porro, cum idem *per omnia sit assimilatus Filio Dei*, non potest abire, quin et Christus

a Athan. orat. II. Οἱ μὲν ἄλλοι πάντες ἄνθρωποι μόνον ἐξ Ἀδὰμ ὄντες ἀπέθανον, καὶ τὸν θάνατον εἶχον βασιλεύοντα κατ' αὐτῶν· οὗτος δὲ ὁ δεύτερος ἄνθρωπος ἐξ οὐρανοῦ ἐστιν· ὁ γὰρ λόγος σὰρξ ἐγένετο· καὶ λέγεται ὁ ποιοῦτος ἄνθρωπος ἐξ οὐρανοῦ, καὶ ἐπουράνιος, διὰ τὸ ἐξ οὐρανοῦ καταβεβηκέναι τὸν λόγον.

b Idem. Ἐπουράνιος γὰρ ἄνθρωπος ὁ κύριος, οὐχὶ ἐξ οὐρανοῦ τὴν σάρκα ἐπιδειξάμενος, ἀλλὰ τὴν ἐκ γῆς ἐπουράνιον σηστησάμενος. διὸ καὶ οἷος ἐπουράνιος, τοιοῦτοι καὶ οἱ ἐπουράνιοι κατὰ τὴν αὐτοῦ μετοχὴν τῆς ἁγιότητος.

* Νεφελοκοκκυγία Nephelokokkugia. Vox Aristophaneæ fabricæ civitatem in nubibis ædificatam, exprimens quam aves incolunt. J. B. F.

1 Hom. XIII, in I *ad Cor.*— 2 *Joan.* VIII, 58.— 3 *Heb.* VII.

ipse sub idem tempus, et ante primum parentem, ac sub rerum exordium exstiterit. Nam, ni ita sit, non erunt ambo inter se similes. Hæc summa disputationis, hoc invictum et inexplicabile argumentum, quod novum illud commenti genus extorsit. Sed, ut de Apostoli verbis ipsis et communi ac perfacili eorum interpretatione nihil hic dicam, quid ex ista ratiocinatione sequatur, attende. Licebit enim similiter concludere, Melchisedecum ex omni æternitate fuisse, imo Deum verum ac Dei Filium, ut per omnia vero assimiletur Dei Filio. Nihil etiam tam dissimile est, si naturam ipsam spectes, quam æternum in tempore facti, corporis expers qualicumque corpore prædíti, immensum, omnipotens, infinitum, loco, potentia, cæteris omnibus definiti. Ut igitur Filio Dei, Dei, inquam, non hominis Filio per omnia similis habeatur Melchisedec, hunc esse Deum necesse est, si quod acumen est in illa collectione, quæ ex perfecta utriusque similitudine cœlestem nescio quem corporis habitum, ac statum in utroque conficit.

Verum de somniis istis, et ad stolidissimam hæresim implicatis nugis, plus satis. Nam alioqui verendum est, « ne, quod ait Cyrillus Alexandrinus, adversus tam frigida, et inepta disputare pluribus, ejusdem sit imperitiæ sibi notam consciscere, qua nugarum auctores istarum laborant [a], » « Porro, cum facilis sit adversum stultitiam responsio, ut recte scribit Hilarius [1], emendatio tamen difficilis stultorum est, per quam primum et ratio intelligentiæ non quæritur, et deinceps ab intelligente intimata non capitur. »

CAPUT V.

De dierum sex intervallo, quo hunc mundum Deus elaborasse dicitur, an revera illi dies extiterint. Nonnullorum opinio proponitur, qui momento eodem omnia procreata putant, eaque refellitur. Explicatur Ecclesiastici locus, qui universa simul *creata testatur.*

I. Si in legendis enarrandisque Scripturis magis intelligendi simplicitas, quam acute excogitata ratio, humana delectaret ingenia, nullus huic quæstioni neque nunc esset locus, nec olim apud antiquos exstitisset. Etenim, si Mosis narrationem, et illius verba ipsa spectes, non est dubium, quin sex dierum spatio opera, quæ illic explicantur, omnia perfecta sint; siquidem singillatim, atque ordine numerantur, tum quid in unoquoque operis effectum sit, diligenter exponitur. Sed complures non ita, ut præ se historia ista fert, creata diebus sex, et perpolita cuncta judicarunt; sed aliter referri, quam revera facta sint, ac momento universa et simul exstitisse. Quæ opinio multos et antiquos habet auctores.

Veteres recensentur qui omnia eodem momento creata docuere.

Philo Judæus in libro *De mundi Opificio*, etsi septem illos dies singillatim explicat, postea tamen indicat, dies illos magis ad distinguendum ordinem rerum, quam ad vera intervalla pertinere: « Tunc, inquit, omnia simul sunt condita. Cum autem simul omnia constarent, necessaria fuit ratio servandi ordinis, propter mutuam, quæ deinceps futura erat, ex sese propagationem [b]. » Itaque non reipsa diebus sex procreata putat universa, sed eodem puncto temporis; quæ tamen in senarium partita numerum, non tam productionis, quam naturæ ordine referuntur. Idem initio primi libri *Allegoriarum*: « Stultum est, inquit, arbitrari, sex diebus, aut omnino in tempore mundum exstitisse; propterea quod mundus universus intervallum est dierum et noctium. Atque hæc solis supra terram

a Cyril. epist. *ad Valer.* Τὸ δὲ τοῖς οὕτω ψυχροῖς ἀντιλέγειν διὰ πλειόνων ἔτι, τάχα που συναμαθαίνειν ἐστὶ τοῖς ἐκεῖνα πεφλυαρηκόσι.

b Philo lib. *de Mundi opif.* Τότε μὲν οὖν ἅμα πάντα συνίστατο. συνισταμένων δ' ὁμοῦ πάντων, ἡ τάξις ἀναγκαίῳ λόγῳ ὑπεργάφετο, διὰ τὴν ἐσομένην αὖθις ἐξ ἀλλήλων γένεσιν.

1 Lib. VI *de Trinit.*

etinfra hanc cuntis motus necessario efficit[a], » etc. Quod argumentum futile est, neque quidquam efficit. Ac mox : « Itaque, cum audis, *Complevit die sexto opera*, intelligere non debes de dierum aliquot intervallis, sed de senario perfecto numero[b]. » Itaque mysticam et figuratam, non propriam putat esse dierum illorum significationem.

II. Philoni assensus est Origenes, qui in sexto libro *contra Celsum*, reprehendit eos, qui prompto, ac simplici sensu Mosem interpretantes, vera dierum sex spatia ab illo descripta sensent[c]. Contra quos etiam se disputasse scribit in *Commentariis ad Genesim*, quæ quidem hodie non exstant. Quin etiam hoc argumento illorum oppugnat sententiam ; quod Scriptura eadem die omnia esse perfecta demonstrat, cum ait, *Istæ sunt generationes cœli et terræ, quando creata sunt, in die, quo fecit Dominus Deus cœlum et terram*[1].

Athanasius præterea videri potest ab eadem opinione non abhorruisse, dum in libro tertio *contra Arianos*, Verbum Dei neutiquam creaturam esse probat ex *Proverbiorum* loco illo, ubi scriptum est, *Ante omnes colles genuit me*[2]. « Nam, cum dicit, Ante omnia generat me, ostendit se ab omnibus esse diversum, cum superius probatum sit, nullam ex rebus creatis ante alteram exstitisse, verum confertim simul omnia genera uno, eodemque momento esse producta[d]. »

Sic et Procopius *in Genesim* eodem propensus videtur, ita scribens : « Cæterum mundi dies enumerat, quod factum est, accurate monstrare volens. Non enim tempore opus habet in condendo Deus, neque tamen temere ac sine ordine, quæ molitur, efficit ; porro numerus ordinem facit. Idcirco non prima dixit, sed una. Siquidem in iis, quæ simul exsistunt, non est primum, ac secundum. Verum quoniam narratio suum ordinem habet ; ideo post unam et secundum dictum est, et usque ad sex, ordinis gratia[e]. » Hic uno die, imo vero momento uno, procreasse Deum asserit opera illa, quæ in sex a Mose distributa sunt ; nec alio spectare numerum illum, quam ad naturæ seriem et ordinem. Ut si arborem cum fructu temporis eodem puncto producat Deus, et qui id refert, prius arborem dicat esse procreatam, deinde fructum.

III. Non dissimilis est Augustini ratio, cur Moses rerum omnium opificium in sex illa dierum intervalla partitus sit, cum, ut arbitratur ipse, eodem omnia momento creaverit. Nam in libro *de Genesi ad litteram imperfecto* capite septimo, « Quanquam, ait, sine productione temporis faciat Deus, cui subest posse, cum volet, ipsæ tamen naturæ temporales motus suos temporaliter peragunt. Ita ergo fortasse dictum est : Et facta est vespera, et factum est mane dies unus ; sicut ratione prospicitur, ita fieri debere, aut posse, non ita, ut fit, temporalibus tractibus. Nam in ipsa ratione operationem contemplatus est in Spiritu sancto, qui dixit : *Qui manet in æternum, creavit omnia simul*[3]. Sed commodissime in illo libro quasi morarum per intervalla factarum a Deo rerum digesta narratio est, ut ipsa dispositio, quæ ab infirmioribus animis contemplatione stabili videri non poterat, per hujusmodi ordinem sermonis exposita quasi istis oculis cerneretur. » Vide et caput nonum ejusdem libri. Tum in quarto libro *de Genesi ad litteram*[4] sex illos operosos dies allegorice refert ad Angelorum notitiam, qua opera singula primum in Verbo ac Deo cognoverunt, deinde in seipsis ; quam cognitionem in Verbo, matutinam ; in ipsis conditis rebus, vespertinam nominat. « Quid ergo opus erat, ait capite XXXIII, sex dies tam distincte, dispositeque narrari ? Quia scilicet ii, qui non possunt videre, quod dictum est, *Creavit omnia simul*,

a Idem lib. I *Alleg.* Εὔηθες πάνυ τὸ οἴεσθαι ἐξ ἡμέρας, ἢ καθόλου χρόνῳ κόσμον γεγονέναι· διότι σύμπας ὁ κόσμος ἡμερῶν καὶ νυκτῶν ἐστι διάστημα, καὶ ταῦτα ἡλίου κίνησις ὑπὲρ γῆν, καὶ ὑπὸ γῆν ἰόντος ἐξ ἀνάγκης ἀποτελεῖ.

b Ibid. Ὅταν οὖν λέγῃ· συντέλεσεν τῇ ἕκτῃ ἡμέρᾳ τὰ ἔργα· νοητέον ὅτι οὐ πλῆθος ἡμερῶν παραλαμβάνει· τέλειον δὲ ἀριθμὸν τὸν ἕξ.

c Origen. VI *contra Cel.* Καὶ ἐν τοῖς ἀνωτέρω δὲ, ἐγκαλοῦντες τοῖς κατὰ τὴν προχειροτέραν ἐκδοχὴν φήσασι χρόνους ἐξ ἡμερῶν διεληλυθέναι εἰς τὴν κοσμοποιΐαν.

d Athan. Καὶ γὰρ καὶ λέγων· πρὸ πάντων, γεννᾷ με· ἄλλον εἶναι ἑαυτὸν σημαίνει τῶν πάντων· δειξάσης ἐν τοῖς πρὸ τούτων τῆς ἀληθείας, ὅτι περ, τῶν κτισμάτων οὐδὲν ἕτερον τοῦ ἑτέρου προγέγονεν, ἀλλ' ἀθρόως ἅμα πάντα τὰ γένη ἑνὶ καὶ τῷ αὐτῷ προστάγματι ὑπέστη.

e Procop. Ἀριθμεῖ δὲ τὰς ἡμέρας τοῦ κόσμου, τὸ γενητὸν ἀκριβῶς παραστῆσαι βουλόμενος. χρόνου γὰρ οὐ δεῖται δημιουργῶν ὁ θεός. οὐ μὴν ἀτάκτα τὰ γεγονότα ποιεῖ. ἀριθμὸς δὲ τὴν τάξιν ἐργάζεται. ὅθεν οὐκ εἶπε πρώτη, ἀλλὰ μία. ἐν γὰρ τοῖς ἅμα τυγχάνουσιν οὐκ ἔστι πρῶτον, καὶ δεύτερον. ἀλλ' ἐπείπερ ἡ διήγησις τάξιν ἔχει, διὰ τοῦτο μετὰ τὴν μίαν καὶ δευτέραν λέγεται, καὶ μέχρι τῶν ἕξ, ἕνεκα τάξεως.

1 *Gen.* II, 4.— 2 *Prov.* VIII.— 3 *Eccl.* XVIII, 1.— 4 Cap. XXII et seq.

nisi cum eis sermo tardius incedat, ad id, quo eos ducit, pervenire non possunt. » Ita etiam in undecimo libro *de Civitate Dei*, capite XXIX et XXX utramque cognitionem matutinam, et vespertinam simili allegoria declarat. At in libro *De catechizandis rudibus*, cap. XVII communem secutus sententiam, « sex diebus operatum esse Deum asserit, et septimo requievisse. Poterat enim omnipotens et uno momento temporis omnia facere, » etc.

Cajetanus in commentariis ad caput primum *Genesis*, priorem illam secutus opinionem, omnia illa censet momento simul esse producta ; sed a Mose ideo sex in dies distributa, ut ad totidem naturalium gradus perfectionum narrationem suam accommodaret. Atque hoc probat tum eo loco Scripturæ, quem supra ex Origene attuli, tum altero *Ecclesiastici*, *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul.* Philippus Abbas Bonæ Spei in epistola 1 etsi obscure, perplexeque, quid sentiat explicet, tamen ad eam accedere sententiam videtur, quæ momento creata simul, et formata ponit universa.

Refellitur prædicta sententia.

IV. Atqui neque vera ista est opinio, neque satis firmis nititur argumentis ; et communi fere omnium consensu hodie repudiata, patronum habere desiit*. Etenim huc et illuc vertant se licet, nihil, qui ita sentient, dicere poterunt Scripturæ narrationi consentaneum, et congruens, quæ tam accurate dies nobis sex, et singulorum spatia dinumerat, ac quid in unoquoque factum sit operis, exponit ; tum ex aliis alia non proprie creata refert, hoc est e nihilo facta, sed producta, ut ex aqua pisces et aves, e terra stirpes ac plantas, e terra caput omnium ac principem hominem. Atqui dici hæc ex nihilo procreata necesse est, si momento uno simul exstiterunt. Plura sunt, quæ adversus istam opinionem e Scriptura peti argumenta poterunt, si quem minus necessaria in re operam ponere delectet. At vero, quæ pro illa ducuntur iisdem e sacris Litteris firmamenta, non sunt tanti, ut negare nos cogant, lucere meridie. Primus ille est locus e capite secundo *Genesis*, ubi *in die*, nempe unica, cœlum ac terram constitisse, Moses ipse perhibet. Verum dies ibi pro tempore, vel spatio simpliciter sumitur, sive pro diebus, ut plerisque placet ; nam singularis pro plurali sæpe in Scriptura ponitur. Alter vero *Ecclesiastici* locus nihil aliud significat, nisi omnia *simul*, id est pariter, et ex æquo creasse Deum ita, ut nihil aliunde ortum, ac fabricatum possit afferri**.

Explicatur Ecclesiastici locus.

Nam, cur sex diebus opera sua molitas sit Deus, et in singulos illa partiri voluerit, qui puncto temporis et universa, et eadem affabre facta, et perpolita proferre potuit, multas Deus habuit, gravesque causas, quas antiqui prodiderunt. Sed ex omnibus ea mihi præcipua videtur, quæ patronos prioris illius, quam rejecimus, sententiæ ad id adduxit, ut, cum eodem omnia momento, ac simul esse creata vellent, per intervalla tamen a Mose digesta, et certis quæque temporibus attributa crederent ; nimirum quod ea rudibus, et imperitis scriberet, qui corporibus, et sensibus assuefacti, præter ea, aut ad eorum modulum exacta, nihil animo percipiunt ; « Plebs enim, ait Clemens Alexandrinus, iis, quæ sensu capiuntur, tanquam sola sint, intenta est[a]. » Hanc rationem paulo ante laudatus attulit Augustinus ; quam ad hoc insuper accommodandam aliqui putant, quod in singulorum dierum moliendis operibus humano more locutus esse dicitur Deus ; cum nihil sermonis egeret, præsertim nondum natis iis, quorum

* Patronum tamen hisce annis invenit P. Jac. Hyacinthum Serry in disput. *de Mundi Opificio* Prælect. 2 et 3. Nimirum nacta hæc B. Augustini sententia fuerat censores aliquot nimis Serryo invisos, Molinam, Cornelium a Lapide, Antonium Moraines, et Arriagam, quos propterea inclementer exagitat. Mirum, ab illo prætermissum Petavium, nisi fortasse id callide et astute ab hoc homine factum fuit, ne scilicet tanto auctore cæterorum, quos contumeliose tractandos susceperat, causa nobilior, solidiorque videretur. Z.

** Nihil obstat quin vocabulum יוֹם quod vulgo *dies* exponitur, latiori sensu sumatur pro quocumque videlicet indeterminato vel determinato temporis tractu. Vocabulum istud, juxta lexica hebraica idem sonat ac annus, tempus, epoca, nec ejus significatio ad diem e viginti quatuor horis constantem est rigorose restringenda. Nonnulli moderni eruditi, ut Bukland, Chalmers, etc. qui de rebus geologicis scripserunt, laudabili sane studio Mosaicæ narrationis a rationalistarum calumniis vindicandæ, consultius forsan egissent, significationi diei proprie dicti, scilicet viginti horis constantis, minus adhærentes ; dum sacer textus latiorem patitur interpretationem, quæ Patribus, nonnullisque veteribus, ut Philoni, non displicuit. In memoriam hic sunt revocanda verba S. Thomæ quæ prudentem temperationem æque ac eximiam doctrinam redolent : « Cum Scriptura divina multipliciter exponi possit, nulli expositioni aliquis ita præcise inhæreat, ut si certa ratione constiterit id esse falsum quod aliquis sensum Scripturæ esse credebat, id nihilominus asserere præsumat : ne Scriptura ex hoc ab infidelibus derideatur, et ne eis via credendi præcludatur » hucusque Angelicus doctor. E. R.

a Clem. Alex. V *Strom.* Πολὺς γὰρ ὁ τοῖς αἰσθητοῖς, ὡς μόνοις οὖσι, προσανέχων.

1 Ad ver. 5.

intelligentiæ locutio ista serviret. Quod igitur in scribendo Mosem spectasse dicunt illi, hoc in fabricando Deum sibi proposuisse credimus, ut humano captui omnipotentis efficientiæ suæ modum accommodaret. Nec alienum est, quod de illius rei causa perhibet Ambrosius[1]: « Utique simul omnia fieri, jubere potuit Deus, inquit; sed distinctionem servare maluit, quam nos in omnibus imitaremur negotiis, et maxime in vicissitudinibus gratiarum.» Ubi et non simul facta esse censet omnia; et quam in scribendo rationem secutum esse Mosem, illi etiam asserunt, qui momento eodem creata putant universa, eam in opere suo edendo tenuisse Deum merito judicat. Sed de verbis istis, eorumque causa, non abs re sit exquisitius aliquid dicere.

CAPUT VI.

De locutione Dei, qua opera omnia procreasse dicitur. Theodori Mopsuesteni sententia, et aliorum Deum vere esse locutum opinantium. Quid verius illa Dei vox significet. An Patris ad Verbum fuisse putanda sit. Longini de hac Mosis narratione judicium.

I. Theodorus Mopsuestenus causam ita reddebat, cur in primo omnium opificio Dei, quo cœlum, ac terram condidit, vocis nihil emisisse dicitur, quam deinceps in dierum singulorum operibus adhibuit; velut in primo, *Fiat lux*; in secundo, *Fiat firmamentum*, etc. hoc, inquam, ille sic explicabat. « Sola voluntate Deus, aiebat, ista procreavit, nulla usus voce; quandoquidem nullus adhuc exstabat, quem ex voce ipsius aliquid discere oporteret. At in cæteris vocem antecessisse refert. Postquam enim esse cœperunt ea, quæ conditorem nosse debebant ex voce, qui substantia sua minime est aspectabilis; tunc pro Dei arbitrio vox præibat, vocem opus est consecutum. Atque hoc documentum fuit invisibilibus, et rationabilibus substantiis editum ab illo, qui jussu suo creatas res omnes molitus est[a]. » Hanc Theodori sententiam Joannes Philoponus effuse deridet, et supra modum absurdam judicat, quod articulatum, et vocalibus organis, percusso aere, formatum Deo sonitum adscribat, ut et audiendi sensum Angelis; quorum gratia, cum hactenus obmutuisset, subito vocalis est factus Deus.

Deum vere locutum aliqui censent.

At Basilius Seleuciensis oratione prima Theodoro nihilominus adstipulatur; cujus verba alibi reddidimus, cum de perspicua Dei visione verba faceremus. Theodoretus quoque voce usum esse Deum asserit, « in gratiam Angelorum, ac Virtutum, quæ videri oculis nequeunt; ut scirent, ipso jubente, ea quæ non sint subsistere[b]. » Quod etiam Procopius secutus est.

II. Verum, qui Angelos corpore constare crederet, haud adeo reprehendendus esset, si illorum causa diceret, uti voce Dominum. Qui autem corporis expertes eosdem facit, supervacaneam in designandis operibus sonoram illam vocem reddit. Quocirca communis iste veterum sensus est, nullam tum a Deo vocem editam fuisse, sed, tropice, ac figurate ita scribere Mosem. « Non sic accipiendum est, ait Eusebius[2], qui falso Emissemus inscribitur, quasi motu linguæ, et aeris percussione aliqua ex ipsus ore vox insonuerit; sed dicere Dei, voluisse est. » Et Basilius homilia secunda ex Eustathii interpretatione: « Sed et si quando vocem, sermonemque, vel præceptionem Dei dicimus, debes advertere, non mentione, motuque corporis vocem reddentis sonum quempiam destinari, nec aerem lingua verberatum sermonem, sed voluntatis suæ momentum; quoniam propter eos, qui docentur, utilius esse censemus, speciatim figurare præceptum[c]. » Ita

a Theod. Mops. apud Joan. Philop. lib. primo *de Opif.* cap. xxii. Ἐπειδὴ βουλῇ παρήγαγεν ἐκεῖνα μόνῃ, οὐδεμιᾷ φωνῇ χρησάμενος, ἅτε μὴ ὄντος τοῦ τι μαθεῖν ἐκ τῆς φωνῆς ὀφείλοντος τῆς αὐτοῦ. ἐπὶ δὲ τῶν λοιπῶν φωνὴν προηγῆσθαι λέγει. ὅτε γὰρ ἦν λοιπὸν τὰ τὸν δημιουργὸν ὀφείλοντα μαθεῖν διὰ τῆς φωνῆς, ἀόρατον ὄντα τὴν οὐσίαν, τότε προηγεῖτο μὲν ἡ φωνὴ κατὰ τὸ δοκοῦν τῷ θεῷ, εἵπετο δὲ τῇ φωνῇ τὸ ἔργον. διδασκαλία δὲ τοῦτο ταῖς ἀοράτοις, καὶ λογικαῖς οὐσίαις ἦν τοῦ τὴν κτίσιν προστάγματι δημιουργοῦντος οἰκείῳ.

b Theodor. quæst. ix *in Gen.* Εἰ δὲ καὶ φωνῇ τινι δημιουργῶν ἐχρήσατο, δῆλον ὡς οὐ τῶν ἀψύχων ἕνεκα στοιχείων· ἀλλὰ τῶν ἀοράτων χάριν δυνάμεων· ἵνα γνῶσιν ὡς αὐτοῦ κελεύοντος, τὰ μὴ ὄντα συνίσταται.

c Basil. Ὅταν δὲ φωνὴν ἐπὶ θεοῦ, καὶ ῥῆμα, καὶ πρόσταγμα λέγωμεν, οὐ διὰ φωνητικῶν ὀργάνων ἐκπεμπόμενον ψόφον, οὐδὲ ἀέρα διὰ γλώσσης τυπτόμενον, τὸν θεῖον λόγον νοοῦμεν· ἀλλὰ τὴν ἐν τῷ θελήματι ῥοπὴν, διὰ τὸ τοῖς διδασκομένοις εὐσύνοπτον, ἡγούμεθα ἐν εἴδει προστάγματος σχηματίζεσθαι.

1 Lib. II *de Abel et Cain*, cap. vi.— 2 Eus. Hom. *de Natali Dom.*

Theodoretus quæstione IX locutionem Dei ipsam ait esse voluntatem.

Gregorius Nyssenus *in Hexaemeron*, Opus ipsum Dei λόγον esse dicit, hoc est *sermonem*, vel *rationem*. Nam utrumque Græca vox significat ; et hanc potissimum Gregorius intelligit : « Nam omne, inquit, quod fit, λόγῳ, id est ratione fit ; nihilque rationis expers, aut fortuitum, et casu eveniens subsistit in his, quæ divinitus fiunt. Sed inesse rebus singulis sapientem quamdam, artificiosamque rationem oportet credere ; tametsi præstantior sit, quam ut a nobis videri queat. Quidnam ergo dixit Deus, quandoquidem rationem exprimit vox ejusmodi [a] ? »

III. De usu hoc promiscuo notionis utriusque τοῦ λόγου, vide, quæ scripsimus in sexto *de Trinitate*, capite primo. Quod autem hoc loco *rationem* videtur interpretari Gregorius, id est *sapientiam*, qua sunt ordinata, et constituta omnia Dei opera, quemadmodum et ex *Psalmo* CIV ibidem probat, ubi sic legitur : *Omnia in sapientia fecisti*, quam etiam sapientiam *cœli enarrant* [1], hoc. inquam, declarari sic potest. Cum enim rationis interpres et administer sit sermo, nec aliis, quam ratione præditis a natura tributus : idcirco usus illo Deus in hac procreanda universitate dicitur, ut ex eo sciri possit, nihil nisi ab intelligente principio, et sapienter, ac cum ratione esse perfectum. Nam, quidquid ratione et consilio, vel ex arte moliuntur homines, ad hoc elaborandum, sermonem tum interiorem, tum externum sæpus adhibent, dum id efficere soli nequeunt, sed aliorum operam adjungunt. Quamobrem ambo illa τοῦ λόγου genera veteres ad hunc locum accommodarunt, ut Deum voluntate et consilio, non naturali necessitate procreasse res istas docerent. Ut perinde sit, locutionem, aut sermonem hic interpretari, ac rationem, vel cogitationem, aut voluntatem. Locus est apud Euthymium ex libro quodam, qui Θεογνωσία, id est *Dei cognitio* inscribitur, et Gregorii Nysseni esse creditur, qui sic habet : « Quomodo Deus loquitur ? An more nostro ? Pium magis sit dicere, divinam voluntatem, ac primum impulsum divinæ motionis, ipsum Dei esse sermonem [b]. » Sic Procopius *in Genesim*, locutionem illam Dei dicit esse « voluntatis inclinationem, et id, quod ex divina operatione in iis, qui docentur, imprimitur, sive communicationem ex divina voluntate in illud, quod eam potest sentire, transfusam ; adeo ut pro statu, et conditione cujusque ipsa inseratur operatio clarius, vel obscurius. Ita Dei locutiones aliæ sunt sublimiores, aliæ mediæ, aliæ postremæ. Deus enim voce non indiget, cui voluntas ipsa sufficit [c]. » Hæc Procopius erudite sane ; ex quibus colligitur, locutionem illam Dei non solum esse νόησιν, id est *interiorem cogitationem*, ut plerique censent, et inter alios Philoponus [2], sed etiam aliquid exterius derivatum, quo opus efficitur, quod pro rerum procreatarum varietate sit multiplex. Ita, cum Angelis loquitur, notio ipsa, quam eorum intelligentiæ Deus imprimit, ejus est locutio ; cum autem Filio, hujus ipsa generatio, locutio dicitur, ut alibi dictum est.

IV. Ac veterum plerique, quod Deus hic dixisse scribitur, Patris ad Verbum, Filiumque suum esse sermonem, interpretati sunt, ut hic verborum illorum sensus, Augustino docente [3], « Dixit Deus, Fiat, etc. In Verbo Dei Patris æterno erat, ut fieret. » Non enim « convenire putat unitati Trinitatis, ut Filius quasi jussus fecisse intelligatur. Quibus enim verbis juberet Filio Pater, ut faceret, cum ipse sit principale verbum Patris, per quod facta sunt omnia ? » Et alibi [4] « æternum ait esse, quod dixit Deus, *Fiat lux ;* quamvis Deo hoc in æterno Verbo dicente, creatura temporalis facta sit. » Sed de locutionis illius sensu, qua divinæ inter se personæ uti dicuntur, vide, quæ in libro secundo *de Trinitate*, capite septimo, et in sexto libro, capite quarto uberius exposuimus.

Brevissima est, et omnium expeditissima

Verbi. *Verbi.* Quod sit D locutio. An Patris a verbum putanda si

a Greg. Nyss. Ἐπὶ γὰρ τοῦ Θεοῦ κατά γε τὴν ἡμετέραν ὑπόληψιν, τὸ ἔργον λόγος ἐστί. διότι πᾶν τὸ γινόμενον λόγῳ γίνεται· καὶ ἄλογόν τι, καὶ συντυχινὸν, καὶ αὐτόματον ἐν τοῖς Θεόθεν ὑφεστῶσι νοεῖται οὐδέν. ἀλλὰ χρὴ ἑκάστῳ τῶν ὄντων καὶ λόγον τινὰ σοφόν τε, καὶ τεχνικὸν ἐγκεῖσθαι τιστεύειν. κἂν κρεῖττον ᾖ τῆς ἡμετέρας ὄψεως. τί οὖν εἶπεν ὁ Θεός· ἐπειδὴ λόγου παραστατική ἐστιν ἡ τοιαύτη φωνή ;

b Euthym. *Panop.* par. I, tit. VIII. Πῶς Θεὸς διαλέγεται ; ἆρα τὸν ἡμέτερον τρόπον ; εὐσεβέστερον λέγειν, ὅτι τὸ θεῖον βούλημα, καὶ ἡ πρώτη ὁρμὴ τοῦ νοεροῦ κινήματος τοῦτο λόγος ἐστὶ τοῦ Θεοῦ.

c Procopius *in Gen.* Θεοῦ τοίνυν νοητέον φωνὴν τὴν ἐν τῷ θελήματι ροπὴν, καὶ τὸ τοῖς διδασκομένοις κατὰ θείαν ἐνέργειαν ἐντυπούμενον, καὶ τὴν ἐκ τοῦ θείου θελήματος διάδοσιν εἰς τὸ δυνάμενον ταύτῃ αἰσθάνεσθαι, ἀναλόγως τῆς ἑκάστου καταστάσεως τῆς ἐνεργείας ἐγγινομένης τρανότερόν τε, καὶ ἀμυδρότερον. ὡς εἶναι Θεοῦ διαλέκτους ὑψηλοτέρας, καὶ μέσας καὶ τελευταίας. Θεὸς γὰρ οὐ δεῖται φωνῆς, ἀρκούσης τῆς βουλήσεως.

1 *Psal.* XVIII.— 2 Lib. in *Hexaem.* cap. XXII.— 3 Aug. lib. II *de Gen. ad lit.* cap. VI.— 4 Lib. II *de Gen. ad lit.* cap. II.

illa ratio, quam ex Ambrosio colligimus[1], ut dicere idem sit, ac reipsa facere : « Plena vox luminis, inquit, non dispositionis apparatum significat, sed operationis resplendet effectu. Naturæ opifex lucem locutus est, et creavit. Sermo Dei voluntas est, opus Dei natura est, etc. Non ideo dixit, ut sequeretur operatio, sed dicto absolvit negotium. » Itaque humano more, quem et rudes assequi possent, molitionem Dei ex omni æternitate dictam, sed in tempore productam, et exertam, forma quadam temporarii sermonis expressit. « Non enim loquendo, sed sciendo, et volendo, cuncta operatur Deus, » ut ait Eusebius[2], qui Emissenus falso dicitur.

V. Valet etiam ad celeritatem, facilitatemque operis indicandam vocis illa mentio, ut Albinus Flaccus ; et Aben Hezra ad illum locus adnotant. Junilius Africanus, « Tanta celeritate operationis omnipotentem esse declarat, cui voluisse, creasse est. Nam humana fragilitas cum aliquid operatur, verbi gratia, domum ædificamus, in principio operis materiam præparamus ; et post hoc principium fodimus in altum, deinde mittimus lapides in fundamentum ; deinde pariter augescentibus lapidum ordinibus adponimus ; sicque paulatim ad perfectionem operis propositi perficiendo pervenimus. Deus autem, cujus manus omnipotens est, ad explendum opus suum non eguit mora temporis ; quia scriptum est : *Omnia quæcumque voluit fecit.* Tum, ut Cyrillus libro secundo *contra Julianum* dicit, Deus hoc modo ὁριστὴς τῆς φύσεως ostenditur, id est *naturæ definitor*, ut iis ea finibus contineatur, quos ille tanquam arbiter sententia sua descripserit. Hoc enim humanis in negotiis, ac litibus voce, ac verborum pronuntiatione fit. Quare, quot in illa dierum sex historia locutiones Dei referuntur, totidem velut interdicta sunt, ac decreta, quibus ad stabiliendam rerum concordiam suos cuique limites, ac partes assignavit artifex illud Verbum, et immutabili lege defixit.

Nec minus in paucis illis verbis summa Dei majestas, et amplitudo monstratur, ad quam pertinet solo nutu et imperio cuncta exequi, ac dicto, quod aiunt, obsequentem habere naturam omnium rerum. Agnovit hoc ethnicus scriptor acerrimi judicii Longinus in libro περὶ ὕψους, id est de *sublimi genere orationis* ; et Judæorum legislatorem hujus auctorem historiæ eo nomine prædicat : « Propterea Judæorum legislator, inquit, homo est non vulgaris ; quoniam divini numinis potentiam pro dignitate declaravit, et indicavit, statim in ipso legum initio scribens : Dixit Deus, inquit, quid tandem ? Fiat lux, et facta est : Fiat terra, et facta est[a]. » Nam, ut Augustinus ait, « Quid convenientius de Deo dicitur, quantum inter homines dici potest, quam cum ita ponitur, dixit, factum est, placuit ; ita ut in eo, quod dixit, imperium ejus intelligatur, in eo, quod factum est, potentia, in eo ; quod placuit, benignitas, sicut ineffabilia per hominem hominibus ita, ut omnibus prodessent, dici debuerunt ? » Itaque λόγον illum Dei προσταχτικὸν, *verbum imperans* appellat Gregorius Nyssenus *in Hexaemero.*

Longini hac narratio Mosaica judicium

CAPUT VII.

De opere primæ diei, id est luce ; de qua variæ opiniones exponuntur. Velut esse ignem, aut Solem. Utriusque rationes, et hujus præsertim refutatæ. Eugubinus notatus. Falso Dionysio opinionem illam attribui. Basilii sententia notata de luce materiæ experte, ac per se subsistente. Quibusdam veteribus placuisse, lumen esse corpus, et substantiam. Non videri tenebras interpositu cœlestium corporum esse factas.

I. Merito « mundi ornatus, inquit Ambrosius[3], a luce sumpsit exordium. Qui enim ædificium aliquod dignum habitaculo patrisfamilias struere desiderat, antequam fundamenta ponat, unde lucem ei infundat, cogitat ; et ea prima est gratia, quæ si desit, tota domus deformi horret incultu. » De hac luce dubitat Augustinus[4], spiritualis, an corporea fuerit. Ac « si spiritualis fuit, non illa vera, inquit[5], Patri coæterna intelligenda est, per quam facta sunt omnia, et quæ illuminat omnem hominem, sed illa, de qua dici po-

a Longin. sect. 3. Ταύτῃ καὶ ὁ τῶν Ἰουδαίων θεσμοθέτης οὐχ ὁ τυχὼν ἀνήρ· ἐπειδὴ τὴν τοῦ θείου δύναμιν κατὰ τὴν ἀξίαν ἐγνώρισε, καξέφηνεν εὐθὺς ἐν τῇ εἰσβολῇ γράψας τῶν νόμων· Εἶπεν ὁ θεὸς, φησὶ. τί ; γινέσθω φῶς, καὶ ἐγένετο. γενέσθω γῆ, καὶ ἐγένετο.

1 Lib. I *Hex.* c. IX.— 2 Hom. *de Nativ.*— 3 Lib. I *Hex.* c. IX.— 4 Lib. *de Gen. Imp.* c. V.— 5 Lib. I *de Gen. ad lit.* c. III et XVII.

tuit : Prior omnium creata est sapientia. » Multo minus corpoream lucem aliquam Deo coæternam intelligi pateretur ; quod Græci Palamitæ [1], et Eugubinus existimant : « Sed ipsi noverint, ut cum Fulgentio dicam [2], quomodo possint aut lucem, quæ Deus non sit, aut alteram lucem, præter sapientiam, quæ Deo coæterna sit, invenire. » Itaque « quamlibet lucem significet, ait Augustinus in primo *de Genesi ad litteram imperfecto*, capite quinto, factam tamen, et creatam debemus accipere. » Ac spiritualem lucem vel angelicam naturam [3], vel hujus illustrationem interpretatur, aut ejusmodi aliquid. Sed corpoream, et aspectabilem sine dubio Moses significare voluit.

Lucem primigeniam esse ignem Greg. Nyss. censet

Hanc lucem Gregorius Nyssenus ignem fuisse putat ; qui ex informi et confusa mole, velut Chao, Dei nutu, et imperio digeri cœpta, propter agilitatem subito prodiit, ac repentino lumine omnia collustravit[a]. Cui Joannes Damascenus eatenus adstipulatur, quod lucem illam, quæ primo die facta est, ignem esse credit : « Nihil enim aliud lucem esse, quam ignem, ex quorumdam sententia[b]. » Ita die primo procreatus ignis fuerit ; sed lucem ab igne nihil differre, cui tandem probabitur ?

S. Thomas vero aliique esse solem.

Eugubinus notatur.

II. Complures solem ipsum lucis nomine intelligendem putant. Ut S. Thomas tam in *Summæ Theologicæ* parte prima [4], quam in secundum librum *Sententiarum ;* quem Augustinus Eugubinus *in Cosmopœia*, Catharinus, et Pererius secuti sunt. Sic enim existimant, cœlum initio rerum a Deo creatum esse cum terra, et aquis ; cœli autem partem esse solem, quem adeo necesse sit exstitisse prius, sed nondum luce velut animatum, quæ quidem prima est facta die. Hanc sententiam majore pompa, quam vi, et operæ pretio Eugubinus instruit, auctor, ut semel dicam, quod sentio, magis ad speciem, quam ad eruditionem solidam commentarios suos instituens, quos raro cum fructu, nunquam sine fastidio legimus. Sed solem prima esse conditum die, firmissimis argumentis probare se putat Eugubinus, cum levia sint, imo nulla. Nisi hæc forte magni facienda sunt : Primum « quod lucis corporeæ sol est genitor, » isque solus, unde et sol dictus est ; quasi non et solis ipsius auctor sit Deus, qui, ut solem sine luce condere potuit, et vero quorumdam sententia condidit, ita lucem absque sole procreavit. Hoc enim Deum potuisse si negent, vix Christiana rudimenta tenent ; fecisse vero, Moses indicat, qui primo die lucem, quarto solem esse productum refert. Alterum argumentum, quod sol una cum cœlo factus sit ; est enim pars ille cœlestis orbis, ut plerique putant, densior, et compactior. Porro cœli creatio primam diem antecessit. Quare jam tum sol affixus cœlo, sed luce ac splendore vacuus exstitit, qui prima die est accensus. Sed hæc ratio si quid habet negotii, in eorum opinione tantum habet, qui cœlum ante dierum sex initium una cum terra prodiisse volunt, ad eumque sensum verba Mosis referunt : *In principio creavit Deus cœlum, et terram.* Nos aliter hæc ordinanda credimus, ac cœlum nonnisi die secundo fabricatum asserimus, solem quarto, Mosem auctorem secuti, ab cujus verbis non facile recedendum arbitror ; quod hic quidem nihil est necesse.

III. Præterea nomen ipsum *lucis*, quod Hebræis est אור, ad ejusdem opinionis fidem trahunt tum Eugubinus, tum etiam Pererius. Nam *lux* absolute posita solem significat, estque lux solis propria. Sed levissimum istud est. Quamvis enim hoc in rerum statu, qui modo constitutus est, fons lucis, et origo sol est ; tamen in illo mundi primordio, nondum sole creato, aliunde dies accensus est. Tum vero falsum est, ubi φῶς vel *lumen* absolute positum est, ibi *solem* significari. Siquidem pro igne nonnunquam usurpatur ; ut apud Marcum, *Et sedebat cum ministris ad ignem* (Græce *lumen*) *et calefaciebat se* [c]. Quare nullum in hoc argumento pondus inest, in quo paginas aliquot perdidit Eugubinus. Nec majoris est momenti conjectura illa Pererii, primam diem solis ab eo dein-

a Greg. Nyss. *in Hexaem.* Ἐπεὶ δὲ ὀξεῖά τίς ἐστιν ἡ δύναμις αὐτοῦ, καὶ εὐκίνητος, ὁμοῦ τῷ βοηθῆναι τῇ φύσει τῶν ὄντων πρὸς τὴν τοῦ κόσμου γένησιν παρὰ τοῦ θεοῦ τὸ ἐνδόσιμον, πάσης τῆς βαρυτέρας φύσεως προεξέθορε, καὶ εὐθὺς τῷ φωτὶ τὰ πάντα περιηυγάζετο.

b Damasc. Οὐχ' ἕτερον γάρ ἐστι τὸ πῦρ, εἰ μὴ τὸ φῶς, ὡς τινές φασιν.

c Marci xiv, 54. Καὶ ἦν συγκαθήμενος μετὰ τῶν ὑπηρετῶν, καὶ θερμαινόμενος πρὸς τὸ φῶς.

1 Vide librum II, q. xii et lib. III.— 2 Lib. Resp. *cont. Arian.* resp. vi.— 3 Aug. lib. I *de Gen. ad lit.* cap. iii et xi ; *de Civ.* cap. vii, ix et xii ; *Conf.* cap. ix et xvi.— 4 In I Par. qu. lxvii, art. 4, ad 2 et in II, dist. xiii, q. un. art. 3.

ceps nominatam, quod in ea sol creatus sit. Sic enim planetas cæteros iis diebus conditos esse suspicari licebit, quibus suum nomen impertierunt, ut secunda die lunam, tertia Martis stellam, et ita reliquos. Quod dictu sit absurdum. Neque vero tam est vetus dierum hebdomadis septem a planetis totidem appellatio. Cujus rationem explicat Dio Nicæus in historia expugnationis Hierosolymitanæ, imperatore Pompeio. Postremo, quod Pererius opponit, qui aliam, quam solis lucem primo die creatam volunt, « propemodum inexplicabilibus difficultatibus impeditos, et implicatos teneri, » nihil hoc esse paulo post ostendam ; ac longe illos expeditiores iis esse, qui de sole lucem hanc interpretantur.

Nam, quod Dionysium in quarto capite *de Divinis nominibus* idem sentire scribit S. Thomas[1], etPererius, non est ita. Neque enim vel solem primo conditum die, vel lucem solis illam fuisse, quæ est creata tum, illo in loco Dionysius affirmat. Sed de luce universe loquitur, cujus usum, et commoda describit in isto capite ; ac demum de ea scribit sic : « Hæc ipsa namque lux est, tametsi tunc informis erat, quam divinus ait Moses, et illam ipsam definisse primam, ut numerare solemus, dierum triadem[a]. » Non hic ergo solem prima die conditum ait Dionysius ; sed lucem per se, absoluteque commendat, et ejus opportunitates describit, quod et Maximus in *Scholiis* adnotavit.

Frustra pro hac sententia allegatur S. Dionysius.

IV. Sunt qui lucem illam primæ diei non ipsum quidem esse solem asserant, sed lucem eamdem, quæ in solem postea quarta procreatum die transfusa est. Ita Basilius homilia VI *in Hexaemeron*[b] ; qui prius lucem a Deo factam asserit, quam ejus tanquam vehiculum sol quarto die prodiret. Quam lucem appellat πρωτόγονον et ἄϋλον, id est *primigeniam, et immaterialem ;* et ab sole separatam exstitisse dicit, sine subjecto corpore. « Neque hoc incredibile videri oportere, quoniam aliud est lucis splendor, aliud subjectum luci corpus. Siquidem composita omnia sic a nobis dividi in recipientem substantiam, et accidentem ipsi qualitatem[c]. » Quæ, etsi cogitatione sola separamus, Deus tamen reipsa potest a se mutuo secernere, ut olim comburendi vim ab igne disjunxit, quando pueri tres in Babylonicam fornacem injecti sunt.

In eadem est sententia auctor ille *Expositionis fidei*, quæ sub Justini nomine est edita, qui lucem illam in corpus solare transfusam esse docet, et ex laxa et ampla diffusione collectam. De qua re dicemus, cum de quartæ diei operę disputabimus.

V. Nobis consentaneum hoc maxime Mosaicæ narrationi videtur, primo die lucem esse conditam, non per se illam quidem, atque extra corpus omne consistentem, sed in vastissima illa nebula, et vapore, quam aquam, et abyssum Scriptura nominat, ut Junilio Africano, ac Bedæ placuit. At Basilius ante mundum hunc aspectabilem, et mutationi corruptioniquc subjectum, lucem quamdam fuisse suspicatur excellentem, et nostra spendidiorem, inqua Angeli, ac beatæ mentes degebant cæteræ. Ac mox, ut cœlum a Deo conditum est, velut septo quodam interjecto, in ea regione, qua supra cœlum est, mansisse lucem illam ; idque justis etiam hominibus vita functis constitutum esse domicilium. At in inferiori parte interclusa luce cœlestis objectu corporis, tenebras exstitisse. Contra quam opinionem statim illud occurrit cujusvis animo, non esse lumen substantiam aliquam, corpusve, quod per se cohæreat ; itaque non potuisse ante mundi ac rerum aspectabilium conditum, lumen existere. Sed plerique priscorum arbitrati videntur, lumen esse substantiam aliquam, et corpus. Theodoretus quæstione septima in *Genesim* quærit, an Deus tenebras fecerit, quemadmodum lucem creasse dicitur ; negatque per se esse factas, quia non sunt substantivum aliquid. « Non esse, inquit, substantiam aliquam, sed rem accidentem, facile est intelligere. Sunt enim adumbratio cœli, ac terræ. Itaque oriente luce evanescunt tenebræ. At lumen substantia est, et

Ante creatum mundum fuisse lucem quamdam materiæ expertem censet Basilius.

a Dion. IV *de Div. nom.* Αὐτὸ γάρ ἐστι τὸ φῶς, εἰ καὶ τότε ἀσχημάτιστον ἦν, ὅπερ ὁ θεῖος ἔφη Μωσῆς καὶ αὐτὴν ἐκείνην ὁρίσαι τὴν πρώτην τῶν καθ' ἡμᾶς ἡμερῶν τριάδα.

b Basil. Τότε μὲν γὰρ αὐτὴ τοῦ φωτὸς ἡ φύσις παρήχθη· νῦν δὲ τὸ ἡλιακὸν τοῦτο σῶμα ὄχημα εἶναι τῷ πρωτογόνῳ ἐκείνῳ φωτὶ παρεσκεύασται.

c Ibid. Καὶ μηδενὶ ἄπιστον εἶναι δοκείτω τὸ εἰρημένον· ὅτι ἄλλο μέν τι τοῦ φωτὸς ἡ λαμπρότης, ἄλλο δέ τι τὸ ὑποκείμενον τῷ φωτὶ σῶμα. πρῶτον μὲν ἐκ τοῦ τὰ σύνθετα πάντα οὕτω παρ' ἡμῶν διαιρεῖσθαι εἴς τε τὴν δεκτικὴν οὐσίαν, καὶ εἰς τὴν συμβᾶσαν αὐτῇ ποιότητα.

1 In I Par. qu. LXVII, art. 4, ad 2 et qu. LXX, art. 1, ad II.

subsistit; et cum occidit, rursus oritur, et et cum abierit, revertitur. Ut enim corpus nostrum substantia quædam est; quæ autem ab eo efficitur umbra, est accidens, non substantia; ita cœlum, et terra maxima corpora, substantiæ sunt diversæ; quæ autem ex illis umbra fit, absente lumine, tenebræ dicuntur[a].» Augustinus libro IV *de Origine animæ*[1]. « Corpus est aer, inquit, corpus est lux ista visibilis. » Sic Albinus Flaccus in epistola *de Ratione animæ*[2], « Quæ (inquit de natura loquens) etiam per lucem, et aerem, quæ sunt excellentiora mundi corpora, corpus administrat suum. »

VI. Hoc modo lucem aliquam ante universitatis hujus conditum procreatam fuisse, Basilius existimare potuit, eamque per se subsistentem, non tamen sempiternam, ut Palamitæ Græculi, et Eugubinus falsissimæ opinionis errore finxerunt. Verum, quod lucem hanc, antequam cœlum existeret, usquequaque diffusam, immensum illud spatium, quod postea mundus occupavit, illuminasse sentiunt, ac subinde, interposito cœli corpore, interruptum quoque lucis illius splendorem fuisse, ac deinceps ea sola, quæ supra cœlum erant, illustrasse spatia, et quæ subjecta huic erant, tenebrosa esse cœpisse, ut hæc tenebrarum origo fuerit; id, inquam, non valde probabile mihi videtur. Quanquam Augustinus tale nescio quid aspergit, dum lucem illam priorem fortasse « superiores, et longinquas a terra regiones illustrasse dicit, ut sentiri non posset in terris; atque ita oportuisse solem fieri, per quem dies inferioribus mundi partibus appareret. » Sed illa Basilii ratio non est verosimilis. Non enim cœleste corpus opacum est, ut *Pellucidum.* lucem intercludat; sed perspicuum, et διαφανὲς, ut transmittat. Omitto, quod dicendum est postea, nondum cœlum exstitisse, cum lux est primitus facta. Nam cœlum altero die procreatum est, quam est lux condita.

Jam, quod Augustinus dubitando refert, lucem illam superiores duntaxat illustrasse partes, potest ea mente dictum videri, quod tenuis et exigua fuerit, ac sublustris, ut esse primo crepusculo solet. Cui contradicit Theodoretus[b]; qui primo die factam lucem adeo splendidam fuisse vult, ut eam animantium obtutus ferre nequiverint; ideo post solem, ac reliqua producta sidera, et in ea partitam lucem, animantes, et homines a Deo creatos esse. At Beda tale primigenium illud lumen exstitisse credit[4], quale suspicatus est Augustinus; cujusmodi nimirum ante solis ortum crepuscula esse consueverunt. Ideo nullam tunc fuisse distinctionem temporum, præterquam diei atque noctis. Sed hæc mera divinatio est, nec in alterutram partem temere est obfirmanda sententia.

CAPUT VIII.

Variæ de luce primigenia quæstiones enodantur. Quomodo dierum et noctium ante Solem spatia diviserit. Tenebras luci contrarias substantivas esse credidit Victorinus. De initio dierum, maxime primi, an ab nocte, an potius a matutino tempore cœperit. Variæ de hac re opiniones. Judæos a vespera diem exorsos esse. Primam diem habuisse noctem suam, et lucem. Tenebras primigenias noctis instar non fuisse. Probabile videri lucem in occidente creatam esse.

I. Rursum de luce rerum initio procreata nonnullæ quæstiones oriuntur; ac primum inquiritur; quæ fuerit illius opera dierum, ac noctium facta distinctio. Basilius *effusione lucis*, et *contractione* dies illos, ac noctes exstitisse scribit. Eustathius interpres Basilii, « diffusione principalis luminis modo se subducentis, modo denuo reducentis[c] » exponit. Ita Justini nomine vulgata *Fidei Expositio* συστελλομένου φωτὸς *con-*

a Theodoret. quæst. VII. Ὅτι δὲ οὐκ οὐσία τίς ἐστιν, ἀλλὰ πρᾶγμα συμβεβηκὸς καταμαθεῖν εὐπετές. οὐρανοῦ γὰρ, καὶ γῆς ἐστιν ἀποσκίασμα. διὰ τοῦτο φροῦδον γίνεται τοῦ φωτὸς ἀνίσχοντος. τὸ δὲ φῶς οὐσία ἐστὶ, καὶ ὑπέστηκε, καὶ δυόμενον ἀνίσχει, καὶ ἀπιὸν ἐπανέρχεται. ὥσπερ γὰρ τὸ σῶμα τὸ ἡμέτερον οὐσία τίς ἐστιν, ἡ δὲ διὰ τούτου ἀποτελουμένη σκιὰ συμβεβηκός ἐστιν, οὐκ οὐσία. οὕτως ὁ οὐράνος, καὶ ἡ γῆ τὰ μέγιστα σώματα οὐσίαι εἰσὶ διάφοροι· ἡ δὲ ἐκ τούτων ἀποτελουμένη σκιὰ, τοῦ φωτὸς οὐ παρόντος, ὀνομάζεται σκότος.

b Theodor. quæst. XVI *in Genes.* Ὀφθαλμοὺς ἔχει τὰ ζῶα, καὶ τοῦ φωτὸς τὴν ὑπερβολὴν οὐκ ἂν ἤνεγκε· τοῦτο δὲ διανεμηθὲν εἰς τοὺς μικροὺς, καὶ μεγάλους φωστῆρας, σύμμετρον τῇ ὄψει τῶν ζώων ἀφίησιν αὐγλην. τῶν δὲ φυτων ἡ φύσις αἰσθήσεως ἄμοιρος.

c Basil. hom. II *in Hexaem.* Ἀναχεομένου τοῦ πρωτογόνου φωτὸς ἐκείνου, καὶ πάλιν συστελλομένου.

1 Cap. XI.— 2 Col. 776.— 3 Lib. *de Gen. ad lit.* cap. XI.— 4 Tom. IV in *Hexaem.*

tracta, *et collecta luce* noctem esse factam asserit; hoc est exstincta, ut apparet : sicut deinde renovata, dies est alter effectus. Quam opinionem reprehendit Beda *in Hexaemeron*; nec tamen valde idoneo argumento utitur, tanquam non recte dicturus Moses fuerit, *Factum esse vespere, et mane diem unum*, eo quod in vespera terminatus dies esset luce restincta, non autem mane; sed nihil hoc est. Mihi tamen credibilius videtur, lucem illam, quod idem Beda scripsit in aqua productam fuisse, sive in immensa illa vaporis, ac nebulæ vastitate, quæ totum supra terram, quaqua visus noster pertinet, occupavit spatium. In hujus itaque superiori parte principio lucem Deus accendit inferiorem, ac terræ subjectam obtinentibus tenebris. Tum assiduo motu in orbem agitatum lucidum illud, ac tenue corpus diem circumtulit, ac lucis, noctisque vicissim intervalla descripsit, horarum quatuor et viginti spatio totum terrarum ambitum perlustrans. Minime itaqur probatur illorum ratio, qui aerem totum (ita enim appelletur nebulosum corpus illud) supra terram, infraque illuminatum esse sentiunt, ut perpetuus per omnes universi partes exstaret dies; itidemque post horas duodecim intermortua luce, perpetua nox horarum totidem,

Sententia Auctoris.

II. Est autem otiosa ista quœtio, utrum procreatæ sint a Deo tenebræ, adeoque num ante dierum initium exstiterint, nondum luce producta. Marius Victorinus in opusculo *De principio diei*[1], tenebras substantivas esse putat, quia a Deo factæ sunt; et philosophos contrarium docentes redarguit. Itaque ex eo, quod subsistant, producta luce non fuisse prorsus ablatas, « sed in medio orbe condensatas, ut lux facta mediam partem mundi illuminaret. » Sed hanc de tenebris sententiam ridebunt potius, quam confutandam putabunt Philosophi. At Manichæorum magis etiam stolidam, sed impiam præterea, et execrandam jugulant Basilius, Ambrosius, Titus Bostrensis, Augustinus; qui tenebras illas eadem cum Deo æternitate censebant, et hujus adversarias, tanquam principium rerum alterum statuebant.

Absurdum Victorini commentum.

Necnon Manichæorum

Justius hoc in controversiam vocatur, unde prima dies cœpta sit. Diem hic voco, quod Græci felicius nominant τὸ νυχθήμερον vel τὸ ἡμερονύκτιον, intervallum quod nox ac dies simul efficiunt, atque horarum quatuor et viginti computari a nobis solet. A nocte itaque, sive tenebris processerit, an a luce, dubitatur; et utrimque auctoritate contenditur. Ab nocte diei esse factum initium, Judæi arbitrantur, quos homilia *in Genesim* reprehendit Joannes Chrysostomus; cui ab luce cœpisse dies illos placuit, non ab nocte; quippe in vesperæ nomine lucis inesse significationem, quoniam vespera diei clausula est, sicut mane noctis [a]. Quare verba illa : *Factum est vespere, et mane dies unus*, tantumdem valere putat, ac sic diceret, ex luce ac nocte diem unam, hoc est τὸ νυχθήμερον, exstitisse. Sic Basilius, « Vespera, inquit, communis est diei noctisque terminus; sic etiam mane noctis ad diem vicinitas. Ut igitur prærogativam originis assignaret diei, prius diei finem expressit, deinde noctis, tanquam nox die sit posterior [b]. » Atenim tenebræ lucem antecesserunt. Huic ergo sic respondet Basilius : « Statum illum mundi, qui creationem lucis præcessit, non noctem fuisse, sed tenebras. » Itaque tum est demum nominata, cum luci successit.

An a luce vel a nocte primus dies cœpe

Multi a luce cæpisse docent.

At Theodorus Mopsuestenus apud Joannem Philoponum, vesperam interpretatur tenebras, quæ lucem antegressæ sunt; mane autem diem, sive lucem insequentem. At tenebras putat tanto intervallo, quantum noctis est unius, mundum occupasse. Quæ duo Philoponus reprehendit. Prius quidem, quod si verum illud esset, scriberet Moses : *Et factæ sunt tenebræ, et facta est lux dies una*; ut sic τὸ νυχθήμερον constaret, non autem, ut revera descriptio ipsa præ se fert, τὸ ἡμερονύκτιον. At hoc leve est. Nam vesperæ nomine tenebras intelligendas asserebat Theodorus. Nec appellationis interest, sive νυχθήμερον nomines, sive ἡμερονύκτιον, intervallum noctem, diemque complectens; quemadmodum quem Græci ἰσημερινὸν, eum Latini *æquinoctialem* circulum vocant, nec ex eo consequens est, ab ea, quam

a Chrysost. Ἀλλ' ἴδωμεν ὅτι ἡ μὲν ἑσπέρα τέλος ἐστὶ τοῦ φωτὸς, καὶ ἀρχὴ τῆς νυκτὸς. ὁ δὲ ὄρθρος τέλος τῆς νυκτὸς, καὶ πλήρωμα τῆς ἡμέρας.

b Basil. hom. II *in Hexaem.* Ἑσπέρα μὲν οὖν ἐστι κοινὸς ὅρος ἡμέρας, καὶ νυκτὸς· καὶ πρωΐα ὁμοίως ἡ γειτονία νυκτὸς πρὸς ἡμέραν. ἵνα τοίνυν τὰ πρεσβεῖα τῇ γενέσεως ἀποδῷ τῇ ἡμέρᾳ; πρότερον εἶπε τὸ πέρας τῆς ἡμέρας, εἶτα τὸ τῆς νυκτὸς, ὡς ἐφεπομένης τῆς νυκτὸς τῇ ἡμέρᾳ· ἡ γὰρ πρὸ τῆς γενέσεως τοῦ φωτὸς ἐν τῷ κόσμῳ κατάστασις, οὐχὶ νὺξ ἦν. ἀλλὰ σκότος.

1 Extat inter Opuscula Dogmatica a P. Sirm. edita.— 2 Lib. I *de Mundi opif.* c. XVIII.

primam nominant, parte, diem civilem auspicari singulos. Contra autem id, quod posterius est, opponit Philoponus, explicari debuisse, cujusmodi noctem fuisse primam illam oporteat. Respondent qui Theodoro assentiuntur, duodecim horarum exstitisse, quippe in æquinoctio conditum esse mundum communis est opinio. Sic Tostatus ad primum caput *Geneseos* de æquali utriusque partis intervallo pronuntiat.

III. Nihilominus adversus Theodorum Basilii, et Chrysostomi, quam exposui paulo ante, sententiam propugnat Philoponus : vesperæ nomine diem indicari; matutini temporis, antecedentem noctem, quam et alii complures amplexi sunt, ut Victorinus Afer [1], qui libellum de hac quæstione scripsit, obscurum illum quidem, ut sunt scriptoris hujus cætera, sed ex quo tamen colligi hoc possit, uniuscujusque diei initium, non a vespera procedere, sed a matutino tempore. Quod autem prius vesperam, postea mane commemorat Moses, ita Victorinus explicat. Vesperam putat non ad eumdem, ad quem mane refertur, pertinere diem; sed illam antecedentis, cujus proprium narratum est opus, esse clausulam; hoc vero sequentis esse diei. Exempli causa, primo die lux est condita, cujus initium mane intelligitur fuisse, tametsi non est expressum. Sed in eo continetur ejus mentio, quod dicitur, *Appellavitque lucem diem.* « Nec enim dies, inquit, extra matutinum appellari potuit, recteque dicimus, Deus, cum lucem vocavit diem, matutinum intra eum conclusit. » Igitur, cum primi diei narrationem ita concludit, *Factumque est vespere, et mane dies unus*, prior pars, *Factum est vespere*, de die primo intelligenda est; posterior, *et mane* de secundo. « Namque finito die vespera oriri cœpit, quæ nocte tota operando perveniret ad matutinum de secundo die, in quo firmamentum fieret. » Atque hujus rei exemplum, et argumentum statuit in sexto die. Constat enim, creatum esse hominem die sexto, cujus historiam Moses ita claudit : *Et factum est vespere et mane dies sextus,* Igitur, « si matutina ista de sexta die est, homo ergo quinta die factus est. Nam, si sexta die factus est, adprobatur matutina ista de septima die esse, in qua Deus requievit. » Atqui non in vespera sexti diei, sed in matutino tempore, id est interdiu, hominem, alia item opera suis quæque diebus, non noctibus elaboravit.

Procopius in *Commentario in Genesim*, similiter vesperam posteriorem diluculo facit, tametsi priorem Moses enumeraverit; quippe «non ordo nominum, inquit, sed vis significationum adverti debet. Est enim vespera matutini temporis, ac totius adeo diei terminus[a].» Ad hæc tenebræ nihil sunt sed sola lucis privatio. Ideo prius lucem oportet esse, quam earum privationem. Itaque non est πρωτουργὸν σκότος, ait ille, hoc est *primarium*, *ac princeps opus*, sed lux. Non ergo cœpta dies est a tenebris, sed a luce. Quod et Augustinus in sermone LXXIX *de Diversis*, ita declarat : « Sed quia illæ tenebræ nondum erant nox, inquit; nondum enim præcesserat dies. Divisit quippe Deus inter lucem, et tenebras, et prius lucem vocavit diem, deinde tenebras noctem; et facta luce, usque ad alterum mane commemoratus est dies unus : manifestum est illos dies a luce cœpisse, et, transacta luce, usque ad mane singulos terminatos. » *Tenebræ lux.*

Omnium itaque, qui sic sentiunt, opinio est, mane, quod in historia cujusque diei Moses commemorat, sequentis esse lucis initium; quod noctis antecedentis diei clausula sit, ita ut dies omnes a diluculo incipiant. Hoc modo Beda, Liranus, Cajetanus, Eugubinus, et Pererius, præter superiores illos, existimant.

IV. Mihi vero in opinione ista non placet, quod præpostere diei partes a Mose percenseri putet, contraque popularem consuetudinem. Judæos enim ab vespera civilis antecedentis diei integrum diem, id est τὸ νυχθήμερον, inchoasse, notissima res est, quam postea argumentis probabimus. Hujus moris rationem habuit Moses, cum prius vesperam, quam mane posuit. Est enim vespera exordium noctis, et diei sequentis; quam ab nocte cœpisse, modo sumimus, postea vero demonstrabimns. Itaque prima diei pars numerari debet nox illa, cujus initium est vespera, a qua, tanquam a capite, et, ut vocant, epocha, τὸ νυχθήμερον procedit; pars autem altera lux est, cujus caput est diluculum. Hinc nonnulli primum diem mane nullum habuisse dicunt, ut Magister Sententiarum [2]; « quia nec dies 1° Prædi impug natur se tentia

a Procop. Ἀλλ' οὖν οὐ τῇ τάξει τῶν ὀνομάτων, ἀλλὰ τῇ δυνάμει τῶν σημαινομένων, ἀκολουθεῖν ἀναγκαῖον. ἡ γὰρ ἑσπέρα τῆς ἕω, καὶ τῆς ὅλης ἡμέρας πέρας ἐστίν.

1 Inter. Opusc. dogm. edit a P. Sirm.— 2 In II, dist. XIII.

præcesserat, qui sequentis diei initio terminaretur. » Ridicula ratio ; tanquam scilicet mane cujusque diei sit illud, in quod desinit, et a quo sequens dies incipit, ratione perversa et præpostera, præsertim in eorum sententia, qui ab luce dies inchoari, non ab nocte censent. Nam, si a luce ducitur exordium, procul dubio a matutino tempore, ac diluculo proficisci debet, non in eo desinere. Hoc mihi consectarium communis illius opinionis subabsurdum videtur.

Nec minus vana conjectura videtur Eugubini, cur Moses dierum descriptionem a vespera, non a matutino auspicari voluerit ; nimirum quod primus dies nec auroram, nec matutinum habuit. Nam et solem medio in cœli vertice, qui pari intervallo ab ortu, occasuque distat, esse conditum asseverat, ut dimidiatus tantummodo dies iste fuerit. Hoc est temere vaticinari, ac sine ratione, imo sine judicio quidvis dicere. Profecto enim par et eadem primi diei ratio, quæ deinceps reliquorum fuit, quod ad partes illas attinet, Nam et illi, ut et istis, vespera, et diluculum tribuitur. Ac si in oriente, ut fert communis opinio, prima lux albescere cœpit ; cur non momentum illud, quo primum rebus illuxit, mane diei illius appelletur ? Non enim, qualiscumque lux illa fuit, repente se totam explicavit per omnes hemisphærii partes, quacumque pertinuit, sed obscurior initio, paulatim circumagente se illo, in quo erat, corpore, splendoris incrementa cepit. Præsertim si in una aliqua compactiore, crassioreque nube tum est fons lucis istius a Deo constitutus quæ quidem nubes, nondum sole condito, ac ne cœlo quidem, vicem illius, officiumque præstitit ; quod ad dierum priorum trium intervalla metienda aptissimum judico.

V. Mercerus in commentariis in librum *Geneseos*, nescio quid hac de re perplexum, et inconditum expromit. Nam et noctem, ex more, et instituto Judæorum in diebus modulandis, ante lucem exstitisse vult ; nec eam tamen noctem fuisse tenebras illas, quæ lucis conditum præcessisse dicuntur. « Non sane, inquit, ut jam dixi, ignoramus, quandiu densa illa caligo duravit, et verisimile est, momentaneam fuisse, ac Deum mox lucem rebus invexisse, » etc. tum ait, « primum diem fuisse integrum ex XXIV horis, uti nox esset prima, lux sequeretur. » Si caligo illa, quæ lucis ortum antecessit, non est nox, et momentanea fuit ; qui fieri potest, ut dies primus a nocte cœperit ? Huic difficili, et inextricabili orationi mox aliam nihilo intellectu faciliorem subjicit : «Mecum inquit, sentit Rambam, post illam rudem materiam, ubi tenebræ altæ, Deum lucem apud se statuisse, quam non prius diffuderit in elementa, donec separasset inter lucem et tenebras, et suum utrique tempus statuisset ; tunc noctem cœpisse, et postea exortam lucem super elementa. » Hic multæ, neque faciles sane quæstiones oriuntur. Lucem initio Deum ait apud se statuisse, sed nondum per elementa diffusam. Quod quid sit, non satis expedio. An statuisse apud se idem est, ac creare constituisse ? Hoc vero est absurdum, Nam ex omni æternitate lucem creare statuit. Deinde quomodo non cœpit ante lucis conditum ? Hunc enim sola præcessit illa caligo, quam noctem appellari non sinit.

Apud Rambam (Is est R. Moses ben Maiemon) in libro secundo *Moreh Nebochim*, capite XXX lego, Hebræos magistros in libro, qui inscribitur *Bereschith rabbah*, arbitrari « lucem illam, cujus Lex meminit, primo die creatam fuisse, nec tamen suspensam usque ad diem quartum [a]. » Quod nihil ad superiorem Merceri divinationem pertinet. Potest enim exponi sic, ut lux illa triduo ante condita, et metiendorum dierum officio functa, quarto die, quo luminaria creata sunt in ea transfusa sit. Sed lucem et creatam esse die primo, et, quod lucis proprium est, non fecisse, id est luxisse, quod illa præ se fert opinio, cui tandem persuadebit ?

« Quis enim celaverit ignem,
Lumine qui semper proditur ipse suo ? »

VI. Equidem quanto magis, magisque cogito, non possum, quin valde hoc verisimile judicem, lucem illam, quæ primo die condita est, non in oriente creatam, sed in occasu fuisse, id est in eo situ, unde vespera solet incipere. Ortum, occasumque cum dico, ad illius regionis, cujus primus homo incola fuit, positum respicio. Nam alioqui ubicumque sol, vel quod solis instaret, fuerit, ibi diei cardines omnes in variis terrarum tractibus efficit. Sed illius loci rationem Moses habuit, in quo Adamus habitavit, cum mane, ac vesperam nomi-

In occasu lucem esse creatam probabile.

a Rabbi Moses. אבורו חכמים בבראשית רבה באור הנזכר בתורה בדנשא ביום ראשון ולא תלאן עד יום רבועי .

nat. Quamobrem nube illa splendida, in qua lucis fons inerat, sub finitorem labente circulum, et occidente, prima cum luce dies cœpit a vespera; a qua, et insequente nocte, tum prima, uti diximus, dies, tum deinceps cæteræ progressæ sunt.

Quanquam hæc opinio Pererio displicet, qui ejus auctorem reprehendit Ambrosium Cathariuum, quod solem in altero creatum hemisphærio dixerit. Nos autem non solem, qui quarto die demum exstitit, sed lucem primo die productam volumus, et in vespertino puncto cœpisse : Quo constituto, tuti erimus adversus argumenta, quibus Catharinum impugnat Pererius; atque ita, quod quærimus, obtinebimus, uti prima dies inde, unde Moses eam auspicatur; initium habuerit a vespera et nocte; quod idem exordium Judæi omnes postea secuti sunt, nec aliunde id accepisse videntur, quam a majoribus suis patriarchis, qui ab Adamo ad Abraamum Mosemque propagati sunt; de quo capite sequenti accuratius dicam. Nam, quod tenebras illas primordiales. vel primigenias, ut sic dicam, legitimæ noctis instar fuisse plerique censent, minus id expeditum videri mihi solet. Non enim ante lucem nox fuit, ea quidem, quæ pars diei dimidia computatur, hoc est τοῦ νυχθημέρου. quæ luci dimidiam terræ partem occupanti ex adverso sita, dimidiam alteram obscurare debet *.

CAPUT IX.

De primo die rursus agitur, ac Theodori Mopsuesteni sententia, et Joannis Philoponi contra hanc disputatione. Tenebras primigenias noctis nomine non censeri apud Mosem. De initio diei putandi apud Judæos accurate quæsitum. Recte Theodorum docuisse, ab ineunte vespera illos inchoasse. Philoponus contra sentiens refellitur; ejusque argumenta omnia solvuntur. Explicantur aliquot Scripturæ loca. Quid sit Parasceve, et de tempore agni Paschalis immolandi. De triduo sepulturæ Dominicæ, de quo tempore resurrectionis. ὀψὲ σαββάτων, *et* ἐπιφώσκειν *quid sint.*

I. Non inutilem, nec alienam ab instituto nostro moram faciemus in illa expendenda disputatione quam contra Theodorum latius explicat Joannes Philoponus. Ac cætera quidem hujus argumenta perstrinximus antecedenti capite; nec enim longiori sermone opus habent. Duo, triave sunt a Philopono allata, quæ operæ nonnihil merentur. Nam [1], cum Theodorus, ut supra dixi, tenebras illas, quibuscum terra, cæteraque condita sunt, ante lucis exortum, noctis instar fuisse scripsisset, ac duodecim horarum perseverasse spatio, ut ex æquo τὸ νυχθήμερον nox cum luce partiretur; primum hoc Philoponus redarguit quod « istæ tenebræ noctis appellatione censeri nequeant, Nam nulla nox totum obscurat orbem, sed ejus aliquam partem, eamque solam, majori parte luce collustrata [a]; » tum quod perbrevi intervallo tenebræ istæ fuerint, ac momento propemodum uno, statim luce consecuta [b].

Nox cum die sequenti

Sed horum alterum de *noctis* appellatione solius habet nominis controversiam; quam contemnunt ii, qui Theodorum et hoc antiquiores alios secuti, idem de primi diei vespera sentiunt. Quibus tamen non accedimus; neque noctem, putamus illas dici tenebras,

a Philop. Καί τοιγε οὐδένα νυκτὸς ἐπεῖχε τάξιν ἐκεῖνο τὸ σκότος. οὐδεμία γὰρ νὺξ ὅλον σκοτάζει τὸν κόσμον, μέρος δὲ τούτου, καὶ μόνον, τοῦ πλείστου καταυγαζομένου φωτί.

b Ibid. Ὥστε σχεδὸν ἐν μόνῳ τῷ ἀκαριαίῳ νῦν προϋποστῆναι τοῦ φωτὸς τὸ σκότος.

* Multa, quæ huic quæstioni lucem adferent invenies apud Trevoltienses, in Monumentis Litterariis a MDCCXLII. *Mense Aprili*, MDCCXLIII. *Mense Maio*, MDCCXDIV. *Mense Julio.* Z.

1 Philop. lib. II, cap. XVIII

multo minus vesperam, quæ communis esse debet antecedentis lucis, et succedentis noctis terminus. Itaque, si pro vespera noctem Moses posuisset minus ab illorum abhorrerem sententia. Nunc τῆς ἑσπέρας nomen merito nos absterret, quod nec in perpetua illa caligine locum invenit, nec, ut interpretari solent illi, assentiri his possumus ; et utrumque vespertini ac matutini temporis limitem ad anteriorem τοῦ νυχθημέρου partem referre potius, quem ad sequentem. Recusat enim id nescio quomodo communis sensus, ut vesperam pro die ac luce, mane pro nocte sumamus ; idque præposterum videtur, neque, cur ita faciamus, vis nos ulla constringit.

Vesperæ.

Noctis cum die sequenti.

II. De tempore primæ caliginis illius, quod divinat Philoponus fuisse ἀκαριαίαν, id est *momenti unius*, mera est ariolatio ; neque fidem ullo argumento facit. Ego vero aliquanto intervallo putem durasse primas istas tenebras, et fortasse plus uno, alterove die, aut etiam longius; cujus temporis modus nobis est incertus. Paulatim enim in rerum conditu progredi divina sapientia voluit, et rude primum atque imperfectum opus edere, ut qui tum spectatores erant Angeli, quibusdam veluti gradibus ad perfectæ summi Opificis sapientiæ intelligentiam erudirentur, ac pedetentim per rerum creatarum vestigia pervenirent.

Alterum Theodori Mopsuesteni argumentum ab Judæorum consuetudine petitum diluere Philoponus studet. Sed multum errat. Noctem diei parte illa, quam lux obtinet, anteriorem esse in ista dierum sex descriptione, probabat inde Theodorus, quod Judæi idem deinceps instituerint, ac Moses quoque servaverit, qui festorum dierum tempora ab noctis initio solet incipere. Negat hoc vero Philoponus consequens esse, si ab vespera, in quam Parasceve desinit, exempli gratia, sabbati feriatio incipit; ideo noctem, quæ sit sabbati pars, priorem esse luce, quæ est pars ejusdem diei altera. Itaque noctem illam, quæ inter Parasceven, et sabbati lucem interposita est, non partem esse τοῦ νυχθημέρου, vel potius τοῦ ἡμερονυκτίου, quod sabbatum vocatur, asserit, sed accenseri diei parasceves. Quod autem ἡ ἀργία, id est *operæ cessatio*, procedit ab vespera post Parasceven, id eo fieri, « quod ante sanctos, festosque dies parare se, atque expiare jubentur [a], » tanquam προεόρτιον ἑορτὴν, id est *ante festivum festum* daret, ut loquitur Procopins, qui et ante Philoponum idem docuit, tametsi in utramque partem disputat.

Noctis cum die vel potius diei cum nocte.

III. Verum Judæos non solum hodie, ac post Christi tempora, sed etiam vivente Christo et Mosis ætate, atque ex hujus institutione, dies ab nocte lucem antecedente cœpisse, res est certissima. Ac de hodierno quidem illorum usu nihil hoc loco dicendum. Nemo enim dubitare potest, quin ita dies numerent; quod et eorum civilis computus declarat, quem alibi proposuimus [2]. Et in eorum libris exempla sunt innumera ; e quibus, cum hæc scribebamus, unum forte inter legendum nobis occurrit apud Mosem Maiemonidem in tractatu *de Sabbato*[3], capite secundo ; ubi de sabbati violatione disputans ait : si medicus ægroto periculose laboranti præscribat aliquid sabbato, in octiduum deinceps operam, et laborem requirens, nec dicat expectandam vesperam, ut ne duo sabbata violentur, sine ulla cunctatione parendum, nec rationem habendam sabbatorum duorum. Unde constat, sabbati clausulam esse solis occasum. Hanc vero consuetudinem Judæos jamdudum tenere, ex Chrysostomo constat ; qui, ut supra, capite octavo diximus, eo nomine illos redarguit. Tum hoc diserte Synesius in epistola quarta demonstrat, ubi navigationem suam describit : « Erat tum dies, inquit, quam Judæi nomine Parasceven agunt, ac noctem insequenti diei imputant, per quam manum admovere operi non licet, sed eam sanctissime venerantes, ab omni labore cessant. Itaque clavum e manibus gubernator abjecit, postquam solem occidisse conjectatus est [b]. » Sabbatum itaque Judæi ab occaso sole, qui parasceven terminat, et operæ cessationem inibant. Augustinus quoque sermone LXXIII *de Diversis* luculento id testimonio firmat : « Dies igitur Dominicæ passionis, quo crucifixus est, jam transactam noctem propriam sequebatur; ideoque clausus et termi-

Judæi a vespera dies inchoant.

a Philop. Τοῦτο γὰρ ποιεῖν προσετάχθησαν διὰ τὸ τῶν ἡγιασμένων προκαθαίρεσθαι ἡμερῶν.

Et mox : Πρὸ τοῦ σαββάτου τὴν μετὰ τὴν παρασκευὴν ἀγνιζόμενοι νύκτα, ἐπ' αὐτὸν προῆλθον τοῦ σαββάτου τὸν ἁγνισμὸν, καθαροὶ καθαρῷ προσερχόμενοι.

b Syn. Ἡμέρα μὲν οὖν ἦν, ἣν τινα ἄγουσιν οἱ Ἰουδαῖοι παρασκευὴν· τὴν δὲ νύκτα τῇ μετ' αὐτὴν ἡμέρᾳ λογίζονται, καθ' ἣν οὐδενὶ θέμις ἐστὶν ἐνεργὸν ἔχειν τὴν χεῖρα· ἀλλὰ τιμῶντες διαφερόντως αὐτὴν, ἄγουσιν ἀπραξίαν· μεθῆκεν οὖν ἐκ τῶν χειρῶν ὁ κυβερνήτης τὸ πηδάλιον, ἐπειδὴ τὸν ἥλιον εἶκασεν ἀπολελοιπέναι τὴν γῆν.

1 Lib. II, cap. XIX.— 2 Lib. II *de Doct. Temp.* et lib. VII.— 3 Tom. I Iud.

natus est usque ad parasceven, quam Judæi etiam cœnam puram vocant, ab ejus noctis exordio incipientes sabbati observationem. Deinde sabbati dies a sua nocte incipiens, finitus est vespere incipientis noctis, quæ pertinet ad initium Dominici diei, quoniam eum Dominus suæ resurrectionis gloria consecravit. Illius itaque noctis ad initium Dominici diei pertinentis nunc ista solemnitate memoriam celebramus. » Memorabilis hic locus est, quo Joannis Philoponi hallucinatio detegitur, qui negat dies ab antecedente nocte procedere. Tum ex eodem colligi videtur, *Parasceves* nomen non toti feriæ sextæ tribui, sed ejus novissimæ parti ; de quo post.

IV. Porro Christi Domini tempore idem dierum initium usurpasse Judæos, ex historia constat resurrectionis Dominicæ. Nam, ut Marcus refert [1], *cum transisset sabbatum*, feminæ tres *emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum. Et valde mane una sabbatorum veniunt ad monumencum, orto jam sole.* Joannes ait illas [2], *cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum venisse.* Quod ita conciliatur, ut ante solis ortum domo progressæ eodem jam orto pervenerint. Theophylactus in commentario ad caput *Joannis* XX, existimat, ab omnibus Evangelistis designari tempus mediæ noctis.

Utcumque vero id intelligas, necesse est, nocturnum illud spatium, quod ab occaso sole post sabbatum secutum est, extra sabbatum censeri, et imputari feriæ primæ. Quippe transisse jam sabbatum, refert Marcus, quando ad ungendum Dominum feminæ venerunt imo vero *quando emerunt aromata ;* non enim id sabbato licebat. Pars ergo sabbati non fuit tempus illud, quod a vespera sabbati ad auroram sequentem intercessit. Quod autem Lucas in fine capitis XXIII videtur dicere, mulieres statim post sepulturam Domini, antequam sol occideret, unguenta parasse, ex Marco, qui id distinctius exponit, interpretandus est, ut infinite dixerit, postquam reversæ sunt domum, eas aromata comparasse, nempe sabbato jam desito; quo interposito, Marcus diserte refert, illas emisse aromata, ut irent unctum. Nondum igitur emerant, et emerunt proinde ante solis ortum. Unde nox illa extra sabbati τὸ νυχθήμερον, non pars illius fuit.

Scio viris quibusdam doctis aliter videri, Marcum, qui dicit, sabbato confecto mulieres aromata comparasse, ex Luca potius interpretandum, qui refert, ante ineuntem noctem sabbati, et Parasceves clausulam emptum ivisse. Sed hoc nihil ad summam interest. Nihilominus enim constat, feminas, quæ se sabbato non commoverant, eo finito, de nocte, et ante ortum solis exisse. Ita nox illa non sabbato, sed feriæ primæ imputatur ab Evangelistis.

Sed omnem controversiam decidit locus ille, quem Procopius expendit, *Exodi* XII. 18. in quo præcipit Moses, ut *primo mense quarta decima die mensis ad vesperam comedant azyma, usque ad diem vigesimam primam ejusdem mensis ad vesperam. Septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris.* Cum igitur septem solidis diebus, id est νυχθημέροις, fermento abstinendum fuerit, jubet lex, dies illos procedere a vespera post Parasceven, sive post diem decimam quartam, usque ad vesperam, quæ est clausula diei 21. Constat autem fermento uti desiisse Judæos ab ineunte nocte post Parasceven. Igitur dies ab eadem nocte ineunte putabant Judæi. Ad hæc libro secundo *Machabæorum*, capite VIII, 26, Judas Machabæus cum fratribus, et exercitu suo, victo Nicanore, fusos hostes aliquousque persecuti sunt : *Sed reversi sunt hora conclusi. Nam erat ante Sabbatum, quam ob causam non perseveraverunt insequentes.* Cum esset Parasceve, id est pridie sabbati, appetente jam nocte receptui cecinerunt, quod nihil necesse erat, si nox ista non sabbati esset, sed Parasceves. Hæc sunt invicta, et Joannis Philoponi inscitiam redarguunt. Cujus sane tota in illa disputatione puerilia sunt errata non pauca, quæ nos obiter notabimus; quoniam ad id, quod modo agimus, non parum conducunt.

Philopon contra sentien refellitu

V. Noctem [3], quæ festum diem antecedit, sive, ut clarius loquar, festam lucem, non imputari vult festo ipsi, sed diei præcedenti, in quem incidit Parasceve festi. Sed ideo castimonias, et religiones communes illi esse nocti cum festo sequente, quod rite præparandi sint homines, ut puri ad instantem celebritatem veniant, cum tamen ista ipsa nox pars sit antecedentis νυχθημέρου. Hujus rei argumenlum, exemplumque profert ex capite XIX *Exodi*. Ibi Dominus [4] legem daturus populo, sanctificari jubet, et lavare vestimenta sua, et paratos esse in diem tertium. Sic enim loquitur. *Vade ad populum, et sanc-*

Noctis c die sequente

1 *Matth.* XVI.— 2 *Joan.* XX, 1.— 3 *Phil.* lib. II, cap. XIX,— 4 *Exod.* XIX, 10.

tifica illos hodie et cras, laventque vestimenta sua. Et sint parati in diem tertium. In die enim tertia descendet Dominus coram omni plebe super montem Sinai. Dixit hoc Mosi Dominus (ait ille) tertio die antequam legem ederet; ac biduo tantum expiari jussit. Et tamen Moses, *Estote,* ait[1], *parati tres dies.*

Quærit Philoponus, cur, cum Dominus bidui tantum castimoniam indixerit, Moses triduum præscribat. Verum ea quæstio nulla est in Hebræa et latina lectione. Nam utrobique istud occurrit: *Estote parati in diem tertium,* pro quo Græci habent τρεῖς ἡμέρας. Porro biduum illud, triduumve ita digerit Philoponus, ut sint duo ἡμερονύκτια : primum quo Mosi mandatum dedit Dominus; hoc est lux illa cum sequenti nocte : secundum lux sequens cum succedente nocte sua : tertium vero est illud, cujus in luce Dominus legem populo tulit in monte, Verum quid nos cogit ita partiri potius, quam ut rationes nostræ postulant, hoc modo? Duo sunt νυχθήμερα. Primum in quo Dominus præcepit Mosi, cujus nocte jam exacta, in parte altera, quæ lux erat, mandatum illud dedit. Alterum νυχθήμερον fuit nox sequens cum luce postridiana. Tertium denique ex nocte, quæ hanc lucem excepit, et luce altera constabat, in qua Dominus apparuit. Sic minima commotione, argumentationis tota illa pompa diffiatur.

Tres dies.

Dies cum noctibus sequentibus

Noctes cum diebus sequentibus.

Nox cum sequente die.

VI. Accipe nunc argumentum Philoponi, ejusdem nihilo firmius. Ut enim noctem, quæ sabbati lucem præcedit non partem esse sabbati demonstret, sed partem antecedentis dici, expiationi ac præparationi duntaxat tributi, ait, idcirco nominari Parasceven. « Merito, inquit, quoniam sabbatum ex lege sanctum est, a vespera Paraseeves castimoniam incunt. Nam et ideo Parasceve dicitur, quod sabbato castimoniam ante præparat ab ipsa vespera. Nisi enim tali observatione uterentur, sed fas esset ipsis in Parasceves vespera, et nocte, quidquid vellent, agere, ad diem sanctificatum (legendum enim ostendit Interpres ἡγιασμένῃ) impuri accessissent. Ideo purgandi gratia corpora tum lavare consueverunt[a]. » Hæc Philoponi ratio non cohæret, sed semetipsam evertit. Si enim nox Parasceves lucem consequens non est pars sabbati, verum ob id et cessatione ab opere, et castimonia dignata est, quod præparatio quædam esset festi sequentis, postridie ab ortu solis inchoandi; debuit et ipsa Parasceves re, ac vocabulo censeri. Atqui secus id habuit. De Parasceve altercantur inter se nonnulli. Quidam enim tempus eo vocabulo significari volunt, quod est ab hora diei nona, sive tertia post meridiem, ad solem occasum; quo intervallo agnum immolabant, et Paschale convivium parabant, ut scribit Josephus[2]; idque tempus appellari videtur in Scriptura בין הערבים *inter duas vesperas*[3]. Alii totum ipsum diem, qui est pridie Sabbati, Parasceven proprie dici asserunt, cum Joannes scribat : *Erat autem Parasceve hora quasi sexta.* Nam sexta hora nondum erat Parasceve in illorum sententia; sed nihil hoc est. Imprimis enim Parasceve dupliciter usurpatur : vel proprie, et est spatium inter duas vesperas, vel κατάχρηστικῶς, et pro tota luce antecedente sumitur, uti Joannes usurpasse videtur. Addo ex quorumdam Hebræorum sententia, spatium immolationi agni dicatum a meridie ad occasum solis pertinuisse ita, ut vespera prior sit punctum ipsum meridiani solis, quo jam descendere incipit, posterior sit occasus ejusdem. Hoc modo disputat R. Selomoh in commentariis ad locum illum *Exodi*; meminitque R. David Kimhius *in Radicibus.* Qua ratione etiam proprie dixerit Joannes Evangelista, Parasceven fuisse hora sexta. Sed anteponenda prior est opinio, cui Josephus, ut dixi paulo ante, subscribit. Certe Parasceven proprie ab hora nona cœpisse indicat Joannes idem haud obscure capite XIX in fine, cum ait, in sepulchro positum esse corpus Jesu de cruce detractum, *propter Parasceven Judæorum*, hoc est, quia per illud Parasceves intervallum præparanda erant omnia ad sequentis festi celebritatem necessaria, ne quid post occasum solem operis restaret; tum quæ festi ejusdem religioni adversabantur amolienda, cujusmodi erat, cruciariorum corpora in patibulo manere. Ideo *ut non remanerent*

Per catachresin

a Philop. lib. II, cap. XIX. Εἰκότως οὖν, ἐπειδὴ καὶ τὸ σάββατον ἅγιόν ἐστι τῷ νόμῳ, ἀφ' ἑσπέρας τῆς παρασκευῆς ἄρχονται τῆς ἁγνείας. διὰ τοῦτο γὰρ καὶ παρασκευὴ κέκληται, προπαρασκευάζουσα τῷ Σαββάτῳ τὸν ἁγνισμὸν ἀπὸ ἑσπέρας. Εἰ γὰρ μὴ τοιαύτη παρατηρήσει ἐχρῶντο, ἀλλ' ἐφεῖτο ποιεῖν αὐτοῖς τὴν ἑσπέραν τῆς παρασκευῆς, καὶ τὴν νύκτα ὅ, τι ἂν ἐθέλοιεν, ἤμελλον ἀκάθαρτοι τῇ ἡγιασμένῃ προσιέναι ἡμέρᾳ. διὸ καὶ λουτροῖς τότε πρὸς κάθαρσιν χρῶνται τοῦ σώματος.

1 Ver. 15.— 2 Lib. VI *de Excid.* cap. XIX vel cap. VII edit. *Græco-Lat.*— 3 *Exod.* XII, 5.

in cruce corpora Sabbato, crurifragio mortem acceleraverunt, ut deponi e cruce possent. Quod necesse non fuit, si nox insequens Parasceves, non sabbati pars esset. Vide et Augustini locum illum paulo ante descriptum, ex quo duo illa concluduntur ; Paraseeven proprie dictam fuisse partem postremam lucis ejus, quæ fuit pridie sabbati; deinde, sabbatum ab ineunte nocte cœpisse. Pessime autem argumentari Philoponum, ex dictis aperte liquet ; neque vere id ab eo adjici, Judæos tunc balneis uti, si id nocte illa, quæ est post Paraseeven, fieri intelligat. Vide tractatum eorum Talmudicum *de Sabbato*, ex quo, quam falsum sit illud agnosces. Nam, si de Parasceve proprie dicta loquitur, hoc est intervallo eo, quo ante solis occasum se ad sabbatum comparabant ; nihil hoc ad rem pertinet, neque quidquam inde probat Philoponus.

Quid sit Parasceve proprie dicta.

VII. Usus est et Theodorus Mopsuestenus non contemnenda ratione [2], ut ab ineunte nocte post Paraseeven Paschale νυχθήμερον cœpisse probaret, Ecclesiæ Christianæ ritu simili, qui sine dubio ab Judæorum instituto manavit. « Nos enim, inquit, sanctæ resurrectionis festum celebrare incipimus a vespera, et confecto jam sabbato, et ineunte nocte; resurrectionis diem putamus [a]. » Quod, ut dixi, verum est, et in Ecclesia vetere servatum ; idque arguunt πάννυχοι στάσεις, id est *stationes*, quas tota illa nocte in Ecclesiis obibant, ut rituales libri, ac Græca, Latinaque monumenta testantur. Quare frustra hoc improbat Philoponus, et totam Dominicæ resurrectionis historiam conturbat. Scripsit Matthæus, *Confectis jam sabbatis, ea, quæ lucescit in primam sabbati* [b], mulieres ad sepulchrum ivisse. Hinc ille concludit, dierum initia Judæos capere solitos ab ortu solis, quoniam ὀψὲ σαββάτων significat τὸ πέρας τοῦ σαββάτου, id est *clausulam sabbati*, quam sequentia designant, *ea que lucescit in primam sabbati*, quibus solis ortus indicatur. Tunc enim ἐπιφώσκει, hoc est lucet dies.

Nox cum sequente die.

Explicantur nonnulli Scripturæ loci.

Verum aliter intelligendus est hic locus, ut alibi demonstravimus. Est enim ὀψὲ σαββάτων idem quod *confectis sabbatis*. Nam sabbata dies omnes hebdomadæ nominabant. Peracto igitur orbe septem dierum, ipsoque expleto sabbato, quod occidente sole desiit, sequenti ineunte die, quæ cœpit feria prima post sabbatum, hoc modo nox illa, quæ sabbati lucem excipit, pars est feriæ primæ. Quod enim ad verbum ἐπιφώσκειν attinet, id simpliciter *inire*, *appetere*, et *adventare* significat, nullo alio subaudito, utputa luna, stellis, vel sole tum illucescente ; cujus absolute notionis ratio reddita est in *Animadversionibus ad Epiphanium*. Adjuvat hanc nostram opinionem, et Philoponum reum erroris peragit, quod *Lucas* capite XXIII scribit : *Et dies erat Parasceves, et sabbatum illucescebat* [c]; Nimirum, postquam Dominicum corpus humo mandatum est, jam desinente Parasceve, inibat sabbatum. Quocunque tandem modo verbum ἐπιφώσκειν intelligas, certum est Sabbatum iniisse post Parasceves clausulam ; Parasceve autem solis occasu desinebat. Et apparet, Lucam hoc sibi velle, commodum ubi Christus sepultus est, Parasceve in exitum inclinante, jamjam appetiisse sabbatum ; neque ita locuturum fuisse, si Parasceves duodecim adhuc horæ superfuissent. Siquidem καὶ σάββατον ἐπέφωσκε idem valet, atque *imminebat*, *instabat*, *prope erat sabbatum*.

VIII. Postremio, etsi Judæi ab ineunte vespera diem suum auspicarentur, nonnunquam tamen qui res illorum referunt, ut se ad Romanorum, aliarumque gentium mores accommodent, civilia dierum spatia ab orto sole ad occasum numerant, vel lucem potius pro die sumunt ; quemadmodum Romanos, et Græcos, et Ægyptios instituisse constat. Sic etiam Christiani in festis suis conputandis persæpe faciunt, ut modo ab vespera, modo ab diluculo sequente illorum initia repetant.

Sed Philoponus in eo [4], quod adversus Theodorum propugnare cœpit, acrius insistens, argumentum expromit aliud, quod expendere hic oportet. Negat enim constare id, quod Christus apud Matthæum dixit de triduo sepulturæ, si cum sequenti luce nox antecedens componat diem ; *Sicut*, inquit, *fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, et tribus noctibus* [5] ; *sic erit Filius hominis in corde*

Triduum sepulturæ Christi explicatur

a Theodorus. Καὶ ἡμεῖς γὰρ, φησὶ, τὴν τῆς ἁγίας ἀναστάσεως ἑορτὴν ἐπιτελοῦμεν ἀφ' ἑσπέρας, πεπληρωμένου μὲν τοῦ σαββάτου, ἀρχομένης δὲ τῆς νυκτὸς, τὴν τῆς ἀναστάσεως λόγιζόμεθα ἡμέραν.

b Mat. XXVIII. Ὀψὲ δὲ σαββάτων, τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων.

c Luc. XXIII, 54. Καὶ ἡμέρα ἦν παρασκευὴ, καὶ σάββατον ἐπέφωσκε.

1 Ser. LXXIX *de Diver.*— 2 Apud Phil. l. II, c. XX.— 3 Lib. XII *de Doct. temp.* c. XX et in Anim. *ad Epiph.*— 4 Lib. II, c. XXI.— 5 *Matth.* XII, 40.

terræ tribus diebus; et tribus noctibus. Si tantummodo *tres dies* nominasset, facile nobis erat τρία νυχθήμερα interpretari, quæ singula pro uno, et individuo censerentur. At, cum singillatim *tres dies*, *noctesque tres* appellaverit, non videntur hæc cum nostra opinione quadrare. Nam duæ, non amplius, erunt noctes, si quæ Parasceven nox secuta est, sabbato accensetur et quæ sabbatum excepit, imputatur feriæ primæ. Quamobrem noctis unius instar tenebras illas esse putat Philoponus, quæ ab hora sexta ad nonam factæ sunt, cum Christus in cruce penderet; noctem vero sequentem eam esse, quæ Parasceven terminat, ac tertiam, quæ sabbato conjungitur; qua expleta, ineunte tertio die, ac dominico, Christus a mortuis excitatus est.

IX. Sed nimis arguta, et enucleata ista sunt. Quis enim non videt, nihil verbis illis Evangelistam aliud significare, quam νυχθήμερα-τρία, quæ non perinde apud Hebræos Syrosve uno singula vocabulo possunt exprimi? Sed nec apud Latinos. Nam vox *dies* noctis non habet notionem; itaque coguntur partes dierum singulas exprimere distinctis nominibus. Quare una dies, et una nox, unum est νυχθήμερον. Et quidquid in hujus parte aliqua fit, id in toto νυχθημέρῳ fieri dicitur, hoc est, si alia lingua utimur, in una die, et una nocte. Christus exeunte primo νυχθημέρῳ *in corde terræ* fuit. En primum νυχθήμερον: secundum ex nocte, et luce sabbati sequentis integrum coalescit; tertium vero noctem habuit, et lucem Dominicæ sequentis, cujus dimidia jam abacta parte, hoc est diluculo resurrexit. Atque hæc Augustini est opinio, et interpretatio in libro primo *quæstionum Evangelicarum*, quæstione VII. « Sextæ, inquit, feriæ diei partem, qua sepultus est, cum præterita nocte pro nocte et die accipias, hoc est pro toto die: Sabbati noctem, et diem, et noctem Dominicam cum eodem die illucescente: ac per hoc, accipiendo partem pro toto, habes triduum, et tres noctes. Quod enim dicuntur decem menses prægnantes, novem sunt pleni; sed initium decimi pro toto accipitur. » Qui locus ab Amalario Fortunato citatur libro primo *de Ecclesiasticis officiis*, capite duodecimo. At illud de nocte trium horarum, ferri non potest, et joculariter σεσοφισμένον videtur, etsi nonnullis arrisit. Quam præstat ita, ut nos exponimus, facile, ac simpliciter dictum illud accipere!

Postremo, quod primus ille dies, in quo lux est creata, non primus a Mose, sed *unus* nominatur[1], mysticum nescio quid, et arcanum redolere visum Græcis maxime scriptoribus, ut Philoni[2], Basilio[3], Origeni in homilia prima *in Genesim*, Procopio, Cæsario, aliisque[4]; sed et Hebræis quibusdem; nihil hoc est, cum sit perspicuum, linguæ potius Hebraicæ proprietati tribuendum illud esse, quæ cardinales numeros pro ordinalibus frequenter usurpat.

CAPUT X.

De secundæ diei opere, id est firmamento. De numero cœlorum variant Patrum sententiæ. Idem esse cœlum, quod initio Geneseos nominatur, ac secundo die productum. Gregorii Nysseni opinio perplexa de firmamento. Probabilis hujus constituendi ratio, qua ex aqua factum id esse ponitur, ac tum aerem, tum cœlum proprie dictum complecti. De firmamenti voce, et στερεώματος *accurate disputatum. Esaiæ locus explicatus ex interpretum LXX versione. Non esse solidum cœlum, tametsi firmamentum vocetur, et quæ sit origo nominis, ac notio.*

I. Omnium, quæ in Mosaica ista descriptione continentur, difficillimum est opus diei secundæ, in qua firmamentum factum est, quod inter aquas interpositum, superiores ab inferioribus diremit; atque hoc firmamentum appellatum est cœlum. Hæc Mosaicæ narrationis est summa. In qua, quid sit firmamentum illud, quæritur; idne, quod cœlum vulgo dicimus, an quiddam ab eo diversum. Et si cœlum est, an quidquid eo nomine censetur; an pars ejus aliqua, utputa citimi terris globi. Proxima est aquarum contemplatio, ac divisionis illarum, et velut intergerini cujusdam parietis ac septi, quo ambas earum partes discrevit invicem.

De numero cœlorum variæ Patrum sententiæ

Multorum, ut dixi capite secundo, in eo sententiæ conspirant, ante lucis exortum procreatum esse cum terra cœlum illud primarium, et supremum, quod prætorii cujusdam instar metatus est Deus; in eoque domicilium sibi, et ejusdem secum felicitatis consortibus posuit; quod ipsum *empyreum* vulgo nominant. Hoc vero secundo die

1 *Gen.* I.— 2 In *Cosmop.* — 3 Hom. II.— 4 Dial. III, inter DXV et seq.

cœlum inferius conditum fuisse, sive cœlestes orbes reliquos. Ex quo etiam Philosophos gentiles arguit Basilius, qui unicum tantummodo cœlum esse, nec plures fieri posse jactabant. « quod tota cœlestis corporis substantia in unius molitionem esset expensa [a]; » cum ex adverso innumerabiles alii cœlestes orbes esse putent, ac mundos innumerabiles. Ipse autem Basilius ex eoque Ambrosius, non solum secundum, sed etiam tertium cœlum, ex Paulo esse demonstrat [1]. Nam et Propheta, « cœlos cœlorum nominans, facit ut plures intelligamus. Hoc vero nihilo esse incredibilius septem illis orbibus, per quos septem sidera ferri, magna inter se consensione asserunt; quos etiam insertos invicem volunt, quemadmodum urnæ in se mutuo immittuntur [b]. »

II. Sed Ambrosius hunc Basilii locum plena elegantiarum oratione depinxit, cujus lepore hilaranda est hæc nostra disputatio : « David, inquit [2], cœlos cœlorum in illo laudantium Dominum constituit choro. Quem imitantes philosophi quinque stellarum solis, et lunæ globorum consonum motum introduxerunt, quorum orbibus, vel potius globis connexa memorant omnia, quos sibi innexos, et velut insertos versari retro, et contrario cæteris motu ferri arbitrantur, eoque impulsu, et motu ipsorum orbium dulcem quemdam, et plenum suavitatis, atque artis, et gratissimi modulaminis sonum reddi. » Sed, cum philosophorum alios unum tantummodo cœlum, alios vero, innumerabiles esse paulo ante dixerint ambo, qui convenit, ab omnibus septem orbes totidem planetis attribui? An qui unum esse duntaxat cœlum arbitrati sunt, septenos orbes siderum errantium constituerunt? Sic opinor. Nam unum ab istis cœlum, id est systema orbium in se invicem insertorum, poni Patres illi asserunt. Extra quod cœlum aliud in sublimiori, ac puriori mundi plaga collocant, imo supra mundi hanc aspectabilem universitatem in quo statio est beatarum mentium; de quo antea capite secundo diximus. Tertium vero cœlum, regio est infima mundi, orbi subjecta lunæ, quæ igni constat et aere, si tamen est ullus lunæ globo vicinus ignis; de quo dubitant philosophi,

III. Mox vero refert Basilius, quorumdam esse sententiam, cœlum, quod in primis *Geneseos* verbis ponitur. idem esse cum eo, quod secundo die commemoratur; sed illic summatim cœli ac terræ nominibus totam mundi fabricam complecti Mosem ; deinceps autem particulatim declarare singula, et inter hæc cœlum secundo die procreatum dicere. Quæ nobis opinio probata est capite secundo. Quare unum utrobique cœlum esse credimus; in quo consentientem habemus Chrysostomum. Nam in homilia quarta *in Genesim* asserit, cœlum ante terram conditum fuisse, ut et homilia prima tomi quinti. At vero secundo die illud idem cœlum ad aquas dirimendas velut septum quoddam, et murum adhibitum fuisse : « Quid sibi volunt, inquit, ista verba, Fiat firmamentum? Tanquam diceret quispiam humana lingua loquens, maceriam aliquam, et septum interjectum, ac separans [c]. » Existimavit ergo Chrysostomus, cœlum ante lucem, et initio operum omnium a Deo esse creatum, ac novum ei duntaxat attributum officium die secundo; quæ est et recentiorum quorumdam opinio. Ideo non, ut S. Thomas dicit, cœlum ipsum die secundo existere cœpisse docuit, ut in fine capitis secundi meminimus; tametsi unum et idem cœlum intelligit, quod in exordio libri, et in die secundo nominatur. Unde etiam adversus philosophos disputat, qui plures esse cœlos arbitrantur, cum unius tantummodo Moses mentionem faciat. Quod autem *cœli cœlorum in Psalmis* vocantur, hoc ad linguæ Hebraicæ proprietatem pertinere putat, quæ plurali numero, non singulari, nomen illud efferre solet; in quo a Basilio dissentit, qui cœlos esse diversos asserit. Severianus Gabalitanus itidem, ut Chrysostomus, unum cœlum constituit, idque primo die productum, Nam omnia primo die condita, sex deinde diebus perpolita, et novis ministeriis aptata sunt.

a Basil. hom. III *in Hexaem.* Πάσης τῆς οὐσίας τοῦ οὐρανίου σώματος εἰς τὴν τοῦ ἑνὸς σύστασιν ἀπαναλωθείσης.

b Ibid. Ὁ δὲ ψαλμὸς ὀνομάζων οὐρανοὺς οὐρανῶν, καὶ πλειόνων ἡμῖν ἔννοιαν ἐνεποίησεν· οὗ δή ποτε δὲ ταῦτα παραδοξότερα τῶν ἑπτὰ κύκλων, καθ' ὧν οἱ ἑπτὰ ἀστέρες σχεδὸν παρὰ πάντων συμφώνως ὁμολογοῦνται φέρεσθαι, οὓς καὶ ἐνηρμόσθαι φασὶν ἑτέρῳ τὸν ἕτερον κατὰ τὴν εἰκόνα τῶν κάδων τῶν εἰς ἀλλήλους ἐμβεβηκότων.

c Chrys. hom. IV *in Gen.* Τί ἐστι, γενηθήτω στερέωμα; ὡς ἂν εἴποι τις γλώττῃ ἀνθρωπίνῃ τειχίον τι, καὶ διάφραγμα διαιροῦν μεταξὺ, καὶ χωρισμὸν ἐργαζόμενον.

1 II *Cor.* XII.— 2 Amb. lib. II *Hexaem.* cap. II.

IV. Gregorius item Nyssenus in libro primo *contra Eunomium* editionis secundæ unicum illud cœlum secundo creatum die, nec alterum præter hoc agnoscit : « Quinta, inquit, die post cœlum, hominem productum dicentes ex Mosis historia, eadem ratione probamus tacite, ante numerum istum dierum, nondum cœlum exstitisse[a]. » At idem in libro *de Opificio sex dierum*, de firmamento et cœlo perplexe loquitur. Hoc enim dicit esse velut extremum limitem sensilis substantiæ, communemque istius et spiritualis naturæ terminum. « Ego, inquit, arbitror, corpus nullum solidum, ac durum sive unum ex quatuor elementis, sive alterum quoddam diversum ab his, ut externa philosophia commenta est, circa firmamentum considerari ; sed extremum sub sensum cadentis substantiæ, quod ignis natura perpetuo motu prædita virtute percurrit, firmamentum a Scriptura nominari, quatenus cum sempiterna et corporis experte, quæque tactu percipi non potest, proprietate confertur[b]. » Quoniam igitur στερεὸν, id est *compactum* id dicitur, quod est crassum, et corpulentum, hoc autem grave est ac deorsum sidit; ideo cœlum proprie στερεὸν, et στερέωμα dici non putat, nisi quatenus cum intelligibili et incorporea natura comparatur. Est enim materia concretum, habetque ὑλικὴν φύσιν, id est *materia constantem naturam*. Sed subtile est tamen, ut intelligi non possit. Verum, an sit ignis, an tenuius igne quippiam, quod percurrat ignis, non satis explicate asserit, neque multum interest scire. Nam est alioqui non valde probabilis ista firmamenti descriptio[c].

V. Ita etiam Ambrosius subobscure mentem aperit suam [1], ac videtur cœli nomine, quod initio *Genesecos* cum terra copulatum est, « omnem cœlestis creaturæ fabricam comprehendere ; firmamenti vero, specialem exterioris soliditatem, quod dicitur cœli firmamentum. » Jam Theodoretus quæstione XI cœlos esse duos arbitratur ; quorum prius cum terra conditum, posterius στερέωμα dictum, quod ex aqua compactum sit. Cæsarius vero cœlum prius ἀόρατον, id est *minime aspectabile*, initio factum ait, posterius στερέωμα in glacialem duritiem concretum ; de qua re paulo post. De duobus item cœlis superioribus accedit Procopius, necnon Junilius Africanus. Sic Theophilus Antiochenus cœlum prius ἀόρατον primo esse conditum ait ; postea vero id, quod aspectabile est, et firmamentum dicitur.

Firmamentum.

Non ero longior in commemorandis veterum, aut etiam recentiorum sententiis, ne sim infinitus. Illud summatim colligam, de cœlo, ac firmamento duas hactenus communes maxime et probabiles videri. Altera est, quæ summum quoddam et ab aspectu remotum initio cum terra procreatum esse cœlum statuit, quod *empyreum* postremo nominari usus obtinuit ; secundo vero die cœlestes orbes inferiores et aspectabiles ex aquis concretos et compactos esse idque firmamentum vocari, quanquam *firmamenti* vox proprie stellato illi tribuitur, quod octavam sphæram nuncupant. Altera cœli nomine totam mundi extremitatem complectitur, quæ splendidis ac rotundis orbibus constabat, quos per immensa rerum spatia diffusos oculis discernimus. Hos omnes uno appellatos cœli vocabulo simul cum terra conditos esse dicunt qui sic sentiunt, ante lucis exortum. Nam secundo diè, ut et sequentibus, nihil esse novi creatum ; sed facto jam cœlo usum illum attributum esse separandarum aquarum, et firmamenti nomen inditum.

Duæ probabiliores sententiæ.

VI. Nos media quædam inter ambas istas sententia delectat, quæ ex utraque sumit aliquid, in quo invicem dissident, estque ambarum propterea dissimilis. Sed ea, quoniam paucis explicari nequit, velut minutatim concidenda est, quo sit distincta ac clarior.

Media auctoris sententia.

Imprimis ante dierum sex initium solam cum aqua terram exstitisse credimus, quod supra constitutum est ; ita tamen, ut illa nebulæ instar tenuis ac vaporis, totum illud supra, circumque terram occuparet spatium, quaquaversus patet oculorum prospectus. Habet hæc opinio fidem ex Mosis narra-

a Gregor. Nyssen. lib. I. Πέμπτῃ μετὰ τὸν οὐρανὸν ἡμέρᾳ γεγενῆσθαι τὸν ἄνθρωπον λέγοντες ἐκ τῆς Μωσέως γραφῆς συγκατέσκευάσαμεν τῷ λόγῳ τούτῳ κατὰ τὸ σιωπώμενον τὸ πρὸ τοῦ ἀριθμοῦ τῶν ἡμερῶν τούτων, μηδὲ τὸν οὐρανὸν εἶναι.

b Idem libro *in Hexaem.* Ἐγὼ γὰρ οἶμαι σῶμα μέν τοι στερρὸν, καὶ ἀντίτυπον, εἴτε τι τῶν τεσσάρων, εἴτε τι καὶ παρὰ ταῦτα ἕτερον, καθὼς ἡ ἔξωθεν ἐφαντάσθη φιλοσοφία, μηδὲν περὶ τὸ στερέωμα θεωρεῖσθαι· ἀλλὰ τὸ ἄκρον τῆς αἰσθητῆς οὐσίας, ὅπερ ἡ τοῦ πυρὸς φύσις κατὰ τὴν ἀεικίνητον δύναμιν περιπολεῖ, τοῦτο στερέωμα παρὰ τῆς γραφῆς ῥηθῆναι, συγκρίσει τῆς ἀϊδίου τε, καὶ ἀσωμάτου, καὶ ἀνάφους ἰδιότητος.

c Ibid. Κἂν τῇ φυσικῇ λεπτότητι διαφεύγει τὴν κατάνόησιν.

1 Amb. lib. II in *Hex.* cap. IV.—2 Dial. I. Inter. LXVI.— 3 Lib. II *ad Antol.*

tione qui ante cœlum, id est *firmamentum* terram, et aquarum abyssum exstitisse refert. Nam quod scribit, In principio creatum esse cœlum atque terram, id quo sensu dictum, supra demonstravimus.

Jam vero ex aqua subtilissimum in vaporem attenuata, ut Augustinus libro *de Genesi ad litteram* capite XII et Beda *in Hexaemero* perhibent, et Michael Glycas [1], die secundo partim cœlestia corpora, partim aerem ignemque si est ullus cœlo vicinus ignis, Deus elaboravit. Quod Joannes Chrysostomus diserte censuit; nec dubium est, quin Mosis historia in eam sit partem propensior, quæ nihil, præter aquas et terram, ante diem secundum fuisse memorat. Nam illud Severiani valde probatur, « Prima die ex nihilo Deum omnia creasse; reliquis autem diebus, ex jam exstantibus [a]. » Ubi primam diem non lucis tantum creatione circumscribit, sed, quod ante illam factum est, id eidem tribuit quod intervallum quantum fuerit nulla divinatio potest assequi. Neque vero mundi corpora illa, quæ prima omnium exstitisse docui, aquam et terram arbitror eodem, in quem lucis ortus incidit, fabricata esse die, ut quibusdam placet, haud satis firma ratione, quod Moses scribat in fine septem dierum: *Istæ sunt generationes cœli et terræ, quando creata sunt, in die, quo fecit Deus cœlum et terram* [2]. Quasi necesse sit, in aliquo die cœlum et terram esse condita, adeoque primo. Sed dies hoc loco pro tempore sumitur dierum sex, quibus cœlum et terram creavit, id est elaboravit ac digessit Deus totam hanc rerum universitatem. Sic enim interpretanda hæc esse, *in principio creavit Deus cœlum, et terram* supra demonstravimus.

VII. Quapropter ex aqua tum aer, et quem æthera Græci vocant, qui ab ardore ignis appellatur, ab Aristotele [3] vero non ignis proprie, sed ὑπέκκαυμα, et ἀναθυμίασις, id est *sicca, et calida fumi instar exhalatio* dicitur, tum cœlestes globi omnes effecti sunt; ac denique *firmamenti* nomen toti huic impositum est regioni, quæ a terra et aquis ad extremam usque mundi oram ac determinationem porrigitur. Atque hoc Scriptura persuadet ipsa, quæ hoc ipsum, quod hic cœlum, et firmamentum vocatur, aerem esse non raro significat. Velut cum ait, *Qui operit cœlum nubibus* [4]; et *Triste, et rubicundum cœlum* [5], sunt et ista vulgata, *Volucres cœli*, et alia similia. Etenim Moses, quod jam monui, et non semel dicere est opus, communibus, et popularibus cum verbis, tum verborum notionibus est usus. Vulgo autem cœlum ita sumitur. Quare plebeio pene sermonis usu sic etiam Moses, et cœli et firmamenti vocabula sumpsit. Ut cum volatile dicit, *volare super faciem firmamenti cœli* [b], ut Hebræa referunt, id est super firmamenti partem illam, et in illa, quam aerem dicit. Tametsi Latinus Interpres minus verba quam verborum sententiam spectans, ita reddit, *sub firmamento cœli*. Nimirum quod aves, dum altius ab oculis nostris volant, cœlo propinquare dicuntur ἰδιωτικῶς, adeoque juxta extimam cœlestis orbis superficiem, et sub ea ferri. Quare noster interpres ad firmamentum, ut ita dicam, superius respexit, alii ad inferius. Utrumque enim firmamenti vocabulo censetur, et pro opportunitate modo hoc, modo illud intelligendum est. *Idiotice.*

Favet huic sententiæ Augustinus in secundo *de Genesi ad litteram* [6], ut postea dicemus, et Hieronymus epistola LXXXIII *ad Oceanum*. Nos in eamdem et Basilium includimus, qui homilia tertia firmamentum indicat esse aerem, imo cœlum ipsum, quod aquas in vaporem resolutas percolat et transmittit ad solis, et stellarum pabulum, crassiores vero dimittit in terram. Quare cœlum illud, quod a supremo secernit, una cum aere firmamenti nomine complectitur, ut hoc solum a Basilio discrepet opinio nostra, quod supremum etiam secundo die cœlum exstitisse volumus; ille autem simul cum terra ante ortum lucis esse productum. Pars est itaque firmamenti aer, quem *proximum, et caliginosum* cœlum vocat Augustinus epistola XLIX [7].

Firmamentum quousque pateat

VIII. Neque hic opponenda nobis est aeris fluxa natura quæ cum firmamenti soliditate non convenit, quod a firmitate nomen invenit. Nam neque ex Mosis narratione ista, nec aliunde, firmamenti, vel cœlestium globorum solida materies et compacta potest colligi. Quinetiam Basilius falli eos existimat, qui cœlum ex aquis ut glaciem esse concretum putant, vel specularis more lapidis. Etenim

a SEVER. orat. III. Εἴρηται γὰρ ὅτι τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ ἐκ μὴ ὄντων ἐποίησε τὰ πάντα· ταῖς δὲ ἄλλαις ἐξ ὄντων. quod orat. I docuerat.

b *Genes.* I, 20. ועוף יעופף על הארץ על פני רקיע השמים.

1 Glyc. par. 1 Ann.— 2 *Gen.* XXII, 4.— 3 Arist, I *Meteor.* cap. I.— 4 *Psal.* CXLVI.— 5 *Matth.* XVI.— 6 Cap. IV.— 7 Qu. III.

ex aqua factum quidem esse judicat; non tamen « quoniam de aquarum communium editione nativitatem creditur habuisse, ait ille interprete Eustathio, vel certe humori coagulato simile esse convenit æstimare, aut ejus alicuimodi materiæ, quæ ex diffusione liquoris sumpsit originem; qualis est lapidis natura crystallini, quem ferunt ex aquarum concretione generari; vel qualis est natura specularis lapidis; lapis est vero, qui proprie lucidam possidet perspicuitatem, et qui secundum suam naturam sincerus fuerit inventus, nec alicujus putredinis admixtione fœdatur, nec fundus ruinis aliquibus fixus est, (*Corr.* rimis aliquibus fissus est) aeri similis habetur in colore. Sed nulli eorum conferre nos fas est firmamentum. Puerilis enim revera, et insipientis est mentis, talem capere de cœlestibus opinionem[a]. »

Quinetiam in homilia prima operis ejusdem, de cœli natura et substantia nihil aliud sentiendum esse præscribit, « nisi quod Esaias dixit, qui vulgaribus verbis, quantum satis erat, naturæ illius notionem expressit, cum ita locutus est: *Qui firmavit cœlum sicut fumum;* id est, qui naturam tenuem, neque solidam, vel crassam ad cœli constituendam substantiam condidit[b]. » Atqui diversa est illius Esaiæ loci ex. Hebræo sententia, quam interpres noster reddidit: « *Cœli,* inquit, *sicut fumus liquescent;* hoc est *deficient*[c]. » Hieronymus in commentario: « Sive juxta Aquilam, et Symmachum; *Comminuentur in nihilum, et in salis modum conterentur, et evanescent;* quorum prior dixit μειωθήσονται alter ἁλιώσονται, quod a comminutione, et deliquio salis ἐτυμολογίαν trahere manifestum est. » *Etymologiam.* Mirari deinde se dicit, quod Septuaginta ita verterint: « Si enim firmitas pro robore accipitur, quomodo fumo, quod firmum est, comparatur? »

IX. Sed videntur mihi Græci illi interpretes ad eam salis, qui in Hebræo vocabulo continetur, notionem respexisse, quæ firmitatem et stabilitatem exprimit, ut *pactum salis*[1], quod æternum incorruptumque permanet. Inde illi verbum in passiva conjugatione Niphal usurparunt, quod est *saliri*, et ex consequenti *firmari*, ac *stabiliri*. Ex quo illustrior fit potentia summi rerum opificis, qui fumum, rem adeo fluxam ac tenuem et evanidam, suo verbo et imperio continuit, ac firmam perennemque fecit. Hebræi tamen aliter verbum illud interpretati sunt, ut sit *inveterari*, *consumi*, atque *comminui*. Habet enim sal abstergendi, deterendi arrodendique vim, usque adeo, ut etiam scopuli atque saxa paulatim vicini salsugine maris afflata putrescant. Firmamenti vox accurate expenditur.

Cœlum ergo *sicut fumus solidatum*, ut vertit Ambrosius[2], στερέωμα, id est *firmamentum* appellari meruit; quod et *solidamentum*, si usus haberet, dici poterat. Neque sic ab naturæ propria conditione, sed ab effectu vocatum est, quod perinde aquas separet ac si murus esset solidissimus atque firmissimus. Ita in libro *Jobi* illud accipiendum est. *Tu forsitam cum eo fabricatus es cœlos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt*[3]. Hebr. vox שחקים, quam *cœlos* reddidit Interpres, proprie *nubes* significat. Aben Hezra superiorem esse putat aerem, qui interjectus est inter cœlestes orbes, et medium illum aerem crassum et nubibus obsitum. Inde enim « appellari sic, quod sit aer tenuis, ac subtilis[d] » unde et verbum שחק *comminuere* significat. Hoc igitur cœlum forte ac solidum esse dicit Eliu, *sicut speculum fusum*, ut Hebræa verba præ se ferunt. Quæ R. Levi ita distinguere videtur, ut sint *cœli fortes*, iidemque *fusi speculi similes*, vel potius *vitri*, quod זכוכית Hebræi vocant, nimirum quod pellucidi sint, ac velut *sapphirini*. Quare

a Basil. III *Hexaem.* Καὶ οὐ δήπου, ἐπειδὴ κατὰ τὴν κοινὴν ἐκδοχὴν ἐκ τοῦ ὕδατος δοκεῖ τὴν γένεσιν ἐσχηκέναι, ἢ ὕδατι πεπηγότι ἐμφερὲς εἶναι προσήκει νομίζειν, ἤ τινι τοιαύτῃ ὕλῃ ἐκ τῆς τοῦ ὑγροῦ διηθήσεως τὴν ἀρχὴν λαμβάνουσῃ· ὁποία ἐστὶν ἥτε τοῦ κρυστάλλου λίθου, ὃν δι' ὑπερβάλλουσαν τοῦ ὕδατος πῆξιν μεταποιεῖσθαι φασιν· ἢ καὶ τοῦ σπεκλαρίου φύσις ἐν μετάλλοις συνισταμένη. λίθος δέ ἐστι διαυγὴς, ἰδιάζουσαν, καὶ καθαρωτάτην τὴν διαφάνειαν κεκτημένος, ὃς ἐὰν κατὰ τὴν ἑαυτοῦ φύσιν ἀκριβῆς εὑρεθῇ, μήτε κατεδηδεσμένος σηπεδόνι τινί, μήτε τὸ βάθος ὑπερῤῥηγμένος ταῖς διαφύσεσι μικροῦ τῷ ἀέρι τὴν διαύγειαν ἔοικε, οὐδενὶ οὖν τούτων εἰκάζομεν τὸ στερέωμα. παιδικῆς γὰρ τῷ ὄντι, καὶ ἁπλῆς διανοίας τοιαύτας ἔχειν περὶ τῶν οὐρανίων τὰς ὑπολήψεις.

b Basil. hom. I *in Hexaem.* Ἀλλὰ περὶ μὲν τῆς οὐσίας τοῦ οὐρανοῦ ἀρκούμεθα τοῖς παρὰ τοῦ Ἡσαΐου εἰρημένοις· ὃς ἐν ἰδιωτικοῖς ῥήμασιν ἱκανὴν ἡμῖν τῆς φύσεως αὐτοῦ τὴν διάνοιαν ἐνεποίησεν εἰπών· ὁ στερεώσας τὸν οὐρανὸν ὡσεὶ καπνόν· τουτέστι λεπτὴν φύσιν, καὶ οὐ στερεὰν οὐδὲ παχεῖαν εἰς τὴν οὐρανοῦ σύστασιν οὐσιώσας.

c *Esai* li, 6. כי שמים כעשן נמלחו .

d Aben Hezra in xxxvii *Job.* והשחקים הם על חעבים זנקראו כן בעבור תיותם אויר דק .

1 *Num.* xviii, 19.— 2 Lib. I *Hexaem.* cap. viii.— 3 *Job.* xxxvii, 18.

nullum istic æris notionem agnoscit, uti nec Aben Hezra, sed solum splendorem. Verum Latinus interpres respexit ad antiquum morem, quo specula fiebant ex ære fusili.

X. Usus est autem Hebræus scriptor pro eo, quod noster vertit *fabricatus es*, verbo תרקיע, quod est *extendisti*. Unde et *firmamento* nomen inditum רקיע. Sic aer lunæ orbi subjectus *firmamenti* vocabulo censetur. Est autem רקע *expandere* proprie, ut cum lamina, vel bractea tundendo dilatatur. Hinc etiam Græci verbum ἁπλῶσαι, quod est *extendere*, ad eumdem usum accommodant, ut ἀέρα ἁπλοῦσθαι id est *aerem exporrigi*, dixit Chrysostomus[1]. Interdum et στηρίζειν usurpant, quod est *firmare*, *stabilire ;* ut apud *Lucam* : *Inter nos et vos chaos magnum firmatum est* hoc est *extensum est* [a] ; ut Silius dixit :

« In medio vastum late se tendit inane : »

ut in annotationibus *in Lucam* observavit Grotius. Cujus verbi στερίζειν vim ac notionem ad Lucæ mentem reddidit Augustinus in *firmamenti* vocabulo, cum ita scribit « firmamentum non propter stationem, sed propter firmitatem, aut propter intransgressibilem terminum superiorum, et inferiorum aquarum vocatum intelligere licet[2].»

Basilius vero homilia tertia externos scriptores, ait, τὸ στερεὸν appellare id, quod est ναστὸν et πλῆρες, hoc est *condensatum*, sive *solidum*, et *plenum*, ut a corpore mathematico distinguant, in quo solæ tres dimensiones considerantur, cui oppositum *solidum*, id est στερεὸν, præter dimensiones *duritiem* habet, ut resistere possit ; id enim ἀντιτυπία significat. At vero « Scriptura consuevit illud corpus, quod est validum, et non cedit, appellare firmamentum [b], » ut Amos Propheta *Qui tonitruum firmat* [c]. Quare firmamentum a Mose nominari putat Basilius firmissimum corpus, quod aquæ sustinendæ par sit, cujus lubrica natura est, ac diffluens.

XI. Subjicit his illa Basilius, quæ paulo ante posui ; quibus eos refellit, qui propterea quod cœlum ex aquis factum est, putantillud esse compactum, et crystalli more duratum, vel specularis lapidis ; cujus meminit Galenus in libro nono *Anatomicorum*, eumque « pellucentem esse dicit, qui in tenues tabulas sectus fenestris imponitur [d] ; unde et specularia vocantur. Juvenalis,

« Qui vehitur clauso latis specularibus antro. »

Basilii tamen opinioni non pauci refragantur ex antiquis, qui firmamentum crystalli more duratum esse volunt. Ita Josephus initio libri primi *Originum* ; Severianus Gabalitanus homilia secunda, ubi firmamentum ex aquis compactum appellat πῆγμα κρυσταλλοειδὲς id est *massam glaciei et crystalli more duratam*. Idemque repetit homilia tertia ; sed indoctum et absonum nescio quid strepit ibidem de cœli figura, quam sphæræ instar globosam esse negat, deque solis motu quem ridicule prorsus enarrat,

Cæsarius item firmamentum vocat κρύσταλλον, et solidum esse corpus ex ipsa nominis notatione colligit. Ambrosius quoque velut glaciem esse dicit. Qua in opinione auctor *Recognitionum* fuit, quæ Clementis nomine vulgatæ sunt ; ex quo recentiores plerique pendent, Bedæ insuper auctoritate permoti.

At Chrysostomus homilia secunda *de Incomprehensibili* negat, exploratum esse, an cœlum sit « crystallus durata, an densa nubes, an aer corpulentior ; ex quibus certi nihil asseverare quispiam potest [e]. » Quibus similia in prima *ad Genesim* homilia disputat. Theodoretus quidem cœlos esse duos existimat : unum cum terra productum, qui οὐρανὸς simpliciter vocatur : alterum, quod στερέωμα *firmamentum* appellatum est, « quoniam ex aquarum fluida substantia constitutam est, ac natura fluida densissima, et solida facta est, ob id firmamentum vocatum est [f]. »

Origenes vero sub finem tomi primi *in Joannem*, στερέωμα dici exstimat, quod a Deo firmatum stabilitumque sit, ut non diffluat dis-

a *Lucæ* XVI, 26. Καὶ ἐπὶ πᾶσι τούτοις μεταξὺ ἡμῶν, καὶ ὑμῶν χάσμα μέγα ἐστήρικται.

b Ibid. Basil. Τῇ δὲ γραφῇ σύνηθες τὸ κραταιὸν, καὶ ἀνένδοτον στερέωμα λέγειν.

c *Amos* IV, 13. Ὁ στερεῶν βροντήν.

d GALEN. Διαλάμπειν αὐτοῦ τὴν αὐγὴν ὁμοίως τοῖς διαφανέσι τούτοις λίθοις, οὓς τέμνοντες εἰς λεπτὰ ταῖς θυρίσιν ἐντιθέασιν.

e CHRYS. tomo VI. Ἆρα κρύσταλλος πεπηγὼς ; ἆρα νέφος πεπυκνωμένον ; ἆρα ἀὴρ παχύτερος ; ἀλλ' οὐδεὶς ἂν ἔχοι σαφὲς οὐδὲν εἰπεῖν.

f THEOD. qu. XI. Ἐπειδὴ γὰρ ἐκ τῆς ῥοώδους τῶν ὑδάτων οὐσίας συνέστη, καὶ ἡ ῥυτὴ φύσις στεγανωτάτη γέγονε, καὶ στερέμνιος, προσηγορεύθη στερέωμα.

1 Hom. XIII in *Matth.* ver. 38 — 2 Lib. II *de Gen. ad lit.* cap. X.— 3 Dial. I Interrog. LXIX.

solvaturque, sicut inferiora corpora. Sic enim στερεῶσαι absolute sumptum idem est, ac *confirmare, et corroborare;* ut in *Actis*, de claudo a Petro curato : *Et protinus consolidatæ sunt bases ejus, et plantæ* [a]. Quæ notio omnino huic locò, Mosisque narrationi congruit.

CAPUT XI.

De usu, et officio firmamenti a Mose tradito, ut aquas ab aquis dirimat. Aquas superiores quidam Angelos interpretati sunt, ut Origenes eo nomine culpatus. Variæ de illis sententiæ. Videri nubes esse, aquasque pluvias, interjecto aere a mari, fluviisque disjunctas. Nec abhorrere veteres, etsi firmamenti nomine cœlum ipsum intellexerint, quatenus aquas istas pluvias, et ad refrigerandum orbem insertas esse dixerunt. Cœli varia significatio. Primis mundi diebus nubium aliquid in aere suspensum videri.

Falsa Origenis sententia exploditur.

I. Firmamento munus illud ejus assignavit opifex, ut aquas bifariam partiretur et ab invicem separaret adeo, ut alias supra se, infra se alias haberet. Atque, ut est firmamenti non una omnium in opinione ratio, ita nec aquarum, deque iis perdifficilis est controversia; quæ Origenem, et complures eum secutos in illam opinionem impulit, ut aquas a Mose non vero ac simplici sensu dictas intelligerent, sed figurate et allegorice. Hos tacito eorum nomine Basilius refellit, postquam philosophos gentiles aliter, ac sacra fert historia, redarguit : « Nobis vero, inquit, etiam contra quosdam, qui in Ecclesia censentur, suscipienda disputatio est de aquis illis separatis ; qui per speciem anagogici sensus, ac sublimiorum quorumdam nominum, ad allegorias confugerunt, asserentes, spirituales nescio quas virtutes et corporis expertes figurate in aquis adumbrari, e quibus præstantiores aiunt in loco superiore constitisse supra firmamentum; infra autem, in terræ crimis ac materialibus locis deteriores subsedisse [b]. » Et illas aquas esse dicit, quæ laudare jubentur Dominum in Scripturis. Gregorius tamen Nyssenus Basilii frater, libro *in Hexaemer* [1]. huic assentitur opinioni, quæ aquas illas, quibus incubuisse fertur Spiritus Domini, et quæ interposito firmamento divisæ ab aquis inferioribus, quæ abyssi nomine censentur, supra illud constiterunt, cœlestes intelligibilesque putat esse virtutes. Ubi tamen partem sententiæ illius alteram repudiare se dicit, quæ inferiores aquas abyssi potestates illas rebelles, ac desertrices interpretatur, tanquam mali aliquid a Deo procreatum fuerit.

II. Quam Origenis interpretationem fuisse testis est Epiphanius in epistola *ad Joannem Episcopum Hierosolymitanum*; ubi sic enarrante scribit Hieronymo : « Illas vero præstigias quis non statim adjiciat, atque contemnat, dicente Origene de aquis, quæ super firmamentum sunt, non esse aquas, sed fortitudines quasdam angelicæ potestatis, et rursum aquas, quæ super terram sunt, hoc est sub firmamento, esse virtutes contrarias, id est dæmones? »

Augustinus opinionis illius meminit [2], « quæ aquam supra firmamentum Angelos intelligit; infra vero, vel aquas istas visibiles, vel malorum angelorum multitudinem, vel omnium hominum gentes. » Nec aliud ex illa sententia, quam argumentum, cui innituntur, refellit; « quod videlicet non putant aquarum fluidam, gravemque naturam, in superioribus mundi locis potuisse constitui. » Hoc autem esse falsum ex humani corporis fabricatione probat, in quo superiorem partem obtinet pituita, quæ aquæ respondet. Idem etiam alibi [3] aquas istas supercœlestes, Angelos interpretatur. Sed allegorica est, minimeque propria Scripturæ ista sententia; quemadmodum et illa ejusdem, dum aquas [4], quibus initio Spiritus Dei incubuisse dicitur, « spiritualem vitam intelligit ante conversionis formam quasi fluitantem. » Cui et Joannes quidam Furnes subscribit in homilia *de Spiritu sancto*; ubi aquas illas, quibus superferebatur Spiritus sanctus, stultum ac puerile esse dicit arbitrari veras aquas, ut suo loco meminimus.

Sed certum esse debet, quod et Augustino videtur, aquas illic proprie dictas exprimi,

a Act. III, 7. Παραχρῆμα δὲ ἐστερεώθησαν αὐτοῦ αἱ βάσεις, καὶ τὰ σφυρά.

b Basil. hom. III *in Hexaem.* Ἡμῖν δὲ καὶ πρὸς τοὺς ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας ἐστί τις λόγος περὶ τῶν διακριθέντων ὑδάτων· οἱ προφάσει ἀναγωγῆς, καὶ ὀνομάτων ὑψηλοτέρων, εἰς ἀλληγορίας κατέφυγον, δυνάμεις λέγοντες πνευματικὰς, καὶ ἀσωμάτους τροπικῶς ἐκ τῶν ὑδάτων σημαινέσθαι· καὶ ἄνω μὲν ἐπὶ τοῦ στερεώματος μεμενηκέναι τὰς κρείττονας, κάτω δὲ τοῖς περιγείοις, καὶ ὑλικοῖς τόποις προσαπομεῖναι τὰς πονηράς.

1 Tom. I.— 2 Lib. XI *de Civit.* cap. XXXIV.— 3 Lib. XIII *Conf.* cap. XV.— 4 Lib. I *de Gen. ad lit.* cap. V.

quæ supra firmamentum sitæ dicuntur: « Quoquo enim modo, ait ille, et qualeslibet aquæ ibi sint, esse eas ibi minime dubitemus. Major est quippe Scripturæ hujus auctoritas, quam omnis humani ingenii capacitas[1]. »

Tres de aquarum supercœlestium sententiæ.

III. Verum cujusmodi aquæ illæ sint non satis inter omnes convenit; suntque trifariam diversæ sententiæ. Nam alii aquas in sublimi et supra firmamentum cœlumque collocatas esse censent, cujusmodi sunt illæ nostræ quas terra sustinet; tametsi longe puriores ac sinceriores cœlestes istas statuant. Alii aquarum vocabulo non fluxum liquidumque humorem intelligunt, sed glaciali soliditate concretum, quod ex libro *Recognitionum* supposititii Clementis, Beda sequitur; de quo antecedenti capite est actum. Alii denique aquas supra firmamentum sitas vapores esse putant, ac nubes tenui liquore distentas. Quæ postrema cæteris anteponenda visa mihi est opinio, cum ea firmamenti notione, quam in eodem illo antecedenti capite probavimus. Imprimis ergo supra cœlestia illa corpora veras, et quas vocant elementares, aquas esse nullas, verisimile arbitror; eaque me movet ratio, quod naturalis aquarum situs iste non sit, ut supra cœleste corpus, aut supra aerem etiam, præsertim tenuiorem ac sublimiorem consistat, qualis ille est cœlo vicinior atque a terra remotior. Itaque vis ibi perpetua naturæ fiet aqueæ, quandiu alieno in loco suspensa retinebitur, cum suopte nutu deorsum, et in præceps nitatur, ut, si quid obstet, idipsum philosophi violentum nominent. Nec me illud latet, posse divinitus effici, ut in suprema mundi parte quamlibet fluxus humor et volubilis sese contineat, neque per subjecta, liquida etiam et ipsa, penetrabiliaque corpora diffluat. Sed quia contra naturam est aquarum coerceri eas illic, et ab nativo loco cohiberi, non est probabile, summum illum, nec suavem minus, quam potentem opificem, in ipso rerum, ac naturæ totius exortu, cum maxime suum cuique modum ordinem, ac rationem præscriberet, quam servari in posterum vellet, *quando*, ut ait Scriptura[2], *certa lege, et gyro vallabat abyssos, quando æthera firmabat sursum, et librabat fontes aquarum, quando circumdabat mari terminum suum, et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos*, non est, inquam, consentaneum, ab eo tunc illum cœpisse, quod extraordinarium violentumque sit, idque ipsum constans ac perpetuum esse jussisse.

IV. Ac prudenter animadvertit Augustinus[3], sententiam illam, quæ aquas supra firmamentum esse negat, non ex Dei omnipotentia refelli oportere. « Nunc enim, quemadmodum Deus instituerit naturas rerum, secundum Scripturas ejus nos convenit quærere, non quid in eis, vel ex eis ad miraculum potentiæ suæ velit operari. » Cum igitur et aquas supra cœlum proprie ita dictum nullas esse, ratio ipsa rerumque natura persuadeat; et supra firmamentum aquas esse, eoque interjecto superiores alias esse, alias inferiores, Mosis historia testetur; consequens est, non idem esse cum cœlo firmamentum, uti et nos capite antecedenti demonstravimus. Ibi enim firmamenti nomine totum illud spatium, quod inane vocant, et quod a terra quaquaversus ad extremum usque cœlum pertinet, intelligi oportere diximus. Hoc enim vulgaris usui sermonis aptissimum est, qui totum hoc omne, quod oculo consequi possumus, et densis opacisque corporibus vacuum est, cœlum nominat. Quo posito, superiores aquas dici nubes arbitror et vapores, e quibus pluvia gignitur; inferiores, maria, lacus et flumina. Inter has ambas aer interpositus est.

Quocirca, cum, ut ante dictum est, principio rerum omnium ingens illud spatium aquæ totum occuparent, Deus firmamentum die secundo molitus est, hoc est corpus illud, aquis, cujusmodi proprie modo vocantur, tenuius ac subtilius, cui vim indidit aquarum dirimendarum, non ut totum ipsum medium inter ambas intercederet, sed aliqua parte sui, nimirum inferiore terrisque vicina. Sane Mosem vulgi maxime captui, usuique servisse*, non ad exactam philosophiæ normam dicta sua temperasse, præter ea, quæ dixi supra, illud insuper ostendit, quod in die quarto luminaria duo magna, solem ac lunam creasse Deum refert, cum siderum tamen omnium luna sit minima; sed, quod vulgus ita judicat, qui oculis, ac sensibus omnia metiri solet, ideo sic Moses loqui non dubitavit.

* Egregia est hæc observatio, atque ex qua intelligere licet in singulis voculis non esse aucupanda quædam mysteria physica, quæ vulgo sunt ignota, nec quidquam ad veram virtutem faciunt, quamvis vera esse statuerentur. TH. AL.

1 Aug, II *de Gen. ad lit.* cap. IV.— 2 *Prov.* VIII, 27.— 3 Lib. II *de Gen. ad lit.* cap. I.

Ad quem usum veteres plerique veras aquas supra cœlestes orbes collocent.

V. Adversus hanc sententiam, quam latius a Pererio nostro diductam explicatamque legere poteris, multa passim opponi videas, sed veterum præ cæteris auctoritatem Patrum atque consensum, qui veras, uti dictum est, aquas supra cœlestes orbes esse sentiunt. Verum operæ pretium est scire, quatenus, et quem in usum aquas ibi collocent. Hinc enim constabit, illos nostræ potius, quam adversariorum suffragari sententiæ. Igitur plerique omnes antiqui tales ibi aquas constituunt, quæ et ad temperandum cœli, maximeque solis ardorem idoneæ sint, et jugem imbribus materiem sufficiant. Basilius homilia tertia, ætherem ipsum, quod est cœlum, igneum esse putat; et fervore suo urendi vim habere. Ac philosophos irridet, qui utrumque negant esse calidum [a]. Philo item Judæus in libro *de Cherubim*, Solem vocat φλογὸς πίλημα πολλῆς, *flammæ compactum globum*. Hinc aquarum amplissima illa copia divina providentia comparata est, inquit, tum supra terram per fluvios, lacus ac maria collecta, tum in nubibus, ac medio aere suspensa, ne immodico cœlestium orbium, ac siderum calore tosta, exhaustaque infima mundi regio, amisso vitali succo, resoluta in cineres fatisceret. Ambrosius vero Basilium, ut solet, exprimens, clarius, quam ille, humorem istum ad refrigerandos cœli, ac solis æstus, non per humum tantum, et aera diffusum esse dicit, sed cœlestibus ipsis infusum corporibus. « Deinde, cum ipsi dicant, inquit [1], volvi orbem cœli stellis ardentibus refulgentem, nonne divina providentia necessario prospexit, ut intra orbem cœli, et supra orbem redundaret aqua, quæ illa ferventis axis incendia temperaret? » Addit ad hujus rei fidem argumentum ex sole, quod ex Basilio mutuatus est: « Unde frequenter, ait, et solem videmus madidum, atque rorantem. In quo evidens dat indicium, quod alimentum sibi aquarum ad temperiem sui sumpserit [b]. »

VI. Epiphanius quoque in epistola *ad Joannem Hierosolymitanum*, quam Latinam e Græca fecit Hieronymus, Originem arguit, qui veras supra cœlum aquas esse negaverit. « Et quomodo legimus, inquit, in diluvio apertas cataractas cœli, et aquas inundasse diluvii? Unde aperti sunt fontes abyssi, et totus mundus opertus est aquis? »

Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi* nona idem perhibet, et cœlum ex aqua constare, et ignea corpora solem, lunam, ac stellas in aquis moveri: « Laudandum itaque Deum esse dicit, qui ex aquarum fluida natura, stabilem, et immotam cœli substantiam finxit. Dixit enim Deus: *fiat firmamentum in medio aquæ*. Dixit enim semel Deus; et stetit, nec decidit aqua. Cœlum, et ignei in ipso, sol et luna, quomodo per aquam currunt? Quod si quis propter contrarias naturas ignis, et aquæ dubitat; meminerit ignis, qui sub Mose ardebat in grandine, ac Dei sapientissimum videat opificium. Nam, quia opus erat aquis, eo quod colenda erat humus, aquosum in sublimi cœlum condidit, ut, cum aquarum irrigatio terris necessaria foret, paratum sit ad hoc cœlum [c]. » Hic Cyrillus cœlum non modo ex aqua ceu materia factum esse censet, sed aquam esse; unde et pluvia subministratur.

Sic Theodoretus veras supra cœlum, quod firmamentum dicitur, aquas esse vult, et infra hoc alias, « ut et quæ supra positæ sunt, humiditate, ac frigiditate luminarium ardorem prohibeant, ne firmamentum lædat; et inferiores nutriant vaporibus suis exustum aerem, et exsiccatum ab igne superiore [d]. » Nec abhorret a Theodoreto Procopius.

VII. Severianus vero Gabalitanus episcopus idipsum majore copia, et perspicuitate tra-

a Basil. Τὸν δὲ αἰθέρα τις ἀμφιβάλλει μὴ οὐχὶ πυρώδη εἶναι, καὶ διακαῆ;

b Ὅπου γε καὶ τὸν ἥλιον τοῦτον ὁρῶμεν ἐν ὥρᾳ θέρους διάβροχον πολλάκις, etc.

c Cyril. *Cat.* ix. Τὸν ἐκ ῥευστῆς φύσεως τῶν ὑδάτων ἄπτωτον ὑπόστασιν οὐρανοῦ ποιήσαντα· εἶπε γὰρ ὁ θεός· γενηθήτω τὸ στερέωμα ἐν μέσῳ τοῦ ὕδατος· εἶπε γὰρ ὁ θεὸς ἅπαξ, καὶ ἔστη, καὶ οὐ πίπτει ὕδωρ. οὐρανὸς, καὶ πύρινοι οἱ ἐν αὐτῷ ἥλιος, καὶ σελήνη, καὶ τὰ ἄστρα. καὶ πῶς τὰ πύρινα ἐν ὕδατι τρέχει; εἰ δέ τις διὰ τὰς ἐναντίας φύσεις πυρὸς, καὶ ὕδατος ἀμφιβάλλει, μνημονευέτω τοῦ πυρὸς τοῦ ἐπὶ Μωσέως φλογίζοντος ἐν τῇ χαλάζῃ, καὶ βλεπέτω τοῦ θεοῦ τὴν πάνσοφον δημιουργίαν. ἐπειδὴ γὰρ ἦν ὑδάτων χρεία, μελλούσης τῆς γῆς γεηπονεῖσθαι, ὑδατώδη κατεσκεύασεν ὑπεράνω τὸν οὐρανόν· ἵνα ὅταν δι' ὑετῶν ἀρδείας γένηται χρεία τῷ τῆς γῆς χωρίῳ ἕτοιμος ᾖ πρὸς τοῦτο ὁ οὐρανός.

d Theod. quæst. xi *in Gen.* Διχῇ δὲ διεῖλε τῶν ὑδάτων τὴν φύσιν ὁ τῶν ὅλων θεὸς. καὶ τὰ μὲν ἄνωθεν ἐπιτέθεικε τῷ στερεώματι· τὰ δὲ κάτω καταλέλοιπεν. ἵνα τὰ μὲν ἄνωθεν ἐπικείμενα τῇ τε ὑγρότητι, καὶ ψυχρότητι μὴ συγχωρῇ τῷ πυρὶ τῶν φωστήρων λωβᾶσθαι τὸ στερέωμα· τὰ δὲ κάτω μεμενηκότα διαστρέφῃ τοῖς ἀτμοῖς τὸν ἀέρα διαναινόμενον, καὶ ξηραινόμενον ὑπὸ τοῦ ἄνωθεν ἐπικειμένου πύρος. Vide eumd. *in Psal.* cxlviii

1 Amb. ii *Hexaem.* cap. iii.

didit. Cum enim firmamentum ex eo nominatum dixisset, « quod ex raris, ac diffluentibus aquis firmatum compactumque sit [a], » crystalli in modum; subjicit aquas bifariam fuisse divisas, ac dimidium earum supra cœlum collocasse Deum. « Nam quia solis flammam excepturum erat, et lunam, et astrorum infinitam multitudinem, ac totum igne compleri, ne calore dissolveretur, aut exureretur, cœli terga constravit aquarum pelago illo, uti pinguiora faciat, et inungat illius terga, quæ hoc modo flammæ resistant, neque torreantur [b]. » Quod lebetis similitudine declarat, qui ad ignem admotus, quandiu aqua in eo continetur, illi resistit, aqua vero exhausta, dissolvitur. Addit insuper, ex illa aquarum immensitate cœlum fœnerare terræ. « Hinc enim rores exsistere; cum neque nubes sit usquam, nec aer aquam habeat. Ex qno perspicuum esse putat, solem ex eo, quod redundat, stillare [c]. »

Idem et auctor quæstionum *ad Orthodoxos* affirmat inter Justini opera, ubi, præter illam causam, quam Severianus affert, refrigerandorum, et quasi inungendorum contra ignis ardorem corporum cœlestium, tum etiam inferorum, velut aeris, ut frigoris et caloris admistione temperetur, alteram adjungit, ut aquarum gravitate depressa eadem illa corpora consistant, neque perflatu ventorum et impetu quatiantur.

Ad hæc Junilius Africanus supra cœlum stelliferum esse aquas, et ex iis firmamentum esse factum existimat.

Denique Marius Victor in libro primo elegantibus senariis totum hunc locum ita descripsit :

« Rursus mane novum, primo jam vespere [pulso,
Reddita lux fecit, cum se firmissima moles
Fluctibus e mediis concreto corpore cedens
Extulit, ac late duro solidata rigore,
Divisas suspendit aquas, gelidumque profun- [dum
Axibus objecit calidis. »

Ac subinde usitatam illam veterum rationem repudiat de pabulo siderum.

« Forsitan hic aliquis sic secum errore pe- [rito
Disserat, ætheriis ne desint pabula flammis;
Et nimius calor ima petens, alimenta se- [quendo,
Exurat mortale genus, cœlumque coruscum
Non possint terrena pati, subjecta deorsum [est
Machina firma poli; quæ, dum nos protegit [umbra,
Interea super impositis frigescit ab undis.
Numinis at vero divini quærere causas
Mens fuge nostra procul. Plus sit tibi credere [semper,
Posse Deum quidquid fieri non posse putatur. »

VIII. Quocirca, cum veteres illi ejusmodi supra cœlum esse aquas existiment, e quibus rores constant ac pluviæ, nobiscum utique faciunt. Nam, quod easdem supra cœlum sitas, aut iisdem insertas, immistasque putant, id non minus, quam nos, repudiant, qui a nobis dissentiunt. Certe neminem dubito fore, quin minus id esse probabile, minusque communi illi notioni, quam ex scientia naturalium rerum hausimus, consentaneum judicet, quod antiqui illi prodiderunt, quam quod habet opinio altera. Siquidem illi ortui, et interitui subjectum elementum æternis immortalibusque corporibus immiscent, quod sine perenni miraculo fieri non potest. At isti sententiæ de sola nominis significatione controversia fieri potest, quod firmamenti, ac cœli appellatione totum illud amplectitur, quod a terra sursum versus in immensum porrigitur. Quæ quidem acceptio vocabuli tum in Scripturis frequens, tum usu populi, ac consuetudine detrita, et ad Mosis institutum aptissima videtur. De quo illud est præterea notandum, cum firmamentum, ut dixi, aerem, et æthera, cœlumque significet, interdum horum singula, interdum ambo con-

a Sever. tom. VII. Chrys. hom. II *de Cosm.* Διὰ τί δὲ αὐτὸ καλεῖ στερέωμα; ἐπειδὴ ἀπὸ ἀραιῶν ὑδάτων, καὶ διαλελυμένων αὐτὸ ἐστερέωσε.

b Ibid. Κρυσταλλώδης γὰρ ἦν ὁ οὐρανὸς, ἀπὸ ὑδάτων παγείς. ἐπειδὴ γὰρ ἔμελλε δέχεσθαι ἡλίου φλόγα, καὶ σελήνης, καὶ ἄστρων ἄπειρα πλήθη, καὶ εἶναι ὅλος πυρὸς πεπληρωμένος, ἵνα μὴ ὑπὸ τῆς θερμότητος λυθῇ, ἢ φλεχθῇ, ἐπέστρωσε τοῖς νώτοις τοῦ οὐρανοῦ τὰ πελάγη ἐκεῖνα τῶν ὑδάτων, ἵνα λιπαίνῃ, καὶ ἐπαλείφῃ αὐτοῦ τὰ νῶτα, καὶ οὕτως ἀντέχῃ πρὸς τὴν φλόγα, καὶ μὴ φρύγηται.

c Ibid. Ἐπεὶ πόθεν ἡ δρόσος; νεφέλη οὐδαμοῦ· ἀὴρ ὕδωρ οὐκ ἔχει. ἦ δῆλον ὅτι ὁ οὐρανὸς ἐκ τῶν περισσευόντων αὐτῷ ἀποστάζει;

1 Resp. ad qu. XCIII.

junctim exprimere. Pro aere, et infima sui parte nominatim sumitur in primo capite *Genesis*, in Hebræo textu, qui sic habet: *Et volatile volet super terram, super expansum cæli* [a]. Ubi interpres noster reddidit, *Sub firmamento cæli.* Quæ lectio uno sensu vera est, si firmamentum pro cœlo proprie dicto, vel superiori ipsius parte, et a terris remotiore capiatur, quam vocant æthera. At Hebraica verba *super* significant, על פני *super faciem*; ut in commate secundo; *Spiritus Dei ferebatur super aquas*, Hebraice, *super faciem aquarum* [b]. Quemadmodum ergo supra aquas, extimamque harum superficiem Dei Spiritus agitabat se; sic volucres supra *expansum* illud, aut *firmamentum*, volitare sunt jussæ, non utique supra cœlestia corpora, sed supra aerem, quod cœlum, ut et firmamentum appellari diximus.

IX. Vel hinc itaque colligi potest, firmamentum non tantum pro cœlo, quod proprie ita nominatur, accipi, sed etiam pro aere citimo terris, ut et nomen שמים, quod *cœlum* dicitur. Nam aeris proprium est nullum, ut recte observat Eugubinus; quanquam רוח, hoc est *spiritum*, aerem a Mose vocari quidam asserunt, quod minime probamus. Est autem in voce שמים aquæ non dubia significatio, ut vel origo ipsa designetur; quoniam ex aqua, præter terram, reliqua sunt facta, vel cœlestes ipsæ aquæ nubesque monstrentur, si nomen illud secundum totum ambitum sumatur, ut etiam comprehendat aerem in quo istæ sunt aquæ.

Auctor *Vitæ Pythagoræ* apud Photium οὐρανὸν, quod est *cœlum*, trifariam accipi docet, « primum pro sphæra non errante; secundo pro eo spatio, quod ab hac sphæra ad lunam usque porrigitur; tertio pro mundo universo, ut cœlum una cum terra comprehendat [c]. » Quid mirum est igitur, eamdem apud Hebræos, et in sacris libris appellationem esse, non terræ cum cœlo, sed aeri, quocum illud tenuitate ac perspicuitate convenit?

Huic de firmamento sententiæ nostræ adversari fortassis hoc putabitur, quod per illud tempus, quo aquas ab aquis illius interventu diremptas esse Scriptura prodidit, nullæ adhuc erant nubes pluviæque nullæ, quas superiores interpretamur aquas. Verum probabile est, primis illis diebus, ex immensa illa copia vaporum, Deum in aeris media regione partem eorum aliquam reservasse, velut ad specimen et usurpationem officii. Quo pertinere potest comma sextum capitis secundi *Genesis*; de quo mox dicetur.

Præterea licet et hoc modo respondere: non videri necesse, ut, cum primum firmamento vis illa est indita separandarum aquarum, eam statim exercuerit; sed satis id fuisse, uti suo tempore reipsa, et, ut loquuntur, *actu* hoc præstiterit, cujus tum potestatem accepit. Sæpe autem in Scripturis enallage ista temporis locum habet, ut id in præsenti fieri dicatur, quod postea futurum est. Sic apud Danielem [1], *Phares*, id est, *divisum est regnum tuum, et datum Medis et Persis*, quod tamen nondum erat factum; et similia quamplurima.

CAPUT XII.

De forma, et natura cœlestium orbium. ac primum de figura; quam esse sphæricam negant veteres aliqui, contra rerum fidem, et experientiam. Agitur deinde de hoc, utrum cœli, ac stellæ animas habeant. Origenis de eo affirmans sententia, et aliorum paucorum, quæ Catholicorum Patrum testimoniis refutatur. Alii ab ejus suspicione purgantur. Dubitasse aliquando de ea S. Augustinum. Videri damnatam, et erroneam; multo vero magis alteram, quæ res omnes animatas esse defendit. An in fine mundi cœli corrumpendi sint. Affirmatur ex communi veterum opinione, sed ita, ut in melius instaurentur.

I. Poterat in immensum dilatari quæstio ista, quæ de natura formaque cœlorum instituitur. Sed alterius ea tractationis est, et astrologorum, philosophorumque propria, si cum ejus amplitudine disputationem hanc exæquare volumus. Quod minime faciemus; et eo contenti erimus, ut, quid a Patribus de

a Genes. I, 20. ועוף יעופף על הארץ על פני רקיע השמים.

b Ibid. vers. 2. על פני מים.

c Phot. cod. CCXLIX. Ὅτι ὁ οὐρανὸς τριχῶς λέγεται· ἓν μὲν, αὕτη ἡ ἀπλανὴς σφαῖρα· δεύτερον, τὸ ἀπὸ τῆς ἀπλανοῦς σφαίρας μέχρι τῆς σελήνης διάστημα· τρίτον, ὁ σύμπας κόσμος, ὁ οὐρανός φημι, καὶ ἡ γῆ ἅμα.

1 *Dan.* v, 28.

ea re proditum sit, compendio persequamur.

De cœli forma bifariam inquiri potest. Nam aut figura quæ sit illius quæritur, hoc est rotunda sit, an alterius modi; aut de ea dubitatur, quæ proprie formæ nomen retinet, quod εἶδος Græci nominant, cujusmodi materiam afficit, naturamque cum ea componit corporum. De hac præcipue propositum hic est dicere. Nam de priori pauca admodum habemus. Res enim usu magis est oculorum, et experientia, quam argumentationibus probanda, rotunditas immensi illius corporis, sive sphærica figura. Quam quidem certissimis rationibus demonstrat Aristoteles in libro secundo *de Cœlo*, capite quarto, et Ptolemæus [1], Cleomedes, aliique philosophi, vel astronomi.

Complures tamen antiquorum Patrum, quibus humanæ inventa sapientiæ et philosophorum placita suspecta erant, hac illis in re contradixerunt, rati aliter se divinis ex libris compertum habere; ac fornicis potius, aut hemisphærii figura constare cœlum, quam globosa, et perfecta rotunditate.

Complures Antiquorum Patrum cœlum sphæricum esse negant.

II. Omnium horum accuratissime hanc opinionem Severianus exposuit Gabalitanus Episcopus, Joannis Chrysostomi æqualis, et æmulus, in oratione tertia *de mundi opificio*: « Fecit, inquit ille, cœlum, non instar sphæræ, ut inepti homines philosophando disputant; sed ut Propheta loquitur [2]: *Qui statuit cœlum tanquam fornicem, et extendit ipsum, velut tabernaculum* [a]. » Locum illum Prophetæ, qui est Esaias, aliter ex Hebræo reddit in *Commentariis* Hieronymus, nempe *tenuissimum pulverem*. Nam רק *minutum* quiddam, ac *tenue* significat; Græci porro καμάραν vertunt. De quo sic idem adnotavit Hieronymus: « Rursus et in hoc loco, qui ἡμικύκλιον terris imminere cœlum, et in similitudinem sphæræ cœlum esse contendunt, abutuntur nomine fornicis, quod scilicet media pars sphæræ terras operiat, cum in Hebræo non *fornicem*, sed רק. id est *tenuissimum pulverem* legerimus. » Hic locus memorabilis est. Nam ex eo discimus,

Dimidiatum circulum.

quid Septuaginta sibi voluerint, cum cœlum velut καμάραν, id est *fornicem*, aut ἡμισφαίριον extentum a Deo dixerunt. Nimirum non hoc de toto ipso cœli corpore, sed de parte ejus intellexerunt, quæ finitore circulo terminatur, At veteres illi, qui globum non esse probabant ex Esaiæ verbis istis, de toto cœlo interpretati sunt. Itaque hoc ipso testimonio fretus Severianus, de motu solis contra communem opinionem, ac sensum ridicule disputat. Hunc enim negat circumire terras, et in orbem conversionem suam facere; sed circum finitorem circulum septentriones versus iter suum inflectere, et ita ad ortum ab occasu tendere, aquis illum noctu muri instar occultantibus. Quod ex Ecclesiaste Salomonis approbat: *Sol occidit, et in locum suum revertitur, ibique renascens gyrat per meridiem, et flectitur ad aquilonem.* Sed perspicuum est aliter hæc verba significare, ac de obliquo et annuo motu solis accipi, quo ad utrumque cardinem propius accedens, nihilominus in orbem circumfertur.

Dimidiu sphæra

III. Chrysostomus vero ex eo, quod Apostolus cœlum nominat tabernaculum his verbis, *Sanctorum minister, et tabernaculi veri, quod fixit Dominus, et non homo*, vehementius in eos invehitur, qui et cœlum circumagi, et sphæricæ esse figuræ sentiunt. « Ubi sunt igitur, inquit, qui cœlum moveri asserunt? Ubi sunt, qui sphæricæ figuræ illum esse defendunt? Utrumque enim hoc loco refellitur [b]. »

Chrysostomum secutus Procopius in commentariis *ad Genesim* tum ex illo Psalmi, tum ex hoc « eodem Apostoli testimonio, nonnullos, imo vero complures permotos refert, ut dimidiatæ sphæræ figuram cœlo tribuerent, cum alii sphæram integram esse voluerint [c].» Mox allatis Apostoli verbis, « Ubi ergo sunt, inquit, qui cœlum agitari, eumque sphæræ instar esse globosum asserunt? Nam utrumque ex iis, quæ dicta sunt, evertitur [d], » subjicit eadem, quibus et Severianus est usus, argumenta: quod principium et finem habet

a Sever. Ἐποίησε τὸν οὐρανὸν, οὐχ' ὡς σφαῖραν, ὡς φιλοσοφοῦσιν οἱ ματαιολόγοι· ἀλλ' ὡς φησὶν ὁ Προφήτης ὁ στήσας τὸν οὐρανὸν ὡς καμάραν, καὶ διατείνας αὐτὸν, ὡς σκηνήν.

b Chrys. hom. xiv in epist. *ad Hebr.* Ποῦ τοίνυν εἰσὶν οἱ λέγοντες κινεῖσθαι τὸν οὐρανόν; ποῦ εἰσιν οἱ σφαιροειδῆ αὐτὸν εἶναι ἀποφαινόμενοι; ἀμφότερα γὰρ ταῦτα ἀνῄρηται ἐνταῦθα.

c Procop. Ἐκ τούτου δὲ τοῦ ῥητοῦ τινὲς, μᾶλλον δὲ οἱ πλείους ἡμισφαίριον εἶναι τὸν οὐρανὸν ἀπεφήναντο, ἄλλων αὐτὸν σφαῖραν ὑποθεμένων.

d Ibid. Ποῦ τοίνυν οἱ λέγοντες δονεῖσθαι τὸν οὐρανὸν, καὶ σφαιροειδῆ τοῦτον ἀποφαινόμενοι; τούτων γὰρ ἑκάτερον ἐν τοῖς εἰρημένοις ἀνῄρηται.

1 Lib. I mag. constr. cap. III.— 2 Lib. I *Meteor.*— 3 *Isa.* XL, 22 secun. LXX.— 4 *Eccl.* I, 5.— 5 *Heb.* VIII, 3.

cœlum, ut cum Propheta dicit. *A summo cœlo egressio ejus* [1]. At sphæra nullam habet extremitatem; et hujusmodi alia quæ sunt levissima.

Diodorus item Tarsensis (quem et Theodorum exemplaria quædam Photii nominant [2], sed Diodorum potius arbitror) in libro tertio ex octo, quos *contra Fatum* scripserat, eos refellit, qui sphæricum dixere esse cœlum; tanquam ex ea figura factum consequi necesse sit; quod merito Photius arguit. Joannes vero Damascenus utramque proponit sententiam, tam quæ perfectum, integrumque cœli globum, quam quæ dimidiatum tantummodo constituit, et hanc Severiani argumentis ac propemodum verbis explicat, nec in alterutram pronuntiat partem. Auctor insuper *Quæstionum, et responsionum ad orthodoxos* inter opera Justini, quæstione XCIV hanc appellat fabulam, sphæram esse cœlum.

IV. At Lactantius libro tertio, capite XXIII illos vehementius incessit, qui et « contrarios vestigiis nostris Antipodas putant, et rotundum esse mundum sicut pilam; quam cœli rotunditatem illud sequeretur, ut terra in medio sinu ejus esset inclusa. » Hoc qui sentiunt, « constanter ait in stultitia perseverare, et vanis vana defendere, » tum « interdum joci causa philosophari, aut prudentes, et scios mendacia defendenda suscipere, quasi ut ingenia sua in malis rebus exerceant, vel ostentent. At ego multis argumentis, ait, probare possum, nullo modo fieri posse, ut cœlum terra sit inferius. »

Augustinus vero tum Antipodas præcise esse negat in libro XVI *de Civitate*, capite IX sed argumentum aliunde ducit, quam ex cœli, vel terræ figura; tum in secundo *de Genesi ad litteram* quæstionem movet, « quæ forma, et figura cœli credenda sit secundum Scripturas nostras. » Ac respondet, nihil in utramvis partem asseverando prodidisse scriptores sacros. Quod autem et David *cœlum sicut pellem extentum* esse cecinit [3], et alibi *velut camera saspensum* dicitur [4]; nihil hoc obesse ait iis qui rotundum esse velint. Nam quod ad cameræ similitudinem attinet, potest ea accipi « secundum eam partem, ex qua parte cœlum terram contegit. Si autem sphæra est; undique camera est. » Quod idem et de pelle sentiendum est; quod ibi non dissolvit. Nam pellis illic intelligenda est non in planum, ac directum expansa, sed camerata devexitate instar fornicis ut in tentoriis solet fieri; de quo legendus inter alios Joannes Philoponus in libro tertio *De mundi opificio*, in quo Theodorum Mopsuestenum, qui cœli figuram esse sphæricam, et in orbem moveri, itidem negabat, ut illi, quos supra commemoravi, pluribus refellit, et eorum argumenta dissolvit. Neque vero necesse hic est, in asseveranda cœli, ac mundi totius rotunda sphæræ in modum figura, longiorem moram facere. Hoc enim ad philosophos, et astronomos pertinet, quorum exstant de ea quæstione plenæ, accuratæque disputationes, quas apud illos legere quisque potest.

V. Illud inquirendum potius, quod et secundo posui, et ad cœlestium naturam corporum propius pertinet, cujusmodi forma sit illorum, ex qua et materia constare corpora ista dicuntur; utrum anima sit, an inanimum quiddam. Pervetus hæc opinio fuit, a Platone ejusque schola maxime celebrata, tum cœlum ipsum, et quæ in cœlo volvuntur sidera, solem, lunam, ac stellas, tum universitatem hanc omnem, cui mundi nomen inditum est, suas ac proprias habere animas, velut formas materiæ ac corporibus infusas. Tradidit hoc in *Timæo* Plato, et in *Epinomide*, aliisque locis; et ab Alcinoo capite XIV inter dogmata Platonis adscribitur. Aristotelem quoque in eadem fuisse sententia, Peripateticorum pars major agnoscit, ut Alexander, Joannes Philoponus, sanc. Thomas in *secundo contra Gentes*, capite LXX et Bessario, qui et idem Theophrastum sensisse probat ex ejus libro *de Cœlo*, et his illius verbis : « Nam si divinum est, et optime degit, animatum est. Nihil enim præclarum esse sine anima potest. » Idipsum in secundo *de Natura Deorum* tuetur Cicero, et aliis locis significat. Visum hoc etiam est Philoni inter Platonicos non minus, quam Judæos longe nobilissimo; qui de sideribus sic in libro *de Opificio* scripsit : « Hæc enim animalia esse dicuntur, et quidem intelligentia prædita; vel unumquodque potius mens est ipsum, totum ex toto probum, et mali omnis expers [a]. » Et in eodem libro

Utrum inanima sint corpora cœlestia.

a Philo. Οὗτοι γὰρ ζῶά τε εἶναι λέγονται, καὶ ζῶα νοερά· μᾶλλον δὲ νοῦς αὐτὸς ἕκαστος, ὅλος δι' ὅλου σπουδαῖος, καὶ παντὸς ἀνεπίδεκτος κακοῦ.

1 *Ps.* XVIII.— 2 Phot. cod. 223.— 3 *Ps.* CIII.— 4 *Esa.* XL.— 5 Cap. X et seq.— 6 Lib. II *cont. Calum. Plat.* cap. VII.

postea, « rationales divinas naturas alias esse dicit incorporeas, et intelligibiles ; alias corporibus affixas, cujusmodi contigit esse sidera [a]. »

R. Moses filius Maiemonis, quocum nemo post Mosem legislatorem comparandus est Hebræorum judicio, non solum Aristotelis illam fuisse opinionem existimat, sed etiam esse certissimam ac legi maxime consentaneam, et id in quarto, et quinto capite demonstrat partis secundæ libri, qui *More Nebochim* inscribitur.

Origenis aliorumque sententia a Patribus refutata.

VI. Hanc eamdem porro ex Academia, et profana philosophia sumptam Christianis auribus importavit Origenes, ac ridiculis et anilibus commentis studiosorum sui infecit animos ; quæ et in primo libro *de Principiis*, capite septimo latius exposita leguntur, et in commentariis *ad Joannis Evangelium* obiter inserta, ubi pro astris ipsis suspicatur passum esse Christum. Quinetiam in quarto libro *contra Celsum* illud idem diserte asserit, ac tam spirituali luce, quam aspectabili putat illuminatos fuisse : « Siquidem illa etiam, quæ in cœlo sunt, inquit, astra animalia sunt ratione prædita, et luce cognitionis illuminata sunt a sapientia, qui est splendor lucis æternæ. Etenim sensibile lumen ipsorum opus est universornm opificis; intelligibile vero forsitan, et illorum, atque ex libero eorum arbitrio profectum [b]. »

Porro qui sub Pamphili nomine *Apologiam* edidit pro Origene, ab Ruffino interpolatam, de qua alibi disputamus [1], diversas in Ecclesiis sententias esse dicit de cœli luminaribus ; quæ alii animantia esse putant ratione prædita, alii ne sensum quidem habere, neutros tamen ab aliis hæreticos censeri. Sic Origenes ipse in procœmio librorum *de Principiis*, « De sole, inquit, et luna, et stellis utrum animantia sint, an exanima, manifeste non traditur. »

Præter Origenem, supposititius quoque Clemens in libro V *Recognitionum* in eadem versatur opinione. Apud quem Petrus adversus simulacrorum cultores declamans loquitur sic : « Tu ergo adoras insensibilem, cum unusquisque habens sensum, nec ea quidem credat adoranda, quæ a Deo facta sunt, et habent sensum ? id est solem, et lunam, vel stellas, omniaque quæ in cœlo sunt et super terram. Justum enim putant, non ea, quæ pro mundi ministerio facta sunt, sed ipsorum et mundi totius creatorem debere venerari. Gaudent enim etiam hæc, cum ille adoratur et colitur; nec libenter accipiunt, ut honor creatoris creaturæ deferatur. » Videtur et Ambrosius eidem affinis opinioni, necnon Hieronymus. Nam perspicue dubitare se Augustinus alias fassus est, cum aliis in locis non minus dilucide sensu carere cœlestia illa corpora docuerit; de quibus post accuratius disputandum erit, postquam Græcos aliquot in medium addduxero, qui diserte opinioni isti contradicunt, quidam etiam inter hæreticas eam referunt.

Memorantur auctore inanima esse asserentes.

VII. Ex his autem primo loco memorandus occurrit Eusebius Cæsariensis, non solum ætatis prærogativa, verum etiam quod Origeni incredibiliter addictus et illius admirator, fautorque doctrinæ, manifeste istud ipsum ejus dogma repudiavit. Etenim, cum Judæorum decreta percenseret, eaque videlicet, et gentilium sapientum opinionibus antecellere, et cum Christianis concordare, vellet ostendere, sic de eo, quod nunc agitur, sentire illos asserit : « Imprimis, ait, elementa corporum, terram, aquam, aerem, ignem, ex quibus totum hoc universum constituitur, animadverterunt; nec non solem, lunam, stellasque non esse Deos, sed Dei opera cogitarunt. Quippe naturam corporeæ substantiæ, non solum rationis expertem, sed inanimam quoque esse, quatenus fluxa, et corruptioni obnoxia est, apud se statuerunt [c]. »

Basilius in homilia tertia *De opere sex dierum*, Origenem tacito nomine reprehendens, qui aquas supra cœlum positas, cœlestes quas-

a Idem in eod. lib. Λογικαὶ θεῖαι φύσεις, αἱ μὲν ἀσώματοι, καὶ νοηταί· αἱ δὲ ἐκ ἄνευ σωμάτων, ὁποίους συμβέβηκεν εἶναι τοὺς ἀστέρας.

b Orig. IV *contra Cels.* Εἴπερ καὶ οἱ ἐν οὐρανῷ ἀστέρες ζῶά εἰσι λογικὰ, καὶ σπουδαῖα, καὶ ἐφωτίσθησαν τῷ φωτὶ τῆς γνώσεως ὑπὸ τῆς σοφίας, ἥ τις ἐστὶν, ἀπαύγασμα φωτὸς ἀϊδίου, καὶ γὰρ τὸ μὲν αἰσθητὸν φῶς αὐτῶν ἔργον ἐστὶ, τοῦ τῶν ὅλων δημιουργοῦ· τὸ δὲ νοητὸν τάχα καὶ αὐτῶν, καὶ ἐκ τοῦ ἐν αὐτοῖς αὐτεξουσίου ἐληλυθός.

c Euseb. lib. VII *de Præpar.* cap. III. Πρῶτα μὲν τὰ τῶν σωμάτων στοιχεῖα, γὴν, ὕδωρ, ἀέρα, πῦρ, ἐξ ὧν τόδε τὸ πᾶν συνεστὸς κατεμάνθανον, ἥλιον τε, καὶ σελήνην, καὶ ἀστέρας, οὐ θεοὺς, ἔργα δὲ εἶναι θεοῦ διελογίσαντο· τὴν φύσιν τῆς σωματικῆς οὐσίας οὐ μόνον ἄλογον, ἀλλὰ καὶ ἄψυχον εἶναι, καθ' ὅσον ῥοώδης, καὶ φθαρτὴ οὖσα τυγχάνει συννοήσαντες..

1 Tom. II Orig.— 2 Tom. II, lib. I, cap. IV.

dam intelligentesque virtutes esse putabat, eo quod ab illis laudari jubetur Deus, idem et de cœlestium corporum animis illius commentum refellit; quod adeo priore illo de aquis absurdius esse judicat, ut id tanquam argumentum adhibeat ad convincendum alterum. « Neque enim, inquit, animati sunt ideo cœli, quod enarrant gloriam Dei; neque firmamentum animal est sensu præditum, quoniam annuntiat opus manuum ipsius [a].» Idem Basilius insigniter hoc docet in homilia *ad Psal.* XLVIII ubi hominem cœlo, ac sole, stellisque omnibus antecellere ex eo demonstrat: « Ecquod enim e cœlestibus corporibus imago dictum est Altissimi Dei? Quamnam vero sol servat conditoris imaginem? Quid luna? Quid reliqua sidera? quæ inanimata quidem, et materia constantia corpora, cæterum pellucida possident, in quibus non inest intelligentia, neque eligendi motiones, neque libertas arbitrii, sed impositæ necessitati serviliter subjecta sint, secundum quam circa eadem sine ulla necessitate versantur [b].»

Chrysostomus homilia prima *de Anna*, « Propterea cœlum, inquit, non ita creavit, ut a senectute interim occuparetur, aut ejusmodi alia quapiam ægritudine. Nam, cum libero arbitrio, animaque careat, neque peccare potest, neque præclare aliquid facere. Unde nec illi tali castigatione opus est. Nobis vero, qui ratione, animaque ornati sumus, necessaria fuit ejusmodi perpessionibus ingenita moderatio, et humilitas [c]. »

Sic in enarratione primi capitis *Esaiæ*, ad illa Prophetæ verba *: Audite cœli, et auribus percipe terra*, idcirco compellari ait ambo ista, « ut auditores suos vehementiori pudore suffunderet, ostendens, elementis istis natura sua sensus expertibus pejus affectos eos esse, qui ratione decorantur [d]. »

Et in commentario *ad Psalmum* CXLVIII ad hæc verba [1], *Laudate eum cœli cœlorum*, ait, tam hos, quam aquas, et alia omnia, quæ ad collaudandum Deum ibidem invitantur, nec animam; neque rationem, neque mentem habere. Ideo laudare hoc ipso Deum, quod aspectu suo ad eum collaudandum homines excitant. Tum in homilia quadam *de Natali Domini* Angelos dicit mundo esse præfectos, « ut expertem animæ naturam velut freno moderentur, solem, et lunam, mare, atque terram [e]. » Sed hæc homilia non est Chrysostomi.

VIII. Sic eumdem *Psalmi* locum Theodoretus exponit in commentariis; ubi quod Propheta solem, ac lunam, stellasque jubet laudare Deum, non sic intelligendum admonet, « tanquam anima, et ratione ista prædita sint, sed ut nos illa contemplari jubeat, ac Dei sapientiam discere, perque omnia canticum ipsi contexere [f]. » Idem etiam in commentario *ad Esaiam* scribit, hunc « in testimonium advocare cœlum, et terram, non quasi in his insit anima [g]. »

Dionysius item in capite IV *de Divinis nominibus*, de sole loquens, « Sol, inquit, ille noster non ratione utens, aut eligendi libertate, sed eo solo, quod est, luce complet universa [h]. » Quæ verba Maximus martyr enarrans *in Scholiis*, « Solem, ait, neque anima

a BASIL. Οὔτε γὰρ οἱ οὐρανοὶ ἔμψυχοι, ἐπειδὴ διηγοῦνται δόξαν Θεοῦ. οὔτε τὸ στερέωμα ζῶόν ἐστιν αἰσθητικὸν, ἐπειδὴ ἀναγγέλλει ποίησιν τῶν χειρῶν αὐτοῦ.

b BASIL. Τί γὰρ τῶν οὐρανίων εἰκὼν εἴρηται τοῦ Θεοῦ τοῦ ὑψίστου; ποίαν δὲ εἰκόνα σώζει ὁ ἥλιος τοῦ κτίσαντος; τί ἡ σελήνη; τί οἱ λοιποὶ ἀστέρες, ἄψυχα μὲν, καὶ ὑλικὰ, διαφανῆ δὲ μόνον τὰ σώματα κεκτημένοι, ἐν οἷς οὐδαμοῦ διάνοια, οὐ προαιρετικαὶ κινήσεις, οὐκ αὐτεξουσιότητος ἐλευθερία· ἀλλὰ δοῦλά ἐστι τῆς ἐπικειμένης ἀνάγκης, καθ' ἣν ἀπαραλλάκτως ἀεὶ περὶ τὰ αὐτὰ ἀναστρέφεται.

c CHRYS. hom. II. Διὰ τοῦτο οὐρανὸν μὲν οὐκ ἐποίησεν οὔτε γῆρᾳ ἁλίσκεσθαι τέως, οὔτε ἄλλαις τισὶ τοιαύταις ἀῤῥωστίαις· ὁ γὰρ προαιρέσεως, καὶ ψυχῆς ἀπεστερημένος οὔτε ἁμαρτεῖν, οὔτε κατορθῶσαι δυναιτ' ἄν. ὅθεν οὐδὲ διορθώσεως αὐτῷ χρεία τοιαύτης. ἡμῖν δὲ τοῖς λόγῳ καὶ ψυχῇ τετιμημένοις ἀναγκαῖον γέγονεν ἡ διὰ τῶν παθῶν τοιούτων ἐγγενομένη σωφροσύνη, καὶ ταπεινοφροσύνη. Vide eumdem in hom. XIV, in epist. *ad Rom.* ad c. VIII, v. 19.

d CHRYS. Ἀλλ' ὥστε καὶ αὐτοὺς τοὺς ἀκούειν μέλλοντας μετὰ πολλῆς ἐντρέψαι τῆς ὑπερβολῆς δεικνὺς ὅτι τῶν ἀναισθήτων φύσει στοιχείων χεῖρον τῷ λόγῳ τετιμημένοι διάκεινται.

e CHRYS. hom. CXXXIV. et est apud Phot. cod. CCLXXVII. Ἵνα τὴν ἄψυχον φύσιν χαλινώσωσι, ἥλιον, καὶ σελήνην, καὶ θάλασσαν, καὶ γῆν.

f THEOD. *in Psal.* CXLVIII. Ταῦτα δὲ, ὡς καὶ ἤδη προειρήκαμεν, οὐκ ἔμψυχα, καὶ λογικὰ, συγκαλεῖ, ἀλλ' ἡμᾶς ἀφορᾶν εἰς ταῦτα, καὶ τοῦ Θεοῦ τὴν σοφίαν καταμανθάνειν, καὶ διὰ πάντων αὐτῷ πλέκειν τὴν ὑμνῳδίαν παρεγγυᾷ.

g Idem. Οὐρανὸν δὲ, καὶ γῆν εἰς μαρτυρίαν οὐχ' ὡς ἐμψύχους καλεῖ.

h DION. init. c. IV *Div. nom.* Ὥσπερ ὁ καθ' ἡμᾶς ἥλιος οὐ λογιζόμενος, ἢ προαιρούμενος, ἀλλ' αὐτῷ τῷ εἶναι φωτίζει πάντα.

1 *Psalm.* CXLVIII, 4.

præditum, neque libero arbitrio, benefacere, quippe qui sit rationis expers [a]. »

Cyrillus Alexandrinus in secundo *contra Julianum* « neque cœlum, neque mundum animal esse dicit, ac prorsus animam non habere [b] ; » ejusque opinionis auctorem citat Aristotelem Platonis discipulum.

Joannes Damascenus in libro secundo *de Orthodoxa fide*, « Nemo, inquit, cœlos, vel luminaria arbitretur animata ; etenim anima carent, et sensu [c]. » Tum illas Scripturæ sententias explicat, ex quibus contrarium videtur effici, ut quod invitantur ad laudandum Deum, aut ad ea sermo dirigatur : « Solet enim, inquit, Scriptura per prosopopœiam inanimis, tanquam animatis, verba facere [d]. »

Justitianus item in epistola, quam ad quintam synodum scripsit adversus Origenis errores, illum ipsum accusat amentiæ, quod cœlum, solem, lunam, ac stellas, et aquas, quæ sunt supra cœlum animata esse dixerit. Et inter anathematismos, qui epistolæ subjecti sunt, sextus ita concipitur : « Si quis dicit, cœlum et solem, ac lunam, et stellas, necnon aquas, quæ sunt supra cœlos, animatas, et materiales esse quasdam virtutes, anathema sit [e]. » Refert hos anathematismos Nicephorus Callisti [1], et ab ipsa synodo pronuntiatos esse scribit [2]. Nimirum ex Imperatoris præscripto, et missa ab eo epistola canones illos sumpserunt, et auctoritate synodica ratos fecerunt episcopi, quod testatur Cedrenus.

Procopius in commentariis *ad Genesim* accurate idem perhibet : « At vero neque animatum est, inquit, tametsi Scriptura per prosopopœiam mundum hunc universum tanquam sentientem inducat, ut major sit orationis emphasis. Ut cum flumina plaudentia manibus describit ; aut colles salientes, et montes subsultantes, ut bonorum, quæ proponuntur, magnitudinem inde discamus, quæ talia sunt, ut eorum intellectus ad ea quoque, quæ sunt sensus expertia, pertingat [f]. »

IX. Ex Latinis porro infert se primo Lactantius ; qui philosophos, maxime Stoicos, solis, ac cæterorum siderum voluntarios esse motus arbitrantes, quia fortuiti non sunt, et ipsorum animata esse corpora pluribus refellit ; nihilo id magis sequi, dicens, quam in Archimedis ærea illa machina effictas astrorum figuras « suo consilio moveri, ac non potius artificis ingenio. Quam solertiam divinæ potestatis in machinandis itineribus astrorum, quia philosophi non videbant, animalia esse sidera putaverunt, tanquam pedibus, et sponte, non divina ratione procederent. »

Hieronymus in caput primum *Esaiæ*, de eo loquens, quod est apud Prophetam, *Audi cœlum, et auribus percipe terra*, sic scribit : « Quidam cœlum, et terram quasi animantia ad audiendum provocari putant, juxta illud, quod de terra in alio loco dicitur : *Qui respicit terram, et facit eam tremere* ; cum hoc potestatis Dei sit, non terrenæ intelligentiæ. » Non minus ergo cœlum, quam terram ipsam animata esse negat Hieronymus. Et ad caput XIV ejusdem Prophetæ [3], « Cœlum et terra pertransibunt, inquit, non sua voluntate, et proprio arbitrio, ut plerique existimant, animantia ea esse credentes, sed propter indignationem Domini exercituum. ».

Tum in epistola *ad Avitum* de erroribus agens Origenis, « Solem quoque, ait, et lunam, et astra cætera esse animantia ; imo, quomodo nos homines ob quædam peccata his sumus circumdati corporibus, quæ crassa sunt, et pigra ; sic et cœli luminaria talia vel talia accepisse corpora, ut vel plus, vel minus luceant. » Ibi duo reprehendit : alterum, quod soli, ac sideribus cæteris animas tribueret : alterum, quod pro meritorum ratione, diversis alligata corporibus fuisse diceret. Petrus Chrysologus sermone CXX « Plane major cœlo, (inquit de sancto homine loquens) quia cœlum non movetur sponte, non voluntate agit, non judicio facit quidquam, sed sola necessitate servit semper, » etc.

a Maxim. Οὔτε ψυχικὸς ὢν, οὔτε προαίρεσιν ἔχων εὐεργετεῖ, ἄλογος γάρ.

b Cyril. II *contra Jul.* Ὅτι γὰρ οὔτε ζῷόν ἐστιν ὁ οὐρανὸς, ἤγουν ὁ κόσμος ἁπλῶς, οὔτε μὴν ἔμψυχος ὅλως, etc.

c Damasc. lib. II, c. VI sub fin. Μηδεὶς δὲ ἐμψυχωμένους τοὺς οὐρανοὺς, ἢ τοὺς φωστῆρας ὑπολαμβανέτω· ἄψυχοι γάρ εἰσι, καὶ ἀναίσθητοι.

d Ibid. Οἴδε δὲ ἡ γραφὴ προσωποποιεῖν, καὶ ὡς ἐπὶ ἐμψύχων, περὶ τῶν ἀψύχων διαλέγεσθαι.

e Anath. VI. Εἴ τις λέγει οὐρανὸν, καὶ ἥλιον, καὶ σελήνην, καὶ ἀστέρας, καὶ ὕδατα τὰ ὑπεράνω τῶν οὐρανῶν ἐμψύχους, καὶ ὑλικὰς εἶναί τινας δυνάμεις, ἀνάθεμα ἔστω.

f Procop. Ἀλλὰ μὴν οὐδὲ ἔμψυχος· κἂν ἡ γραφὴ προσωποποιεῖ τὸν ἅπαντα κόσμον, ὑπὲρ τοῦ γενέσθαι τὸν λόγον ἐμφατικώτερον, ποταμοὺς χερσὶ κροτοῦντας εἰσάγουσα, καὶ βουνοὺς ἀλλομένους, καὶ ὄρη σκιρτῶντα, πρὸς τὸ μαθεῖν τῶν ἀγαθῶν τὴν ὑπερβολὴν, καὶ τῶν ἀναισθήτων, ὡς εἰπεῖν, καθικνουμένην.

1 Lib. XVII, cap. XXVIII.— 2 In fine, cap. XXVII.— 3 Ad com. XIII.

X. Augustinus in libro *de Duabus animabus*, capite secundo Manichæos arguit, qui « Solem istum, atque lunam, omnemque lucem, quæ mortalibus his oculis cernitur, vero, et bono Deo tribuendam esse dicebant, » alia vero, quæ vitam habent ab eodem alienabant, cum sint viventia præstantiora multo vita carentibus. Itaque capite quarto non dubitat illis quæ ante nominavit, lucidis corporibus præferre muscas, eo quod, licet parvæ, tamen vivæ sunt.

Idem, cum in libro decimo quarto *contra Faustum*, capite duodecimo, scripsisset, solem, et lunam, « ac cœlestia corpora tolerare vanos adoratores suos usque ad judicium creatoris sui; »sic illud reprehendit in secundo libro *Retractationum*, capite septimo : « In XIV de sole et luna talia dicta sunt, tanquam sentiant, et ideo tolerent vanos adoratores suos ; quamvis verba ibi accipi possint ab animali ad inanimale translata modo locutionis, qui vocatur Græce metaphora, sicut de mari scriptum est, quod fremat in utero matris suæ volens progredi, cum utique non habeat voluntatem. » Tum in libro decimo *de Civitate Dei*, capite vigesimonono, illam ipsam opinionem Platonicis objicit, tanquam a Christiano dogmate alienam ac peregrinam : « Solem, inquit, istum, et cætera sidera, non solum in libris vestris corpora esse fatemini, quod vobiscum omnes homines et conspicere non cunctantur, et dicere ; verum etiam altiore, ut putatis, peritia hæc esse animalia beatissima perhibetis, et cum his corporibus sempiterna. » Sed et in libro *ad Orosium* contra Priscillianistas [1], et Origenistas, « Porro de sole, inquit, et luna, cæterisque sideribus, quod cœlestia sint corpora, videmus; quod animata sint, non videmus. De divinis hoc libris legatur, et credimus. » Tum locum illum Apostoli ex capite octavo epistolæ *ad Romanos*, quo Origenistæ abutebantur, ubi *omnis creatura ingemiscere* dicitur, exponit, et nihil opitulari illis ostendit. Vide et caput nonum, et undecimum libri ejusdem. Quibus in locis evidens est, Augustinum in ea se obfirmasse sententia, cœlos animæ ac sensus expertes esse, de quo olim addubitaverat. Ut in *Enchiridii* capite LVIII ubi de Angelis, ac cœlestibus ordinibus locutus, ista mox subjicit : « Sed nec illud quidem certum habeo, utrum ad eamdem societatem pertineant sol, et luna, et cuncta sidera, quamvis nonnullis lucida corpora esse, non cum sensu, vel intelligentia videantur. »

XI. Sunt, quibus idipsum docere videtur Ambrosius, et quodam Origeniani dogmatis afflatu perstrictus in epistola *ad Horontianum* XXXVIII talia scripsisse, quibus soli, lunæ, stellisque nescio quid sensus, et rationis aspergit : « Stellæ, inquit, nebulis obductæ vanescunt, quæ substinent ministerii hujus mundani usus, non sponte utique, sed in spe ; quia sperant etiam hujus laboris gratiam ab eo, qui subjecit eas. Ideoque propter eum substinent, id est propter ejus voluntatem. Nec mirum, si sapienter substinent, cum sciant, dominum suum, et creatorem omnium, sive quæ in cœlo, sive quæ in terra sunt, suscepisse nostri corporis fragilitatem, nostræ conditionis servitutem, etc. Illius ergo imitantes bonitatem cœlestes creaturæ, licet ingemiscant, quod mundi hujus vanitati subjectæ sint, consolantur se tamen, quod liberabuntur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ, » etc.

Verum sic ista possunt accipi, quomodo sua quædam ejusdemmodi interpretatur Augustinus, ut paulo ante vidimus, atque ad translationem, et metaphoram refert. Qua et Apostolus usus esse videtur, in eo loco, quem imitatus est, et collatavit Ambrosius. Scribit enim ille sic in epistola *ad Romanos* [2]. *Nam expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat: Vanitati enim creatura subjecta est non volens, sed propter eum, qui subjecit eam in spe*, » etc. Ibi enim creaturæ nomine totam hanc rerum universitatem significare plerique veterum existimant, ut Origenes, Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Œcumenius, Procopius *in Genesim*, Gregorius Nazianzenus [3]. Ac prosopopœiam esse Chrysostomus adnotat, instar ejus, qua Prophetæ rebus anima carentibus sensum, et intelligentiam accommodant. Quemadmodum etiam Hilarius interpretatur *ad Psalmum* CXLVIII ubi de laudatione agit illa, qua elementa omnia, partesque mundi totius conditorem suum celebrare dicuntur.

XII. Quin et Ambrosius libro secundo *in Hexaemeron*, capit IV. Origenianum illud commentum obiter commemorat, et refellit : « Nec præterit, inquit, retulisse aliquos cœlos cœlorum ad intelligibiles virtutes, firmamentum ad operatorias. Et ideo laudare cœlos,

1 Cap. VIII.— 2 *Rom.* VIII, 19.— 3 Lib. I *cont. Jul.*

vel enarrare gloriam Dei, et opera manuum ejus annuutiare firmamentum, Sed non quasi spiritualia, sed quasi opera mundi enarrant, quemadmodum supra diximus. » Quod si propter illa, quæ quoquomodo per translationem, et Prosopopœiam affinguntur conditis a Deo rebus, iis ipsis animam et sensum ac orationem tribuere velimus, non cœlestia modo corpora, sed etiam terra ipsa, et aquæ, arbores, ac nihil non eorum, quæ aspicimus, ad eumdem pertinebunt animatorum numerum. Quod hæreticum sit affirmare, uti paulo post dicam.

Sunt, qui Hieronymum cœlo ac sideribus animam imputare suspicantur in commentario ad illa *Ecclesiastæ* verba, *Et in circulos suos revertitur Spiritus*[1]. Nam ibi Spiritum ait intelligi posse solem, cum ob alias causas, tum « quod et lunæ lucentem globum, et astra Titania *Spiritus intus alit, totamque infusa per artus Mens agitat molem, et magno se corpore miscet*, » quæ Virgilius ex Platonicorum opinione dixit. Verum, tametsi Hieronymi locum illum sic interpretemur, non idcirco talem ejus fuisse sententiam licet colligere. Nam quædam in hisce commentariis, ut in aliis quibusdam, non ex sententia sua profert, sed ex aliorum dogmatibus, quæ alioqui non probat; neque tamen aut illorum, unde sumpta sunt, appellat nomina, aut suum judicium interponit, quod ipsemet adversus Ruffinum scribens de commentario ad epistolam *ad Ephesios* profitetur. Itaque nihil hujus auctoritas loci cœlestium corporum animatores juvaret, Sed non est necesse hac uti responsione. Neque enim Spiritus ibi interpretandus est de anima, quæ forma sit illorum corporum, sed impressio, vel motio quædam ab assistente et ciente orbes illos intelligentia. Ut sol motu illo, tanquam spiritu, impulsuque vegetatus in orbem circumagatur. Adjuvat hanc nostram expositionem, illustratque plurimum Augustinus, qui in tertio *de Trinitate*, capite quarto ait, « omnia corpora regi per spiritum vitæ, et spiritum vitæ irrationalis per spiritum vitæ rationalem, » etc. Verum de vento potius, quam de sole loqui videtur Ecclesiastes.

Contraria sententia non hæretica videtur.

XIII. Quæ cum ita sint, omni Catholicæ vetustatis patrocinio destituta, Platonicorum, et Origenis insulsa illa fabula non temere Christianorum animis insinuanda videtur, neque propugnari serio, sed pro reicula, damnataque haberi. Nam quod sanctum Thomam Aquinatem illius vindicem, assertoremque prædicant aliqui in libro secundo *Contra gentes*, frustra sunt. Ibi enim in capite libri LXX diserte profitetur, quæ de illa quæstione velut affirmando disputavit, non se « quasi asserendo dixisse secundum fidei doctrinam, ad quam nihil pertinet sive sic, sive aliter dicatur. » Quamobrem eatenus sententiam suam edidit, ut neutram in partem pronuntiatum esse ab Ecclesia dixerit, cum quintæ Synodi acta, decretaque de Origene non exstent. De cujus tamen auctoritate ac judicio non posse modo dubitari arbitror; idque tum ex Justiniani epistola, et anathematismis ibidem expositis, tum ex Nicephori aliorumque testificatione satis constare; tametsi non eousque, ut pro hæretico, qui illam asserat, habendus videatur. Auctor quidem libri *de Cognitione veræ vitæ*, cap. VI ineptam solummodo, non tamen hæreticam opinionem illam judicat his verbis : « Sed qui ea (sidera) rationabilia, vel saltem sensibilia corpora arbitrantur, jure sensu carentes inter irrationabilia computantur. »

Cæterum in commentariis ad librum secundum *de Cœlo*, idem ille S. Thomas nihil nisi opinionem Aristotelis explicavit, non quid ipse sentiret, exposuit. At in prima parte *Summæ Theologicæ*, ubi latius eam quæstionem pertractat, aperte, ac sine hæsitatione ulla negantem opinionem adstruit, et argumenta pleraque dissolvit, quæ hac etiam ætate quidam obsoletæ illius opinionis interpolatores attulerunt. Quæ non valde ad hanc probandam idonea sunt; cujusquemodi sunt, ea Philosophorum scholis enodanda relinquimus. Illud unum addimus postremo, sententiam illam, quæ cœlo informantem animam tribuit, a Stephano Parisiensi Episcopo de Theologorum consilio anathemate notatam esse; nimirum, « Quod anima cœli est intelligentia, et orbes cœlestes vere sunt instrumenta intelligentiarum, sicut organa, sicut auris, et oculus est organum virtutis sensitivæ[3]. » Item, « Quod natura, quæ est principium motus in corporibus cœlestibus, est intelligentia movens. »

Vide præterea Ambrosium Catharinum in enarratione capitis primi libri *Genesis*, ubi Cajetanum more suo reprehendit, qui cœlos animatos pro certo asserebat, Ecclesiæ fretus auctoritate, quæ in sacra Liturgia ita canit :

1 Cap. I.— 2 Tom. IX Op. Aug.— 3 Sect. XIII.— 4 Qu. LXX.— 5 Tom. IV *Biblioth. Patr.* col. 923.

Cœli, cœlorumque virtutes, ac beata Seraphim. Indignum acuti ingenii theologo, ac plebeium argumenti genus ; quod si ullam vim habet, eodem et terram, et elementa omnia, ac nihil non denique animatum esse confeceris. Nam hæc omnia sic interdum Scriptura commemorat, tanquam iis animam ac spiritum et rationem tribuat ; quod tropice ac figurate intelligendum esse ne pueris quidem ignorare licet.

Res omnes promiscue animatas asserere putidum hæreticumque.

XIV. Ut autem cœlestibus orbibus ac sideribus formæ loco naturalis animam defendere, non habet manifestam hæresis invidiam, ita promiscue res omnes, uti terram, aerem, aquam, lapides, et hujusmodi reliqua, anima et sensu prædita putare, hæretica, et abominanda est opinio, quam a Thalete traditam, ut refert in ejus vita Diogenes Laertius, impuri Manichæi sectati sunt. Contra quos Titus Bostrensis disputavit ; qui inter cætera, « Præterea non pudet, inquit, dicere, animatos esse lapides, et introducere omnia animata, et quæ manifesta sunt inanimata, » etc. Tum, « Dicit, animæ lapidum, et lignorum indicium esse sonum in aere lapidis, et virgæ, tanquam audierit aliquando vocem ipsorum articulatam. » Et hanc hæreticorum istorum stolidam opinionem sæpe Augustinus exagitat in libris adversus eos scriptis [1] ; et in tractatu primo *in Joannem* hanc vocat « sordidissimam sectam Manichæorum, qui dicunt, habere vitam lapidem. » Et in quinto *de Genesi ad litteram*, cap. XIV « absurde dici ait, terram, et hujus generis alia vivere. »

Hanc eamdem impuram fabulam ante Manichæos propugnavit Origenes, eamque fuse digessit in homilia quarta *in Ezechielem* ; ubi « Latissimam, inquit, Scripturæ silvam recensens, coarctor ad suspicandum, quia animalis sit terra ista, quam cernimus, » Quod deinceps argumentis probare nititur, quibus solet, hoc est futilibus, et imbecillis, quæ nemo sine stomacho possit legere. Talia sunt ista, quæ mox subjicit : « *Si omnis creatura congemiscit et condolet* [2] ; est autem creaturarum pars terra, et cœlum, et cætera quæque, quæ sub cœlo sunt, et quæ super cœlos ; et liberabitur omnis creatura a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei, quis scit et de terra, an secundum naturam suam in aliquo peccato teneatur obnoxia ? Si enim animal est, si rationabilis est, si indiget auditione sermonis Prophetici dicentis : *Attende cœlum, et loquar, et audiat terra verba oris mei*, etc.

XV. Et nos ante paucos annos illam ipsam revocatam ab inferis, et instauratam hæresim vidimus ab imperito quodam, et novitatis, ac gloriolæ cupidiore, quam probum et frugi hominem decet. Qui etiam libros de hoc argumento complures in vulgus edidit et levissimis atque anili lucubratione dignis rationibus rancidam, et obsoletam hæresim fulcire studuit. Hæresim dico. Sic enim catholica post Origenem antiquitas de hac opinione judicavit, ut, præter superiores illos, Hieronymus ; qui ad ista *Matthæi* [3], *Tunc surgens imperavit ventis et mari ;* sic scribit : « Ex hoc loco intelligimus, quod omnes creaturæ sentiant creatorem. Quas enim increpavit, et quibus imperavit, sentiunt imperantem, non errore hæreticorum, qui omnia putat animantia, sed majestate conditoris, qua apud nos insensibilia, illi sensibilia sunt. » Vide Thomam Waldensem [4], qui Wiclephum in eumdem incidisse notat errorem, falso inductum argumento, quod ex Augustino didicerat, creatas res omnes et ab æterno esse in Deo, et vitam in illo existere, hoc est vivere. Quod quemadmodum intelligi debeat, pluribus illic explicat. Neque vero elaborandum nobis est, ut hanc opinionis vecordiam pluribus oppugnemus, cum nihil præter risum, ac ludibrium colligat, neque quidquam habeat animadversione seria et disputatione dignum.

An cœlestes sint corruptioni obnoxia.

XVI. Ad extremum illud in quæstionem deducitur, sintne corruptioni, et interitui obnoxia cœlestia corpora ex antiquorum Patrum decretis, aut theologicis principiis. Quæ enim ex humana ratione sumuntur, ea sunt potius lucubrationis philosophicæ, quam theologicæ tractationis. Huic vero quæstioni paucis ita satisfaciendum est : apparere ex iis, quæ hactenus exposita sunt, antiquorum placitis, cœlestes orbes, et quæ illis continentur, sidera mutationis esse capacia, non ejus tantum, quæ perficit, sed etiam illius, quæ affert interitum, ac reipsa vastanda hæc esse et incendio populanda. In quo duo quædam proponi liquet : alterum, ex se, propriaque indole corruptelam admittere : alterum, reipsa corruptum iri sub occasum mundi. Horum prius sequitur ex communi fere veterum opinione, quæ cœlestibus corporibus eamdem materiam adjungit ac rebus

1 Maxim. lib. VI *cont. Faust.* et lib. XV, cap. IV. — 2 *Rom.* VIII. — 3 *Mat.* VIII. 26. — 4 Tom. I, lib. I, cap. II.

infimis. Quod etiam plerisque gentilium philosophorum placuit, imprimisque Platoni, qui ex quatuor elementis cœlum constare docuit, ut Porphyrius apud Cyrillum tradidit[1], et Alcinous capite duodecimo, Plutarchus[2], aliique, et ex *Timæo* Platonis ejusdem constat. Christiani vero theologi plerique materiam illius aquam esse sentiunt. Nec pauci, igneæ esse naturæ, ac propterea ad illud refrigerandum, ne ejus ardore cum ipso cuncta corripiantur, perenni, et copioso pabulo opus esse cœlestium aquarum, quæ partim supra illud incumbant, sintque aquæ illæ, quæ super cœlos in Scripturis esse dicuntur, partim insertæ, immistæque sint, ut humore ac frigiditate sua temperent tum insitum, fusumque per globum universum, tum extrinsecus appellentem solis ardorem. Quæ antiquorum opinio supra declarata est.

Cœlos esse comburendos in meliusque mutandos plura suadent. Scripturæ veterumque testimonia.

XVII. Sed, hac omissa veterum opinione, cui philosophorum schola, et naturalis rerum ordo, ratioque refragatur, complura suppetunt testimonia sacrorum librorum, quæ cœlo ultimam cladem, ac perniciem denuntiare videntur. Imprimis autem ille capitis LI *Esaiæ* locus, quem adduximus antea, cum de cœli qualitate hoc est, tenue sit, an compactum, et solidum, inquisivimus, *Cœli*, inquit[3], *sicut fumus liquescent, et terra sicut vestimentum atteretur, et habitatores ejus sicut hæc interibunt.* De quo loco vide, quæ ibidem adnotavimus. Et alibi[4]: *Ecce ego creo cœlos novos, et terram novam, et non erunt in memoria priora.* Quem ad locum Hieronymus alia præterea Scripturæ loca commemorat eodem pertinentia; tum duas Christianorum doctorum sententias refert, ut compendii causa sit satius ipsius verba describere, cum illa contineant, quæ hoc loco necessario in sermonem nostrum incidunt: « Cœlum, inquit, novum, et terram novam, qui putant omnia interire, quæ cernimus, Evangelii interpretantur testimonio, *Cœlum et terra transibunt*[5], Et Pauli Apostoli: *Quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna.* Porro novitatem, commutationem in melius, et elementorum arbitrantur interitum, illo utuntur exemplo: A *principio terram tu fundasti Domine, et opera manuum tuarum sunt cœli: Ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnes sicut vestimentum veterascent; et quasi amictum involves eos, et mutabuntur*[6]. In quo perspicue demonstratur, perditionem, et interitum, non abolitionem in nihilum, sed commutationem sonare in melius. » Declarat hoc hominis exemplo, qui unus et idem manens, differentias accipit ætatum. « Quod intelligens et Paulus, ait, loquebatur: *Præterit enim figura hujus mundi*[7]. Consideremus, quid dixerit: Figura præterit, non substantia. Hoc idem significat et Petrus: *Latet eos hoc volentes, quoniam cœli erant ab initio, et terra de aqua, et per aquam Dei sermone subsistit, per quæ prior mundus inundatus diluvio periit. Cœli autem, qui nunc sunt, et terræ, eadem ratione servantur igni*[8]. Quod, quo sensu accipiendum sit, postmodum docet. Novos autem cœlos, et novam terram videbimus et repromissionem ejus, Non dixit alios cœlos, et aliam terram videbimus, sed veteres et antiquos in melius commutatos. » Idem et in commentario ad caput quinquagesimum primum docet[9].

XVIII. Non alio sensu Joannes *Apocalypsis* cap. XXI dixit, *Et vidi cœlum novum, et terram novam. Primum enim cœlum et prima terra abiit, et mare jam non est.* Sic enim interpretatur Augustinus[10]. « Peracto quippe judicio, inquit, tunc esse desinet hoc cœlum, et hæc terra, quando incipiet esse cœlum novum, et terra nova. Mutatione namque rerum, non omnimodo interitu transibit hic mundus, » etc. Et capite decimosexto idem Augustinus. « Illa itaque, ut dixi, conflagratione mundana elementorum corruptibilium qualitates, quæ corporibus nostris corruptibilibus congruebant, ardendo penitus interibunt; atque ipsa substantia eas qualitates habebit, quæ corporibus immortalibus mirabili mutatione conveniant, ut scilicet mundus in melius innovetur, atque accommodetur hominibus etiam carne in melius commutatis. » Tamen dubitat, « utrum mare maximo illo ardore siccetur, an et ipsum vertatur in melius; » propter Joannis verba, *Et mare jam non est*[11]. »

Agit etiam de eadem re in libro eodem *de Civitate*, cap. XXIV ubi non hoc affirmat, quod putant aliqui[12], superiores cœlos ac sideribus ornatos, non esse incendio purgandos, sed aereos tantum, id est elementa cœlo subjecta. Verum cum adversus Porphyrium disputaret, qui Hebræos collaudans, Christianos vituperabat ob id maxime, « quod istum mundum dicunt esse periturum, » de hoc

1 Lib. II *cont. Jul.*— 2 Lib. II *de placit.* cap. VI.— 3 *Esa.* LI.— 4 *Esa.* LXV, 17.— 5 *Matth.* XIV.— 6 *Psal.* CI.— 7 I *Cor.* VII.— 8 II *Pet.* III, 5.— 9 *Ad Esa.* LI, 6.— 10 Lib. XX *de civit.* c. XIV.— 11 *Apoc.* XXI, 1.— 12 Fevar. in lib. IV Iren. cap. VI.

Petri testimonium afferens ex capite tertio epistolæ secundæ; mox subjicit, in illis Petri verbis posse cœlos illos inferiores, id est aereos intelligi. Itaque loco illo de *Psalmo* CI potissimum nititur, in quo scriptum est: *Ipsi peribunt, tu autem idem ipse es.* Etenim « Hoc, inquit, quod de Psalmo commemoravi, nullum cœlorum videtur relinquere, quod periturum esse non dixerit. » Quocirca cœlestes orbes arsuros putavit Augustinus, illa Davidis auctoritate fretus.

XIX. Iisdem Davidis, et Esaiæ, testimoniis cœlos esse perituros, id est transituros, ac mutandos probat Irenæus [1], necnon Chrysostomus homilia XIV in epistolam *ad Romanos.* Et in homilia decima *de Statuis*, mundum hunc universum, adeoque cœlestia corpora, natura esse corruptibilia dicit; idque esse, quod Paulus ait, *Vanitati subjecta est creatura* [2]. Ita etiam Theodoretus libro primo *de Providentia*, cœlum, « etsi pati, corrumpique natura sua possit, tamen tot jam annos perseverare ait, eodem in statu, conditoris sui verbo conservatum [a]. » Itaque vestimenti instar immutandum et instaurandum esse scribit idem *ad Psalmum* CI.

Idem tradit et Damascenus libro secundo *de Fide*, cap. VI Et Scholiastæ Græci ad epistolam secundam *Petri.* Gennadius cap. LXX libro *de Dogmatibus Ecclesiasticis* : « Elementa, id est cœlum et terram non credamus abolenda per ignem, sed in melius commutanda. Figuram quoque mundi, id est imaginem, non substantiam transituram. »

Quinetiam auctor *quæstionum ad Orthodoxos* inter opera Justini [3], huic cœlorum mutationi renovationique subscribit, sed ita, ut et cœlum ipsum, terramque peritura, et pro iis novum cœlum novamque terram a Deo condenda sentiat.

Nec alia est Basilii [4], ex eoque Ambrosii [5] opinio, qui uberrime contra philosophos illud asserunt; tum « quod id omne, quod in tempore initium habet, finem quoque necesse est habeat. Si enim temporale principium habeat, de fine non dubites [b]. » Quod sane de corporatis, et sub sensum cadentibus intelligi debet. Alioqui et Angeli et rationales animæ sic initium habent, ut immortales sint futuri. Tum etiam quod non simplicia sint illa corpora, sed composita, idque quatuor ex elementis, ut ait Ambrosius. Certe ex uno saltem, id est aqua constant, ut superius ostendimus.

At Magister sententiarum [6], cœlum non æthereum, sive sidereum, sed tantum aereum incendio illo novissimo correptum iri putat: « Tantum enim ascendet ignis, inquit, in judicio, quantum ascenderunt aquæ in diluvio. » Suffragatur huic S. Thomas asserens, « non oportere purgari, nisi illas partes mundi, in quibus homines peccaverunt [7]. » Necnon Liranus in *Psalmum* CI et alii quidam, præsertim scholastici. Verum, quod Græci, Latinique complures asseverant Patres, id potius tenendum est, cœlestia corpora, etiam suprema, igne conflagratura, et in novum instauranda esse, ac præstantiorem statum. Quod etiam auctori *Recognitionum* placuit; ac gentilibus plerisque persuassissimum fuit. Indeque ista Ovidii proficiscuntur [8]:

« Esse quoque in fatis reminiscitur, affore [tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia [cœli
Ardeat, et mundi moles operosa laboret. »

CAPUT XIII.

De opere diei tertiæ, cujusmodi, et quotuplex fuerit. Aquarum confluxum unum in locum diei secundæ probabiliter a quibusdam attribui. Qua ratione dixerint veteres aliqui, aquas tertia die procreatas esse, vel per declive fluendi proprietatem illis inditam. Quomodo aquæ in unum locum confluxisse dicantur; et quis ille sit locus. Omni prorsus humore terram emunctam fuisse, ac singulari nihilominus miraculo terram stirpes, herbasque procreasse.

I. Tertiam diem duplici Dei opere commendatam, et insignem fuisse, communis fere est opinio. Nam et aquas putant in unum coactas locum terræ partem maximam nu-

a THEODORET. Ἀλλ' ὅμως καὶ παθητὴν ἔχων, καὶ φθαρτὴν τὴν οὐσίαν, ἔμεινεν οἷός περ ἦν, τῷ τοῦ πεποιηκότος κατεχόμενος λόγῳ.

b BASIL. Τὰ ἀπὸ χρόνου ἀρξάμενα πᾶσα ἀνάγκη καὶ ἐν χρόνῳ συντελεσθῆναι. εἰ γὰρ ἀρχὴν ἔχει χρονικὴν, μὴ ἀμφιβάλλῃς περὶ τοῦ τέλους.

1 Lib. IV, cap. VI.— 2 *Rom.*, VIII, 18.— 3 Resp. ad qu. XCIII, XCIV et XCV.— 4 Hom. I in *Hexaem.*— 5 Lib. I in *Hex.* c. VI.— 6 In IV, disp. XLVII.— 7 In IV, disp. XLVII, qu. un, art. 4.— 8 *Metam.* I.

dasse, ac futurorum animantium habitationi domicilium parasse; et subinde terram herbarum viriditate, ac stirpium ubertate et copia esse vestitam. Sed huic opinioni intercedit Hebræus Aben Hezra, qui in commentario ad illum *Genesis* locum, unicum diei isti opus adscribit herbarum, plantarumque germinationem; emersionem vero terræ, et aquarum collectionem diei imputat secundæ. Itaque quod in commate nono scribit Moses, *Dixit vero Deus, Congregentur aquæ*, sic accipit, tanquam scripserit. *Dixerat vero Deus.* Cujus argumentum sententiæ ducit ex eo, quod sequenti capite Moses ait, *Istæ sunt generationes cœli, et terræ, quando creata sunt, in die quo fecit Dominus Deus cœlum, et terram*[1]. Hinc enim concludit, eodem die, quo cœlum, id est firmamentum factum est, terram esse conditam; hoc est in ex informi mole et indigesta utrumque compositum, et ornatum. « Nec enim aut rei hactenus latentis apparitio, aut congregatio dispersæ, creatio nominari debet [a], » ait Aben Hezra. Sed argumentum istud imbecillum est. Etenim in illo loco capitis secundi, *dies*, quo cœlum, et terra procreata dicuntur, pro tempore usurpatur, et spatio toto, quo creatio ordinatioque processit. Nihilominus valde probabilis videtur mihi distributio illa rerum, et operum, ut eodem, quo firmamentum, id est cœlum, effectum est die, terra retecta sit, aquis in sua conceptacula compulsis.

Aquarum confluxum in unum locum probabiliter secundæ diei tribuitur.

Potest ad hanc suadendam opinionem illud afferri, quod, nisi aquarum ista congregatio diei secundæ tribuatur, carebit hæc dies approbatione sua, et commendatione, quæ singulorum dierum operibus accommodatur his verbis: *Et vidit Deus, quod esset bonum.* At de die tertia bis illud pronuntiatum erit; quod non videtur credibile, cum sit verisimilius, cujusque diurni operis clausulam istam fuisse, ut id bonum esse Dominus viderit. Quanquam R. Selomoh, cui contraria, et communis probatur opinio, causam reddit, cur ad secundam diem non sit adjunctum illud de bonitate divinum judicium; nimirum, quod nondum opus diei secundæ perfectum erat, sed tertia demum elaboratum ac perpolitum fuerit.

Verum in Græcis codicibus idipsum legitur octavo commate capitis primi, *Et vidit Deus, quia bonum est*[b], de firmamento dictum; atque ita Basilius, et hunc imitatus Ambrosius, Chrysostomus, Græcique cæteri; quæ tamen in Hebræo Latinoque minime comparent.

II. Aquam illo die procreatam esse sunt qui existiment, ut Tostatus; alii vim ei tum inditam per declive labendi, et suopte pondere deorsum tendendi. Quod iis verbis contineri putant: *Congregentur aquæ quæ sub cælo sunt, in locum unum.* Ita Basilius docet in homilia IV ubi quæstionem hanc proponit sibi: « Cur, quod secundum naturam competit aquæ, ut per declivia loca feratur, hoc ad mandatum opificis Scriptura refert[c]? » Respondet vero, « Divinam vocem effectricem esse naturæ, ac præceptum creaturæ semel editum iis, quæ creata sunt, ad consequens omne tempus perennitatem dedisse[d]. » Ambrosius quoque [2] huic eidem quæstioni similiter propositæ disertius occurrit: « Ante præceptum Domini non hanc aquæ fuisse naturam, ut laberetur et flueret. Non enim ex usu hoc habet cæterorum elementorum, sed speciale et proprium; non ex quodam ordine, sed magis ex voluntate et operatione summi Dei. Quid jusserit Deus, audiunt. Vox autem Dei efficiens naturæ est. Eam vocem effectus operationis implevit. Cœpit labi aqua, et in unam confluere congregationem, quæ ante erat diffusa per terras, et plurimis receptaculis inhærebat. Cursum ejus ante non legi; motum ejus ante non didici, nec oculus meus vidit, nec auris audivit. Stabat aqua diversis locis; ad vocem Dei mota est. Nonne videtur, quia naturam ei hujusmodi vox Dei fecit, et secuta est creatura præceptum, et usum fecit ex lege? »

An ea die aqua creata, vel per declive eundi proprietatem acceperit.

III. Hanc Basilii et Ambrosii sententiam non probant aliqui, quod et aquam ante omnia exstitisse sub abyssi nomine Scriptura narrat; et hanc naturali sua proprietate, hoc est gravitate non caruisse verisimile est, a qua motus ille per devexa, ac deorsum oritur. Sed ex iis, quæ de aqua et abysso supra disputata sunt, non absurdum utrumque esse constat, ut et tertio, vel secundo die aqua pro-

a Aben Hezra ad cap. I *Gen.* והראות דבר נסתר והקוות מפוור איננו בריאה.

b *Gen.* I, 8, apud LXX. Καὶ εἶδεν ὁ θεὸς ὅτι καλόν.

c Bas'l. Διὰ τί ὁ κατὰ φύσιν ὑπάρχει τῷ ὕδατι φέρεσθαι πρὸς τὸ κάταντες, τοῦτο ἐπὶ τὸ πρόσταγμα τοῦ δημιουργοῦ ὁ λόγος ἀνάγει;

d Ibid. Νόησον γὰρ ὅτι θεοῦ φωνὴ φύσεώς ἐστι ποιητική, καὶ τὸ γενόμενόν ποτε τῇ κτίσει πρόσταγμα, τὴν πρὸς τὸ τὸ ἑξῆς ἀκολουθίαν τοῖς κτιζομένοις παρέσχετο.

1 *Gen.* II, 4.— 2 Lib. III *Hexaem.* cap. II.

ducta dicatur, et ad depressiora confluendi tum eidem datus impetus. Etenim aquas illas, quæ abyssi nomine describuntur a Mose, vaporis instar ac nebulæ, tenues fuisse demonstravimus, non ea, qua modo sunt, gravitate, ac crassitudine. Hanc vero tum acceperunt, cum firmamentum, sive ingens illud expansum, quod cœlum et aerem complectitur, a Deo fabricatum est, atque inter superiores et inferiores aquas interpositum, hoc est inter marinas ac fluviatiles, et nubes ac vapores, e quibus exsistunt pluviæ. Cujusmodi aquas, quæ etiam *cœlestes* a Latinis vocantur, firmamentum infima sui parte sustinet, et ab inferioribus, spissioribusque dirimit. Hoc sensu verum est, quod antiqui docent, partim aquæ elementum die tertio formatum esse, partim gravitatem, et ῥοπὴν inditam fuisse, qua per declive propellitur.

Quomodo aquæ in unum locum confluxisse dicantur.

IV. Tum igitur ad divinæ vocis imperium aquæ omnes inferiores in unum locum collectæ sunt. Animadvertendumque est Hebraicam lectionem sic accipi posse : *Congregentur aquæ sub cælo in unum locum ;* pro quo Latinus posuit, *quæ sub cælo sunt*, ut et Græci, τὸ ὑποκάτω τοῦ οὐρανοῦ. Hæc autem nonnihil discrepant. Nam priorum sensus est, aquas sub cœlo, vel firmamento in unum coactas ita, ut ex tota, quam Moses vocat, abysso, vel immensitate nebulosi illius corporis pars aliqua inferioribus aquis attributa sit, eaque facta spissior ; at posteriora hoc significant, divisione aquarum superiorum inferiorumque facta, et medio interjecto firmamento, partem illam, quæ sub firmamento erat, in unum confluxisse. Quæ sententia movere quempiam potest, quod, si tertia demum die aquas inferiores spissatas, et in unum locum contractas esse dixeris, cum longe minorem locum occupare cœperint, quam cum attenuatæ erant in nubem, vacuam oportuerit esse partem aliquam illius inferioris, ac firmamento subjecti spatii, quod aqua tenuior obtinebat, aut certe superiorum aquarum vim maximam in illius locum succedere. Quod a Mosis narratione videtur alienum, qui superiores ab inferioribus plane divisas esse refert. Verum hoc perleve est ; ac dupliciter responderi potest. Primum, die secundo aquas inferiores a superioribus esse diremptas, et eodem momento densatas illas esse ita, ut ex eadem materia, quam aquam, et abyssum appellat Moses, tum cœlestes orbes ac sidera, tum æther, aerque fabricata sint, quæ omnia firmamenti vocabulo censentur, tum aquæ marinæ, ac fluviatiles, adeoque inferiores omnes. Deinde sic rationem ponere licet, ut tertio duntaxat die mare, et inferiorum aquarum congeries constiterit ; secundo vero cœlum, aerque, sive firmamentum exstiterit, cui sit vis et facultas indita separandarum aquarum ; cujus facultatis, et proprietatis actum, et officium nonnisi sequenti die præstare cœpit.

V. Itaque secundo, vel tertio die, aquæ tenuis ac nebulosæ voraginis illa vastitas inferiore sui parte, terrisque citima densior facta consedit. Quæ ratio probatur Augustino [1], dum illud inquirit : « Cum totam omnino terram undosa materia cooperiret, quo cederet, ut nudaret aliquas partes? An forte, inquit, rarior aqua velut nebula terras tenebat, quæ congregatione spissata est, ut ex multis eas partibus, in quibus arida posset apparere, nudaret? » Nec repugnat huic opinioni quod statim adjicit : « Quanquam et terra longe lateque subsidens potuit alias partes præbere concavas, quibus confluentes, et corruentes aquæ reciperentur ; et appareret arida ex his partibus, unde humor abscederet. » Non enim prohibet, quin et aqua nebulæ hactenus more tenuis spissata sit ; et ad eam excipiendam terra, quæ æquabili antea rotunditate turgebat, in quibusdam sui partibus altius depressa, et in immensum excavata sit, ut aquæ receptacula præberet. Ex quo et illud sequitur, alias vicissim illius partes in ingentem altitudinem elatas fuisse, unde montes, et immania illa ac perpetua passim juga, velut assurgentis terræ tumores exstiterunt, ut compensatio fieret aliqua. Utrumque Beda ex Augustino *in Hexaemeron* suum transtulit ; et terram longe lateque subsedisse, et « rariores aquas fuisse primarias, quæ velut nebulæ terras tegerent. »

Nihil igitur necesse est, aquas putare jam, cujusmodi sunt, concretas, et ad usum animantium factas loca sua mutasse, et ad constituta sibi receptacula confluxisse, ut Basilius [2], et Ambrosius indicant [3]. Est enim verisimilius, hactenus tenuem, et nubis more diffusam aquam fuisse, quæ deinde spissata, in conceptacula sua compulsa sit. Ea vero

a Genes. I, 9. יקוו המים המים מתחת השמים אל מקום אחד.

1 Lib. I *de Gen. ad lit.* cap. XII.— 2 Hom. IV.— 3 Lib. III, cap. III.

« per idem tempus elaborata sunt, ut ait Basilius, quo in unam collectionem cogendæ erant aquæ [a]. »

Terminum mari impositum laudibus extollunt Patres.

VI. Ex illo Dei præcepto deinceps esse factum iidem observant, ut fluvii omnes, ac fontes, et erumpentes e terræ penetralibus aquarum scatebræ perenni lapsu in mare perrumperent, eoque sibi viam et exitum quacumque ratione quærerent. Tum illud præterea perfectum, ut Oceanus, ac mare adeo omne suis se terminis contineret, nec fixis a Deo limitibus transcensis, inundaret, ac terram et quæ in ea manent ac spirant, obrueret. Quod alioqui futurum esse, nisi divini mandati velut fræno quodam coerceretur mare, ex eo argumentantur illi, quod terra sit depressior, supraque eam aqua consurgat. « Nonne ipsi videmus mare, ait Ambrosius [1], frequenter undosum ita, ut in altum fluctus ejus tanquam mons aquæ præruptus insurgat, ubi impetum suum ad littus illiserit, in spumas resolvi, repagulis quibusdam arenæ humilis repercussum, secundum quod scriptum est? *Aut non timebitis me* [2], dicit Dominus, *qui posui arenam fines mari?* Infirmissimo itaque omnium vilis sabuli pulvere vis maris in tempestate cohibetur ; et velut habenis quibusdam cœlestis imperii a præscripto sibi fine revocatur, violentique æquoris motus in sese frangitur, atque in reductos sinus suos scinditur. » Hæc Ambrosius ex Basilio ; quæ rhetorico perinde colore depinxit Basilius alter Seleuciensis in oratione prima. « Nudat, inquit, post hæc aquis terga continentis, velut in quibusdam conditoriis maria concludens, repagulum imponens abysso mandatum suum, et arena frenans tanquam metu mare, tutam ab pelagi exundationibus, et naufragiis continentem servans, tametsi ventorum impressionibus ad terram propellatur mare. Fertur quidem sublatis tumidum fluctibus ; sed ubi limites attigerit, fugiens in sese retro agitur, ac domini sui vocem in littoribus scriptam intuens, curvatis in sublime fluctibus, illum adorat, qui terminos præscripsit [b]. »

VII. Auget divini illius operis admirabilitatem Basilius, et cum eo Ambrosius, aliique, dum ita prædicant : mare altius esse terrà vel ubique, vel compluribus in locis, ut in Ægypto. Quare « nisi vis statuti cœlestis inhiberet (ait Ambrosius ex Basilio) quid obstaret, quin per plana Ægypti, quæ maxime humilioribus jacens vallibus campestris asseritur, mare rubrum Ægyptio pelago miscereturʔ Denique docent hoc, qui voluerunt, hæc duo sibi maria connectere, atque in se transfundere. » Quos ab eo conatu deterritos aiunt, ne, si isthmus ille perfoderetur, coeuntia invicem ambo maria totam Ægyptum utique depressiorem, ac subjectam obruerent. Huic opinioni, quæ mare supra terram attollit, complures suffragantur antiqui. Cicero in secundo *de Natura Deorum,* « Mare, cum supra terram sit, inquit, medium terræ locum expetens, congregatur undique æqualiter, neque redundat, neque effunditur. » Ex nostris vero, id est christianis Patribus, plerique ; tum vero recentiores haud pauci. Quibus adversantur alii, et super aquas eminere censent terram. De qua controversia, quoniam instituti est alterius, plura non dicam. Habet, qui eam accuratius rimari voluerit, philosophorum hac de re commentationes ; tum Pererius ad illud *Genesis* locum uberem de ea disputationem instituit. Nobis, uti ne taciti omnino prætereamus, illud imprimis placet, nec universe mare omne supra terram assurgere, nec ullum esse, quo non sit alicubi terra depressior. Quare tam hos, quam illos vera scripsisse, si non generatim, sed ex parte, suum quisque defendat.

An mare altius sit terra.

VIII. Quæsitum illud est præterea, quinam illa sit aquarum interpretanda collectio. Non enim unus omnium est alveus, cum sint maria diversa. Hebræa quidem, et iis Latina consentientia, et congregatas esse aquas indicant *in locum unum ;* at Græca, εἰς συναγωγὴν μίαν, *in unam collectionem.* Quam mox Hebræa lectio vocat מקום, Latina *congregationes*, plurali posito loco singularis, sicut et Græci fecerunt, τὰ συστήματα τῶν ὑδάτων, *collectiones*, vel *concursus* aquarum. Porro LXX ad versum nonum, appendicem quamdam habent, qua Hebræi Latinique carent codices: *Et congre-*

a Basil. Ὅτι τότε καὶ ἀγγεῖα συγκατεσκευάσθη, ὅτε εἰδεῖ πρὸς μίαν σύστασιν ἀποκριθῆναι τὸ ὕδωρ.

b Basil. Seleuc. Γυμνοῖ δὲ μετὰ τοῦτο τῶν ὑδάτων τῆς ἠπείρου τὰ νῶτα· ὥσπερ ἐν τισι ταμείοις τὰ πελάγη συγκλείων, κλεῖθρον ἐπιθεὶς τῇ ἀβύσσῳ τὸ πρόσταγμα, καὶ ψάμμῳ χαλινώσας, ὡς φόβῳ, τὴν θάλατταν, ἀναυάγητον τοῖς πελάγεσι φυλάττων τὴν ἤπειρον, κἂν ἀνέμων ἐμβολαῖς ὠθῆται πρὸς τὴν χέρσον ἡ θάλαττα. φέρεται μὲν κορυφουμένη τοῖς κύμασι. ψαύουσα δὲ τῶν ὅρων ὑπονοστεῖ δραπετεύουσα καὶ τὴν τοῦ δεσπότου φωνὴν ἐν αἰγιαλοῖς γεγραμμένην ὁρῶσα, κυρτουμένη τοῖς κύμασι, προσκυνεῖ τὸν ὁροθετήσαντα.

1 Lib. III in *Hexaem.* cap. XXI.— 2 Hier. V.

gata est aqua, quæ sub cœlo erat, in congregationes suas, et apparuit arida[a]; quam lectionem Græci interpretes, et Ambrosius agnoscit[1].

Jam propositæ quæstioni Basilius respondet: Plures quidem aquarum esse collectiones; sed Mosem de primaria, et omnium maxima loqui, quem *Oceanum* interpretantur etiam Hebræi. Ac « quemadmodum dicitur, (ait Ambrosius libro tertio, capite tertio) quia fecit Deus duo luminaria, id est solem, et lunam, cum sint utique et stellarum lumina; ita et una congregatio dicitur, cum sint plurimæ. Neque enim annumerantur, quæ non conferuntur. » Ad hæc Basilius addit, lacus, et stagna quælibet non esse proprie collectiones aquarum; majores autem, ut et illa, quæ maria vocantur, velut Caspium, per apertos vel occultos et subterraneos meatus in Oceanum confluere, cum eoque committi. Sic etiam Theodoretus quæstione XII et Procopius, et Beda. Repugnant tamen plerique Aristotelis auctoritate nixi [3], qui maria illa prorsus a se invicem dissociata credit.

IX. Sed utrique rationi Mosis verba congruunt. Etenim aquæ omnes, hoc est tota illa vis vaporis, ac nubis, quæ terram operiebat, in certa loca collectionesque varias spissata coiit. E quibus conceptaculis unum est maximum ac præcipuum; alia minora, quæ et ipsa maria vocantur. Quare veluti distributive intelligenda ista sunt: *Congregentur aquæ omnes in unum locum*, hoc est in suum quæque, ut, etsi plures sint collectiones, aqua tamen omnis certo ac præfinito sibi loco consistat. Hic enim narrationis Mosaicæ scopus est demonstrare, quemadmodum terræ pars magna ad animantium habitationem retecta sit, et aquis nudata, quæ hactenus nullis discretæ terminis, impune totam illam inundabant. At post editum a Deo mandatum, eædem in certum collectæ locum, sua quæque, ac vicina sibi terræ spatia nuda, et habitabilia reliquerunt. Ita in unum locum, unamque congregationem, sed non eamdem omnes aquæ corrivatæ sunt. Quam nostram opinionem non Græca solum, ac latina confirmat editio, verum et Hebraica vox plurali usurpata numero, ימים *maria*, quæ argumento est, distributive accipiendum esse nomen illud singulare *congregationis*.

X. Credit Philo Judæus, quidquid aquæ salsum erat, id solum coire jussum in eumdem locum; dulces autem ac potabiles et ad irrigationem stirpium, atque ex humo nascentium utiles, infusas esse terræ, ut eo quasi coagulo fermentaretur. Verba Philonis, quæ Suada ipsa dictavit, non possum, quin ex parte saltem aliqua describam. « Post hæc, inquit, cum aqua omnis per totam esset diffusa terram, ac partes ejus omnes pervaderet ita, ut spongiæ more totum ebibisset humorem, atque ex duobus elementis maceratis, invicemque confusis, velut in massam, cænosa quædam, et altissima luti vorago fieret, in quam indiscreta, et informis natura coiisset; jubet Deus, quidquid aquæ salsum erat, et satis, atque arboribus sterilitatem allaturum, ex omnibus terræ cavitatibus corrivatum colligi, et aridam emergere, dulci in ea humore ad perpetuitatem relicto. Est enim glutinis instar ad ea conjungenda, quæ divisa sunt, moderatus ille dulcis liquor; tum vero ne prorsus exsiccata terra, sterilis et infecunda redderetur [b]. »

Mihi hæc Philonis opinio non placet. Quin arbitror, humorem prorsus omnem, tum qui extra, circumque terram erat, tum qui infusus erat ipsi, in unum alveum fluxisse; ac vim quamdam, et ἔμφασιν subesse *aridæ* vocabulo, quam יבשה vocant Hebræi, quam vulgo minus observant. Non enim terram simpliciter puto significari, sed terram exsuccam, et humore nullo madefactam, cujusmodi per sese esse debet, atque uti solet æstuante, ac sereno cœlo conspici, jamdudum imbribus compressis. Hoc vero ad divinæ potentiæ specimen usurpatum videtur; quæ in eo præsertim enituit, quod, cum terram univer- *Emphasin.*

a Genes. I, 9. Καὶ συνήχθη τὸ ὕδωρ τὸ ὑποκάτω τοῦ οὐρανοῦ, εἰς τὰς συναγωγὰς αὐτοῦ, καὶ ὤφθη ἡ ξηρά.

b Philo *de Cosmop.* Μετὰ δὲ ταῦτα, ἐπειδὴ τὸ σύμπαν ὕδωρ εἰς ἅπασαν τὴν γῆν ἀνεκέχυτο, καὶ διὰ πάντων αὐτῆς ἐπεφοιτήκει τῶν μερῶν, οἷα σπογγιᾶς ἀναπεπωκυῖας ἰκμάδα· ὡς εἶναι τέλμα, καὶ βαδὸν πηλὸν ἀμφοτέρων τῶν στοιχείων ἀναδεδευμένων, καὶ συγκεχυμένων τρόπον φυράματος εἰς μίαν ἀδιάκριτον, καὶ ἄμορφον φύσιν· προστάττει ὁ θεὸς, τὸ μὲν ὕδωρ ὅσον ἁλμυρὸν, καὶ ἀγονίας αἴτιον ἔμελλεν ἔσεσθαι σπαρτοῖς, καὶ δένδρεσιν, ἐπισυναχθῆναι συῤῥυὲν ἐκ τῶν τῆς ἁπάσης γῆς ἀραιωμάτων· τὴν δὲ ξηρὰν ἀναφανῆναι, τῆς τοῦ γλυκέος νοτίδος ἐναπολειφθείσης εἰς διαμονήν· κόλλα γάρ τις ἐστὶν μεμετρημένη γλυκεία νοτὶς τῶν διεστηκότων· καὶ ὑπὲρ τοῦ μὴ παντάπασιν ἀπαυανθεῖσαν αὐτὴν ἄγονον, καὶ στεῖραν γενέσθαι.

1 Lib. III, cap. v.— 2 Homil. IV.— 3 Lib. II *Met.*

sam hactenus operirent aquæ, plurimumque humoris illa combibisset, ita momento unum in locum, imperante Deo, liquor omnis abscessit, nullum ut ejus in terra vestigium, nihil uliginis, humectique superesset.

In herbis stirpibusque procreandis maxime commendata Dei potentia.

XI. Hoc ita factum esse, tacite Moses indicat; non solum ut infinitam suam potentiam commendaret Deus in aquis separandis, sed multo magis in herbis ac stirpibus procreandis, quas sciremus neutiquam naturali terræ vi ac sponte profusas, utpote quæ siccissima esset, ac genitali funditus humore carens nihil ex se posset gignere. Quod si pristinis ex aquis commaderet, velut post diluvium accidit, mirum non esset, stirpes ex ea pullulasse, hoc est *virgultum, et herbam agri*. Hoc enim naturaliter in humectis, et rorulentis terræ partibus usuvenit. At Moses non semel hoc repetit, non arbores solum et grandiores stirpes procreasse verbo Deum, sed ejusdem etiam imperio terram gramine ac viriditate vestitam esse, cum paulo ante eam יבשה id est *aridam* nominasset, Quamobrem singulari hoc miraculo factum est, ut ex siccaneo solo et arido lætissimus, et uberrimus viror exsisteret. In quo alterum insuper miraculum Scriptura demonstrat, quod illa terræ ipsa fœcunditas, illa frugum, herbarum, ac stirpium incrementa, nullis e cœlo pluviis foverentur et adolescerent. Quod quidem in tanta soli siccitate proximum erat adjumentum. Sed ut pluviæ instar vapores essent ii, qui in aquarum divortio illo supra terram suspensi manebant, ac genitali quodam tempore tenellos fœtus recreabant, non ut spissarentur in pluvias, sed ut solo incubitu fœcunditatem afferrent, aut etiam leni, ac matutino rore perfunderent. Hæc enim vaporum matutinorum resolutio pluvia minime vocatur. Sed locum ipsum Scripturæ, qui alioquin obscurissimus est, utile sit expendere; quod in sequenti capite faciemus.

CAPUT XIV.

Explicatur insignis locus ex capite secundo Genesis, ubi fons ascendisse dicitur e terra: quod de nube, sive aqua tenui primigenia supra terram suspensa intelligitur. Perstringitur illa quæstio, utrum vere, an autumno conditus sit mundus; et autumno probabilius esse factum asseritur.

I. Postquam Moyses sex dierum opificium toto primo capite descripsit, mox in sequenti summatim, universeque colligens, *Istæ sunt*, inquit [1], *generationes cœli, et terræ, quando creata sunt, in die quo fecit Dominus Deus cœlum, et terram*. Quæ verba non unius diei mentionem faciunt, ut quibusdam videtur, qui primum diem designari putant, in quo factum illud est, præter lucem, quod initio libri Moses explicat: *In principio creavit Deus cœlum et terram*. Sed eam nos opinionem minime probamus: ac supra docuimus, *diei* nomen istic usurpari pro tempore; quod apud Græcos, Latinosque non minus, quam Hebræos usitatum est. Exemplo sit Ciceronis illud ex libro secundo *in Verrem*: « Itaque, cum ego diem in Siciliam inquirendi perexiguam postulavissem, invenit iste, qui sibi in Achaiam biduo breviorem diem postularet.» Igitur, cum dixisset, *in die*, id est tempore illo, *factum esse cœlum et terram*, hoc est perpolitum, et elaboratum esse sex continuis diebus, (id enim *faciendi* vox Hebræis ipsis interpretibus significare videtur) nominatim subinde solius *virgulti, et herbæ* meminit ex omnibus dierum sex operibus: *Et omne*, ait, *virgultum agri, antequam esset in terra, et omnem herbam regionis, priusquam germinaret. Non enim pluerat Dominus Deus super terram; et homo non erat, qui operaretur terram. Sed fons ascendebat e terra, irrigans universam superficiem terræ*. Mirum hic videri potest, cur in generali et perbrevi repetitione illa divinorum operum, speciatim herbascentis viriditatis, ac plantarum meminerit. Et quia non sine causa factum illud esse suspicari possumus, merito quænam ea sit, inquirimus. Suus cuique sensus est. Mihi, ut antecedenti capite significavi, Moses videtur mirificum illud, et stupendum, quod die tertio contigit, diligentius inculcare voluisse, quod stirpes,

Explicatur Genesis locus: *Fons ascendebat e terra.*

[1] *Gen.* 1, 4

et sâta sicca ex humo, nec ullis aquis, aut imbribus irrigua germinaverint, eaque obtendente se nube confota sint, quæ nubes pluviæ et irrigationis instar fuit.

II. Conjecturam hanc nostram, et interpretationem adjuvat Hebræi vocabuli proprietas, quæ est in sexto commate, יאר quam *nubem* Hebræi esse censent, ut est in Thargum Onkelo, qui vertit עננא, Aquila ἐπιθλυγμόν, quod est *aquarum eruptio*, et *scaturitio*, LXX πηγὴν, quos secutus est Latinus interpres. Ac plerique fontis nomine vaporem, ac nubes intelligunt, quæ solis calore trahuntur e terra, et in pluvias aeris frigiditate solvuntur. Sed non vident, hoc posito, et contradicere sibi Mosem, et quod versu quinto negaverat, *pluisse Dominum super terram*, hoc affirmare proxime sequente; siquidem nubes illa in pluviam est conversa.

Ideo Hebræorum aliqui, ut R. Saadias, et Kimhius subaudire malunt communem negationem quinto, et sexto commati, tanquam legatur, *Non ascendebat*. Alii, ut Mercerus, *Porro deinceps ascendebat e terra vapor*, ita ut sine ullo humoris adjumento procreatæ de humo stirpes subinde complutæ, irrigatæque fuerint. Ego vero יאר nubem illam vaporemque esse malo primigeniæ aquæ reliquias, quæ in nebulam attenuatæ, totum, quaquaversum oculus prospicere potest, inane illud spatium oppleverant. Cujus inferiore spissata parte, et in maris ac lacuum et fluviorum alveos recepta, pars altera supra constitit, interposito aere, quod firmamentum vocatur et ex eadem materia fabricatum est, ut etiam æther tractusque cœlestis universus. Quamobrem, simul atque factum est firmamentum, officium illud, cujus gratia conditum erat, usurpare cœpit, et inferiores aquas ab superioribus dividere ; ut propterea pristini illius æquei vaporis partem reservaverit Deus, et in aere suspenderit, ut imposito sibi munere fungi jam inciperet, et aquas sustentare. Græci porro, et Latinus fontem verterunt, quod nubes instar fontis deinceps fuerunt, quo sicca tellus irrigaretur et natas stirpes, atque herbas aleret. Tum vero sine imbribus ullis, solo incubitu atque fotu, eamdem satis commoditatem attulit, ingenti miraculo et accuratius ideo posteris commendando.

III. Nam quod *ascendissé* vaporem illum ait *a terra*, non sic acceperim, ut vulgo fit ab Interpretibus, tanquam e terræ penetralibus vapores exsudaverint, quemadmodum calore solis eductæ nubes in pluvias abeunt, sed יעלה, id est *ascendebat*, idem est atque *eminere*, *supra consistere*, *eductum esse*. Vapor, inquit, ille, sive fons copiosissimus supra terram assurgebat, et elevatus erat, ac stirpes et germina fovebat.

Ad hoc itaque Dei mandatum terra, quæ diductis aquis ariditate squalebat, ob idque *arida*, vel *sicca* antonomastice nominatur, repente pullulantium herbarum viriditate vestiri cœpit, ac stirpes et arbores proferre. Herbam teneram דשא vocant Hebræi, sua sponte provenientem. Aben Hezra *viriditatem* exponit, qua humus regitur, et ornatur. At עשב *herbam* sativam, βοτάνην χόρτου *herbam pabuli*, ut reddit Augustinus. At Latinus דשא pro *herba* sumpsit, עשב pro *virente*, quasi dicas *germen herbidum*.

Neque vero « causaliter tantum tunc dictum est produxisse terram herbam, et lignum id est producendi accepisse virtutem, » ut scribit Augustinus. Verius Philo Judæus stirpes omnes, atque sata jam grandia, et matura prodiisse dicit, cum fructibus jam ad usum aptis[a].

Sed neque Basilio [2], et, qui eum secuti sunt, Ambrosio [3], Procopio aliisque consenserim, qui rosas initio spinarum aculeis negant infestas fuisse, sed post peccatum his esse vallatas, quasi nullas, nisi post lapsum Adami, spinas ac sentes terra productura fuerit ; quod verum non est, nisi in ea terræ parte dicamus, quam ad usum victumque suum homo coluisset, nullas funditus orituras. Verum aliis in locis exstitissent utique, præsertim quæ bonis et utilibus plantis naturales, et ingenitæ sunt, ut rosis, ac cæteris, quæ inter spinas nascantur.

IV. Sunt qui ex eo, quod primo in rerum exortu pullulare herbæ, germinare arbores, fruges, atque fructus erumpere cœperint, vere primo mundum esse procreatum existimant, ut Theoderetus : « Nam ineunte, ait, vere prata florent, et segetes fluctuant, et fructum arbores emittunt [b]. » Eamdem ratio-

Qua anni ætate conditus mundus.

a Philo *de Opif.* Ἐβεβρίθει δὲ πάντα καρποῖς εὐθὺς ἅμα τῇ πρώτῃ γενέσει κατὰ τὸν ἐναντίον τρόπον ἢ τὸν νῦν καθεστῶτα. νυνὶ μὲν γὰρ ἐν μέρει γίνεται τὰ γινόμενα χρόνοις διαφέρουσιν, ἀλλ' οὐκ ἀθρόα καιρῷ ἑνὶ.

b Theod. quæst. LXXII *in Exod.* Ἀρχομένου δὲ τοῦ ἔαρος, καὶ οἱ λειμῶνες ἀνθοῦσι, καὶ κυμαίνει τὰ λήϊα, καὶ τὰ δένδρα φύει καρπόν.

1 Aug. V *de Gen. ad lit.* cap. IV.— 2 Hom. V.— 3 Lib. III, cap. XI.

nem affert Beda ; et est multorum hæc opinio *, vere mundum esse productum. Nobis tamen visum alias est [1], in autumnum potius incidisse mundi natalem ; quod minime mutamus. Ac, si quid est momenti in illo maturitatis argumento, huic posteriori magis, quam alteri suffragari sententiæ debet. Autumno quippe potius, quam verno tempori convenit perfecta fructuum bonitas, ac tempestivitas. Sed in utramque partem levis est, quæ inde conjectura ducitur. Movet nos, ut autumnum præferamus, ea potissimum ratio, quod ante Mosem id initium civilis anni fuerit. Unde et æstatis exitus finis anni vocatur *Exodi* XXIII et XXXIV [2]. Constatque, primum ab Mose novum anni sacri, vel Ecclesiastici constitutum esse primordium in verno mense, qui est Nisan, cum ab autumnali, id est Tisri hactenus procederet, quod et Josephus[3] confirmat **. Habet etiam opinio hæc adstipulatores neque paucos, neque ignobiles velut Lyranum, Abulensem, Picum Mirandulanum [4], Pererium [5], Serarium [6], ac Judæos plerosque***. Nam et ipsi divisi sunt in factiones duas, quarum altera mundi initium ponit in Tekupha, id est *cardine* autumnali, ad quem et vulgaris illorum computus dirigitur ; altera in verno cardine. De quibus in secundo *de Doctrina temporum* plenius disserimus.

Sed castigandus est vulgaris eorum error, qui sive autumno, sive verno tempori mundi originem attribuunt. Nam priores Septembri fere conditum putant, ut Abulensis[7] ejus mensis die XXV, Beda vero, qui priorem opinionem tuetur, duodecimo calendas Aprilis luminaria esse facta censet, hoc est Martii 21. Ita creari mundis cœperit 18 Martii. Sed *æquinoctiorum*, ut vocant *præcessionem* ignorabant illi, quâ retro semper in anteriora mensis recurrit. Qua ratione anno primo mundi, quem nos putamus 3984 ante Christianam æram, æquinoctium autumnale in Octobrem secundum medios motus incidit, die XXVI, feria prima, ut alibi[8] acurate digessimus. Quod si vernum cardinem præstituere vellem, ab Aprilis XXVI circiter mundi exordium repeterem. Sed hæc alterius sunt loci.

CAPUT XV.

De operibus quartæ et quintæ diei. Solem, lunam, ac reliqua sidera non ante quartam diem procreata fuisse. In eadem sidera lucem diei primæ opus fuisse congestam. Quinta die tam pisces, quam aves ex aquis prodiisse. Explicatur Geneseos locus de avium productione, et Vulgata interpretatio contra Cajetanum defenditur.

I. Quartæ diei opus et quintæ minimam a nobis operam desiderat. Nam quæ ad priorem attinet, pene universa confecta sunt in antecedentibus capitibus[9], quibus secundæ opificium, quod est firmamentum, enarravimus. Est enim hujus, id est cœli, cum sole, luna, stellisque tractatio communis ; siquidem partes ista sunt illius, eademque ambo forma constant, et materia. Tum in luce, primi opere diei explicanda, multa, quæ ad solem spectant, attigimus. Hinc igitur notum jam esse debet, luminaria perinde, ut orbes, quibus attributa sunt, ex aquis esse fabricata, sive aquea illa, sed subtiliore nebula, quam supra terram quaquaversum diffusam, materiam diximus fuisse plurimorum operum. Quanquam qui cœlestia corpora ignea esse putant, solem quoque ignem esse dixerunt, ut præter illos, quos supra nominavi, Titus Bostrensis in libro secundo *contra Manichæos*[10]. Sed nimirum etiam æther, ignisque materiam cum cæteris eamdem sortitus est aquam, ut in eo admirabilior sit artificis industria, et potestas, qui, quas vult, res contrariis efficit

* Patres certe tum Latini, tum Græci eam magna consensione sententiam tradunt atque in primis Ambrosius L. I. *Hexaem.* c. IV. et *de Myster Paschæ* c. II et Gaudentius Brixianus tractat. I *in Exodum*. Confer Salianum Appar. cap. IV n. 6. Z.

** Hæc tamen ratio infirmior videtur, quam ut tantam Patrum auctoritatem convellat. Nam ut optime notat P. Schwarz. *Colleg. historicor.* t. I. p. 134, ante Mosem id initium anni civilis videtur fuisse non propter Originem mundi ea tempestate conditi, sed propter statum civilem, qui apud Orientales, Judæosque præcipue agrorum cultu pecoribusque cum totus fere contineretur, postulare videbatur, ut a tempeste locationibus, conductionibus, emptionibus opportuniore, cujusmodi certe autumnus est, annus quoque civilis initium duceret. E. A. Z.

*** Adcesserunt his Natalis Alexander disp. I *de Mundi Opificio* artic. 8, propos. 2 et Serri, *de Mundi Opificio* disput. unica prælect. IV. E. A. Z.

1 Lib. IX *de doct. temp.* cap. VI et in *Rat.* part. II, lib. II, cap. I.— 2 *Exod.* XXIII, 16 etc. 34, 22 — 3 Lib. *Orig.* I, cap. IV.— 4 Lib. *cont. Astrol.* cap. VII.— 5 Lib. I com. in *Gen. ad opus* III dier.— 6 In cap. V *Jos.* qu. XXVII.— 7 *Defens.* I Par, cap. XIV.— 8 In lib. *de Doct. temp.*— 9 Cap. X et seq.— 10 Tom. IV *Bibl. Patr.* col. 921.

ex rebus, et ad nutum omnes ex æquo habet obsequentes, ac tractabiles.

Quocirca die mundi quarto solem imprimis, ac lunam molitus est Deus. Quorum fabricationem eo consilio distulit, ut et dierum, ac noctium intervalla sciremus sine sole posse constare; et herbas, atque stirpes solo jussu Creatoris, nullo adhibito illius officio, oriri ab humo potuisse; atque ita mirari nimium illa desinerent homines, aut vero numen iis aliquod affingere; quod aliquando futurum Deus certo prævidebat. Hæc communis est antiquorum iis de rebus opinio [1].

Solem ac sidera non ante diem quartam facta.

II. At Hebræi primo ipso die dicunt luminaria esse facta, et quarto demum affixa cœlo atque suspensa (quod inter alios docet in commentario R. Selomoh) et habent fautores etiam ex christianis aliquos [2], me quidem minime probante. Quid enim cogit nos ab simplici Mosis narratione discedere? Lucem scribit hic primo die esse productam; nihil addit operis amplius. Quarto deinde luminaria magna, et minora. Non igitur ante diem hunc exstiterant. Ac Severianus quidem extra cœlum illa esse fabricata scribit, et illo postea esse translata, præeunte ad id Scriptura, quæ ita loquitur: *Et fecit luminaria duo; et posuit ea in firmamento.* « Quemadmodum, inquit Severianus, artifex prius imaginem facit, tum factam affigit parieti [a]. »

Idem insuper ex illa luce, quæ primi diei pensum fuit, tanquam materia, cœlestes istas faces procreatas, et accensas existimat; « Ut si quis massam auri proferat, ac deinde nummos ex ea percutiat; ita Deus dispositionem lucis ordinavit [b]. » Nimirum de luce itidem, ut plerique antiquorum [3], sensisse Severianus videtur, eam corpus esse quoddam, quod proinde fabricandis aliis operibus materiæ instar esse potuit.

Hinc Maximus in *Scholiis* ad caput IV Dionysii *de Divinis nominibus*, « Solem nihil aliud esse quam lucem asseverat; ideo non tanquam accidens inesse ipsi [c]. » Et postea « primigeniam illam lucem, quæ primo die creata est, quarto demum in solem esse transformatam [d]. »

At Basilius prima die « naturam lucis ipsam esse conditam ait; quarta vero, Solare corpus illud, quod primigeniæ lucis illius veluti vehiculum foret, esse constitutum [e]; » assentiturque Theodoretus quæstione XIV.

Credibile est, ex eadem, quæ cœlum, sive firmamentum, secunda die creatum fuerat, materia solem, ac reliqua sidera quarto die condita fuisse; videlicet aquea nebula, quæ tamen ad illorum corporum fabricationem conglobata magis est, et compacta. Cum autem lux in eodem illo nebuloso tractu jam a Deo producta fuisset, necesse non fuit hanc de integro creari. Sed collectis, et compressis rarioribus, lucidisque partibus, major in spisso, et densiori corpore vis lucis exstitit.

III. Inter hæc lucida corpora, duo cæteris magnitudine, usuque præstantia describuntur, quæ φωστῆρες, id est *luminaria* vocantur, in quæ diei, ac noctis principatum partitus est. Εἰς ἀρχὴν Græci dicunt, quod est *imperium*, non *initium*, ut quidam opinati sunt, et inter hos Augustinus [4]. Verum Hebraica vox מִמְשָׁלָה ambiguitatem adimit. Ad hæc *in signa, et tempora, et dies, et annos* esse jussit. Signa interpretor serenitatis, pluviæ, tempestatum, et hujus generis alia, quibus agricultura, medicina, nautica, et pleræque vitæ partes gubernantur, ut Basilius, Ambrosius, Theodoretus, aliique docent; qui et astrologorum, ac genethliacorum vanitatem redarguunt arbitrantium, futurarum rerum, ac fortuitarum exitus in illis corporibus velut signis esse descriptos. Qui locus latissime patet, et a nobis, quantum erat necesse, tractatus est, cum de Angelorum cognitione diximus [5]. Neque Diodori, aliorumve placet opinio, qui signa quædam inusitata, et prodigia istic cogitant, ut cum sol ad imperium Josue constitit. Nec abhorret R. Selomoh, qui signa defectiones ait esse siderum, quibus ingruentia mala portenduntur, a quibus terreri vetat Jeremias

a Sever. hom. III. Φαίνεται γὰρ ποιήσας αὐτοὺς ἔξω τοῦ οὐρανοῦ, καὶ τότε πήξας ἄνω. ὥσπερ τεχνίτης ἐπειδὰν ἀπαρτίσῃ εἰκόνα, τότε πήγνυσιν αὐτὴν ἐν τῷ τοίχῳ.

b Sever. ibid. Ὡς εἴ τις προεβάλλετο μάζαν χρυσοῦ, καὶ μετὰ ταῦτα νομίσματα κόψας, οὕτω διέθηκε τοῦ φωτὸς τὴν διακόσμησιν.

c Maxim. Ὥσπερ ὁ ἥλιος οὐκ ἄλλό τι ὢν παρὰ τὸ φῶς, οὐ συμβατὸν ἔχει τὸ φῶς.

d Idem. Ὅτι τὸ πρωτόκτιστον φῶς τῇ τετάρτῃ ἡμέρᾳ μετεσχηματίστη εἰς ἥλιον.

e Basil. hom. VI. Τότε μὲν γὰρ αὐτὴ τοῦ φωτός ἡ φύσις παρήχθη, νῦν δὲ τὸ ἡλιακὸν τοῦτο σῶμα ὄχημα εἶναι τῷ πρωτογόνῳ ἐκείνῳ φωτὶ παρεσκεύασται.

1 Phil. in *Cosmop.* Chrys. Hom. VI Sever. Hom. III Basil. etc.— 2 Vide Cajet. et Cathar.— 3 Vide sup. cap. VII.— 4 Lib. I *de Gen. ad lit.* cap. XIII.— 5 Lib. I *de Angelis* cap. IX.

capite x. Sed, ut simplicius, ita probabilius est, quod dixi.

Quintæ diei opus.

IV. Quinta dies germinatum divinæ artis opificium protulit, piscium ac volucrium genera. Prius שרץ, id est *reptile* nominatur. Hoc enim nomine illo continetur, quod incedendo pedibus non utitur, ut pisces, et serpentes. Hic proprie sunt pisces.

Vulgata interpretatio de avium productione contra Cajetanum defenditur.

Cajetanus more suo Hebræis addictus Vulgatum interpretem castigat eo, quod ex aquis non modo pisces, sed etiam volucres prodiisse significat, cum Hebraica tantummodo aves volare esse jussas indicent : *Producant*, inquit, *aquæ reptile animæ viventis ; et volatile volet super terram* [a]. Verum est ellipsis relativi pronominis אשר, *Et volatile quod volet* ; quod Græci, et Latinus suppleverunt [b]. Quinetiam Thargum Onkelos, *Et volatile, quod volat super terram*, etsi alii codices habent, *Et volatile* יפרח id est *volabit* [c]. Quod Fagius secutus est, pronomine suppresso. Assentitur et Mercerus ex quorumdam Hebræorum auctoritate, qui pronomen ibi supplendum existimant, Quare vana est Cajetani ἐπίστασις; et certum est, uno die ex aquis ortos esse pisces, et volucres. Atenim capite sequenti volucres e terra formatas esse Moses refert [1] : *Formatis igitur de humo cunctis animantibus terræ, et universis volatilibus cœli*, etc. Verum quid nos cogit hæc verba « et universis volatilibus » cum illis nectere *de humo*, cum ad vocem *formatis* possit referri? Utrumque enim formatum est. Sed animantia terrena de terra, volatilia autem aliunde [2] ; quod Augustino placet [3], qui et *terram posse universaliter* sic appellari adjicit, ut etiam aquam contineat ; quod minus probat. Quod autem quidam partim ex aqua, partim e terra procreatas aves arbitrantur, nihil id necesse est.

Observatio.

V. Nobis communis antiquorum Patrum suffragatur fides ; e quibus Basilius, « Quare, inquit, ex aquis etiam volucribus originem dedit? Quoniam velut cognatio quædam est avium cum piscibus. Etenim quemadmodum pisces aquam secant, pinnarum agitatione progredientes, caudæ vero mutatione flexuosos, ac rectos motus, et impetus sibi gubernantes; sic idem et in volucribus licet cernere, quæ per aerem pennis similiter natant [d]. »

At Augustinus observat aeris naturam velut ancipitem esse, ac partim ad cœlum, partim ad terram, vel aquam pertinere: « Ad cœlum, si qua sunt in ejus superioribus partibus tranquillissima, et pacatissina spatia ; ad terram, propter hunc turbulentum, et caliginosum locum, qui humida exhalatione pinguescit, quamvis et ipse sæpius cœli nomine nuncupetur, ac per hoc non scriptum est : *Producant aquæ reptilia animarum vivarum, et producat aer volatilia volantia super terram* ; sed utrumque hoc animantium genus ex aquis productum esse narratur. Quidquid ergo aquarum sive labiliter undosum, et fluidum est, sive vaporabiliter tenuatum, atque suspensum, ut illud reptilibus animarum vivarum, hoc volatilibus appareat distributum, utrumque tamen humidæ naturæ deputatur. » Hic Augustinus pisces ex aqua crassiore ac jam spissata exstitisse dicit ; ex tenui autem, et nebulosa volucres. Idem affirmat et Rupertus libro primo *de Operibus Trinitatis*, capite quinquagesimo. Atque hoc opinioni nostræ convenit, quæ aquam initio tenuem ac nebulæ more diffusam adstruit, ex eaque firmamentum, hoc est aerem et æthera, sive cœlum, esse factum ; tum qua aer est, aquas inferiores et concretas a superioribus discriminasse, quæ pristinam retinentes tenuitatem in aere suspensæ remanebant. Neque nos deterrere debet, quod opponunt aliqui, avium corpora mista quatuor ex elementis, non ex aqua sola prodiisse. Nam, si quid isti ratione sua promovent, iidem efficient, hominem non esse de terra procreatum, neque terram, aut aquam ex nihilo. Frustra itaque velitantur adversus manifestam Scripturæ fidem.

a Gen. I, 20. וישרצו המים שרץ נפש חיה ועוף יעופף על הארץ.

b LXX. Καὶ πετεινὰ πετόμενα ἐπὶ τῆς γῆς.

c Targum. ועופא דפרח על ארעא.

d Basil. hom. VIII *in Hexaem.* Διὰ τί ἐξ ὑδάτων καὶ τοῖς πετεινοῖς τὴν γένησιν ἔδωκεν; ὅτι ὥσπερ συγγένεια τίς ἐστι τοῖς πετομένοις πρὸς τὰ νηχτὰ. καὶ γὰρ ὥσπερ οἱ ἰχθῦς τὸ ὕδωρ τέμνουσι, τῇ μὲν κινήσει τῶν πτερύγων εἰς τὸ πρόσω χωροῦντες, τῇ δὲ τοῦ οὐραίου μεταβολῇ τάς τε περιστροφάς, καὶ τὰς ἐυθείας ὁρμὰς ἑαυτοῖς οἰακίζοντες. οὕτω καὶ ἐπὶ τῶν πετεινῶν ἐστιν ἰδεῖν διανηχομένων τὸν ἀέρα τοῖς πτεροῖς κατὰ τὸν ὅμοιον τρόπον.

1 *Gen.* II, 19.— 2 Lib. IX *de Gen. ad lit.* cap. I. — 3 Lib. III *de Gen. ad lit.* cap. III.

THEOLOGICORUM DOGMATUM

DE OPERE SEX DIERUM

LIBER SECUNDUS

QUI EST DE HOMINIS OPIFICIO.

CAPUT PRIMUM.

De opere sextæ diei, sive hominis procreatione. Cur postremus sit creatus, causæ variæ proferuntur. Ejusdem supra cætera Dei opera præstantia aliquot a Mose argumentis prodita; maxime quod operosius elaboratus a Deo dicatur, tum ipsius manibus fictus; quod, quale sit, exponitur.

I. Absolutis cæteris opificii partibus, ac diebus quinque, et sextæ parte perpolitis,

Sanctius his animal, mentisque capacius altæ
Deerat adhuc, et quod dominari in cætera [posset,
Natus homo est [1].

Cur homo postremus sit creatus varie causæ

Qui, quod postremus omnium editus sit, elegantissime rationem Philo reddit in libro *de Mundi opificio*, eamque multiplicem. Prima est, quod omnia condita sunt hominis gratia : « Ut igitur convivatores non prius ad cœnam vocant, quam ad epulum necessaria præparaverint, et qui gymnicos ludos et theatrales exhibent, antequam spectatores in theatra, vel stadia congregent, certatorum, et earum rerum, quæ ad oculorum, vel aurium oblectamentum attinent, copiam parant; ita totius mundi princeps, tanquam certaminis, aut convivii dator, hominem ad epulas et spectaculum vocaturus, quidquid ad utrumque pertinebat, apparavit, ut in mundum ingressus ille statim inveniret et convivium et theatrum sacratissimum [a]. »

Altera causa est, ut ex tanto, tamque locuplete bonorum apparatu disceret, in bonis rebus, et in maxima rerum affluentia victurum deinceps se esse, si conditori suo morem gereret, et eum imitari studeret. Tertiam addit hujusmodi, Deum voluisse, ut primo operi suo postremum responderet, atque, ut initio cœlum condiderat omnium sensibilium, æternorumque perfectissimum; sic ad extremum hominem fecisse terra genitorum, et corruptibilium longe præstantissimum, ac parvum, ut sic dicere liceat, cœlum [b].

II. Harum trium causarum primam Gregorius Nyssenus ex Philone transtulit in librum *de Hominis opificio*, capite secundo, quemadmodum et quartam: « Non enim, inquit, consentaneum erat, ut princeps, ac rector exsisteret, antequam essent illa, quibus imperaret; sed ut, constituto jam imperio, tum rex demum renuntiaretur [c]. » Adjicit Philo, « uti postremus jam procreatis omnibus superveniens. terrorem cæteris incuteret animan-

a Philo. Καθάπερ οὖν οἱ ἑστιάτορες οὐ πρότερον ἐπὶ δεῖπνον καλοῦσιν, ἢ τὰ πρὸς εὐωχίαν πάντα εὐτρεπίσαι· καὶ οἱ τοὺς γυμνικοὺς, καὶ σκηνικοὺς ἀγῶνας τιθέντες πρὶν συναγαγεῖν τοὺς θεατὰς εἷς τε τὰ θέατρα, καὶ τὰ στάδια, εὐτρεπίζουσιν ἀγωνιστῶν, καὶ θεαμάτων, καὶ ἀκουσμάτων πλῆθος. τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ ὁ τῶν ὅλων ἡγεμὼν, οἷά τις ἀθλοθέτης, καὶ ἑστιάτωρ, ἄνθρωπον καλεῖν μέλλων ἐπί τε εὐωχίαν, καὶ θεωρίαν, τὰ εἰς ἑκάτερον εἶδος προευτρεπίσατο, ἵν' εἰς τὸν κόσμον εἰσελθὼν εὐθὺς εὕρῃ καὶ συμπόσιον, καὶ θεάτρον ἱερώτατον.

b Ibid. Τρίτη δὲ ἐστὶ τοιάδε. ἀρχὴν καὶ τέλος τῶν γεγονότων ὁ θεὸς ἁρμόσασθαι διανοηθεὶς ὡς ἀναγκαῖα, καὶ φίλτατα, ἀρχὴν μὲν οὐρανὸν ἐποίει, τέλος δὲ ἄνθρωπον, τὸν μὲν τῶν ἐν αἰσθητοῖς ἀφθάρτων τελειότατον· τὸν δὲ, τῶν γηγενῶν, καὶ φθαρτῶν ἄριστον, βραχὺν, εἰ δεῖ τἀληθὲς εἰπεῖν, οὐρανόν.

c Greg. Nyss. cap. II *de Hom. opif.* Οὐδὲ γὰρ ἦν εἰκὸς τὸν ἄρχοντα πρὸ τῶν ἀρχομένων ἀναφανῆναι, ἀλλὰ τῆς ἀρχῆς πρότερον ἑτοιμασθείσης, ἀκόλουθον ἦν ἀναδειχθῆναι τὸν βασιλέα.

1 Ovid. *Met.*

tibus. Sic enim futurum erat, ut eo primum conspecto obstupefactæ eum adorarent, tanquam rectorem a natura datum, et dominum [a]. »

Nec minus eleganter denique Chrysostomus ab rege [1], vel imperatore similitudinem ducit; quem in urbem ingressurum satellites, ac domestici protectores anteire solent, qui palatium præparent, quemadmodum prodeuntem solem radii, ut ait Synesius [b]. Et Fulgentius in sermone quodam [2] : « Nam et cum imperator de urbe transit ad urbem, et ejus nuntiatur adventus, non mittuntur nisi domestici prætores, (*corr.* protectores) ac palatini, ut nuntient provincialibus, quod est regis adventus, aut reditus. » Vide Severianum [3], qui late hunc locum illustrat, et Zachariam Mitylenæum [4].

III. Quod autem Philo Judæus ab spectaculis exemplum capit, quæ prius apparari debent, quam ad ea spectator admittatur, consentaneum huic illud est, quod complures asserunt, in eum finem a Deo creatum, et in mundi medio collocatum esse hominem ut, cum ejus causa fabricata essent omnia, tum is eorum aspectu, contemplationeque frueretur; per eosque sese gradus ad Dei notitiam, et admirationem, et amorem denique, ac prædicationem attolleret.

Quod Lactantius imprimis explicat in libro septimo : « Sicut ergo mundum, inquit, non propter se Deus fecit, qui commodis ejus non indiget, sed propter hominem, qui eo utitur; ita ipsum hominem propter se, etc. Scilicet ut esset, qui opera ejus intelligeret, qui providentiam disponendi, rationem faciendi, virtutem consummandi, et sensu admirari, et voce proloqui posset; quorum omnium summa hæc est, ut Deum colat. Is enim colit, qui hæc intelligit; is artificem omnium rerum, is verum patrem suum debita veneratione prosequitur, qui virtutem majestatis ejus de suorum operum inventione, inceptione, perfectione metitur. Quod planius argumentum proferri potest, et mundum hominis, et hominem sua causa Deum fecisse, quam quod ex omnibus animantibus solus ita formatus est, ut oculi ejus ad cœlum directi, facies ad Deum spectans, vultus cum suo parente communis sit, videaturque hominem Deus, quasi porrecta manu allevatum ex humo, ad contemplationem sui excitasse? »

Gregorius item Nyssenus in libro *Catechetico*, capite v, causam procreandi fuisse hominis ait, ut haberet Deus, « qui et lucem suam intueretur, et gloriæ testis esset, et bonitate frueretur [c]. » Quamobrem « oportuisse dicit hominem, qui ad divina perfruenda bona factus esset, cognatum quippiam ei, cujus erat futurus particeps, habere in natura sua. Propterea vita, et ratione, et sapientia, et divinis bonis omnibus ornatum fuisse [d]. »

Sic etiam Gregorius alter Nazianzenus in oratione XXXVIII quod et in XLII repetit « hominem a Deo velut mundum quemdam alterum, in parvo magnum, supra terram collocatum, ait, Angelum alium, mistum adoratorem, visibilis creaturæ spectatorem, mysten intelligibilis, eorum quidem, quæ in terra sunt, regem, cœlesti autem regi subditum, terrenum pariter, ac cœlestem [e], » etc.

Eleganter quoque Pythagoricus Euryphamus, « Deus, inquit, hominem pretiosissimum animal in mundo collocavit, naturæ suæ respondentem, et oculum quemdam totius rerum universitatis [f]. » Cyrillus item, « Oportebat, ait, terram iis esse plenam, qui illum glorificare possent, et ex creaturarum pulchritudine, creatoris, ut scriptum est, gloriam intueri [g]. »

a Philo ibid. Ἀναγκαίως ἔδει πάντων γεγονότων ὕστατον φῦναι τὸν ἄνθρωπον, ἵνα τελευταῖος ἐξαπίναιος τοῖς ἄλλοις ζώοις ἐπιφάνεις, ἐμποιήσῃ κατάπληξιν. ἔμελλε γὰρ ἰδόντα πρῶτον τεθηπέναι, καὶ προσκυνεῖν, ὡς ἂν ἡγεμόνα φύσει, καὶ δεσπότην.

b Syn. *de Reg.* Οἷς, ὅταν ποτὲ ὀφθῶσι, τὸν βασιλέα σημαινόμεθα, καθάπερ, οἶμαι, ταῖς προανισχούσαις αὐγαῖς τὸν ἥλιον.

c Greg. Nyss. Ἔδει γὰρ μήτε τὸ φῶς ἀθέατον, μήτε τὴν δόξαν ἀμάρτυρον, μήτε ἀναπόλαυστον αὐτοῦ εἶναι τὴν ἀγαθότητα, etc.

d Ibid. Οὕτως οὖν καὶ τὸν ἄνθρωπον ἐπὶ τῇ τῶν θείων ἀγαθῶν ἀπολαύσει γενόμενον ἔδει τι συγγενὲς ἐν τῇ φύσει πρὸς τὸ μετεχόμενον ἔχειν. διὰ τοῦτο καὶ ζωῆ, καὶ λόγῳ, καὶ σοφίᾳ, καὶ πᾶσι τοῖς θεοπρεπέσιν ἀγαθοῖς κατεκοσμήθη.

e Nazianz. orat XXXVIII, et orat. XLII. Οἷόν τινα κόσμον δεύτερον, ἐν μικρῷ μέγαν ἐπὶ τῆς γῆς ἵστησιν, ἄγγελον ἄλλον προσκυνητὴν μικτὸν, ἐπόπτην τῆς ὁρατῆς κτίσεως, μύστην τῆς νοουμένης, βασιλέα τῶν ἐπὶ γῆς, βασιλευόμενον ἄνωθεν, ἐπίγειον, καὶ οὐράνιον, etc.

f Eurip. Τὸ θῆῖον ἄνθρωπον, πολυτελέστατον ζῶον, ἐς τὸν κόσμον ἐσῴκισεν, ἀντίτιμον μὲν τῆς ἰδίας φύσιος, ὀφθαλμὸν δὲ τῆς τῶν ὄντων διακοσμήσιος.

g Cyril. Alex. *Glaph.* I. Ἔδει πλήρη γενέσθαι τὴν γῆν τῶν εἰδότων δοξολογεῖν, καὶ ἀπὸ καλλονῆς κτισμάτων, καθὰ γέγραπται, τὴν τοῦ δεδημιουργηκότος κατασκέπτεσθαι δόξαν.

1 Hom. III *in Gen.*— 2 Qui est CLXXX *de Temp.* apud. Aug.— 3 Hom. IV.— 4 Tom. I *Bibl. Patr. Græco-Lat. de hominis opificio.*

minis creandi atio excel- ıtiam onstrat.

IV. Hanc postremi sui operis excellentiam, quæ præstaret cæteris omnibus, demonstrat procreandi ratio ipsa aliter, atque in aliis instituta. Nam ad aliorum molitionem solo usus imperio, *Dixit et facta sunt*, *mandavit*, *et creata sunt*[1], ubi ad creationem hominis est ventum, tanquam in exquisito, et industriæ majoris opere, consultationem prius adhibet, ac de eo faciendo deliberat : « Tumultarie quodammodo, ait Gregorius Nyssenus, creatura reliqua divina virtute producitur, solo imperio subsistens. Hominis vero structuram consilium antecedit, et ab artifice ipso quadam sermonis pictura, quod futurum erat, adumbratur [d]. » Idem et Chrysostomus animadvertit homilia x *in Genesim*, Theophilus Antiochenus in secundo *ad Autolycum*, Cyrillus [2], aliique passim.

Tertullianus in secundo *contra Marcionem*, cap. IV. « Quis denique dignus, inquit, incolere Dei opera, quam ipsius imago et similitudo? Eam quoque bonitas, et quidem operantior operata est, non imperiali verbo, sed familiari manu, etiam verbo blandiente præmisso : *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram.* Bonitas dixit, bonitas finxit hominem de limo, » etc. Quisnam vero illic loquens introducatur a Mose, hoc est quænam divinarum trium personarum, et ad quam sermo dirigatur, nihil hoc loco dicam; satis enim explicatum illud est in secundo *de Trinitate* libro [3]. Porro ad eamdem operis commendandam præstantiam pertinet hoc insuper, quod in carmine *de Providentia* Prosper ita cecinit.

« Cumque omnia verbo
Conderet, hunc manibus, quo plus genitoris [haberet,
Dignatur formare suis. »

« Per manus ejus plasmatus est, inquit Irenæus[4], hoc est, per Filium, et Spiritum; quibus et dixit : *Faciamus hominem.* » Et Gregorius Papa tam hanc[5], quam superiorem causam ita complexus est : « Quamvis, inquit, per coæternum Patri Verbum cuncta creata sint, in ipsa tamen relatione creationis ostenditur, quantum cunctis animalibus, quantum rebus vel cœlestibus, sed tamen insensibilibus, homo præferatnr. Cuncta quippe dixit, et facta sunt. Cum vero facere hominem decernit, hoc, quod reverenter pensandum est, præmittit, dicens : *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram*, etc. Ut videlicet, quia rationalis natura condebatur, quasi cum consilio facta videretur. Quasi per studium de terra plasmatur, et inspiratione conditoris in virtute spiritus vitalis erigitur, ut scilicet, non per jussionis vocem, sed per dignitatem operationis exsisteret, qui ad conditoris imaginem fiebat. »

V. Addidit Severianus etiam verbi notationem, quo humani corporis creationem expressit. Non enim *fecisse* tantum, aut *creasse* dixit, sed etiam *formasse. Formavit, igitur Dominus Deus hominem de limo terræ* [b]. De quo ita Severianus, « Non dixit simpliciter, *Fecit*; sed *finxit*, vel *formavit*. Porro formatio elegantiam, ac venustatem indicat [c]. » Atque hoc de corporis ipsius effictione Scriptura prodidit, cujus elegantiam, et admirabilem structuram tum ibidem Severianus prædicat, tum veteres alii tam Christiani, quam ethnici; ut vel ex eo operis illius dignitas, et præstantia commendetur, cujus in vilem deterrimamque particulam tantum dignationis et ornatus divina bonitas, et sapientia contulit.

Quinetiam ad idem illustrandum valet, quod pulchre Severianus ibidem observat, discrimen illud, quod in homine procreando ac cæteris animantibus adhibuit Deus. « Vide, inquit, differentiam hominum et brutorum. In producendis reliquis simul omnia Deus induxit, hoc est animam ipsam una cum corpore. Animadverte quæso : Fecit natatilia; corpus simul et animam creavit. Educat, inquit, terra animalia; prodiit una cum corpore etiam anima. Homini vero prius corpus fecit, deinde animam [d]. »

Tertullianus[6] vero illam ipsam productionis

a Greg. Nyss. lib. *de Hom. opif.* cap. III. Αὐτοσχεδιάζεταί πως ἡ κτίσις ὑπὸ τῆς θείας δυνάμεως ὁμοῦ τῷ προστάγματι ὑπισταμένη· τῆς δὲ τοῦ ἀνθρώπου κατασκευῆς βουλὴ προηγεῖται, καὶ προτυποῦται παρὰ τοῦ τεχνιτεύοντος διὰ τῆς τοῦ λόγου γραφῆς τὸ ἐσόμενον.

b *Gen.* II, 7. Καὶ ἔπλασεν ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον, χοῦν λαβὼν ἀπὸ τῆς γῆς.

c Sever. hom. V. Οὐκ εἶπεν ἁπλῶς, ἐποίησεν, ἀλλ' ἔπλασε· πλάσις λέγεται ἐπὶ τῆς εὐπρεπείας.

d Sever. ibid. Βλέπε διαφορὰν ἀνθρώπων καὶ ἀλό-

1 *Psalm.* XXXII, 9. — 2 Cyril. *Glaph.* I sub. init. — 3 Cap. VII, num. 4. — 4 In Præf. libri IV. — 5 Lib. IX *Mor.* cap. XXVIII. — 6 Lib. *de Resurrect. car.* c. V.

utrobique differentiam ex eo quoque commendat, quod, etsi « omnia sermone Dei facta sunt, et sine illo nihil, » tamen caro non solum Dei sermone *constitit*, sed etiam « manu propter prælationem, ne universitati compararetur. » Simul in *fingendi* vocabulo præcipuum illud agnoscit, quod ex Severiano commemoravimus: « Et finxit, inquit, Deus hominem. Magna sine dubio differentiæ ratio, pro conditione scilicet rerum. Minora enim, quæ fiebant, eo cui fiebant. Siquidem homini fiebant, cui mox a Deo addicta sunt. Merito igitur, ut famula, jussu, et imperio, et sola vocali potestate universa processerant. Contra homo, ut dominus eorum, in hoc ab ipso Deo extructus est, ut dominus esse posset, dum fit a Domino. »

VI. Hanc porro vim habet ex ejusdem sententia vox ista *fingendi*; « quod illa pusillitas, limus, in manus Dei, quæcumque sunt, pervenit, satis beatus, etsi solummodo contactus. Quid enim si nullo amplius opere, statim figmentum de contactu Dei constitisset? Adeo res magna agebatur, quæ ista materia extruebatur. Itaque totiens honoratur, quotiens manus Dei patitur, dum tangitur, dum decerpitur, dum deducitur, dum efingitur[1]. » Mox: « Phidiæ manus, inquit, Jovem Olympium ex ebore molitæ adorantur; nec jam bestiæ, et quidem insulsissimæ, deus est, sed summum sæculi numen; non quia elephantus, sed quia Phidias tantus. Deus vivus et Deus verus, quamcumque materiæ vilitatem non de sua operatione purgasset, et ab omni infirmitate sanasset? »

Descripsit hoc elegantissimis quoque versibus Prudentius in *Apotheosi*[2].

« Tantus amor terræ, tanto est dilectio nostri,
Dignatur præpinguis humi comprendre mol-
[lem
Divinis glebam digitis: nec sordida censet
Hærentis massæ contagia. Jusserat, ut lux
Confieret: facta est, ut jusserat; omnia jussu
Imperitante novas traxerunt edita formas.
Solus homo emeruit Domini formabile dextra
Os capere, et flabro Deitatis figmine nasci. »

Sed manus Dei atque digiti figurate intelliguntur, non proprie, ut recte Irenæus interpretatur, cum Filium significari dicit, ac Spiritum sanctum, qui manus interdum Dei Patris appellantur; quod alibi exposuimus, Significatur enim tropica locutione ista peculiare quoddam in illud elaborandum opus incumbentis artificis Dei studium, et industria. Quanquam non defuerunt, præter insulsos Anthropomorphitas, qui Deum corporatum ex sese statuebant, etiam alii, qui ad id, ut hominem e luto fingeret, imo vero ut aspectabilem hunc totum mundum crearet, corporis nescio quam effigiem sumpsisse crederent Deum, de qua opinione mox.

CAPUT II.

De eo, quod ad imaginem, et similitudinem Dei factus homo dicitur. In quo imago sita sit. Variæ de ea sententiæ. Pessima omnium, quæ corpore circumscribit. Ea tamen sensu aliquo non improbanda. Eugubini frivola ratio, necnon Tertulliani, qui corpori eamdem adstruunt. Alii in cognitione constituunt; quidam in arbitrio libero; nonnulli in virtute, et Spiritu sancto; alii imaginem a similitudine discernunt, in immortalitate alii denique imaginem ponunt.

Faciamus, inquit Deus[2], *hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Et creavit Deus homines ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum*[3]. Pervetus est illa quæstio, et in varias partes opinionibus distracta, in quo imago illa sita sit. Quam late prosequitur Epiphanius hæresi LXX quæ est *Audianorum*, et in *Ancorato*, ubi omnes fere de ea re sententias enumerat, et expendit, ac refellit, asserens, nec in corpore positam esse, nec in anima, nec in virtute, nec in baptismo, aut alia re quapiam nobis cognita[4]. Quare unum illud traditione nobis Ecclesiæ compertum esse, hominem ad imaginem Dei esse factum; nullam tamen partem definiri, in qua istiusmodi ratio imaginis collocanda sit. Sed ea nos Epiphanii disputatio absterrere non debet, quominus id investigare conemur,

γων. τὰ ἄλλα ποιῶν ὁ Θεός, ὁμοῦ πάντα ἐπήγαγε, μετὰ τοῦ σώματος καὶ τὴν ψυχὴν. πρόσεχε παρακαλῶ. ἐποίησε γὰρ νηκτὰ, ὁμοῦ σῶμα καὶ ψυχήν. ἐξαγαγέτω ἡ γῆ ζῶα. προῆλθεν ὁμοῦ μετὰ τῶν σωμάτων καὶ ἡ ψυχή. τὸν ἄνθρωπον ποιεῖ τῷ σώματι πρῶτον, εἶτα τῇ ψυχῇ.

1 Tert. ibid, cap. VI.— 2 *Gen.* I, 26.— 3 Ver. 27.— 4 Epiph. Hær. LXX, n. 8 et *Ancor.* n. 55.

atque etiam constituere, quatenus homo sit *imago* Dei, vel *ad imaginem* Dei factus. Nam inter ambo hæc interesse aliquid, multorum habet opinio; de qua postea, ut et de parte *quæstionis* altera, an sit aliquod, et cujusmodi sit discrimen inter *imagiuem*, et *similitudinem**.

eferentur
i humano
corpore
rcumscri-
bunt
i imagi-
nem.

II. Prima igitur omniumque deterrima est illorum ratio, qui humano corpore circumscribunt imaginem Dei; quod primum Audius ille apud Epiphanium docuit, de quo consule quæ ad illam quæstionem commentati sumus[1], utrum sit corporatus Deus. Ibi de Audianis multa cum præsenti sermone connexa disputavimus; inter quæ fuit illud præcipuum, etsi Audium scribat Epiphanius imaginis proprietatem in humano corpore statuisse; non tamen asseverare, corporatum ab illo Deum esse creditum, quod vulgo sentiunt. Hinc autem opinionem affirmabat suam Audius[2], quod, cum Deus ita locutus esset: *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram*, Scriptura postea referat, eumdem sumpsisse de terra limum, sive pulverem, et hominem finxisse; tanquam illud indicare vellet, in quo sit imago posita; et consequens opus idipsum esset, quod ad imaginem et similitudinem suam facere constituerat.

In eamdem classem imaginem in corpore humano statuentium, Anthropomorphitis omissis, redigendi sunt illi, qui, ut in fine antecedentis capitis est dictum, etiamsi Deum scirent esse corporis expertem, corporis tamen assumptam ab eo figuram putarunt, ut corporatas creaturas fingeret, præsertim hominem, cujus membra omnia contrectando, formandoque digitis effinxit. Atque hunc Filium ipsum fuisse sive Verbum, aliqui crediderunt. Eugubinus in *Cosmopœia*[3], « Accessit, inquit, Filius, ac Verbum Dei ad creationem humanam, in forma, imagine, habituque humano, gerens speciosissimam, divinissimamque formam, et jucundissimam, omnium humanarum pulchritudinem superantem. » Tum in fine: « Non exclusa igitur, ait, interiore mentis similitudine, ad illam quoque formosissimam speciem dicitur homo creatus, in qua, creatis omnibus, homini se conspicuum spectabilemque exhibuit. » Ita creatum hominem dupliciter putat ad imaginem Dei, hoc est Filii, tum anima, sive mente, tum etiam corpore; quod ad eam speciem, quam assumpsit tunc Filius, humanum corpus effictum sit.

III. Paulo aliter antiqui corporeæ genus hoc imaginis intellexerunt, ut Tertullianus; qui Deum Patrem, una cum Verbo suo, finxisse hominem ait ad imaginem Christi in carne venturi. « Sic enim præfatio, inquit[4], Patris ad Filium, *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram*. Et fecit hominem Deus id utique, quod finxit, ad imaginem Dei fecit illum, scilicet Christi. Et sermo enim Deus, qui in effigie Dei constitutus, non rapinam existimavit pariari Deo. Ita limus ille jam tunc imaginem induens Christi futuri in carne, non tamen Dei opus erat, sed etiam pignus. » Eadem leges et in libro *contra Praxeam*, capite XII. Ita Prudentius in *Apotheosi*,

« Christus forma Patris; nos Christi forma, [et imago.
Condimur in faciem Domini bonitate paterna,
Venturo in nostram faciem post sæcula [Christo.»

Videtur et Irenæus imaginem collocare Dei in humano corpore[5]. Nam « et carnem plasmatam esse dicit secundum imaginem Dei, » et cum eamdem plasma nominet, huic ipsi plasmati imaginem assignat, similitudinem vero Spiritui Dei, qui est infusus homini. Quanquam, ut intricate loquitur, suspicio est imaginem non soli imputari carni, sed ut animata est et naturali affecta forma, cui tum similitudo advenit, cum utrique Dei spiritus adjungitur; de quo postea dicemus.

« Istam maxime quæstionem, ait Augustinus[6], solent Manichæi loquaciter agitare, et insultare nobis, quod hominem credamus factum ad imaginem, et similitudinem Dei. Attendunt enim figuram corporis nostri, et infeliciter quærunt, utrum habeat Deus nares et dentes, et barbam, et membra etiam interiora, et cætera quæ in nobis sunt necessaria. In Deo autem talia ridiculum est, imo impium credere. Et ideo negant hominem factum esse ad imaginem, et similitudinem Dei. » Verum,

* Cum his quæ hoc capite, et sequenti tradit Petavius, conferas velim Trombellium t. II *Anecdotorum* p. 2. pag. 150 seqq. Z.

1 Tom. I, lib. II, cap. I, n. 8.—2 Epiph. ibid. n. 2.—3 Fol. XLVI.—4 Tertull. lib. *de Resur. carn.* cap. VI.—5 Lib. V, c. VI.—6 Aug. lib. *de Gen. cont. Manich.* cap. XVII.

ut ibidem animadvertit Augustinus, imago illa similitudoque Dei, ad quam factus homo dicitur, non in exteriori homine, sed in interiori proprie consistit. Potest tamen aliquo modo etiam corpus humanum ad imaginem Dei factum videri, « quod indicet, nos meliores esse quam bestias, et propterea Deo similes. Omnium enim animalium corpora, sive quæ in aquis, sive quæ in terra vivunt, sive quæ in aere volitant, inclinata sunt ad terram, et non sunt erecta sicut hominis corpus etc. Ita intelligitur per animum maxime, attestante etiam erecta corporis forma, homo factus ad imaginem, et similitudinem Dei, » Et in libro *Octoginta trium quæstionum*, quæstione LI. « Corpus, inquit, hominis, quia solum inter animalium terrenorum corpora non pronum in alvum prostratum est, cum sit visibile, et ad intuendum cœlum erectum, quod est principium visibilium, quamquam non sua, sed animæ præsentia vivere cognoscatur, tamen non modo quia est, et inquantum est, utique bonum est, sed etiam quia tale est, ut ad contemplandum cœlum sit aptius, magis in hoc ad imaginem, et similitudinem Dei, quam cætera corpora animalium, factum jure videri potest. »Sic et Potho Prumiensis in libro primo *de Statu domus Dei* sub finem[1]. « Exterior, inquit, hæc domus imago est interioris domus; interior vero domus imago est illius, quod in mente divina continetur. Ad mentem namque divinam facta est mens rationalis, quæ est domus nostra interior ; ad rationalem mentem facta est creatura visibilis, quia in corpore nostro domus construitur exterior, quæ servit interiori, quia cœlo famulatur spiritui. Ut enim Deus sapientiam suam ostenderet, exemplar ejus in creatura rationali depinxit, et majorem evidentiam domus ipsius, cujus decorem intus in ratione mentis nostræ depinxit, formam corporis nostri pulchritudine membrorum variavit. et opus sapientiæ per officia corporis diversa monstravit.» Quare tanquam signum, et documentum est imaginis Dei, ac dignitatis illius corporis forma, cujus status erectus est; imaginem tamen ipsa non habet.

Lege caro·

IV. Atque Eugubini quidem commentum frivolum est, et inextricabile. Nam si solus Filius humanam tum induit formam, solus hominem creavit, solus ista verba pronuntiavit; quid ista tandem volunt, *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram :* Nam plurali de se numero singularem personam non loqui, veteres omnes Patres contra Judæos, et hæreticos uno ore prædicant, ut alio in loco diximus[2]. Deinde temeraria, et intoleranda est hæc imaginis similitudinisque depravatio, quam Christianorum omnium consensus spirituale esse aliquid agnoscit, atque ad divinitatem ipsam referri, non ad corpus ; quod nec ullum naturale est Deo, et assumptam nescio quam ejus larvam initio rerum asserere, divinare est, et pro arbitrio fingere.

Non minus labat Tertulliani ratio, qui Patri sermonem inducit illum ; et tamen ad imaginem corporis ejus, quod Filium assumpturum prævidebat, hominem esse factum ait. Atqui non dixisset *imaginem nostram*, sed *tuam*, si Filium alloqueretur, vel aliquid simile, quo corporis a se, quod nullum habuit, opinionem averteret. Quod si Tertullianus, uti verisimile est[3], Deum ipsum corporeum putavit, nec alia, quam humana forma, quod consentaneum videtur, corpus illud circumscripsit; cur non ad illam ipsam formam potius, quam ad futuri olim corporis, hominem exigi a se significavit? An quia corpus illud Dei proprium non carne, ossibus. et sanguine constare credidit, et iccirco cum humano minus convenire? Sed nugæ istæ sunt. Itaque missos illos faciamus.

Rectius Theodoretus[4], et, meo judicio, præclare hoc ipsum, quod inepte Tertulliabus de Christi corpore, ad quod respectum habuit in Adamo procreando Deus, injecit, explicat sic. Deum asserit Patrem, cum hominis illius, quem moliebatur, naturam, ac substantiam Filium aliquando suum assumpturum esse prævideret, uti par erat, Adamum, tanquam primum illius generis fundamentum, majori prosecutum honore fuisse, ac suis illum fabricasse manibus.

Cæterum non esse corpore definiendam imaginem in homine, pauci sunt ex omni antiquitate, qui non sentiant. Refellit hanc Audianorum fabulam pluribus Epiphanius[5] et Theodoretus[6]. Et Augustinus paucis[7]: « Sicut non solum veracissima ratio, sed etiam ipsius Apostoli declarat auctoritas, non secundum formam corporis homo factus est ad imaginem Dei, sed secundum rationa-

1 Tom. IX *Biblioth. Patr.*— 2 Tom. II, lib. II, cap. VII.— 3 Vide tom. I, lib. II, cap. I.— 4 Qu. XIX in *Gen.*— 5 Hær. XC. — 6 Lib, IV *Hist.* cap. IX et IV *de Hær.* cap, X.— 7 Lib. XII *de Trin.* cap. VII.

lem mentem. » Quamobrem vana et futilis est ista cogitatio, neque digna est, in qua refutanda tempus conteratur.

mago Dei proprie n anima.

V. Illud pro confesso est habendum, id ipsum, in quo, et cujus gratia homo ad imaginem Dei factus est, animi proprium magis esse, quam corporis, ac spirituale adeo quippiam, non in sensus incurrens. Sed, ut duæ sunt animi partes ac functiones, quarum altera intelligentia et notitia, altera voluntate et appetitione constat; ita varii sunt imaginis interpretandæ modi. Quam insuper varietatem auget utriusque partis ratio dispar. Nam aut naturalis in illis spectatur status, aut natura præstantior, quem *supernaturalem* scholæ nominant. Utrobique enim sua quædam. et propria tam cognitio est, quam appetitio.

In qua functione lubitatur.

De intelligentia, et cognitione Diadochus ita pronuntiat[1]: « Sumus ad imaginem Dei, secundum notionem animæ ad mentem pertinentem. » Cui est illud affine, quod Clemens Alexandrinus in sexto *Stromateon* scribit: « Hominem ad Dei imaginem esse factum, non propter structuræ suæ figuram, sed quoniam, ut Deus ratione molitur omnia, sic homo, qui perfecta cognitione præditus est, ex rationali facultate bonas et honestas actiones exequitur[a]. » Quanquam non de naturali cognitione ac ratione duntaxat loqui Clemens videtur, sed potissimum de ea quæ Christiano, eoque sancto ac perfecto congruit qualis est, quem sub γνωστικοῦ appellatione describit; cujus status non in sola contemplatione, verumetiam honesta et laudabili actione perficitur, quatenus hanc recta ratio, et divinitus hausta scientia moderatur, ac regit.

Ignotisci.

Quo et illorum sententia refertur, qui ad divini Verbi, id est λόγου, quem et *rationem* interpretamur, imaginem proprie factum esse volunt hominem; de quo mox dicam.

Sic idem Clemens in secundo *Stromateon* hoc ipsum, quod dicitur « ad imaginem, et similitudinem, non ad corpus referri ait. Non enim mortale immortali assimilari fas est, sed ad mentem et ratiocinationem[b]. »

Alii in intelligentia constituunt

VI. Atque hoc expressior in ratione hominis, intelligentiaque videtur imago Dei, ac similitudo consistere, quod illius ope, et adminiculo summi artificis imitatur industriam, et quasi per illius sapientiæ vestigia graditur. Est autem Dei maxime propria cognitio, ac scientia, et omnino mentis actio, adeo ut hac ipsa οὐσιοῦσθαι, id est, *substantiari*, ut ita loquar et ejus essentia constitui dicatur, ut alibi meminimus[2]. Unde in eo potissimum imago collocari debet, in quo ipsa posita Dei est essentia, vel substantia. Nam et Verbum ipsum, quæ est imago propria, et primigenia, cognitione producitur, et ad mentem et intelligentiam præcipue spectat. Quare secundaria, et creata similiter imago Dei non alibi videtur, quam in illa hominis parte quærenda.

Euryphamus Pythagoreus in libro *de Vita*, cum hominem scripsisset ἀντίτιμον τῆς ἰδίας φύσιος, id est *respondentem naturæ suæ*, a Deo creatum esse *velut oculum universitatis*, quod capite antecedente retuli; mox κατ' ἐπεξήγησιν, similitudinis ejus rationem fusius edisserit. « Ideo, inquit, et nomina rebus indidit, velut quidam factus earum character; litteras reperit, instructo memoriæ thesauro; imitatus est insuper universi dispositionem, jure ac legibus constitutis civitatibus. Nullum enim opus neque divinius, neque diis fieri potest dignius, quam bene constitutæ civitatis institutio, ac legum et reipublicæ ordinatio[c]. » Igitur et rerum perceptione, ac scientia, et earum excogitandarum industria, et inveniendi solertia, præsertim in iis, quæ ad ordinandas civitates, hominumque communitates regendas attinent, Dei similitudo potissimum elucet in homine; « Nihil est enim illi principi Deo, ait Tullius[3], qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius, quam consilia, cœtusque hominum jure sociati, quæ civitates appellantur. »

Enarrate.

VII. Hæc ipsa ratio, quod Dei proprium

a Clem. Alex. VI *Strom.* Μήτε οὖν εἰκότως κατ' εἰκόνα θεοῦ γεγονέναι ὁ ἄνθρωπος εἴρηται, οὐ κατὰ τῆς κατασκευῆς τὸ σχῆμα· ἀλλ' ἐπεὶ ὁ μὲν θεὸς λόγῳ τὰ πάντα δημιουργεῖ· ὁ δὲ ἄνθρωπος ὁ γνωστικὸς γενόμενος τῷ λογικῷ τὰς καλὰς πράξεις ἐπιτελεῖ.

b Clem. II *Strom.* Τὸ γὰρ κατ' εἰκόνα, καὶ ὁμοίωσιν, ὡς καὶ πρόσθεν εἰρήκαμεν, οὐ τὸ κατὰ σῶμα μηνύεται· οὐ γὰρ θέμις θνητὸν ἀθανάτῳ ἐξομοιοῦσθαι· ἀλλ' ἢ κατὰ νοῦν, καὶ λογισμόν.

c Eurypham. in *Fragm. Pythag.* Διὸ καὶ ὀνόματα μὲν ἔθηκε τοῖς πράγμασι, χαρακτὴρ αὐτῶν γενόμενος· ἀνεύρετο δὲ γράμματα, θησαυρὸν τᾷ μνάμᾳ παρασκευασάμενος· ἐμιμάσατο δὲ καὶ τὰν τῷ παντὸς διακόσμασιν, δίκαις τε, καὶ νόμοις κοινωνίαν πόλεων συναρμοσάμενος. οὐδὲν γὰρ οὕτω κοσμοπρεπὲς, καὶ θεῶν ἄξιον ἔργον ἀνθρώποις πέπρακται, ὡς πόλιος εὐνομουμένας συναρμογὰ, καὶ νόμων, καὶ πολιτείας διακόσμασις.

1 Cap. LXXVII *de Perfect. Spir.*— 2 Tom. I, lib. IV, cap. I.— 3 In *Som. Scip.*

est, id homini tribuit, cæteris ut dominetur animantibus, quæ robore, aliisque naturæ dotibus antecellunt. « Parvum est, (ait apud Plutarchum, ut puto, Pindarus) robur viri; verum mentis varietate, ac solertia domat mirificam ponti, et terrestrium, atque aeriorum indolem [a]. »

Ita Theodorus Mopsuestenus apud Joannem Philoponum imaginem Dei eatenus in homine definiebat, quod fabricandi et architectandi scientia summum imitatur opificem, et quod non erat, facit, ut sit, etsi naturas ipsas procreare nequeat [b].

Convenit et Augustini sententia ista ex tractatu *in Psal.* LIV. « Consideratis, inquit, omnibus rebus, quas habet homo, invenit se eo proprie discretum a pecore, quod ipse habeat intellectum. Unde quosdam contemnentes in se, quod proprium et præcipuum a conditore acceperunt, increpat ipse conditor dicens: *Nolite fieri sicut equus, et mulus, quibus non est intellectus* [1]. » Et in tractatu tertio *in Joannem*: « Non distas a pecore, nisi intellectu. Noli aliunde gloriari, etc. Unde ergo melior es? Ex imagine Dei. Ubi imago Dei? in mente, in intellectu? »

Verum idem Augustinus [2] in eadem intelligendi facultate; in qua imago Dei consistit, duo cognitionis genera discernit: alterum, quo interiora, et temporalia cognoscit, et disponit: alterum, quo Deum contemplatur. Quæ duo maris, ac feminæ duplixi sexu adumbrari dicit. In priore itaque proprie sitam esse docet imaginem Dei; idcirco soli viro Scripturam videri hanc imaginem tribuere. Quanquam etiam feminæ, quæ intelligentiam et notitiam Dei cum viro communem habet, inesse imaginem affirmat, ea parte scilicet, in qua nulla sexus differentia sit. Hæc pluribus ibi disserit Augustinus. Qui et in libro LXXXIII *Quæstionum*, quæstione LI spiritum hominis « ad imaginem Dei factum asserit, in quo est intelligentia veritatis. Hæret enim veritati nulla interposita creatura. » Et, ut paulo ante docuit, ob id maxime similis est, quod sapit. Nam, « cum homo possit particeps esse sapientiæ secundum interiorem hominem, secundum seipsum ita est ad imaginem Dei, ut nulla natura interposita formetur, (quemadmodum corporeæ res) et ideo nihil sit Deo conjunctius. » Est autem vera sapientia in Dei potissimum, ac rerum divinarum cognitione posita; et quiddam naturali hominis captu præstantius. Ideo imago Dei conditionem, ac statum nescio quem minime naturalem, sed, ut vocant, *supernaturalem* includit ex illa Augustini sententia.

VIII. Rursus alii divinæ hanc proprietatem imaginis in voluntate potius, et arbitrio libero constituere videntur; ut Tertullianus libro secundo *contra Marcionem*, capite V, « Liberum, inquit, et sui arbitrii, et suæ potestatis invenio hominem a Deo institutum, nullam magis imaginem, et similitudinem Dei in illo animadvertens, quam ejusmodi status formam. Neque enim facie, et corporalibus lineis tam variis in genere humano, ad uniformem Deum expressus est, sed in ea substantia, quam ab ipso Deo traxit, id est animæ, ad formam Dei spondentis, et arbitrii sui libertate, et potestate signatus est. » Tum capite sequenti: « Oportebat igitur, imaginem, et similitudinem Dei, liberi arbitrii, et suæ potestatis institui, in qua hoc ipsum imago et similitudo Dei deputaretur, arbitrii scilicet libertas, et potestas; in quam rem ea substantia homini accommodata est, quæ hujus status est, ad status Dei, utique liberi et suæ potestatis. »

Alii in voluntate et libero arbitrio.

Hieronymus in epistola CXLVI. « Solus Deus est, in quem peccatum non cadit. Cætera enim, cum sint liberi arbitrii, juxta quod et homo ad imaginem, et similitudinem Dei factus est, in utramque partem suam possunt flectere voluntatem. »

Titus Bostrensis libro secundo *contra Manichæos*, « Hominem Deus honoravit, inquit, fabricans eum ad imaginem suam, ut sicut ipse libertate naturæ bonus est, sic homo libertate propositi imitator Dei esset, non abstinens a peccato, quia desit naturæ ipsi potestas, sed libertate propositi virtutem honorans. »

Zacharias Mitylenæus libro *de Opificio*, « Hoc enim, ait, indicium est, et signum ra-

a PLUTAR. lib. *de Fort.* Βραχὺ μὲν σθένος ἀνδρός. ἀλλὰ ποικιλίᾳ πραπίδων δεινὰ μὲν πόντου, χθονίων τε, ἀερίων τε δάμναται παιδεύματα.

b THEOD. MOPS. apud Philop. lib. VI *de Mundi creat.* cap. XIV. Ἄνθρωπος δὲ ποιεῖ μὲν τὰ οὐκ ὄντα, φέρων τι τῆς θείας μιμήσεως ἐν τούτῳ· καὶ γὰρ καὶ οἰκίαν, καὶ ναῦν, καὶ πόλιν, καὶ τεῖχος, καὶ λιμένα, καὶ βαθρόν, καὶ κλίνην, καὶ πᾶν ὅ τι δή ποτε οὖν μικρόν τε, καὶ μέγα ἐργάζεται, ποιῶν τὸ μὴ πρότερον ὄν. φύσεις δὲ παράγειν οὐδαμῶς οἷός τε καθέστηκε.

1 *Psal.* XXXI.— 2 Lib. XII *de Trin.* cap. VII et VIII.

tionalis maxime naturæ, et imago, atque imitatio supremi regni [a]. »

Macarius homil. XV. « Tu vero, inquit, propterea es ad imaginem et similitudinem Dei, quoniam, uti Deus sui juris ac potestatis est, et quod vult facit, etc. ita etiam tu potestatis es tuæ, et, si mori vis, naturæ es mutabilis [b]. »

Joannes Damascenus libro secundo *de Fide* : « Quod ad imaginem factum in homine dicitur, intelligens significat, et liberum, ac sui juris [c]. » Et libro tertio, « cum ad imaginem beatæ, et supersubstantialis divinitatis homo sit factus, sit autem divina natura per se libera, suique juris, ac voluntate prædita ; consequens est, hominem, velut ipsius imaginem, liberum esse natura sua, et voluntate præditum [d]. »

Bernardus in libro *de Gratia et libero arbitrio* docet, « In libertate arbitrii ad imaginem ipsius, qui creavit, animam esse conditam [1]. »

IX. Sunt et alii plerique, qui in eamdem imaginis rationem concordant ; sed omnes fere non sola libertate arbitrii illam definiunt, verum ex parte solum, ut et in cognoscendi vi, et in libere quidvis eligendi facultate consistat ; ut inter alios Gregorius Nyssenus [2], Dorotheus *Doctrina* prima, Cyrillus Alexandrinus libro IX *in Joannem*. »

Ambrosius vero libro VI in *Hexaemeron*, cap. VIII imaginem Dei in eadem libertate statuit tam amplectendi quodcumque libitum est, quam cogitationibus, et consiliis huc illucque vagandi ; quod ipsum liberi arbitrii proprium est. « Non ergo caro, inquit, potest esse ad imaginem Dei, sed anima nostra, quæ libera est, et diffusis cogitationibus, atque consiliis huc atque illuc vagatur, quæ considerando spectat omnia. Ecce nunc sumus in Italia, et cogitamus ea, quæ ad Orientales, aut Occidentales partes spectare videntur ; et cum illis versari videmur, qui in Perside sunt constituti, et illos videmus, qui degunt in Africa, etc. Ea igitur est ad imaginem Dei, quæ non corporeo æstimatur, sed mentis vigore ; quæ absentes videt, transmarina visu obit, percurrit aspectu, scrutatur abdita, huc atque illuc uno momento sensus suos per totius orbis fines, et mundi secreta circumfert. »

Quæ omnia liberæ voluntatis propria sunt, ut dixi. Nam *habitum animi* significant *liberum sui*, ut loquitur Bernardus [3], ac nulla necessitate defixum ; de quo dicendum nobis erit postea. Porro idem Bernardus « ex libertate arbitrii ad imaginem ipsius, qui creavit, conditam esse animam, » testatur in eodem libro.

Nonnulli in virtute et Spiritu sancto.

X. Sunt qui imaginem, ac similitudinem in virtute ponant, ut Epiphanius refert ; et ita ex Platone Clemens sentit Alexandrinus in secundo *Stromateon* sub finem. Nam Plato in libro IV *de Legibus*, « temperantem ait esse carum Deo, quia similis est ei ; intemperantem vero dissimilem esse, et discrepantem, et injustum [e]. » Et in *Theæteto*, « Fugam mali dicit esse similitudinem Dei, quantum eam possumus assequi. Similitudinem porro in eo consistere, ut sit aliquis justus et sanctus cum prudentia [f]. » Hæc nostris congruere Clemens observat, quæ de Dei imagine ac similitudine dicuntur. Ac sæpenumero similitudinem hujusmodi Dei Scripturæ prædicant ; ut cum jubet nos Christus *diligere inimicos nostros, Ut sitis*, inquit [5], *filii Patris vestri*, hoc est similes ejus. Paulus item non raro hanc similitudinem commendat, qui in interiori homine fit, ac « *novo, qui renovatur secundum imaginem ejus, qui creavit illum* [6]. » Quod Origenes in lib. VI *contra Celsum* asserit ; et Cyrillus in libro *contra Anthropomorphitas* capite secundo, et tertio, primario in sanctitate, ac virtute imaginem constituit.

Sic Gelasius in Actis Nicænæ synodi

a ZACHAR. tom. I *Bibl. Græco-Lat. PP* Τοῦτο. γὰρ γνώρισμα, καὶ σύνθημα λογικῆς μάλιστα φύσεως, καὶ εἰκὼν, καὶ μίμησις τῆς ἄνω βασιλείας.

b MACAR. Οὐ δὲ διὰ τοῦτο εἶ κατ' εἰκόνα, καὶ ὁμοίωσιν θεοῦ, ἐπειδὴ ὥσπερ ὁ θεὸς αὐτεξούσιός ἐστι, καὶ ὃ θέλει ποιεῖ, etc. Οὕτως καὶ σὺ αὐτεξούσιος εἶ, καὶ ἐὰν θέλῃς ἀπολέσθαι, τρεπτῆς φύσεως εἶ.

c DAMASC. lib. II, cap. XII. Τὸ μὲν γὰρ κατ' εἰκόνα, τὸ νοερὸν δηλοῖ, καὶ αὐτεξούσιον.

d Idem cap. XIV vel LXI, lib. III. Εἰ κατ' εἰκόνα τῆς μακαρίας καὶ ὑπερουσίου θεότητος ὁ ἄνθρωπος γεγένηται· αὐτεξούσιος δὲ φύσει, καὶ θελητικὴ ἡ θεία φύσις· ἆρα καὶ ὁ ἄνθρωπος, ὡς αὐτῆς εἰκὼν, αὐτεξούσιος φύσει, καὶ θελητικός. Et in lib. I *Instit. Dial.* cap. X.

e PLATO IV *de Leg.* post med. Ὁ μὲν σώφρων ἡμῶν, θεῷ φίλος· ὅμοιος γάρ. ὁ δὲ μὴ σώφρων ἀνόμοιός τε, καὶ διάφορος, καὶ ἄδικος.

f PLATO *in Theæt.* Φυγὴ δὲ, ὁμοίωσις θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν· ὁμοίωσις δὲ δίκαιον καὶ ὅσιον μετὰ φρονήσεως γενέσθαι.

1 Col. 910.— 2 Lib. *de Homin. Opif.* c. IV et Or. XVI. Cat. c. V.— 3 Lib. *de grat. et lib. arb.*— 4 *Matth.* V, 45.— 5 *Col.* 3, 10.— 6 Orig. VI *cont. Cel.*

« Bonus, inquit, Deus natura sua, intelligenti hominis substantiæ indidit illud, ad imaginem ipsius, et similitudinem, ut bonitatem, simplicitatem, sanctitatem, puritatem [a], » etc.

XI. Apud Chrysostomum exstat homilia *de eo, quod imaginem, quæ est ad similitudinem, homo per peccatum abjecit* [1], in qua probat imaginem istam in virtutibus animi consistere ; quandoquidem post peccatum iis ornamentis animi spoliati, bestiis similes facti esse dicuntur. Idemque tradidit citatus ab Joanne Damasceno *in Parallelis* Chrysostomus, qui in justitia imaginem collocat. Severianus quoque Gabalitanus oratione v *de Mundi Opificio*, « Quid est, inquit, secundum imaginem : Deus est sanctus. Si nos sancti sumus, ad imaginem sumus Dei. *Sancti enim, inquit, estote, quia ego sanctus sum* [2]. Deus est justus. Si justitiam persequimur, imago sumus Dei [b], » etc.

Eleganter Ambrosius in libro *de Bono mortis*, capite v. « Fugiamus ergo hæc mala, et transformemus animam nostram ad illam imaginem Dei, et similitudinem. Fuga malorum similitudo Dei est ; et virtutibus imago Dei acquiritur. Ideo qui nos pinxit quasi auctor, pinxit virtutum coloribus. » Idem docet etiam ad *Psalmum* CXVIII [3]. Sic Petrus Chrysologus sermone CXX sicut « delictorum morbis imago ipsa ablata est conditoris, sic virtutibus, ac sanctitate formam Dei reformari, et ad similitudinem nos Christi revocari, ac totam reduci ad imaginem conditoris» probat ex Apostolo dicente, *Nolite configurari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri* [4]. Sic Rupertus in lib. VI *de Glorific. Trinitatis*, cap. x per fidem, spem, et charitatem similitudinem in nobis Dei fieri dicit.

Cum hac opinione congruunt, qui imaginem Dei in Spiritus sancti communicatione esse sitam existimant. Ita Cyrillus Alexandrinus libro *Thesauri* XXXIV et in dialogo sexto ; ex quo etiam divinitatem adstruit Spiritus sancti. Ideo complures antiquorum amissam per primi peccatum parentis imaginem ab Christo restitutam esse sentiunt, infuso Spiritu sancto ; de quo vide, quæ in octavo libro *de Trinitate*, quinto capite scripsimus.

A plerisque constituitur discrimen inter imaginem et similitudinem.

XII. In quo illud observandum est a plerisque veterum Patrum constitutum discrimen imaginis in homine, ac similitudinis. Ex quibus imago in plasmate ab Irenæo ponitur [5] ; similitudo vero per Spiritum dari dicitur, quem Deus inspirat homini.

Clemens Alexandrinus in secundo *Stromateon* ex aliquorum sententia refert, « id, quod est ad imaginem, statim in ipsa generatione hominem accepisse ; ut autem ad similitudinem sit, postea in consummatione esse capturum [c]. » Tanquam similitudo perfectus sit animi, corporisque status, omnium virtutum ac bonorum possessione cumulatus, qui nos Deo quam proximos reddit. Sic passim in natura imaginem, similitudinem in virtute reponunt alii, ut Ambrosius libro *de Dignitate conditionis humanæ*, capite secundo, et tertio ; et Philastrius capite LXXXV qui similitudinem « ex fide sanctæ Trinitatis, et vita bona, et opere sequenti ait ostendi, ut exeuntes percipiant promissum consortium Angelicæ dignitatis ; ut ait Joannes [6] : *Tunc similes ei erimus* ; et Dominus : *similes estote patris vestri.* »

Hilarius in libro primo *ad Constantium*, Arianos reprehendens, qui similem Patri Filium esse dicebant, ait Mosem, cum de procreatione hominis ageret, « Similitudinem cum imagine ad Deum homini deputasse, ne veritatis proprietas existimaretur, cui ad imaginem similitudo esset adjuncta. » Quoniam, quod simile dicitur, non idem est cum eo, cujus simile est. Itaque « similitudo, inquit, inter Patrem, et Filium non prædicatur ; et, De Filio nusquam similitudinem reperies. » Sed vide quæ in IV *de Trinitate* de ὁμοιουσίου nomine disputavimus. *Homœousii.*

XIII. Rursus Paulinus Nolanus epistola secunda, imaginem similiter ac superiores illi, naturæ, ac substantiæ hominis insitam docet, quæ sola in nobis ex Adam remansit ; similitudinem vero ponit in accidentibus qualita-

a Gelas. par. II, cap. xvi. Ἀγαθὸς ὢν ὁ θεὸς τῇ φύσει, ἐνέπηξε τῇ νοερᾷ τοῦ ἀνθρώπου οὐσίᾳ τὸ κατ' εἰκόνα αὐτοῦ, καὶ ὁμοίωσιν· οἷον τὴν ἀγαθότητα, τὴν ἁπλότητα, τὴν ἁγιότητα, τὴν καθαρότητα, etc.

b Sever. Τί ἐστι τὸ, κατ' εἰκόνα ; Θεὸς ἅγιος· ἐὰν γενόμεθα ἅγιοι, κατ' εἰκόνα ἐσμὲν θεοῦ. γίνεσθε γὰρ ἅγιοι, ὅτι ἐγὼ ἅγιός εἰμι. θεὸς δίκαιος· ἐὰν δικαιοσύνην μετέλθωμεν, εἰκὼν ἐσμεν θεοῦ.

c Clem. Alex. II *Strom.* Τὸ μὲν κατ' εἰκόνα εὐθέως κατὰ τὴν γένεσιν εἰληφέναι τὸν ἄνθρωπον· τὸ καθ' ὁμοίωσιν δὲ, ὕστερον κατὰ τὴν τελείωσιν μέλλειν ἀπολαμβάνειν.

1 Tom. V ed. Savil.— 2 *Levit.* XIX, 2.— 3 Octon. XXII, col. 1086.— 4 *Rom.* XII.— 5 Iren. l. V, c. VI et XVI.— 6 *Joan.* III.

tibus, virtute, sanctitate, etc. quam Christi beneficio recuperamus. Separat item Gregorius Nyssenus[1] oratione prima in illa verba, *Faciamus hominem* etc. Maximus martyr centuria tertia *de Caritate*, cap. XXV et Diadochus[2] capite IV, necnon Chrysostomus[3] homilia tertia tomi quinti, Isidorus Pelusiota[4], Damascenus[5], auctor libri *ad Fratres de Monte Dei*[6], qui inter Bernardi opera ponitur, et videtur esse Guillelmi a S. Theodorico. Dubitat Joannes Philoponus libro VI *de Mundi Opificio*, cap. VI et VII. Quo posteriori in capite, philosophos ad illam virtutis, et sapientiæ similitudinem allusisse putat, cum ita philosophiam definierunt, ut esset « assimilatio Dei, quantum homini possibile est. [a]»

Sed est probabilius, Mosem ambo ista nomina pro uno, eodumque sumpsisse, atque
Ex adverso. ἐκ παραλλήλου, ut posterior prioris sit explicatio, ut ait Philoponus[7]. Idque probat Cyrillus Alexandrinus in libro *contra Anthropomorphitas*, capite V, et in catena manuscripta *in Genesim*, quæ est Regiæ bibliothecæ. Augustinus item quæstione IV *in Deuteronomium*[8]; qui et sæpe imaginis voci subjicit eam notionem, quam similitudini tribuunt, hoc est eam, quæ accidentem qualitatem continet; ut in tractatu *in Psalmum* LVII. « Omnes, inquit, facti ad imaginem Dei, nisi terrenis cupiditatibus conterant, quod ille formavit. » Et « Quare imaginem Cæsaris creatori vestro ostendebatis, et ejus imaginem in vestris cordibus delebatis? » Idem porro ambo ista nomina significare, argumento est, quod in cap. V. Adam dicitur *genuisse Seth ad imaginem et similitudinem suam.* » Sed et Apostolus imaginem Dei pro eo usurpat, quod vulgo similitudini imputant[9]. Ut cum *novum hominem reformari ait ad imaginem ejus, qui creavit illum.* Quod Philoponus[10] adnotavit, et ante omnes istos Origenes supra laudatus a nobis[11].

XIV. Invenio, qui imaginem Dei in æternitate, sive immortalitate malint positam. Ita Faustus Regiensis libro I *de Libero arbitrio*, cap. I. « Quid vero aliud, inquit, intelligendum est etiam in ipsa, qua homo conditus est, Dei imagine, nisi perennitatis insigne? quam perennitatem non solum animæ non ademptam, sed etiam corpori agnoscis resurrectionis virtute reparatam. » Et Maximus martyr, qui in libro paulo ante citato imaginem a similitudine distinguens, « quatuor esse dicit proprietates divinas, quæ continent, fovent, et conservant ea, quæ sunt; quas pro summa sua bonitate communicare voluit Deus, producens rationalem, intelligentemque naturam. Hæ sunt, esse, semper esse, bonitas, sapientia. Ex quibus duas quidem substantiæ indidit, videlicet esse, et semper esse; duas facultati arbitrii, ac propositi concessit, bonitatem, ut quæ est ipse per substantiam, ea sit creatura per participationem. Ob id etiam ad imaginem Dei, et ad similitudinem homo fabricatus esse dicitur; ad imaginem quidem, tanquam existentis existens, et semper existentis semper existens, ut, quamvis non absque initio talis sit, tamen sine fine sit; ad similitudinem vero, tanquam boni bonus, et sapientis sapiens, ejus, qui natura istud est, is, qui gratia est. Porro ad imaginem sunt omnes prorsus homines; ad similitudinem vero soli boni, et sapientes[b]. »

Alii denique Dei imaginem in immortalitate ponunt.

Sic Prudentius in *Apotheosi* similitudinem hominis cum Deo, saltem ex parte, constituit in æternitate.

« Est similis, sæculis quod non consumitur [ullis,
Quod sapiens, justique capax, reginaque rerum

a Philop. Ἐντεῦθεν οἶμαι καὶ τοὺς ἔξω σοφοὺς τὴν φιλοσοφίαν οὕτως ὁρίσασθαι. φιλοσοφία ἐστὶν ὁμοίωσις θεῷ, κατὰ τὸ δυνατὸν ἀνθρώπῳ.

b Max. cent. III, c. XXV et citatur tacito libri nomine ab Euth. par. I *Pan.* tit. VI. Τέσσαρα τῶν θείων ἰδιωμάτων συνεκτικὰ, καὶ φρουρητικὰ, καὶ διασωστικὰ τῶν ὄντων δι' ἄκραν ἀγαθότητα ἐκοινοποίησεν ὁ θεὸς, παραγαγὼν εἰς τὸ εἶναι τὴν λογικὴν, καὶ νοερὰν οὐσίαν· τὸ ὄν, τὸ ἀεὶ ὄν, τὴν ἀγαθότητα, καὶ τὴν σοφίαν. τούτων δὲ, τὰ δύο μὲν, τῇ οὐσίᾳ παρέσχε, τὸ ὄν, καὶ τὸ ἀεὶ ὄν, τὰ δύο δὲ τῇ γνωμικῇ ἀπένειμεν ἐπιτηδειότητι, τὴν ἀγαθότητα, καὶ τὴν σοφίαν· ἵνα ἅπερ ἐστὶν αὐτὸς κατ' οὐσίαν, γένηται ἡ κτίσις κατὰ μετουσίαν. διὰ ταῦτα καὶ κατ' εἰκόνα θεοῦ, καὶ καθ' ὁμοίωσιν ὁ ἄνθρωπος δημιουργηθῆναι λέγεται. κατ' εἰκόνα μὲν, ὡς ὄντος ὢν, καὶ ἀεὶ ὄντος ἀεὶ ὤν. εἰ καὶ μὴ ἀνάρχως αὐτὸς, ἀλλ' ἀτελευτήτως· καθ' ὁμοίωσιν δὲ, ὡς ἀγαθοῦ ἀγαθὸς, καὶ σοφοῦ σοφὸς, τοῦ κατὰ φύσιν, ὁ κατὰ χάριν. ἀλλὰ κατ' εἰκόνα μέν εἰσι πάντες ἁπλῶς ἄνθρωποι, καθ' ὁμοίωσιν δὲ, μόνοι ἀγαθοὶ, καὶ σοφοί.

1 Tom. I.— 2 Tom. I *Bibl. Patr*, col. 294.— 3 Tom. V Savil.— 4 Lib. III, ep. XCIII.— 5 Lib. II, cap. XXVIII et lib. IV, c. IV — 6 Col. 1044. — 7 Lib. VI *de mundi creatione*, cap. VI. — 8 Tom. IV. — 9 *Col.* III, 8 et *Ephes.* IV.— 10 Lib. VI, cap. VIII.— 11 Orig. VI *cont. Cel.*

Imperat, ante videt, perpendit, præcavet, [instat,
Verborum, morumque opifex, instructaque [mille
Artibus, et cœlum sensu percurrere docta.
His animam similem sibi conditor effigia- [vit. »

CAPUT III.

De alia imaginis interpretatione, quæ in dominatione in animantes, et res omnes homini tributas illam collocat. Explicatur Apostoli locus ex priore ad Corinthios. *Demum ea de imagine Dei opinio proponitur, quæ maxime probabilis videtur; duplex ratio constituitur illius : una, quæ est secundum essentiam : alia, quæ qualitates spectat. Prior in intelligentia, et ratione posita est. Utrum Angelus ad imaginem Dei factus sit. Variæ de eo sententiæ aientium, aut negantium. Quatenus id soli homini competat.*

Magni auctores in dominatu similitudinem constituunt

I. Celebris est illa præterea, et magnorum auctorum approbatione firmata de imagine sententia, eam in imperio, dominatuque sitam esse, quem in animantes, ac terrarum orbem universum constituit humano generi Deus, iisque verbis Scriptura declarasse videtur : *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram; et præsit piscibus maris, et volatilibus cœli, et bestiis, universæque terræ, omnique reptili, quod movetur in terra*[1]. Placuit hæc præ cæteris Joanni Chrysostomo qui ad eam adhæresciit, passimque commendat, illa, quam posui, Mosis auctoritate subnixam. Ut in homilia x *in Genesim* ad illa verba : *Et præsint piscibus* etc. (sic enim Græce legitur in plurativo numero καὶ ἀρχέτωσαν). « Igitur, inquit, ad dominationis imaginem factus est homo, non ad aliud quippiam. Etenim omnium, quæ in terra sunt, principem creavit hominem Deus, neque quidquam est in terra majus illo, verum omnia sub ejus potestate sunt [a]. » Sic et alibi sæpe, ut in libro primo *de Virginitate* [2], et in libro primo *ad Stagirium*, ubi Deum ait « hoc in terris hominem esse voluisse, quod ipsemet in cœlis erat [b]. » Idem Gregorius Nyssenus existimat apud Cæsarium in tertio dialogo; tum in libro *de hominis opificio*, longa et accurata id oratione prosequitur : « Ut in vita hac, inquit, artifices instrumentum ea forma moliuntur, quæ usui sit apta; ita sic tanquam vas quoddam ad regni administrationem idoneum, naturam nostram præstantissimus fabricavit artifex, ac tum animæ dotibus, tum figura ipsa corporis talem designavit hominem, ut ad regnum esset aptissimus [c]. »

Ob id animam nostram cum libero arbitrio decoravit, quod erat regiæ dignitati congruens, tum justitia, immortalitate, ac virtutum omnium splendore vestivit, tanquam purpura, ut in eodem illo capite IV et sequenti eleganter scribere pergit Gregorius.

Explicatur Apostoli locus ex epistola ad Corinthios.

II. Huic opinioni suæ probandæ subjungit Chrysostomus Apostoli testimonium; qui in priore *ad Corinthios*, de cultu et habitu Christianorum in Ecclesia, et oratione præcipiens, mulierem vult tecto esse capite, virum nudo et aperto : *Vir non debet*, inquit, *velare caput suum, quoniam imago, et gloria Dei est; mulier autem gloria viri est* [3]. Ibi Paulus libertatis, ac dominationis indicium statuit in nudatione, apertioneque capitis; servitutis autem, in velatione, non quacumque, sed, ut arbitror, in ea, quæ non summum tantummodo caput, sed genas etiam, et faciem contegat. Nam alioqui viri etiam tecto esse capite plerumque solent; sed non velato ita, ut totum caput obnubant, quæ est abjectionis, subjectionisque professio. Hinc Plutarchus in *Quæstionibus Romanis* causam hanc reddit, cur in Diis adorandis operto erant capite, « quod eo habitu sese coram illis demitterent [d]. »

a Chrys. Κατὰ τὴν τῆς ἀρχῆς οὖν εἰκόνα, φησὶν, οὐ καθ' ἕτερόν τι. καὶ γὰρ πάντων τῶν ἐπὶ τῆς γῆς ἄρχοντα τὸν ἄνθρωπον ἐδημιούργησεν ὁ Θεὸς, καὶ οὐδὲν τῶν ἐπὶ τῆς γῆς ἐστι τούτου μεῖζον· ἀλλὰ πάντα ὑπὸ τὴν ἐξουσίαν τούτου τυγχάνει.

b Chrysost. I *ad Stag.* Τοῦτο αυτὸν ἀποφήνας ἐπὶ τῆς γῆς, ὅπερ ἐστὶν αὐτὸς ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Sic in hom. v, tom. V, et hom. II in ep. *ad Hebr.*

c Greg. Nyss. lib. *de Hom. opif.* cap. IV. Καθάπερ γὰρ ἐν τῷ βίῳ τούτῳ καταλλήλως τῇ χρείᾳ σχηματίζεται παρὰ τῶν τεχνιτευόντων τὸ ὄργανον· οὕτως οἷόν τι σκεῦος εἰς βασιλείας ἐνέργειαν ἐπιτήδειον τὴν ἡμετέραν φύσιν ὁ ἀριστοτέχνης ἐδημιούργησε, τοῖς τε κατὰ τὴν ψυχὴν προτερήμασι, καὶ αὐτῷ τῷ τοῦ σώματος σχήματι τοιοῦτον εἶναι παρασκευάσας, οἷον ἐπιτηδείως πρὸς βασιλείαν ἔχειν.

d Plutarch. Τοὺς δὲ θεοὺς οὕτω προσεκύνουν, ἢ ταπεινοῦντες ἑαυτοὺς τῇ ἐπικρύψει τῆς κεφαλῆς.

1 *Gen.* I, 26.— 2 Cap. XLVI.— 3 I *Cor.* XI, 7.

Quocirca ex illo Apostoli dicto Chrysostomus[1] argumentatur, imaginem Dei in homine in dominatione, ac principatu consistere, quem in mulierem, ac cætera omnia vir solus exercet : « Neque ergo secundum corpus, neque secundum animam, ait Theodoretus ad illa Pauli verba, sed propter solum principatum, eo quod in omnia, quæ sunt in terra, dominatus viro concessus est[a], » imago dicitur. Hoc modo mulier imago non erit, nec ad imaginem Dei ; quod ultro Diodorus Tarsensis apud Theodoretum quæstione vicesima *in Genesim* fatetur. Eamdem de imagine ἐν τῷ ἀρχικῷ reponenda tradit Clemens Romanus apud Damascenum *in Eclogis* cap. I et Gelasius Cyzicenus in parte II Actorum Nicænorum, capite. XIV Isidorus Pelusiota[2]. Philoponus item in libr. VI *de mundi opificio* cap. VI eam adversus Theodorum Mopsuestenum tuetur, et cap. XII declarat, quemadmodum viro præcipue conveniat principatus eo sensu, quem diximus. Tametsi absolute feminis perinde, ac viris imaginis ratio ista congruat, ut idem affirmat[3], eo quod amborum est natura communis.

In dominandi potestate.

« Ecce vides, sexu ut careat cœlestis imago,
Interior sortitus homo quam mente retentat,
Nec sexum acceptat, »

ait Alcimus Avitus ad Fuscinam sororem. Et Marius Victor in libro primo :

« Nunc hominem faciamus, ait, qui regnet in [orbe,
Et sit imago Dei. Similem decet esse creanti,
Liber ad arbitrium fruitur qui mente crea- [tis. »

Ubi et liberum arbitrium, et de quo mox agetur, τὸ ἀρχικόν, ad imaginem Dei referre videtur. Quinetiam R. Saadias apud Aben Hezra in commentariis *ad Genes.* imaginem perinde ut illi statuit בממשלה, id est *in imperio, ac dominatione.* Auctor fragmenti, quod est in calce tomi IX operum Augustini, de multiplici hac imaginis, et similitudinis ratione pluribus disputat.

Sententia probabilior exponitur.

III. Sed ne diutius in ista opinionum persequenda varietate suspensum lectoris animum teneam, et ut, quæ mea postremo sit, explicem, mihi tum illæ, quas singillatim percensui, tum quæ ad earum pertinent quampiam, omissæque ideo sunt, omnes in unum cogi posse videntur, atque ad perfectam imaginis, ac similitudinis complendam rationem singulæ aliquid conferre. Ac meminisse cum primis id oportet, quod de similitudinis, et imaginis proprietate dixi in libro *de Trinitate* quinto[4], ubi de generatione, ac notione divini Verbi egimus, illam considerari posse dupliciter. Aut enim hoc quæritur, quod οὐσιῶδες ejus est, et quo nuda ipsa similitudinis essentia continetur ; aut accessio quædam insuper illius, accidensve perfectio, qua detracta, nihilominus illa constabit. Sic in animantium propagatione, præsertim hominis, imaginis proprietatem, sine qua generatio est nulla, diximus in naturæ similitudine consistere, ejusque, ut vulgo loqui solent, *specificæ* ; hujus vero complementum in iis spectari, quæ naturam, et essentiam sequuntur. Sic hominem hominis, id est genitoris genitum, ob id præcise imaginem vocari, adeoque filium, quod humana sit natura præditus, tametsi dissimilis sit in cæteris, ut statura, colore, totaque conformatione membrorum, necnon moribus, et animi indole. Quorum si in filio similitudo non desit, non eo sit nativa illa, et propria imago perfectior ; neque magis propterea filius est, sed adventitius quidam ad eam cumulus accedit. Ad hanc ergo formulam si Dei in homine similitudo, et imago referatur, duplicem ejus rationem investigare possumus : unam, quæ maxime propria sit hominis, et naturæ hujus insita, nec ab eo separabilis : alteram velut consectariam, et secundam.

Essentiale.

Duplex similitudinis ratio una secundum essentiam, alia secundum qualitates.

IV. De priori et naturali similitudine Dei, ad quam homo creatus dicitur, habet hoc consensus omnium Patrum, eam in intelligente, ac rationali parte, id est anima, collocandam esse, vel, ut verius, accuratiusque dicam, in homine ipso, quatenus tali forma illius natura conficitur. Viam ad hoc, quod dico, percipiendum aperiet quæstiunculæ cujusdam enodatio : utrum solus homo ad imaginem ac similitudinem sit Dei conditus ; an id etiam Angelis competat ; ex hujus enim disceptatione alterius petenda est explicatio. Ac sunt

Prior in intelligentia consistit.

An angelus ad similitudinem Dei factus.

a Theod. Οὔτε κατὰ τὸ σῶμα, οὔτε κατὰ τὴν ψυχὴν, ἀλλὰ κατὰ τὸ ἀρχικὸν μόνον, ὡς ἁπάντων τῶν ἐπὶ γῆς ἀρχὴν πεπιστευμένος.

1 Hom. X in *Gen.* et Hom. II, tom. V et Hom. II in ep. *ad Heb.*— 2 Lib. III, ep. XCV.— 3 Cap. XII.—4 Lib. V, t. III, c. VIII.

aliqui, qui decus hoc humanæ naturæ tanquam proprium asserunt, et ab ejus communione Angelos excludunt. Alii et istos ad imaginem Dei creatos esse putant, et multo etiam excellentius id eis convenire, quam hominibus.

Variæ sententiæ.

Angelos ad imaginem Dei non esse factos, affirmat apud Photium Methodius in libro *de Castitate*, vel potius auctor ille, qui ex Methodii libro *Excerpta* quædam edidit. Ibi enim quæstionem hanc proponit, « quid sit, ad imaginem Dei esse factum; quod solus ex omnibus conditis a Deo rebus homo sortitus videtur. Nihil enim potest in homine reperiri alicujus pretii, cujus non sit Angelorum natura particeps [a]. » Quod sigillatim probat in præcipuis quibusque naturæ humanæ dotibus. Nam et immortalis, perinde ut homo, est Angelus, et liberi arbitrii, et dominatum habet in gentes, ac populos; et, si corpore ac membris metiris imaginem, Angeli quoque humana specie describuntur in sacris litteris. Quod si ideo ad imaginem Dei hominem esse statuis, quod similiter, atque ille, propagandi, procreandique alterius efficientia præditus est, sive homine altero gignendo, sive hominis effigie fabricanda, frustra istud dixeris. Multi enim neutrum omnino faciunt. Denique concludit, imaginem Dei peculiarem homini hanc esse, « quod virtutes cura et studio sibi comparet. Quippe Angeli, etsi virtutem obtineant, non ejusmodi tamen eam possident, quæ sollicitudine, ac labore quæsita sit, eo quod a nequitia non abducuntur [b]. » Cætera incondita sunt, neque satis explicata. Sed ex iis, quod nobis est satis, habemus, Angelos ad imaginem non esse Dei factos.

V. Theodoretus itidem quæstione XX *in Genesim* solum hominem indicat ad imaginem esse Dei. Nam primo refellit eos, qui imaginem ponunt in eo, quod anima sit invisibilis. Si enim vera illi docerent, « Angeli potius, et Archangeli imagines Dei nominarentur, ac cæteræ corporis expertes, sanctæque naturæ [c]. » Tum multo magis illorum castigat inscitiam, qui et corporatum putant esse Deum et hujus imaginem in humano corpore defigunt. Deinde probabiles subjungit aliorum sententias; veluti « quod sensibili, et intelligibili creatura, universorum Deus postremum formavit hominem; quem sicut imaginem quamdam sui collocavit in medio inanimorum, et animatorum, sensibilium, et intelligibilium, ut inanima quidem, et animata usum illi, tanquam vectigal quoddam, pensitent; intelligibiles vero naturæ in ejusdem cura capessenda suam erga creatorem benevolentiam ostendant [d]. » Cui alterum addit eorum, qui dominatu in res omnes eamdem imaginem definiunt; tum quod similiter, ut Deus, varia molitur opera, et ingenii solertia, ac multiplicibus artium inventis divinam imitatur sapientiam.

Ad hanc opinionem, quæ in principatu rerum imaginem, ac similitudinem Dei sitam adstruit, pertinet antiquorum illa sententia, de qua tertio in libro de Angelis meminimus, qui Diabolum invidisse arbitrantur homini, quod orbis terrarum dominatum illi concessum videret, quem sibi jam aut reipsa, aut spe certa vindicabat.

VI. Macarius vero in homilia XV eo titulo non veretur hominem Angelis ipsis anteferre: « Pretiosior est, inquit, homo creatis omnibus. Ac fortassis etiam audeo dicere, non illum solis aspectabilibus creaturis antecellere, sed etiam invisibilibus, hoc est administratoriis spiritibus. Neque enim de Michaele, et Gabriele archangelis dixit, *Faciamus ad imaginem, et similitudinem nostram*; sed de intelligente hominis substantia, immortali scilicet anima [e]. »

Joannes quoque Philoponus [1] præcipuam in

a Method. apud Phot. cod. CCXXXVII. Τί ποτέ ἐστι τὸ κατ' εἰκόνα, ὃ μόνος ἐσχηκέναι λέγεται ἄνθρωπος τῶν ὑπὸ θεοῦ γεγενημένων. οὐδὲ γὰρ ἂν εὕροι τις ἐπ' ἀνθρώπου τι τῶν τιμίων, οὗ μὴ καὶ ἀγγέλων μετέσχε φύσις.

b Method. ibid. Τί οὖν τὸ κατ' εἰκόνα; ἢ τῶν ἀρετῶν δι' ἐπιμελείας κτῆσις· ἄγγελοι μὲν γὰρ ἔχειν ἀρετὴν, ἀλλ' οὐ τὴν δι' ἐπιμελείας, καὶ κόπου, ὅτι μὴ μεθέλκονται ὑπὸ κακίας, δοξάζονται.

c Theod. qu. XX. Τινὲς τὸ ἀόρατον τῆς ψυχῆς εἰκόνα θεοῦ κεκλήκασιν, ἀλλ' οὐκ ἀληθῶς εἰρήκασιν. εἰ γὰρ εἰκὼν τοῦ θεοῦ τῆς ψυχῆς τὸ ἀόρατον, μᾶλλον εἰκόνες τοῦ θεοῦ κληθεῖεν ἄγγελοι, καὶ ἀρχάγγελοι, καὶ πᾶσαι αἱ ἀσώματοι, καὶ ἅγιαι φύσεις.

d Ibid. Ὅτι τὴν κτίσιν τὴν αἰσθητήν τε, καὶ νοητὴν πεποιηκὼς ὁ τῶν ὅλων θεὸς, τὸν ἄνθρωπον διέπλασεν ἔσχατον, οἷόν τινα εἰκόνα ἑαυτοῦ ἐν μέσῳ τεθεικὼς τῶν ἀψύχων τε, καὶ ἐμψύχων, καὶ αἰσθητῶν, καὶ νοητῶν· ἵνα τὰ μὲ ἄψυχά τε, καὶ ἔμψυχα τούτῳ προσφέρῃ ὥσπερ τινὰ φόρον, τὴν χρείαν· αἱ δὲ νοηταὶ φύσεις ἐν τῇ περὶ τοῦτον κηδεμονίᾳ τὴν περὶ τὸν πεποιηκότα δεικνύωσιν εὔνοιαν.

e Macar. Τιμιώτερος οὖν ἐστιν ὁ ἄνθρωπος ὑπὲρ πάντα τὰ δημιουργήματα. τάχα δὲ τολμήσω λέγειν, ὅτι

1 Lib. *de mundi opif.*

Quatenus id soli homini competat.

homine causam agnoscit, cur ad imaginem Dei factus esse dicitur, quam ille, ut supra memoravi, in dominatu rerum omnium universitatis istius collocat. Verum Joannes Damascenus in libro *de duabus Christi voluntatibus*, hominem ait magis ad imaginem Dei esse, quam Angelum; quod cum dicit, non hunc ab imaginis consortio simpliciter excludit, sed illi prærogativam honoris hujus attribuit. Quod ideo facit, « quoniam Angelus naturali servo caret, neque naturaliter dominus est [a], » homo vero proprium corpus accepit, tanquam naturalem servum. Quibus verbis indicat, imaginis proprietatem τῷ ἀρχικῷ definiri. Sed non satis convenit ratio ista dominatus; neque ex Scripturis tueri se potest, uti prior illa, quam initio capitis exposui.

Dominatu.

Hugo Etherianus in libro *de Regressu animarum ab inferis*[1], usque eo propriam humanæ naturæ censet esse Dei imaginem, ut etiam « quamdam æmulationem dicat habere cœlestes spiritus, præcellentissimam pulchritudinem illius intuentes, in eo maxime, quod hæc sola inter alias creaturas ad Dei similitudinem esse facta legatur, et est. »

VII. Chrysostomus ad illa Pauli verba, *Qui est imago Dei invisibilis*, quærit, « cur nusquam Angelus neque filius, neque imago nominatur, homo vero utrumque dicatur [b]; » ac respondet, id ea causa factum, quod si Angelo ista tribuerentur, propter naturæ ejus excellentiam facile divinus ei honor haberetur : in homine vero nullum insit tale periculum ob humilem ejus, abjectamque conditionem : « Idcirco, ubi multa erat abjectio, audacter honorem ejusmodi Scriptura defert; ubi autem natura præstantior est, non facit [c]. » Quibus verbis significat, Angelos reipsa, et in sese imagines esse Dei. Mox tamen nescio quid perplexum, neque satis liquidum subjicit, Angelos propterea non esse Dei imaginem, « quia non sunt invisibiles sibiipsis; animam vero simpliciter invisibilem, imaginem esse Dei [d]. » Quem locum alias expendimus. At Gregorius Papa [2] ad id respiciens, quod *Ezechielis* XXVIII de diabolo sub typo regis Tyrii scriptum est, *Tu signaculum similitudinis Dei*, inde concludit, excellentiorem in Angelo, quam in homine, similitudinis inesse rationem. « De sigillo quippe annuli talis similitudo imaginaliter exprimitur qualis in sigillo eodem essentialiter habetur. Et, licet homo ad similitudinem Dei creatus sit, Angelo tamen quasi majus aliquid tribuens, non eum ad similitudinem Dei conditum, sed ipsum signaculum Dei similitudinis dicit, ut quo subtilior est in natura, eo in illo similitudo Dei plenius credatur expressa. »

VIII. Mihi, ut in reliquis Mosaicæ illius historiæ partibus, sic in hac, de qua agimus, imagine, ac similitudine, illa interpretandi regula videtur adhibenda, quam in Præfatione hujus libri proposui, ut quam simplicissima, et ad vulgi captum accommodatissima ratio quæratur, non arcessita, et recondita, atque ex arcanis hausta divinæ, vel humanæ sapientiæ fontibus. Meminisse præterea debemus, Mosem in illo dierum sex opificio nullius rei spiritualis, et incorporeæ conditum attigisse, sed tantummodo corporatæ, vel sub sensum cadentis, ut in eadem præfatione dixi. Itaque de Angelis nulla istic quærenda mentio. Ex quo vera, et liquida propopositæ quæstionis explicatio ducitur. Solum enim ex corporeis, et sensibilibus rebus hominem ad imaginem constat esse Dei factum, non inanimam rem ullam, non stirpes, non pisces, non feras; quam ob causam principatus in illas omnes uni homini est attributus.

Atque hanc nobis rationem suggerit Philo Judæus; qui post enumerata omnia dierum sex opera, ista subjicit : « Post alia igitur omnia, uti dictum est, hominem refert ad imaginem Dei et similitudinem esse factum,

μὴ μόνον τῶν ὁρατῶν δημιουργημάτων, ἀλλὰ καὶ τῶν ἀοράτων, ἤγουν τῶν λειτουργικῶν πνευμάτων. οὐ γὰρ περὶ Μιχαὴλ, καὶ Γαβριὴλ, τῶν ἀρχαγγέλων εἶπεν, ὅτι ποιήσωμεν κατ' εἰκόνα, καὶ ὁμοίωσιν ἡμετέραν. ἀλλὰ περὶ τῆς νοερᾶς οὐσίας τοῦ ἀνθρώπου, τῆς ἀθανάτου λέγω ψυχῆς.

a Damasc. Καὶ φυσικῶς ἄρχειν ὡς ἰδίου, καὶ φυσικοῦ δούλου τοῦ οἰκείου σώματος· διὸ καὶ πλέον τῶν ἀγγέλων κατ' εἰκόνα θεοῦ ὁ ἄνθρωπος. ὁ γὰρ ἄγγελος οὐκ ἔχει φυσικόν δοῦλον, οὐδὲ φυσικός ἐστι δεσπότης.

b Chrys. hom. III, in c. I, 15, epist. *ad Coloss.* Διὰ τί δὲ μηδαμοῦ μήτε εἰκὼν, μήτε υἱὸς ἄγγελος κέκληται, ἀλλ' ἄνθρωπος ἀμφότερα.

c Ibid. Διὰ τοῦτο, ἔνθα μὲν ἦν πολλὴ ταπεινότης, θαῤῥοῦντος ἡ γραφὴ τίθησι τὴν τιμήν. ἔνθα δὲ μείζων ἡ φύσις, οὐκέτι.

d Ibid. Καὶ γὰρ καὶ αὐτοὶ ἀόρατοι, ἀλλ' οὐκ ἑαυτοῖς· καὶ ψυχὴ ἀόρατος· ἀλλ' ἐπειδὴ ἀόρατος ἁπλῶς, διὰ τοῦτο εἰκών.

1 Tom. IX *Bibl. Patri* edit. II, col. 977.—2 Lib. III, *Mor.* cap. XVIII.

recte omnino. Nihil enim e terra natum Deo est similius homine[a]. » Eamdem rationem Musonius attigit apud Stobæum : « Ut universe loquar, ait, homo similitudo Dei solus est ex iis, quæ in terra degunt[b]. » Nec incommode Theodorus Mopsuestenus fecisse Deum ait similiter, « ac regem aliquem; qui, urbe aliqua amplissima condita, et multis, ac variis operibus exornata, postquam omnia perfecit, juberet sui quampiam elaboratam imaginem maximam, et elegantissimam media in urbe constitui, ut conditorem ejus posteris ostenderet[c]. »

Eleganter vero Gregorius Nyssenus Deum, scribit, postquam res omnes adspectabiles in lucem edidit, ad eas fruendas hominem creasse, « eumque duplici ex structura coagmentasse, cum terreno divinum admiscuit, ut ambobus instructus consentaneum, et aptum utrique potiundo statum obtineret ; ac Deo quidem frueretur ex diviniore natura, terrenis autem bonis per congenerem sensum[d]. » Quocirca solus ideo dicitur homo factus ad imaginem, et similitudinem Dei, non Angelis exclusis, sed iis omnibus, quorum ortum sex illis diebus Moses complexus fuerat. Ex quo etiam licet obiter contra illos argumentari, qui cœlestes orbes anima præditos volunt intelligente et ad Dei similitudinem propius utique pertingente. Id enim si ita foret, cum ante hominem procreati sint, his potius, quam isti, proprietatem imaginis, ac similitudinis tribueret. Basilius quoque liquido demonstrat, hominem solum ex iis, quæ in terra sunt, ad imaginem Dei esse factum : « Ecquod aliud, inquit, eorum, quæ sunt in terra, ad imaginem conditoris esse factum[e] ? »

CAPUT IV.

Absolvitur proposita quæstio de imagine, et similitudine Dei. Imaginem esse totum ipsum hominem ex corpore animaque constantem, sed primario ratione animæ, et eorum, quæ natura illi competunt. Id quod imago *est, et* id quo *distinguitur. Quomodo Trinitatis imago est homo, tum etiam quatenus liberi arbitrii est; ex quo fluit altera ratio, quæ in dominatu ponitur, quo cæteris imperat animantibus. Item quemadmodum in virtute, et id genus ornamentis imago consistit. Necnon quomodo in ipso corpore sita sit; cujus in homine forma præstantissima est, et statura recta. Manus item propter rationem et sermonis usum datæ. Utrum ad solius Verbi imaginem factus dici possit homo. Explicantur notiones duarum in Hebræo vocum,* Selem, et Demuth. *Et Latinarum* imago, *et* similitudo. *Anima cur Spiritus et afflatus vocetur.*

Totus homo imago Dei.

I. Nunc primariæ quæstioni nostræ, qua ratione Dei in homine imago insit, et similitudo, respondere facillimum est ex iis, quæ hactenus dicta sunt. Ac mihi quidem videtur totus homo vel imago Dei, vel ad imaginem factus debere dici, non ita sane, ut complures loquuntur, anima sola rationalis. Nam illud Mosis verbis magis est consentaneum. Id enim imago, vel ad imaginem Dei factum est, quod ideo se facere pronuntiat Deus, ut ejusmodi esset : iisque verbis designat. *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram, et præsit piscibus.* Atqui nec anima sola homo est, neque brutis præsidet, sed ex utroque temperatum animal, corpore et spiritu, ut, quod scribit Gregorius Nyssenus, utraque parte cum spiritibus, et corporatis rebus commercium, et quasi civilem societatem habeat. Nullam enim ejusmodi cum his,

a Philo *de Opif.* Μετὰ δὴ τἆλλα πάντα, καθάπερ ἐλέχθη, τὸν ἄνθρωπόν φησι κατ' εἰκόνα γενέσθαι, καὶ καθ' ὁμοίωσιν, πάνυ καλῶς. ἐμφερέστερον γὰρ οὐδὲν γηγενὲς ἀνθρώπου θεῷ.

b Muson. apud Stob. serm. cxvi. Καθόλου δὲ ἄνθρωπος μίμημα μὲν θεοῦ μόνον τῶν ἐπιγείων ἐστί.

c Theodorus apud Theod. qu. xx. Ὥσπερ εἴ τις βασιλεὺς πόλιν τινὰ μεγίστην κατασκευάσας, πολλοῖς τε αὐτὴν, καὶ ποικίλοις διακοσμήσας ἔργοις, μετὰ τὴν ἁπάντων ἐκπλήρωσιν, κελεύσειεν εἰκόνα αὐτοῦ γενομένην μεγίστην τινὰ, καὶ εὐπρεπεστάτην ἐν μέσῳ πάσης ἑστάναι τῆς πόλεως, εἰς ἔλεγχον τοῦ τῆς πόλεως αἰτίου.

d Greg. Nyss. lib. *de Hom. opif.* c. ii. Καὶ διὰ τοῦτο διπλᾶς αὐτῷ τῆς κατασκευῆς τὰς ἀφορμὰς καταβάλλεται, τὸ γηΐνῳ τὸ θεῖον ἐγκαταμίξας· ἵνα δι' ἀμφοτέρων συγγενῶς τε, καὶ οἰκείως πρὸς ἑκατέραν ἀπόλαυσιν ἔχῃ. τοῦ θεοῦ μὲν διὰ τῆς θειοτέρας φύσεως· τῶν δὲ κατὰ γῆν ἀγαθῶν διὰ τῆς ὁμογενοῦς αἰσθήσεως ἀπολαύων.

e Basil. *in Psal.* xlviii. D. Τί γὰρ τῶν ἐπὶ γῆς ἄλλο κατ' εἰκόνα τοῦ κτίσαντος γέγονε ;

in quæ homo dominatum accepit, sola exercet anima. Itaque totus homo Dei est imago, sed non hujus imaginis ratio eodem jure, ac modo per ambas illius partes diffunditur; nec pari utrobique perfectione consistit, verum proportione quadam, et pro cujusque captu, ac modulo. Præcipua quidem dos imaginis, ac similitudinis in ratione sita est, quæ intelligentiam, ac voluntatem, cæteraque οὐσιώδη generis hujus complectitur. Ad hanc accessio fit aliorum ejusdem formæ, hoc est spiritualium, et remotorum a sensu et corpore, ut est scientia, virtus, et utraque tum naturæ parta viribus, tum natura superior; quo in posteriori genere vera, et propria similitudo ab nonnullis ponitur ab imagine distincta, principatus item, et potestas in res creatas cæteras, et sub sensum cadentes, et si qua sunt alia, quæ ad animum referuntur. Postrema vis est imaginis in corpore, cum eoque connexis propriis hominis ornamentis. De quo triplici gradu imaginis ac genere pauca nobis edisserenda sunt.

Essentialia.

II. Solent ad hujusmodi declarandam imaginis naturam Theologi duo quædam in imagine discernere : alterum, id, quod imago est, sive rem, cui imaginis ratio, et appellatio convenit : alterum, id, propter quod imago est, et dicitur; quorum prius vocant *id quod*, posterius, *id quo*, quemadmodum in VI lib. *de Trinit.* cap. VI demonstravimus. Hoc modo totus homo, id est corpore, animoque constans, et composita substantia, velut Adamus ipse, imago fuit, vel ad imaginem, et similitudinem Dei factus. Id autem, cujus ratione nomen illud, ac rem imaginis habuit, si τὸ οὐσιῶδες illius quæritur, natura fuit, ut dixi, rationalis, quem veteres νοῦν interdum nominant. vel τὸ νοερόν. Ita Clemens Alexandr. in II *Stromat* [1], hoc, quod est ad imaginem Dei, et similitudinem, collocat ἐν τῷ νῷ, καὶ λογισμῷ, *in mente, et ratiocinatione*, quibus etiam voluntas continetur. Ideo Joannes Damascenus perfectam imaginis in homine conditionem explicat sic : « Secundum imaginem intelligentem, et liberi arbitrii creavit ipsum [a]. » Et apud eumdem *in Eclogis*, sive *Parallelis* nondum editis, Chrysostomus imaginem dici ait, « ob intelligendi vim, ob rationalem facultatem, ob liberum arbitrium, ac denique propter regiam dignitatem, quam in res omnes terrenas obtinet [b]. »

Id quod imago est et id quo distinguitur

Essentiale.

Ita Joannes Philoponus, « secundum rationalem naturam, ejusque facultates » ad imaginem, et similitudinem esse hominem dicit; « quibus per virtutem Deo assimilatur, et aliis imperat animantibus [c]. » Quod et R. Moses Maiemonis filius in prima parte Jad, tractatu *de Fundamentis legis*, cap. IV asserit; tametsi in forma hominis, id est anima, communes sint cum bestiis facultates sensuum, ac cæterorum; non earum tamen ratione dici hominem ad Dei similitudinem esse factum, sed quatenus « inest in eo forma, quæ novit, et percipit notiones a materia remotas, adeo ut ipsis assimiletur [d]. »

III. Celeberrima est apud antiquos Patres imaginis illa ratio, qua ad similitudinem divinitatis tribus in personis subsistentis expressus homo dicitur. Ac si Petro Damiani auscultemus, « homo non ad unius personæ, sed ad totius Trinitatis est creatus imaginem. Unde non legitur : Faciam ad imaginem meam; sed faciamus, inquit, hominem ad imaginem nostram : » ait ille opusculo primo *de Fide Catholica*, capite primo. Verum non omnes huic assentiuntur, ut postea dicam. Hujus porro similitudinis modum eleganter declarat Ambrosius in libro *de dignitate conditionis humanæ* [2], cap. XI ubi alias primum cum Deo similitudinis causas explicat, quod, « sicut Deus unus semper ubique totus est, omnia vivificans, movens, et gubernans; sic anima in suo corpore ubique tota viget, vivificans, movens illud, et gubernans. » Deinde quod, « sicut Deus est, vivit, et sapit; ita anima secundum suum modum est, vivit, et sapit. » Tum eam subjicit, quæ ad Trinitatem propius attinet. Nam, « licet unius illa naturæ, tres tamen in se dignitates habet, id est intellectum, voluntatem, et memoriam. Quod idem, licet aliis verbis, in *Evangelio* designatur, cum dicitur, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota*

Homo Trinitatis imago.

a Damasc. lib. IV *de Fide*, cap. IV. Κατ' εἰκόνα, νοερὸν καὶ αὐτεξούσιον ἐποίησεν αὐτόν.

b Chrysost. apud Damasc. *Eclog.* cap. I. Διὰ τὸ νοερὸν, διὰ τὸ λογικὸν, διὰ τὸ αὐτεξούσιον, ἔπι πᾶσι δὲ τούτοις καὶ τὸ κατὰ πάντων ἐπιγείων βασιλικὸν ἀξίωμα.

c Philop. lib. VI *de Opif.* cap. XIX. Κατὰ τὴν λογικοῦ φύσιν, καὶ τὰς τούτου δυνάμεις, δι' ὧν, ὡς εἶπον, κατ' ἀρετὴν ἐξομοιοῦται θεῷ, καὶ τῶν ἄλλων ἄρχει ζώων ὁ ἄνθρωπος.

d Rabbi Moses. שתהיה לו צורה היורעה ומושגת הדעות שאין להם גולם עד שידמה להן.

1 Citatus cap. antec. n. 5.— 2 Tom. I, col. 105.

mente tua[1], id est, ex toto intellectu, et ex tota voluntate, et ex tota memoria. Nam, sicut ex Patre, generatur Filius, et ex Patre, Filioque procedit Spiritus sanctus; ita ex intellectu generatur voluntas, et ex his item ambobus procedit memoria, etc. Et, sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus est, non tamen tres dii sunt, sed unus Deus tres habens personas; ita et anima intellectus, anima voluntas, anima memoria, non tamen tres animæ in uno corpore, sed una anima tres habens dignitates, atque in his tribus ejus imaginem mirabiliter gerit in sua natura noster interior homo. »

Augustinus vero copiosa disputatione illam eamdem Trinitatis in anima similitudinem exponit in nono libro *de Trinitate*[2]. Sed tria illa, quæ in anima totidem divinis personis respondent, ita sumit, ut sint, mens, amor, et notitia ejus, vel memoria[3], intelligentia, voluntas. Vide et librum duodecimum, qui totus fere hujus est argumenti; tum libri XIV caput postremum; itemque Theodoretum quæstione xx *in Genesim*.

Hugo Etherianus tres illas res in homine accipit[4], *concupiscentiam*, *rationem*, et *iram*: absurde sane. Melius Ambrosius, et Augustinus, *intellectum*, *voluntatem*, et *memoriam*, sive, quod adhuc propius videtur, mentem, cognitionem, qua mens seipsam percipit, et amorem.

IV. Ita pars imaginis erit τὸ αὐτεξούσιον, sive *libertas sui juris*, ac potestas. Quod egregie Nyssenus Gregorius in *Catechetico*, capite v docet: Oportuisse nimirum hominem suæ potestatis, arbitriique liberi esse, ne hac ex parte defecta esset imago, et archetypi dissimilis. « Etenim regnantis, ac dominantis naturæ qui tandem imago dici posset illa, quæ necessitatis legibus adstricta serviret[a]? » Et Cyrillus Alexandrinus libro nono *in Joannem* « partem illam esse dicit imaginis, quod suæ spontis est homo, et voluntates proprias habet in potestate, sicut Deus suas[b]. » Et Joannes Damascenus libro III, cap. XIV.

Ad hanc libertatis prærogativam revocari sine dubio potestas illa debet homini concessa, et dominatus in animantia cætera, resque omnes inferiores a Deo conditas, imo vero regia quædam dignitas, cui omnia serviunt, ac vel obsequium præstant, vel utilitati certe, atque commodis operam navant. Quod posterius de Angelis dixerim, quos omnes *administros esse spiritus* clamat Apostolus[5], *in ministerium missos, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*. Et alibi[6]: *Omnia vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura; omnia enim vestra sunt;* hoc est in usum vestrum, commoditatemque conferunt sic, tanquam regum ad voluntatem, aut emolumentum, aut honorem, quæ sunt in regno, omnia referuntur.

Hominis regia dignitas in dominatu, virtute,

V. Etenim jus, sive dominium in rem aliquam inter corporatas creaturas soli intelligenti, et rationali, id est homini convenit, quia *per rationem, et voluntatem*, cujus utriusque *facultas liberum arbitrium dicitur*, dominium habetur, ut S. Thomas[7] demonstrat. Porro dominium a jurisconsultis definitur[8], « Jus perfecte disponendi de re corporali, nisi lex, vel conventio obsistat. » Hoc autem sine arbitrio libero esse non potest, « Omnia enim animalia cætera, ut ait Augustinus in lib. I *de Genesi contra Manichæos*, cap. XVII, subjecta sunt homini non propter corpus; sed propter intellectum, quem nos habemus, et illa non habent. »

Hinc Nemesius libro *de Natura hominis*, cap. XXXVIII, Deum vocat ἐξουσίαν, καὶ φύσιν ἐξουσιαστικήν, hoc est *potestatem, et naturam potestativam*, ut sic loquar, quod et libere, proque potestate agit omnia, et rebus omnibus dominatur; ideo hac ex parte ad imaginem homo Dei esse dicitur. Ac plerique Patrum, qui in imperio illo, et dominatu proprietatem imaginis sitam volunt, adjungunt arbitrii liberi potestatem, ut Cæsarius[9], et Chrysostomus paulo ante citatus ex Damasceno, et Gregorius Nyssenus pulcherrime, « Anima, inquit, regiam excelsamque dignitatem longe a privata abjectione disjunctam in eo demonstrat,

a Nyssen. Εἰ γάρ τις ἀνάγκη τῇ ἀνθρωπίνῃ ἐπιστάτει ζωῇ, διεψεύσθη ἂν ἡ εἰκὼν κατ' ἐκεῖνο τὸ μέρος, ἀλλοτριωθεῖσα τῷ ἀνομοίῳ πρὸς τὸ ἀρχέτυπον. τῆς γὰρ βασιλευούσης φύσεως ἡ ἀνάγκαις τισὶν ὑπεζευγμένη τε, καὶ δουλεύουσα, πῶς ἂν εἰκὼν ὀνομάζοιτο;

b Cyril. Ἐπειδὴ δὲ αὐτοπροαίρετος ὢν, καὶ τὰς τῶν ἰδίων θελημάτων πεπιστευμένος ἡνίας· μοῖρα γὰρ τῆς εἰκόνος, καὶ αὐτή. κατεξουσιάζει γὰρ τῶν οἰκείων θελημάτων ὁ θεός.

1 *Matth.* XXII.— 2 Cap. IV et seq.—3 Ibid. c. XI.— 4 Lib. *de regress. anim.* tom. IX *Bibl. Patr.*— 5 *Heb.* I.— 6 *Cor.* III, 22.— 7 In I, II qu. I, art. 1.— 8 Barth. *ad leg. Si quis vi.* § disser. n. 4. Dig. *de Ac. quit. poss. vide Mol.* disp. XVIII *de just. et jure.* Dial. III, qu. CLV et CLX.

quod nullius dominio subjicitur, et suæ potestatis est, ac suapte votuntate, et libero arbitrio gubernatur. Cujus enim proprium illud est, quam regis? Præterea imaginem esse naturæ omnibus imperantis, nihil aliud est, quam cum regia dignitate naturam illam esse conditam [a]. »

VI. Ad hanc primariam, et nativam, atque οὐσιώδη in homine proprietatem imaginis, quæ in ratione, sive intelligentia, et voluntate posita est, accedunt cæteræ, quæ passim a plerisque Patribus afferuntur; velut accidentia quædam ornamenta, et complementa similitudinis, ut est immortalitas, virtus, gratia, justitia, et si quid aliud est, quo ad Dei similitudinem, imitationemque propius pervenitur. Eximia de hac re sententia est ejusdem Gregorii Nysseni, qui vivam, animatamque summi principis effigiem confert cum Imperatoris imagine, quæ ab artificibus ære, vel pictura sic exprimitur, ut regiæ majestatis cultu, et insignibus decoretur, purpura, sceptro, diademate. Quapropter, uti regis imago non solum vultum illius, et corporis figuram, ac velut substantiam ipsam refert, sed etiam ornatum ejus, et adventitium decorem; sic homo perfecte tum imaginem in se Dei, ac similitudinem reddit, cum ad naturæ bona, quæ deleri, extinguique nequeunt, etiam ille virtutum, et gratiæ nitor, ac reliqua omnis dignitas adjungitur : « Cum humana natura non purpura vestitur, neque sceptro, vel diademate dignitatem ostentat suam, (neque enim archetypum in iis consistit), sed loco purpuræ virtute est amicta, quæ est omnium maxime regia vestis : pro sceptro vero immortalitatis beatitate fulcitur, ac pro diademate justitiæ corona eum exornat [b]. » Vide Dorotheum *in Doctrina* prima, sub initium.

Itaque virtus, ac reliquus omnis apparatus, coloris instar est, et elegantiæ totius, quæ imagini superfusa pulchritudinem ejus, venustatemque complet; ut in sequenti capite, suavi, ac nitida oratione declarat idem Gregorius; et, ut ait Clemens Alexandrinus [1], sapiens in eo proxime Dei similitudinem attingit, quod ἀπάθειαν, id est perturbationum omnium vacuitatem acquirit. Tametsi quod apposite notatum est ab Tertulliano, non potest τὸ ἀναμάρτητον, id est *statum peccati omnis expertem*, qui in Deo est, imitando assequi ; « Sicut enim imago [2], cum omnes lineas exprimat, veritatis vi tamen ipsa caret, non habens motum ; ita et anima imago spiritus, solam vim ejus exprimere non valuit, id est non delinquendi felicitatem. » Quippe uti Prudentius cecinit [3],

« non habet umbra
Quod corpus solidum, cujus simulatio in [umbra est.
Atque aliud verum est, aliud simulatio veri.»

Homo quoad corpus imago Dei.

VII. Postremo in ipsum quoque Adami corpus divinæ imaginis dignitas redundavit. De quo insignem habet locum Joannes Damascenus *in Eclogis* ex antiquo scriptore : « Nam si Verbum divinum ait, Faciamus hominem ad imaginem nostram, et similitudinem. Quemnam vero? nempe carnalem dicit hominem. Ait enim scriptura : *Et accepit Deus pulverem de terra et formavit hominem.* Perspicuum est igitur, hominem eum, qui ad imaginem Dei formabatur, fuisse carnalem istum. Quod si ita est, nonne absurdum est, carnem a Deo formatam ad imaginem suam ignobilem esse, ac nullius pretii dicere [c]? » Caro igitur ad imaginem Dei facta dicitur. Quod eo sensu intelligendum est, quem supra docuimus, ut non anima sola, nedum caro sola sit, ad quam Mosis ista verba referuntur. *Faciamus hominem ad imaginem*, etc. sed homo totus carne constans, et anima. Cui quamvis

a Nyssen. lib. *de Hom. opif.* cap. iv. Ἡ μὲν γὰρ ψυχὴ τὸ βασιλικόν τε, καὶ ἐπῳρμένον αὐτόθεν δείκνυσι πόῤῥω τῆς ἰδιωτικῆς ταπεινότητος κεχωρισμένον, ἐκ τοῦ ἀδέσποτον αὐτὴν εἶναι, καὶ αὐτεξούσιον, ἰδίοις θελήμασιν αὐτοκρατορικῶς διοικουμένην. τίνος γὰρ, καὶ οὐχὶ βασιλέως ἐστίν; καὶ ἔτι πρὸς τούτοις, τὸ τῆς δυναστευούσης τῶν πάντων φύσεως εἰκόνα γενέσθαι, οὐδὲν ἕτερόν ἐστιν, ἢ εὐθὺς βασιλίδα δημιουργηθῆναι τὴν φύσιν.

b Nyssen. ibid. Οὐ πορφυρίδα περικειμένη, οὐδὲ σκήπτρῳ, καὶ διαδήματι τὴν ἀξίαν ἐπισημαίνουσα· οὐδὲ γὰρ τὸ ἀρχέτυπον ἐν τούτοις ἐστίν· ἀλλ' ἀντὶ μὲν τῆς ἁλουργίδος τὴν ἀρετὴν ἠμφιεσμένη, ὃ δὴ πάντων βασιλικώτατον ἐσθημάτων ἐστίν. ἀντὶ δὲ σκήπτρου, τῇ μακαριότητι τῆς ἀθανασίας ἐρειδομένη, ἀντὶ δὲ τοῦ διαδήματος, τῷ τῆς δικαιοσύνης στεφάνῳ κεκοσμημένη.

c Damasc. lit. A. tit. LXXII. Εἰ γὰρ (οὗ) φησὶν ὁ λόγος· ποιήσωμεν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα ἡμετέραν, καὶ καθ' ὁμοίωσιν· ποῖον; δηλονότι σαρκικὸν λέγει ἄνθρωπον. φησὶ γὰρ ὁ λόγος· καὶ ἔλαβεν ὁ θεὸς χοῦν ἀπὸ τῆς γῆς, καὶ ἔπλασε τὸν ἄνθρωπον. δῆλον οὖν ὡς κατ' εἰκόνα θεοῦ πλασσόμενος ὁ ἄνθρωπος ἦν ὁ σαρκικός. εἶτα πῶς οὐκ ἄτοπον τὴν ἀπὸ θεοῦ σάρκα πλασθεῖσαν κατ' εἰκόνα τὴν ἑαυτοῦ φάσκειν ἄτιμον εἶναι καὶ οὐδενὸς ἀξίαν;

1 Clem. Alex. VI *Strom.* ed Hein.— 2 Tertull. II *cont. Marc.* cap. ix.— 3 In *Apoth.*

hoc propter animam potissimum conveniat, est tamen et incorpore proprium quiddam, cujus gratia dicatur ad imaginem Dei esse factum. Primum statura ipsa cœlum versus erecta; tum figura, conformatioque membrorum, ac tota species imperio digna, in quo præcipua vis imaginis a plerisque ponitur. Aristoteles quoque formam humani corporis ad intelligentiam, ac sapientiam, quod omnium divinissimum est, accommodatum esse scribit: « Rectum est, inquit, solum hoc animal ex omnibus, eo quod natura ejus, et substantia divina sit. Porro opus ejus, quod est divinissimum, intelligere est, ac sapere. Hoc autem non est facile, si vasta corporis moles desuper incumberet. Nam gravitas tardiorem mentem reddit, sensumque communem [a]. »

Forma hominis præstantissima.

Manus homini soli tributæ.

VIII. Imprimis autem magnum hoc in animali sapientiæ, solertiæque sunt indicium manus ei ab natura soli tributæ, adeo « ut propterea omnium esse sagacissimum animantium hominem dixerit Anaxagoras, quod manus habeat. » Sed hoc invertit Aristoteles, « magis esse consentaneum dicens, ut quia prudentissimum est animalium omnium, manus illi datæ fuerint. Manus enim instrumentum sunt accipiendi. Porro natura sic, tanquam prudens homo, facere solet, ei, qui uti potest, semper tribuit; ut ei, qui jam tibiæ peritus sit, rectius est tibiam dare, quam tibiam habenti tibia canendi scientiam dare[b]. » Jam ut idem subinde scribit, « qui prudentissimus est, is quamplurimis rite utatur instrumentis. Est autem manus non uniusmodi instrumentum, sed multa. Est enim velut instrumentum ante instrumenta. Igitur ei, qui plurimas artes capere posset, ejusmodi datum a natura est instrumentum, quod ad plurima esset idoneum [c]. »

Gregorius Nyssenus in libro *de Hominis opificio*, cap. XIII [d] rectam hominis figuram, et ad cœlum tendentem, imperii, ac potestatis, et regiæ cujusdam dignitatis argumentum esse scribit, cum e contrario animantia cætera prona, et in terram spectantia, servitutem et summissionem eo habitu testentur. Quinetiam manus ait ad facultatem sermonis, et usum soli homini concessas fuisse. Nam, nisi eas accepisset, quibus pabulum, et alia tuendæ vitæ necessaria compararet, alia vultus atque oris conformatione opus habuisset, ac tum oblongo rostro, tum dentibus, et lingua, cæterisque, quibus ad loquendum utimur, longe dissimilibus membris instruendus fuisset, et ad hunc usum ineptis.

Necnon recta figura et ad cœlum tendens.

Denique, quod ad corpus pertinet, aliam similitudinis cum Deo rationem Augustinus aperit [1], quam in beata resurrectione consequemur, cum, ut ait Joannes [2], *similes ei erimus*; quod etiam de corpore eatenus usurpari potest, quod Christi conforme tum corpori futurum est, quemadmodum et Apostolus significat voluisse Deum [3], nos « conformes *fieri imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Sed hoc modo tantum filio similes erimus; « quia solus in Trinitate corpus accepit, in quo mortuus resurrexit, atque id ad superna pervexit, » ut ibidem ait Augustinus.

Ad hæc autem illustranda, quæ de imagine, ac similitudine dixi, juvat Eurysi Pythagorei sententiam his attexere Mosis verbis, et iis, quæ de corpore posui, apprime congruentem; qui scripsit in lib. *de Fortuna*, « Opificem seipso utentem exemplari, fecisse hominem; tabernaculum autem (id est corpus) cæteris simile, utpote ex eadem materia conditum, verum ab optimo elaboratum artifice, qui illud molitus est, exemplar adhibens semetipsum [e]. »

a Arist. lib. IV *de Part. anim.* cap. x. Ὀρθὸν μὲν γάρ ἐστι μόνον τῶν ζώων, διὰ τὸ τὴν φύσιν αὐτοῦ, καὶ τὴν οὐσίαν εἶναι θείαν. ἔργον δὲ τοῦ θειοτάτου τὸ νοεῖν, καὶ φρονεῖν· τοῦτο δὲ οὐ ῥᾴδιον πολλοῦ τοῦ ἄνωθεν ἐπικειμένου σώματος· τὸ γὰρ βάρος δυσκίνητον ποιεῖ τὴν διάνοιαν, καὶ τὴν κοινὴν αἴσθησιν.

b Arist. ibid. Ἀναξαγόρας μὲν οὖν φησι, διὰ τὸ χεῖρας ἔχειν, φρονιμώτατον εἶναι τῶν ζώων τὸν ἄνθρωπον. εὔλογον δὲ, διὰ τὸ φρονιμώτατον εἶναι τῶν ζώων, χεῖρας ἔχειν. τοῦ λαμβάνειν γὰρ χεῖρες ὄργανόν εἰσιν. ἡ δὲ φύσις καὶ ἀεὶ διανέμει, καθάπερ ἄνθρωπος φρόνιμος, τῷ δυναμένῳ χρῆσθαι ἕκαστον· προσήκει γὰρ τῷ ὄντι αὐλητῇ δοῦναι μᾶλλον αὐλοὺς, ἢ τῷ αὐλοὺς ἔχοντι προσθεῖναι αὐλητικήν.

c Ibid. Ὁ γὰρ φρονιμώτατος πλείστοις ἂν ὀργάνοις ἐχρήσατο καλῶς, ἡ δὲ χεὶρ ἔοικεν εἶναι οὐχ ἓν ὄργανον, ἀλλὰ πολλά, ἐστι γὰρ ὥσπερεὶ ὄργανον πρὸ ὀργάνων. τῷ οὖν πλείστας δυναμένῳ δέξασθαι τέχνας, τὸ ἐπὶ πλεῖστα τῶν ὀργάνων χρήσιμον τὴν χεῖρα ἀποδέδωκεν ἡ φύσις.

d Greg. Nyss. Ὀρθιον δὲ τῷ ἀνθρώπῳ τὸ σχῆμα, καὶ πρὸς τὸν οὐρανὸν ἀνατείνεται, καὶ ἄνω βλέπει. ἀρχικὰ καὶ ταῦτα, καὶ τὴν βασιλικὴν ἀξίαν ἐπισημαίνοντα, etc.

e Eurysus apud Clem. Alex. V *Strom.* Ὃς ἐν τῷ περὶ τύχας τὸν δημιουργὸν φήσας αὐτῷ χρώμενον

1 Lib. XIV *de Trin.* cap. XVIII.— 2 I *Joan.* III.— 3 *Rom.* VIII, 27 et I *Cor.* XLIX.

trum
o illa
solum
lium
ri pos-
sit.

IX. Utrum autem imago etiam illa, de qua proprie dictum est, *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram*, ad solum Filium referri possit, non absurde quæritur ; idque dupliciter : tum an solum Filium repræsentare homo dici possit : tum an imago Dei sit appellandus non minus, quam ad imaginem Dei creatus dicitur. Utrumque complures affirmant veterum, hominem ad Verbi, vel Filii imaginem esse procreatum, nec imaginem appellandum esse Dei, sed ad imaginem Dei conditum. Horum prius Philo Judæus non uno in loco scripsit ; ut in libro *de Mundi opificio*, Adami « animam longe fuisse ait excellentissimam, eo quod nullo exemplari alio ex rebus procreatis usus est ad illius productionem, sed solo suo Verbo[a]. » Et antea, sub initium libri ejusdem, mundum universum ad ideam, quæ in mente Dei inerat, fabricatum esse dixit, et ideam illam λόγον esse. Quod de toto ipso mundo probat ex ejus parte, id est homine, qui ad imaginem Dei creatus est : « Perspicuum est autem, archetypum sigillum, quem dicimus esse mundum intelligibilem, ipsum esse archetypum exemplar, idearum ideam, Dei Verbum[b]. » Sic Prudentius in *Apotheosi*.

«Fecit, ait, condens hominem Deus, et dedit olli
Ora Dei, quidnam est aliud, quam dicere, solus
Non erat ? atque Deo Deus assistebat agenti,
Cum Dominus faceret Domini sub imagine [plasma ?
Christus forma Patris ; nos Christi forma, et [imago.
Condimur in faciem Domini bonitate paterna
Venturo in nostram faciem post sæcula [Christo.»

Irenæus in libro V, capite XVI, « In præteritis, ait, temporibus dicebatur quidem, secundum imaginem Dei factum esse hominem, non autem ostendebatur. Adhuc enim invisibile erat Verbum, cujus secundum imaginem homo factus fuerat. Propter hoc autem, et similitudinem facile amisit. Quando autem caro Verbum Dei factum est, utraque confirmavit. Et imaginem enim ostendit veram, ipse hoc fiens, quod erat imago ejus ; et similitudinem firmans restituit, consimilem faciens hominem invisibili Patri per visibile Verbum[c]. » Sed hac de re satis multa alibi diximus[1], cum de imaginis proprietate quæ Filio convenit, ageremus. Legendus Augustinus lib. XII *de Trinit.* cap. VI, ubi hanc opinionem refellit, quæ ad unius imaginem personæ hominem ponit esse factum.

Juxta plures Homo non imago Dei, sed ad imaginem Dei,

X. Imaginem porro Dei non esse hominem, sed ad imaginem factum, non pauci olim asseverarunt. Athanasius in libro *de Incarnatione* probat necesse fuisse carnem suscipere Filium Dei, ut, quod peccato primi parentis amissum erat, per illum recuperaretur. « Quid igitur, ait, facere oportebat Deum, vel quid aliud opus erat facto, nisi ut statum illum, qui erat ad imaginem, instauraret, ut per ipsum rursus eum possent homines cognoscere ? Hoc autem qui tandem factum esset, nisi imago ipsa Dei, Servator noster Jesus Christus advenisset ? Nam per homines obtineri illud non poterat, quoniam et ipsi ad imaginem facti sunt. Sed neque per Angelos, ut qui ne ipsi quidem imagines sunt[d]. » Et ante hunc Philo Judæus, « Fecit, inquit, Deus hominem non imaginem, sed ad imaginem[e] ; » quam scilicet solum esse Verbum existimat. Unde « imaginem imaginis[f] »

παραδείγματι, ποιῆσαι τὸν ἄνθρωπον, ἐπήγαγεν τὸ δὲ σκᾶνος τοῖς λοιποῖς ὅμοιον· οἷα γεγονὸς ἐκ τᾶς αὐτᾶς ὕλας, ὑπὸ τεχνίτα δὲ εἰργασμένον λώστω, ὃς ἐτεχνίτευσεν αὐτὸ ἀρχετύπῳ χρώμενος ἑαυτῷ.

a Philo. Ὅτι δέ καὶ τὴν ψυχὴν ἄριστος ἦν, φανερόν. οὐδενὶ γὰρ ἑτέρῳ παραδείγματι τῶν ἐν γενέσει πρὸς τὴν κατασκευὴν αὐτῆς ἔοικε χρήσασθαι· μόνῳ δ', ὡς εἶπον, τῷ ἑαυτοῦ λόγῳ.

b Philo ibid. Δῆλον δὲ ὅτι καὶ ἡ ἀρχέτυπος σφραγὶς, ὃν φαμεν εἶναι κόσμον νοητὸν, αὐτὸς ἂν ἀρχέτυπον παράδειγμα ἰδέα τῶν ἰδεῶν, ὁ θεοῦ λόγος.

c Iren. a Damasc. citatus *in Eclogis*. Ἐν τοῖς πρόσθεν χρόνοις ἐλέγετο μὲν κατ' εἰκόνα θεοῦ γεγονέναι τὸν ἄνθρωπον, οὐκ ἐδείκνυτο δέ· ἔτι γὰρ ἀόρατος ἦν ὁ λόγος, οὗ κατ' εἰκόνα ὁ ἄνθρωπος ἐγεγόνει. διὰ τοῦτο δὴ καὶ τὴν ὁμοίωσιν ῥᾳδίως ἀπέβαλεν. ὁπότε δὲ σὰρξ ἐγένετο ὁ λόγος τοῦ θεοῦ, τὰ ἀμφότερα ἐπεκύρωσε. καὶ γὰρ καὶ τὴν εἰκόνα ἔδειξεν, ἀληθῶς αὐτὸς τοῦτο γενόμενος, ὅπερ ἦν ἡ εἰκὼν αὐτοῦ· καὶ τὴν ὁμοίωσιν βεβαίως κατέστησε, συνεξομοιώσας τὸν ἄνθρωπον τῷ ἀοράτῳ πατρὶ, Ad dendum, διὰ τοῦ ὁρατοῦ λόγου.

d Athan. Τί οὖν ἔδει ποιεῖν τὸν θεὸν, ἢ τί ἔδει γενέσθαι, ἀλλ' ἢ τὸ κατ' εἰκόνα πάλιν ἀνανεῶσαι ἵνα δι' αὐτοῦ πάλιν αὐτὸν γνῶναι δυνηθῶσιν οἱ ἄνθρωποι ; τοῦτο δὲ πῶς ἂν ἐγεγόνει, εἰ μὴ αὐτῆς τῆς τοῦ θεοῦ εἰκόνος παραγενομένης τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ; δι' ἀνθρώπων μὲν γὰρ οὐκ ἦν δυνατόν. ἐπεὶ καὶ αὐτοὶ κατ' εἰκόνα γεγόνασιν. ἀλλ' οὐδὲ δι' ἀγγέλων. οὐδὲ γὰρ οὐδὲ αὐτοί εἰσιν εἰκόνες.

e Philo in lib. *Quis rerum divin. heres.* Ἐποίησε γὰρ, φησὶν, ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον οὐκ εἰκόνα, ἀλλὰ κατ' εἰκόνα.

f Εἰ δὲ τὸ μέρος εἰκὼν εἰκόνος, δηλονότι καὶ τὸ ὅλον εἶδος ὁ σύμπας αἰσθητὸς οὗτοσὶ κόσμος.

1 Tom. III, lib. VI, cap. V, n. 10 et seq.

mundum, et hominem esse docuit in *Cosmopœia*. Qua ex ratione conciliari potest, quod nonnulli negant hominem imaginem esse, sed ad imaginem. Hoc enim qui dicunt, nihil aliud volunt, nisi primariam, et primigeniam divinitatis imaginem esse Filium, sive Verbum, Verbi autem imaginem, hominem; qui proinde ad imaginem Patris sit, non imago illius, sed imago Verbi.

Sic Origenes tomo primo, et secundo *in Joannem*, et libro VI *contra Celsum*. Clemens Alexandrinus, « Dei, inquit, imago Verbum ejus est, et mentis germanus filius, divinum Verbum, luminis Archetypum lumen; at imago Verbi est homo. Vera mens, quæ est in homine, qui propterea ad imaginem et similitudinem Dei factus dicitur, utpote qui cordis prudentia divino assimilatus est Verbo, et eatenus rationalis[a]. » Quo in loco Clemens rationem attigit, cur imago, vel ad imaginem Verbi præcipue dicatur homo esse factus. Hoc enim ex personali proprietate Verbi petitur, ob quam λόγος appellari meruit. Quod nomen expressius est, patetque latius, quam apud Latinos *Verbum*; nam et *rationem*, et *sermonem* significat. Per Verbum autem cum omnia condita sunt a Patre, tum homo ipse et exstantiam, et rationem, atque intelligentiam accepit : ideireo ad exemplum primæ illius, divinæque rationis effictus est. Idem etiam in V *Stromateon*, « Imago imaginis, inquit, humana mens[b]. » Vide Anselmum in *Monologio*, cap. XXXIX et quæ de Verbi notione alio in libro disseruimus[1].

XI. Marius item Victorinus in primo libro *de Trinitate*, « Filium imaginem esse asserit; hominem vero ad imaginem[2]. » Antonius quoque Monachorum pater in epistola VI[3]. « Unigenitum, ait, qui sensus est Patris, et imago ejus existit, cujus etiam imaginis effigie, tota facta est creatura. » Ambrosius *in Ps.* CXVIII idem discrimen observat; et libro V *de Fide*, c. III. « Per imaginem, inquit, ad imaginem sumus[4], » Severianus Gabalitanus oratione tertia *de Cosmopœia*[5]. Sic Eustathius Antiochenus apud Theodoretum *Dialogo* II *contra hæreses*, ubi hominem in Christo ait imaginem esse Filii, quocum in eamdem conveniebat hypostasim : « Non enim Paulus dixit[6], *Conformes filii Dei, sed conformes imaginis Filii ejus*, ostendens aliud esse Filium, aliud imaginem ipsius. Etenim Filius divinas paternæ virtutis notas in se ferens imago est Patris. Quandoquidem et similes ab similibus geniti genitorum veræ sunt imagines filii. At homo ille, quem Christus portavit, imago est Filii. Nam et ex dissimilibus coloribus cera pinguntur imagines, e quibus aliæ sunt manu hominum, et artificio elaboratæ, aliæ natura, et similitadine sunt[c]. » Quo insuper ex Eustathii loco velut πόρισμα quoddam conficitur, verum id esse, quod in libro VI *de Trinitate* probavimus, imaginis rationem in Filio ad substantiam Patris et naturam potius, quam ad hypostasim referri. Etenim homo ille assumptus a Verbo similitudo dicitur Filii, non secundum personam, sed secundum naturam, quæ instar est manu elaboratæ, non nativæ, genitæque imaginis. Proclus in orat. II. « Ille, inquit, factus est ad imaginem, hic imago est increata[d]. » Bernardus quoque serm. LXXX et alii complures negant, imaginem Dei hominem esse, sed ad imaginem. Basilius in V *contra Eunom.* eodem respiciens, « Spiritum sanctum veram Dei esse ait imaginem, non ex divina imagine, uti nos[e]. »

Corollarium

XII. Nihilominus eumdem posse hominem Dei imaginem vocari, ex aliorum Patrum auctoritate constat, et quod caput est, Apos-

Homo vera imago Dei.

a CLEM. *in Protrept.* Ἡ μὲν γὰρ τοῦ θεοῦ εἰκὼν ὁ λόγος αὐτοῦ, καὶ υἱὸς τοῦ νοῦ γνήσιος, ὁ θεῖος λόγος, φωτὸς ἀρχέτυπον φῶς. εἰκὼν δὲ τοῦ λόγου, ὁ ἄνθρωπος. ἀληθινὸς ὁ νοῦς ὁ ἐν ἀνθρώπῳ, ὁ κατ' εἰκόνα τοῦ θεοῦ καὶ καθ' ὁμοίωσιν διὰ τοῦτο γεγενῆσθαι λεγόμενος, τῇ κατὰ καρδίαν φρονήσει τῷ θείῳ παρεικαζόμενος λόγῳ, καὶ ταύτῃ λογικός.

b CLEM. ALEX. Εἰκὼν εἰκόνος ἀνθρώπινος νοῦς.

c EUSTATH. apud Theodor. Οὐ γὰρ εἶπεν ὁ Παῦλος συμμόρφους τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ, ἀλλὰ συμμόρφους τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ· ἄλλο μέν τι δεικνύων τὸν υἱὸν εἶναι, ἄλλο δὲ τὴν εἰκόνα αὐτοῦ. ὁ μὲν γὰρ υἱὸς, τὰ θεῖα τῆς πατρῴας ἀρετῆς γνωρίσματα φέρων, εἰκών ἐστι τοῦ πατρός· ἐπειδὴ καὶ ὅμοιοι ἐξ ὁμοίων γεννώμενοι εἰκόνες οἱ τικτόμενοι φαίνονται τῶν γεννητόρων ἀληθεῖς. ὁ δὲ ἄνθρωπος, ὃν ἐφόρεσεν, εἰκών ἐστι τοῦ υἱοῦ, τῷ καὶ ἐξ ἀνομοίων κηρογραφεῖσθαι χρωμάτων εἰκόνας· καὶ τὰς μὲν εἶναι θέσει χειροτεύκτους, τὰς δὲ φύσει, καὶ ὁμοιότητι γεγενημένας.

d PROCL. Ἐκεῖνος γέγονε κατ' εἰκόνα· οὗτος εἰκὼν ἄκτιστος.

e BASIL. Ἀλλ' ἱκανῶς προσειρήσεται καὶ εἰκὼν ἀληθὴς, οὐκ ἐξ εἰκόνος θείας, καθάπερ ἡμεῖς.

1 Tom. III, lib. VI, c. 1 et seq.— 2 Col. 192 et seq.— 3 Tom. III *Bibl. Patr.* col. 32.— 4 Col. 968 et 959.— 5 Tom. VII Chrys.— 6 *Rom.* VIII, 39.

toli ipsius, qui in priore *ad Corinthios* hominem vocat *imaginem, et gloriam Dei*[1]. Tertullianus in II lib. *contra Marcionem* cap. VIII « imaginem et similitudinem Dei » perinde hominem appellat : et in cap. II libri *de Pœnitentia*, « opus et imaginem Dei. » Greg. quoque Nazianz. Deum ait homini, sive « corpori ex humo formato, a seipso vitam inspirasse, hoc est intelligentem animam, et imaginem Dei[a]. » Sic etiam Sever, orat. V *de mundi opificio*, imaginem nos esse Dei, si probi sumus, asserit. Et Theodotus Ancyranus orat. *de Natali Christi*, Maximus *in Disput. cum Pyrrho*, Basilius *in Esaiam* apud Damascenum lib. III *de Imaginibus*, tam *ad imaginem*, quam *imaginem* Dei hominem esse dicit; Ambros. lib. *de Dign. hominis*, c. II « totum interiorem hominem imaginem esse Dei » putat, id est animam.

Augustinus vero lib. VII *de Trinit.* cap. VI quæstionem omnem decidit, ac similiter hominem et ad imaginem esse ait, et imaginem. « Sed quia non omnino æqualis fiebat illa imago Dei, tanquam non ab illo nata, sed ab eo creata, hujus rei significandæ causa, ita imago est, ut ad imaginem sit, id est non æquatur parilitate, sed quadam similitudine accedit. » Ac subinde, « Sunt, inquit, qui ita distinguunt, ut imaginem velint esse Filium; hominem vero non imaginem, sed ad imaginem. Refellit autem eos Apostolus dicens : *Vir quidem non debet velare caput, cum sit imago, et gloria Dei*[2]. Non dixit *ad imaginem*, sed *imago*. Quæ tamen imago, cum alibi dicitur Ad imaginem, non quasi ad Filium dicitur, quæ imago æqualis est Patri, alioqui non diceret ad imaginem nostram. Quomodo enim nostram, cum Filius solius Patris imago sit? Sed propter imparem, ut diximus, similitudinem dictus est homo ad imaginem, et ideo nostram, ut imago Trinitatis esset homo, non Trinitati æqualis, sicut Filius Patri, sed accedens, ut dictum est, quadam similitudine sicut in distantibus significatur quædam vicinitas, non loci, sed cujusdam imitationis. » Idem docet S. Thomas in prima parte *Summæ Theologiæ*[3]. Theodoretus item in dialogo secundo probat hominem esse imaginem Dei.

XIII. Hebræarum vocum sententia ita reddi potest : *Faciamus hominem in imagine nostra, secundum similitudinem nostram*[b], ubi duo nomina צלם, et דמות ita distinguit R. Moses Maiemonides, ut צלם significet « formam specificam, quæ est apprehensio intellectiva, non similitudo, vel figura[c]. » Nimirum ipsa, ut ita dicam, est substantia imaginis, quæ est intelligens anima, דמות est similitudo ipsa in re, id est qualitate quapiam. Hoc sensu *Demuth* erit *ratio ipsa*, ut vocant, *formalis* imaginis, hoc est *similitudo*. Etenim imago rei alicujus ideo dicitur, quoniam illi similis est, ut nunc cætera taceam quæ ad imaginem necessaria putantur, de quibus in VI libro *de Trinitate* diximus. Quamobrem vera, et liquida loci illius Scripturæ nobis ratio constabit, si Hebraica sic enarremus : *Faciamus hominem in imaginem nostram*, hoc est, ut sit imago nostra; ac proinde *faciamus secundum similitudinem nostram*. Nam, ut imago sit, oportet eum esse similem. Quæ interpretatio facillima est, et imprimis consentanea; cujusmodi esset illa : *Faciamus hominem*; et ut homo sit, *faciamus animal ratione, intelligentiaque præditum*. Ut enim homo reipsa nihil differt ab animali irrationali, nisi ἐπινοίᾳ, velut definitum a definitione, res ab essentia sua; sic imago non nisi ratione distat a similitudine. At sicut in imagine quiddam est οὐσιῶδες; quod minui, augerive non potest; aliud velut accidens, quod secundum qualitatem dicitur; idque majus, vel minus est, ut supra meminimus, ita imago Dei in homine, ac similitudo alias communiter, et secundum essentiam sumitur, et in ratione, intelligentiaque consistit, alias vero secundum adjunctas essentiæ conditiones, ut sunt virtus, scientia, immortalitas, cæteraque generis illius, quæ pro eo ac plures, perfectioresque sunt in hominibus, eo similiores sunt Dei, et ad ejus imaginem, ac similitudinem propius pertinguut.

Explicantur Hebrææ voces.

Intelligentia

Essentiale.

XIV. Quapropter, cum imaginem et similitudinem promiscue Scripturæ sanctæ habeant, interdum unam duntaxat ambarum exprimunt; ut in commate proxime sequenti,

a Nazianz. orat. XXXVIII. Καὶ παρὰ μὲν τῆς ὕλης λαβὼν τὸ σῶμα ἤδη προϋποστάσης· παρ' ἑαυτοῦ δὲ ζωὴν ἐνθεὶς, ὃ δὴ νοερὰν ψυχὴν καὶ εἰκόνα θεοῦ οἶδεν ὁ λόγος.

b *Gen.* I, 26. נעשה אדם בצלמנו כדמותנו .

c Rambam par. I *Moreh.* c. I. הצורה המיוחדת אשר היא ההשגה השכלית לא התמונה והתאר .

1 I *Cor.* XI, 7.—2 I *Cor.* XI, 7.—3 Qu. XXXV, art. 2, ad III.

cum dixisset[1], *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, mox ita loquitur : *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum*; ubi *similitudinem* omisit. De quo arguta magis, quam vera est, et solida Ruperti sententia[2], ideo similitudinis omissum nomen, quod « cum Moses scriberet, homo per peccatum similitudinem Dei amiserat. » Atqui de eo statu hominis loquitur, qui peccatum præcessit; imo non magis de eo, quod homo ipse fuit ante peccatum, quam quod Deus tum fecerit, scribit ista Moses. Sed, ut dixi, nihil inter imaginem, et similitudinem admodum interest. Sic illa quoque levia sunt, quæ in secundo capite posuit : « Imaginem et similitudinem eo differre, quod imago unius est imago, similitudo nunquam minus, quam duorum, similitudo est. » Ex quo effici putat, ut imago solius Patris sit Filius; Spiritus vero sanctus Patris, et Filii non imago, sed similitudo. Verum nihil istud est. Utcumque vero discrimen illud explicari sic posset, quod imago sic inter duo σχέσιν, et habitudinem significet, ut non reciproce illa dicantur; nam Filius imago est Patris, Pater non est imago Filii, at uterque similis alterius dicitur; de quo legenda sunt quæ in *sexto de Trinitate* capite v scripsimus. Respexit autem Rupertus in illo superiore loco ad opinionem illam quorumdam veterum, qui imaginem homini naturalem, et οὐσιωδῶς insitam esse dixerunt; similitudinem vero adventitiam, communicatione sancti Spiritus infusam; idque esse *spiraculum* illud vitæ[3], quod *in faciem*, vel *in nares*, ut Hebraice scriptum est, hominis *inspiravit Deus*. Verum Augustino merito sententia ista minime probatur[4]; siquidem spiraculum ibi, quod Hebraice נשמה dicitur, nihil aliud, quam *animam* significat, quam rationalem, et intelligentem interpretantur Hebræi. Mihi universe anima ipsa designari videtur, quæ in homine utique rationalis est. Nam Deus primum e terra finxit hominis corpus vitæ, ac sensus expers; tum illud animavit, eique vitam indidit, animam inspirans, quam vocat Moses πνοὴν ζωῆς, *spiritum*, vel *halitum vitæ*, figurata locutione, tanquam homo ex interioribus suis flatum, ac spiritum anhelaret. Hinc Origenes, ut scribit Epiphanius[5], ex eoque Damascenus in libro *de Hæresibus*, ψυχὴν ideo dictam aiebat. διὰ τὸ ἄνωθεν πεψύχθαι (ita enim ambo scribunt, non ἐψύχθαι) *quod cœlitus afflata sit*. Qua etiam similitudine humanæ adumbratur animæ dignitas, et immortalitas adeo tacite commendatur, quod et extrinsecus advenit (quo argumento immortalem esse animam odoratus est Aristoteles) et a Deo excellentiori quadam ratione producta est, velut divinæ quædam auræ particula. Sed et Alcimus Avitus in epistola prima, interpretationem hanc respuit, quæ inspirationem illam Dei in Adamum de Spiritu sancto accipit; quam auctor homiliæ XCIX, quæ est tomo V operum Chrysostomi insigniter adstruit, ubi et causam indicat, cur antiqui complures Spiritum sanctum potius, quam humanam animam intellexerint in illa inspiratione; nimirum ne, Manichæorum more, dicerent animam hominis partem esse divinæ substantiæ.

Essentialiter

Anima cur Spiritus et afflatus vocetur.

XV. Tertullianus in libro II *contra Marcionem*; cap. IX, pro *spiraculo*, vel *spiritu*, legit *adflatum*. « Quidam, inquit, de Græco interpretantes, nec recogitata differentia, nec curata proprietate verborum, pro adflatu spiritum ponunt, et dant hæreticis occasionem spiritum Dei delicto infuscandi, id est ipsum Deum, et usurpata jam quætio est. Intellige itaque adflatum minorem spiritu esse, etsi de spiritu accidit, ut aurulam ejus, non tamen spiritum. Nam et aura vento rarior, etsi de vento aura, non tamen ventus aura. Capit etiam imaginem spiritus dicere flatum. Nam et ideo homo imago Dei, id est spiritus, Deus enim spiritus. Imago ergo spiritus, adflatus. Porro imago veritati non usquequaque adæquabitur. Aliud est enim secundum veritatem esse; aliud ipsam veritatem esse, Sic et adflatus, cum imago sit spiritus, non potest ita imaginem Dei comparare, ut quia veritas, id est spiritus, id est Deus, sine delicto est, ideo et adflatus, id est imago, non debuerit admittere delictum. » Vide eumdem libro *de Anima*, capite undecimo.

Nec audiendus Philastrius, qui in hæresi XLIX pro hæreticis habet illos, qui dicunt prius corpus Adami de terra formatum fuisse, quam animam. Contra quos affirmat, ante animam sexto die procreatam esse; corpus vero septimo, quando et mulier de viri latere est sumpta. Tum capite sequenti non animam inspiratam esse, cum *spiraculum inspiratum* dicitur, sed « divini Spiritus quamdam gratiam, et perfectionem dignitatis, ut possit

1 *Gen.* I, 27.— 2 Lib. II *de Trinit.* cap. VI.— 3 *Gen.* II, 7.— 4 Lib. XIII *de Civ.* cap. XXIV.— 5 Epiph. Hær. LXIV, n. 4.

homo capax legis cœlestis existere, » quod et capite XCIX explicat. Verum prius aperte falsum est, neque cum Scriptura convenit; posterius minus illo est, quod dixi supra, probabile. Vide octavi nostri libri *de Trinitate* caput quintum; et Joannis Philoponi librum sextum *de Mundi opificio*, caputque XXIV ubi discrimen illud animæ, ac spiraculi ab Origene inductum refellit; de quo Stephanus Gobarus [1] apud Photium in utramque partem disputasse legitur *.

CAPUT V.

De primo illo, et beato primorum parentum statu, ac primum de loco, in quo collocati sunt, qui PARADISUS *dicitur. Non esse altegorice, quæ de eo scripta sunt, in totum accipienda. De situ ejusdem. Quid sit Eden, et cur Paradisus voluptatis appelletur : idque nomen proprie usurpatum videri. De quatuor fluviis obiter. Christianorum ritus versus orientem convertendi se inter orandum ab situ Paradisi petitus. Damascenus notatur. De arbore vitæ, et altera scientiæ boni, et mali; quænam illæ fuerint, et unde dictæ. An hodieque Paradisus supersit.*

I. Tam multa sunt de primo illo nostri generis auctorum statu, antiquorum, recentiorumque prodita scriptis, ut hoc nobis labore supersedendum merito videatur; ne eadem omnino, quæ ab illis usurpata sunt, otiose cogamur repetere. Hujus eatenus a nobis ratio ducetur, ut in istius argumenti tractatione minus longam et operosam disputationem explicemus, et eam insumamus in præcipuis, maximeque necessariis; quoniam quidem, ut illud prætermitti penitus posset, instituti ratio operis integrum non relinquit. Et, quia de felici illius vitæ conditione, quam inter amœnissimi loci delicias primi nostri parentes perbrevem duxerunt, propositum est agere, prius de isto ipso loco dicendum videtur, quem *Paradisum* etiam Scriptura nuncupavit.

« Non ignoro, inquit Augustinus [2], de Paradiso multos multa dixisse; tres tamen de hac re quasi generales sunt sententiæ. Una eorum, qui tantummodo corporaliter Paradisum intelligi volunt. Alia eorum, qui spiritualiter tantum. Tertia eorum, qui utroque modo Paradisum accipiunt, alias corporaliter, alias spiritualiter. » Harum tertiam Augustinus amplectitur, ut tota Mosis narratio rerum vere, ac proprie gestarum expositio sit, sed ita ut occultarum rerum, et mysticarum significationem contineat. « Narratio quippe in his libris, non genus locutionis figuratarum rerum est, sicut in *Cantico Canticorum*, sed omnino gestarum est, sicut in *Regnorum* libris, et hujuscemodi cæteris. Sed, quia illic ea dicuntur, quæ vitæ humanæ usus notissimus habet, non difficile, imo promptissime primitus accipiuntur ad litteram, ut deinde ex illis, quid etiam futurorum res ipsæ gestæ significaverint, exculpatur. Hic autem quia ea dicuntur, quæ usitato naturæ cursu intuentibus non occurrant, nolunt ea quidam proprie, sed figurate dicta intelligi, atque ex illo loco volunt incipere historiam, id est rerum proprie gestarum narrationem, ex quo dimissi de Paradiso Adam et Eva convenerunt, atque genuerunt. » Tertium itidem illud interpretandi genus amplectitur Joannes Damascenus capite XI libri secundi, et Moses Bar-Cepha in libro *de Paradiso*.

Tres sententiæ de Paradiso.

II. At secundæ de tribus opinionis idem, qui et allegorici totius in exponendis sacris litteris instituti, auctor, ac princeps est Philo Judæus; de quo vere scriptum istud est a Photio. « Allegoricam omnem enarrandæ Scripturæ rationem in Ecclesiam ab illo, ceu fonte, manasse [a]. » Hinc Origenes, et tota illa natio nihil in Scriptura præter figuras, allegoriasque somniantium, quibus proprium ac simplicem illius corrupere sensum, et ad humani ingenii commenta, plerumque ille-

a PHOT. cod. CV. Ἐξ οὗ, οἶμαι, καὶ πᾶς ὁ ἀλληγορικὸς τῆς γραφῆς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ λόγος ἔσχεν ἀρχὴν εἰσρυῆναι.

* Philastrii sententiam de anima ante corpus creata, quam in Joanne Hierosolymitano etiam reprehendit Hieronymus Epist ad Pammachium, hæresibus adscripsit Alphonsus de Castro *lib.* II *p.* 56. Plures tamen habuit in hac sententia sibi consentientes Patres, in primis Augustinum *de Gen. ad Litteram* VII, 24. Confer Galeardum in notis ad Philastrium p, 177. Brixianæ novissimæ editionis. Z.

1 Cod. 232.— 2 Lib. VIII *de Gen. ad lit.* cap. I.

pida et insulsa, divini verbi majestatem redegerunt. Quod Origenis flagitium præsertim in sex illa dierum opera grassatum est, ac Paradisi descriptionem ; in qua nihil proprie, sed figurate omnia intelligenda putavit. Quam ob causam reprehensum illum esse scimus ab antiquis Patribus, qui hoc ei præcipue vitio verterunt, ut Methodius apud Epiphanium[1], et Epiphanius ipse in *Ancorato*, ubi de Origene scribit sic : « Ita multi, inquit, de Paradiso allegorice disputant, ut furiosus Origenes adumbratam nescio quam speciem pro veritate in mundum invexit[a]. » Hunc igitur negasse refert in terra esse Paradisum, illis Apostoli verbis inductum[2], quibus *raptum se esse* dixit *in tertium cœlum* quem *Paradisum* mox vocat. Ex quo deinde colligebat, primi hominis ejectionem e Paradiso, post peccatum, nihil aliud esse, quam animarum, quas longe ante procreatas putabat e cœlo deturbationem et illapsum in hunc mundum, ac mortalia corpora. Ita scribit Methodius apud Epiphanium in hæresi *Origenis*[3]. Hieronymus in epistola LXI *ad Pammachium*, inter octo errores Origenis sexto hunc loco recenset : « quod sic Paradisum allegorizet, ut historiæ auferat veritatem, pro arboribus Angelos, pro fluminibus virtutes cœlestes intelligens, totamque Paradisi continentiam tropologica interpretatione subvertat. »

Non allegorice quæ de Paradiso referuntur accipienda.

III. Hujus allegoricæ Paradisi interpretationis specimen exstat in iis, qui supersunt, Origenis commentariis, ut in homilia I *in Genesim*, et in libro IV *contra Celsum*, ubi ad tropicam significationem revocare omnia videtur ; quem et alii postea secuti sunt. Complures autem utroque sensu totum illud explicarunt, ut et Paradisum, id quod vocabulo suo præfert, locum quemdam amœnissimum fuisse crederent, oculis ac sensibus subjectum, et eumdem arcanarum ac spiritualium rerum adumbrare rationes. Quam geminam interpretandi formam adamarunt Ambrosius in libro *de Paradiso*, Augustinus præsertim in secundo *de Genesi contra Manichæos*[4], Moses Bar-Cepha, Joannes Damascenus libro II, cap. XI et alii haud pauci catholici doctores. Ab quibus dissentiens Franciscus Georgius Venetus, obvia et simplici rejecta sententia, solaque mystica, et allegorica recepta, Origenis vetera illa deliria longo intervallo revocavit, eaque de causa passim merito suo vapulat[5]. Est ergo non probabile modo, sed plane certum, atque compertum, fuisse primis nostris parentibus attributum sub cœlo locum quemdam amœnitatis præcipuæ, quem hortum, sive Paradisum Scriptura nominat ; sed quanam in regione, terræque parte situs ille fuerit, non satis liquet.

IV. Basilius in homilia *de Paradiso*, in editiore quodam situ illum collocat. Ait enim, « locum hunc fuisse creaturæ omni antecellentem, pulchritudine admirabili, in arduo positum, qui tenebris obscurari præ altitudine non posset, omnium ortu siderum irradiatum, et undique lumine circumfusum, annuarum tempestatum jucundissima temperie præditum, limpidissimoque aere circumfusum[b]. » Reliqua prætereo, quæ de hoc argumento longius ibi rhetorico, et propemodum poetico lepore condita deprompsit. Quem imitatus est Joannes Damas. in secundo lib. cap. XI. Sed utrum in celsissimo aliquo cacumine montis impositus, an inter cœlum, terramque suspensus hortus ille steterit, liquido non affirmant ; quod Moses Bar-Cepha facit in libro *de Paradiso*[6], qui inter firmamentum, ac terras interjectum fuisse putat. « Hic enim, ut tam purus, putusque est, quam firmamentum, ita rursus non tam crassa, coactaque materie constat, atque hæc nostra, quæ extra Paradisum est, terra. » Et auctorem citat ejus rei Philoxenum Mabugæ episcopum. Ex hac igitur terra, quam « altiorem multo ea, quam nos incolimus[7], » fuisse dicit, ingentia quatuor flumina rapido cursu præcipitare ait, et occulto meatu sub mare magnum evoluta, in nostrum orbem erumpere. Sic Leonius Parisiensis Presbyter in libro primo historiarum Veteris Testamenti, quas carmine descripsit, Paradisum in summis montibus collocat his verbis :

a Epiph. *Ancor.* num. 54. Οὕτως οἱ πολλοὶ καὶ περὶ Παραδείσου ἀλληγοροῦσιν, ὡς ὁ θεήλατος Ὠριγένης ἠθέλησε φαντασίαν μᾶλλον, ἥπερ ἀλήθειαν τῷ βίῳ συνεισενέγκασθαι.

b Basil. Τόπον ὑπερφέροντα τῆς ὅλης κτίσεως, θαυμαστὸν τῷ κάλλει, ἐν περιόπτῳ κείμενον, ἀνεπισκότητον διὰ τὸ ὕψος, πάσαις ταῖς τῶν ἄστρων ἀνατολαῖς καταλαμπόμενον, πεφωτισμένον πάντοθεν, τὴν ἐκ τῶν ὡρῶν εὐκρασίαν ἡδίστην ἔχοντα, ἀέρι διαυγεστάτῳ περιλαμπόμενον.

1 Hær. LXIV, n. 47 et *Ancor.*— 2 II *Cor.* XII, 2.— 3 Hær. LXIV, n. 45.— 4 Cap. IX.— 5 Vide Sixtum. Sen. lib. V, cap. XXXIV.— 6 Moses, par. I, cap. VIII.— 7 Ibid. cap. IX.

« Ipse voluptatis jam tunc, oriente remoto,
Montibus in summis hortum plantavit amœ-
[num. »

Inventi sunt etiam, qui Paradisum figurate sic acciperent; tanquam totus hic mundus eo nomine significetur; quod aliter quatuor illa flumina ex isto loco manare, intelligi nequeat; quæ est Joannis Noviomagi conjectura in *Scholiis* ad caput Bedæ secundum libri *de Natura rerum*.

id sit et cur adisus uptatis lletur.

V. Nolo pluribus ejusmodi commenta persequi, quorum in obscuris istis ignotisque rebus ferax est adusque lasciviam humani indoles ingenii. Certum arbitror in terra locum designare Mosem jucundo illi ac beato primorum hominum domicilio; et verba ipsa narrationis breviter expendenda sunt: *Plantaverat autem Dominus Deus*, inquit, *Paradisum voluptatis a principio, in quo posuit hominem, quem formaverat*[1].» Sed in Hebræo, atque Græco planius indicatur Paradisi situs, ut propterea Latinum nostrum interpretem nonnulli arguant, quod appellativum nomen *voluptatis* substituerit loco proprii *Eden;* nam et Hebraice בעדן, et Græce ἐν Ἐδὲμ legitur. Sic illud etiam reprehendunt, quod *a principio* verterit id, quod Hebraice scriptum est מקדם, *ab oriente*, vel *ad orientem*. De utroque non multis hic agendum. Paradisum *voluptatis* non ita, ut vulgo fit, accipiendum puto pro horto amœno, et voluptuario, sed ut loci proprium sit, itidem ut in Hebræo ac Græco legitur. Quanquam Græci ipsi eodem capite secundo[2], et tertio גן־עדן[3], vertere παράδεισον τρυφῆς; quibus consonat et Symmachus, ut testis est Hieronymus in *Quæstionibus Hebraicis*, ac passim ab Græcis Patribus ita nominatur; nec dubium est, עדן voluptatem esse, unde et vox ἡδονὴ fluxit. Ridicule enim Judæus ille nescio quis apud Anastasium[4], Eden *inflammationem carbonum* interpretari dixit, ubi et aliam nominis enarrationem affert, ut sint *ignescentes, et sanguinolentæ deliciæ*, quasi Edem per μ scriptum sit, quod rubrum significat, unde et Adam et Edom derivant. Sed alia est ratio vocis Eden, quæ per ν scribitur, etsi Græci codices litteram μ habeant, quod usus vitio paulatim inolevit. Damascenus tamen in IV *de Fide*, capite XIII cum μ scribit.

Crediderim, locum illum, in quo Dominus Paradisum, posuit, ob insignem amœnitatem appellatum esse *voluptatem*, hoc est *Eden;* quod, cum ibi sedem primo homini, tanquam prætorium, ac regiam totius universi principi destinaret, quam cultissimum, ac elegantissimum eum esse voluit, ac voluptatum, et jucunditatum omnium illecebra decoratum. Sic enim prædia quædam, ac villas, aut tractus præcipuæ amœnitatis *Paradisos* nomine appellant proprio. Itaque *Paradisus voluptatis*, sive παράδεισος τρυφῆς, tantumdem valet, ac *Paradisus* loci illius, qui *voluptas*, aut *deliciæ* dictus est postea, sive Paradisus in *voluptate* situs. Consentiunt omnes, Eden regionis esse proprium vocabulum, nec repugnant, quin ab loci indole, id est suavitate, et voluptate nomen illud meruerit. Quid igitur absurdi vel Septuaginta fecerunt, vel Latinus interpres, qui *Paradisum Voluptatis*, hoc est *Edenis* nominarunt, vel *Paradisum in Eden*, hoc est *in voluptate* situm? Neque vero insolens illud est vel Græcis, vel vulgatæ editionis auctori propria nomina appellativis exprimere; sicut e contrario persæpe Græci appellativa declarant propriis. Ambrosius in libro *de Paradiso*, capite primo, « Locus autem ejus, in quo est, plantatus, dicitur Eden, hoc est voluptas. » Locus ergo vocatus est *Eden* Hebraice, Græce τρυφὴ, Latine *voluptas*. Perperam autem Diodorus Tarsensis apud Theodoretum quæstione XXV. Edem legit, et cum Edom, quæ est Idumæa, idem esse vocabulum putat.

VI. De altero vocabulo minor est querela contra Latinum nostrum interpretem. Etenim קדם utrumque significat et *orientem*, et *anterius tempus*. Horum prius secuti Septuaginta reddiderunt κατὰ ἀνατολὰς, *ad Orientem*, vel *ab Oriente;* alii interpretes Græci itidem ut noster; Symmachus ἐκ πρώτης; Theodotio ἐν πρώτοις; Aquila ἀπ' ἀρχῆς, ut Hieronymus refert in *Traditionibus Hebraicis in Genesim;* quibus et Targum Onkelos assentitur. Neque vero ex hac lectione consequens est, vel ab æterno, vel ante mundi conditum, Paradisum exstitisse, ut ex Hebræorum opinione narrat Hieronymus in eodem libro. Sed *ab initio* idem est ac sub ipsum exordium rerum, sive quando primum Deus, retecta terra, et aquis in sua receptacula compulsis, locum Paradiso constituendo dedit; quod secundo, vel tertio die factum esse constat ex superioribus[5]. Tertio die Paradisum a Deo constructum esse plerique censent; quo die plantæ, ac stirpes exire jussæ sunt, ut inter alios Mosi Bar-Cepha

1 *Gen.* II, 8.— 2 Ver. 15.— 3 Ver. 23.— 4 Lib. VII Anag. *cont. in Hexaem.* col. 269.— 5 Lib. I, cap. I.

placuit [1]. Et Leonius Parisiensis paulo ante citatus in primo libro :

« Ante hominem factum pisces, volucresque, [ferasque,
Cum Deus æquoreis ereptam nuper ab undis
Arboribus, viridique ornaret gramine terram,
Ipse voluptatis, etc. »

quæ jam descripsimus. Tum, quod maxime ad rem facit, et conjecturam nostram affirmat, locum ipsum *Eden*, id est *voluptatem* fuisse dictum, ita pertexit.

« Inde Paradisus, hinc virtus deliciarum :
Et requies meruit, et vita beata vocari. »

Ubi situs Paradisus.

VII. Jam de Paradisi positu, ac regione in qua consitus est, complures eruditi accuratique geographi disputarunt ; quorum ex decretis prope illud ab omnibus est receptum, circa Babyloniam, et in Mesopotamiæ limite collocatum eum fuisse, qua duo illi ingentes fluvii, qui nominatim in Scriptura sine controversia ponuntur, Tigris, et Euphrates, alveos conjungunt. Tametsi castiganda quorumdam hic est μικρολογία, qui Mosaicam loci delineationem cum iis, quæ apud historicos, ac geographos leguntur, nimis anxie, ac scrupulose conferunt. Atqui scire illos oportebat, tam longo intervallo mutatam esse regionis illius faciem, ac fluviorum cursum non eumdem priscis illis fuisse sæculis, qui postea fuerit. Euphratis alveus non semel detortus, et per illices ac colliquias alio derivatus, ac dissipatus est, ut ex Herodoto, Plinio, cæterisque didicimus, adeo ut ostium deinceps proprium nullum habuerit, per quod in mare prorumperet.

Jejuna ratiocinatio.

De quatuor fluviis.

Reliqua duo flumina, Phison et Geon, perperam Josephus, et ex eo deinceps plerique ita sunt interpretati, ut Geon sit Nilus, Phison Ganges. Sed jampridem opinio ista celebrari doctorum usu, consensuque desiit. Philostorgius ad Orientalem mundi plagam [2], et in India collocabat, ut ex Photii *Eclogis* nuper editis constat [*].

Origo orandi fu versa ad Orient

VIII. Cæterum ex ea lectione, significatione neque nominis Cedem, qua *orientem* exprimit, et quod Paradisus ad *orientem* situs dicitur, manasse ritum illum, ut ad Orientem conversi Christiani Deum adorarent, testatur Basilius in libro *de Spiritu sancto* [a], et Gregorius Nyssenus apud Mosem Bar-Cepha libro *de Paradiso*. capite XIII, necnon Gregentius in *Disputatione cum Herbano Judæo* : « Thæman, inquit, unde nos adoramus, istud appellamus. Nam ad orientem orare didicimus, eo quod illic invenimus, Deum hominem finxisse; et Paradisum fecisse [b]. » Joan. quoque Damasc. lib. IV *de Fide Orthod.* cap. XIII eamdem causam affert [c]; quod et Paradisus ad orientem positus erat, et inde pulsus Adam ad eamdem plagam obversus, et eo respectans, veterem patriam suspirabat, id quod exemplo suo facere nos docuit. Sed, quod idem adjicit, Mosis tabernaculum ad orientem habuisse velum et propitiatorium ; de velo quidem haud fallitur, si de exteriore sermo sit; de Propitiatorio non assentior. Etenim tabernaculum aditum ab oriente habuit, ut oriens sol radiis in vestibulum immissis speciem quamdam adorationis; atque cultus Deo tribueret, et qui Deo ministrabant, illum a tergo haberent, nec eum venerari, sed Deum verum potius viderentur, ut scribit Theodoretus qu. LX *in Exodum*. Qua ratione Propitiatiorum, ut et Sancta Sanctorum, versus occidentem spectabat, id est ad occidentale latus accedebat. Ac cum ita dicitur, templa ad occidentem respicere, id interdum significare videtur, fores, et aditus illorum in occidentem obverti, ut qui ad altare vultum converterent,

a Basil. lib. *de Spiritu sancto*, cap. XXVII. Τοῦτου χάριν πάντες μὲν ὁρῶμεν κατὰ ἀνατολὰς ἐπὶ τῶν προσευχῶν· ὀλίγοι δὲ ἴσμεν ὅτι τὴν ἀρχαίαν ἐπιζητοῦμεν πατρίδα, τὸν παράδεισον, ὃν ἐφύτευσεν ὁ Θεὸς ἐν Ἐδὲμ κατὰ ἀνατολάς.

b Gregent. Θαιμὰν δὲ ἡμεῖς, δθεν προσκυνοῦμεν, τοῦτο προσαγορεύομεν. κατὰ ἀνατολὰς γὰρ ἐδιδάχθημεν προσεύχεσθαι· διότι ἐκεῖ εὑρίσκομεν τὸν Θεὸν πλάσαντα τὸν ἄνθρωπον, καὶ τὸν παράδεισον ποιήσαντα.

c Damasc. Ἔτι δὲ καί φησιν ἡ γραφὴ, ἐφύτευσεν ὁ Θεὸς παράδεισον ἐν Ἐδὲν κατ' ἀνατολάς· ἔνθα τὸν ἄνθρωπον, ὃν ἔπλασεν, ἔθετο, ὃν παραβάντα ἐξώρισεν, ἀπέναντί τε τοῦ παραδείσου τῆς τρυφῆς κατῴκισεν, ἐκ δυσμῶν δηλαδή. τὴν οὖν ἀρχαίαν πατρίδα ἐπιζητοῦντες, καὶ πρὸς αὐτὴν ἀτενίζοντες, τῷ Θεῷ προσκυνοῦμεν. καὶ ἡ σκηνὴ δὲ ἡ Μωσαϊκὴ κατ' ἀνατολὰς εἶχε τὸ καταπέτασμα, καὶ τὸ ἱλαστήριον.

[*] De Situ Paradisi copiose post Petavium disputarunt Natalis Alexander, Huetius, Harduinus, Calmetus, et P. Schwarz in *Collegiis historicis* tom. II, quæst. IV.

1 Cap. III. — 2 Lib. III.

orientem viderent. Ita Clemens Alex. in VII *Strom.* « Vetustissima templorum, ait, *ad* occidentem spectabant, ut qui vultu stant ad simulacra converso, *ad* orientem obverti doccantur [a]. »

Arbor scientiæ boni et mali ab effectu nomen accepit.

IX. In horto illo cum omnis generis stirpes et arbores, tum duæ præ cæteris memorabiles fuisse produntur, quarum una scientiæ boni et mali, altera vitæ nominatur. Prior ab effectu nomen accepisse creditur. Chrysostomus in homilia VII, tom. V causam ita reddit : « Ideo lignum hoc vocatur cognoscibile boni, et mali, quod præceptum ad exercendam obedientiam, et inobedientiam editum circa illam arborem versatum est [b]. » Ac licet Adamus boni, et mali haud ignarus esset, tamen nondum usu, et experimento didicerat. « Moris est autem Scripturæ, cum res aliqua facta est certis locis, aut temporibus, iis ipsis locis et temporibus vocabula ex rebus imponere [c]. » Sic Isaac fossos a se puteos multiplici ab eventu nuncupabat : *calumniam*, *inimicitiam*, *latitudinem*[1]. Idem docet in homilia XVI, *in Genesim*, et Procopius, ac Theodoretus quæstione XXVI in eumdem librum. Eleganter Basilius Seleuciensis : « Tanquam in tabula, præceptum in arbore perscribens, latentem intus discernendi scientiam excitavit, obedientiæ, et inobedientiæ discrimen ad arborem adscribens. Inde cognoscibile boni, et mali lignum dicitur. Nam ab iis, quæ ille perdoctus est, lignum nomen accepit ; et hujus disciplina, arboris est appellatio [d]. » Ita etiam Severianus Gabalitanus orat. VI *de mundi opificio*, idque pluribus exemplis declarat.

X. Augustinus libro XIV *de Civit. Dei*, cap. XVII cum illis sentit inde vocatum asserens, « quia faceret dignoscentiam boni, et mali ; id est boni, a quo exciderant, et mali, in quod ceciderant, si ad vescendum contra vetitum tangeretur. » Et in octavo *de Genesi ad litteram*, cap. VI. « Quia, si post prohibitionem homo ex illa ederet, in illa erat præcepti futura transgressio, in qua homo per experimentum pœnæ disceret, quid interesset inter obedientiæ bonum, et inobedientiæ malum. » Vide et libri *contra adversarium legis* caput XIV. At Rupertus[2], præter illam causam, alteram haud sane pœnitendam attulit, ironice illud esse dictum ; quod ex arbore illa polliceretur serpens boni, et mali scientiam.

Josephus vero in I *Originum*, cap. I, et Nemesius in I cap. libri *de Natura hominis* putant hanc arbori illi insitam a Deo naturalem fuisse vim, quæ notitiam illam tribueret : « Erant enim, inquit Nemesius, vel potius hodieque sunt in stirpibus vires maximæ, tum autem utpote initio conditus mundi, cum recentes, ac sinceræ essent, major illis agendi inerat efficacia. Itaque gustatio ipsa quoque fructus cujusdam talis erat, ut notitiam ingeneraret naturæ propriæ [e]. » Cui Damascenus assentitur[3] ; sed verosimilius est, non alterius fuisse conditionis arborem istam, ac cæteræ omnes erant, quod nominatim Theodoretus ait, sed ab eventu nomen accepisse [f].

Quænam fuerit arbor ignotum.

XI. Cujusmodi autem arbor hæc fuerit, Scriptura quidem tacuit ; sed ad inconcessa et abdita scrutanda perspicax humana curiositas ne hoc quidem inausum, et intentatum relinquere potuit. Itaque varias de illa conjecturas et opiniones explicavit. Complures ficum divinant, quod R. Selomoh in *Commentariis* approbat[4] ; et ne infamis haberetur, nomen ait a Mose suppressum. Alii frumentum asserunt. Utrosque refellit Aben Hezra[5], et ignotam esse recte sentit, nec alibi quam in Paradiso conspectam. Verum fœde illud de appellationis origine, « hujusmodi cognitionem nuptiale opus significare, et ex arbore ista scientiæ factum esse, ut ita vocaretur opus illud. Unde

a Clem. Alex. Ὅθεν καὶ τὰ παλαίτατα τῶν ἱερῶν πρὸς δύσιν ἔβλεπεν, ἵνα οἱ ἅπαντι πρόσωπον τῶν ἀγαλμάτων ἱστάμενοι, πρὸς ἀνατολὴν τρέπεσθαι διδάσκωνται.

b Chrys. Καὶ γὰρ διὰ τοῦτο γνωστὸν καλοῦ, καὶ πονηροῦ καλεῖται τὸ ξύλον, ἐπειδὴ ἡ ἐντολὴ, γυμνάζουσα τὴν ὑπακοὴν, καὶ τὴν παρακοὴν, περὶ τὸ ξύλον ἐγένετο·

c Ibid. Ὅτι ἔθος τῇ γραφῇ τοῦτο, ἐπειδὰν τὸ πρᾶγμα γένηται, ἢ ἐν τόποις, ἢ ἐν καιροῖς, ἀπὸ τῶν πραγμάτων καλεῖν καὶ τοὺς τόπους, καὶ τοὺς καιρούς.

d Basil. orat. II *de Adam.* Καὶ καθάπερ ἐν δέλτῳ τῷ φυτῷ διαγράψας τὴν ἐντολὴν, τὴν ἔνδον κρυπτομένην διάγνωσιν ἀνεκίνησεν, ὑπακοῆς, καὶ παρακοῆς διαφορὰν ἐπὶ τοῦ ξύλου προσγράψας. ἐντεῦθεν γνωστὸν καλοῦ, καὶ πονηροῦ τὸ ξύλον ἐπονομάζεται. ἀφ' ὧν γὰρ οὗτος ἐδιδάχθη, ὑπὸ τούτων τὸ ξύλον ἐκλήθη, καὶ ἡ τούτου διδασκαλία τοῦ φυτοῦ προσηγορία.

e Nemesius. Ἦσαν γὰρ, μᾶλλον δέ εἰσιν ἔτι καὶ νῦν δυνάμεις ἐν τοῖς φυτοῖς μέγισται· τότε δὲ ὡς ἐν ἀρχῇ τῆς κοσμοποιΐας, ἀκραιφνεῖς οὖσαι ἰσχυροτάτην εἶχον τὴν ἐνέργειαν. ἦν οὖν καὶ ἁπλῆγευσις τινος καρποῦ γνῶσιν ἐμποιοῦσα τῆς οἰκείας φύσεως.

f Theod. qu. XXVI *in Gen.* Οὐ τοίνυν ἑτέραν φύσιν ἔχει παρὰ τὰ ἄλλα φυτά.

1 *Gen.* XXX.— 2 Lib. II *de Trin.* et oper. ejus c. XXVII.— 3 Lib. II *de Fide* c. XI.— 4 Ad II *Gen.* ver. 7.— 5 Ibid. ver. 6.

et puer, statim atque boni, et mali notitiam adeptus est, istiusmodi cupidine tentari incipit[a]. » Insulsa, et olido ac recutito hirco digna sententia. Quæ est tamen tolerabior illa, quam commemorat, et refellit Moses Bar-Cepha[1], « non fuisse arborem id, de quo gustavit Adam, sed venereum amplexum, quo cum uxore ille corpus miscuit; eamque ob rem, aiunt, partum mulieris esse per Dei sententiam doloribus factum obnoxium. Neque aliud voluisse illud præceptum, ne edatis de illa arbore quam ne coetatis, sed sancte, et absque omni venere vivatis. » Mox varias de genere arboris opiniones refert. Censere alios frumentum fuisse, alios vitem; Philoxenum Mabugensem, et multos alios existimare esse ficum; idque ex eo probari, quod ex ficulneis foliis campestria sibi consuerunt, utique proxima ex arbore; atque hanc sententiam anteponit cæteris, quæ et Theodoreto placuit in quæstione XXVIII et Isidoro Pelusiotæ libro I, epistola LI. Aliis tamen visum est, eam arborem non aspectabilem et corpoream fuisse, sed spirituali sensu intelligendam; de qua opinione postea dicemus.

De opere conjugali nonnulli interpretantur.

XII. De ligno vitæ minus ambigitur, cui, ut jam dixi, nomen ab effectu positum est, quod « illa præstaret quo corpus hominis sanitate stabili firmaretur, non sicut ex alio cibo, sed nonnulla inspiratione salubritatis occulta. Profecto enim, licet usitatus panis, aliquid tamen amplius habuit, cujus una collyride hominem Deus ab indigentia famis dierum quadraginta spatio vendicavit[2]. » Neque vero naturalis fuit ista conditio, et proprietas arboris; quod Strabus existimat et ante hunc Procopius, sed divinitus accepta, ut Augustinus indicat, et Beda, qui in illa « Sacramentum fuisse ait vitæ æternæ, quam obediendo mereretur. » Joannes Damascenus præter hanc rationem nominis, quod « vis ei inesset vitæ tribuendæ, alteram adjicit, quod ii soli, qui vita digni, neque morti erant obnoxii, edere ex illa poterant [b]. » Moses vero Bar-Cepha [3], priore repudiata sententia, cujus etiam auctorem laudat Nemesium philosophum, quæ innatam hanc esse vim illi arbori defendit, propagandæ in sempiternum vitæ, alteram subjicit Jacobi Sarugiensis, qui ob sacramentum Christi in arbore latens, occultam quamdam efficientiam fructui ejus attribuit, « cum Christus ipse suapte natura vita sit, et ubicumque ille adest in propinquo, illius longe absit mors. »

Quid sit lignum vitæ

Sed, nec ea probata, tertiam adjungit, quam cæteris præfert, « haud ideo, quod vitam ipsa conciliaret vescentibus, vocatam esse vitæ arborem. Perinde enim rudis, ac stulti ingenii esse, existimare arbore ullam boni, malique cognitionem largiri posse iis, a quibus ederetur, et esse arborem, qua si vescare evadas immortalis. » Itaque nomen inde illi *vitæ* concessum ait, quod tanquam præmium ostensa sit arbor ista cum ea stipulatione, ut, si ab altera *scientiæ boni ac mali* temperaret, mortem evaderet, ac vitam obtineret; tum insuper, repræsentata obsequii mercede, usum eximiæ illius, et exquisitæ arboris, ac fructus acciperet. « Itaque Deus, commonstrata alia arbore, quæ in meditullio Paradisi sata magno exstabat insignis decore, vitæ eam appellavit, quasi diceret : Si ab illa arbore scientiæ boni, et mali tete continueris, legique meæ obtemperaveris, en tibi arborem vitæ, de qua edes, vivesque in perpetuum. » Severianus Gabalitanus ad eamdem opinionem accedere videtur in homilia V *de sex dierum opificio*; ubi et alia quædam de arboribus istis adnotat ad institutum spectantia : « Tres, inquit, erant lignorum differentiæ; quædam data ipsi sunt, ut viveret : alia, ut semper viveret. Ut igitur viveret, ex iis habebat, quæ illi permisit Deus. Bene autem vivere habebat ex iis, quæ interdixerat. Licebat enim bene vivere, si ea tantum quæ erant vetita, non attingeret. Porro bene vivere idipsum erat, Deo parere. Positum autem in medio Paradiso erat, lignum vitæ, velut præmium. Lignum scientiæ instar fuit palæstræ, ac gymnasii. Postquam mandatum servasses in ligno isto, præmium acciperes. Ac vide rem mirabilem. Universa circumquaque Paradisi ligna ubique comas attollebant, ubique pullulabant; sola duo in medio sita erant ad exercitationem, et curriculum. Quæ circum erant, pabulum suppeditabant [c]. »

a Aben Hezra. וזאת הידיעה כגוי לפשגל ובעביר עין הדעת נקרא כן גם הנער כאשר ידע הטיב יהרע אז יחל לתאות הבישגר.

b Damasc. lib. II, cap. II. Τὸ δὲ τῆς ζωῆς ξύλον ἔχον ἐνέργειαν ζωῆς παρεκτικὴν, ἢ τοῖς τῆς ζωῆς ἀξίοις καὶ θανάτῳ οὐχ ὑποκειμένοις μόνοις ἐδώδιμον.

c Sever. hom. V. Τρεῖς διαφοραὶ ξύλων. τὰ μὲν ἐδόθη αὐτῷ ἵνα ζῇ· τὰ δὲ, ἵνα ἀεὶ ζῇ. εἶχεν οὖν τὸ ζῆν, ἐξ

1 Par. I, cap. IX. — 2 Aug. lib. VIII *de Gen. ad lit.* cap. V.— 3 Lib. *de parad.* par. I, cap. XX.

XIII. Atqui nobis hoc in opinione illa merito non placet, quod inde sequitur, non unam interdictam Adamo fuisse arborem scientiæ, sed alteram præterea vitæ, quam utique præmii loco dandam non ante permittere debuit, quam obedientiæ meritum exstaret. Huic autem adversaria est Scriptura, quæ reliquas omnes arbores illorum usui concessas esse docet, una excepta scientiæ boni, et mali. *Ex omni*, inquit, *Paradisi ligno comede. De ligno autem scientiæ boni et mali, ne comedas* [1].» Non igitur vitæ arborem attingere vetitum illis fuit. Sed nec illud alterum accipimus, quod ibidem Moses Bar-Cepha subjungit, Deum præsenti ac temporali velut mercedula Adamum allicere voluisse; nec ei majus quiddam pollicitum esse, ut æternam vitam et gloriam, quod perfectioris disciplinæ nondum capax esset. Nam, ut parvuli crustulis ac pomis ad studium litterarum potius incitantur, quam honorum spe proposita, sic Adamo rudi adhuc, et indocili non dixisse Deum ait: « Daturus sum tibi jussis meis parenti cœleste regnum; sed arborem veluti digito ostendisse, quam vitæ arborem vocabat; ac, si morem gereret, promisisse illi fore, ut ea vesceretur, et evaderet immortalis. » Non sunt ista vero similia. Quis enim credat adeo rudem et puerili mente præditum Adamum fuisse, quem omnes plena, et perfecta sapientia donatum ab ortu ipso consentiunt? Quocirca satius est cum Augustino et plerisque omnibus asseverare, *vitæ* nomen impositum esse illi arbori, quod ad vitam in perpetuum propagandam conduceret, sive hoc suapte illi natura conveniret, sive singulari aliquo Dei beneficio, tanquam ei medica vis inesset, quæ humorum inæqualitate propulsanda senium excluderet, et integrum corpus vegetumque tueretur. Ita sentit auctor *Quæstionum ex veteri Testamento* [2], quæstione XIX, ex eoque sanc. Thomas [3], Lombardus [4], Lyranus, Abulensis, et qui diligentissime de hac quæstione disputavit, Pererius*.

An usque ad hanc diem supersit Paradisus.

XIV. Postrema de Paradiso debet esse percontatio, an hodieque supersit, an vel paulo post ejectos inde primos parentes, vel diluvio ipso sublatus e medio fuerit. Omni propemodum Christianæ vetustati persuasum illud fuit, etiamnum manere pristinum illud in terra fortunatorum hominum domicilium. Quod illi præsertim amplexi sunt, qui hanc

ὧν ἐπέτρεψεν· εἶχε δὲ τὸ εὖ ζῆν, ἐξ ὧν ἐκώλυσεν. ἦν γὰρ εὖ ζῆσαι μὴ ἁπτόμενον μόνον ὧν ἐκώλυσε. τοῦτο ἦν εὖ ζῆσαι, τῷ θεῷ πεισθῆναι. ἔκειτο τὸ ξύλον τῆς ζωῆς ἐν μέσῳ τοῦ παραδείσου, ὥσπερ βραβεῖον· τὸ ξύλον τῆς γνώσεως ὡς πάλαισμα, ὡς γυμνάσιον. φυλάξας τὴν ἐντολὴν ἐπὶ τούτῳ τῷ ξύλῳ, λαμβάνεις τὸ βραβεῖον. καὶ ὅρα τὸ θαυμαστόν· ὅλα τὰ ξύλα τοῦ παραδείσου, κύκλῳ πανταχοῦ κομῶντα, πανταχοῦ βρύοντα. τὰ ὅλα μόνον ἐν μέσῳ, γυμνάσιον ἦν, καὶ στάδιον. τὰ κύκλῳ, τροφὴ ἦν.

* In multas variasque abeunt partes tum Ecclesiæ Patres, tum theologiæ magistri, de *Arboris vitæ* proprietatibus disserentes. Qua videlicet ratione ad conservandam primo homini vitam ejus fructus valeret; an satis semel comedisse, vel pluries in vita edendus; an vis adeo efficax et stupenda naturalis vel supra naturam: hæc et alia dum varias in partes agitantur, in hoc consentiunt omnes, arborem de qua movetur quæstio, veram fuisse arborem, et in Eden realiter exstitisse, vide S. Thomam I par. q. XCVIII. Suarezium *de opere sex dierum*, Becanum in summa, *de homine in statu innocentiæ*. Clara enim simplexque Mosis narratio ad tenendam sufficit, realem arborem, metaphoricam vero explodit et amovet.

Reali hujus arboris exstantia extra dubium omne posita, admitti potest in hac arbore substantia, quæ licet corporea fuisset, tamen ex instituto Dei efficaciam habuisset in homine, si in statu innocentiæ perseverasset, et hæc interpretandi ratio valde conformis Scripturæ invenitur. In Proverbiis Salomonis, sapientia, et cunctæ quæ ab ea originem ducunt virtutes, velut arbor vitæ exhibentur. *Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam* III, 18. In *Apocalypsi* pluries fit mentio de arbore vitæ. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in medio paradisi.* XI, 7. Et alibi: *In medio plateæ ejus, et ex utraque parte fluminis, lignum vitæ afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, et folia ligni ad sanitatem gentium.* Ibid. XXI, 2.

In *Proverbiis* Salomonis de sapientia tractatur positive, et quatenus ad nostram refertur beatitudinem; in *Apocalypsi* sacer loquitur vates de ecclesia quæ in cœlis triumphat, sed etiam et præcipue de ea quæ adhuc in terris militat, nam juxta eum, nemo, nisi Ecclesiæ membrum fuerit in terra, ei potest adjungi in cœlis.

Habet Ecclesia in terris militans veram utique vitæ arborem, arbore quæ in medio Eden florebat, figuratam et adumbratam, Venerandum scilicet Eucharistiæ Sacramentum, quod præ oculis sane habuit in excelsa cœlorum raptus ille discipulus quem diligebat Jesus. Arbor paradisi terrestris erat Eucharistiæ Sacramento, apposite dixit aliquis, quod flos germinans maturo est fructui. *Dict. ency. Theol.*

Deus prohibuit ne homo, post peccatum, de fructu arboris vitæ ederet, ne sacrilegii reus inveniretur, utpote innocentia nudatus et impurus. Simili præcepto ab Eucharistia sumenda arcentur peccatores; *Qui enim manducat aut bibit indigne*, intonat Apostolus, *judicium sibi manducat et bibit.* Noluit etiam Deus, cujus omnes viæ misericordia et veritas, hominem longiorem traducere vitam, ne si malus foret, peccata multiplicarentur, si vero bonus, ne illius exilium in hac lacrymarum valle nimium protraheretur. R.

1 *Genes.* I, 16. — 2 Tom. IV Aug. — 3 In I Par. qu. XCVII, art. 4. — 4 Lib. II, dist. XVII.

esse post obitum sedem sanctorum arbitrati sunt; de quibus alias diximus [1], et Irenæi, aliorumque testimonia protulimus; ad quæ nunc adjungemus alia, imprimisque memorabilem Ephræmii locum, quem *in Eclogis* Joannes Damascenus habet : « Paradisus, ait, per sensibilia constans, sempiternam habet perfruitionem. Non per parabolam de Paradiso dictum est; non figurate plantatus est, cum reipsa non esset. Paulus ipsum post annorum quinque millia contemplatus est. Illuc profectus est, et audivit Ecclesiæ mysteria. Ascendit in tertium cœlum, et audivit futuræ æternitatis documenta; cœlum ac terram eadem gratia Deus induit, cum Paradisum in æternis promissis condidit. Tibi infideli, quod est sensibile, temporarium est; mihi fideli etiam illud, quod temporarium est, æternum est. Non intelligis virtutem Dei, quoniam non credis gratiæ. Non potes comprehendere, quoniam divinitatis consilium neutiquam cognoscis. Sensibilis est Paradisus, sed non temporarius. Promissio, quæ in illo facta est, in lignis consistit, sed non temporariis [a]. »

Methodius apud Epiphanium contra Origenem disputans [2], itidem Paulum in Paradisum illum deductum asserit, eumque ab cœlo distinctum esse probat. Nam primo in tertium cœlum raptum se esse scribit; deinde in Paradisum. Eodem sancti Latronis animam receptam fuisse plerique putant, ut Moses Bar-Cepha, aliique, quos in illo tomi primi loco memoravimus. Sic Eulogius Alexandrinus apud Photium [3], et Severianus oratione v *de Cosmopœia*, Sanctos, ut Patriarchas, martyres, ac reliquos, in illa statione commorari sentiunt. Nos, quatenus de Paradiso dubitatur, an hodieque supersit, ut incerta in re, neque Scripturarum auctoritate comperta, assensionem sustinere, et a divinationibus abstinere satius ducimus [*].

CAPUT VI.

De statu primi hominis ante peccatum; quomodo in Paradiso collocatus, ut eum custodiret, et excoleret. Laboris ei aliquid injunctum; nec non horti custodiam, hoc est habitationem, et possessionem. Qua ratione mortalis, et immortalis Adamus ante peccatum fuerit. Nunquam moriturum fuisse, si in innocentia perseverasset; idque Catholica esse fide certum. Contrarius huic error refellitur. Non tamen plenam immortalitatem habuisse. Explicatur eorum sententia, qui medium inter mortalem, et immortalem statum Adamo vindicant.

I. In hunc suapte consitum manu, ac deliciis et voluptatibus circumfluentem hortum Deus Adamum transtulit [4], ut appareat, extra Paradisum illum esse procreatum; quod Ambrosius animadvertit [5], nihil natalis loci conditionem ad eorum qui nascuntur, dignitatem et commendationem referre ex eo colligens, quod in illo ipso Paradiso femina tanto deterior viro formata sit. Addit Moses, idcirco translatum eo fuisse, ut operaretur et custodiret illum. Augustinus [6], et ex eo Lyranus, et Tostatus ad Deum ista referri posse crediderunt, in solam vel Græcam, vel Latinam versionem intenti, tanquam Deus operando hominem exculturus, ac servaturus esset. Quod minime procedit, ut ex Hebræo liquet; nam affixum bis repetitum feminini est generis : *ut coleret eum, et custodiret eum*, et ad hortum sine controversia pertinet; ut

a Ephræm. apud Damasc. lit. π, tit. XXXI. Ὁ παράδεισος δι' αἰσθητῶν συνεστὼς αἰωνίαν ἔχει τὴν ἀπόλαυσιν. οὐκ ἐν παραβολῇ εἴρηται περὶ τοῦ παραδείσου. οὐκ ἐν σχήματι ἐφυτεύθη, τῷ πράγματι ἀνύπρακτος ὤν. Παῦλος αὐτὸν μετὰ πεντακισχίλια ἔτη ἐθεάσατο· ἐκεῖ ἀπεδήμησε, καὶ ἤκουσε τὰ τῆς ἐκκλησίας μηστήρια. ἀνέβη καὶ εἰς τὸν τρίτον οὐρανόν, καὶ ἤκουσε τὰ τοῦ μέλλοντος ἀεὶ διδάγματα· οὐρανόν καὶ γῆν τὴν αὐτὴν χάριν ὁ θεὸς ἐνέδυσε, τὸν παράδεισον ἐν αἰδίοις ἐπαγγελίαις συστησάμενος. σοὶ τῷ ἀπίστῳ τὸ αἰσθητὸν πρόσκαιρον· ἐμοὶ τῷ πιστῷ καὶ τὸ πρόσκαιρον αἰώνιον. οὐ νοεῖς τὴν δύναμιν τοῦ θεοῦ, ἐπειδὴ οὐ πιστεύεις τῇ χάριτι. οὐ χωρεῖς τὴν κατάληψιν, ὅτι οὐ γινώσκεις βουλὴν θεότητος. αἰσθητὸς ὁ παράδεισος, ἀλλ' οὐ πρόσκαιρος· καὶ ἡ ἐν αὐτῷ ἐπαγγελία ἐν ξύλοις, ἀλλ' οὐ προσκαίροις.

[*] Idipsum statuit P. Serry *de Mundi Opificio Prelect.* XI. Cæterum P. Schwarz *in Collegiis historicis t.* II *quæst.* IV *Artic.* 14 *et* 5 auctoritate veterum minime territus probabilius adstruit, Paradisum vi diluvii intercidisse. E. A. Z.

1 Tom. I, libr. VII, cap. XIV.—2 Hær. LXIV, num. 47. — 3 Cod. 230. — 4 *Genes.* XXI, 25.— 5 Libr. *de Paradis.* cap. XIV.— 6 Lib. VIII *de Gen. ad lit.* cap. XVI

certissimum sit, ad hortum excolendum et servandum collocatum ibi hominem fuisse. Et opera ejus aliqua et industria significatur ab illo navanda, quam trium linguarum proprietas exprimit. In quo Eugubinus fallitur, qui *operationem*, et *custodiam* habitationem ipsam esse putat. « Sic nobis, inquit, Latinis cultus, non solum operatio, sed habitatio, et frequentatio ; unde coloni, et cœlicolæ. » Hoc ipsum et Hebraicum dicit vocabulum significare עבד ; « unde servi Dei, et cultores, quique in eum semper intenti sæpe eum adeant, et frequentent, עבדם vocantur. »Sed non est ita. Verbum עבד est *operari*, nec non *servire*, et *sacrificium offerre* ; sed, cum additur nomen *terræ*, aut *agri*, fundive, nihil aliud significat, quam *exercere*, et operæ aliquid in eo facere, hoc est, ut Græce legitur, ἐργάζεσθαι ; quod et adnotavit Aben Hezra.

Adamo aliquid laboris impositum, necnon horti custodia.

II. Itaque non absurdum videtur antiquis Patribus, quiddam injunctum operæ manualis parenti primo. « Voluit Deus, ait Chrysostomus, parvam quamdam, et moderatam curam penes hominem esse tam in custodiendo, quam in excolendo. Nam omnis adhuc laboris expers erat cultura illa ; et occupationis aliquid ei suppeditabat citra dolorem, et ærumnam [a]. » Etenim nihil est otio perniciosius, præsertim inter affluentes commoditates ac delicias, quibus hortus ille refertus erat ; *Multam enim malitiam docuit otiositas* [1]. » Eodem pertinebat et custodia, quam Severianus, ut et ἐργασίαν, sola mandati divini observatione definit. Hoc enim opus unum habuisse, quod si faceret, illud sibi domicilium perpetuo conservaret : « Ut, inquit, sibi illum ipse custodiret, ne legem transgressus eum amitteret, sed ut legem observans, Paradisum sibi servaret [b]. » Idem sentit Theophilus Antiochenus in secundo libro *ad Autolycum* ; « Non aliam, inquit, operam significat, nisi ut legem Dei servaret [c]. » Sed, ut dixi, probabilius est, operis aliquid, et exercitationis jucundæ, ac liberalis illi datum fuisse : « Quid abhorret, ait Augustinus, si credamus, hominem ita in Paradiso constitutum, ut operaretur agriculturam non labore servili, sed honesta animi voluptate [2] ? »

Operationem.

III. Ambrosius vero in libro *de Paradiso*, capite quarto, *operari*, et *custodire* allegorico ibi sensu accipit. « In opere, inquit, quidam virtutis processus est ; in custodia quædam consummatio operis deprehenditur, et quod quasi consummata custodiat. Hæc duo ab homine requiruntur, ut et operibus nova quærat, et parta custodiat. » Mox Philonem laudat, quem ait, « quoniam spiritualia Judaico non capiebat affectu, intra moralia se tenuisse, ut diceret, hæc duo quæri, opera in agro, custodiam in domo. Et quamvis Paradisus operibus, inquit, ruralibus non egeret, tamen, quia primus homo lex posteritatis futurus erat, ideo legitimi etiam in Paradiso specimen suscepit laboris, ut nos ad operationem, et custodiam debiti officii, et hæreditariæ successionis munus adstringeret. » Verum idem Philo in primo *Allegoriarum*, spirituali etiam, ut vocat Ambrosius, sensu illud accepit, et ad virtutum exercitationem retulit.

Arbitror autem, *custodiendi* vocabulum hoc loco idem esse. ac *possidere*, *obtinere*, ut Tostato visum est, et Lyrano, nimirum ut a Dei præcepto non deficeret, eoque pacto in illius possessione remaneret. Non enim a furibus, aut bestiis periculum impendebat, aut vero canum, ac Molossorum disponendæ erant custodiæ ; tanquam,

Nocturnum stabulis furem, incursusque lupo-
[rum,
Aut impacatos a tergo horreret Iberos [3]. »

Quippe summum in omne genus animantium imperium, ac dominatum obtinebat Adamus, nec erat quidquam, quod voluntati illius adversaretur, aut molestia aliqua perennem animi tranquillitatem, ac lætitiam infuscaret [*]. »

a Chrys. hom. xiv *in Gen.* Ἀλλ' ἐβουλήθη τέως μικράν τινα, καὶ σύμμετρον ἔχειν αὐτὸν μέριμναν περί τε τὴν φυλακὴν, περί τε τὴν ἐργασίαν. καὶ γὰρ ἔτι πόνου παντὸς ἦν ἀπηλλαγμένη ἡ ἐργασία, παρεῖχε δὲ αὐτῷ ἀσχολίαν τινὰ ἀνώδυνον, καὶ ἀταλαίπορον.

b Sever. Ἵνα φυλάξῃ αὐτὸν ἑαυτῷ· ἵνα μὴ παραβὰς ἀπολέσῃ αὐτόν· ἀλλ' ἵνα τὴν ἐντολὴν φυλάττων, φυλάξῃ ἑαυτῷ τὸν παράδεισον.

c Theophil. Οὐκ ἄλλην τινὰ ἐργασίαν δηλοῖ, ἀλλ' ἢ τὸ φυλάττειν τὴν ἐντολὴν τοῦ Θεοῦ.

[*] Crediderim cum Chrysostomo leviorem cultum terræ impositum primis parentibus, ut nemus illud beatum, prout ipsis videretur mutarent, si diutius in illo habitarent, avulsis pro arbitrio plantis, alioque translatis, aut irregatis, etc.

Custodia contra quem esse potuerit quam contra bestias non capio. Certe שמר nuspiam significat *possidere*, *obtinere*, conjunctum præsertim cum verbo quod sonat *colere*, ubi sermo sit de Viridario, aut re simili. Deinde domina-

1 *Eccl.* xxxiii, 27,— 2 Lib. *de Gen. ad lit.* cap. ix.— 3 Virg. iii Georg.

Adamus si non peccasset, nec mortuus esset.

IV. De statu illius, et vitæ genere in voluptuario illo domicilio, hæc fere tradita sunt a majoribus. Imprimis perpetuam, sine ullo metu mortis, ei vitam affuturam, Catholica credit Ecclesia; idque præeunte maxime Augustino contra Pelagianos decrevit, « Qui dicebant, Adamum sic creatum, ut etiam sine peccati merito moreretur[1], » ut ait Augustinus; qui in libro *de gestis Pelagii*, capite XI hoc isti objectum esse refert in Diospolitana synodo ex discipuli ejus Cœlestii scriptis : « Adam mortalem factum, qui sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset, quoniam peccatum Adæ ipsum solum læserit, et non genus humanum. » Hæc porro « judicio illo ecclesiastico, anathematizante Pelagio, et episcopis interloquentibus, constat esse damnata, » ut idem scribit.

Postea vero pleniore in concilio, cui ex omnibus Africæ provinciis interfuere episcopi ducenti tres, proscripta eadem est hæresis canone isto : « Ut quicumque dixerit, Adam primum hominem mortalem factum ita, ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit[2];» qui canon primus habetur in Milevitana secunda synodo, perperam quidem; est enim Carthaginensis, sive Africanæ, et censetur in Africana collectione septuagesimus sextus, in collectione vero Canonum Græca CIX, atque hoc numero citatur a Michaele Glyca in *Annalibus*. Ac novissime Tridentinum concilium idem sanxit in primo canone *de Peccato Originali* [3].

V. Hujus porro dogmatis auctoritas ex sacris libris repetitur, in quibus diserte illud, ac sæpe traditur : mortem humano generi pœnæ loco inflictam esse, propter peccatum primi hominis. *Per unum hominem*, ait Apostolus, *peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt* [4]; quod reliquo deinceps capite repetit. Et postea [5] : *Corpus mortuum est propter peccatum*; *spiritus vero vivit propter justificationem*. Docet hoc idem liber *Sapientiæ* : qui *Deum* ait *mortem non fecisse, nec lætari in perditione vivorum. Creavit enim, ut essent, omnia et sanabiles fecit nationes orbis terrarum*, etc. *Impii autem manibus, et verbis accersierunt illam*[6]. Et apertius capite sequenti[7]: *Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, et ad imaginem similitudinis suæ fecit illum. Invidia autem Diaboli mors intravit in orbem terrarum*[a]. Quo in loco Græca sensum hunc reddunt : *Deus creavit hominem ad incorruptibilitatem*, hoc est *ut corrumpi, morique non posset*. Hoc ipsum etiam illo Dei interdicto, et interminatione continetur : *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris* [8]; de quo paulo post. Vide Faustum Regiensem libro primo *de libero arbitrio*, capite primo.

Huic fidei decreto passim suffragatur Augustinus, præsertim in libris, quos contra Pelagianos edidit. Et in sexto *de Genesi ad litteram;* ut cum ita scribit : « Ac per hoc, inquit [9], mors etiam corporis de peccato est. Si ergo non peccasset Adam, nec corpore moreretur, ideoque immortale haberet et corpus. » Tum in sequenti : « Verum est quidem, quod non moreretur etiam corpore, nisi peccasset. Aperte quippe dicit Apostolus, corpus mortuum propter peccatum. » Et in libro decimotertio *de Civitate Dei*, capite decimo quinto : « Unde constat inter Christianos veraciter Catholicam tenentes fidem, etiam ipsam nobis corporis mortem non lege naturæ, quia nullam mortem homini Deus fecit, sed merito inflictam esse peccati; quoniam peccatum vindicans Deus dixit homini, in quo tunc omnes eramus, *Terra es, et in terram ibis.* » Fulgentius [10], « Nisi præcessisset, ait, in peccato mors animæ, nunquam corporis mors in supplicio sequeretur. » Et, « Homo in terram carne non iret, si terra peccando non fieret. »

Duo cavenda immortalitate Adami asserenda.

VI. Sed duo cavenda sunt non minus invicem, quam in medio sitæ fidei Catholicæ contraria opinionum errata. Prior est eorum, qui cum Pelagianis arbitrantur, Adamum

a Græce, ὅτι ὁ θεὸς ἔκτισε τὸν ἄνθρωπον ἐπὶ ἀφθαρσίᾳ.

tus primorum parentum in bestias, qui situs erat in eo quod poterant iis uti, ad sua commoda, non obstabat quominus bestiæ comederent plantas ac fructus Viridarii, nisi abigerentur. Non est enim putandum dominatum illum intellectum esse a bestiis, ita ut dominorum reverentia ductæ non ausæ fuerint fructus eorum Viridarii comedere, de dominatu illo vide quæ antea dixit Pelavius, et quæ habet Joannes Clericus ad *Gen.* I, XXVII. TH. AL.

1 Aug. Lib I *de Peccat. mer.* cap. II et epist. CVI.— 2 Est et apud. Gennad. *de Dogm.* cap. III.— 3 Sess. VI.— 4 *Rom.* V, 12.— 5 *Rom.* VIII, 10.— 6 *Sap.* I, 13.— 7 *Sap.* II, 23.— 8 *Gen.* II, 17.— 9 Lib. II *de Gen. ad lit.* c. XXII.— 10 Fulg. I. *de Incar.* c. XII.

ejusque posteros, etiamsi non peccassent, mortem nihilominus obituros fuisse. Ita sentire quosdam Hebræos narrat Joannes Mercerus [1], quibus et ipse subscribit : « Alii moriturum quidem, ait, eum fuisse inquiunt, cum esset compositus, et cum comederet, ac biberet ; id quod et nostri sequuntur, » etc. Tum paulo post : « Mors ei molesta non fuisset, nec iræ Dei signum ex peccato, ut hodie ; sed dulcis quædam et suavis animæ a corpore separatio, vel commutatio potius, et translatio in solidissima, et æterna gaudia. » In quo illi etiam ab Calvino suo contradicitur, qui in commentariis ad *Geneseos* locum eumdem, « Terrena, inquit, vita illi fuisset temporalis, in cœlum tamen sine interitu, et illæsus migrasset. » .

Ex adverso vero alii ejusmodi statum immortalitatis Adamo tribuunt, qualem Christus in corpore post resurrectionem habuit, et sancti omnes in fine rerum adepturi sunt. Meminit opinionis illius Augustinus in libro sexto *de Genesi ad litteram*, capite XX. Ibi enim de ea quæstione disserit, ecquid Adamus animale corpus habuerit, an spirituale, cujusmodi post resurrectionem futurum est. Ac spirituale fuisse corpus illius, inde videri posse dicit, quod intelligi vix potest, quomodo renovemur per resurrectionem, « si non ad hoc per Christum renovamur, quod in Adam prius eramus. » Quare, nisi immortalitatem habuit Adamus et perdidit, dici non possumus ab eo statu, in quo nunc sumus, qui mortalis est, renovari ad pristinum qualis in Adamo exstitit. « Quomodo vero perdidit immortalitatem, si corpus habuit animale ? » Ideo nonnullos ait existimasse, « prius hominem fuisse corporis animalis, sed dum in Paradiso constitutus est, eum fuisse mutatum sicut nos quoque resurrectione mutabimur. » Auctor libri *quæstionum viginti unius*, qui est in calce tomi IV operum Augustini[1] quæstione X corpus Adami tale fuisse putat, quale post resurrectionem habebunt sancti.

VII. Sed hac opinione confutata, et immortale fuisse corpus Adami docet Augustinus, et tamen animale, non spirituale ; cujusmodi foret, « nisi mortem etiam corporis animalis peccando meruisset. Denique non ait Apostolus [2] : *corpus quidem mortale propter peccatum* sed *corpus mortuum propter peccatum.* » Quod in proxime sequenti capite plenius explicat sic : « Illud quippe ante peccatum, et mortale secundum aliam, et immortale secundum aliam causam dici poterat ; id est mortale, quia poterat mori, immortale, quia poterat non mori. Aliud est enim non posse mori, sicut quasdam naturas immortales creavit Deus ; aliud est autem posse non mori, secundum quem modum primus creatus est homo immortalis ; quod ei præstabatur de ligno vitæ, non de constitutione naturæ ; a quo ligno separatus est, cum peccasset, ut posset mori, qui nisi peccasset, posset non mori. Mortalis ergo erat conditione corporis animalis ; immortalis autem beneficio conditoris. Si enim corpus animale, utique mortale quia et mori poterat ; quamvis et immortale ideo, quia et non mori poterat. »

Eadem tradit in libro primo de *Peccatorum meritis et remissione*, capite tertio : « Si enim Deus, inquit, Israelitarum vestimentis, et calceamentis præstitit, quod per tot annos non sunt obtrita ; quid mirum, si obedienti homini ejusdem potentia præstaretur, ut animale, ac mortale habens corpus, haberet in eo quemdam statum, quo sine defectu esset annosum, tempore, quo Deus vellet, a mortalitate ad immortalitatem, sine media morte venturus ? » De quo deinceps agit in sequentibus capitibus.

VIII. Item in libro primo *contra Julianum Operis imperfecti* [3], cum Julianus objecisset, obscure in libris *de Civitate Dei* Augustinum disputasse, quanam morte damnatus esset ob peccatum Adamus, ac dixisse « corpus ejus in Paradiso non fuisse ante peccatum ; » tum etiam, « mortale eumdem factum fuisse ; » respondet Augustinus, se « mortalem hactenus dixisse fore, quia poterat mori ; poterat namque peccare. » Julianum porro dolose sic ipsius verba retulisse, quasi ita dixerit, « Adam mortalem factum, ut sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset. Hoc enim vobiscum agitur, hinc tota de hac re inter nos, et vos vertitur quæstio, quod nos dicimus, Adam, si non peccasset, nec corporis mortem fuisse passurum ; vos autem, sive peccasset, sive non peccasset, corpore fuisse moriturum. »

Locus autem operis *de Civitate Dei*, quem Julianus vellicabat, est in libro decimo tertio, capite vigesimo tertio, ubi idem, quod ex aliis ejus libris protulimus, copiose disserit ; ac de eo ipso loco postea nos agemus. Ex his omnibus intelligimus, qua ratione immor-

1 Com. in *Gen.* II, 17.— 2 *Rom.* III, 10.— 3 Cap. LXVI.

Non plena Adami immortalitas.

talis Adamus dicatur a Deo esse factus. Non enim plena ista fuit immortalitas, quæ non solum mortem, sed etiam moriendi, ut ita dicam, possibilitatem excluderet, qualem beati post resurrectionem corporum sortientur. Sed cujus beneficio non morerentur quidem re ipsa, sed mori tamen possent, si aut peccarent, aut extra Paradisum collocati a ligno vitæ prohiberentur, si Augustino credimus, qui ita docet in capite illo XXIII libri XIII *de Civitate Dei*, de quo mox dicam.

IX. Nec Augustino adversantur illi, qui Adamum mortalem fuisse negant, ut Marius Victor libro primo *in Genesim*; qui ex divinæ sententiæ formula, qua sub mortis interminatione usu arboris scientiæ boni, et mali interdixit, ita concludit:

« Tali lege data ratio docet optima, quod [non
Mortalem Deus in primævo tempore fecit
Primum hominem : quin ille sibi mortem at- [tulit ultro. »

Nam mortalis vel ille dicitur, qui reipsa moriturus est, vel qui, etsi mortem reipsa nunquam experiretur, tamen mori posset, nisi peculiaris quædam cura Dei, ac providentia ipsum ab morte vindicaret. Hoc posteriore sensu mortalis Adamus fuit, priore non fuit. Quo quidem Augustinus [1] « mortales ait homines cum pœna nasci. » Ex quibus evidens est, haud temere culpandos eos esse, qui Adamum nec mortalem a Deo, nec immortalem esse conditum affirmant, sed inter utrumque interjecto statu ; quos nihilominus aliqui reprehendunt. Hugo Eterianus in libro *de animarum regressu ab inferis*, cap. III, Hebræos ita sentire dicit, imo Nemesii locum tacito nomine describit, Latine ita versum : « Aiunt enim hominem, inquit, a prima origine neque fuisse mortalem, neque immortalem, sed natnram inter utramque asserunt fuisse creatum, ut corporeis passionibus corporeas incideret passiones. Quod si animæ bona præponeret, hæres constitueretur vitæ immortalis. Inquiunt enim, si ab ipso exordio mortalem illum fecisset, post peccatum non ut reum mortis condemnasset; mortalem enim morte non est æquitatis condemnare. Quod si immortalem fecisset eum, nequaquam esca indigentem statuisset ; nam nullum immortale corporali esca opus habet. Neque vero tam subito pœnituisset, ut quem fecisset immortalem, continuo pœna multasset. Angeli certe, licet peccaverint, a prima tamen natura non destiterunt, aliam præter mortem pœnam de peccato subeuntes. » Mox « improbari ait a plerisque Doctorum hanc sententiam asserentibus, quod mortalis factus ut fuerit, poterat tamen sub virtutis processu immortalis fieri, eo quod potestate immortalis fuisset [a]. » Itaque isti mortalem reipsa fuisse censent Adamum ; immortalem vero *potestate;* quod eodem cum superiori opinione relabitur, nisi quod *mortalem actu*, *immortalem potentia* fuisse dicere, minus est ferendum, quam e contrario, *immortalem actu*, *potentia mortalem*.

X. Ita Michael Glycas in *Annalium* parte prima in eadem *mortalis* ambiguitate jactatur : « Adamum, inquit, alii quidem a Deo conditum fuisse mortalem dicunt ; alii vero medio quodam loco constituunt, nimirum inter immortalitatem, et mortalitatem. Etenim absque hoc foret, ipsi quidem inquiunt, non ut post transgressionem morti fuisset factus obnoxius. » Hanc opinionem Glycas deinde refellit eo maxime argumento, *quod Deus mortem non fecit* [2], atque ideirco non debuit citra peccatum homo legi esse mortis obnoxius. Subjicit et antiquorum Patrum sententias, quæ interitus expertem Adamum fuisse confirmant, ut Anastasii Sinaitæ in oratione *de Resurrectione*, et Andreæ Cretensis in oratione *de Iis, qui obdormierunt*, Chrysostomi item, et Basilii. Atqui testimonia illa veterum hoc unum persuadent, quod et catholica fides

a Nemes. cap. I. Ἑβραῖοι δὲ τὸν ἄνθρωπον ἐξ ἀρχῆς οὔτε θνητὸν ὁμολογουμένως, οὔτε ἀθάνατον γεγενῆσθαί φασιν· ἀλλ' ἐν μεθορίοις ἑκατέρας φύσεως· ἵνα ἂν μὲν τοῖς σωματικοῖς ἀκολουθήσῃ πάθεσιν, περιπέσῃ καὶ ταῖς σωματικαῖς μεταβολαῖς. ἐὰν δὲ τὰ τῆς ψυχῆς προτιμήσῃ καλὰ, τῆς ἀθανασίας ἀξιωθῇ. εἰ γὰρ ἐξ ἀρχῆς αὐτὸν θνητὸν ἐποίησεν ὁ θεὸς, οὐκ ἂν ἁμαρτόντα θανάτῳ κατεδίκασε. τοῦ γὰρ θνητοῦ θνητότητα οὐδεὶς καταδικάζει. εἰ δὲ αὖ πάλιν ἀθάνατον, οὐδ' ἂν τροφῆς αὐτὸν ἐνδεᾶ κατεσκεύασεν. οὐδὲν γὰρ τῶν ἀθανάτων τροφῆς σωματικῆς δεῖται. οὐδ' ἂν οὕτω ῥᾳδίως μετενόησε, καὶ τὸν γενόμενον ἀθάνατον θνητὸν εὐθέως ἐποίησεν. οὐδὲ γὰρ ἐπὶ τῶν ἁμαρτησάντων ἀγγέλων τοῦτο φαίνεται πεποιηκώς· ἀλλὰ κατὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς φύσιν ἀθάνατοι διέμειναν, ἄλλην τῶν ἡμαρτημένων ἀπεκδεχόμενοι δίκην, ἀλλ' οὐ τὸν θάνατον. βέλτιον οὖν ἦ τοῦτον τὸν τρόπον νοεῖν τὸ προκείμενον, ἤ ὅτι θνητὸς μὲν κατεσκεύαστο, δυνάμενος δὲ ἐκ προκοπῆς τελειούμενος ἀθάνατος γενέσθαι, τουτέστι δυνάμει ἀθάνατος.

1 In *Ps.* LXVIII.— 2 *Sap.* I, 13.

habet: Adamum, nisi peccasset, non fuisse moriturum. Neque tamen propterea plenæ, et perfectæ immortalitatis compos adhuc fuit, hoc est ejusmodi, ut mori nullo modo posset, quemadmodum Angeli etiam post lapsum non sunt mortui, ut ait Nemesius. Cujus verba, cum Latine Hugo Eterianus redderet, contra mentem illius accepit sic, tanquam propositam illam a se opinionem Hebræorum improbaret; quod non est ita. Siquidem eam probabilem judicavit Nemesius, et alteram ex æquo verisimilem, ut utramvis amplecteretur. Verum Hugo posteriorem idcirco repudiavit, quod est θνητὸν id est *mortalem* esse creatum hominem, idem esse videbatur, ac moriturum fuisse: quod Nemesius dicere noluit, sed ita, ut paulo ante significavi, mens illius interpretanda est. Quemadmodum Athanasius apud Joannem Damascenum his verbis exposuit[a]. « Est, inquit, natura sua mortalis homo, utpote ex non exstantibus factus; verum propter similitudinem, quam habet, ejus, qui est, quam si servasset obediendo Deo, naturalem corruptionem hebetasset, et mansisset incorruptus. » Denique Theodorus Abucara immortalem futurum ait hominem χάριτι, id est *gratia*; natura vero mortalem, « Sciendum est, inquit, Adami corpus natura mortale, et passibile fuisse; divina vero gratia immortale, et impassibile conservatum[b]. » At Chrysostomus [1] peccato θνητὸν, id est *mortale* esse factum ait; et Augustinus[2]: «Mortalitas, corruptibilitas carnis, compedes sunt, quibus ligati sumus. »

Omnibus illis antiquior Theophilus Antiochenus in libro secundo *ad Autolycum*, « Medius, inquit, homo factus erat, ut nec immortalis esset omnino, neque prorsus mortalis, sed amborum capax[c]. » Nempe de immortalitate perfecta loquitur, et qualis post resurrectionem est futura. Medium eumdem statum Julianus Toletanus [3] his verbis in primo *Prognosticon*, capite tertio ita declarat: « Primus homo ea naturæ qualitate creatus est, ut immortalitatis et mortalitatis capax fieret; ut nec sic immortalis fuerit, nec, etiamsi peccaret, mori non posset, nec ita mortalis, ut, si noluisset peccare, morti succumberet. » Philippus Abbas in epistola VII Adamum existimat « mortalem simul, et immortalem esse factum; » idemque repetit in libro *de Salute primi hominis*, capite I.

CAPUT VII.

De immortalitate primorum hominum iterum agitur. Utrum cibo eorum corpora opus habuerint. Quorumdam sententia negans, maxime Gregorii Nysseni, et aliorum excutitur, qui allegorice fructus illos, ac cibos interpretantur. Ostenditur veros illos fuisse, ac revera homines cibo usuros. Utrum arbor vitæ immortalitatem tribueret, idque naturali efficientia, an Dei gratia. Abulensis, Pererii, et aliorum opiniones examinatæ. Non fuisse naturalem vim istam, et in perpetuum vitam extendere potuisse. Notatur Ludovicus Vivez, et ab ejus reprehensione Scotus vindicatur. Neque morbis, neque senectuti obnoxium fuisse statum illum innocentiæ.

I. Nemesius in proxime antecedenti capite, plenam in hominibus primis immortalitatem non fuisse probabat eo argumento, quod ad vitam tuendam necessarium illis pabulum fuerit. Quæ nobis ratio tum hujus ipsius expendendæ, tum cæterorum, quæ cum illo statu conjuncta sunt, explicandorum occasionem afferet.

Adamus cibo opus habuit.

Absque cibo perennem, ac beatam vitam toleraturos fuisse parentes primos, nisi peccassent, quorumdam fertur opinio; et eo quidem mirabilis, quod ad tam claram Scripturæ vocem obsurduisse doctorum aures incredibile sit, quæ alimenti partim illorum usui permissi, partim excepti, interdictique meminit. Quid autem aliud verba ista significant: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, et universa ligna, quæ habent in semeptipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam*[4]? Aut illa: *Ex omni ligno*

a Athan. apud Damasc. par. I ἐκλογῶν, tit. III. Ἔστι μὲν γὰρ κατὰ φύσιν θνητὸς ὁ ἄνθρωπος, ἅτε δὴ ἐξ οὐκ ὄντων γεγονώς· διὰ δὲ τὴν πρὸς τὸν ὄντα ὁμοιότητα, ἣν εἰ διεφύλαττε διὰ τῆς πρὸς θεὸν ὑπακοῆς, ἤμελλεν ἀντὶ τὴν κατὰ φύσιν φθορὰν, καὶ ἔμενεν ἄφθαρτος.

b Abuc. opusc. XL. Ὡς τὸ τοῦ Ἀδὰμ σῶμα φύσει θνητὸν ἦν, καὶ παθητὸν, θείᾳ δὲ χάριτι ἀθάνατον διεφυλάττετο, παὶ ἀπαθές.

c Theoph. Μέσος γὰρ ὁ ἄνθρωπος ἐγεγόνει, οὔτε θνητὸς ὁλοσχερῶς, οὔτε ἀθάνατος τὸ καθόλου, δεκτικὸς δὲ ἑκατέρων. Quod et pag. seqq. repetit.

1 Hom. VII in ep. *ad Rom.* — 2 Aug. in *Psal.* LXVIII.— 3 Tom. IX *Bibl. Patr.*— 4 *Gen.* I, 10.

Paradisi comede; de ligno autem scientiæ boni, et mali ne comedas[1]? Quid attinebat alimenta illis offerre, si iis opus non haberent? aut quæ vescendi voluptas melius procul dubio inutili re, ac supervacua carituris? Imo quam indignum hoc felici illi, divinoque vitæ statui, ad communem istam cum bestiis corporis functionem adjici, si non eam sola necessitas commendaret! Hujusmodi tamen opinione non vulgares homines delectatos esse testis est Augustinus[2]: « Quamvis, inquit, nonnulli, neque hi contemptibiles divini eloquii tractatores, nullo ejusmodi victu eos indiguisse potius opinentur, ut ea sola in Paradiso voluptas, vel alimonia existimetur fuisse, qua delectantur, et aluntur corda sapientium. »

Gregorii Nysseni aliorumque sententia negans excutitur.

II. Ita sensit Gregorius Nyssenus in Catena Græca citatus, qui percontanti sic, cur homo, cum immortalis esset, comedere est jussus; respondet, neutiquam ad præsens tempus illam edendi licentiam pertinere, sed Deum in futurum providisse, quo secundum peccatum mortalis jam factus, opus haberet alimento. Sic etiam Theodoretus quæstione XXVII *in Genesim*, qui hoc addit: « Mortali creaturæ cibum esse necessarium, nam immortalis natura cibo non eget[a]. » Quare nonnulli cibum illum allegorice interpretantur; ut Ambrosius in libro *de Paradiso* capite IX qui præceptum de non edendo fructu arboris scientiæ, non putat intelligendum « de terreno, et corruptibili cibo, » sed de spirituali, de quo Esaias[3], « *Ecce qui serviunt mihi*, inquit, *manducabunt*; *vos autem esurietis*. Hic est enim cibus, in quo vita definitur æterna, quo quisquis fuerit defraudatus, morte morietur. » Idemque tradidit Gregorius Nyssenus a Michaele Glyca citatus[4]. Cum autem illius verba majori ex parte legantur in capite XIX libri *de hominis opificio*, non omnia tamen inveniuntur; velut ista, quæ ex Nysseno Glycas descripsit: « Lignum illud, de quo ne vescerentur, interdictum erat, nec ficum fuisse, quod quidam volunt, nec aliam fructiferam arborem, persuasi sumus. Quanquam enim spectator ille Dei Moses de sensibili cibo hic loqui videtur. » Cætera apud Gregorium capite illo XIX comparent: « Ego tamen, dum sacras litteras audio, non tantum corpoream escam agnosco, (neque eam, quæ carne percipitur, voluptatem) sed etiam nutrimentum aliud esse scio (quæ corporeæ quadam proportione respondet) cujus fruitio solam ad animam pertinet[b]. » Hæc Gregorius, in quibus ea parenthesi notavimus, quæ ab Glyca prætermissa fuerant. Porro Gregorius in sequentibus alimenti genus illud ab usu corporum remotum, et spiritus proprium, illustrat Scripturæ testimoniis aliquot; itidemque capite sequenti de arbore vitæ, necnon scientiæ multa superioribus illis consentanea disputat, quæ sane ex Origenis consuetudine Scriptores illi expressisse videntur. Hic enim ad tropos, et spirituales sensus totam illam Mosis historiam referebat.

III. Præter Gregorium Nyssenum, Joannes quoque Damascenus idem existimasse videtur, ut ex libro secundo *de Fide*, capite undecimo constat. Ibi enim Paradisum partim sensibile quiddam ait fuisse, partim intelligibile. Nam locus revera fuit, et domicilium primorum parentum, in quo nulla eorum occupatio, nullum opus esset aliud, quam in Dei, rerumque divinarum contemplationem intenta esse, ac defixa mentis acie. Ideo arbores illas duas, vitæ, et scientiæ, et earum usum ad allegoricas interpretationes accommodat, ut comedere de fructu arboris vitæ nihil fuerit aliud, quam Deum ex rebus creatis intelligere. Apud Glycam disertiora sunt ejusdem Damasceni verba ad illam sententiam: « Joannes, inquit, Damascenus, rerum ille divinarum peritissimus, cibum Paradisi vocat agnitionem divinam. Largitur enim Deus quidem Adamo potestatem in omnes Paradisi arbores, verum non cibi causa, sed uti hoc modo ad ipsum opificem deduceretur. » Sic Gregorius Nazianzenus orat. XXXVIII[5] arborem scientiæ *contemplationem* interpretatur, quod et Glycas adnotavit; etsi de Paradiso, cujusmodi fuerit, haud affirmate pronuntiat: « Hunc posuit, inquit, in Paradiso, cujusquemodi tandem fuit iste Paradisus[c]. »

IV. Disputat de hac re longissima oratione

a Theod. Θνητῶν δὲ ἡ βρῶσις. ἀθάνατος γὰρ ἡ φύσις οὐ δεῖται τροφῆς.

b Gregor. Nyss. Ἀλλ' ἐγὼ τῆς ἁγίας ἀκούων γραφῆς, οὐ μόνον σωματικὴν ἐπίσταμαι βρῶσιν, οὐδὲ τὴν διὰ σαρκὸς εὐφροσύνην. ἀλλά τινα καὶ ἑτέραν οἶδα τροφὴν, ἀναλογίαν τινὰ πρὸς τὴν τοῦ σώματος ἔχουσαν, ἧς ἡ ἀπόλαυσις ἐπὶ μόνην τὴν ψυχὴν διαβαίνει.

c Nazianz. orat. XXXVIII et orat. XLII. Τοῦτον ἔθετο μὲν ἐν παραδείσῳ, ὅστις ποτὲ ἦν παράδεισος οὗτος.

1 *Gen.* II, 16.— 2 Aug. IV *cont. Jul.* cap. XIV.— 3 *Esa.* LXV.— 4 Par. I.— 5 Quod et repetit Orat. LXI.

Anastasius Sinaita in libro septimo *Anagogicarum contemplationum in Hexaemeron*[1]; ubi primum asserit, ex multorum Interpretum sententia, « non esse sensibilem Paradisum, et quæ sunt in ejus medio duo ligna, vitæ, et cognitionis. » Nam, si cibi isti sensibiles essent, communiter bestiis, et hominibus essent expositi: « Non enim distinxit Deus inter cibum Adami, et cibum brutorum, sed dedit eis communiter omne lignum fructiferum, et sativum in cibum. » Quod in primo capite *Geneseos* sic exprimitur: *Ecce dedi vobis*, inquit, *omnem herbam afferentem semen super terram, et universa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam, et cunctis animantibus terræ*, etc. Ad hæc, quoniam bestiæ nihil deliquerunt, ideoque Paradiso non sunt expulsæ, sequitur, eas omnibus illis in Paradiso fructibus vesci. « Non enim exierunt, ex quo ingressæ sunt, inquit Anastasius, bestiæ ad Adamum in Paradiso, sed intus manserunt, illo egresso, ut quæ non fuerunt expulsæ propter delictum. » Propterea complures veterum ait spiritali sensu totam illam Paradisi narrationem intellexisse, Philonem, Papiam Hierosolymitanum, Irenæum, Justinum martyrem, (cujus commentaria *in Hexaemeron* citat Anastasius) Pantænum Alexandrinum[2], et Clementem Stromateum, ac denique Gregorios duos Cappadoces, Nazianzenum videlicet, et Nyssenum; quos non illo tantum argumento fuisse commotos scribit, sed etiam aliis quibusdam. Inter quæ illud est, cujus paulo ante memini, quod Adamus interitus expers erat; ac si cibo vesceretur, morti esset obnoxius. Addit præterea, ex eo quod Paradisus aspectabilis et subjectus sensibus habitus est, fœdas hæreses exortas esse, ut Ophitarum, qui Serpentem colerent, Manichæorum, « qui nudi, inquit, viri et mulieres in Ecclesiis suis congregantur, ad imitationem Adami et Hevæ. » Quas ut everterent sancti Patres, « duos quosdam Paradisos esse decreverunt, spiritualem, et sensibilem, terrestrem et cœlestem, qui cernitur, et qui intelligitur. » Ita Anastasius; qui insuper Origenem merito esse damnatum memorat, quod ad allegorias omnia revocaret, cum et historica sit admittenda narratio, et mystica cum ea, et ex ea ducenda sit interpretatio. Cæterum Adamo in illa felicitate cibum neutiquam fuisse necessarium arbitratur etiam Michael Glycas[3], qui et Damascenum citat, cujus verba sunt ista: « Fieri non posse, ut incorruptus ille permaneat, qui corruptibilis cibi particeps fuerit factus[a]. » Quod ideo dixit, ut exponeret id, quod Deus Adamo præcipiendo sanxerat: *Quacumque die comederis, morte morieris.* Hoc enim sic declarat: « Quoniam natura sua alimentum omne sensibile supplementum est ejus, quod e corpore dilapsum est, et in secessum, corruptelamque vadit. » Unde videtur existimasse, corruptibili, et corporeo cibo nihil opus homini futurum, si in innocentia perstitisset. Ac propterea duplici modo, quod de Paradiso dictum est enarrat; et plusculum in allegoricum declinat, ut nihil, præter domicilium, et habitationem, corporeum agnoscat, reliqua spiritalem ad sensum referat.

Vera commendatur Augustini sententia.

V. Sed, cum variis, ac propemodum infinitis modis allegoriæ ad illum locum accommodari possint, uniusmodi tamen, et simplex est veritatis historicæ fides; quæ, quod ad illam spectat vitæ arborem, de qua potissimum sermo hic a nobis habetur, ex Augustino præ cæteris accipienda est; qui et pastum homini in beato illo vitæ innocentis statu necessarium fuisse docet, et ad mortem in perpetuum ab corpore propulsandam, fructum arboris vitæ singulari esse Dei gratia concessum: « Licet morituri non essent, ait ille[4], primi parentes, nisi peccassent, alimentis tamen utebantur nondum spiritalia, sed adhuc animalia corpora terrena gestantes, quæ licet senio non veterascerent, ut abducerentur ad mortem, (qui status eis de ligno vitæ, quod in medio Paradisi cum arbore vetita simul erat, mirabili Dei gratia præstabatur) tamen alios sumebant cibos, etc. Alebantur ergo aliis, quæ sumebant, ne animalia corpora molestiæ aliquid esuriendo, ac sitiendo sentirent. De ligno autem vitæ propterea gustabatur, ne mors eis undecumque subreperet, vel senectute confecti, decursis temporum spatiis, interirent, tanquam cætera essent alimento, illud sacramento. » Et in libro octavo *de Genesi ad litteram*, capite

a Damasc. lib. II, cap. II in fine. Φυσικῶς γὰρ ἡ αἰσθητὴ βρῶσις τοῦ ὑπεκρεύσαντός ἐστιν ἀναπλήρωσις, καὶ εἰς ἀφεδρῶνα χωρεῖ, καὶ φθοράν. καὶ ἀμήχανον ἄφθαρτον διαμένειν τὸν αἰσθητῆς βρώσεως ἐν μετουσίᾳ γινόμενον.

1 Tom. I *Bibl. Patr.*— 2 Col. 270, tom. I *Bibl.*— 3 Glyc. An. par. I.— 4 Aug. lib. *de Civit. Dei*. XIII, cap. XX.

quarto: « Erat ei ergo in lignis cæteris alimentum, in illo autem sacramentum. » Quod sacramentum dupliciter intelligitur; vel mystice, ut sapientiam significet, quæ *lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam*[1]: vel quod vi quadam minime nativa, et propria, sed divinitus concessa, sempiternam vivacitatem efficere potuerit. Utrumque illud in citatis locis tradit Augustinus; et inter cætera istud: « Quanquam corporalem cibum[2], talem tamen illam arborem præstitisse, quo corpus hominis sanitate stabili firmaretur, non sicut ex alio cibo, sed nonnulla inspiratione salubritatis occulta. Profecto enim, licet usitatus panis, aliquid tamen amplius habuit, cujus una collyride hominem Deus ab indigentia famis dierum quadraginta spatio vindicavit[3]. An forte credere dubitamus, per alicujus arboris cibum cujusdam altioris significationis gratiam homini Deum præstitisse, ne corpus ejus vel infirmitate, vel ætate in deterius mutaretur, aut in occasum etiam laberetur; qui ipsi cibo humano præstitit tam mirabilem statum, ut in fictilibus vasculis farina et oleo (for. oleum) deficientes reficerent, nec deficerent? » Vide et librum XIV *de Civitate Dei*, capite XXVI.

VI. Hinc illud eluditur, quod Anastasius Sinaita inter alia objicit adversus opinionem illam, quæ cibos Adamo concessos veros esse, ac corporeos affirmat; quod alioqui bestiæ tum ante Adami peccatum, tum eo lapso, et procul amandato, vesci fructibus poterant istis, et immortalitatem adipisci. Verum id est levissimum. Non enim naturale hoc velut effectum fructus illius exstitit, perennem vitam tribuere; sed Dei gratia et singulari beneficio ejusmodi vim habuit, quæ ad solos utique homines pertineret, dum ipsi in officio manerent. Unde auctoris ejus[4], qui *quæstionum Veteris, ac Novi Testamenti* librum edidit, non est probanda sententia, Adamum, « etiam post peccatum, potuisse indissolubilem manere, si modo permissum esset illi edere de arbore vitæ. » Qui et addit: « Nam quomodo immortale corpus habebat, quod cibo sustentabatur? Immortalis enim non eget cibo, neque potu. Cibus enim vires præstabat; vitæ autem arbor medicinæ modo corruptionem omnem prohibebat. » Verissima quidem posteriora ista sunt, immortalem Adamum ita non fuisse, ut mori non posset, aut ut cibo non egeret, sed ut nunquam moriturus esset. Neque tamen arbitror, eumdem, postquam ab illo statu excidit, tametsi vitalis fructus ei copia fieret, eamdem vim ejus fuisse percepturum; quanquam scio, aliter placuisse viris eruditis, ut Abulensi[5], Tostato, et Pererio; quorum primus eam vim arboris illius fuisse censet[6], ut, non semel gustato ejus fructu, perpetua vita suppeteret, sed identidem adhibito; ita enim nunquam morituros fuisse homines[7]. Ac post peccatum non minus æternitatem vitæ præstaturam illam fuisse probat ex verbis Domini, qui, ejecto Adamo, custodem ad Paradisi aditum adhibuit Cherub. *Ne forte*, inquit, *mittat manum suam, et sumat etiam de ligno vitæ, et comedat, et vivat in æternum*. Igitur, quamvis peccasset, poterat tamen fructus illius usu perennem in corpore vitam degere.

An effectu naturali arbor vitæ vitam prorogaret.

VII. At Pererius[8] eamdem, post lapsum Adami, arboris illius efficientiam fuisse credit, quæ ante peccatum inerat. Sed in eo differt a Tostato, quod naturalem illam dotem arboris non talem existimat, ut in æternum vitam homini propagaret, sed longissimo duntaxat tempore; ita tamen, ut, antequam humanum corpus labefactaretur et in mortem incideret, vivens adhuc a Deo transferretur. Sed uterque nescio quid in opinione sua non satis cohærens posuit. Nam Tostatus, naturalem putat hanc fuisse vim arboris, ut mortem ab corporibus arceret in perpetuum, illo *Geneseos* loco utitur qui Adamo interclusum Paradisi aditum ostendit, ne fructum vitæ carperet, *et viveret in æternum*. Quod ille sic accipit[9], ut ne semel quidem vesci fructu isto post peccatum, Deus illum siverit; quoniam, etsi, priusquam egrederentur horto, fructum illum gustassent, non vixissent in æternum, quia nonnisi sæpius adhibitus impertiri | perennitatem vitæ potuit. Verum, si vel semel comederent, quam longissimo vixissent tempore, velut annis mille quingentis, aut bis mille. Hæc cum Abulensis in quæstione XXIV ad caput *Genesis* tertium disserat, alibi tamen nomen *æterni* pro vera æternitate[10], non pro longiore intervallo temporis usurpari eodem *Genesis* capite contendit; atque ideirco reprehendit illos, qui, si Adamus fructum illum post offensionem suam edisset, moriturum nihilominus aliquando fuisse dicunt; quoniam, etsi *æternum*

1 *Prov.* III, 18.— 2 Lib. VIII *de Gen. ad lit*, c. V.— 3 III *Reg.* XIX, 8.— 4 Tom. IV Aug. q. XIX.— 5 Q. CLXXV, in c. XIII *Gen.*— 6 Idem. q. XXIV in c. III.— 7 Idem. qu. CLXV in cap. I *Gen.*— 8 Lib. III in *Gen.* qu. III.— 9 Abul. qu. XXIX in c. III *Gen.* — 10 Qu. LXXV ad cap. XIII, *Gen.*

sæpe pro longo spatio Scripturæ sumant, tamen « non est recedendum a significatione vocabuli, nisi propter causam manifestam ; ut, quando accipiendo secundum proprietatem vocabuli, oporteret, Scripturam esse falsam. » Propria autem *æterni* notio est, ut sit id, *quod semper durat*. Hæc Abulensis ; quibus Lyranum tacite designat. Hic enim, quod ait Deus, *ne comedat, et vivat in æternum*, de longo tempore accipit ; quippe, si post peccatum fructu illo vivifico vesceretur, etsi non perpetuo, tamen diuturno tempore vixisset. Itaque non bene convenit secum Abulensis, qui æternitatem modo longum ætatis, modo perpetuum tempus interpretatur.

VIII. Sic et Pererius paululum secum disconvenit. Primum enim Scoti sententiam amplectitur asseverantis[1], « arborem vitæ non habuisse vim conservandi vitam hominis infinito tempore, sed usque ad aliquod modo definitum tempus ; quo exacto, translatus fuisset homo in vitam spiritualem, et omnino immortalem.» Postea vero [2], cum eam quæstionem proposuisset, « an vis illa arboris vitæ servandi hominem a corruptione, fuerit ei naturalis, ac supernaturalis, » duas opiniones explicat : alteram Augustini, et Bonaventuræ, quæ naturalem fuisse negat : alteram Strabi, Hugonis, et sancti Thomæ, quæ affirmat ; et hanc posteriorem præponit alteri ob illum *Genesis* locum, ubi Deus, expulso Adamo, Paradisi aditum custodia munivit ; quod necesse non fuit, si non arbori natura sua vis illa constaret ; siquidem amissa gratia, etiam dos illa vitalis arboris, quæ gratiam comitabatur, excidisset. Verum, si arbor vitæ non potuit in æternum vivendi prorogare spatia, sed in certum solummodo tempus ; quid attinebat tantis præsidiis obseptum, et interclusum Adamo aditum illius haberi, ne homo ex ea vescens viveret in æternum ?

Quod si vocabulum *æterni* itidem, ut Lyranus, pro longissimo intervallo accipit, nihil erat, quod Augustinum et Bonaventuram cum S. Thoma, aliisque committeret ; non enim invicem dissident, si sic *æternitatis* nomen intelligatur. Certe Augustinus, et Bonaventura non putarunt, vim illam natura superiorem, ac peculiarem gratiam, ob id tantummodo arbori illi superfusam, ut in longum tempus humana durarent corpora, sed ut nunquam omnino morerentur. Nam et Bonaventura, ut hoc de arboris efficientia ista minime mirum sit, myrrhæ, et aliorum aromatum exempla refert, quibus delibuta cadavera diu incorrupta manent ; quod quidem in iis cernimus, quæ ex Ægypti sepulchris effossa sæpe ad nos usque pervehuntur, et ad duo annorum millia, eoque amplius propagari dicuntur, ultra illud spatium, quo unico illius arboris pastu perduci hominum corpora potuisse Abulensis existimat. Non igitur extraordinarium nescio quod gratiæ divinæ, et efficientiæ genus adjunxissent arbori isti. ut tam exiguum exstaret operæ pretium. Rupertus in libro *de Voluntate Dei*, capite XX, censet, « ligno vitæ naturaliter hoc indidisse Deum, ut, si comederet ex eo, in æternum viveret ; » non autem ligno scientiæ boni, et mali « Deum hoc naturaliter indidisse, sed hominis culpam effecisse, ut, si comederet ex eo, moreretur homo in æternum. »

IX. Sed et S. Thomas, quem contra, atque illi sensisse Pererius asserit, non potuisse vitæ arborem id humano corpori tribuere, nunquam ut dissolveretur, ea ratione probat, « quia virtus cujuscumque corporis est finita [3] ; unde non poterat virtus ligni vitæ ad hoc se extendere, ut daret corpori virtutem durandi tempore infinito, sed tantummodo usque ad determinatum tempus. » Quæ argumentatio, ut ait Pererius, « invalida esset, si virtus arboris vitæ dicatur fuisse supernaturalis ; si autem ponatur esse naturalis, est validissima. » Sed, nisi illi ipsi, quorum repugnare sententiæ putatur a Pererio, perpetuam ex illa arbore vitam redundasse crederent, minime contra ipsos S. Thomæ ratio procederet. Enim vero hujus est ejusmodi sententia, semel degustatum vitæ fructum usque ad certum tempus ab corruptione vindicasse ; «quo finito, vel homo translatus esset ad spiritualem vitam, vel indiguisset iterum sumere de ligno vitæ. » Utrum autem idem vitæ fructus identidem sumptus, ac repetitus mortem in sempiternum arceret, ex illis S. Thomæ verbis liquido non constat. Nam, etsi semel usurpatus, quia finita vis illius erat, in infinitum tempus illibatum servare corpus minime potuisset, an non sæpius iteratus immortalitatis iste cibus hoc egisset? Sicut numeri, etsi singuli finiti sunt, tamen additi invicem in infinitum procedunt.

X. Verum, ut ab omni contentione revo-

1 Per. lib. III in *Gen.* qu. III.— 2 Idem. qu. IV.— 3 S. Th. I par. qu. XCVII, art. 4

Supernaturalis fuit vis arboris vitæ, vitam homini inservans.

cetur oratio, mihi Bonaventuræ[1], et ante hunc Augustini probatur opinio, quemadmodum sacramentis novæ legis adest omnipotens Dei virtus et gratia, quæ mirabilem vim illis, et efficientiam accommodat; sic arbori vitæ præsto vim divinam adfuisse, quæ ab omni corruptela immunem servasset hominem, quantocumque intervallo temporis expedire divina providentia judicaret. Ut si peregre, exempli causa, profectus; et arbore illa distans, eam ad manum non haberet, longius in spatium prorogaretur vitalis illa postremi cibatus efficientia; sin ibi esset, ubi commode carpere posset, breviore ex intervallo opus fuisset repetere, Sic et Procopius stultum putat, talem arbori vim natura ingenitam fuisse credere, ut et alteri scientiam boni, et mali [a].

Itaque, quod Deus, post Adami peccatum, Paradisum ei interclusit, non ut ne perpetuo viveret, hoc fecit; (neque enim immortalis esse amplius poterat postquam semel in eum lata mortis erat sententia) sed ne salubri hoc pabulo vegetatus, ultra constitutos a Deo terminos vitam proferret. Nam et naturalis aliquid in arbore illa virtutis per sese fuit ad firmandum, corroborandumque corpus, ut vivax, longævumque esset, non tamen immortale, si divinam ab ea gratia sejungeres. Et recte mihi Lyranus in illis Domini verbis: *Ne comedat, et vivat in æternum*, æternum pro longissimo tempore accipi putat, ut alias sæpe, et haud merito ab Tostato reprehenditur.

XI. Neque vero curiosius indagandum arbitror, quonam modo in statu illo innocentiæ vitalis fructus immortalitatem homini tribuisset; quod ab iis potissimum anxie disputatur, qui naturalem, et ingenitam fuisse vim istam existimant. Nam, ut Enochum et Eliam, nondum spiritali, immortalique corpore præditos, sine alimento vivos et incolumes etiamnum servat Deus, et hunc etiam[2], dum inter homines degeret, ad complurium iter dierum per asperrimas rupes, ac montium prærupta conficiendum, uno eoque communi pastu roboravit; ita poterat Deus insitam illi arbori ad vegetandum corpus vim, et efficacitatem in infinitum tempus extendere, cum identidem illius fructus ab homine repeteretur; de quo pressius disputat S. Thomas in quæstione XCVII[3], et Joannes Scotus, qui ab nonnullis putatur asseverasse, in illo statu innocentiæ hominem ægrotare potuisse, non tamen mori. Sic enim de eo Ludovicus Vives in commentariis *ad Augustinum* scribit[4]: « Sæpe Augustinus disertis verbis ostendit sententiam suam hanc esse, hominem, si non peccasset, non fuisse moriturum, nec morti, nec morbis corpus habiturum obnoxium; lignumque illud vitæ immortalitatem collaturum. Optimus scholasticorum theologus B. Thomas Aquinas in eamdem sententiam ivit. Scotus tamen sive studio partium, seu quia sic est ipsi visum, hæc omnia negat. Vult enim, corpus hominis fuisse etiam in illo statu rerum subditum morbis, et perpessurum eos, nec moriturum tamen, quia prius ad cœlos eveheretur, quam caderet; sed si relinqueretur diutius in terra, haud dubie tabe confectum iri, nec lignum vitæ virtutem habere perpetuandi vitam, tantum proferendi. »

Notatio Ludovici Vivis.

XII. Etsi meum non est, scholasticorum inter se confligentium me jurgiis interponere; non tamen possum, quin celebrem istum unius inter illos familiæ principem, eumque doctum, et acutum, ab falsa calumnia vindicem. Cujus si bene mentem capio, non est profecto Vivés assecutus. Non enim reipsa tentandum adversa valetudine credidit hominem Scotus[5], nisi peccasset, uti neque moriturum, quamvis utrumque ei posset accidere; verum aliud est posse aliquid fieri, aliud reipsa fieri. « Sicut si diceretur de aliquo, inquit, et vere, quod potest esse episcopus, qui tamen nunquam erit episcopus. » Ac de morte quidem diserte ita sentit. De morbis, cæterisque citra mortem incommodis, suspicionem Vivi dare potuit Scotus, hæc se in illum admittere innocentiæ statum quod ita loquitur: « Stante innocentia non accidisset mors; cujus causam assigno talem, quia quilibet fuisset translatus in Paradisum, antequam fuisset alteratus alteratione improportionata animæ, sive formæ. » Quibus ex verbis effici videtur, ad certum modum perduci potuisse mutationem istam, et ἀλλοίωσιν,

a Procop. *in Genes.* Ὥσπερ δὲ, φασὶ, τὸ δένδρον τοῦ εἰδέναι καλὸν, καὶ πονηρὸν, οὐκ ἐκ φύσεως, ἐκ δὲ συμβεβηκότος οὕτως ἐλέγετο. οὕτω καὶ τὸ τῆς ζωῆς. ἀνόητον γὰρ ξύλῳ τοιαύτην περιθεῖναι δύναμιν, φθαρτῷ δηλονοτι τυγχανοντι, καὶ τοιοῦτον ἔχοντι τὸν καρπὸν.

1 In II, dis. XIX, dub. IV.— 2 V *Reg.* I, 2.— 3 In I p. q. XCVII, a. 4.— 4 In XIII *de Civ. Dei*, c. IV.— 5 Scot. in II, dis. XIX, q. I.

id est *alterationem*, ut citra mortem ægrotaret. Sed non est necesse ; nam de sola morte ibi agit Scotus, nec de morbo ullam in partem disputat. Quid igitur absolute, ac per se, proque naturali corporis constitutione fieri potuerit, et absque divinæ gratiæ ope ac beneficio contingeret, explicat Scotus, non quid eventurum reipsa fuerit. Quemadmodum etiam Augustinus mori illos potuisse dicit ; ac, si aut omnino cibo caruissent, aut fructum illum vitæ non comedissent, fuisse morituros ; quamvis « illa potentia non fuisset reducta ad actum, ut Scotus loquitur[1], quia fuisset, inquit, præventa per illam translationem. » Ego vero, etsi translati non essent, nunquam vel morbo periclitaturos vel senio debilitandos, vel casu ullo mortem subituros existimo, non vi sola naturali et arboris istius propria, sed divino præsidio atque gratia, quam interventu cibi illius impertisset.

XIII. Quod de morbo et senectute, ac reliquis vitæ hujus incommodis et ærumnis docui, prorsus Augustino auctore feci ; cujus ad illa quæ supra descripsi, addam hic alia verba, quæ accuratius expressiusque illa, quæ dixi, continent. « Vivebat, inquit[2], itaque homo in Paradiso sicut volebat, quamdiu hoc volebat, quod Deus jusserat ; vivebat fruens Deo, ex quo bono erat bonus ; vivebat sine ulla egestate, ita semper vivere habens in potestate. Cibus aderat, ne esuriret ; lignum vitæ, ne illum senecta dissolveret, nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore ullas molestias ullis ejus sensibus ingerebat. Nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus. Summa in carne sanitas ; in anima tota tranquillitas. Sicut in Paradiso nullus æstus, aut frigus ; sic in ejus habitatore nulla ex cupiditate, vel timore accedebat bonæ voluntatis offensio. Nihil omnino triste, nihil inaniter lætum ; gaudium verum perpetuabatur ex Deo, in quem flagrabat charitas ex corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta, atque inter se conjugum fida ex honesto amore societas, concors mentis, corporisque vigilia, et mandati sine labore custodia. Non lassitudo fatigabat otiosum, non somnus premebat invitum. »

Ita Prosper libro secundo *de Vita contemplativa*, capite XVIII. « Qui cibus, ait, et quandiu perciperetur, ita percipientem se in uno statu sacramenti cujusdam latentis figurata significatione servaret, ut eum nec ulla infirmitate corrumpi, nec ætate mutari, et senescere, nec dissolvi morte permitteret. » Quocirca non eos ad edendum ulla famis molestia, sed prudens ratio, et suapte sponte concitata voluntas impulisset.

« Quanquam nulla fames cogit, nec lassa fovendo.
Indigus hortatur compleri viscera venter,
Et nisi concessum libuisset noscere pastum,
Esuries ignota cibos non posceret ullos,
Nulla famescentem fulcirent pabula vitam : »

ait Alcimus Avitus libro secundo *de Mundi opificio*. Sed ea mens ejus videtur fuisse, ut Adamus, etsi cibo penitus abstineret, vitam nihilominus in perpetuum tolerare potuerit, ac nonnisi voluptatis gratia cibos minime necessarios gustaret ; quæ et nonnullorum ex antiquis præter illum opinio fuit. Sed aliter Augustinus et plerique alii, quorum pluris est auctoritas habenda. Hunaldus quidam in epistola *ad Joannem Præpositum*, quæ est postrema inter Philippi Abbatis epistolas, negat « tam patientem fuisse Adamum inediæ, ut sine escis vivere potuisset. » Gregorius vero Papa in *Responsione ad Interrogationes Augustini*, capite X, recte ait nobis « ex culpa primi parentis factum esse ut esuiremus. »

XIV. De morbis, cæterisque vitæ mortalis incommodis assentitur Augustino Chysostomus ab Michaele Glyca citatus[3] : « Nec enim, ait, corpus ipsius interitui obnoxium, et caducum erat ; sed instar aureæ recens eductæ de fornace, mirificeque splendentis, ab omni corpus illud interitu erat immune. Non illi molestus erat labor ullus, non a sudore lædebatur, non insidiabantur ei curæ, non mœrores ipsum oppugnabant, non sordes, non lacrymæ, non aliud quidquam ejusmodi affectionum vexabat. »

Basilius quoque liberum ab omni laboriosa opera, et a morbo fuisse statum illum indicat, dum ita scribit : « Nam, quemadmodum si essemus in Paradiso deliciarum, nihil opus haberemus solertia, et labore agricolationis ; ita, si in statu vitæ ab omni perpessione vacuo degeremus, cujusmodi gratia erat illa, quam a primo conditu accepimus ante peccatum, nullis medicinæ remediis ad sanatio-

1 Ib. ad II.— 2 Aug. XIV *de Civit.* cap. XXVI.— 3 Ann. part. I.

nem indigeremus[a]. » Tum eadem lege damnatos ait homines esse ad morbos, affectionesque corporis, qua ad victus *in sudore* comparandi molestam operam ac sollicitam.

Accedit et Maximus Martyr, qui ad Thalassium scribens [1], « mœstitiam, voluptatem, appetitionem, et ejusmodi affectiones quæ hodie insunt humanæ naturæ, de sorte brutorum in hominem translatas esse dicit. Posteaquam enim condemnatus est, ut ortu brutis jumentis consimilis sit, necessario quoque tales affectiones inde nactus est. Non enim illæ prius erant in homine,sed propter amissionem perfectionis furtim velut ingressæ sunt, parti naturæ nostræ magis aliquanto brutæ adhærescentes. » Sic apud eumdem Glycam Gregorius Nazianzenus neque frigori, neque æstui fuisse dicit obnoxium ; et idcirco tegumento nihil opus habuisse,

XV. De senio vero luculentus est Augustini locus [2], quem hic ponere non inutile fuerit. « Neque enim metuendum fuit, inquit, ne forte diutius hic vivendo in corpore animali, senectute gravaretur, et paulatim veterascendo perveniret ad mortem, » et cætera, quæ antecedenti capite descripsimus ; quibus ista subjungit : « Sicut enim hæc ipsa caro, quam nunc habemus, non ideo non est vulnerabilis, quia non est necesse, ut vulneretur; sic illa non ideo non fuit mortalis, quia non erat necesse ut moreretur. Talem puto habitudinem adhuc in corpore animali, atque mortali, etiam illis, qui sine morte hinc translati sunt, fuisse concessam. » Addit exemplum Henochi [3], et Eliæ, qui hactenus *senectute non marcuerunt ;* quanquam hoc interest, « quia isti fortasse nec his cibis egent, qui sui consumptione reficiunt. sed ex quo translati sunt, ita vivunt, ut similem habeant satietatem illis quadraginta diebus, quibus Elias ex calice aquæ [4], et ex collyride panis sine cibo vixit ; aut, si et his sustentaculis opus est, ita fortasse in Paradiso pascuntur, sicut Adam priusquam propter peccatum exinde exire meruisset. Habebat enim, quantum existimo, et de lignorum fructibus refectionem contra defectionem, et de ligno vitæ stabilitatem contra vetustatem. » Eleganter hoc Leonius Parisiensis Presbyter his versibus expressit libro primo *Historiarum veteris Testamenti.*

« Plasmato Deus ergo homini pietate paterna
Indulgens, cum perpetua florere juventa,
Mortalemque mori nunquam, nulloque beatum]
Vellet egere bono, nec quidquam ferre molesti] ;
Hac tam felici, stellis, cœloque propinqua
Sublatum ex humili sublimem sede locavit. »

XVI. Ergo senectutis, morborum, angorum, ac sollicitudinum, et animi, corporisque molestiarum expers omnium, tandiu in voluptuario illo loco vixisset, quoad ex eo translatus in cœlum, ad plenam, et perennem immortalitatem sine morte transisset.

« Nec prorsum obnoxia morbis
Corpora gestabant. Non hos cogebat ad esum
Pausæ ignara fames ; qui si mandata supremi
Servassent integra Dei, crudelia mortis
Imperia, et diros nescissent usque dolores. »

ait Marius Victor in libro primo.

Atque hoc profani quoque scriptores, et poetæ veteres odorati sunt. e quibus Hesiodus pulchre, et ad christiani dogmatis sensum, vitæ illius statum ita describit ; nisi quod in ætate illa aurea, quasi somno quodam suavissimo, sic morte ait extinctos.

Ὥστε θεοὶ δ' ἔζωον, ἀκηδέα θυμὸν ἔχοντες,
Νόσφιν ἄτερ τε πόνων, καὶ ὀϊζύος. οὐδέ τι δειλὸν
Γῆρας ἐπῆν. αἰεὶ δὲ πόδας, καὶ χεῖρας ὁμοῖοι
Τέρποντ' ἐν θαλίῃσι, κακῶν ἔκτοσθεν ἁπάντων.
Θνῆσκον δ' ὡς ὕπνῳ δεδαμένοι. ἐσθλὰ δὲ πάντα
Τοῖσιν ἔην. καρπὸν δ' ἔφερε ζείδωρος ἄρουρα
Αὐτομάτη πολλόν τε, καὶ ἄφθονον.

Ac deorum instar degebant securum animum [habentes [5],
Longe ab laboribus, et ærumna ; neque mo- [lesta
Senectus aderat, semper vero pedibus, mani- [busque similes

a Basil. *in Regulis fusius disp.* ad inter. .55 Ὥσπερ γὰρ εἰ ἦμεν ἐν τῷ παραδείσῳ τῆς τρυφῆς, οὐδὲν ἂν ἐπινοίας, καὶ μόχθου γεωργικοῦ ἐπιδεήθημεν· οὕτω καὶ εἰ ἐν ἀπαθείᾳ ἦμεν, κατὰ τὸ πρὸ τοῦ παραπτώματος ἐν δημιουργίᾳ χάρισμα, οὐδενὸς ἂν τῶν ἐξ ἰατρικῆς πρὸς παραμυθίαν χρῄζομεν (cor. ἐχρῄζομεν.) Optima correctio, manuscriptorum auctoritate suffulta. J. B. F.

1 Apud Glyc.— 2 August. libr. I *de Peccat. mer.* cap. III; Vide et libr. *de Bono cont.* cap. II.— 3 *Genes.* v,— 4 III *Reg.* XIX.— 5 Esiod. I Ἔργ.

Oblectabantur in conviviis, extra mala omnia,
Moriebantur autem, velut somno domiti; ac [bona omnia
Illis erant, et fructum ferebat fertilis tellus
Sponte sua multum, et copiosum.»

Postremo non est prætermittenda Bedæ sententia, qui in libro *Hexaemeri*, « Adami carnem existimat ante peccatum ita immortalem esse creatam, ut adminiculis adjuta temporalis alimoniæ, mortis expers, ac doloris exsisteret, donec corporalibus incrementis ad illam usque perductus ætatem, quæ conditori placeret; tum creata progenie multa hujusmodi, jam jubente ipso, sumeret etiam de ligno vitæ, ex quo perfecte jam immortalis effectus, sustentacula cibi corporalis ulterius nulla requireret. » Ergo semel tantum vitæ fructu vesciturum fuisse putat, ut deinceps cibo non egeret; quæ singularis est opinio.

CAPUT VIII.

Qua ratione propagatum genus esset humanum in statu innocentiæ. Nonnulli sine commistione sexus nascituros putarunt homines, ut Gregorius Nyssenus, Joannes Damascenus; quæ opinio rejicitur, quatenus libido abfuisset, quandiu in terra vixissent homines. De animantibus ad Adamum deductis, et impositione nominum. An et piscibus indiderit. De formatione mulieris ex Adami costa. Cur ita procreata, et quomodo suffecta alia costa. Hebræorum ridicula opinio de androgyno Adamo, nec non Eugubini. Cajetanus notatur.

I. Pertinet ad vitæ illius innocentis ac beatæ dignitatem indagandam scire, quemadmodum multiplicari genus hominum debuerit; atque utrum misto invicem utroque sexu propaganda fuerit Adami posteritas, an alia ratio quæpiam sit ignota nobis, ac soli conditori cognita. Ac, ne quis inquisitionem istam nimium aspernetur, et indignam opera nostra judicet; scire debet, magnos ac præclaros olim viros de ea re partim dubitasse, partim absque maris et feminæ consortio suffectum iri humanum genus existimasse.

Augustinus in libro *de Bono conjugali*, capite secundo, incertus est, quomodo « primorum hominum proles potuerit exsistere, cum esse concubitus nisi mortalium corporum non possit. Plures enim de hac re sententiæ, diversæque exstiterunt. » At Gregorius Nyssenus in libro *de Hominis opificio*, capite XVII et XXII, si non peccasset primus homo, nullum ait usum fore nuptiarum, et certa quadam, et ignota ratione propagatum iri hominum genus, qua Angelos etiam multiplicatos esse credidit, quem locum, cum de Angelis actum est[1], exscripsimus. Quod vero Deus et sexuum discrimen instituit, et prolis generandæ primis parentibus mandatum edidit, ideo fecisse scribit, quod illos peccaturos esse prævidit, et ab angelico vitæ statu ad bestiarum similitudinem prolapsuros.

Aliqui sine commixtione sexuum in statu innocentiæ nascituros homines putarunt.

II. Eadem est opinio Joannis Damasceni, feminam a Deo procreatam esse ex peccati præsensione. Itaque γέννησιν definit, ut sit « hominum a seipsis propagatio quædam, et successio, quæ ex condemnatione ad mortem propter transgressionem contigit[a]. » Sic Anastasius Sinaita in oratione *de Resurrectione* apud Michaelem Glycam, qui et ipse huic sententiæ subscribit; nec non Moses-Bar-Cepha[2], qui et Gregorium Nyssenum citat, et Jacobum de Botnam Syrum, ut arbitror, scriptorem Syrus ipse.

Generationem.

Verum aliter omnino sentiendum est cum Augustino ac plerisque aliis, quibus merito visum est non alio modo, quam usitata conjunctione sexuum, posteritatem Adami gignendam fuisse, etiamsi integritatem innocentiamque servasset. Sed æstu illo libidinis, qui rationem antevertit et sibi subjicit, nuptiarum opus cariturum, in quo originalem noxam Augustinus constituit, cujus reatus regeneratione tollatur. « Neque enim, etiamsi natura humana primorum hominum peccato vitiata non esset, ait Augustinus[3] possent filii nisi de corporum commistione generari. Sed ideo sub diaboli potestate sunt, qui de corporum commistione nascuntur, antequam per spiritum renascantur, quia per illam nascuntur concupiscentiam, qua caro concupiscit adversus spiritum, et adversum se cogit concupiscere spiritum. » Et plenius in capite XIV libri ejusdem quarti *contra Julianum;* ubi aut nullam futuram fuisse « concupiscentiam

Quæ opinio rejicitur.

Quatenus in generatione libido ab fuisset.

a Damasc. lib. II, cap. XXX. Ἡ ἐκ καταδίκης τοῦ θανάτου διὰ τὴν παράβασιν ἐξ ἀλλήλων διαδοχή. Vide et cap. ult. libri ejusd. in fine, et lib. IV, cap. XXV.

1 Lib. I, cap. VVI.— 2 Lib. *de Paradis.* part. I, cap. XXV.— 3 Lib. IV *cont. Jul.* cap. IV.

carnalem asserit, aut omnimodo rationali subditam voluntati, ut non alias adesset, nisi cum per illam vel saluti esset corpori, vel stirpis propagini consulendum; et tanta adesset, ut nulla ex parte mentem de supernarum cognitionum delectatione deponeret, nullus supervacuus, sive importunus motus esset ex illa, nihil, nisi quod prodesset fieret per illam, nihil omnino fieret propter illam. » Et alio in libro, « Essent autem procul dubio nuptiæ etiam non præcedente peccato[1]; quia neque ob aliam causam viro adjutorium non alius vir, sed femina facta est. Et illa Dei verba: *Crescite, et multiplicamini*, non est damnandorum prædictio peccatorum, sed fecundatarum benedictio nuptiarum, etc. Si autem peccato non fuisset dehonestata natura, absit, ut opinemur, tales futuras fuisse nuptias in Paradiso, ut in eis ad prolem seminandam non natura voluntatis, sicut pes ad ambulandum, manus ad operandum, lingua ad loquendum, sed æstu libidinis membra genitalia moverentur, nec, sicut nunc fit, virginitatis integritas ad concipiendos fœtus, vi turbidi vitiaretur ardoris, sed obsequeretur imperio tranquillissimæ charitatis. Et eo modo non esset dolor, et cruor virginis concumbentis, quomodo non esset etiam matris gemitus parientis. » Et passim alibi idem inculcat[2].

Cyrillus item Alexandrinus[3] libro tertio *contra Julianum*, negat aliam fore propagandæ sobolis rationem, quam conjunctis invicem sexibus. Quibus assentiuntur omnes de schola theologi magistrum secuti, præsertim gemina, suæ quodque familiæ, lumina sanct. Thomas[4], et Bonaventura[5]. Vide Augustinum libro *de Bono conjugali*, capite secundo; ubi varias de propagatione hominum opiniones recenset.

III. Igitur neque sine naturali corporum officio cursum suum humana propagatio tenuisset, neque sine sensu voluptatis. Nam, ut scribit sanct. Thomas[6], « fuisset tanto major delectatio sensibilis, quanto esset purior natura, et corpus magis sensibile. » Sed abesset *libido turbida*, ut eam vocat Augustinus[7] quæ tota in sese rapit animum, et absorbet; nec aliis rebus, maxime divinis et honestis, intentum esse sinit, ut propterea μικρὰν ἐπιληψίαν, id est *epilepsiam minorem*, eam, ut puto, nominarit Hippocrates. At illa tum innocentes homines ita pertentasset, ut a divinarum rerum tractatione, contemplationeque mentes eorum neutiquam avocasset, ut ex Augustino paulo ante memoravinus.

Qui quidem in nono libro *de Genesi ad litteram*, capite tertio, tum illa eadem prodidit, tum alia quædam eodem spectantia, quibus, quæ reliqua sunt hujus ipsius argumenti, continentur. Imprimis quod « adjutorium simile Adamo factum a Deo perhibetur[8], » « nihil aliud probabiliter occurrere ait, quam propter filios procreandos. » Mox: « Quanquam enim jam emissi de Paradiso, inquit, convenisse, et genuisse commemorentur; tamen non video, quid prohibere potuerit, ut essent eis etiam in Paradiso *honorabiles nuptiæ*[9], *et torus immaculatus*, hoc Deo præstante fideliter, justeque viventibus, eique obedienter sancteque servientibus, ut sine ullo inquieto ardore libidinis, sine ullo labore, ac dolore pariendi, fœtus ex eorum semine gignerentur, non ut morientibus parentibus filii succederent, sed ut illis, qui genuissent, in aliquo formæ statu manentibus, et ex ligno vitæ, quod ibi plantatum est, corporalem vigorem sumentibus, et illi, qui gignerentur, ad eumdem perducerentur statum; donec, certo numero impleto, si juste omnes, obedienterque viverent, tunc fieret illa commutatio, ut sine ulla morte animalia corpora conversa in aliam qualitatem, eo quod ad omnem nutum regenti spiritui deservirent, et solo spiritu vivificante sine ullis alimentorum corporalibus sustentaculis viverent, spiritalia vocarentur. » Vide et caput x.

IV. Exinde quærit id[10], cujus gratia eo sunt adducti quidam, ut in statu illo non putarent nuptiis operam daturos fuisse, « cur ergo non coierunt, nisi cum exiissent de Paradiso? » Et respondet: « Quia, mox creata muliere, priusquam coirent, facta est illa transgressio, cujus merito in mortem destinati, etiam de loco illius felicitatis exierunt. Potest etiam dici, quia nondum Deus jusserat, ut coirent. Cur enim non ad hanc rem divina expectaretur auctoritas, ubi nulla concupiscentia, tanquam stimulus inobedientis carnis urgebat? Ideo autem hoc non jusserat Deus, quia secundum suam præscientiam disponebat omnia; in qua et eorum casum procul dubio

1 Lib. II *cont. Pel. et Cælest. de Pecc. orig.* cap. xxxv et xxvi. — 2 Ut in IX *de Gen. ad lit.* cap. III et x et lib. II *cont. Julian. oper. Imperf.* cap. xliii; lib. XIV *de Civit. Dei*, cap. xxiii et xxvi et lib. *de Bono cont.* cap. II; tom. VI et I *cont. ep. Pel.* cap. v. — 3 Cyril. III *contra Julian.* — 4 In I par. q. xcviii, art. 2. — 5 In II, dist. xx, qu. I. — 6 Qu. xcviii, a. 2, ad III. — 7 Lib. XIV *de Civ.* c. xxvi. — 8 *Gen.* II, 18. — 9 *Heb.* xiii, 4. — 10 Id. c. iv.

præsciebat, unde jam mortale genus propagandum esset humanum. »

Quamdiu in terris vixissent homines

Cæterum in loco illo quem de tertio capite proxime ante descripsi, videtur Augustinus putasse homines in terris simul omnes, genitores videlicet cum genitis, tamdiu victuros esse dum numerus a Deo præstitutus hominum expleretur, ut universi eodem tempore ad æternum ac spirituale vitæ genus transferrentur in cœlum. At in capite sexto, diversam ab illa sententiam explicat; « ut ita omne humanum genus per decessiones, et successiones certa numerositate impleretur, etc. Cur ergo et Adam, et Eva, si juste viventes caste filios procreassent, non eis possent translatione, non morte succedentibus cedere? » Quæ posterior opinio probabilior, ut est revera, ita visa est theologis recentioribus, ut inter alios Bonaventuræ[1] ac Scoto[2]. Nam Magister Sententiarum rem in dubio reliquit; quemadmodum alia nonnulla, quæ ad ortum, et conditionem nascentium parvulorum attinent; qua statura corporis, membrorumque qualitate in lucem exituri fuerint; et utrum rationis essent, ac judicii compotes; de quibus anceps fuit Augustini sententia. Nec multum interest ea scire, vel ignorare, ut et alia quædam istiusmodi, quorum nullum in Scriptura vestigium apparet, sed sola de iis conjectura suppetit, cui non omnia permittenda sunt, ne in infinitum exeat, et in rerum inutilium ac supervacanearum tractatione mentem nostram, operamque detineat.

Adam animantibus nomina imponit.

V. Cum igitur Adamo Deus ad gignendam sobolem[3], consortem, et adjutricem destinaret feminam, ut hujus *adjutorii* necessitatem intelligeret, recenseri ab illo voluit animantium genera cuncta, et propria singulis imponi vocabula. Hanc enim fuisse causam indicat Scriptura, cur ad primum hominem terrenas omnes animantes, et volucres Deus adduxerit, cum ita subjicit: *Adæ vero non inveniebatur adjutor similis sibi;* tanquam diceret, cum suum cuique animantium comparem, et congenerem, solo sexu discrepantem esse datum videret, nullum in illo numero sibi congruentem animadvertit; quod et Ambrosius in libro *de Paradiso*, capite XI notavit. Sed aliis de causis id præterea factum est. Philo Judæus in libro *de mundi opificio*, « Optime, inquit, et impositionem nominum primo homini tribuit. Id enim opus est sapientiæ, ac regiæ dignitatis, Porro ille sapiens erat, qui a seipso didicerat, nec ab alio perdoctus fuerat, divina quadam id gratia consecutus; sed etiam præterea rex erat. Est autem duci, ac principi consentaneum, unicuique subjectorum sibi proprium nomen assignare [a]. » Paulo post item, « Periclitabatur, inquit, ipsum, ut solet discipulum magister [b]. » (nam γνώριμος inter alia μαθητὴν, id est *discipulum* significat, ut est in Cyrilli, et Hesychii dictionariis). Tantam enim in Adamo fuisse vim ait sapientiæ, ut rerum omnium naturas, et proprietates perfecte comprehenderet, ideoque congruentes maxime omnibus appellationes tribueret; quod unius esse sapientis jure perhibent sapientes[4]. *Notus.*

VI. Hoc ipsum admirabilis cujusdam in Adamo sapientiæ specimen prædicat Joannes Chrysostomus; sed et alteram causam adjicit, dominatus in animantia cætera, « cujus argumentum in illa nominum impositione præbuit. Nam et hominibus usitatum illud est, hoc uti signo dominationis, ut cum servos emerint, eorum nomina commutent [c]. » Severianus Gabalitanus aliam similitudinem adhibet a militia petitam; in qua tirones adscripti in numeros nota regia compungi, inurique solebant, ut Vegetius, aliique prodiderunt. « Ut si qui in militiam conscribantur, ait, regio sigillo notantur. Ita, cum illi dominatum vellet tradere, fecit ut ipse nomina tanquam herus imponeret [d]. » Sic Moses Bar-Cepha[5] in libro *de Paradiso* idem de servis exemplum attulit.

An et piscibus dubium.

Credidit Joannes Chrysostomus, non ter-

a Philo lib. *de Mundi opif.* Παγκάλως δὲ καὶ τὴν θέσιν τῶν ὀνομάτων ἀνῆψε τῷ πρώτῳ. σοφίας γὰρ καὶ βασιλείας ἔργον. σοφὸς δ' ἐκεῖνος αὐτομαθὴς, αὐτοδίδακτος χάριτι θείᾳ γενόμενος, καὶ προσέτι βασιλεύς· ἐμπρεπές δ' ἡγεμόνι προσαγορεύειν ἕκαστον τῶν ὑπηκόων.

b Ibid. Ἀπεπειρᾶτο δ' ὡς ὑφηγητὴς γνωρίμου.

c Chrys. hom. XIV *in Gen.* Οὐχ ἵνα δὲ τὴν σοφίαν αὐτοῦ μόνον καταμάθωμεν, τοῦτο γίνεται· ἀλλ' ἵνα καὶ τὸ σύμβολον τῆς δεσποτείας διὰ τῆς τῶν ὀνομάτων θέσεως ἐπιδείξηται. καὶ γὰρ καὶ τοῖς ἀνθρώποις ἔθος τοῦτο ποιεῖσθαι σύμβολον δεσποτείας, ἐπειδὰν οἰκέτας ὠνήσωνται, μετατιθέναι αὐτῶν τὰς προσηγορίας. Vide et hom. VI.

d Sever. orat. V *de Mundi opif.* Ὥσπερ ἐὰν στρατευθῶσι, σφραγῖδι βασιλικῇ σημειοῦνται. οὕτως ἐπειδὴ ἤμελλεν αὐτῷ τὴν δεσποτείαν παραδιδόναι, ποιεῖ ὀνόματα θεῖναι ὡς δεσπότην.

1 In II, dis. XX, dub. IV. — 2 In II, dist. XIX, qu. I. — 3 *Gen.* II, 19. — 4 Vide Plat. in *Crat.* — 5 Lib. *de Paradis.* par. I cap. XXVIII.

restria solem animantia, sed etiam in aquis degentia, ad Adamum perducta propriis appellata esse nominibus. Verum pisces excipit Augustinus [1], quibus paulatim indita fuisse putat nomina, quacumque tandem lingua, quæ per id tempus unica fuit. Non enim Hebræam hanc fuisse, pro certo habet Augustinus, et dubitat, « an adhuc usque permaneret. »

Tostatus probabilem affert rationem [2], cur solis in terra viventibus, non autem piscibus vocabula dederit; nimirum quod terrestria in conspectu semper esset habiturus, non illa quæ sub aquis assidue latent, quibus prima ante diluvium ætas usa non est. Itaque, postquam pisces ad cibum adhibere cœperunt, tum demum nominibus suis appellatos fuisse.

Ex Adami costa dormientis prima mulier formata.

VII. Cum igitur, omnibus inspectis, cognitisque singillatim animantibus, nullum sui simile, sibique congruens Adamus animadvertisset, et optare, quod deerat, a solo Deo, ac sperare cogeretur, *Immisit Dominus Deus soporem in Adam*[3], ait Moses, Hebraice תרדמה, Symmachus κάρον, Aquila vero καταφορὰν, hoc est *profundum quemdam soporem*, sed interpretes septuaginta ἔκστασιν, quæ vox etiam ὕπνον, id est *somnum* significat Hesychio. Complures antiquorum, non quemlibet somnum, etiam non vulgarem interpretantur, (quæ esse videtur notio vocis Hebrææ, ut adnotavit Aben Hezra). Et David Kimhius exposuit השנה החזקה, *validum ac vehementem somnum*. Verum sacrum quemdam excessum animi designari putant. Ita Augustinus, « Ut ejus mens, inquit, particeps fieret tanquam Angelicæ curiæ, et intrans in sanctuarium Dei intelligeret novissima. » Sic etiam Procopius, et Rupertus, ac Bernardus : « Mihi quidem, ait hic, nonnisi incommutabilis veritatis intuitu [4], et abysso divinæ sapientiæ corporeis excedens sensibus, obdormisse videtur. » Quod eo argumento persuadet, quoniam per somnum illum, quæ fiebant a Deo, vel vidit, vel divinitus patefacta didicit, et statim atque est expergefactus, exposuit. Idem et Moses Bar-Cepha latius edisserit [5], qui divinam revelationem hic agnoscit.

Theodorus Heracleotes in Græca Catena manuscripta, necnon Procopius [a], idcirco de dormientis latere fabricatam esse feminam asserit, ne, si vigilanti costa detraheretur, sive id absque dolore fieret, falsa sibi specie illusum crederet : sive cum dolore, alieno ab illa esset animo, ait Theodorus. Procopius simplicius, ne vim illius ferre non posset; etsi Chrysostomus etiam illud adjicit, ne exosam deinceps haberet. Sane ex eo, quod altus quidam sopor immissus a Deo dicitur Adamo, significari videtur, idcirco id esse factum, quod, si usitato ac mediocri sommo teneretur, evigilaret, et dolorem aliquem sentiret; quod ab *felici* illo, quo tum fruebatur, vitæ statu erat alienum.

Hunc soporem eleganter Alcimus Avitus his versibus descripsit in primo libro *De initio mundi*.

« Cui pater omnipotens pressum per corda [soporem
Misit, et immenso tardavit pondere sensus,
Vis ut nulla queat sopitas solvere mentes :
Non si forte fragor securas verberet aures,
Nec si commoto cœlum tunc intonet axe.
Quin nec pressa suam rupissent membra [quietem. »

VIII. Ergo dormienti viro costam Deus extraxit, ex eaque formavit mulierem, sive, ut Scriptura loquitur, *ædificavit*. Cujus verbi rationem recte Procopius reddidit hanc : « quoniam ædificationis instar Deus istud egit. Nam illius ea lex est, ut ab exiguo cœpta, paulatim incrementum capiat, et ad perfectum deducatur. Ita Deus modicæ parti corporis detractæ quod deerat adjungit [b]. »

Sed cur non ab humo similiter ac virum, feminam finxit? Causam hanc Procopius commemorat sane futilem, et subabsurdam. Forte, inquit, quod non decebat divinas manus elaborare aliquid secundarium, et deterius, quam erat vir. Etenim summe perfecta

Cur mulier non de humo effecta.

a Procop. Εἴ τε γὰρ νήφοντος ἀνεπαισθήτως παρείλετο τὴν πλευρὰν, τὸ πρᾶγμα φαντασίαν ἐνόμιζεν, εἴ τε γέγονεν ἄσθησις, τὴν ὀδύνην οὐκ ἔφερεν.

b Procop. Ὠκοδόμησε δὲ, φησὶν, ἐπεὶ καὶ τῆς οἰκοδομίας ὁ νόμος, ἀπὸ σμικροῦ τινος ἀρχομένης, πρὸς τέλειον πέρας ἐμφέρεσθαι ταῖς κατὰ μέρος προσθήκαις. βραχεῖ γὰρ ὁ θεὸς τῷ ληφθέντι τὸ λεῖπον αὐτίκα προσέθηκεν.

1 Lib. IX *de Genes. ad lit.* cap. XXII.— 2 Qu. XXII, in II *Gen.* — 3 *Gen.* II.— 4 Bern. serm. II in *Septuag.* — 5 Lib. *de Parad.* par. I, cap. XXVIII.

Dei manus opera moliuntur, cujusmodi Adamum fecerunt [a]. » Quæ ratio Platonis commentum redolet, asseverantis in *Timæo*, nihil nisi sempiternum, et immortale, fecisse per se Deum; quæ autem caduca sunt et interitus capacia, eorum procreationem Diis mandasse minoribus. Sed hanc fabulam Christiana damnat fides, et eumdem docet, « qui fecit in cælo Angelum, fecisse in terra vermiculum [1], » ut ait Augustinus. Deinde nonne divinæ perinde manus mulierem e costa formarunt, ac viri ex humo corpus? aut quid amplius e terra procreata femina consequeretur, quam habuit e viri latere facta?

Verior est illa ratio, quam statim affert, communis, et a plerisque tradita : « Ut affectum in illam ingeneraret viro, exiguam ab eo partem capiens, et quod deerat pertexens, eam ad perfectum elaboratam deduxit [2], paranymphi partes pro sua humanitate suscipiens [b]. »

IX. Sic Basalius Seleuciensis oratione prima *de Adamo*, « Non ex terra, inquit, sed ex latere membrum mutuatur. Corpus partitur, ut animum jungat. Et una natura Opificis arte dividitur, ut unus animus efficiatur, imiteturque naturam [c]. »

« Ex homine effecta est mulier, cognatio quædam
Mutuum, et alternum inter se ut misceret amorem,
Semet in alternis cogens agnoscere membris. »

ait Marius Victor libro primo *in Genesim*.

Ambrosius libro *de Paradiso*, capite X ideo esse factum asserit, « ut sciremus, unam in viro, et muliere corporis esse naturam, unum fontem generis humani. Ideo non duo a principio facti vir, et mulier, neque duo viri, neque duæ mulieres, sed primum vir, deinde ex eo mulier. »

Moses Bar-Cepha causas itidem varias recenset [2]. « Prima, ut una, eademque radix, et nascendi principium esset omnibus hominibus ipse Adam. Altera, ne dicerent contentiosi homines, alium fuisse Adami, alium Evæ conditorem; sed fateri cogerentur, ab uno eodemque Deo ambos esse formatos. Tertia, ut arctiore constringeret amore virum et feminam, eo quod hæc ex illo esset orta. Quarta, ut effectum redderetur, quod Moses de Adamo dicit : masculum, et feminam creavit ipsos. Quinta denique, ne femina principatum affectaret, qui viri est. » Ideo quoque ex latere viri sumptam esse dicit, non ex anteriori parte, ne viro potior haberi vellet; non ex posteriori, ne contempta nimium esset, atque ut viro suppar mediocri in dignatione apud ipsum foret. Quam etiam costam sinistram fuisse dicit, deque eo fuse disputat, cujus rei nulla in Scriptura significatio est.

Androgynum. Hebræorum fabula de primo homine androgyno.

X. Ridicula est Hebræorum fabula, primum hominem ἀνδρόγυνον esse factum, sexuque duplici constantem ita, ut femina ad maris latus adhæresceret. Itaque צלעות *latera* interpretantur פרצופים, id est πρόσωπα, *personas*. Sic Midrasch Agada apud R. Selomoh. Hoc modo non ex costa de Adami latere subducta creata erit femina, sed tota ipsa ab illo separata : cui sententiæ Georgius Venetus accedit et Eugubinus [3]. Movit illos, ut hoc opinarentur, quod a Mose scriptum est de hominis creatione, *Ad imaginem Dei creavit illum, masculum et fœminam creavit eos* [4]. Sed huic jampridem occurrit Augustinus, qui utrumque numerum, *illum*, et *eos*, usurpatum esse docuit, ut singularis conjunctionis unitatem exprimeret, pluralis duos esse monstraret. « Ne quisqam arbitraretur, inquit [5], ita factum ut in homine singulari uterque sexus exprimeretur, sicut interdum nascuntur, quos androgynos vocant, ostendit, se singularem numerum propter conjunctionis unitatem posuisse. Et quod de viro mulier facta est, sicut postea manifestabitur, cum id, quod hic breviter dictum est, diligentius cœperit explicari, et ideo pluralem numerum continuo subjecit dicens : *Fecit eos, et benedixit eos.* »

a Procop. Ἴσως μὲν καὶ ὅτι οὐκ ἦν θεοῦ χειρῶν δευτερεῖον τι ποιεῖν, καὶ τοῦ ἀνδρὸς καταδεέστερον. ἀκρότατα γὰρ αἱ θεοῦ χεῖρες ἐργάζονται, οἷον ἐποίησαν τὸν Ἀδάμ.

b Procop. ibid. Καὶ ἅμα τῷ ἀνδρὶ τὴν ἐπ' αὐτῇ διάθεσιν ἐμφυτεῦσαι βουλόμενος, βραχύ τι παρὰ τούτου λαβὼν, καὶ προσυφήνας τὸ λεῖπον, εὖ μάλα διηρτισμένην προσήγαγε, νυμφαγωγοῦ τινος τρόπον ἐκ φιλανθρωπίας ἀναλαβών.

c Basil. Seleuc. Καὶ οὐδ' ἐκ τῆς γῆς, ἀλλ' ἐκ τῆς πλευρᾶς τὸ μέλος δανείζεται, μερίζει τὸ σῶμα, ἵνα συνάψῃ τὸ φρόνημα· καὶ μία φύσις διαιρεῖται τῇ τέχνῃ τοῦ πλάττοντος, ἵνα μία γνώμη τεχνισθῇ μιμουμένη τὴν φύσιν.

1 Aug. in *Psal.* CXLIX. — 2 Part. I. lib. *de Parad.* c. XVIII. — 3 Tom. I, prob. XVIX. — 4 *Gen.* I, 27. — 5 Aug. l. *de Gen. ad lit.* c. XXII.

An illa costa redundans, vel una e necessariis

XI. Solet anxie quæri, an Adami costa illa redundans et superflua fuerit; an una de naturalibus ac necessariis. Utrum responderis, non multum interest; est tamen propius vero non superfluam fuisse. Atenim mancus in omni vita deinceps Adamus esset. Potest concedi, ut ita miraculi tanti perpetuo meminisset, ac tenerius comparem suam diligeret; neque tamen mutilum fuisse, quod pro illa Deus carnem suppleverit. Alii et carnem cum costa de Adami latere detractam volunt, et vicissim alteram costam cum carne suffectam, ut merito dixerit Adamus : *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea*[1]. Mihi et illud veniebat in mentem, Deum videri ex carnis illius parte, quam in exemptæ costæ locum substituit, costam alteram fecisse. Utcumque vero dicimus, non est adeo perplexa quæstio, ut vadimonium propterea deseratur; neque causæ satis Cajetano fuit, ut illius difficultate fractus, totam hanc formatæ mulieris historiam negaret simpliciter, ac tanquam gestæ rei narrationem accipi debere, sed allegorice interpretandam putaret; quod non est necesse. Cajetanum vero Catharinus acriter redarguit, nec sine causa; sed multa scimus Cajetanum nimis audacter, neque caute satis ad scripturam sacram adnotasse.

Cajetanus notatur.

Ad extremum, quod ad hanc mulieris e costa viri procreationem attinet, vide acutum cujusdam mulieris responsum ad Ephræmi sciscitationem apud Gregorium Nyssenum in oratione *De hujus vita* *.

* Nequit humana sibi derelicta scientia, veram demonstrare rationem primi hominis primæque mulieris efformandorum quam tradit Moyses; sed non spernendis affirmare potest argumentis unam esse hominum speciem ab uno pare initio procreatorum, solidumque humanæ fraternitati, usque adeo hodiedum commendatæ præbere fundamentum. Porro unitas humanæ speciei evidenter e narratione Mosaica deducitur.

Ubique terrarum præsertimque inter populos in noctis umbra sedentes, servitus, quæ haberi potest tanquam negatio practica unitatis speciei humanæ, vigebat quin ei contradiceretur. In medio gentium quæ ultimam servitutis metam attigerant degebat Moyses; hanc typorum varietatem, e qua nonnulli auctorem sacrum erroris insimulare non verentur, præ oculis habebat. Inventæ sunt enim sculpturæ Moyse vetustiores in quibus *stirps nigra*, cum suis propriis notis, eædem quæ nunc apparent, repræsentatur. Præpotens ergo fuit Moysis inspiratio ut contra iret, certissimæque ipsi affuerunt traditiones ut unitatem humanæ speciei audenter affirmaret suis æque ac nostris temporibus intellectu difficillimam.

Unitatem humanæ speciei negarunt nonnulli hodierni rationalistæ inter quos Flourens, Berard, Agassiz. Octo hominum genera distincta diversæque ab initio originis nihil cunctati affirmant; octoque regna zoologica certis limitibus a se invicem divisa Arcticum videlicet, Mongolicum, Europæum, Americanum, Nigrum, Hottentot, Malaicum et Australicum. Sed his omnibus Polygenistis occurrit non contemnendus adversarius, B. de Quatrefages ex instituto Gallico. Quæ in utramque partem agitata sunt in compendium redigere nobis est animus, utque clarior res evadat, in vestissimos physiologiæ anatomiæque inter se collatarum campos oculos injiciamus.

Sedulo distinguendum est genus (race) a specie (espèce.) Genus est collectio individuorum ejusdem speciei, via generationis ad varietatem primitivam (variété primitive) ascendentium. Species vero est collectio omnium individuorum etiam diversi generis ab uno pare unico primitivo descendentium per non interruptam seriem familiarum. Latius ergo patet species quam genus. Verum est nonnullarum inter se specierum non semel fieri commixtionem, sed qui inde oriuntur fetus infecundi manent, vel si perseveret fecunditas, post paucas generationes, una ex commixtis speciebus sola reproducta exurgit, altera penitus oblitterata et extincta.

Unde satis est ad evertendum Polygenistarum systema hanc illis opponere præscriptionem : Vita potestne perpetuo transfundi inter humanæ speciei individua quæ maxime inter se distant. Inter Europæos v. g. et Bohismanos. Indubitatæ fidei facta ita rem se habere demonstrant. Videsis in eruditissimo opere supradicti de Quatrefages, hujus assertionis multiplicia et inconcussa fundamenta. Unde audenter Polygenistis dicere possumus : Nescitis et erratis : constans universalisque fecunditas diversorum generum seu stirpium humanæ speciei inter se commixtorum, falsas futilesque arguit vestras theorias, potentioreque quam vestræ cavillationes voce proclamat, vitam sanguinemque in nostris manantia venis, sanguinem vitamque esse ipsius Adami.

Adde unitatem speciei humanæ ex his quæ adversus eum præscribuntur, confirmatum iri, sicut in aliis quæstionibus advenit ad revelationem pertinentibus. Aiunt enim Polygenistæ conformatio cerebri formaque cranii majorem arguunt differentiam hominis ad hominem, quam hominis ad nonnullas animalium species. Hinc forma cerebri et cranii minus differt *Niger* a simio, quam ab Europæo. Sed hoc inanis et vanæ scientiæ effatum vera destruitur scientia.

Initio angulum facialem mensus erat Camper duabus ductis lineis, quarum una per eminentiorem frontis partem et oram superiorum dentium transibat, altera per eamdem oram aperturamque auditoriam deducebatur. Angulus facialis ita determinatus inter Nigrum et Europæum 65 ad 90 gradibus variabat; ex adverso angulus facialis simii 50 tantum gradibus differre a *Nigri* angulo faciali inveniebatur. Unde colligebat minorem esse differentiam simium inter et *Nigrum*, quam inter eumdem *Nigrum* et Europæum.

Sed paulo post luce meridiana clarius evasit mensurata Camper nihil admodum probare. Si quid enim probarent necesse esset angulum facialem, qualem Camper excogitaverat, necessariam habere relationem cum massa cerebrali,

1 *Gen.* II, 23.

CAPUT IX.

De mandato divinitus homini primo edito. An soli, et quando datum. Quæ causæ præcepti illius fuerint. Quorumdam veterum opinio, primos parentes parvulorum instar simplices fuisse. Primaria causa fuit ut virtutum exercendarum materia suppeteret: præsertim obedientiæ. In illo præcepto mandata omnia contineri, nonnulli dixerunt. Altera causa, ut se alteri subjectum agnosceret. Cur Deus homini legem ediderit, quam minime servaturum esse sciret. Quæ sit mandati sententia. An Deus non modo comedere vetuerit, sed etiam tangere.

primo dato et soli ini datum.

I. Homini primo, statim atque translatus est in Paradisum, præceptum Dominus dedit, quo usu certæ arboris interdixit. Hoc mandatum, quam *legem primordialem* vocat Tertullianus [1], soli Adamo editum fuisse, antequam formata sit mulier, Scriptura demonstare videtur. Nam et *præcepit ei*, dicit; et *ex omni ligno Paradisi comede* [2], etc. quæ singulari numero dicuntur, idque ante narrationem ortus Evæ. Utrumque probabile est, et ab Augustino [3] positum, primum ambobus edixisse Dominum, et jam factam fuisse feminam, cum legem præscripsit: « Sed nondum narratum esse, quemadmodum facta sit; idque postea recapitulando narratum esse. » Argumentatur autem Augustinus ex Mosis verbis, ubi primum ita præscribitur: « *Ab omni ligno, quod est in Paradiso, escam edes*, non dixit, *edetis*. Deinde adjungit: *De ligno autem cognoscendi bonum, et malum, non manducabitis de illo*. Jam hic tanquam ad ambos pluraliter loquitur, et pluraliter præceptum terminat, dicens: *Qua die autem ederitis ab eo, morte moriemini*. » Quæ numeri varietas in Græcis codicibus occurrit, cum Hebraice, et ab Symmacho utrobique sit singularis. Tum vero uni Adamo « præcepisse ordinatissime potuit Deus,

cujus asserti falsitas mox apparuit, dum eumdem angulum facialem cerebris volumine admodum diversis correspondere deprehensum est.

Notionem igitur anguli facialis immutare Polygenistæ coacti sunt. Nunc vero ut veram dimensionis cranii mensuram admittunt definitionem a Berardo propositam. Apicem anguli facialis deducunt non ab extremitate incisivarum maxillæ superioris, ut Camper, sed a puncto ubi nasi basis concurrit cum maxilla superiore. Angulo faciali ita definito, evidens apparuit multos nigros eumdem habere angulum facialem ac Europæos, id est cerebrum eodem modo situm et explicatum. Plures aliæ elucubrationes de capacitate cranii adprobarunt massam cerebralem inter Nigrum et Europæum non eam habere differentiam quam ipsi Polygenistæ affinxerant.

Doctissimus Owen physiologistis considerandam commendavit cavernulam occipitalem, et quidem merito. Si enim homo nihil aliud est quam simius transformatus, necesse est stirpes humanas huic puncto proximiores, unde cæteræ longius recesserunt, hanc habere cavernulam ita dispositam ut eis liceat, quadrumanorum more, quatuor pedibus ambulare. Porro contrarium ubique et semper evenit; nusquam et nunquam *Niger* situ horizontali ambulare potuit, et Hottentotas verbi gratia, capitis articulationes cum collo proximiores reddunt equilibrio situs verticalis, quam ipsæ stirpes Caucasiæ esse possunt.

Non inficias ibo nullam existere iuter varias hominum stirpes differentiam cerebri, sed ejusdem generis sunt eæ differentiæ ac eæ qui inter varia canum genera existunt, quibus non obstantibus, ejusdem ac unius esse speciei canes in confesso est apud omnes eruditos. Experientia constat alimentis vivendique ratione altas massæ cerebrali afferri modificationes craniique variari conformationem. Notum est porcos equosque agrestes, postea cicures factos modificationem subire quæ notabiliter capitis formam immutat.

Polygenistæ quibus non feliciter successit craniorum cerebrorumque differentia, alio conversi sunt, novamque prætendunt exceptionem. Asserunt enim cum D. Flourens colorem nigrum non esse accidens e causis exterioribus promanans, sel e speciali membrana oriri, quæ in Caucasiana stirpe non apparet. Sed inanis et ludicra cavillatio. Unde enim certum habent, quod instar axiomatis in deperditæ causæ fulcimentum assumunt, videlicet hanc membranam non posse causis accidentalibus produci, semelque productam, generatione transfundi. Contrarium sane quam plurimis factis et experementis constat, quibus hoc ultimum Polygenistarum fundamentum valide conquassatum penitus evertitur.

Unde concludere licet Polygenistarum systema nullis rationum solidarum fulciri momentis, inconcusamque manere, e regione scientiæ, Mosaicam collectionem de unitate speciei humanæ.

Alii unius speciei humanæ dogma convellere conati sunt, e diversitate linguarum argumenta eruentes. Sed hic etiam, quo altius progressa est scientia, eo solidius narrationi Mosaicæ fulcimentum exhibuit. Ut eorum difficultatibus exceptionibusque fiat satis necesse habemus quædam singillatim proponere, incursionemque haud parum utilem in philologiæ et psychologiæ campos aggredi.

Hominem nihil de se attulisse in efformanda locutione nonnulli opinati sunt metaphysici, inter quos de Bonald, idque eximio sane scopo, ut narrationem Geneseos in tuto collocarent. Alii e contra, Condillac videlicet, totaque ejus schola, in *sensatione* cogitationis essentiam reponentes, hominem absque alius cujuslibet adjutorio, suam sibi efformasse linguam asseruere.

Humanæ mentis facultatum gravior indagatio ultra veros progredi limites ostendit ambas hasce formulas, unam Rousseau: *Necessaria locutio ad inveniendam locutionem*. Alteram de Bonald: *Homo cogitat suam locutionem, ante-*

1 Lib. *cont. Judæ* cap II.— 2 *Gen.* II, 16.— 3 Aug. lib. VIII *de Gen. ad lit.* cap. XVII.

ut per virum præceptum Domini ad feminam perveniret. » Quod posterius amplectitur Chrysostomus [1], et Ambrosius. « Neque enim habes, inquit [2], quia mulieri dixit Deus : sed quia Adæ dixit, et ideo per Adam cognovisse mulier æstimanda est. » Ergo ambo ista verisimilia sunt ut utrum asseras, nihil admodum intersit.

Causæ divini hujus mandati.

II. De hac lege haud pauca quæruntur, et ab *Geneseos* enarratoribus explicari solent, e quibus attingam ista carptim. Primum quas illius ferendæ causas habuerit Deus. Theophilus Antiochenus in secundo *ad Autolycum*, unam adfert prorsus mirabilem, et inopinatam. « Nihil enim in vetito illo fructu fuisse aliud refert, præter cognitionem. Esse vero cognitionem bonam, cum ea, uti par est, utitur aliquis. Porro per id tempus Adamum adhuc infantem fuisse, et idcirco ad illam cognitionem capiendam minus idoneum. Nam, et parvulus, cum primum natus est, nondum pane vesci potest ; sed prius lacte

quam loquatur suam cogitationem. Etenim animadversum est hominem cum omnibus suis facultatibus in efformanda locutione intervenire, dum puer, nonnisi incurrentibus sensibus cum libera rationis actione et efficientia loqui discit, ita ut instinctu suo, quasi vi ineluctabili, ad effutiendos sonos inarticulatos adducatur quibus necessitates suas passionesque aliis indicet, paulatimque ad articulatos perveniat sonos, quibus auxiliantibus, suas aliis dum ideas communicat, in iisdem similes excitat.

Ex alia parte nonnulli metaphysici, inter quos Maine de Biran, locutionem pro adinventione mere humana habuere. Quod in hac nimium est opinione ipsa redarguit scientia dum demonstravit utilissimam quidem esse ad exprimendas ideas sensiles et individuas locutionem, ad percipiendas vero spiritales et intellectuales fere necesseriam, prorsusque, nonnisi ejus præeunte auxilio efformari posse ideas abstractas generales. Hæ assertiones velut constantes adeo sunt habendæ ut Julius Sirmon et Emilius Saisset, ejusdem ac Maine de Biran scholæ, fateantur. « Se non audere affirmare locutionem ab homine potuisse inveniri. »

Moyses paucis sed eximiis verbis veram locutionis humanæ originem nos edocet, mediusque incedit inter errores oppositos, quos vera repudiavit scientia. Locutionem enim Dei simul et hominis opus esse indicat dum sic habet : *formatis igitur Dominus Deus, de humo cunctis animantibus terræ, et universis volatilibus cœli, adducit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea, omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus. Genesis* II. 19. Nec melius exprimi poterat in efformanda locutione partem esse Dei simulque partem esse hominis. Deus scilicet intervenit tanquam actione creatrice continuata, sed locutio nequaquam in homine exprimitur actione exteriori, homo ipse entia sensibilia vocat, nomineque proprio singula notat et distinguit. Locutio opus est facultatum Adami naturalium quas Deus in operando dirigit ac sustentat. Sic efformatur locutio, ut ad suam perfectionem perveniant hominis facultates pernecessaria.

Homo igitur suas in efformanda locutione partes implevit : mirum igitur videri non debet eum variis de causis eam quadamtenus immutasse, unde linguarum varietas ortum habuit.

Quodque admirationem commovere par est, philologia narrationem Mosaicam mirum in modum confirmat. Unam ab initio fuisse linguam Genesis refert, Deum postea refert, humanæ superbiæ comprimendæ causa, diversitatem confusionemque linguarum invexisse. Unde colligitur, etiamsi possit homo linguam quadamtenus immutare suam et corrigere, necessario inesse in unaquaque lingua quid fixum et immutabile, quod sit extra hominis dominium positum, ita ut nova nequeat lingua formari vetusque penitus aboleri nisi a causa exteriori, quæ suprema sit oportet, nec alia quam Deus.

Hæc confirmat auctor hodiernus qui tristem sibi paravit famam, cujusque testimonium suspicioni obnoxium videri nequit. « Linguarum historia nullum exhibet exemplum, ait Renan, nationis quæ sibi novum creaverit idioma, aut veteri novos inusserit modos libere determinatos. Si linguæ correctioni subjacent, cur Chinensis flexionibus categoriisque penitus destituta grammatacalibus, nunquam ad id est deducta ut ea sibi daret quæ nos ad concipiendos exprimendosque mentis nostræ cogitatus perutilia necessariaque habemus ? Cur temporum modorumque systema conveniens semiticæ nunquam potuerunt invenire linguæ, unde tanta hisce linguis obscuritas inest ? Quomodo tot abhinc annis in notitiam alphabetorum perfectiorum devenerunt quin vocales regulariter scriptas sibi asciscere potuerint, frustra reclamantibus innumeris difficultatibus quæ ex earum absentia oriuntur ? Illud unum in causa est quod unaquæque lingua grammatica sua velut carcere includiiur, diversarum potest influxu causarum modum vultumque, ut ita dicam, immutare suum, verborum copia suum augere vocabularium, idque ex toto novum efficere ; grammatica vero est individua et characteristica, nec potest corrumpi quin nomen novum accipiat, quodque fuit esse desinat. » Renan de *Origine linguarum*.

« Ad hoc maximi momenti recentior devenit *Linguistica*. pergit idem auctor, ut linguas in classes distribuerit familiasque quæ invicem irreductibiles videntur, sed quorum membra strictissima propinquitate junguntur. Si ex una parte strictissimam inter ejusdem familiæ membra communitatem *linguistæ* admittunt, ex alia parte non possunt quin admittant abyssum inter familias diversas, incunctanterque declarent has familias ex se invicem originem non trahere derivationibus insensibilibus cum dialectis ejusdem idiomatis. »

Plura adnotanda occurrissent sane in quibus Rationalismo male cessit tentari scientiam cum revelatione committere ; unum seligam quod ad creationem lucis refertur, de qua Petavius capite VII, libri I, et sequentibus copiose disserit.

Ex narratione Mosaica colligitur lucem ante solem et astra fuisse productam, et esse quid distinctum a sole et astris in immensitate cœlorum a Deo productis. E contra omni retro antiquitate doctorum indoctorumque promiscua multitudo, si paucos excipias, inter quos Basilius Hom. VI *in Hexaemeron*, sensibus obtemperans, solem habuit ut præcipuum fontem luminis et caloris quæ universam fovent illustrantque naturam. Communis hæc opinio, quæ cum Mosaica narratione vix stare potest, magnum accepit firmamentum e doctissimis Newtonii lucubrationibus de *Optica*, quas in compendium redactas illustrissimus Biot, in suo de *Physica* opere collocandas curavit. Sic *Emissionum* systema eruditorum sententiis suffultum, in tuto deinceps constitisse videbatur.

1 Hom. XIV.— 2 Amb. lib. *de Paradis.* cap. III.

alitur; deinde progressu ætatis ad solidiorem cibum pervenit. Hujusmodi ergo quiddam Adamo contigisset [a]. »

Ab hac sententia non abhorret Procopius, qui in commentario ad hunc locum observat, Deum Adamo præcipientem, ut ab arbore scientiæ sese contineret, « non ei cœlorum ostendisse regnum, quod illius captum, ac facultatem excederet, cum ne Judæis quidem tanto post tempore illud promiserit; sed sic tanquam infantibus terram melle, ac lacte manantem ostenderit. Itaque lignum illi monstravit alterum e propinquo, magnitudine, aspectuque præstabile; cujus fructum, si mandatum servaret, ei pollicitus est [b]. » Quæ eadem Moses Bar-Cepha supra laudatus a nobis exposuit [1].

III. Nec abludit, quod Nemesius, et post eum Joannes Damascenus prodiderunt, ideo prohibitum Adamum fuisse usu illius arboris, « quod ei non conduceret propriam adhuc nosse naturam, ait Nemesius. Erant enim, imo hodieque sunt vires in plantis maximæ. Tunc autem, utpote initio conditus mundi, recentes adhuc, et sinceræ, vim, et efficacitatem habebant maximam. Quamobrem fructus certi degustatio naturæ propriæ cognitionem ingenerabat. Nolebat itaque Deus, ipsum, antequam perfectionem adeptus esset, propriam naturam cognoscere; ut, cum multis se rebus egentem animadverteret, rerum ad corpus necessariarum curam caperet, animæ sollicitudine relicta [c]. » Quæ pluribus Damascenus [2] prosequitur. Verum hæc illorum ratio minime probatur. Non enim illo in statu rei ullius indigentes erant, cujus procuratio anxiam illis et sollicitam cogitationem injiceret, ac perennem animi corporisque pacem et tranquillitatem, velut serenum diem offusa nube fuscaret. Longe aliter Augustinus, ac cæteri, quos supra commemoravimus, vitæ illius genus conditionemque describunt, et ejusmodi fuisse dicunt, ut ad eam undique opportunitates omnes ac deliciæ et voluptates affluerent; quare nihil ex naturæ suæ notitia in illos periculi redundare poterat. Ut omit-

a Theoph. Οὐ γάρ τι ἕτερον ἦν ἐν τῷ καρπῷ ἢ μόνον γνῶσις· ἡ δὲ γνῶσις καλὴ, ἐπὰν αὐτῇ οἰκείως τις χρήσηται· τῇ δὲ οὔσῃ ἡλικίᾳ ὁ Ἀδὰμ ἔτι νήπιος ἦν· διὸ οὔπω ἠδύνατο τὴν γνῶσιν κατ' ἀξίαν χωρεῖν. καὶ γὰρ οὔν ἐπὰν γενηθῇ παιδίον, οὐκ ἤδη δύναται ἄρτον ἐσθίειν. ἀλλὰ πρῶτον γάλακτι ἀνατρέφεται ἔπειτα κατὰ προσβάσιν τῆς ἡλικίας, καὶ ἐπὶ τὴν στερεὰν τροφὴν ἔρχεται. οὕτως ἂν ἐγεγόνει καὶ τῷ Ἀδὰμ.

b Procop. Ὥσπερ δὲ ὥρισε παραβαίνοντι τιμωρίαν Ἀδὰμ, ἐπιμελέστερον αὐτὸν ἐργαζόμενος πρὸς ἀποτροπὴν τῆς παραβάσεως οὕτω πρὸς τὴν ταύτης φυλακὴν προτρεπόμενος, βασιλείαν μὲν οὐρανῶν παρῆκεν εἰπεῖν, μεῖζον ὂν ἢ κατὰ τὴν τοῦ ἀκούοντος δύναμιν. ὅπου γε οὐδὲ τοῖς Ἰουδαίοις μετὰ τοσοῦτον χρόνον ταύτην ὑπέσχετο· ἀλλ' ὡς ἔτι νηπιάζουσι γῆν μέλι, καὶ γάλα ῥεούσαν ἐπαγγέλλεται. ἕτερον δὲ ξύλον πλησίον ὑπέδειξεν ἐκπρεπὲς μεγέθει καὶ ὄψει, τὸν τούτου καρπὸν εἰ φυλάττοι τὴν ἐντολὴν ὑποσχόμενος.

c Nemes. cap. I. Ἐπειδὴ δὲ οὐ συνέφερεν αὐτῷ πρὸ τῆς τελειώσεως γνῶναι τὴν φύσιν ἑαυτοῦ, ἀπηγόρευσεν αὐτῷ μὴ γεύσασθαι τοῦ ξύλου τῆς γνώσεως. ἦσαν γὰρ, μᾶλλον δέ εἰσιν ἔτι καὶ νῦν δυνάμεις ἐν τοῖς φυτοῖς μέγισται· τότε δὲ, ὡς ἐν ἀρχῇ τῆς κοσμοποΐας, ἀκραιφνεῖς οὖσαι ἰσχυροτάτην εἶχον τὴν ἐνέργειαν. ἦν οὖν καὶ ἀπόγευσίς τινος καρποῦ γνῶσιν ἐμποιοῦσα τῆς τελειώσεως γνῶναι τὴν οἰκείαν φύσιν. ἵνα μὴ γνοὺς ἑαυτὸν ἐνδεᾶ πολλῶν ὄντα, τῆς σωματικῆς ἐπιμελήθῃ χρείας, καταλιπὼν τὴν τῆς ψυχῆς πρόνοιαν.

1 Lib. *de Parad.* par. I, cap. xx.— 2 Lib. II, cap. xi.

Hoc vero systema sola corpora luminosa supponens *fluidum* emittere, quod nihil aliud est quam lumen, potestne, salva revelatione consistere? Nonne inde contradictionis et derisus ansam arripiet nuperus Rationalismus? Verum hic, non aliter ac in omnibus apparuit circumstantiis, quam digna sit sapiente intelligitur hæc regula quam minus neglectam habere rationalismus deberet: Scilicet; cum pugnare videntur inter se revelationis monumenta humanarumque scientiarum inventa, sic non male consultum iri scientiæ si minus pro indubitatis suas dicat adinventiones, si eas ad trutinam revocet severæque demandet analysi, brevi enim apparebit non utique revelationem, sed humanam errasse scientiam. Theologo de scientia male informata ad scientiam melius informatam appellare semper erit licitum, acceptamque vera scientia habebit appellationem.

Ecce dum doctissimas Newtonis elucubrationes in compendium redigebat Biot, operique suo ultimam admovebat manum, supradictum *Emissionum* systema funditus evertebat Fresnel, irrefutandisque demonstrabat argumentis multa ex hoc systemate sequi absurda, solumque *undulationum* systema a vere sapientibus doctisque esse admittendum.

Porro *Undulationum* systema Mosaicæ narrationi ex omni parte congruit, in hoc enim systemate fluidum luminosum a corpore collustrante distinctum manet et subsistit, velut aer, quem vibrantem efficit corpus sonorum, ab eodem corpore distinctum subsistit. Paucis post omnis Williams Herschels, ulterius progressus, solem non esse corpus incandescens approbabat, temperatura fere eadem ac globus terrestris perfrui, habitabilemque absque dubio se præbere entibus eodem, ac ea quæ nostris subjiciuntur oculis, organismo præditis,

Altissimam igitur mundi hujus materialis intuitionem habuit Moyses, qua lucem a sole separatam constituit, arcanaque naturæ, tot deiude sæculis sapientibus indoctisque occlusa penetravit; Porro quisque non præjudicatæ mentis hanc intuitionem non nisi a revelatione haustam haberi potuisse, libens fatebitur; sicque miro Dei consilio, quæ ad labefactandam revelationem e scientiis naturalibus eruebantur, vice versa, solidum ei præbent fulcimentum.

E. Roques.

tam eximia quadam sapientia, ac tum sui, tum rerum notitia cæterarum Adamum fuisse præditum, nullo ut ad eam hauriendam arboris fructu illi opus esset. Quæ quidem qualis fuerit, et unde hoc nomen invenerit, fuse antea diximus. Gregorius tamen Nazianzenus causam editi præcepti reddit hanc, « quod nondum simplicioribus, et avidioribus contemplatio (ita enim arborem interpretatur) conveniret, uti neque solidior cibus expedit teneris adhuc, et lacte opus habentibus [a]. »

Veræ hujus mandati causæ.

IV. Vulgata est, et ideo certior, ac solidior illa divini causa mandati, quam et Theophilus Antiochenus, et antiqui omnes commemorant, primis hominibus meriti, ac virtutis a Deo suppeditandam fuisse materiam, præsertim obedientiæ, « quod est in hominibus, et in omni rationali creatura omnis justitiæ origo, atque perfectio, » ait Augustinus [1]. Ut igitur probaret eos, an præceptis suis obtemperarent, imperavit illis Deus. « Nam, si filios oportet morigeros esse parentibus, ut dicit Theophilus, quanto magis Deo, et universorum parenti [b]? »

Tertullianus vero universe bonus uti esset, ac probe justeque viveret homo, legem ei præscriptam asserit. « Neque enim ad vivendum solummodo produxerat hominem, ut non ad recte vivendum, in respectu scilicet Dei, legisque ejus. Igitur vivere quidem ille ipse præstiterat facto in animam vivam; recte vero vivere demandarat admonito in legis obsequium [2]. » Quin hoc præterea docet [3], quandoquidem « liberum, et sui arbitrii, et suæ potestatis hominem Deus instituerat, » hunc « statum ejus confirmasse ipsam legem tunc a Deo positam. » Etenim, quia nemo bonus, et justus, nisi voluntarie, ac libere bonum faciat, non solum « libertas, et potestas arbitrii danda illa fuit, quæ efficerent bonum, ut proprium, jam sponte præstari ab homine, quoniam, et hoc ratio bonitatis exigeret voluntarie exercendæ [4], » verum etiam lex illi, mandatumque statuendum, ut et libertatis, et bonitatis exercendæ seges ei, ac materia suppeteret. « In hoc, et lex, ait idem Tertullianus, constituta est, non excludens, sed probans libertatem de obsequio sponte præstando, vel transgressione sponte committenda. » Cui et Didymus Alexandrinus in libro *contra Manichæos* [5] assentitur: « Animal, inquit, rationis particeps fecit Deus, quod volebat, ut voluntate sua bonum esset, libera alioqui potestate præditum, qua posset in utramque partem flecti. Volebat enim, ut homo esset bonus eligendo sponte bonum, » etc. Breviter, et rotunde illud idem hac sententia Gregorius Nazianzenus expressit: « Legem dedit, quasi materiam arbitrio libero; lex autem illa præceptum erat, quo præscribebatur, quibus arboribus utendum esset, tum quam attingere non oporteret [c]. »

Omnia virtutum officia in hac continere censet Tertullianus.

V. Tertullianus in libro *contra Judæos*, capite secundo, omnium officia virtutum « in hac generali, et primordiali Dei lege, quam in arboris fructu observari Deus sanxerat, » comprehensa fuisse tradit; « omnia, inquam, præcepta legis posterioris specialiter indita fuisse, quæ suis temporibus edita germinaverunt. » Quod paulo ante sic declarat: « Primordialis lex est enim data Adæ, et Evæ in Paradiso, quasi matrix omnium præceptorum Dei. » Quod singillatim per omnia Decalogi præcepta demonstrat; sed nominatim obedientiam ab illo Deum exegisse veteres affirmant, eumque primarium mandati finem, ac fructum fuisse, ut se Deo, ac Domino subjectum, et obnoxium esse sentiret; neque suo sibi jure, et arbitrio vivendum, sed alienæ potestati, et imperio parendum. « Itaque « parvo illo præcepto suum in ipsum dominatum ei voluit ostendere, » ut ait Chrysostomus; qui mox apta, et eleganti similitudine ita rem explicat: « Quemadmodum munificus aliquis dominus ædes amplas, et magnificas cuipiam fruendas concedens, non justum illarum pretium, sed ejus exiguam particulam vult accipere, ut et sibi dominii jus integrum servet, et usuarius iste certo sciat, non se ædis esse dominum, sed illius beneficio, ac liberalitate utendam se eam accepisse. Sic Dominus noster, cum quidquid aspectabile est, homini commisisset, eique tum in Paradiso domicilium, tum ejus delicias ad fructum animi

a Nazianz. orat. xxxviii. Οὐ καλὸν δὲ τοῖς ἁπλουστέροις ἔτι, καὶ τὴν ἔφεσιν, λιχνοτέροις· ὥσπερ οὐδὲ τροφὴ τελεία λυσιτελὴς τοῖς ἁπαλοῖς ἔτι, καὶ δεομένοις γάλακτος.

b Theoph. II *ad Autol.* Εἰ δὲ χρὴ τὰ τέκνα τοῖς γονεῦσιν ὑποτάσσεσθαι, πόσῳ μᾶλλον τῷ θεῷ καὶ πατρὶ τῶν ὅλων;

c Nazianz. orat. xxxviii. Καὶ δίδωσι νόμον, ὕλην τῷ αὐτεξουσίῳ, ὁ δὲ νόμος ἦν ἐντολὴ ὧν μεταληπτέον αὐτῷ φυτῶν, καὶ οὗ μὴ προσαπτέον.

1 In *Psal.* lxxi.— 2 Tertul. l. II *cont. Marc.* cap. viii.— 3 Ibid. c. v.— 4 Ibid. c. vi.— 5 Tom. IV *Bibl. Patr.* col. 871.

tribuisset, ne paulatim animo in transversum abreptus ista ipsa, quæ oculis cernuntur, per se, ac temere esse crederet, et supra dignitatis suæ modulum de ipso sentiret, unius illi usum arboris interdixit [a].»

Ita Cyrillus Alexandrinus hunc scopum tradendæ legis fuisse docet[1], ut et obnoxium se esse alteri cognosceret, et ne tot bonarum rerum, ac voluptatum affluentia insolentem illum faceret. « Res est enim utilis propriæ servitutis agnitio, ut ait Zacharias Mitylenæus, utpote quæ superbiam, et contumaciam, typhum, et arrogantiam excludit, primum omnium, et postremum malum [b]. »

Basilius item Seleuciensis acute, ac diserte. « Ut cum prohibentem intelligis, largitorem una noveris; atque unius subtractio, ejus tibi recordationem suggerat, a quo omnia [c]. »

VI. Augustinus in octavo libro *de Genesi ad litteram*, solius obedientiæ gratia præceptum illud Adamo datum esse confirmat, indeque, quantum sit inobedientiæ malum, esse cognitum; quod, cum mala, noxiaque per sese arbor illa non esset, nullum in ejus degustando fructu, præterquam inobedientiæ, malum exstitit. « Nec potuit melius, et diligentius, ait[2], commendari, quantum malum sit sola inobedientia, cum ideo reus iniquitatis factus est homo, quia eam rem tetigit contra prohibitionem; quam si non prohibitus tetigisset, non utique peccasset. » Et in libro secundo *de Peccatorum meritis, et remissione*: « Serviebant igitur Deo vehementer sibi commendata virtute obedientiæ, qua una colitur Deus. Quæ per se ipsa quanta sit, quamque sola sufficiat ad tuendam rationalem sub creatore creaturam, non potuit excellentius intimari, quam ut a ligno prohiberentur non malo, etc. Sed ut ostenderetur homini, cum esset sub tali domino utilissima servitus, quantum esset solius obedientiæ bonum, quam solam de famulo exegerat, cui obedire, non propter ipsius dominatum, sed propter servientis utilitatem, potius expediret, ab eo ligno sunt prohibiti, quo si uterentur non prohibiti, nihil mali omnino paterentur; ut, quod illo post prohibitionem utentes passi sunt, satis ostenderetur, quod eis hoc non intulerit arbor cibo noxio perniciosa, sed tantum obedientia violata. » Tum in libro primo *contra Adversarium legis, et Prophetarum*, capite XIV. « A cujus cibo est homo prohibitus, ut obedientia commendaretur, quæ maxima est virtus, et ut sic dixerim, omnium origo, materque virtutum in ea natura, cui sic datum est arbitrium liberæ voluntatis, ut eam tamen necesse sit vivere sub potestate melioris. » Denique in tractatu *ad Psalmum* LXX. « Bona est arbor, nolo tangas. Quare? Quia dominus sum, et servus es. Hæc tota causa est. Si parva est, dedignaris esse servus. Quid autem tibi expedit, nisi esse sub domino? Quomodo eris sub domino, nisi fueris sub præcepto? » Vide et librum *de Civitate Dei* duodecimum, capite XXI, et Mosem Bar-Cepha in libro *de Paradiso*, capite XXVIII. De mandato illo Adamo edito pulchre Rupertus in libro *de Voluntate Dei* [3] disputat. Qui et capite XVIII « prius superbia peccasse Adamum asserit, quam violaret mandatum. Nisi enim prius intus tumuisset, foris tentatus tam facile non cederet. »

VII. Nec illud quæstionem habet difficilem, cur Deus legem illam tulerit Adamo, quam minime servaturum esse sciret; aut, ut Manichæi proponebant, « Quare Deus fecit hominem, quem peccaturum sciebat [4]: » Cui sic respondet Augustinus: « Quia et de peccante multa bona facere poterat, ordinans eum secundum moderamen justitiæ suæ; et quia nihil oberat Deo peccatum ejus, et sive non peccaret, mors nulla esset, sive quia peccavit,

Cur Deus homini legem dederit quam minime servaturum esse sciret.

a Chrys. hom. XVI *in Gen.* Διὰ τῆς μικρᾶς ταύτης ἐντολῆς τὴν οἰκείαν αὐτῷ δεσποτείαν αὐτῷ δεικνύναι ἐβούλετο. καὶ ὡσάνει δεσπότης φιλότιμος οἶκον μέγαν, καὶ θαυμαστόν τινι παρεσχηκὼς πρὸς ἀπόλαυσιν, οὐ τὸν ἄξιαν τιμὴν, ἀλλὰ βραχύ τι μέρος λαμβάνειν βούλεται, ὥστε καὶ αὐτῷ τὰ τῆς δεσποτείας φυλάττεσθαι, κἀκεῖνον ἀκριβῶς εἰδέναι ὡς οὐ τῆς κτήσεως δεσπότης ὁ ἡμέτερος πάντα τὰ ὁρώμενα ἐμπιστεύσας τῷ ἀνθρώπῳ καὶ τὴν ἐν τῷ παραδείσῳ διαγωγὴν, καὶ πάντων τῶν ἐν αὐτῷ παρεσχηκὼς τὴν ἀπόλαυσιν, ἵνα μὴ κατὰ μικρὸν ὑποσυρεὶς τὴν διάνοιαν, νομίσῃ αὐτόματα εἶναι τὰ ὁρώμενα, καὶ πλέον τι τῆς οἰκείας ἀξίας φαντασθῇ, κελεύει τοῦ ἑνὸς ἀποσχέσθαι ξύλου.

b Zachar. lib. *de Mundi opif.* tom. I *Bibl. PP. Græco-Lat.* D. Χρῆμα γάρ τι καλὸν ἡ τῆς δουλείας ἐπίγνωσις, ὑπερηφανίαν, καὶ αὐθάδειαν, καὶ τύφον, καὶ ἀλαζονείαν ὑπερορίζουσα, τὸ πρῶτον, καὶ τελευταῖον κακόν.

c Basil. Seleuc. orat. II *de Adamo.* Ἵνα ἐννοῶν τὸν κωλύσαντα, γνωρίσῃς τὸν χορηγήσαντα· καὶ ἡ τοῦ ἑνὸς ἀποστέρησις, γένηταί σοι τοῦ τὰ ὅλα δεδωκότος ὑπόμνησις.

1 *Glaph.* I et lib. I *de Ador. in Spir.*— 2 Aug. VIII *de Gen. ad lit.* cap. XIII.— 3 Cap. XIV, XV et seq. — 4 August. tom. I lib. *de Gen. cont. Man.* cap. XXVIII.

alii mortales de peccato ejus corriguntur. Nihil enim sic revocat homines a peccato quemadmodum imminentis mortis cogitatio.» Tum cæteras Manichæorum calumnias strictim persequitur, atque diluit : « Sic eum faceret, inquiunt, ut non peccaret. Imo ipse hoc faceret. Sic enim factus est, ut, si noluisset, non peccaret. Non admitteretur, inquiunt, diabolus ad ejus mulierem. Imo ipsa ad se diabolum non admitteret. Sic enim facta est, ut, si noluisset, non admitteret. Non fieret, inquiunt mulier. Hoc est dicere, non fieret bonum ; quia et ipsa utique aliquod bonum est, » etc. Plures itidem Manichæorum, Marcionitarum, et id genus pestium querelas contra legem illam primordialem exponunt, ac dissolvunt Ambrosius libro *de Paradiso*, capite V et VI. Cyrillus libro secundo *contra Julianum*, tum qui adversus tales hæreses commentarios ediderunt, Irenæus, Tertullianus, Epiphanius, Titus Bostrensis, Didymus Alexandrinus, Augustinus, et innumeri alii. Vide Mosem Bar-Cepha in libro *de Paradiso*, capite XXVIII.

Vis et sententia hujus mandati expenditur.

VIII. Nunc de vi, et sententia præcepti illius dicendum est. Duo ibi spectanda sunt : alterum cautio legis, sive quid imperet, aut prohibeat : alterum sanctio, hoc est quid pœnæ comminetur. Prior iis verbis exponitur : *Ex omni ligno Paradisi comede*[1]. *De ligno autem scientiæ boni, et mali, ne comedas.* Quorum verborum ridiculus ab quibusdam sensus excogitatus est, quem refert, et refellit Ambrosius [2] : « ut videatur Deus id inhibuisse, ne absque cæteris solum lignum scientiæ boni et mali gustaret, non prohibuisse cum cæteris. » Verum priora illa ; *Ex omni ligno comede*, non videntur habere vim præcepti, tanquam nulla non ex arbore fructus legere, ac vesci eos oportuerit ; sed vel permittentis more dicta sunt, vel id, quod fieri licet, ostendentis, quasi ita præcipiat : Si vesci vis, utere aliis arboribus ; ab hac vero sola abstine. Sic in *Decalogo*, *Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua* : *Septimo autem die Sabbatum Domini est, non facies omne opus in eo.* Ubi non hoc imperat Deus, ut totis sex diebus operis aliquid fiat, sed ut, si quidem operæ aliquid exercere velint, id illis diebus faciant, per Sabbatum feriati sint. Totum itaque præceptum *negans* fuit, sive prohibens vesci fructu illo scientiæ boni, et mali

IX. Ad mandati formulam addidisse quippiam, videtur femina cum serpente colloquens : *Præcepit nobis Deus*, inquit [3], *ne comederemus, et ne tangeremus illud.* Atqui de tactu nihil caverat Dominus. Itaque hanc incusat Ambrosius : « Etenim, quantum præsens lectio docet, inquit[5], discimus nihil vel cautionis gratia jungere nos debere mandato. Si quid enim vel addas, vel detrahas, prævaricatio quædam videtur esse mandati. » Quare hoc, ait, « lapsus incipit esse principium. Nam quæ addidit, vel superfluum addidit, vel addendo de proprio, semiplenum intellexit Dei esse mandatum. » Atque ita Rupertus, Lyranus, et Abulensis. Sunt tamen ex Patribus, qui, cum legem istam referunt, tactum etiam quasi vetitum includunt. Augustinus tractatu *in Psalmum* LXVIII. « Dominus quippe, ait, sententia percussit hominem. *Qua die tetigeritis*, inquit, *morte moriemini.* » Et ad *Psalmum* LXX. « Homo, inquit, positus sub præcepto, audivit a Domino Deo, Noli tangere. Quid ? Hanc arborem. Quid est enim illa arbor ? Si bona est, quare non tango ? Si mala est, quid facit in Paradiso ? Prorsus ideo est in Paradiso, quia bona est. Sed nolo tangas. » Sic Gregorius Nazianzenus : « Lex, inquit, præceptum erat, tum quibus arboribus utendum illi erat, tum quam minime tangere oporteret [a]. » Severianus item homilia XV *de Mundi opificio*. Cajetanus existimat, hoc exaggerando dixisse feminam, eoque signo monstrasse, sibi illud non placere. « Quemadmodum, inquit, mulier inhibita a marito, ne domum exeat, quum interrogatur, cur non exit, respondet, Mihi non licet extra cameram meam pedem ponere, exaggerando displicens sibi magistri præceptum. » Itaque primus ille fuit in Eva libertatis affectus, quem cordi ejus Diabolus insevit. Ita Cajetanus. Puto id citra malum ullum animi vitium ex communi usu loquendi, simpliciter usurpasse mulierem, uti solent hujusmodi profusioris esse sermonis, præsertim ubi de lætis rebus, aut formidolosis, aut admirabilitatem habentibus loquuntur.

X. Sane Alcimus Avitus in libro *de Initio*

An r
solu
mandu
fructu
et
tang
arbo
Deus p
buer

a Nazianz. orat. XXXVIII. Ὁ δὲ νόμος ἦν ἐντολὴ ὧν τε μεταληπτέον αὐτῷ φυτῶν, καὶ οὗ μὴ προσαπτέον·

1 *Gen.* XII, 17.— 2 Lib. *de Parad.* cap. XII.— 3 *Exod.* XX, 9.— 4 *Gen.* III, 3.— 5 Ambr. *de Parad.* cap. XII.

mundi, primo ista duo, *comedere*, et *tangere*
allelo. ἐκ παραλλήλου, ac pro eodem accipit, dum ita Deum præcipientem facit.

« Hujus ab accessu vetitum restringite tac-
[tum. »

Et mox feminam respondentem serpenti sic introducit :

« Hæc sola est nemoris medii, quam perspicis, [arbor
Interdicta cibis, hæc tantum tangere nobis
Poma nefas. »

Potuit etiam Adamus, siquidem soli ipsi primum a Deo lex est data, ad illa, quæ audierat, mandati verba illud adjicere, quo majorem Evæ cautionem injiceret, ac longius eam ab violandæ periculo legis averteret. Sic enim Hebræorum magistri supra legis præscriptum, et, ut ita dicam, *substantiam*, nonnulla præcipere solebant, quo illa diligentius observaretur, quæ *sepimenta* legis appellare solent. Exempli causa, cum lex vetaret fermentato vesci a vespera diei 14 sive parasceves Paschatis, ejusque mentem sic Doctores interpretati essent, ut ab hora ineunte septima, sive prima pomeridiana, abstinendum esset; iidem tamen, quominus in legem committeretur, antevertendum tempus ab lege præscriptum rati, « prohibuerunt, inquit R. Moses, sapientes, vesci fermentato ab ineunte hora sexta, ut ne quis propius ad legis interdictum accederet[a]. » Ita ergo, cum Deus hoc solum jussisset, ne de fructu arboris comederent, Adamus Evæ mandaverit, ut ne tangeret quidem. Quod, ut dixi, verisimile tunc erit, si, antequam Eva nasceretur, solus Adam legem divinitus accepit. Hanc nonnullorum sententiam fuisse refert Ambrosius, « Et plerique putant, inquit [1], hoc vitium non esse mulieris, sed Adæ fuisse; ita Adam dixisse mulieri, dum eam vellet facere cautiorem, ut adderet, mandasse Deum, Neque tangetis ex eo. Habemus enim, quia Adam, non Eva mandatum acceperit a Deo; nondum enim mulier formata fuerat. »

Nunc de pœna legis, et sanctione disputandum, cui sequens caput exponendæ serviet.

CAPUT X.

De pœna violati præcepti, et comminatione mortis. Quinam verum illud sit, eodem die mortuum Adamum, quo peccavit. Quidam de morte animæ id intellexerunt. Probabilius esse solam exprimi mortem corporis. Mors animæ pœnæ rationem non habet. Exponuntur variæ interpretationes ejus sententiæ, quatenus in mortem animæ die eodem incidit; eaque cæteris anteponitur, mortem pro mortalitate, id est mortis necessitate accipi. Hanc neeessitatem quemadmodum Christus in bonum converterit, et cur a morte suos non exemerit.

I. Divini interdicti verba, quibus pœna denuntiatur contra legem committenti, Moses ita concipit : *In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris* [2]; ubi merito quæritur, quanam de morte id sit intelligendum. Nam de ea, quæ proprie ita nominatur, estque corporis, ideo non videtur accipiendum, quod alioqui falsa videretur esse Dei comminatio. Siquidem multis post delictum annis vixit Adamus, imo sæculis, nedum eodem est die mortuus, quo comederat. Ea causa nonnullos impulit, ut mortem interpretarentur animæ, non corporis. « Duæ sunt enim vitæ, ait Augustinus [3], una corporis, altera animæ. Sicut vita corporis anima; sic vita animæ Deus. Quomodo, si anima deserat, moritur corpus : sic anima moritur, si deserat Deus. » Quod pluribus exponit Gregorius Nyssenus in primo libro *contra Eunomium*, qui illa, quam dixi, ratione motus ita Dei præceptum explicat; vel potius utramque mortem significari asserit ; quarum una repræsentata statim est, altera in longum dilata spatium. « Multas enim, ait, annorum centurias post inobedientiam vixit primus homo. Neque tamen mentitus est Deus, cum dixit, *in quocumque die comederitis, morte moriemini*. Nam eo ipso, quod alienatus est a vera vita, eadem die mortis in eum confirmata sententia est.

Quænam sit mors quam minatus est Deus.

a Rabbi Moses Maiem. tom. I *Jad.* tract. *de Fermentato, et Azymo* cap. I, § 9. ואסרו חכמים לאכול חמץ מתחלת שעה ששית כדי שלא יגע באיסור תורה.

1 Lib. *de Parad.* cap. XII.— 2 *Gen.* II, 17.— 3 In *Ps.* LXX.

Postea vero interjecto tempore, temporalis mors Adamum consecuta est [a]. »

II. Gregorius Papa libro VI, epistola XXXI eodem modo ratiocinatur. « Si enim Adæ, qui primus peccavit, inquit, anima in peccato mortua non est, quomodo de ligno vetito ei dictum est, *In quacumque die comederitis ex eo, morte moriemini* ? Et ecce comedit Adam, et Eva de ligno vetito, et tamen in carne sua ultra nongentos annos postmodum vixerunt. Constat itaque, quia in carne non est mortuus. Si ergo in anima mortuus non est, quod dici nefas est, falsam sententiam de illo protulit Deus, qui dixit, Quia, qua die comederet moreretur. » Isidorus Pelusiota libro tertio, epistola CCLII non minus mortem animi, ex absentia Dei ac Spiritus sancti, significari credit, etsi alteram indicat, de qua mox ; et ante hos Origenes homilia XV *in Genesim*, mortem interpretatur animæ ex peccato. Rupertus quoque in libro secundo *de Victoria Verbi Dei*, capite secundo, mortem animæ Deum interminari credit in illis verbis, adstipulante etiam prius Eugubino, sed postea, mutata sententia, ad utramque mortem referente, ut in *Cosmopœia* ad caput secundum *Geneseos* ipse testatur.

Augustinus in libro XIII *de Civitate Dei*, cap. XII censet, nullum non mortis genus illa comminatione contineri, nempe animæ, corporis et totius hominis, et hanc duplicem ; primam cum anima a Deo et a corpore separata punitur : alteram cum utrumque sempiterna damnatione plectitur. Et idem in primo libro *de Peccatorum meritis, et remissione*, capite secundo, Pelagianos redarguit, qui mortem animæ, quæ peccato fit, in verbis illius legis intelligebant. Atque alibi passim contra Pelagianos disputans, corporis mortem, uti violata lege commissam, sic ante denuntiatam asserit. Chrysostomus homilia LXXXIV tomi V, Adamum peccato statim mortuum esse dicit ; et Philippus Abbas Bonæ Spei[1], mortem, quam Adamo minatus est Deus spiritalem interpretatur.

Probatur mortem esse corporis non animæ.

III. Mihi probabilius videtur, solam corporis mortem expressisse Dominum, non autem animæ. Quæ quamvis statim est consecuta, non tamen pœnæ loco solet apponi, sed aliud quiddam, quod a peccato ipso differt ; nam peccatum ipsum mors est animæ. Quod si quis illa verba, *Quacumque die comederis, morte morieris*, de peccato vellet accipi ; non tam pœnæ inflictio censenda foret, quam determinatio quædam delicti. Quippe fructum ex arbore illa comedere, si abesset præceptum, peccatum non esset. Deus autem prohibendo fecit, ut jam sine peccato comedi non posset. Ideo mandati ille sensus foret : Quacumque die comederis, tu me graviter offendes. Sed ea proprie culpæ pœna non vocatur ; quippe pœna est ejusmodi, quam contra legem facienti judex ipse, non sibi reus imponit. At mortem animæ citra judicis voluntatem sibi quisque consciscit. Quare quidquid testimoniorum est, quo adversus Pelagianos ostenditur, moriturum, nisi peccasset, hominem non fuisse (sunt autem inumera, e quibus nonnulla superius allata sunt) hujusmodi præcepti formulam, ac sententiam esse persuadent. Etenim talem Adamus peccati sui pœnam adeptus est, qualem Deus sententia sua constituit. Unde, cum corporis mortem velut præcipuam, et capitalem pœnam irrogatam illi esse, Catholici omnes sentiant, non dubium est, quin *moriendi* vocabulo ista significetur ; quod et Moses Bar-Cepha confirmat, altera, quæ ad mortem refert animæ, repudiata sententia. Nec obscure Tridentina synodus adstipulatur ; nam canone primo [2], qui est de peccato originali, anathema dicit, si quis asserat, Adamum per peccatum non amisisse sanctitatem, et justitiam, incurrisseque per offensam prævaricationis hujusmodi, iram et indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus. Ubi mortem, quam comminatus erat Deus, ab offensa prævaricationis, id est animæ morte distinguit, amissioneque justitiæ.

IV. Atenim redit id, quod paulo ante est objectum, videri falsam fuisse Dei comminationem ; quia non eodem die, ac nonnisi longo post spatio mortuus est Adamus. Variis modis ille nodus ab antiquis solvitur. Hieronymus in *Traditionibus*, « Melius, inquit, interpretatus est Symnachus dicens, mortalis eris. » Atque ita Theodoretus. « Hic, inquit, mortalitatis sententiam mortem appellavit.

Quo sens die quo come mortuu est Ada

[a] GREG. NYSSEN. I *contra Eun.* Οὐκοῦν πολλὰς ἐτῶν ἑκατοντάδας ἐπεβίω μετὰ τὴν παρακοὴν ὁ πρωτόπλαστος· ἀλλ' ὁ θεὸς οὐκ ἐψεύσατο εἰπών, ἐν ᾗ ἂν ἡμέρᾳ φάγητε, θανάτῳ ἀποθανεῖσθαι. διὰ γὰρ τοῦ ἀλλοτριωθῆναι αὐτὸν τῆς ὄντως ζωῆς, αὐθημερὸν ἐκυρώθη κατ' αὐτοῦ ἡ τοῦ θανάτου ἀπόφασις. μετὰ ταῦτα δὲ χρόνοις ὕστερον καὶ ὁ σωματικὸς τῷ Ἀδὰμ ἐπηκολούθησε θάνατος.

1 Epist. XIV. — 2 Sess. V.

Sic enim interpretatus est Symmachus : Quacumque die comederis de ligno hoc, mortalis eris. Etenim post divinam sententiam per singulos propemodum dies mortem expectabat [a]. » Alii vitæ hujus, post lapsum Adami, cruciatus, et ærumnas, ac vicissitudinem, et mutabilitatem, mortem interpretati sunt. « Etenim, ut ait Basilius, antequam mors animam a corpore disjungat, sæpius nos homines morimur [b].» Quod in *ætatum mutationibus*, id est μεθηλικιώσει, ostendit, necnon morum, et consiliorum : « Quo fit, ut vita hominum per multas mortes expleri soleat [c].»

Variæ Patrum sententiæ.

Augustinus mortem intelligit vitiatam corruptamque naturam [1] : « Eo quippe die mutata in deterius est vitiataque natura, atque a ligno vitæ separatione justissima, mortis in eis etiam corporalis necessitas facta est, cum qua nos necessitate nati sumus. Propter quod Apostolus non ait [2], Corpus quidem morituruum est propter peccatum; sed ait, *Corpus quidem mortuum est propter peccatum.* » Sic in libro nono *de Genesi ad litteram*, capite x ubi eodem utitur Apostoli testimonio, et lethalem quemdam veluti morbum invasisse humana corpora dicit. « Mox ubi præceptum transgressi sunt, ait, eorum membris velut aliqua ægritudo lethalis mors ipsa concepta, est, etc, Quid enim aliud, non dicam nati, sed omnino concepti, nisi ægritudinem quamdam inchoamus, qua sumus sine dubio morituri ? Neque enim tam necesse est, eum ipso morbo mori, qui hydropicus, vel dysentericus, vel elephantiosus factus fuerit, quam eum, qui hoc corpus habere cœperit, in quo omnes homines natura sunt filii iræ ; quia hoc non fecit nisi pœna peccati. »

V. Idem Augustinus in libro primo *de Peccatorum meritis, et remissione*, capite XVI. « Quamvis, inquit, annos multos postea vixerint, illo tamen die mori cœperunt, quo mortis legem, qua in senium veterascerent, acceperunt. Non enim stat vel temporis puncto, sed sine intermissione labitur, quidquid continua immutatione sensim currit in finem, non perficientem, sed consumentem. Sic itaque impletum est, quod dixerat Deus, *Qua die ederitis, morte moriemini.* »

Ad hæc Isidorus Pelusiota [3], præter animæ mortem, de qua supra, putat illa ipsa sententia, qua morti addictus erat, etsi nondum esset expertus, jam pro mortuo habitum fuisse. Optime Prosper in libro secundo *de Vita contemplativa*, cap. XIX. « Ut juxta sententiam Dei eo die credantur mortui, quo in eis pœnaliter facta est necessitas moriendi. » Quo pertinet elegans, et subtilis illa Augustini disputatio [4], an sit mors dicenda momentum illud, quo a corpore anima divellitur. Quod minime videtur; quia quamdiu in corpore est anima, vivit homo ; cum non est, non moritur, sed mortuus est. « Nullus est ergo moriens nisi vivens [5]; quoniam, cum in tanta est extremitate vitæ, in quanta sunt, quos agere animam dicimus, profecto qui nondum anima caruit, adhuc vivit. Idem ipse igitur simul et moriens est, et viyens; sed morti accedens, vita decedens, adhuc tamen in vita, quia inest anima corpori; nondum autem in morte quia nondum abscessit a corpore. » Itaque mors, vel potius hoc, quod *mori* dicitur, in continuatione quadam positum est. « Ex quo enim quisque in isto corpore morituro esse cœperit [6], nunquam in eo non agitur, ut mors veniat. Hoc enim agit ejus mutabilitas toto tempore vitæ hujus, si tamen vita dicenda est, ut veniatur in mortem, etc. Porro si ex illo quisque incipit mori, hoc est, esse in morte, ex quo in illo agi cœperit ipsa mors, id est vitæ detractio ; quia, cum detrahendo finita fuerit, post mortem jam erit, non in morte, profecto ex quo esse incipit in hoc corpore, in morte est. » Sed communi more loquendi hominum, maxime Scripturarum, utendum esse, in cap. XIV concludit. Bene illud Seneca [7] et ad Augustinum apposite ; « Quemadmodum clepsydram non extremum stillicidium exhaurit, sed quidquid ante defluxit; sic ultima hora, qua esse desinimus, non sola mortem facit, sed sola consummat. » Eleganter Basilius « vitam hominum per mortes plurimas compleri [d] » dicit.

a Theod. q. XXXVIII *in Gen.* Ἐνταῦθα μέν τοι τὸν τῆς θνητότητος ὅρον ὠνόμασε θάνατον, οὕτω γὰρ καὶ ὁ Σύμμαχος ἡρμήνευσεν. ἦ δ' ἂν ἡμέρᾳ φάγῃ ἀπὸ τοῦ ξύλου, θνητὸς ἔσῃ. μετὰ γὰρ δὴ τὴν θεῖαν ἀπόφασιν, καθ' ἑκάστην, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἡμέραν τὸν θάνατον προσεδέχετο.

b Basil. *in Psal.* CXIV. Διὰ τοῦτο καὶ πρὶν θανάτῳ τὴν ψυχὴν διαζευχθῆναι τοῦ σώματος, ἀποθνήσκομεν πολλάκις οἱ ἄνθρωποι.

c Ibid. Ὥστε καὶ ἡ ζωὴ τῶν ἀνθρώπων διὰ πολλῶν θανάτων συμπληροῦσθαι πέφυκεν.

d Basil. *in Psal.* CXIV. Ὥστε καὶ ἡ ζωὴ τῶν ἀνθρώπων διὰ πολλῶν θανάτων συμπληροῦσθαι πέφυκεν.

1 Lib. XIV *de Civitat. Dei*, cap. XXIII.— 2 *Rom.* VIII, 10.— 3 Lib. III, ep. 252.— 4 Lib. XIII *de Civitat. Dei*, cap. IX, X, XI.— 5 Ibid. cap. IX.— 6 Ibid. cap. X.— 7 Epist. XXXVI.

Irenæi interpretatio.

VI. Irenæus libro V capite XXIII novam quamdam verborum istorum, *Quacumque die comederitis*, etc, interpretationem affert, ac velut duplicem. Primum, « Inobedientia, inquit, Dei, mortem infert. Propter hoc ex eo traditi sunt ei, debitores mortis effecti. In ipsa itaque die mortui sunt, in qua et manducaverunt, et debitores facti sunt mortis, quoniam conditionis dies unus. » Nimirum quia totum illud spatium, quo mundus perseverat, unius diei instar est. Deinde mortuum dicit Adamum eodem, quo peccavit, die, nempe feria sexta, post annos plures recurrente ; ut si quis natali suo die moriatur, eodem, quo ortus est, mori dicitur. Imo et tertiam addit, quia intra millesimum annum decessit ; sunt autem anni mille dies unus[1]. Denique tum has, tum cæteras, quas attulimus, sententias paucis ita colligit, « Sive ergo secundum inobedientiam, quæ est mors ; sive quod exinde traditi sint, et facti sunt debitores mortis ; sive secundum unum et eumdem diem, in quo manducaverunt, et mortui sunt, quoniam una conditionis dies : sive secundum hunc circulum dierum, quia in ipsa mortui sunt, in qua et manducaverunt, hoc est parasceve, quæ dicitur cœna pura, id est sexta feria, quam et Dominus ostendit, passus in ea ; sive secundum quod non sit supergressus mille annos, sed in ipsis mortuus sit ; secundum omnia ergo, quæ significantur, Deus quidem verax, mortui enim sunt, qui gustaverunt de ligno ; Serpens autem mendax ostensus est, et homicida. »

VII. Justinus martyr in dialogo *cum Tryphone*, tertiam illam, quam ex Irenæo posui, interpretationem tradidit mortis eodem, quo fructum vetitum comedit, die commissæ ; videlicet quod millesimum annum haud implevit. Huc etiam spectare credit, quod Esaias divit [2] : *Secundum enim dies ligni, erunt dies populi mei.* Quorum hunc esse sensum ait, Christianos et electos, post resurrectionem, mille annis Hierosolymis esse victuros summa in pace, ac rerum abundantia : « Scimus, inquit, Prophetam mille annos mystice significare. Nam ut Adamo dictum erat : Quocumque die comederit de ligno, eodem esse moriturum, ex eoque intelligimus ipsum mille annos non implesse ; sic et illud, quod scriptum est, accipimus, *Dies Domini velut mille anni* [a]. » Ibi Millenariorum opinionem sequitur Justinus, et ex Joannis Apocalypsi comprobat. Hac enim imbutum illum fuisse, ut et Irenæum, aliosque veteres, alibi demonstravimus [3].

Cæterum expositio illa divini præcepti mortem interminantis quam minime congruat, per se omnes vident. Nec alia potest melior excogitari, quam quæ plerisque veterum placuit : id esse *morte morieris*, morti obnoxius, et latæ in te sententiæ, ac damnationis esse reus incipies ; tum ad mortem quotidiana virium, et corporis defectione progredi ; sive continuus tibi erit cursus ad mortem nec in eodem statu, et integritate consistes. « Vitæ enim hujus principium, ait Prosper [4], mortis exordium est ; nec prius incipit augeri ætas nostra, quam minui. Cui si quid adjicitur spatii temporalis, non ad hoc accedit, ut maneat, sed in hoc transit, ut pereat.

De hoc audiendus plane Chrysostomus, qui quæstione proposita, qui comminationi illi divinæ exitus respondeat, sic eam dissolvit : « Quamvis multorum annorum spatio vixerint ; tamen ex quo audierunt illud, *Terra es, et in terram redibis* ; et sententiam mortis acceperuut, mortales facti sunt, atque ex eo tempore illos esse mortuos. aliquis merito dixerit. Hoc vero Scriptura significans ita dixit : *Quacumque die comederitis, morte moriemini ;* quasi diceret, sententiam hanc accipietis, ut mortales deinceps sitis. Ut enim in humanis judiciis, postquam in reum pronuntiata sententia est, ut ei caput amputetur, isque mox in carcerem abducitur ; licet diu ibi maneat, nihilo melius jam mortuis, extinctisque deget, utpote jam sententia ipsa mortuus. Eodem modo et illi ab ea ipsa die, ex qua sententia in eos mortalitatis edita est, etsi longo tempore superstites fuerunt, sententia ipsa jam mortui sunt [b]. »

a Just. *Dial.* Νενοήκαμεν ὅτι χίλια ἔτη ἐν μυστηρίῳ μηνύει. ὡς γὰρ τῷ Ἀδὰμ εἴρητο, ὅτι ᾗ δ' ἂν ἡμέρᾳ φάγῃ ἀπὸ τοῦ ξύλου, ἐν ἐκείνῃ ἀποθανεῖται, ἔγνωμεν αὐτὸν μὴ ἀναπληρώσαντα χίλια ἔτη, συνήκαμεν καὶ τὸ εἰρημένον, ὅτι ἡμέρα Κυρίου ὡς χίλια ἔτη.

b Chrys. hom. XVII *in Gen.* Εἰ γὰρ καὶ πολὺν ἐτῶν χρόνον ἔζησαν, ἀλλ' ὅμως ἀφ' ἧς ἤκουσαν τὸ, γῇ εἶ, καὶ εἰς γῆν ἀπελεύσῃ, καὶ τὴν ἀπόφασιν ἐδέξαντο τοῦ θανάτου, θνητοὶ γεγόνασι, καὶ ἐξ ἐκείνου ἄν τις εἴπεν αὐτοὺς τεθνηκέναι. τοῦτο οὖν καὶ ἡ γραφὴ αἰνιττομένη εἶπεν, ὅτι ᾗ δ' ἂν ἡμέρᾳ φάγητε, θανάτῳ ἀποθανεῖσθε, ἀντὶ τοῦ, τὴν ἀπόφασιν δέξεσθε τοῦ θνητοὺς λοιπὸν εἶναι ὑμᾶς. καθάπερ γὰρ ἐπὶ τῶν δικαστηρίων τῶν ἀνθρωπίνων, ἐπειδὰν ἀπόφασίν τις δεξάμενος τοῦ πάντως τὴν κεφαλὴν

1 *Psal.* XCVIII.— 2 *Esa.* cap. LXV, 22.— 3 Lib. VII, tom. I, cap. XIV.— 4 Lib. II *de Vocat. gent.* cap. VIII.

VIII. Sed vim præcepti, et conditionem Adamo divinitus latam pulchre Fulgentius declarat in libro *de Incarnatione, et gratia Christi*[1]; cujus verba sunt ista : « Proinde a bono, justoque creatore illi homini, inquit, quem in corpore animali conditum ditavit intelligensiæ, ac justitiæ dono, justa est utrimque statuta conditio, ut scilicet, si obedientiam, quæ prima virtus est, custodiret, ex animali, in qua creatus erat, corporis qualitate, ad spiritualem, immortalemque statum, sine corporis morte (quia sine animæ iniquitate) transiret, accepissetque divino munere, si præcepta servasset, non solum perfectam, atque inamissibilem corporis immortalitatem, verumetiam in anima talem gratiam sancte, justeque vivendi, ut peccare deinceps omnino non posset, si non peccaret, donec peccare potuisset. Creatus ergo primus homo de terra terrenus, accepit quidem gratiam, qua non posset peccare, si peccare vellet[a]; nondum tamen tantam acceperat gratiam, qua nec peccare vellet omnino, nec posset, ut scilicet a bono, justoque Domino post esset illud munere largiendum, si voluntarie fuisset hoc a servo prius in opere custoditum. Quod si bono, justoque neglexisset obedire mandato, post mortem animæ, quam delinquendo ipse sibi noxius intulisset, etiam per corporis mortem vitæ præsentis mutaretur incommodo; nec tenere sineretur jugiter in carne peccati damnabilem vitam, qui noluisset in corde servare justitiam; essetque pœnaliter etiam corpore mortis deinceps necessitate constrictus, qui contumaciter salubria jussa transgrediens, spirituali morti sponte fuisset obnoxius. Nisi enim præcessisset in peccato mors animæ, nunquam corporis mors in supplicio sequeretur. Hoc Apostolica docet auctoritas, quæ ait, *corpus quidem mortuum propter peccatum*[2]. Ideo post peccatum voluntaria prævaricatione commissum, sententiam Dei punientis hoc audire meruit sermone peccator : *Terra es, et in terram ibis.* Homo igitur in terram carne non iret, si terra peccando non fieret. »

Auctoris sententia.

IX. Atque illa, quam maxime probamus, divini decreti, ac loci Geneseos enarratio, uti mors idem sit ac mortalitas, et perpetuus ad finem vivendi, exitumque progressus, quantum est in conditione ipsa corporis, usum habet alium haud sane contemnendum. Versatur enim inter doctos theologos, ac Scripturarum interpretes non levis quæstio, utrum omnes Adami posteri morituri sint, an excipiendi sint aliqui communi ab illa lege, ac necessitate moriendi; utrimque autem et Scripturarum testimoniis, et suffragatorum numero, ac dignitate certatur. Neque vero propositum hic habeo de hac controversia disputare pluribus; quod alii ante nos accurate præstiterunt; imprimis autem Guillelmus Esthius in commentariis ad epistolas Pauli[3], et Franciscus Suarez[4], ut cæteros recentiores missos faciam. Ex antiquis autem Hieronymus plenissime illam exposuit in epistola XLII. Mihi satis hoc loco fuerit admonere, si eo modo, quem Augustinus, aliique veteres tradunt, illud accipiatur Adamo dictum, *morte morieris*, verum hoc nihilo fore minus, tametsi, sub occasum ultimum mundi, complures sine morte transituros ad immortalitatem esse dicamus. Nam et ipsi ad eamdem Adami damnationem pertinent, eo quod a primo nativitatis ortu ad extremum usque mortalis vitæ tempus, per ætatum vicissitudines, et mutationes corporum trahendi sunt ad mortem; quod ipsum erit sine intermissione mori, licet ex accidenti, non eadem atque in reliquis clausula terminandus sit decursus ille moriendi.

Pœna mortis in commodum versa a Christo.

X. Postremo non sine grata divinæ bonitatis in homines, indulgentiæque prædicatione transmittendum illud est, quod multum commendatur a Patribus, pœnam ipsam mortis, in quam Adamus cum posteris suis incurrit, magnum in illorum commodum vertisse; atque ideirco Deum, cum labem illam humani generis resarcire, et quæ primorum parentum vitio erant amissa, recuperare vellet, legis illius, ac mortis gratiam facere noluisse. Quod Gregorii Nysseni verbis malo, quam meis, explicare; sunt enim elegantissima. « Nihil aliud, inquit, mors est in hominibus, quam vitiositatis expiatio. Etenim, cum initio natura nostra tanquam vas quoddam bonorum capax à Deo omnium conditore procreata fuisset, at hostis anima-

ἀποτμηθῆναι, εἶτα εἰς τὸ δεσμωτήριον ἐμβληθῇ, κἂν ἐπὶ πολὺν χρόνον διαμένῃ, οὐδὲν ἄμεινον τῶν νεκρῶν, καὶ τεθνηκότων διάξει, τῇ ἀποφάσει τεθνηκώς· τὸν αὐτὸν δὴ τρόπον καὶ οὗτοι ἐξ ἐκείνης τῆς ἡμέρας, ἐξ ἧς τὴν ἀπόφασιν ἐδέξαντο τῆς θνητότητος, εἰ καὶ πολὺν διήρκεσαν χρόνον, ἀλλὰ τῇ ἀποφάσει τεθνήκασι.

a Forte: Qua posset non peccare, si peccare non vellet.

1 Cap. XII.— 2 *Rom.* VIII.— 3 In I *ad Cor.* cap. XV. 51.— 4 Tom. II, in III, par. qu. L, disp. I, sect. 2.

rum nostrarum malum in nos fraudulenter infudisset, nec ideo locus amplius bono relictus esset ; ob hanc causam, ne insitum nobis vitium perennaret, meliori providentia, vas ad tempus morte dissolvitur, ut, elapsa vitiositate, humana natura reformetur, et ab omni labe sincera in vitam pristinam instauretur. Hoc enim resurrectio sibi vult, ut sit naturæ nostræ priorem in statum restitutio. Quamobrem, si impossibile est, naturam melius instaurari sine resurrectione, hæc autem, nisi mors antecesserit, fieri non possit ; bona utique mors est, quæ mutationis in melius initium nobis fit, et via [a]. »

XI. Hanc eamdem divini consilii solertiam copiosa, et eleganti oratione prosequitur Methodius martyr apud Epiphanium contra Origenem disputans de resurrectione corporum ; ubi artificis similitudine utitur, qui statuam ex auro affabre factam, ac subinde fœdatam, et corruptam reficere volens, primum conflat, ac liquefactam resolvit, ut deinde pristinum in statum, aut etiam meliorem refingat.

Gregorius quoque Nazianzenus oratione XLII, mortem in eum finem a Deo inflictam esse dicit, « ut ne immortale esset in homine malum. Ita in benignitatem pœna convertitur ; sic enim punire Deum arbitror [b].» Sic Theodoretus, « medicinam ait esse, non supplicium [c]; » quod et Titus Bostrensis[1] ante illum dixit. Zacharias quoque Mitylenæus [2] in disputatione *de mundi Opificio* idipsum tradit, et similitudine vasis explicat, ut et Glycas qui Chrysostomum, et Basilium citat.

Cur Christus pœnam credentibus non remiserit.

Cur autem Christus credentibus in se largiri istud noluit, ut ne mortem experirentur, causam ita disserit Augustinus in libro secundo *de peccatorum meritis, et remissione*, capite XXXI « Poterat, inquit, etiam hoc donare credentibus, ut nec istius experirentur corporis mortem; sed si hoc fecisset, carni quædam felicitas adderetur, minueretur autem fidei fortitudo. Sic enim homines mortem istam timent, ut non ob aliud felices dicerent esse Christianos, nisi quod mori omnino non possent. Ac per hoc nemo propter illam vitam, quæ post istam mortem beata futura est, per virtutem etiam contemnendæ ipsius mortis ad Christi gratiam festinaret; sed propter removendam mortis molestiam delicatius crederetur in Christum. Plus ergo gratiæ præstitit; plus fidelibus suis sine dubitatione donavit. Quid enim magnum erat videndo, non mori eos, qui crederent, credere se non moriturum? Quanto est majus, quanto fortius, quanto laudabilius, ita credere, ut se speret moriturus sine fine victurum? »

Ita Macarius homilia XV. « Si immortalis, inquit, esset homo, et incorrupto corpore, cum rem novam, et admirabilem totus mundus videret, non corrumpi Christianorum corpora; quadam necessitate, non voluntatis proposito ad tantum bonum aspiraret [d]. » Chrysostomus homilia XC tomi quinti, eleganter de ea re disserit, quanto Dei beneficio mors in hominum commodum sit conversa. Philippus item Abbas Bonæ Spei, capite XXIV ait, « hominem morte damnatum, ne post peccatum semper vivens, et semper peccans, semper miseram duceret vitam. »

XII. Sed de toto dierum sex opere hactenus; nam cætera quæ deinceps sunt secuta, velut Serpentis cum muliere collocutio, ejusque lapsus, et post hanc Adami, ac quæ eodem spectant, intra sex illos dies meo judicio non continentur. Est hoc quidem dubium, nec omnino compertum, quanto temporis spatio in voluptuario illo domicilio, et innocentis vitæ statu primi nostri parentes manserint; variantque de eo conjecturæ. Cæsarius

a Greg. Nyssen. or. *in Fun. pulch.* Οὐδὲν γὰρ ἄλλο τί ἐστιν, ἐπ' ἀνθρώπων ὁ θάνατος, εἰ μὴ κακίας καθάρσιον. Ἐπειδὴ γὰρ οἷόν τι σκεῦος ἀγαθῶν δεκτικὸν τὸ κατ' ἀρχὰς ἡ φύσις ἡμῶν παρὰ τοῦ θεοῦ τῶν ὅλων κατεσκευάσθη, τοῦ δὲ ἐχθροῦ τῶν ψυχῶν ἡμῶν δι' ἀπάτης τὸ κακὸν ἡμῖν παρεισχέαντος, τὸ ἀγαθὸν χώραν οὐκ ἔσχεν· τούτου ἕνεκεν, ὡς ἂν μὴ διατονίζῃ ἡμῖν ἡ ἐμφυεῖσα κακία, προνοίᾳ κρείττονι θανάτῳ τὸ σκεῦος πρὸς καιρὸν διαλύεται, ἵνα τῆς κακίας ἐκρυείσης ἀναπλασθῇ τὸ ἀνθρώπινον, καὶ ἀμιγὲς κακίας τῷ ἐξ ἀρχῆς ἀποκαταστῇ ῥίζῃ. τοῦτο γάρ ἐστιν ἡ ἀνάστασις, ἡ εἰς τὸ ἀρχαῖον τῆς φύσεως ἡμῶν ἀναστοιχείωσις. εἰ οὖν ἀμήχανόν ἐστιν ἀναστοιχειωθῆναι πρὸς τὸ κρεῖττον τὴν φύσιν χωρὶς ἀναστάσεως θανάτου, εἰ μὴ προηγησαμένου, ἀνάστασις γενέσθαι οὐ δύναται, ἀγαθὸν ἂν εἴη ὁ θάνατος, ἀρχὴ καὶ ὁδὸς τῆς πρὸς τὸ κρεῖττον μεταβολῆς ἡμῖν γινόμενος. Vide eumdem *in Catach.* cap. VIII.

b Nazianz. Ἵνα μὴ ἀθάνατον ᾖ τὸ κακὸν καὶ γίνεται [illegible].

c Theod. Ἰατρεία τοίνυν ὁ θάνατος, οὐ τιμωρία.

d Macar. Εἰ δὲ ἀθάνατος ἦν ὁ ἄνθρωπος, καὶ κατὰ τὸ σῶμα ἄφθαρτος, ῥλέπων ὅλος ὁ κόσμος τὸ παράδοξον τοῦ πράγματος, ὅτι μὴ φθείρεται τὰ σώματα τῶν Χριστιανῶν, ἀνάγκη τοίνυν τινὶ, ἀλλ' οὐχ ἑκουσίᾳ γνώμῃ πρὸς τὸ ἀγαθὸν ἀνήγετο.

1 Lib. II. *cont. Man.* tom. IV *Bibl. Patr.* col. 908.— 2 Tom. I *Bibl. Patr.*

partim dies quadraginta præfinit[1], partim longiore ibi fuisse spatio putat. Cedrenus septem annos, aut centum etiam. Quæ ut temere definita, constitutaqua credimus ; sic eodem, quo creati sunt, die in tantam calamitatem illos incidisse, equidem non arbitror ; etsi scio, aliter Irenæo placuisse[2], qui eadem die, ac feria sexta primum anima mortuum Adamum, id est peccasse putat ; deinde post aliquot sæcula etiam corpore functum ; qua secundus passus, ac mortuus est Adamus. Sed nescio quomodo mihi opinio ista non placet. Quare, uti dixi, quæ deinceps in illa primorum hominum historia consecuta sunt, aliena sunt a proposito, institutoque nostro; quorum etiam bona pars, quæ ad illorum peccatum attinet, proprium locum expectat, cum de originali peccato disputabimus.

1 Dial.III interrog. CXXII.— 2 Lib. V. cap. XXIII.

Videsis appendicem Casini de statu puræ naturæ quem post librum quintum et ultimum hujus tractatus de opificio, ante tractatum de Pelagianismo locandum curavimus, ut textus Petavianus non interrupta serie legendus veniat.

J.-B. F.

THEOLOGICORUM DOGMATUM

DE OPERE SEX DIERUM

LIBER TERTIUS

IN QUO DE LIBERO ARBITRIO AGITUR.

CAPUT PRIMUM.

De liberi arbitrii natura hæreticorum Lutheri, Calvini, et aliorum sententia proponitur; tum huic affinis catholicorum quorumdam, qui cum illis sentiunt, libertati solam opponi coactionem, non necessitatem. Quibus primum Tridentinæ synodi decretum opponitur, ac Romanorum Pontificum. Quid sit voluntatis libertas. Falso ab illis infamari Catholicam libertatis definitionem, quod in eam Philosophi consentiunt.

Liberum arbitrium præclarissimados hominis.

I. Cum sit illud homini maxime proprium et insitum, quo a cæteris distat animantibus; distet autem hoc ipso, quod ad imaginem Dei sit conditus, ut nos Mosis narratio docuit; evidens est hominis naturam in illa divinitatis imagine consistere. Hanc autem imaginis vim et rationem veterum plerique constituunt in eo, quod sui juris potestatisque sit itidem, ut Deus; quod Græci αὐτεξούσιον, nos *liberum arbitrium* nominare solemus. Quare, qui libertatem ac sui potestatem eripit homini, naturam eidem detrahit, hominemque tollit ex homine. Fecerunt hoc illi primum, et hodieque faciunt, qui, fati necessitate posita, huic hominis etiam voluntatem subjiciunt, ut olim Democritus, Epicurus, ac reipsa quoque Stoici, et Platonici, etsi verbo aliter sentiebant; tum hæretici veteres, Valentiniani, Manichæi, ac reliqui similes, qui hominum genus non uniusmodi, sed dissimilis naturæ ac conditionis esse putabant, et alios per sese ac substantia bonos et electos, alios malos et reprobos; contra quos Irenæus, Clemens Alexandrinus, Epiphanius, aliique disputant. Idem et nostra ætate novi instituerunt hæretici, Lutherus, Calvinus, amborumque sectam professi; nisi qui forsitan ex illis communis naturæ, sensusque vocem audientes, ab magistrorum descivere placitis, et ex parte aliqua sapere didicerunt.

Nos de hominis natura, et imagine Dei, ac libertate dicere ingressi, priscos illos omittemus fabularum architectos, et cum nuperis istis novarum conditoribus hæresum certamen suscipiemus, imprimisque Calvino, cujus de libero arbitrio sententiam illius verbis explicabimus; tum aliorum quorumdam ex eodem grege, nec non Lutheri, aliorumque dicta subjiciemus. Contra quos omnes Tridentinæ synodi auctoritate comprobatum opponemus fidei dogma, eique consentaneam ostendemus esse veteris Ecclesiæ professionem, antiquorum Patrum monimentis traditam, præsertim Augustini, quo plurimum uti se, ac confidere, Calvinus in illa quæstione præ se tulit.

II. Liberum arbitrium *titulum esse sine re*, quod Lutherus antea docuerat, probat Calvinus in antidoto concilii Tridentini[1], idque *Christo auctore* dici asserit, nempe si liberum arbitrium *facultatem* significet *in utramque partem liberam; ac solutam*. Lutheri vero inter articulos a Leone X damnatos tricesimus sextus sic habet: « Liberum arbitrium post peccatum est res de solo titulo. » Et in assertione articulorum a Leone damnatorum, « Liberum, inquit, arbitrium est figmentum in rebus, seu titulus sine re. »

Liberum arbitrium titulus sine re, juxta hæreticos.

Rursus Calvinus idem in secundo *Institutionum*[2], tam Latinos reprehendit, qui *liberi arbitrii* nomen retinuerunt, quam Græcos, qui « multo arrogantius usurparunt vocabulum, siquidem αὐτεξούσιον dixerunt, ac si potestas sui penes hominem fuisset, » et alibi

1 Ad can. v, sess. VI Opusc. Theol.— 2 Cap. II, § 4.

vocat[1] « liberi arbitrii simulacrum; » proinde voluntatem censet[2], « necessitate in malum trahi, vel duci, » ac *necessario* peccare hominem[3], et tamen voluntarie, quia non coactus, neque *violenta coactione* impulsus agit. Quocirca necessitatem a coactione discernit, et hanc voluntati esse contrariam affirmat, non illam. Nec peccare tantum necessario homines, sed etiam « motum gratiæ necessario sequi ita[4], ut libera cujusque electione non aut recipiatur, aut respuatur. » Neque enim, cum homini gratia, et justitia divinitus infunditur, agere, et ex se contribuere aliquid voluntatem putat; sed totum adscribit gratiæ sic, ut « passive agant fideles, ut ita loquar, inquit, quatenus e cœlo suggeritur facultas[5], ut nihil sibi prorsus arrogent. »

Coactionem solum libertati opponi contendunt hæretici, non necessitatem.

Sed in libro secundo *de Libero arbitrio* contra Pighium[6], plenius, ac disertius mentem suam aperit. Cum enim Pighius liberum sic interpretatus esset, « quod sui juris est, aut sui ipsius habet potestatem, nempe ita faciendi, quidquid facit, ut non necessario faciat, sed possit non facere; » contra ille præscribit: « Si coactioni opponitur libertas, liberum esse arbitrium; si hoc sensu liberum vocetur, quia non cogatur, aut violenter trahatur externo motu, sed sponte agatur sua. » Ac paulo post *liberum arbitrium* idem definit esse quod *spontaneum*; quod, ut cohærere potest cum *necessario*, ita *coacto* repugnat. Qua exceptione tutatur se ab omnibus Pighii argumentis, ac testimoniis antiquorum Patrum, quæ haud pauca ille congesserat. Sic etiam in *Antidoto* ad articulum secundum Parisiensium theologorum.

III. Eadem, ut paulo ante monui, Lutheri est opinio, quam fuse describit in commentario ad caput tertium *Geneseos*, et in libro *de servo arbitrio* adversus Erasmum; quam et reliqui deinceps amborum secuti sunt discipuli. Vide Calvini alumnum Bezam præsertim in *Tractatione theologica* prima, capite quarto, ubi « nullum esse dicit gratiæ et liberi arbitrii concursum. Qui enim concurreret liberum arbitrium, quod nusquam est antequam a servitute peccati sit manumissum? » Et in libello *Quæstionum et responsionum Christianarum*, *liberum arbitrium* nihil aliud esse, quam *spontaneum* affirmat. Ac paulo post quærenti, quomodo liberum dicatur, quod necessitate ad unam tantum partem feratur, discrimen illud opponit *coactionis*, et *necessitatis;* quo et ante Bucerus opinabatur[7], inter partes sarciri posse concordiam, si cum catholici liberum esse dicunt arbitrium, intelligant, liberum a coactione, non autem a necessitate; Lutherani vero, qui negant esse liberum arbitrium, id de libero interpretentur a necessitate, non a coactione.

Necnon aliqui se catholicos profitentur.

IV. Hanc ipsam necessarii, et coacti differentiam pauci quidam, qui se catholicos profitentur, ab adversariis traditam amplexi sunt. Qui liberum arbitrium negant in eo statu consistere, in quo voluntas ad asciscendum utrumvis e duobus saltem minime determinata sit, sed indifferens. Verum, quantumvis necessario, et ad unum definito impetu trahatur ad appetendum, nihilominus agere illam libere, si id sponte faciat, nec vi cogatur ulla, quam solam putant esse libertatis inimicam. Ac *liberum* id esse volunt, quod sui juris est, et potestatis; cui opposita est servitus, quæ sub dominatu, et potestate est alterius. Id autem habere in potestate dicimur, *quod, cum volumus, facimus*, ut ait Augustinus[8]. « Quare, quidquid fit quandocumque volumus, et non fit quando nolumus, liberum est. Si vero, cum volumus, non fiat, vel si nolumus, fiat, non est liberum, quia non est in nostra potestate. » Addunt « Implicare contradictionem[9], ut voluntas non sit libera, sicut implicat, ut volendo, non velimus, aut non faciamus, quod volumus, hoc est ut voluntas non sit voluntas. »

Manifestum est apud eos, qui sic sentiunt et loquuntur, *liberum arbitrium*, et *voluntatem*, seu *volitionem* pro uno et eodem accipi; nec aliud esse velle, quam libere velle, et « impossibile esse ut velle non sit liberum. » Quocirca voluntati[10], sive facultatis hujus actioni, quam pridem scholæ *volitionem* dicere instituerunt, necessitatem illam duntaxat esse contrariam docent, quæ *coactionis*, aut *violenta* nominatur, « quæ operatur effectum suum, etsi nolis, seu quantumcumque renitaris, » alteram vero necessitatem, « qua simpliciter necesse est aliquid fieri, sine renisu voluntatis, cum libero arbitrio consistere, » Quam quidem doctrinam tum aliorum Patrum, tum imprimis Augustini fuisse asserunt, freti illa distinctione necessitatis cogentis, et simplicis; quarum illa « capitaliter repugnat libertati, eamque funditus perimit, non au-

1 Lib. II *Instit.* cap. v, § 11.— 2 Cap. III, § 5.— 3 Idem, lib. II, cap. III, § 5 et cap. IV, § 1.— 4 Lib. II, cap. III, § 13 et 14.— 5 Lib. II *Instit.* cap. v, § 11.— 6 In tract. Theol.— 7 Lib. *de Confens. doctr. cit. a Bellar.* lib. III *de Grat.* et *lib. arb.* cap. IV.— 8 Aug. l. III *de Lib. arb.* cap. III.— 9 Tom. III, lib. VI, cap. V.— 10 Ib. cap. VI.

tem altera, quæ est simul voluntaria, qua scilicet simpliciter necesse est, aliquid fieri, non repugnante, sed immutabiliter volente voluntate. »

V. Ex iis, cæterisque quæ in eodem argumento disputare solent, satis indicant, a quibus ita sapere ac loqui didicerint. Enimvero non aliunde quam ab Luthero, Calvino, Bucero, Theodoro Beza, et reliquis ejusdem sectæ ac sacramenti, illam liberi arbitrii rationem ac necessitatis simplicis cum eo concordiam, coactionis vero solius repugnantiam hauserunt. Quanquam in eo deteriores sunt, et auctores magistrosque suos vincunt inscitia, quod illi ingenue profitentur, liberum arbitrium quale in Ecclesia catholica defenditur, et ab Tridentina synodo declaratum est, in homine non esse post Adami peccatum, sed solam voluntatis ad unum adactæ, ac definitæ licet, propensionem, et ὁρμὴν, id est *appetitionem spontaneam*, non tamen in utrumvis liberam, et quasi suspensam inclinationem illius esse præsertim iis in rebus, quæ ad fidem, et sempiternam salutem pertinent. At isti, ut ab illa se factione segregent, et catholicos ostentent, dum et liberi arbitrii nomen retinent, et rem nominis perperam exponunt, neque sanitatem illam catholicæ, cujus speciem usurpant, fidei retinent, et communem insuper humanæ sensum mentis amittunt.

Nam eadem, quam illi impune, ac sponte suscipiunt, istorum quoque invidia premitur opinio; dum et necessitate constringi homines ad peccandum, nulla vi tamen coactos, juxta atque Lutherus, et Calvinus affirmant, et eadem necessitate trahentem sequi gratiam, cum eam repudiare nequeant. Immo longius progressi, sanctos ipsos asserunt, in cœlesti regno felicitatis æternæ compotes Deum amare libere, tametsi non amare non possunt, et Deum in æternis processionibus, hoc est in Filii ac Spiritus sancti productione esse liberrimum.

Hæc opinio pestifera.

VI. Hæc illorum est opinio; quæ « quam sit noxia, et saluti nostræ, quæ in Christo est, perniciosa, atque contraria, ipsique religioni, qua imbuti sumus, et pietati, qua Deum colimus, quam vehementer adversa, verbis explicare non possumus, » ut Augustini verbis utar, dissimili ab argumento ad id, quod agitur modo, non immerito translatis. Quam antequam oppugnare aggredior, ut ad certam formulam dirigatur, et quási coerceatur disputatio nostra, ne in infinitum evagetur, catholicæ decretum Ecclesiæ velut in fronte ponendum est, ex Tridentina synodo depromptum, ac duobus comprehensum canonibus, qui sunt in sessione sexta; « Si quis dixerit, ait canone IV, liberum hominis arbitrium a Deo motum, et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, et vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat, ac præparet; neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam, nihil omnino agere, mereque passive se habere, anathema sit. » Canone vero sequenti, « Si quis, ait, liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum, et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, immo titulum sine re, figmentum denique a Satana invectum in Ecclesiam, anathema sit. »

Et Tridentinis decretis damnata.

His sanctissimæ synodi decretis omnis illa, quam exposui supra, de arbitrii liberi statu, et natura opinandi licentia comprimitur. Nam duo præscribit, quæ sunt illi, qui ab catholica fide dissentire nolit, constanter tenenda. Alterum, eam esse vim arbitrii liberi, ut ad neutrum necessario determinatum sit, cum eligit e pluribus aliquid, sed sic unum amplecti, ut posset alterum; quod etiam *in justificationis gratia* valere censuit, ad quam ita se consentiendo « disponit, ac præparat, ut possit dissentire, si velit. » Alterum, « liberum arbitrium post Adami peccatum » manere adhuc in nobis.

Accedunt iis synodi decretis Romanorum pontificum duorum sanctiones [1], Pii V et Gregorii XIII quibus damnantur sententiæ istæ: « Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fieri. » Et, « Solam violentiam repugnare libertati hominis naturali. » Tum Parisiensium theologorum articulus ille, contra quem Calvinus invectus est in *Antidoto* suo: « Eadem fidei constantia est tenendum, homini inesse liberum arbitrium, quo potest bene, vel male agere, et per quod, etiamsi in peccato mortali fuerit, Deo adjuvante, ad gratiam resurgere valet. »

Necnon romanorum Pontific. sanctionibus.

VII. Ex hac sentiendi de libero arbitrio, loquendique formula, quam Ecclesiæ nobis auctoritas sacrosancta præscripsit, consequens nostra disputatio procedet; in qua de libero arbitrio agere constitui, contra et priores illos, ac professos catholicæ pietatis hostes, et novos istos eo magis infestos, ac metuendos

[1] Apud Bellar. lib. III *de Grat.* et lib. arb. cap. v.

quod sub catholico nomine eadem cum illis, et haud paulo etiam absurdiora defendunt. Ac, cum utrique veterum pro se auctoritates, ac testimonia proferant, nam et Calvinus Patres aliquot citavit in libris *adversus Pighium*; tum posteriores multo se majore testium copia tuentur, non modo Græcorum, Latinorumque Patrum, sed etiam scholasticorum. Tam hi vero, quam illi, unicum et præcipuum in Augustino causæ suæ præsidium statuunt; hunc se patronum, et auctorem certissimum habere jactitant, ex hoc pendere se gloriantur uno. Quamobrem in utrisque refellendis, sed potissimum istis præcipuus noster labor esse debet, ut eos ostendamus, cum omnium illorum auctoritatem testium, tum veterum maxime Patrum ementitos esse; nec fingi quidquam posse alienius ab ulla re, quam est ab antiquorum placitis ac doctrina, temeritas istorum. Atque hoc eo libentiore animo facimus, quod id instituti a nobis operis proprium est, ut de unaquaque quæstione Græcorum, Latinorumque Patrum exquiramus sententias.

In quo veræ libertatis sita ratio.

Quod antequam vel ipse hic ago, vel hoc agentem me eruditus lector assectans procedat longius; imprimis illius, de qua contendimus, libertatis est constituenda ratio. De qua in libro quarto *de Deo, divinisque proprietatibus*[1], abunde dictum est, cum de Dei voluntate sermonem facerem; cujus explicandæ gratia, liberi arbitrii ac libertatis naturam generatim exposui. Ita enim necesse tum habui, ne in ambiguo et incerto hæreret quæstionis illius ibi suscepta tractatio. Quamobrem, ut ad sequentia recens, ac bene paratus ab rei necessariæ perceptione lector se conferat, repetenda inde sunt illa, quæ de liberi arbitrii natura universe tradita sunt; quatenus sine illis intelligi, quæ sunt deinceps dicenda, nequeunt. Horum igitur, quæ copiose ibi pertractavimus, hæc summa conficitur.

VIII. Liberum arbitrium tum ex philosophorum, tum ex theologorum veterum decretis ejusmodi esse demonstravimus, ut sit facultas intelligentis naturæ, quæ ex pluribus ad eligendum propositis unum asciscere potest, rejecto ac segregato altero. Ita fieri, ut, si unum tantummodo aliquid propositum sibi habeat, quod definita sit illius, ac determinata vis, non libere, quod agit, voluntas agat, sed necessario. Etenim nulla sine προαιρέσει, id est *electione*, libera est actio voluntatis, nec ulla sine consultatione, ac deliberatione est electio. Nam προαίρεσιν definit Aristoteles, « Eorum, quæ in nostra potestate sita sunt, ex deliberatione constantem appetitionem[a]. » Et in capite IV προαίρεσιν ait esse quidem ἑκούσιον[b], id est *spontaneum* aliquid, sed non omne id, quod ἑκούσιον est, esse προαιρετὸν, sed id solum, quod est προβεβουλευμένον, hoc est *consultatione*, ac *deliberatione fixum*[1]. Itaque Andronicus in *Paraphrasi Nicomacheorum*, προαίρεσιν ita definit, ut *sit appetitio cum consilio*[c]. Quam definitionem frustra in editis requiras; ibi enim μεταβολῆς legitur, et ita vertit Interpres: *Etenim mutationis appetitus prælectio vocatur*, nullo penitus sensu; quare μετὰ βουλῆς omnino reseribendum videtur. Hanc autem electionis definitionem S. Thomas ex Aristotele sumptam ita concepit [2]: *Electio est appetitus præconsiliati*. Porro consilium, sive consultatio, ac deliberatio omnino non est, ubi plurium libera non est optio, sed ad unum affixa necessario est, et constricta voluntas, quamvis idipsum sponte persequatur, immo ardenter expetat et avide complectatur. Hæc sunt exposita pluribus ibi, ubi de voluntate Dei disseruimus, tam ex Lyceo, Peripateticorumque, nec non Platonicorum sumpta decretis, immo vero ex ipso naturæ communis hausta sensu, quam ex Scripturis, et Græcorum Latinorumque Patrum testimoniis deprompta. Quæ quidem, si sincere, ac bona fide res agatur, idonea sunt ad veterem, usuque receptam cuivis persuadendam sententiam.

IX. At nuperi theologi adversus omnia illa triplici se præsidio defendunt; quorum primum neque fortem, ac robustam, neque copiosam orationem desiderat, ideoque paucis eo, quod reliquum est capitis hujus, absolvam, cætera duo, in quibus controversiæ summa vertitur, in sequentibus expendam.

Cum igitur suum illud de libertate, arbi-

a Arist. III *Eth.* cap. v. Καὶ ἡ προαίρεσις ἂν εἴη βουλευτικὴ ὄρεξις τῶν ἐφ' ἡμῖν.

b Ibidem cap. IV. Ἑκούσιον μὲν δὴ φαίνεται· τὸ δ' ἑκούσιον, οὐ πᾶν προαιρετὸν· ἀλλ' ἅμα γε τὸ προβε-

c Andron. lib. III, cap. III. Ἡ γὰρ μετὰ βουλῆς ὄρεξις προαίρεσις καλεῖται.

1 Tom. I, lib. IV, cap. VI et VII.— 2 S. Th. I, II, qu. XIV, art. 1.

trioque libero figmentum everti viderent iis rationibus ac principiis, quæ ab Aristotele, mediaque ex philosophia petita, quotidiano scholarum omnium usu traduntur; ne quid inde negotii fieret, hac se una præscriptione muniunt. Negant, eamdem libertatis esse rationem apud ethnicos philosophos, quæ est apud Christianos, Augustini primum, tum reliquorum Patrum decretis ac monimentis prodita. Priores illos liberum voluntatis arbitrium in quadam agendi, aut non agendi, hujus aut illius vel amplectendi, vel relinquendi potestate ponere; istos vero, præque omnibus Augustinum, ut dixi, aliter existimare. Itaque libertatem illam contemptim, et illudendo, *philosophicam*, et *Aristoteleam* nominant; immo, ubi se commoverunt, ac pugnando calefecerunt, infami nomine *Pelagianam*; vel hæc ipsa ab uno illorum quanta confidentia, quantoque fastu, ac supercilio jactata! « Fidenter dico: quicumque doctrinam istam a nobis traditam erroris insimulare ausus fuerit, non Augustinum, non Bernardum, sed philosophiam fortassis Aristotelis ducem, ac patronam habiturus est; et in ista catholicæ doctrinæ culmina, et columina (ut nihil de cæteris eorum sectatoribus eruditis, et sanctis loquar) necesse est, ut anathema primum dicat. »

X. Ego vero de Augustino, Bernardo, ac cæteris, quos invitos ac renitentes in partes trahere conatur, mox videro. Ostendam nihil iis cum nova ista calumnia commune fuisse. Nunc illud videndum, quod paucis exequi primo loco statui, cujusmodi sit, quod communem illam ac receptam libertatis notionem in invidiam vocet eo nomine, quod in eam philosophi, Plato, Aristoteles, cæterique conspirent. Mihi quidem, credo, et prudenti cuilibet, ob id retinenda potius et alteri præferenda videtur, quod sit pervetus, quod communibus hominum insita sensibus, quod ab ipsis naturæ veluti manibus accepta. An, si quid de natura rerum humana sapientia constituti habet, ac cogniti, cujusmodi sunt principia, et communia quædam effata quæ in omni cognitione dominantur, idcirco repudianda nobis erunt, quod ab gentili philosophia notata primum et usurpata fuerunt? Nimis hoc quidem iniqui, imo vero tum indocti, tum angusti, illiberalisque sit hominis. Ac veteres illos ex Christiana memoria prudentes et eruditos Theologos audiemus potius, qui ab externa ista sapientia non mediocrem usum redundare putarunt in Christianorum dogmatum scientiam; idque cum factis et exemplis suis, tum præstantibus dictis testatum posteris fecerunt. Certe Clemens Alexandrinus in libris *Stromateon* non pauca veteris illius ad commendationem philosophiæ dixit, in qua « velut igniculum ait esse quem suffuratus est Prometheus, ac vestigium esse divinæ sapientiæ, et impulsionem a Deo[a]. » Et eodem in libro « utilem eamdem esse dicit ad Christianam pietatem, ut quæ primæ institutionis, ac rudimenti instar sit iis, qui fidem per demonstrationem sibi comparant[b]. » Nec dubitat auctor ille gravissimus, quin a Deo data sit hominibus, non autem a Diabolo profecta; quod etiam Theodoretus libro primo *contra Græcos* eleganter ostendit. Memorandus etiam est ejusdem Alexandrini Clementis locus, qui « eorumdem esse hominum ait vituperare philosophiam et fidem reprehendere[c]. »

XI. Atqui omnibus ex decretis nullum puto ratum magis, ac testatum in illa esse philosophia, quam hominis libertatem, arbitriumque liberum in potestate esse situm optandi quod velis e duobus saltem sic, uno rejecto, quod amplecti posses, ut alterum eligas, quod posses rejicere. Hoc enim docuerunt; hoc sæpe, multumque concordibus animis ac sententiis tradiderunt, dissentiente prorsus nemine. Quod argumento esse debet, non tam hominum, præsertim cæteris in rebus invicem dissidentium, quam naturæ vocem illam fuisse; siquidem « Omnium consensus naturæ vox est, » ut ait Cicero. Quamobrem frustra communem illam libertatis notionem calumniando *philosophicam* appellant, et contrariam nescio quam pro ea nobis conantur obtrudere; quam, necesse est, ἀφιλόσοφον, imo ἄσοφον, id est *insipientem* judicari, utpote non minus abhorrentem a sapientia, quam ab communi hominum sensu naturaque disjunctam.

Utilis externa philosophia

Quinetiam vel hoc ipso convictus et con-

a Clem. I *Strom.* Ἔστι γοῦν κἂν φιλοσοφία τῇ κλαπείσῃ καθάπερ ὑπὸ Προμηθέως, πῦρ ὀλίγον εἰς φῶς ἐπιτήδειον χρησίμως ζωπυρούμενον ἴχνος τι σοφίας καὶ κίνησις ταρὰ τοῦ θεοῦ.

b Idem. Νυνὶ δὲ χρησίμη πρὸς θεοσέβειαν γίνεται, προπαιδεία τις οὖσα τὴν πίστιν δι' ἀποδείξεως καρπουμένοις.

c Clem. Alex. V *Strom.* Τῶν αὐτῶν γοῦν φαμὲν εἶναι φιλοσοφίαν μὲν ψέγειν, πίστεως δὲ κατατρέχειν.

strictus tenetur, qui sic sentiat, quod, quam ab Aristotele, ac Peripateticorum schola, adeoque philosophis omnibus traditam dixerit libertatis rationem, et a christianorum usu propterea segregandam; eamdem prorsus illi ipsi sunt secuti, quorum testimonio, et auctoritate nituntur, ac præ cæteris S. Thomas, aliique theologi. Quod quidem paulo post exponam; prius enim de antiquis Patribus, quos opinionis suæ suffragatores habere sejactitant, cum illis confligam, deque Augustino maxime, quo imprimis patrono gloriantur. Sed quanto intervallo ab hujus, aliorumque succo et salubritate distet fallax ista, et fucata quadam obducta specie temeritas, efficiam profecto, ut hoc loco omnes intelligant; ac primum universe certas illorum calumnias, et callidas ac malitiosas interpretationes aperiam, quibus adversantes sibi Scripturæ, ac Patrum sententias non eludere solum, sed ad suas quoque partes invitas, ac repugnantes trahere instituunt; quibus animadversis non se amplius decipi, ac circumveniri veritatis magis, quam novitatis, aut contentionis amans lector patiatur.

CAPUT II.

Liberi arbitrii impugnatorum fucus, et cavillatio prima, qua veterum de libertate sententias eludunt, asserentes, cum voluntas dicitur ad opposita esse libera, id seorsim, ac separatim intelligi, ut aliquando unum, aliquando alterum velit, etsi, cum unum vult, necessario, et determinate id velit. Quæ opinio tam e Scripturis, quam ex Augustini interpretatione refellitur; ac docetur, liberum arbitrium ad utrumvis indifferens esse.

I. Liberum hominis arbitrium, hoc est naturæ illius insitam, ac perennem facultatem ita Scripturæ ac Patres exprimunt, ut in eorum sententiis elucescat medius ille voluntatis status, et in utrumlibet ex sese, ac sine ulla necessitate propensus. Hoc enim innumera sacrarum litterarum loca demonstrant, quæ vel nullam, vel ridiculam interpretationem habent, si non integra vis inesse intelligitur homini, ut alterutrum libere possit eligere, non modo citra vim, ac coactionem, sed etiam necessitate sublata, quæ unius tantummodo potestatem faciat, cæterorum prorsus eripiat. Hujus generis sunt illa testimonia, quæ ex innumeris excerpsimus, cum universe de libertatis natura disputavimus, ut ad eam, quæ propria Dei est, explicandam gradum faceremus. Sic illud *Esaiæ* primo, *Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis. Quod si nolueritis, et me ad iracundiam provocaveritis*, etc. Item illud *Ecclesiastici* xv. *Ante hominem vita, et mors, bonum, et malum; quod placuerit ei, dabitur illi.*

Ejusdemmodi sunt et illa veterum Patrum, quibus liberum arbitrium definiunt potestate volendi unum, aut alterum, sive nolendi; tum agendi, vel non agendi. Ut cum Augustinus « multa nos facere dicit[1], quæ, si nollemus, non utique faceremus. Quo primitus pertinet et ipsum velle. Nam, si volumus, est; si nolumus, non est. Non enim vellemus, si nollemus. » Aut cum ita scribit, « voluntatem esse liberum ad faciendum, et ad non faciendum animi motum[2]: » hæc, et ejusmodi alia, quibus ad utrumvis amplectendum liberi, nec ex sese definita potestas ostenditur, ita novi theologi accipiunt ut ambo illa, hoc, vel illud, et agere, vel non agere, seorsim, ac separatim, non ambo conjuncta, et ex æquo, libero arbitrio ac voluntati subjiciant; ut, etsi voluntas jus tantum optandi unius habeat, eoque necessario circumscripta sit; tamen, quia sponte, aut etiam cupide id asciscit, libere velle dicenda sit, et hoc ipsum habere in potestate, quia fit quando vult. Vult autem, etsi necessario, tamen voluntate, ideoque libere; quoniam nulla voluntas, sive voluntatis actio, quam *volitionem* appellant scholæ, non libera est.

Insulsa hæreticorum cavillatio inanesque effugium

II. Atqui calumniari istud est, et joculari licentia cavillari, illudentem non communibus tantum naturæ notionibus, sed etiam verbis, et consuetudini vocis humanæ, Quis enim sic apud se cogitet, aut loquendo pronuntiet, libere posse quempiam e duobus alterum eligere, cui nonnisi sit unum propositum, aut, ut duo sint; qui sic uni necessario sit affixus ut vel hoc nolle, vel alterum velle non possit? Ut si sitienti aquam tantummodo porrigas, aut si etiam vinum sic ostendas, ut attingere nequeat, tum sic hortere: Utrum mavis bibito; aut ita loquare: In potestate est tua frigida uti, vel vino; Et quodcumque ex ambobus voles, adhibeto;

1 Lib. V *de Civit. Dei*, cap. x,— 2 Aug. lib. *de duab. anim.* cap. xii et I *Retr.* cap. xv.

quis te sanum ac sobrium judicet serio ista dicentem, aut non jocari potius, et ludere velle censeat; si te tui compotem arbitretur? An est res ulla rei alterius similior, quam est istiusmodi facetiarum, novum illud dogma?

Audiunt eam voluntatis liberæ, arbitriique liberi definiri rationem in sacris litteris, ut quodcumque volet, e duobus eligat, hoc vel illud faciat. Nullam propemodum utriusque Testamenti paginam legunt, quæ non significationem habeat aliquam optionis liberæ, ut e duobus, quod placuerit, voluntas hominis asciscat; et tamen liberum arbitrium dicere non verentur cum summa ac definita unius volendi necessitate consistere : *Deus* [1], inquit Jesus filius Sirach, *ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata, et præcepta sua. Si volueris mandata servare, conservabunt te, et in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam, et ignem. Ad quod volueris porrige manum tuam.*

Insignis Ecclesiastici locus expenditur.

III. Non poterat expressioribus, ac magis uti conceptis vocibus, et sententiis auctor ille, si inter nos viveret, ac de lite nostra judicaret, quam istic fecit, ut libertatis humanæ arbitriique liberi naturam ac proprietatem describeret. Nam de naturali et insita homini cuique facultate loquitur, ne quis hic nobis Calvinus obstrepat [2], de solo Adami innocentis statu, ejusque libertate adhuc integra sermonem ibi fieri. Cui tergiversationi statim illud obsistit, quod mortales omnes, ac tam præsentes, quam postea futuros Adami posteros alloquitur : *Apposuit tibi*, inquit, Et, *Ad quod volueris, porrige manum tuam.* Tum quæ sequuntur, et capitis initio posita sunt *; Ante hominem vita. et mors; bonum, et malum. Quod placuerit ei, dabitur illi.* De communi itaque libertatis statu, et agendi vel non agendi potestate loquitur Sapiens; quæ divina sublevante gratia, seque ad ejus naturam accommodante, potest, si velit, obtemperare Deo et ejus mandata servare. Potest etiam si ita libitum sit, oblatæ sibi gratiæ ac præceptis obsistere, ut Tridentina synodus sanxit.

Ad utrumlibet autem manum porrigere et, quod placuerit optare non potest, si unius tantum potestas est facta. Quis homini ad necem damnato, et innexa jam cervicibus reste, de scalis exturbando sic loquitur : *Ante te vita, et mors, quod placuerit, dabitur tibi*? Nonne aut amens, aut crudeliter petulans esset qui sic misero et calamitoso vellet illudere? Nemo igitur ad utrumvis manum porrigere, id est voluntatem et libertatem applicare potest, qui non atrumque sic in potestate habeat, ut, quolibet e duobus repudiato, vel per se, vel adjuvante, quæ numquam, Deo præsertim vocante, deest, gratia possit.

IV. Ad hæc, si quid est, quod libertatis solutum ac liberum statum ex illorum opinione conturbet, concupiscentia est; quæ posteris omnibus ex morbo illo primi parentis afflata, servitutis eos quibusdam nexibus irretitos tenet. Nam absque illa foret, ut liberam et expeditam ad utrumvis potestatem, cujusmodi in Adamo adhuc innocente fuit, haberemus. Atqui istam ipsam in potestate esse nostra concupiscentiam, Scriptura demonstrat, non tantum in sanctis, sed etiam in perditis hominibus, et Dei gratia derelictis. De quo insignis est in libro *Geneseos* locus; quem hic eadem opera tum exponere, tum ab hæreticorum tutum calumnia præstare conabimur. Dominus Cainum alloquens jam, ut apparet, invisum sibi, et in sacrificio propterea despectum, iratumque sic demulcet : *Quare iratus es? et cur concidit facies tua? Nonne, si bene egeris, recipies; sin autem male, statim in foribus peccatum aderit? Sed sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius*[3]. Quid ante meditatam fratris necem mali Cainus admiserat, Scriptura non declarat; sed peccatum ab eo commissum aliquod constat, et quidem multiplex. Id enim in prima *Canonica* Joannes significat : *Non sicut Cain*, inquit[4], *qui in maligno erat, et occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera ejus maligna erant; fratris autem ejus justa.* At hunc ipsum sceleratum, servumque peccati Deus pronuntiat sub se habere concupiscentiam, eique posse dominari; hoc est illam refrenare ac regere. Quod, ut non sine divinæ auxilio gratiæ poterat, sic indidem adjuta naturali sua facultate poterat. *Sub te*, inquit, *erit appetitus ejus*; cujusnam? aut quis appetitus? nempe *peccati*. Scio, variis modis verba illa ab iis etiam accipi, qui toti ex Hebræo pendent, sed vulgata lectio omnium et optima est, et Hebraicis maxime consentanea, et, quod caput est, apud catho-

Concupiscentia homini subjecta etiam peccatori.

Insignis Geneseos locus.

1 *Eccl.* xv, 14.— 2 Lib. II *cont. Pigh.*— 3 *Gen.* iv, 6.— 4 I *Joan.* iii, 12.

licos, contra quos disputamus, anteponenda cæteris. Hebraice quidem scriptum est[1] : ואליך תשוקתו ואתה תמשל־בו *Et ad te erit appetitus ejus : et tu dominaberis illius.*

V. Quem locum sic Thargum Hierosolymitano redditum legimus : *Verumtamen in manum tuam tradidi potestatem concupiscentiæ malæ, et tu dominare ei, sive ad bonum, sive ad malum.* Itaque תשוקתו est *appetitus, vel concupiscentia ejus*, id est peccati, ut Mercerus interpretatur; qui et Calvini magistri sui sententiam refellit, arbitrantis pronomen affixum *ejus*, quod masculini generis est, non ad *peccatum*, id est חטאת, quod fœminini est, referri, sed fœmininum cum masculino sæpe conjungi ex isto ipso loco demonstrat; ubi חטאת רבץ *peccatum accubans* dicitur. Recte itaque Hieronymus tam in Latina versione, quam in *Traditionibus Hebraicis* verba illa sic enarrat : *Tu dominaberis illius*, nempe peccati. Non te invitum sibi subjicere poterit illius cupiditas; sed, si vis, superabis. » Tum ibidem sane Hebraicum nomen חטאת, quod vulgo pro fœminino habetur, masculini esse generis asseverat; eoque deceptos esse LXX quod in Græco *peccatum* fœminini esset generis. Denique liberi arbitrii vim iisdem illis in verbis exprimi, ita insuper scribens animadvertit : « Verum, quia liberi arbitrii es, moneo, ut non tibi peccatum, sed tu peccato domineris. » Recte item Ambrosius in secundo libro *de Cain, et Abel*, capite VII. « Ideo autem ait, Quiesce, inquit, quoniam non habes, quod excuses. Culpæ ipsius ad te conversio est. Non enim frater ei addicitur, sed error adscribitur, cujus ipse sibi auctor est. In te, inquit, revertitur crimen, quod a te cœpit. Non habes, in quo necessitatem magis, quam mentem tuam arguas. In te, retorquetur improbitas; tu princeps es illius, etc. Tu ergo princeps operis tui, tu dux criminis. Non te invitum, non imprudentem error attraxit; sed voluntarius reus, judicio, non lapsu fecisti dolum, quo te divinæ injuriæ reum ipse convincis. »

Hunc ergo Genesecos locum, quoniam, Judæis, et hæreticorum doctissimis fatentibus, liberi vim et naturam arbitrii clarissime declarat, contra Lutheranos, et Calvinianos Catholici constanter hactenus opposuerunt. Qui nunc adversus nuperos istos eadem prorsus cum hæreticis de libertate sentientes, ut postea docebimus, in promptu est habendus magnique faciendus. Vides enim. ut in hominis, quantumvis peccatoris et impii potestate ac dominatu dicat esse peccati concupiscentiam; ut ei moderari et contra quam illa gestit et nititur, tam suapte vi, quam excitante opitulanteque adjutus gratia, ferri possit. Non enim divinam opem et gratiam, ut Pelagiani quondam, excludimus; quod unum Mercero Calvinistæ displicet; nisi quod, ut et nostri illi, nullas prorsus in libertate vires agnoscere videtur, sed totum adscribit gratiæ : de quo alias.

VI. Hanc eamdem liberi arbitrii potestatem verba etiam illa Petri ad Ananiam *Actorum* v testantur : *Nonne manens tibi manebat, et venundatum in tua erat potestate?* Sic enim, opinor, in potestatem agrum illum fuisse vult, ut vel retinere sibi, jurique suo posset, vel in commune conferre, hoc est dare vel non dare. Hæc, inquam, est ἐξουσία, quæ passim pro *libero arbitrio* usurpatur a Græcis, sive αὐτεξουσία vel τὸ αὐτεξούσιον. Ac proinde natura sita est in eo liberæ potestatis, ut utrumvis e duobus eligere possit, citra non modo coactionem sed etiam necessitatem ad unum addicentem, alterius erepta facultate. Nam cujus voluntas ad unum aliquod determinata est, ad idque necessitate rapitur, utrumque non habet in potestate, sed unum tantum, cui est affixa necessario ; nec nisi falso dici de illa potest : Horum alterutrum, si vult, amplectitur, si non vult, non amplectitur. Qui enim sic loquitur, ex communi mortalium usu sensuque hoc dicere intelligitur, utrum libitum illi fuerit eam posse persequi, nec ad unum amborum necessariis nexibus alligari; ac, priusquam unum aliquod eligat seque ipsam determinet, non minus, eo spreto, alterum capere posse, quam, hoc rejecto, prius illud est complexa. Prorsus igitur ab humano sensu, et ab usitato loquendi, sentiendique more nova illa distat opinio.

Liberum arbitrium utrumvis indifferens.

Quid reliqua Scripturæ testimonia, quæ alio in loco retuli? Parumne Esaiæ verba illa non modo vim, coactionemque, sed necessitatem removent, quæ unum tantummodo in hominis potestate relinquit, cum ita Dominus loquitur? *Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis. Quod si nolueritis*, etc[2]. Certe antiqui Patres, qui hunc locum commentariis illustrarunt, liberum arbitrium, ejusque vim illam, qua utrimque sponte propendet, significari non dubitant. « Liberum, ait

Scripturæ testimonia expenduntur.

1 *Gen.* IV, 7. — 2 *Isaiæ* I.

Hieronymus, servat arbitrium, ut in utramque partem, non ex præjudicio Dei, sed ex meritis singulorum, vel pœna, vel præmium sit. » Nec non Basilius ad eumdem locum, « Hoc maxime loco, inquit, velut ob oculos exhibet libertatem arbitrii naturæ humanæ insitam [a]. » Atqui mortalium omnium deterrimos alloquitur ibi Dominus, et, ut libero illo arbitrio uti velint, ad pœnitentiam, et salutem eos hortatur. Inest igitur in pessimis etiam hominibus naturalis facultas arbitrii liberi, quo bene, vel male uti possunt; neque aut necessitate peccant, aut non ad virtutem redire possunt, si vocantis se Dei gratiæ, quæ nunquam deest, auscultare velint. His affinia Cyrillus Alexandrinus ad eumdem Prophetam adnotavit; sed adeo luculentiora et expressiora cæteris, ut pleniori, quam subinde aggrediemur, disputationi reservanda sint.

VII. Legatur sane totum illud *Esaiæ* caput: imo prophetica omnia scripta, atque adeo Scriptura universa repetatur, quæ cohortationibus, blanditiis, pollicitationibus, minis, terroribus id agit unum, ut homines vel improbos a vitiis ac malefactis ad officium revocet, vel bonos in suscepta virtute retineat; quod utrumque, propter arbitrii liberi potestatem, integrum illis ipsis esse testatur; quod, ut dixi sæpe, non esset, si non ambo possent ab iis eligi, sed ad unum adstricti essent, et affixi.

Etsi autem de Scripturis argumenta petere, quibus liberi arbitrii ad utrumque suis librata momentis, et indifferens facultas adstruitur, nimis longum et propter infinitatem etiam fastidiosum sit; non possum tamen, quin unum adhuc locum referam in quo non verbis solum declarata, sed exemplo quoque subjecta oculis ipsis lucet ista libertatis electio. In libro *Josue*, ultimo capite, dux ille populi, non minus pietate, quam imperatoria fortitudine, ac laude præstans, ingravescente jam ætate, Judaici totius nominis conventum habuit, uti pactum cum Deo fœdus sanctioribus ceremoniis, ac novis nexibus adstringeret. Ibi quasi de integro deliberare populum jubet Josue, utrius cultum amplecti malit, Dei Patrum suorum, an Deorum, quos gentes venerabantur, Quod his verbis proponit: *Optio vobis datur; eligite hodie, quod placet, cui servire potissimum debeatis, utrum diis, quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia, an diis Amorrhæorum, in quorum terra habitatis. Ego autem, et domus mea serviemus Domino*[1]. Reclamante vero populo, et se Dominum Deum anteferre cæteris velle dicente, instat rursum Josue, et ut illorum magis incitaret studia, deterrentis specie, *Non poteritis*, inquit, *servire Domino. Deus enim sanctus, et fortis æmulator est*; *nec ignoscet sceleribus vestris*, etc. Hoc vero loco liberi arbitrii, libereque potestatis hominis tum vim ac facultatem, tum agendi modum graphice Scriptura descripsit; quod nemo neget, nisi qui meridie lucere non putet. At ibidem nullum in exprimendo populi consensu, non modo violentiæ, sed neque necessitatis indicium cernitur. Plena utriusvis (quocumque id tandem animo fecerit Josue; de quo modo non agitur) optandi, eligendique potestas ostenditur; ut quasi suspensa, et in medio posita voluntas alterum, quod volet, e duobus asciscat. Et hæc igitur vera, certa, solida, et unica libertatis arbitriique liberi et electionis ratio, quam et electionis vox ipsa declarat, uti pluribus postea dicetur.

VIII. Ac, ne singillatim enumerandis expendendisque Scripturæ sententiis tempus conteram, Augustinum dabo, qui complures acervatim in unum locum contulit, ut idem, quod hic instituimus, probaret, esse in homine liberum arbitrium. In libro *de Gratia et libero arbitrio*, capite secundo, primum *Ecclesiastici* verba illa profert, quæ supra posui: *Si volueris, conservabis mandata, et fidem bonam placiti. Apponet tibi ignem, et aquam; ad quodcumque volueris, extende manum tuam. In conspectu hominis vita, et mors, et quodcumque placuerit, dabitur ei.* Quibus epiphonema illud subjicit: « Ecce apertissime videmus expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium. » Quibus autem verbis apertissime hoc dicit expressum? Opinor istis, in quibus duo quædam opposita invicem, homini sic esse proposita, et in conspectu sita dixit Ecclesiasticus, ut quodcumque placuerit, eligat. Neutro igitur alligata, aut adstricta necessitate ulla determinante, et alterum subtrahente esse debet; alioqui tum falso, tum joculariter, ad quodcumque vellet, manum extendere juberetur; nec minus falso diceret, dandum

a Basil. *in Esa.* Τὸ αὐτεξούσιον ἐντεῦθεν παριστῶν μάλιστα τῆς τῶν ἀνθρώπων φύσεως.

1 *Jos*, xxiv, 15.

illi esse, quodcumque placuisset, cum nonnisi unum placere posset. Est igitur *apertissima liberi arbitrii expressio*, id est naturæ, ac genuinæ proprietatis illius definitio, in indifferente, ac necessitatis experte statu voluntatis posita, ut Augustinus asseverat, contra quam ex eodem Augustino affirmant isti.

IX. Ex hac vero *apertissima liberi arbitrii expressione* de cæteris Scripturæ locis judicium fieri debet, quæ deinceps Augustinus plurima percenset; in quibus non tam expressa, si verba spectes, inest significatio duarum ad eligendum objectarum, contrariarumque rerum, sed altera duntaxat, vel amplectenda, vel repudianda proponitur. Ut sunt illa loca, in quibus « omnia mandata sua custodiri, et fieri jubet Deus; » aut ista, in quibus, Noli, inquit, hoc, illudve facere. Tametsi in plerisque duo ibi, ubi scripta continentur, expressa sunt; e quibus alterum tantum brevitatis causa sumpsit Augustinus in quo *nolendi,* aut *volendi* nomen occurrit. Velut ibi, *Noli vinci a malo* [1]; addit enim Apostolus: *Sed vince in bono malum*; ut ambo sub liberi arbitrii jure, ac potestate opposita statuantur. In illis ergo omnibus sententiis eadem intelligenda est formula, et expressio liberi arbitrii, quam in fine capitis ita repetendo commendat Augustinus: « Nempe ubi dicitur: Noli hoc, et noli illud; et ubi ad aliquid faciendum, vel non faciendum in divinis monitis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium. » Hæc Augustini verba prorsum totam illam adversariorum calumniam evertunt, qui opposita illa libertati duo disjuncte, ac separatim adhibent, cum in procinctu ipso, ut ita loquar, ad agendum, hoc est in eligendo, unius tantummodo, vel alterius, non amborum ex æquo, potestatem illi faciat. Atqui iis in verbis *apertissime expressum esse humanæ voluntatis arbitrium*, vel *satis demonstrari* scribit August. quæ nemo prudens, aut quid dicat intelligens, aliter accipiat, quam ita, ut dixi, ut quasi in medio, nec ad utrumvis determinato statu posita, alterum sponte et citra necessitatem eligere, repudiato altero, possit. Hoc qui non videt, profecto nihil videt. Quare nulla alia liberi arbitrii voluntatisque liberæ fingenda, tolerandave definitio est, quam quæ in Scripturis sola ad eum modum expressa, Augustino teste, defenditur; quæque nihil ab illa discrepat, quam et Aristoteles, ac gentiles reliqui philosophi ex naturæ fontibus hauserunt, et christiani theologi tum iisdem ex fontibus, tum ex auctore naturæ, hoc est Deo, et ejus in Scripturis loquente Spiritu, ac docente sumpserunt.

X. Accedat ad Scripturarum auctoritatem hujus interpres Ecclesiæ Catholicæ consensus in Tridentina synodo, quæ manifeste potestatem illam voluntatis liberam sic intelligit, ut, cum assentitur, hoc est vult unum ex oppositis, eodem tempore, si ita liberet, dissentire posset, et alterum eligere. Nam in sessione sexta, capite v declarans, quomodo se habet voluntas hominis, utique libere *gratiæ cooperatur*, ait illum « eidem gratiæ libere assentiendo, et cooperando disponi ita, ut, tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens, quippe qui illam et abjicere potest, neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit. » Ubi, cum hominem asserit non omnino nihil agere, cum ei aspirat gratia, non quamlibet voluntatis actionem interpretari licet, et cujusmodi Calvinus, aliique intelligunt, nempe *spontaneam* voluntatis inclinationem, sed liberam, quæ *hominis, qua homo est*, actio nuncupari solet; hoc est cum in utrumque movere se potest, et quod amplectitur, respuere, et quod respuit, amplecti, si vellet. Hæc, inquam, libertatis et actionis liberæ forma significatur ab synodo, cum, cur agat homo aliquid, hanc causam subjicit, quod oblatam gratiam abjicere possit. Quod idem et in canone quarto synodi ejusdem ostenditur, qui canon ex illo capite confectus est. Sic enim *cooperari assentiendo* definit, *ut possit dissentire, si velit*. Quam potestatem assentiendi, aut dissentiendi separare, ac distrahere in diversa tempora, nugari est, et tantæ gravitati auctoritatis illudere. Etenim eodem prorsus modo amentes, et parvulos usu rationis carentes, quorum voluntates aliis atque aliis temporibus in diversa rapiuntur, et *mutantur in horas*, libere agere, et consentire dixeris; ut de brutis animantibus nihil dicam, quæ et ipsa non eadem constanter, sed modo hoc, modo illud appetunt.

Porro quæ ad illa Scripturæ loca, quibus *indifferentia* liberi arbitrii probatur, respondent novi dogmatistæ, ea postremo in libro diluentur.

1 *Rom.* xii, 21.

CAPUT III.

Explicatur novorum theologorum opinio, et cavillus alter de necessitate opposita libertati. Contra quam universe primum disseritur. Exponitur violentia, coactionisque propria ratio, et quatenus libertati contraria est. Ridicula adversariorum opinio, qui naturam, et ea, quæ naturalia sunt, violentiæ adscribunt. De elicitis, et imperatis voluntatis actionibus, et quatenus utrisque violenta necessitas adhibetur. Mortis necessitatem homini violentam non esse; imo mortem ipsam nonnullis optabilem.

I. Altera est calumnia, qua adversus clarissimam lucem, ac splendidiorem sole ipso veritatis fulgorem, velut obducta se nebula tueri coguntur, prorsus ut ille apud Poetam, qui, ut effugeret, acne suis e latebris extraheretur :

« Faucibus ingentem fumum, mirabile dictu,
Evomit, involvitque domum caligine cæca,
Prospectum eripiens oculis. »

ænam
essitas
sita li-
rtati
adver-
rios.

Nam, quia libertatis notioni, arbitriique liberi contrariam esse necessitatem uno ore, consensuque dici profanis, sacrisque Scriptoribus meminerant; ut ne tanta mole, ac pondere testimoniorum nova illa obrueretur opinio, acutum quiddam excogitarunt. Necessitatem illos duntaxat eam significare statuerunt, quæ sit violenta, et coactio nominatur, quam solam libertati repugnare censent; non autem necessitatem alteram, quæ nullam vim affert arbitrio libero, neque velle cogit, etsi unius tantummodo amplectendi potestatem relinquat. Quam absurdam falsamque sententiam accurate primum illorum e scriptis exponemus, eamque postea generatim oppugnatam hoc in capite, singillatim in sequentibus enodabimus.

Postquam igitur communem, et hactenus receptam de libertate sententiam his verbis notavit libertatis oppugnator, « Recentiores, inquit [1], imaginantur, illum tantummodo actum esse in nostra potestate, hoc est in libero nostræ voluntatis arbitrio, et illius tantum nos esse dominos, quem pro libitu nostro, positis omnibus ad agendum necessariis, possumus facere. » Contra hanc suam ille, quam dixi, in hunc modum adstruit. Imprimis « id esse liberum ait, quod est, seu quod habemus in potestate. Hoc autem habemus in potestate, quod cum volumus, facimus, vel quod, si vult homo, facit, si non vult, non facit. » Quamobrem, « ut cognoscamus, ait, utrum aliquid in potestate nostra, seu nobis liberum sit, hoc intuendum est, utrum fiat, quando volumus. Si enim fiat quandocumque volumus, et non fiat quando nolumus, liberum est; si vero, cum volumus, non fiat, vel, si nolumus, fiat, certissimum est, non esse nobis liberum, quia non est in nostra potestate. »

II. Porro libertas ista, qua in potestate nostra aliquid est, gradus quosdam habet. Inter quos primum obtinent actiones ipsæ voluntatis [2], quas vocant *elicitas*. « Nihil enim magis facimus, quando volumus, quam ipsam volitionem, et ideo nihil magis in potestate nostra, quam ipsa voluntas, id est volitio, constitutum est. Est enim ipsa radix totius libertatis, quæ in omnibus actionibus sive externis, sive internis apparet. » Addit omnem voluntatis actionem esse liberam; « Implicat enim contradictionem, ut voluntas non sit libera, sicut implicat, ut volendo non velimus, aut non faciamus, quod volumus, hoc est ut voluntas non sit voluntas. » Itaque « voluntas, seu volitio, et libera voluntas idem sunt, sicut velle, et libere velle : et impossibile est, ut velle non sit liberum. » Secundum internum, et *elicitum* voluntatis actum in potestate esse nostra dicuntur, et liberæ sunt actiones externæ, « quando nobis imperantibus fiunt; si vero nobis volentibus non fiunt, vel nolentibus fiunt, in potestate nostra non sunt. » Deinde « passiones minime solent nobis esse liberæ, quia minime in potestate, dum plerumque nolentibus fiunt. »

III. Huic libertati oppositam esse statuunt *necessitatem*, non quamcumque, nec eam, qua utcumque voluntas ad unum alligatur; verum *duplex* ab illis necessitas constituitur [3]: « una, quæ operatur effectum suum, etsi nolis, seu quantumcumque renitaris : altera, qua simpliciter necesse est aliquid fieri, sine renisu voluntatis. Prima illa necessitas, qua fit aliquid, etsi nolis, opponitur voluntati. Impossibile est enim, ut id, quod fit voluntate nostra, fiat nobis etiam nolentibus; et e

1 Tom. V, lib. VI, cap. IV.— 2 Idem. cap. V.— 3 Idem. cap. VI.

contrario, ut id, quod fit necessitate, seu nobis nolentibus, fiat nostra voluntate. » Eadem hæc necessitas, « quia hujusmodi est, ut nunquam cedat voluntati, sed potius eam renitentem velut pondus urgeat, atque premat, sæpissime ab Augustino vocatur dominans, premens, pondus et similibus nominibus. Hæc ergo necessitas valde generalis est, addit idem, et sub ea naturales omnes impetus comprehendit Augustinus, qui non possunt volendo impediri. Nam et illi, quantumcumque naturales sint; renitente tamen voluntate, suum effectum operantur. Nam velit, nolit, homo nascitur, vivit anima, nutritur, crescit, dormit, moritur. Ex quo fit, ut quemadmodum necessitas, et necessarium apud Augustinum, ita et natura, et naturale opponatur voluntati, et voluntario sive libero. »

IV. Igitur ex duplici illa necessitate priorem, quam et solam libertati ait esse contrariam, universe nominat *necessitatem coactionis*, sive *violentiam*. « Doctrina igitur Augustini est, ait, necessitatem illam primam, prout etiam naturam sic explicata complectitur, nec aliud est respectu voluntatis, quam quædam vis, aut violentia, aut coactio, qua operatur id, quod potest, etiam nolente voluntate, capitaliter repugnare libertati, eamque funditus perimere; non autem illam necessitatem, quæ est simul voluntaria; qua scilicet simpliciter necesse est aliquid fieri, non repugnante, sed immutabiliter volente voluntate. » Quod deinceps sæpius repetit [1]; ac duplex ex ejus verbis hujusmodi, id est violenta necessitas exsistit: una, quæ externa dici potest, et externos, sive *imperatos* voluntatis actus respicit, quos nimirum in potestate non habemus, neque, si volumus, facimus, si nolumus non facimus, sed velimus, nolimus, facimus, ut sunt nasci, nutriri, crescere: altera necessitas reipsa nunquam est in rerum natura, nec esse potest, quoniam *contradictionem implicat*, eaque ad internos, et *elicitos* voluntatis actus refertur. Ut si quis fingat, cogi voluntatem velle, ex eo sequetur, eam velle simul, et nolle, adeoque nec velle, nec nolle *.

Adversariorum systematis labes et flagitia.

V. Ad hunc modum constitutam ab novo dogmate necessitatem, et hujus cum libertate repugnantiam, ante quam per partes, singillatimque confutare aggredior, universe primum labes ejus, et flagitia proponam; tum omnia, quibus inniti videtur, testimonia veterum, et argumenta persequar.

Principio necessitatem illam, quæ vere proprieque cogens et violenta dicitur, libertati contrariam esse negare non possumus; hoc est sive sit, sive fingatur inesse, non esse liberum, quidquid vi necessitatis istius afflatur, atque hoc ipsum tam in actionibus voluntatis, quas *elicitas* vocant, quam in *imperatis* usuvenit. Nam in prioribus, ubi certum est, locum habere non posse vim proprie dictam, si tamen inesse fingamus, erit eadem actio, vel idem velle, sive, ut trito vocabulo dicam, *volitio*, a voluntate libera, et non erit. Erit, quia esse ponitur. Non erit, quia nulla, nisi ab interno principio profecta, potest esse voluntatis actio. At violentum, ut jam ostendimus, est id, quod ab externo principio fit, nihil eo, quod patitur, ex sese conferente. Quare non potest *volitio* ulla, *absoluta coactione* exprimi. Dixi *absoluta coactione*, ut illam excludam, quæ quadamtenus, et, ut Græci loquuntur, κατά τι, nostri *secundum quid* coactio vocatur. Ut cum oppressi externa quapiam, ac majore vi, sive metu impendentis mali, velle aliquid, ac facere compellimur, velut evitandæ mortis causa cariosum aliquod membrum præcidere, aut merces in naufragio projicere, et hujus generis alia, quæ ita libere agimus, ut non sponte, sed mœrentes agamus, et inviti. Hæc autem necessitas non libertati est prorsus opposita, sed tantum τῷ ἑκουσίῳ, id est *spontaneo*.

VI. At prior illa coactio, quæ absoluta dicitur, est ipsa quidem inimica liberi arbitrii, ut, si inesse ponatur, jam nullum sit. Sed ei non proprie, neque directe proximeque est opposita, sed solum universe, et, ut dici solet, *generice*. Quemadmodum animali ratione prædito adversatur quidem *nihil*, sive *non ens*, quia fieri non potest, ut idem simul et *animal* sit, et *non ens*. Verum oppositio ista nimium laxa est, et *generica*, non propria, atque præcisa. Siquidem animali oppositum est *nihil*, quatenus est *ens*, et secundum *genericam* rationem, non autem secundum *specificam*, et *propriam*. Ut etiam *albo* non opponitur proprie, ac proxime *coloris expers*, sive τὸ ἄχρουν, quia contrarium est ei tantum, qua color est, *proprie* vero, et εἰδικῶς oppositum est *nigrum* eidem, ut *album* est. Similiter *libero arbitrio*, sive *voluntati liberæ*, aut *appetitui libero*, contrarium est *violentum*, non eo præcise,

1 Cap. XII et seq. maxime XVII. — * Quæ hic citantur ex Augustino Jansenii petita sunt. J. B. F.

quod liber est, sed quod *appetitus* est, cujus proprium est *spontaneum*. Huic autem opponitur proprie violentum. Quocirca, quoniam *spontaneum*, quod interdum etiam *voluntarium* dicitur late sumpto vocabulo, in brutis inest animantibus; non minus in his, quam in nobis, huic oppositum violentum cernitur. Est enim appetitus in iis quoque naturalis quædam facultas, quæ sponte id, quod bonum et conveniens est appetit; cui directe adversatur necessitas illa cogens, et violentia; quæ si eorum appetitui posset inferri, eadem quam in hominis voluntate supra memoravi, pugna sequeretur et contradictio, ut eadem et appeterent et non appeterent, propter naturam conditionemque violenti, quæ interioris principii motionem excludit, sine qua nulla esse potest appetitus actio. Ecquidnam ergo illud est, quod liberæ voluntati, qua libera est, proprie respondet? Nimirum id unum, quod peculiari ejusdem, qua libera est, motioni actionique contrarium est, cujusmodi est electio, ut ex sanc. Thomæ, aliorumque theologorum testimonio post paulo demonstrabitur.

Electio circa contingentia versatur.

VII. Ex quibus illud præterea constabit, electionem, sive liberam voluntatis functionem, circa *contingentia* versari. Quare sola simplex necessitas, sive ad unum aliquod affigens, ac determinans, sine potestate contrarii, liberæ voluntati, qua libera est, directe proprieque est opposita. Nam et contingenti necessarium ex adverso respondet, et electioni id, quod uno aliquo circumscriptum est, quoniam nonnisi e pluribus, quæ habentur in potestate, unius potest esse delectus. Deinde necessitas ista, quam solam pugnare cum libertate asserunt, pessime ab illis constituitur, quod et coactio, sive violenta necessitas universe vocatur; cum tamen majori ex parte violenta non sit, et libertati non repugnet, qua est violenta; sed qua definiens ac determinans ad unum aliquod aut volendum, si interiorem voluntatem efficeret, aut patiendum, quoties externa est, et *imperatas* ab ea spectat actiones. Horum duorum alterum; nimirum perperam generali vocabulo necessitatem libero contrariam dici ab illis coactionem, ex ipsorum oratione liquet. Aiunt enim [1], necessitatem illam « valde generalem esse, et sub ea naturales omnes impetus comprehendi, qui non possunt volendo impediri.» Tum hujus exempla ponunt, « nasci hominem, vivere animam, nutriri, crescere, dormire, ac mori denique.» Atqui natura, et quidquid auctore fit ea, indidemque oritur, violentum coactumque dici non potest, nisi abusione vocis, ac minime propria locutione. Quis enim nutriri hominem, vel vivere animam, vel crescere corpus, coactum ac violentum esse censeat? Est enim violentum, ut jam dixi, et rursus postea dicendum erit, quod ab interno principio non oritur, sed extrinsecus contra nutum, inclinationemque patientis infligitur. At vero quodcumque naturale est, id ab interiore manat principio. Non est igitur violentia pars illa necessitatis, quæ libertati est adversa. Deinde, quod ex sanc. Thoma subinde declarabitur, ipsamet hominis libera voluntas est etiam natura; naturæ autem natura non est contraria, neque violenta naturæ natura dicitur.

Quid sit violentum.

VIII. Huc illud maxime pertinet, quod alibi commemoravimus[2], plerosque veterum contra Arianos Filium asserentes libera voluntate Patris esse genitum, ne alioqui vi et necessitate, id est coactione genitus sit, eumdem affirmasse Filium neque libere, neque necessitate violenta genitum esse; sed medio inter utrumque modo, hoc est natura. Sic Athanasius, Basilius, Epiphanius, Cyrillus, Ambrosius, Augustinus, aliique, quos ibi testes adduximus. Unde illud efficitur, naturam, et quod natura impellente fit, non esse violentum et coactum, et ab illa necessitate separandum quam adversarii capitalem hostem libertatis esse prædicant.

Quapropter manifestum est ex illo ipso, quod in opinione declaranda sua ponunt novi dogmatistæ, totum illud necessitatis genus, quod ex violento, et naturali conflatum contra libertatem opponitur, et communi afficitur violentiæ, coactionisque vocabulo, proprie, et, ut cum scholis loquar, *formaliter* repugnare libero, qua determinatum est, et ad unum affixum et alligatum, non autem quatenus vim affert, cogitque voluntatem. Ita omnino sese res habet; in eoque novi antesignanus dogmatis pudendo sese errore traducit quod non videt, necessitatem istam, quam « libertati hominis capitaliter repugnare, eamque funditus perimere» dicit, et in multas dividit species, vel nullo modo violentam, cogentemque nominari debere; vel, si quid violenti habet et coacti, non eo præcise libertati repugnare, aut eam destruere, quod vim

1 Lib. VI, tom. III, cap. VI.— 2 Tom. III, lib. VI, cap. VIII.

infert, sed quod eligendi potestatem eripit, dum ad unum contrahit illius facultatem, sive in hoc sponte sua voluntas, sive repugnans, et invita consentiat.

Species omnes necessitatis libertati contrariæ quas recenset novus dogmatista.

IX. Age enim contemplemur necessitatis illius libertati contrariæ, et eam interimentis species omnes, quas ex Augustino, ac Bernardo, aliisque Patribus recensere solet; et quatenus libertati sint adversæ, videamus. Sed primum genus ipsum intuendum est necessitatis, sub quo species illæ continentur. Hoc ita definit Adversarius[1], ut sit necessitas, « qua fit aliquid, etsi nolis, ut ait Augustinus vel quæ operatur effectum suum, etsi nolis, seu quantumcumque renitaris.» Cum autem in ipsa voluntate, imo vero in appetitu quocumque non possit hujusmodi necessitate operari quidquam, eo quod « Impossibile est, ut id, quod fit voluntate nostra, fiat nobis etiam nolentibus, adeoque contradictionem implicat, » ut sæpe idem repetit; hinc evidens est, necessitatem hanc nihil in ipsa voluntate *operari*, nec in actionibus ejus *elicitis*, ideoque nullam in eam exercere pugnam, nec efficere, quod potest, quia nihil in illam potest. Restat igitur, ut in externis tantummodo rebus, et extra voluntatem sitis, vim maleficam ac tyrannidem suam exerceat; nimirum in corpore, ac membris corporis et sensibus, in fortunis, et reliquis, hoc est in *imperatis* actionibus, quæ in iis, et circa ea versantur. Talis ergo necessitas neque proprie ac directe libertati est opposita; neque violentia est, quatenus voluntatem respicit; sed ut cum illis rebus confertur, quas occupat, et in quibus dominatur. Etenim violentia proprie dicta, quæ voluntatem ipsam perimit, fictum est aliquid, neque exstat uspiam, neque facit, aut operatur aliquid, quia nihil est; uti nec illa omnia, quæ ad contradictionem implicata dicuntur.

X. Exclusa itaque specie illa necessitatis, quæ primario libertati deberet opponi, si qua posset esse, superest externa, et extrinsecus adhibita coactio, quæ et ipsa duplex ex Novi Dogmatis interpolatore constituitur. Alia est, quæ proprie vim affert, et *operatur*, *quod potest*, extra voluntatem; quæ quidem ab externo principio tota dimanat, nihil in eam conferente natura, quia naturæ contraria est. Hujusmodi est violenta corporis alligatio, vel tractio, vel ex alto loco præcipitatio, ac cætera ejusdemmodi, quæ ad corpus ipsum, ac naturalem appetitum relata, violenta dicuntur. Sin autem cum voluntate ipsa, et appetitu ejus, quem vocant, *elicito* comparantur, possunt dici violenta, si hæc invita patiatur. Nam, si sponte ac libens ista toleret, aut etiam sibimet arcessat, uti non nolenti, ita nec violenter hæc illi accidunt. Quemadmodum Donatistarum perditissimi illi, qui obvios, ut in se irruerent, ac sibi vim afferrent, proposita morte cogebant, aut ut sanctus ille propheta percuti ab alio voluit[2]. Altera est necessitas naturalis, hoc est *natura* ipsa, ut diserte scribit novus dogmatistes[3]; cujus addit exempla paulo ante commemorata, *nasci homines*, *vivere animam*, *nutriri*, *crescere*, *dormire*, *mori*. Eodem et quæ passiones dicuntur, revocari possunt, ut est *irasci*, *contristari*, ac cætera, quæ ex Augustino[4] ille retulit.

XI. Hæc sunt omnia fere necessitatis violentæ, cogentis, libertatem perimentis exempla, quæ ab auctore novi dogmatis afferuntur. Quæ cum sola « libertati capitaliter repugnare dixisset, nec aliud esse respectu voluntatis, quam vim quamdam, aut violentiam, aut coactionem, quæ operatur id, quod potest, etiam nolente voluntate,» mox ita concludit: « Mira videbitur scholasticis ista doctrina; et tamen in Augustini principiis est indubitata.» Quod partim verum est, partim falsissimum. Etenim miram videri non scholasticis tantum necesse est, sed mortalibus universis paululum supra pecudem ratione utentibus; ac non miram solum, verum absurdam quoque et ridiculam. Ab Augustini vero mente, ac principiis tam abhorret, quam a communi sensu, ac judicio, imo ab fidei catholicæ salubritate, ac christiani nominis professione discrepat. Quod de Augustino post accurate demonstrabitur, et ab impura calumnia non unus ille, sed reliqui omnes eximentur, quos in invidiam iste traxit profanæ imperitæque novitatis. Nunc, quod instituimus, stuporem et conflictum illius doctrinæ persequamur.

Quæ naturaliter fiunt media inter violentum et liberum.

Manifestum igitur est ex iis omnibus exemplis, quæ proponunt isti, necessitatis cogentis ac violentæ, multum eos aberrare, qui naturam, et quidquid naturaliter fit, atque ex naturalibus interioribusque principiis oritur, violentum id appellant. Non enim violenta ista sunt ex sese, quia vel invitis nunquam incidunt, vel non semper, ac tam volentibus evenire possunt, quam nolentibus; sed neque

1 Tom. III, lib. VI, cap. VI.— 2 III *Reg.* XX, 36.— 3 Loco cit. cap. II.— 4 Lib. II *cont. Faust.* c. ult.

volentibus, neque nolentibus accidunt, si proprie nos loqui delectat, ac nec invitis, nec ultro hæc admittentibus; verum media quadam et utrimque reducta ratione, hoc est natura, uti complures antiquorum dicere, ac sentire paulo ante significavi. Quid enim est violentum? Quod fit *cum renisu voluntatis*, ut adversariis placet. Ergo, quod non renitente voluntate fit, operaturque quod potest, id non est violentum. At potest refragari voluntas. Erit igitur tum coactum, cum illa renitetur; donec quidem non repugnat, violentum omnino dici non potest.

XII. Ecquis vero rem non solum miram non existimet, sed etiam oppido ridiculam, et jocosam, cum hæc violenta, coactaque dici audiat, quod *vivit anima, quod homo nascitur, nutritur, ac crescit?* Nam de morte quis nescit, aliam dici *violentam*, a qua et qui Græcis appellantur βιοθάνατοι hoc est *violenta perempti nece* vocantur; aliam naturalem, qua *suo* quis *fato*, ut poeta loquitur [1], et debito tempore diem obit extremum? Non est ergo mors ipsa per sese, nec omnis, violenta, nedum mortis necessitas, sive *mortalitas;* quin hæc potius naturæ congruens est, et cum humani corporis conditione conjuncta, quod, uti ex partibus compactum, sic in eas dissolubile est.

Mors sæpe non violenta.

De quo præclara exstat, et ad propositum valde pertinens Marci Catonis apud Ciceronem oratio in libro *de Senectute*. In qua illud potissimum notandum est, quo novi dogmatistæ falsa de violenta, et cogente necessitate convincitur opinio. « Quid est autem secundum naturam, ait, quam senibus emori? quod idem contingit adolescentibus, adversante, et repugnante natura. Itaque adolescentes mori sic mihi videntur, ut cum aquæ multitudine vis flammæ opprimitur. Senes autem, sicut sua sponte, nulla adhibita vi, consumptus ignis extinguitur, et quasi poma ex arboribus, si cruda sunt, vi avelluntur, si matura, et cocta, decidunt, sic vitam adolescentibus vis aufert, senibus maturitas. Quæ mihi quidem tam jucunda est, ut, quo propius ad mortem accedam, quasi terram videre videar, aliquandoque in portum ex longa navigatione esse venturus. » Ac subinde. « Ut navem, ut ædificium idem destruit facillime, qui construxit; sic hominem eadem optime, quæ conglutinavit, natura dissolvit. »

XIII. Quocirca non est mortis necessitas, sive τὸ θνητὸν, violentum homini. Nisi forte natura ipsa, et quod in rei definitione ponitur, huic ipsi violentum dici debet, ut coacta res sit id, quod est. Atqui in hominis definitione adjungitur ab antiquis philosophis, et Patribus mortis obeundæ ista necessitas. Definitur enim *homo animal rationale, mortale* [2]. Quodnam itaque portentum majus est isto, quod nova illa doctrina peperit? Aut quo tandem acutorum hominum mens, judicium, communisque sensus avolavit, ut hoc *capitaliter repugnare libertati*, id est naturæ hominis, *eamque funditus perimere* docerent, in quo est ipsa hominis natura, definitioque posita, atque hoc etiam ab Augustino scriptum, traditumque, non dubitarent asserere? Itane spurcitiem hanc, et barbariem opinionis inauditæ, ac portentificæ Augustinus unquam protulit, aut littera significavit? Non est ita. De eo post agetur, et quæ mens sit illius, ac, quam remotus sit ab hoc recenti, absurdoque dogmate, diligenter explicabitur. Ostendetur vim et coactionem non sic ab illo accipi, ut absoluta proprieque dicta violentia sit; sed nihil aliud esse, quam necessariam unius rei determinationem, quam effugere, aut aliter se habere, atque ea præscribit, non sit in potestate nostra; quæ rès *cogendi*, *urgendi*, *premendi*, ac similibus vocabulis exprimi consuevit. Nunc, quod instat, pergamus dicere, non esse talem moriendi necessitatem, qualem falso dici ab Augustino volunt; sed cum ea consistere ac cohærere voluntatem liberam, imo et volentes ac plerumque gaudentes ei subesse bonos viros, ut ea faciente necessitate quod potest, non invita, sed sponte, totoque se ad eam affectu voluntas accommodet, ac morantem etiam et cunctantem increpet, et, quoad licet, arcessat.

XIV. Sic Apostolus *dissolvi* desiderabat, hoc est *emori*, et vim necessitatis illius experiri, *ut esset cum Christo*, nedum invitus eam pateretur; quod omnino faceret, si verum esset, quod novi dogmatistæ volunt, hujusmodi necessitatem nonnisi invitis, et recusantibus nobis facere id. quod potest. Huc illa spectant omnia, quæ de optanda morte, aut patienter, vel etiam læto animo toleranda, tam ab nostris, quam ab ethnicis philosophis uberrime disputantur; ac non oratione solum, sed factis insuper, et exemplis asseruntur amborum. Quæ profecto frivola essent, et ridicula, si ea vis prementis, et violentæ necessitatis esset, ut nonnisi ab invitis excipi

1 Virg. IV*Æn.* fine.— 2 Porphyr. Isag. c. *de Differ.*

posset, imo nullus ea præsente liberæ voluntatis usus maneret. Atqui, ut innumerabiles alios omittam, vera, et laudabiliter admittenda illa est hortatio Chrysostomi, ut et mortem, et adversa omnia, quæ similiter necessaria sunt, æquo animo feramus : atque « uti cogitemus, ea nobis, sive volumus, sive nolumus, tamen esse toleranda, ac, si quidem grata mente ista perpetimur, ingens lucrum esse facturos; sin vero stomachantes, et mœrentes, et obtrectantes id facimus, neque leviorem hoc modo calamitatem fore, et majorem etiam procellam facturos. Hac ergo cogitatione muniti, quod est necessitatis, voluntatis ut sit, arbitriique, faciamus [a]. »

XV. Postremo, ut latebras omnes, ac rimas obstruamus, per quas effugere se posse novi defensores dogmatis arbitrentur; videamus, quemadmodum necessitatem illam cogentem, ac *libertati capitaliter repugnantem* tueri, interpretarique poterunt, Una opinor, hæc illis relicta ratio est, uti probent, voluntatem, et libertatem reniti ac reluctari illis rebus, quæ necessitatem hujusmodi asserunt sic, ut nolens, et invitus homo ista patiatur. Non enim alia coacti, violentique notio versatur in rerum natura, et humano sensu, ac consuetudine sermonis. At hoc non ita potest intelligi, ut, quoties necessariæ istæ, violentæque res incidunt, nunquam eas æquo animo toleremus, sed perpetuo refragemur, et, quoad possumus, evitare velimus. Id enim aperte est falsum, ut paulo antea demonstravimus; neque falsum, modo, sed etiam impium, et sacrilegum. Nam, eo posito, consequens erit, Christum Dominum neutiquam libere passum esse, ac mortem subiisse, sed invitum prorsus, ac sine ullo libertatis usu; quoniam necessitas illa, qualem mors affert, *capitaliter repugnat libertati*, id est voluntati liberæ, *eamque funditus perimit*. Ita, cum Christus talem necessitatem et violentiam, id est mortem, sit expertus, eam *perempta libertate*, ac sine ullo usu illius pertulit. Ut hanc ergo fœditatem impietatemque devitent, dici hoc ab illis necesse est : ideo violentam, et cogentem prementemque vocare se necessitatem istam, quod ea sive volumus, sive nolumus efficiat, quod potest, hoc est, sive volentes sive inviti ac repugnantes ei subjicimur vel potius, tametsi neutram in partem voluntatem nostram flectamus. Quod quidem in iis potissimum evenit, quæ naturaliter fiunt in nobis, ut est animæ vita, somnus, nutritio, et reliqua, quæ in necessitatis, ac violentiæ ab illis isto genere collocantur. Quare in eo sita cogens erit illa necessitas, quod, ut ex Augustino referunt [1], « etiamsi nolumus, efficiunt id, quod possunt, » quæ necessaria dicuntur. Neque necesse est, ut reipsa, et actu nolimus ac resistamus, sed est satis, ut, etsi resisteremus, nihilo secius existerent in nobis, et invitos premerent.

Absurda consectaria systematis adversariorum

XVI. Hoc cum dixerint, quod profecto dicunt, neque vero dicere aliter possunt, non sic tamen effugient, et in istud ipsum recident, quod nolunt. Primum si id violentum est et vocatur, cui voluntas et appetitus renititur; hoc erit *actu* violentum, cui *actu* voluntas resistit. Cui vero non resistit, sed potest tamen resistere, id violentum non est, sed potest esse. Quod si nondum est, sed tantum esse potest ejusmodi; non est voluntati contrarium, neque libertatem perimit, sed potest esse contrarium, potest perimere. Quod cum faciet, tum violentum id erit, appellarique ita debebit. Sane hoc omnibus in rebus, quæ agunt aliquid, et qualitate vel usu aliquo censentur, quotidie cernimus. Non enim prius tales habentur ac denominantur, quam reipsa et *actu* esse cœperunt; nec posse esse, vel facere sufficit; sed esse reipsa et efficere oportet. Quis ferrum propterea calidum vocat, quia, etsi nondum est, tamen potest esse calidum? Aut, ut evidentior sit novitatis istius ac dogmatis indignitas, num hominem quempiam sceleratum, ac parricidam, et adulterum nominabimus, quod ea committere scelera potest, quæ nunc unquam fecit, nec est postea facturus? Quam sint horrenda, et quam late pateant ista, cogitent adversarii; nam ad illos omnino pertinent. Quid enim similius? *Natum esse*, *vivere animam*, *nutriri*, *crescere*, *dormire*, in necessitate illa violenta numerant, *quæ capitaliter repugnat libertati*, *eamque funditus perimit*; ob id unum, quod

a Hom. IX in ep. *ad Rom.* Καὶ πῶς δυνήσομαι, φησὶ, μὴ περιτραπῆναι θλιβόμενος; ἂν ἐννοήσῃς, ὅτι κἂν θέλῃς, κἂν μὴ θέλῃς. οἵσεις τὸ ἐπενεχθέν. ἀλλ' ἂν μὲν εὐχαρίστως, κερδανεῖς τὰ μέγιστα· ἂν δὲ ἀποδυσπετῶν, καὶ ἀλύων καὶ δυσφημῶν· οὔτε τὴν συμφορὰν ἐλάττω ταύτην ποιήσεις, καὶ μεῖζον ἐργάσῃ τὸ κλυδώνιον. ταῦτα οὖν ἐννοοῦντες, ὃ τῆς ἀνάγκης ἐστὶ, ποιῶμεν τῆς προαιρέσεως εἶναι τῆς ἡμετέρας.

1 Lib. V *de Civit.* cap. v.

ejusmodi sunt, ut voluntati displicere possint, ac, licet displiceant, nihilominus insunt, et premunt. Expectarent uti reipsa, et actu displicerent, hoc est, ut ea nollet esse, et iis subjici voluntas. Quamdiu quidem nondum eorum pœnitet, cur violenta dicuntur? Certe hoc modo nihil non violentum, et coactum erit, si hoc posse esse sufficit. Quid tam cuilibet rei non violentum est, quam esse ac vivere? At hoc ipsum odere damnati, atque d æmones. Est ergo violentum. Sed hoc ultro illi fatebuntur. Num igitur et mortalibus cæteris, qui nondum damnati sunt, quia damnari possunt, et his, quod sunt, ac vivunt, displicere potest, violentum sit esse, ac vivere? Deus ipse et quidquid inest ipsi, violentum erit, non modo damnatis ac dæmonibus, quibus reipsa est invisus, sed etiam sanctis ac justis hominibus, quia possunt esse, quidquid illi sunt, ac Deum similiter odisse.

Cum cessitate quam atuunt versarii per est eratur- que bertas.

XVII. Ad summam necessitas illa quæ libertati sic sola contraria dicitur, ut tanquam capitalis ejus hostis illam tollat e medio; et quam tot allatis exemplis non obscuram nec ignorabilem esse patiuntur, nunquam est in rerum natura, quin cum ipsa libertas sit et operetur quod potest. Mirum est, quod dico, et ad excutiendum veternum illum et stuporem, quo novi dogmatistæ altius obruti sunt, vegetum et efficax. Quid enim? Satin' illi mentis ac rationis compotes sunt, dum hoc libertati solum, et capitaliter adversari dictitant, quod nunquam est, nec agit id, quod esse, et agere potest quin libertas una sit, agatque? Tantum abest, ut hanc illa perimat, ut inimicam vim suam, et repugnantiam exerere necessitas illa in voluntatem nequeat, quin hæc agat, et agat libere. Etenim, si recte superius a nobis dicta recordamur, nulla est necessitatis hujus efficientia in *actus elicitos*, ut vocant, sed *imperatos* duntaxat. Quare quidquid potest efficere, id in solo corpore, ac membris, aut externis omnino rebus insistit. Faciat igitur, quod potest; tum si hoc violentum est reipsa, et *actu*, hoc est voluntati repugnans, necesse est agat aliquid voluntas, et *renisum* illum, hoc est, ut loqui solent, *nolitionem operetur*. Hanc autem nonnisi libere agit; quia voluntatis actio omnis libera est, et *implicat contradictionem*, ut voluntas agat non libere; quod idem est, atque *ut voluntas non sit voluntas*, ut adversariis placet. Igitur coactio et violenta necessitas hoc ipsum, quod dicitur, coacta et violenta esse non potest, quin libertas maneat, et contra illam pro virili parte nitatur. Pessime ergo contraria libertati sola ista necessitas dicitur, eique capitaliter inimica et ejus peremptrix, quæ nisi esse illa et agere ponatur, neque consistere uspiam potest, neque ullo modo percipi. Augustinus vero de illo genere necessitatis agens, quod isti cogens ac violentum, et capitaliter libertati contrarium nominant, aperte negat libertatem tollere; imo cum libertate manere dicit, et ab eadem Dei adjuta gratia superari. « Famem, inquit, et sitim, et cæteras molestias corporales absit ut dicamus necessitatem habere peccandi : quibus molestiis exercitata vita justorum splendidius enituit, et eas per patientiam superando, majorem gloriam comparavit; sed adjuta Dei gratia, adjuta spiritu Dei, adjuta misericordia Dei, non superba voluntate se extollens, sed humili confessione fortitudinem promerens. »

Sola ad unum determinatio sive violenta sive naturalis libertatem perimit.

XVIII. Hæc sunt flagitia nuperæ doctrinæ; quam ut paucis absolvam, sic adversus illos excipio : totam necessitatem istam, quæ est opposita libertati, et cujus ex Augustino descriptionem, et exempla repetunt, eo ipso repugnare libertati, quod uniusmodi est, et ad unam definita partem, ac determinata, extra omnem est eligendi potestatem, sive huic appetitus, ac voluntas resistit, sive eam amplectitur; et hoc est, uti mortales omnes intelligunt, sive violenta sit, sive non sit. Quæ quidem necessitatis formula ab Augustino declaratur in iis locis, quibus novæ de libertate, et ei contraria vi opinionis structura nititur; ut cum eam complexione ista verborum exprimit [1]: « Manifestum est, voluntates nostras, quibus recte vel perperam vivimus, sub tali necessitate non esse. Nam, si volumus, est, si nolumus, non est. » Item[2], « Quidquid fit, quando volumus, et non fit, quando nolumus, liberum est, » et hujus generis alia, quæ liberam in utrumlibet oppositorum inclinationem, et unius e duobus electionem indicant. De qua re suo loco pluribus, cum videlicet de Augustino speciatim disputabimus. Prius enim universe necessitatis illius, quam libertati solam esse contrariam dictitant, ab novis dogmatistis exigenda ratio fuit, et opinionis illius convincenda tum inanitas, tum etiam conflictio et repugnantia, qua verbo illud negant, quod reipsa confitentur. Quippe libertati solam opponi coac-

1 Lib. V *de Civit. Dei*, cap. x.— 2 Lib. III *de lib. arbit.* cap. III.

tionem, et violentiam asserunt; idemque Græcis ac Latinis Patribus videri, multorum allatis sententiis approbant, non autem determinationem ad unum. Ac præ cæteris Augustinum ita sentire volunt, « quod sola videlicet necessitas illa violenta, sub qua arbitrium premitur, atque cogitur, seu necessitas coactionis, libertati arbitrii adversetur, non autem determinationem ad unum. » At rursus iidem naturam etiam, et id, quod naturale est, eidem opponi libertati statuunt. Atqui naturæ necessitas, et eorum, quæ naturaliter, id est naturalibus et interioribus ex principiis fiunt, non est alia, quam *ad unum determinatio*, eaque communis est tam necessitati simplici, quam quæ absolute violenta nominatur.

XIX. Quid autem ab omni sensu, et ratione magis alienum est, quam cum duo sint ex adverso invicem posita, et pugnantia, *naturale*, et *violentum*, cumque horum utrumlibet nonnisi remotione alterius, ac negatione definiri possit; (est enim violentum id quod est contra naturam, et inclinationem rei; naturale id, quod est secundum rei inclinationem, nec est violentum) cum hæc, inquam, duo contraria sint invicem, ac specie diversa, quid absurdius quam unum horum alteri adjungere, et sub eo tanquam genere collocare? Etenim sæpe illud, quod universe et in genere libertati est oppositum, violentum, coactumque nominant, idque multis, ut jam dixi, veterum Patrum, ac theologorum auctoritatibus adstruunt, velut S. Thomæ, qui necessitatem duplicem distinguit [1]: « unam coactionis, quæ in volentem nullo modo cadere potest: alteram naturalis inclinationis; » tum aliorum, ut Dionysii, Irenæi, Tertulliani, cæterorumque, quorum ex testimoniis id unum colligunt, et ostentant, solam vim, et coactionem, sive necessitatem coactionis libertati esse contrariam. Cur igitur naturam insuper, necessitatemque naturalem sub eodem genere ponunt coactionis, et violentiæ? « Ejusmodi est temeritas rationis expers, ait Gregorius Nazianzenus, et contra veritatem contendere; ut, cum in seipsos incurrant, nec intelligant tamen, neque pudore moveantur [a].»

XX. Nam, si ejus, qui est opposita libero, necessitatis genus aliquod confici, designarique oportuit; tale esse debuit, cujus species ut invicem pugnantes, sed in eodem genere convenientes essent. At illi genus istud ipsum necessitatem esse volunt cogentem ac violentam; et hoc passim repetunt et inculcant, necessitatem, quæ ab antiquis libertati contraria ponitur, « nihil esse, nisi vim et coactionem. » Porro sub hoc genere duas complectuntur species: alteram quæ est natura, et quidquid naturaliter fit, ut *nutriri*, *crescere*, *dormire*, *vivere animam*: alteram, quæ neque natura est, neque naturale quippiam, sed vis illata naturæ, qualis esse potest, si quis vinciatur, aut protrudatur, ac præceps dejiciatur, tum eadem illa vis, quæ voluntatem cogeret, si cogi posset, « Hæc, inquit [2], necessitas (quæ universe libertati contraria est, *eamque perimit*) valde generalis est, et sub ea naturales omnes impetus comprehendit, qui non possunt volendo impediri. » In quo absurdum illud et absonum, quod diximus, apparet, ut, cum naturali *violentum* sit contrarium, utrumque tamen sub eodem comprehendatur genere violenti. Quod perinde fit, ac si quis virtutem et vitium sub uno vitii genere contineri dicat; aut sub albi genere nigrum et album. Sane, nisi cæci penitus essent atque amore partium suarum, et odio contrariarum ebrii, nihil tam animadverterent, quam si quid commune ac generale statuendum sit, quod libertati opponatur ex adverso, id esse, in quod ambæ contrariæ species conveniunt, nec aliud, quam quod voluntatem uno ac determinato aliquo definit, et eligendi arbitrium ac potestatem adimit; quandoquidem electio nonnisi duobus saltem inter se comparatis, oppositisque potest fieri. Ita genus aliquod haberent, quod et libertati opponerent, et in naturale ac violentum partiri possent, quibus commune istud est libertati frænos injicere, et ad unum arctare ac determinare, alterius asciscendi potestate subtracta.

Novus dogmat... parum sibi ... concor...

XXI. Licet autem hic animadvertere, quam parum et sibi concors, et antiquis Patribus sit novus dogmatistes, dum sub necessitatis violentæ genere eam collocat, quæ naturalis dicitur; idque auctoribus, ait [3], Patribus facere, qui necessitatem libertati contrariam vim et

[a] Nazianz. Τοιοῦτον ἡ ἀλογία καὶ τὸ πρὸς τὴν ἀλήθειαν ἀπομάχεσθαι· ὡς μηδὲ περιπίπτοντας αὐτοὺς ἑαυτοῖς ἢ νοεῖν, ἢ αἰσχύνεσθαι.

1 Qu. xxii *de Verit.* art. 5 in corp.— 2 Tom .III, lib. VI, cap. vi.— 3 Tom. III, lib. VI, cap. vi.

coactionem intelligunt. Atqui plerique Patrum necessitatem, necnon violentiam et coactionem segregant ab eo quod natura fit, ejusque lege determinatum est. Ut, cum Arianis argumentantibus, Filium, si non voluntate productus est a Patre, necessitate, id est vi, et invito Patre esse natum; respondent, neque voluntate, id est libere, neque necessitate, aut coactione esse genitum, sed media quadam, et excellenti ratione, hoc est *natura*. Ita Athanasius, Basilius, Epiphanius, Gregorius Nyssenus, Cyrillus Alexandrinus, Didymus, Ambrosius, Augustinus et alii, quos alio in loco commemoravimus [1], cum eam quæstionem explicaremus, utrum Pater voluntate Filium genuerit. Ex quibus constat, id, quod naturaliter fit, neque libere fieri; neque violenta necessitate, et coactione; ac tertium quoddam esse genus, et utrique oppositum. Cujus oppositionis ratio nulla fingi potest alia, nisi quod idem et uno definitum, ac determinatum est, ex quo libertati ex adverso respondet, et non fit contra naturæ inclinationem; qua ratione violento contrarium est, quocum habet communem determinationem.

Voluntas et voluntarium sæpe pro libero accepta.

Præter hoc vero, eadem ex disputatione colligimus, voluntatem et voluntarium absolute sumpta plerumque pro libero accipi, non autem pro eo, quod, *spontaneum* dicitur. Etenim, cum illud in controversia ponebatur, utrum Filius voluntate Patris produceretur, non quamcumque voluntatem vel Ariani asseverantes, vel negantes intelligebant Catholici, sed utrique liberam, qua creatæ res e nihilo proferuntur; quæ nimirum pro conditoris arbitrio fieri, vel non fieri possunt. Quod adversus novi dogmatis vindicem retinendum est memoria. Sæpe enim hac in voce calumniatur, et voluntarium pro eo sumit, quod tantummodo *spontaneum* est.

Credo neminem fore, qui hanc nostram disputationem legerit, quin totum illud de libertatis natura Calvini, Buceri, ac novorum dogmatistarum commentum pro falso, ac ridiculo deinceps explodendum censeat. Quod multo magis facturos esse confido, postquam illud idem minutatim, ac per partes labefactatum, exarmatumque viderint, interclusis omnibus, quibus utcumque fulcitur, rationis, auctoritatisque præsidiis. Quod in sequentibus, Deo bene adjuvante, præstabimus.

CAPUT IV.

De Calvini, et aliorum hæreticorum, eorumque, qui illis suffragantur, effugio, et cavillatione; qui necessitatem, cujus expers liberum arbitrium Scripturæ, ac Patres esse prædicant, solam intrepretantur esse coactionem, et violentiam; non autem necessitatem simplicem, quæ voluntatem uno aliquo circumscribit. Adversus quos primo liberi abitrii natura, et proprietas exponitur e S. Thoma, et aliquot Patribus. Eamdem illam opinionem a S. Thoma hæreticam judicari. Falso ab illis infamari communem sententiam, et Philosophicam *vocari, tanquam Christianæ oppositam, cum sit una, et eadem.*

I. Expositam antecedenti capite necessitatis oppositæ libertati fabulam antequam refutare aggredior, necesse est paululum illa percurrere, quæ de voluntate, ac libero arbitrio exposita sunt in quarto libro *de Deo*, cum de ejus voluntate ac libertate acturi, ejus naturam, et rationem aperuimus ex Aristotele, cæterisque philosophis, necnon christianis theologis; ac quid distet id, quod ἑκούσιον vocant, id est *voluntarium*, sive *spontaneum*, ab eo quod est προαιρετικὸν, explicavimus. Quæ quidem minime hoc loco repetam. Verum, qui communem de liberi arbitrii, et libertatis natura sensum humano inditum generi, ac non tam disciplina collectum aliqua, quam naturæ luce cognitum, criminari solent, qui illam sectam persequuntur, ac philosophicam appellare libertatis definitionem illam, quæ ex indifferenti, et ad neutrum determinato statu voluntatis, ac velut suspenso petitur; ante omnia, quod facillimum est, hanc propulsabo calumniam, ostendamque, nihil ex Aristotele, ac Peripateticis aliis, etiam gentilibus, de voluntatis humanæ libertate a nobis allatum fuisse, aut ab receptæ, communisque patronis afferri sententiæ, quod non christiani theologi antiqui pariter, ac recentiores, Græci, Latinique adamussim secuti sint. Cujus dicti mei testes non alios proferam, quam quos illi ipsi novitatis fautores suæ habere se putant, ac nominatim percensent. Quales imprimis commemorandi sunt illi, qui ex instituto ac professo de voluntate libera,

Ex electione

1 Tom. III, lib. VI, cap. VIII, § 14 et seq.

deque electione, ac cæteris eodem spectantibus, accurateque scripserunt, non injectas obiter sententias alieni operis et argumenti tractationibus adsperserunt.

Vera liberi arbitrii notio ex S. Thoma.

Quanquam nec illos præteribo, sed a prioribus ordiar, et inter alios Aquinatem illum theologiæ magistrum ac principem referam, sanctissimum virum, ac doctissimum Thomam, cujus variis ex operibus veram, ac germanam informabo libertatis notionem; et eorum omnium, quæ vel ei connexa, vel plane contraria sunt, ut quam belle novis theologis cum illius decretis conveniat, prudens lector observet.

II. Liberum arbitrium partim idem est ac voluntas, partim ab ea distinguitur, ut S. Thomas in prima parte *Summæ Theologicæ* docet[1]. Etenim ambo illa nomina vel δύναμιν, id est *vim* et *facultatem* significant, sive, ut vulgo nominant, *agendi potentiam*, vel actionem ipsam. Nam et *voluntas* sæpe pro *actu* sumitur, quam *volitionem* scholæ nuncupant, et sæpius volendi facultatem exprimit. Et liberum itidem arbitrium alias naturale principium eligendi significat, alias vero actionem ipsam, quam electionem vocant; tametsi frequentius *electionis* vox usurpari pro actione solet, *liberum arbitrium* pro ejus principio. Jam, si potentiam spectes, una est eademque, quam et voluntatem, et liberum arbitrium dicimus, ut idem S. Thomas asseverat[2]. Sed actiones discrepant. Nam alia est, quæ voluntas simpliciter dicitur, alia est electio, quæ eidem convenit voluntati, non præcise ut voluntas est, sed ut libera est, et arbitrium liberum dicitur. Ut enim intelligendi vis duplicem habet actionem[3]; unam, quæ *intellectio* proprie, vel *intellectus* vocatur, et est rei *simplex acceptio*, vel *apprehensio*, ait S. Thomas; « unde intelligi dicuntur proprie principia, quæ sine collatione per seipsa cognoscuntur: » alteram, quæ *ratio*, vel *ratiocinatio*, nuncupatur, quæ ex rerum inter se comparatione rem aliam colligit, sive « ex uno in cognitionem alterius devenit, » atque ideo proprie conclusionis est, quæ ex principiis deducitur. Sic in volendi facultate inest simplex appetitio, quæ *voluntas*, aut *velle* proprie dicitur, quæque ad finem pertinet. Inest et electio, qua unum propter alterum expetitur; et ea proprie dicitur illorum esse, quæ propter finem adhibentur, et *media* propterea nominantur.

Ergo eadem volendi facultas, ut est simplex appetitio rei, *voluntas*, sive *volitio* dicitur, et actio ipsa *velle*, ut autem libere agit, et *liberum arbitrium* est, ejus actio propria est *electio*. Sic enim Doctor idem [4], « Proprium, inquit, liberi est electio. Ex hoc enim liberi arbitrii esse dicimus, quod possumus unum recipere, alio recusato, quod est eligere. Et ideo naturam liberi arbitrii ex electione considerare oportet. » Huc refer, quod Philippus Abbas Bonæ Spei in prima epistola scribit: « Velle, inquit, est voluntatis, velle bonum, vel malum, hoc erit libertatis. »

III. Rursus idem sanc. Thomas in *Quæstionibus disputatis*, quæstione XXII *de Voluntate Dei*, in articulo V, duo in volendi facultate considerari ait: alterum, quod est natura: alterum, quod voluntas est. Etenim « voluntas quædam est natura; quoniam appetitus est convenientis sibi boni. » At hoc modo necessario bonum appetit, sive ultimum finem, qui est beatitudo: « Ideo, inquit, « quod voluntas de necessitate vult, quasi naturali inclinatione in ipsum determinata, est finis ultimus, ut beatitudo. » Jam, ut voluntas est, sive liberum arbitrium, et alia præter *ultimum* finem appetit, « non de necessitate determinatur naturali inclinatione, sed propria dispositione, absque necessitate; » quam necessitatem mox a coactione discernit.

Idem in quæstione XXIV quæ est *de libero arbitrio*, articulo VI, liberum arbitrium ex quorumdam sententia distinctam ait esse facultatem a voluntate, et ratione. Ipse autem unam et eamdem esse censet cum voluntate; sed eatenus, qua « ad unum aliquem actum ejus ordinatur, qui est eligere. » Et in libro primo *contra Gentiles*, capite LXXXVIII. « Liberum, inquit, arbitrium dicitur respectu eorum, quæ non necessitate quis vult, sed propria sponte. Unde in nobis liberum arbitrium est respectu ejus, quod volumus currere, vel ambulare. » Et paulo post, ex Aristotele [5], « voluntatem esse finis, electionem eorum, quæ ad finem sunt. »

Cæterum de necessitate et coactione, et quatenus ad voluntatem utraque comparatur sic idem ille statuit. Imprimis necessarium, quod contingenti opponitur, et est ad unum determinatum, a coacto, vel violento distinguit: « Necessarium id esse dicitur, ait sanc. Thomas [6], quod est immutabiliter determina-

1 Quæst. LXXXIII. — 2 Ibid. art. 3 et 4. — 3 Ita S. Thom. in corp. art. 4. — 4 Ibid. art. 3 in corp. — 5 In III *Eth.* cap. VII. — 6 Qu. XXII *de Vol. Dei*, a. 6 in concl.

tum ad unum. Violentum autem secundum philosophum in tertio *Ethicorum*, est cujus principium est extra, nihil conferente vim passo; sicut si lapis sursum projiciatur[1]. »Ex quibus duobus primum in voluntate inesse potest, eadem ut actio voluntaria sit, ac necessaria. Cum enim naturale id sit, quod naturæ inclinationi consentaneum est, et voluntas ipsa quædam natura sit, ut ex eodem sanc. Thoma paulo ante diximus; voluntarium id erit, in quod voluntas inclinat. Contra vero, quoniam coactum, sive violentum illud est, cujus externum est principium, et ad quod non inclinatur id, quod patitur; consequens est, nullum voluntarium posse esse violentum. Ita sanc. Thomas in articulo illo quinto quæstionis XXII *de Voluntate Dei;* tum alibi duplicem voluntatis actionem esse dicit : alteram [2], quam nullo interposito ipsamet elicit, qui *actus elicitus* vocatur, ut est velle; alteram, quæ imperatur a voluntate facultati alteri, ut cum ambulamus, aut loquimur, et *actus imperatus* nominatur. Quod igitur ad prioris generis actiones attinet, cogi omnino non potest : « Et hujus est, inquit, ratio, quia actus voluntatis nihil aliud est, quam inclinatio quædam procedens ab interiori principio cognoscente; quod autem est coactum, vel violentum, est ab exteriori principio. Unde contra rationem ipsius actus voluntatis est, quod sit coactus, vel violentus. »

IV. Jam quatenus necessarius voluntatis actus esse queat, declarat in articulo quinto, et sexto quæstionis illius XXII *de Voluntate Dei.* Ubi ad id duntaxat necessario moveri asserit, « ad quod naturali inclinatione determinatur[3]. » Hoc autem solus est ultimus finis [4], id est beatitudo. « Ad alia vero, non de necessitate determinatur naturali inclinatione, sed propria dispositione absque necessitate. » Hic necessitas agitur illa, quæ cum naturali inclinatione consistit, et a violento et coacto discrepat; et hanc ipsam necessitatem ab iis voluntatis actionibus rejicit, quæ *circa media* versantur, in quibus videlicet est electio, cui non minus necessitas est opposita quam coactio; « Ergo voluntas, ait [5], de necessitate appetit finem ultimum, ut non possit ipsum non appetere. Sed non de necessitate appetit aliquid eorum, quæ sunt ad finem. » De qua necessitate paulo post agens, eam libertati voluntatis adversari dicit. « Cum autem voluntas, inquit, dicatur libera, in quantum necessitatem non habet; libertas voluntatis in tribus considerabitur, scilicet quantum ad actum, in quantum potest velle, vel non velle, et quantum ad objectum, in quantum potest velle hoc, vel illud, et ejus oppositum, et quantum ad ordinem finis, in quantum potest velle bonum, vel malum. »

Hinc apparet, voluntatem hominis dupliciter spectari : primum ut est naturalis appetitus, ac voluntas simpliciter dicitur : secundo ut est libertas, vel libera voluntas, aut liberum arbitrium. Nam et Augustinus libro V *contra Julianum*, qui ab Agathone Papa citatur in epistola *ad Constantium Pogonatum* in synodo VI, actione IV, voluntatem ait esse naturam : « Motus, inquit [6], animi quid est, nisi motus naturæ? Animus enim sine dubitatione natura est. Proinde voluntas motus est naturæ, quoniam motus est animi. » Ac priori ratione, qua natura est, illius actio est velle, posteriori, est eligere. Rursus qua naturalis est appetitus, sola huic opposita est violentia; potestque necessario aliquid velle, non tamen cogi, ne divina quidem virtute, potest; quatenus vero libera est et arbitrium liberum, huic proprie, ac proxime necessitas opponitur. Ut enim Socrati, et cuivis individuo rationali, tam sensus expers, quam ratione carens contrarium est; sed prius secundum genus, et, ut philosophi loquuntur, *genericum gradum* opponitur, posterius secundum speciem, aut *specificum gradum*, *specificamque differentiam;* sic libertati, arbitrioque libero, quatenus naturalis est appetitus et inclinatio, contraria primum est violentia, quæ inclinationi repugnat. Quod etiam in brutis evenit; quorum appetitus, ut cum necessitate conjunctus est, ita violentiæ et coactionis est inimicus. At, si voluntas eadem hominis, qua hominis est propria, consideratur, et ut liberum arbitrium dicitur, necessitati est adversa; est enim *libera*, « in quantum necessitatem non habet, » ait idem sanc. Thomas.

Ad hæc in *Summæ Theologicæ* parte altera prioris partis [7], Deum asserit ad captum se causarum inferiorum et naturam accommodare : « Quia igitur voluntas est activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa; sic Deus ipsam movet, quod non ex necessitate ad unum determinat, sed remanet motus ejus

1 Ibidem, artic. 5 in concl. — 2 In I secundæ quæs. VI, art. 4. — 3 Art. 6. — 4 Art. 5. — 5 Art. 6. — 6 Tom. V Concil. — 7 S. Th. secundæ qu. X, a. 4.

contingens, et non necessarius, nisi in iis, ad quæ naturaliter movetur. » Non video quid adversus hoc hiscere nova possit opinio. Nam necessitatem ejusmodi repugnare libero arbitrio, sive voluntati quæ est libera, docet, quæ contingenti opponitur, non autem naturali illius inclinationi, ut sit violentia, vel coactio; tum libertatem indifferentia, et ad neutrum determinata propensione metitur, quod nova illa doctrina tam inclementer allatrat.

V. Sed, ut de sanctissimi doctoris, ac theologorum magistri sententia nulla sit amplius dubitatio; tum ut illius auctoritate ad commenti sui patrocinium abuti novi omnes theologi desinant, qui necessitatem eam solam, quæ sit violenta, libero arbitrio adversari putant; unum postremo ejusdem locum proferam, in quo contrariam esse libero arbitrio, non solum coactionem, sed etiam necessitatem, quæ ad unum aliquid voluntatem determinat, disertissimis verbis asserit, eosque qui aliter sentiunt, hæreticos appellat. In quæstione sexta *de malo*, in qua de humana electione disputat, et inquirit, « utrum homo liberam electionem habeat, aut ex necessitate eligat, « concludit sic : « Respondeo, dicendum, quod quidam posuerunt, quod voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliquid eligendum; nec tamen ponebant, quod voluntas cogeretur. Non enim omne necessarium est violentum, sed solum id, cujus principium est extra : unde et motus naturales inveniuntur aliqui necessarii, non tamen violenti; violentum enim repugnat naturali, sicut et voluntario, quia utriusque principium est intra; violenti autem principium est extra. *Hæc autem opinio est hæretica;* tollit enim rationem meriti, et demeriti in humanis actibus. Non enim videtur esse meritorium, vel demeritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, quod vitare non possit. Est etiam annumeranda inter extraneas philosophiæ opiniones; quia *non solum contrariatur fidei*, sed subvertit omnia principia philosophiæ moralis. Si enim non sit liberum aliquid in nobis, sed ex necessitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, et punitio, et laus, et vituperium, circa quæ moralis philosophia consistit. Hujusmodi autem opiniones, quæ destruunt principia alicujus partis philosophiæ, dicuntur positiones extraneæ; sicut nihil moveri, quod destruit principia scientiæ naturalis. » Ergo non solum violentia, sed etiam necessitas quælibet liberum evertit arbitrium. Ergo illorum, contra quos agimus opinio, non philosophiæ tantum, sed etiam catholicæ est adversa fidei, et *Hæretica*. Ergo frustra est, quisquis indifferentem illum libertatis statum *philosophicam libertatem*, tanquam veræ, et christianæ contrariam, per calumniam appellat, cum nulla philosophiæ contraria vera sit opinio, sed extranea, id est falsa.

Hæretica adversariorum sententia a B. Thoma judicatur.

VI. Enimvero cur tantopere *philosophiam*, ac *philosophicum* illud nomen, quasi Gorgonis caput intentent, et veteri, ac receptæ sententiæ de libertate, ac libero arbitrio invidiam ex eo comparent, quod in eam Peripatetica vetus omnis cum hodierna schola conspiret, imo vero quod philiosophi omnes, ac mortales adeo universi hactenus in eamdem consenserint, equidem rationem video nullam. Prorsus enim de libertate ac voluntate libera hominis nihil ab Aristotele, aut reliquis gentilibus philosophis est dictum, quod non Christiani omnes amplexi sint, ac totidem verbis in sua scripta derivarint, tam illi, quos proprie *Patres*, et *Doctores* Catholica nominat, et in honore habet Ecclesia, quam qui subtile et contentiosum persecuti theologiæ genus, *scholastici* vulgo nuncupantur. Age enim proferantur illa de libero arbitrio philosophorum gentilium dogmata, quæ ab nostris, id est christianis, aliena esse, novi theologi clamitant. Nullum esse demonstrabitur, quod non Catholici omnes illi quos dixi, perræque comprobent, imo vero quod non tota ipsa, quanta est, christiani orbis Ecclesia sua, id est conciliorum generalium voce, et auctoritate confirmet. Postremo eodem illa docentem, et usurpantem in Scripturis Deum audiant licet, si sincerum, necdum novis illis corruptum, et illusum præstigiis animum ad ista conferre poterunt.

Propu tu Aristo libert not

Sæpe id quidem, multumque prædicant : libertatis naturam, ac rationem ab Aristotele ac philosphis perperam intellectam, atque expositam fuisse. « Ut non immerito magnopere dolendum sit, (ait quidam illorum) nonnullos ita humanis, et plerumque fallacibus ratiocinationibus deditos esse, ut liberi arbitrii intelligentiam tutius ab Aristotele, et e gentili philosophia, quam ex antiquæ Ecclesiæ promptuariis, hauriendam esse arbitrentur. » Tum vero, « Desinat hic obstrepere, inquit paulo post, Aristotelica philosophia, quæ in ista causa cum Pelagio, atque Juliano plenis buccis eam crepante, damnata est. Neque enim aliud est quid, quam hæresis Pela-

giana de gratia, et libero arbitrio, quam pura puta Aristotelica philosophia, sicut suis locis ostendimus. » Item : « Ex quo fit, ut nihil magis in hoc argumento de libero arbitrio suspectum esse debeat, quam Aristotelica illa philosophia ; cujus solius armis instructi Julianus, et Pelagius libertatem humani arbitrii defenderunt. »

VII. Hæc tam audacter, tantoque impetu orationis ac strepitu contorta contra philosophos, et eorum principem Aristotelem, qui sola legerit, ac vera putet ; quid ab illis, et hoc præsertim aliud expectet, nisi detestandas et sacrilegas voces, meras hæreses et blasphemias, sententias denique tum catholicæ fidei, ac veritatis inimicas? Idem, cum nullum illorum de libero hominis arbitrio dictum, nullam ab iis factam litteram proferri videat, quam non Christiani, catholicique nominis doctores omnes, ac theologi et in usu frequenti habeant et sacrorum librorum testimoniis approbent ; dicam amplius, cui non contraria novorum istorum theologorum dogmata hæretica esse censeant ; quid, ut illis æquissimus sit, aliud cogitet, nisi aut parum attentos eos fuisse, qui tam perspicue absona et absurda non viderint ; aut multum simplices, qui se mortalibus omnibus sola, quod vellent, auctoritate ac voce sua probaturos esse confiderent ? Quid enim ? Itane contempsisse illos ætatis hujus ingenia, aut judicia non reformidasse, ut vel neminem esse crederent, qui, quid doceret Aristoteles, quid antiqui Patres, et Ecclesiæ magistri, scisset unquam, et ambo inter se conferre posset, vel, si, quod est consentaneum, de hoc illorum facto pronuntiatum esset, id despicerent, ac pro nihil putarent ? Sed, ut conquerendo rem exacerbare desinam, etsi non satis dolenter pro eo, ac meretur, dici ista potest ; tamen ut convicti perspicuitate veritatis, et evidentia obtrectare melioribus et obluctari desinant, agedum Aristotelis, et philosophiæ flagitia illa, quæ sunt, audiamus.

VIII. Est autem unum hoc et præcipuum, in quod tota vis adversariorum, et impetus incurrit, quodque præsertim ut hæreticum, ac Pelagianum criminari solent, quod libertatis, arbitriique liberi naturam in eo ponit Aristoteles, ut indifferens sit ad utrumlibet duorum eligendum ; nec uno aliquo definita ac determinata sit, aut ad unum quippiam amplectendum necessario constricta, sed, ut in potestate illius sit, utrum malit, optare. Hæc enim est Aristoteleæ summa doctrinæ in tertio *Ethicorum Nicomacheorum* libro tradita, ubi προαίρεσιν [1], id est *electionem*, quæ idem est ac liberum arbitrium, eorum dicit esse, quæ sunt in nostra potestate, hoc est cum in nostra voluntate situm est[2], ut agat, vel non agat, ut velit, aut nolit. Atque ibidem τὸ ἑκούσιον[3], quod est *spontaneum*, violento esse contrarium asserit.

Item, voluntatem proprie esse finis [4], electionem eorum esse quæ sunt ad finem. Hoc caput est Aristotelici dogmatis de libera hominis voluntate, quod e tertio *Nicomacheorum, et magnorum Moralium* primo, supra est expositum a nobis, adjunctis et aliorum ejusdem sectæ, et illius interpretum sententiis, quæ ad eumdem omnes scopum referuntur. Hanc igitur liberi arbitrii definitionem, tanquam hæreticam, Pelagianamque liberæ patroni necessitatis incusare solent.

Atqui nihil horum est, quod non Patres omnes, ac theologi iisdem verbis et sententiis expresserint, et ad explicandam liberi naturam arbitrii prorsus adhibuerint. Nullus hic de gratia, et ope divina sermo esse debet, quem neque scivit, neque naturali sola luce adjutus scire potuit Aristoteles. De libertatis natura et proprietate tantum agitur, eoque statu quem a prima creatione insitum et nativum habet ; qui nullis sceleribus obrui, oblitterarique potest, propter quem, etiam post peccatum, in Adamo integram voluntatis mansisse libertatem, cum divinæ litteræ, ac Patres, tum ex amborum auctoritate Tridentina synodus cum anathematis sanctione decrevit. Quod Tridentinæ synodi scitum primo a me commemoratum capite, quam vim habeat adversus hæreticam novitatem, paulo post videro ; certe illud evidens est, nihil tam esse contrarium alteri, quam ambo ista sunt invicem ; nunc, quod instat, quodque jam exorsi sumus, agamus potius.

Aristotelea libertatis efinitio a Patribus omnibus usurpata Scripturisque conformis.

IX. Itaque sepositis, uti dixi, gratiæ adjumentis ac præsidiis, quæ ad arbitrii liberi naturam adeo non pertinent, ut supra naturam, id est *supernaturalia* esse dicantur ; nihil de libertate voluntatis, arbitrioque isto libero scriptum, editum, constitutum ab Aristotele, ac Peripateticis aio philosophis, quod non verbis totidem, ac sententiis usur-

1 Arist. III *Ethic.* cap. v.— 2 Cap. vii.— 3 Cap. iii,— 4 Cap. iv.

parunt Christiani Patres omnes, cum de hac re verba fecerunt. Hoc si verum est, ut est profecto verissimum, viditne sol, post natos homines, confidentiam, ne quid mihi atrocius excidat, isti similem? Ausumne esse quemquam id tanquam hæreticum, Pelagianumque damnare, quod antiqui scriptores omnes hactenus, excepto nullo docuerunt? Age enim, ut pauca delibem ex iis, quæ in sequentibus capitibus plenius exequar, num Pelagianus fuit, aut hæreticus Aquinas ille Thomas, aut, quid de libero arbitrio in catholica esset professione, nescivit? Quis hoc vel suspicari audeat? Sed nec integrum sibi nova opinio reliquit, ut ab hujus auctoritate discederet, quem sententiæ suæ fautorem affert ac vindicem. Quid igitur de arbitrii liberi statu, et natura proditum est ab Aristotele, quod ex hoc ille non transtulit, ac non ejus, ut solet, verbis explicavit? Ostendi supra hoc ipso capite, quid de libero arbitrio variis in locis sanc. Thomas docuerit. Ecquid horum omnium, quæ ex illo sunt allata, non Aristoteleum est? cum quidem istum ipsum nominatim citat auctorem, ejusque verbis liberi arbitrii naturam, proprietatemque declarat. Voluntatem esse finis, electionem eorum, quæ sunt ad finem, docet Aristoteles in tertio *Ethicorum*. Idem et sanc. Thomas in prima parte, quæstione LXXXIII, articulo tertio et quarto ex isto ipso *Ethicorum* libro defendit, necnon in primo *contra Gentes*, capite LXXXVIII et passim alibi. Rursus liberum arbitrium in iis tantummodo versari dicit Aristoteles, quæ juris ac potestatis nostræ sunt, ut ea scilicet facere, vel non facere, velle, aut nolle possimus, tum vero electionem propriam esse liberi actionem arbitrii, quæ nonnisi inter plura consistere potest, ad quæ libera, et nulli necessario sit addicta voluntas hominis. Quæ ratio non id excludit solum, quod violentum, sed etiam, quod necessarium est, ac determinatum uno aliquo. Idipsum et sanc. Thomas dicit sæpius; ac non dicit tantum, sed eorum, qui contradicunt, *opinionem hæreticam* pronuntiat. Vide quæstionem illius sextam *de Malo*, cujus verba paulo ante descripsi, et quid de nova opinione statuas, indidem accipe. Ejusdemmodi, ne longum faciam, reliqua sunt, quæ ex antecedentibus resumi possunt, et itidem, ut hic fecimus, inter sese comparari.

X. Quid reliqui porro, qui de liberi arbitrii natura per se et ex instituto scripserunt? Nemo illorum fuit, qui non Aristotelis pene etiam ipsa verba describeret. Sic Nemesius in libro *de Natura hominis*[1], ubi τοῦ αὐτεξουσίου, id est libertatis, ac liberi arbitrii nostri propriam ait esse τὴν βουλὴν et προαίρεσιν, hoc est consultationem, et electionem: utramque porro non in iis versari, quæ necessaria sunt, et uno aliquo determinata, sed quæ sunt contingentia, et quæ facere, aut non facere, velle, aut nolle possumus. Vide præ cæteris caput XXXIV ubi de necessitate agit, et consultatione; quem locum postea proponemus.

Sic Joannes Damascenus tam in libro secundo *de Fide Orthodoxa*[2], ubi Nemesii, ut plerumque solet, verba ipsa transcribit, quam in *Isagoge dogmatum*, et in libro *de duabus Voluntatibus*: quæ loca in libro quinto *de Deo* capite secundo citavimus, ut et Nemesii, nec non Maximi martyris; quæ Aristoteleis et verbis, et sensibus, liberi arbitrii naturam, proprietatemque declarant ejusmodi, quam adversarius tanquam Pelagianam, et hæreticam infamia notavit. Nihil, inquam, aliud liberum esse cènsent arbitrium, quam indifferentem, et ad utrumvis suspensam, neque determinatam eligendi facultatem, sive ad duorum alterum optandum, sive ad agendum, vel non agendum, adeo ut, eo sublato, nusquam libertas ipsa consistat. Sic Græci, Latinique cæteri, præsertim, ut dixi, qui de liberi arbitrii natura, definitioneque scripserunt, ut non obiter rem attigisse videantur; quorum nullus unquam aliter, quam ex Aristotelis præscripto, de illa re sentiendum, ac loquendum, judicavit, ut ex sequentibus plenius apparebit.

Eusebius certe in libro sexto *de Præparatione evangelica*, post longum de arbitrio libero, deque fato sermonem, ac gentilium philosophorum explicatas de utroque sententias, aperte prædicat, « Philosophorum placita a se descripta cum Christiano dogmate congruere, ac divinis suffragari litteris [a]. » Siquidem, ut recte scriptum est ab Origene[3], « Philosophia neque in omnibus legi Dei con-

a EUSEB. Τούτων ἡμῶν ἀπὸ πλείστων ἐπιτετμημένων, τῷ πολὺν εἶναι τὸν περὶ τοῦ αὐτεξουσίου λόγον ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς δόγμασιν. ᾧ καὶ τῶν φιλοσόφων συνέδραμον αἱ παρατεθεῖσαι φωναί, τοῖς μὲν καθ' ἡμᾶς θείοις γράμμασιν ἐπιμαρτυροῦσαι.

1 Cap. XXIX, XXX, XXXI, XXXII, XXXIII, XXXIV, XXXIX.— 2 vide cap. XXIV, XXV et seq.— 3 Hom. XIV in Gen.

traria est, neque in omnibus consona. » Boetius denique Christianus Theologus haud secus, ac philosophus, Aristoleam de libertate sententiam adeo non improbat, ut luculentissimo etiam commentario illustret, atque explicet; quem ad illius *de Interpretatione* librum elucubravit.

CAPUT V.

Evertitur novæ firmamentum opinionis expositum supra, quo solum violentum opponi libertati putat. Ostenditur, necessitatem quamcumque cum libero arbitrio pugnare; ac latius explicatur natura illius, et agendi ratio. Variæ, ac multiplices libertatis functiones ex antiquis declaratæ, quæ omnes necessitatem simplicem excludunt. Quid sit indifferens, et quemadmodum libero arbitrio conveniat adeo, ut citra hoc agere nequeat, neque libertas humana consistere. Illustrantur veterum Patrum de ea re sententiæ, quibus doctrinæ novitas eliditur.

I. Necessitatis duplicis, quarum altera *violentia*, altera *necessitas* simpliciter vocatur, discrimen illud, in quo arcem adversarii constituunt novæ opinationis suæ, nihil præter inanem habere pompam, reipsa vero nihil ad negotium facere, deinceps hoc, et sequentibus capitibus ostendam. In quibus manifestum illud erit, libero arbitrio non modo vim ac violentiam, sive coactionem esse contrariam, sed etiam necessitatem quamlibet, qua voluntas ita circumscribitur, ut alterius erepta potestate, unius tantum optionem reliquam habeat.

Demonstrat hoc imprimis libertatis ipsa natura, vel arbitrii liberi, quam superiori capite ex sanc. Thomæ Aquinatis, et eruditæ antiquitatis decretis exposuimus. Nam voluntatem, sive volendi facultatem ac potentiam, duas habere specie distinctas actiones docent; quarum una sit βούλησις, Latinis *voluntas*, seu *volitio* simplex, quæ est appetitio convenientis sibi boni : altera προαίρεσις, id est *electio*. Inter quas distinguunt ita. Priorem dicunt proprie finis esse, ac deliberatione carere; siquidem naturali quadam propensione in id, quod bonum est, ferimur. Itaque « volumus etiam, quæ in nostra potestate non sunt, ait Nemesius. Eligere vero circa illa sola versatur, quæ sunt in potestate nostra [a]. » Ita velle immortalitatem homines possunt, aut ægri sanitatem; eligere autem ista non dicuntur proprie; « Siquidem βούλησις, id est velle, finis est, electio vero eorum, quæ comparantur ad finem [b]. » Quod et Joannes Damascenus scribit[1], et Maximus martyr, sanc. Thomas, aliique omnes superiori capite citati.

II. Jam vero ἡ προαίρεσις, quæ est *electio*, propriaque liberi arbitrii actio, ut ibidem diximus, tum circa ea, quæ sunt ad finem, et vulgo dicuntur *media*, consistit, tum non modo violentiam omnem, sed etiam necessitatem quamlibet determinantem refugit adeo, ut perinde repugnans sit liberum arbitrium necesssario aliquid agere, qua liberum est, hoc est eligere; ac vi adigi, cogique voluntatem ad volendum aliquid. Quod adversus novas præstigias ita porro demonstrabimus.

Liberi arbitrii functio, quam, ut sæpe dictum est τὴν προαίρεσιν Græci philosophi, ac Patres, *electionem* Latini nominant, suapte id natura postulat, ut duo, plurave proposita sibi habeat, ex quibus unum asciscat, reliqua suapte sponte rejiciat. Id autem fit antegressa deliberatione, ac consultatione, in qua velut arbitra mens, et ratio sedet; quæ, duobus illis consideratis et perspectis, utrum horum melius, et conducibilius sit, prius judicat, quam id voluntati eligendum, appetendumque præscribat. Quod fit ita, ut nihilominus integrum sit, et in potestate situm nostra, utrum volumus ex ambobus optare. Hic liberi arbitrii et electionis usus, qui cum necessitate cohærere nullo modo potest, satis quidem ex iis, quæ hucusque dicta sunt, elucescit, verbo ut amplius opus non sit. Sed, ut pervicaciæ, quæ duri oris est ac ferrei, frontem ferinam, et ingenuo aliquo, si quid est reliqui, pudore suffundam, paucis id approbare libet ex sanctorum decretis Patrum, ac theologorum, quorum in hac re concors est cum philosophis, et eorum Aristotele principe sententia.

Liberi vera notio adstruitur e Patribus et theologis.

III. Nemesius, cujus liber Gregorio Nysseno

E Nemesio.

a Nemes. cap. xxxiii. Καὶ τὸ μὲν βούλεσθαι καὶ ἐπὶ τῶν ἀδυνάτων τάττεται· τὸ δὲ προαιρεῖσθαι, ἐπὶ μόνον τῶν ἐφ' ἡμῖν.

b Ibid. Ἡ μὲν γὰρ βούλησις τοῦ τέλους ἐστίν· ἡ δὲ προαίρεσις τῶν πρὸς τὸ τέλος.

1 Lib. II, cap. xxii.

nonnunquam inscribitur, qui est de natura hominis, auctor cumprimis elegans, ac philosophus perinde, ac theologus christianus apprime doctus, in capite XXXIII ubi de προαιρέσει disputat, inter cætera discernit illam a deliberatione, et consilio sic : « Consultationem ait esse inquisitionem de iis, quæ cuique sunt agenda ; eligi vero, quod per consultationem antepositum est alteri [a]. » Ac deinde electionem mistum quiddam esse ait, ex consilio, sive judicio et appetitione ; sicut animale corpore animaque componitur, quorum neutrum est seorsim, sed ambo conjuncta [b]. Ex quo concludit, « προαιρέσιν esse appetitionem cum consultatione junctam eorum, quæ in nostra sunt potestate : vel consultationem cum appetitione conjunctam earum rerum, quæ in nobis sunt sitæ [c]. » Unde « necessario circa eadem versari ait electionem, de quibus est consilium [d]. »

Electione.

Quocirca, uti constet, quarum rerum sit, et in quibus versetur electio, capite sequenti Nemesius idem de consilio et consultatione disserit, ac de quibus rebus sit consilium ; docetque, « de iis consultare nos, quæ sunt in nostra potestate sita, quæque per nos fieri possunt ; tum quorum exitus est incertus, hoc est quæ hoc modo, vel aliter possunt fieri. Nam ideo de iis, quæ in nostra potestate sunt, consultare nos dicimus, quia de iis solum, quæ agenda sunt, deliberamus [e]. » Quare « de iis, quæ necessaria sunt, minime deliberamus. Necessaria porro vocamus ea, quæ semper eodem modo se habent [f]. » Addit præterea, « Non de omnibus, quæ per nos fiunt, quæque sunt in nostra potestate, consultare nos ; sed hoc insuper requiri, ut in incerto suspensum habeant exitum, hoc est, quæ hoc, vel illo modo agi possunt [g]. » Ad hæc non esse consilium, vel consultationem de fine, sed de iis, quæ sunt ad finem. « Denique, ait, de iis solis consultamus, quæ ex æquo contingentia sunt [h]. »

IV. Præterea tria quædam consideranda esse dicit, « quod potest, potentiam, et possibile. Quod potest, sive potens, inquit, est substantia ; potentia est, a qua posse nobis suppetit ; possibile vero, quod secundum potentiam comparatum est, ut fiat. Cæterum possibilium alia sunt, inquit, necessaria, alia contingentia. Necessaria sunt, quæ prohibere est impossibile, sive quorum oppositum impossibile est. Contingens autem est, quod prohiberi potest, vel cui, quod oppositum est, possibile est [i]. » Rursus, cum ex contingentibus quædam sint, quæ ut plurimum accidunt, veluti sexagenarium canescere ; quædam rarius eveniant, ut sexagenarium non canescere ; alia denique ex æquo fiant, aut non fiant, ut ambulare, vel non ambulare, et omnino agere aliquid, aut non agere ; de his solis postremis consultare nos ait Nemesius, « Est autem, ait, ex æquo contingens in utramque partem, quod tam ipsum possumus, quam ejus contrarium. Nisi enim ambo possemus, tam istud scilicet, quam ejus contarium, neutiquam consultaremus. Nam neque de ratis, et certis, neque de impossibilibus quisquam deliberat. Porro, si alterum tantummodo contrariorem possemus, hoc quidem ratum, fixumque esset, nec ambiguum ullo modo, ejus vero contrarium impossibile [j]. » Vide et caput ejusdem XXXIX quod est περὶ τοῦ αὐτεξουσίου, id est *de libero arbitrio*.

a Nemesius. Βούλευσις μὲν γάρ ἐστι ζήτησις περὶ τῶν αὐτῷ πρακτέων· προαιρετὸν δὲ, τὸ ἐκ τῆς βουλεύσεως προκριθέν.

b Ibid. Ἔστιν οὖν μικτόν τι ἐκ βουλῆς, καὶ κρίσεως, καὶ ὀρέξεως.

c Ibid. Συνάγεται δὴ ἐκ τούτων προαίρεσιν εἶναι ὄρεξιν βουλευτικὴν τῶν ἐφ' ἡμῖν, ἢ βούλευσιν ὀρεκτικὴν τῶν ἐφ' ἡμῖν.

d Ibid. Ἀναγκαίως οὖν ἡ προαίρεσις περὶ ταῦτά ἐστι, περὶ ἃ καὶ ἡ βουλή.

e Nemes. cap. XXXIV. Βουλευόμεθα οὖν περὶ τῶν ἐφ' ἡμῖν, καὶ δι' ἡμῶν δυναμένων γενέσθαι, καὶ ἄδηλον ἐχόντων τὸ τέλος, τουτέστι δυναμένων καὶ οὕτω, καὶ ἄλλως γενέσθαι· τὸ μὲν οὖν ἐφ' ἡμῖν εἴρηται, ἐπειδὴ περὶ τῶν πρακτέων μόνον βουλευόμεθα.

f Mox : Οὔτε περὶ τῶν ἐξ ἀνάγκης γινομένων. ἐξ ἀνάγκης δὲ λέγω τὰ ἀεὶ ὡσαύτως γινόμενα.

g Ibid. Ἀλλ' οὐδὲ περὶ πάντων τῶν δι' ἡμῶν γινομένων, καὶ ἐφ' ἡμῖν ὄντων βουλευόμεθα· ἀλλὰ δεῖ προσκεῖσθαι καὶ τὸ, ἄδηλον ἐχόντων τὸ τέλος, etc. Καὶ δυναμένων καὶ οὕτως, παὶ ἄλλως πραχθῆναι.

h Ibid. Συνελόντι δὲ εἰπεῖν περὶ τούτων μόνων βουλευόμεθα, περὶ τῶν ἐπίσης ἐνδεχομένων.

i Τρία οὖν ταῦτά ἐστιν, ὡς ἔφαμεν, ἀλλήλων ἐχόμενα· δυνάμενον, δύναμις, δυνατόν· δυνάμενον μὲν ἡ οὐσία· δύναμις δὲ, ἀφ' ἧς ἔχομεν τὸ δύνασθαι· δυνατὸν δὲ τὸ κατὰ δύναμιν πεφυκὸς γενέσθαι. τῶν δὲ δυνατῶν τὰ μέν ἐστιν ἀναγκαῖα, τὰ δὲ ἐνδεχόμενα. ἀναγκαῖα μὲν, ἅπερ ἀδύνατον κωλυθῆναι. ἢ ὧν καὶ τὸ ἀντικείμενον ἀδύνατόν ἐστιν. ἐνδεχόμενον δὲ, τὸ δυνάμενον κωλυθῆναι· ἢ ὧν καὶ τὸ ἀντικείμενον δυνατόν ἐστι.

j Ibid. Περὶ τούτων οὖν τῶν ἐπίσης ἐνδεχομένων μόνον βουλευόμεθα. Ἔστι δὲ ἐπίσης ἐνδέχόμενον, ὃ αὐτό τε δυνάμεθα, καὶ τὸ ἀντικείμενον αὐτῷ. εἰ γὰρ μὴ ἀμφότερα ἐδυνάμεθα, αὐτό τε, καὶ τὸ ἀντικείμενον, οὐκ ἂν ἐβουλευόμεθα. οὔτε γὰο περὶ τῶν ὁμολογουμένων, οὔτε

Quod quidem circa ea sola versari dicit, quæ sunt in nobis et nostra potestate sita, nimirum quæ minime necessaria, et ad unum quippiam determinata sunt, et de quibus consultari potest. Sic in capite XL probat esse quædam in nostra potestate posita, in quibus solis libertas exercetur arbitrii. Talia sunt vero, de quibus consilium est, ac deliberatio, et quæ in utramque partem æqualiter evenire possint, sive quod tam ipsum facere, et asciscere possumus, quam ejus contrarium ; velut ambulare, vel stare, « appetere, quæ non necessaria sunt, vel non appetere [a]. » Item liberum arbitrium non in omnibus versari, « sed circa virtutes et vitia, actiones, electiones et motiones animi, et ea quorum ex æquo, ac contrariorum agendorum potestatem habemus. Quoniam, inquit, actionem omnem antecedit electio [b]. » Videndum et caput XLI ubi rationes affert, ob quas libero arbitrio prædíti sunt homines ; atque inter cætera, « unam, et eamdem facultatem esse dicit mentiendi, et vera dicendi, temperanter vivendi, et intemperanter [c]. »

E Sancto Damasceno.

V. Post Nemesium recensendus est Joannes Damascenus, qui pleraque ex Nemesio transtulit. Quare non necesse habemus illius verba describere, præter ea, in quibus paulo aliter, ac distinctius, quod ad rem facit, expressit. Hic igitur in secundo libro, capite vigesimosecundo tum ea dicit, quæ ex Nemesio initio capitis hujus adduximus, τὴν βούλεσιν, id est *voluntatem*, sive *volitionem*, esse finis, non eorum quæ comparantur ad finem ; item electionem, et liberi arbitrii actionem nunquam sine consultatione fieri, consultationem autem de iis haberi, quæ in nostra potestate sita sunt, hoc est, cum tam ipsa facere possumus, quam iis contraria. Tum omnem liberi arbitrii in agendo motionem, et administrationem explicat ; quæ ante oculos nostros proposita, beneque perspecta esse debet, ut libertatis naturam, et cum necessitate repugnantiam plenius cognoscere possimus. Agit et de iis, quæ ἐνδεχόμενα, id est *contingentia* vocantur ; de quibus solis consultationem et electionem posse esse, iisdem, quibus Nemesius, verbis ostendit [1].

Primam itaque omnium dicit esse, quam βούλησιν vocat, id est *voluntatem*, cum naturali appetitu, et propensione quippiam volumus ; quam definit « appetitum, et desiderium rationale rei cujuspiam [d]. » Eamdem porro non solum eorum esse vult, quæ in nobis sita, et possibilia dicuntur, sed etiam eorum, quæ adipisci non possumus, ac finis esse tantum, non autem eorum, quæ media vocantur. Post βούλησιν succedit ζήτησις, id est *inquisitio, et consideratio* rei, quam appetimus ; « tum si in nostra potestate est sita, consilium sequitur, sive consultatio, ac deliberatio [e], » cujus est rationes, ac modos indagare, quibus ad id, quod volumus, perveniri possit. Definit autem *consilium* sic : « Consilium est appetitio indagatrix de iis rebus, quæ in nobis sitæ sunt. Consultat enim, an aggredi rem debeat, nec ne ; deinde judicat, quid sit melius ; et hoc judicium appellatur. Postea vero afficitur, et amat id, quod ex consilio judicatum est, idque sententia vocatur. Nam si judicet, et ad id, quod judicatum est, minime afficiatur, hoc est nisi amet ipsum, non vocabitur sententia. Exinde post affectionem fit electio, sive delectus ; est enim electio, cum e duobus unum optatur, et eligitur præ altero ; deinde movetur ad agendum, et hic vocatur impulsus ; tum utitur, et appellatur usus ; demum quiescit ab appetitu, postquam usum habuit [f]. »

VI. Secundum hæc Joannes Damascenus

περὶ τῶν ἀδυνάτων τις βουλεύεται· εἰ δὲ τὸ ἕτερον μόνον τῶν ἀντικειμένων ἐδυνάμεθα. τοῦτο μὲν ἦν ὁμολογούμενον, καὶ οὐδαμῶς ἀμφίβολον· τὸ δὲ ἀντικείμενον, ἀδύνατον.

a Nemesius cap. XL. Ὀρέγεσθαι τῶν μὴ ἀναγκαίων, καὶ μὴ ὀρέγεσθαι.

b Ἀλλὰ τῶν κατ' ἀρετὴν, καὶ κακίαν πράξεων, καὶ προαιρέσεων, καὶ κινήσεων· καὶ ὧν ἐξίσης, καὶ τὰ ἀντικείμενα πρᾶξαι δυνάμεθα· ἐπειδὴ πάσης πράξεως προαίρεσις ἡγεῖται.

c Idem cap. XLI. Μία γὰρ, καὶ ἡ αὐτὴ δύναμις τοῦ ψεύδεσθαι, καὶ ἀληθεύειν, καὶ μία, καὶ ἡ αὐτὴ δύναμις τοῦ σωφρονεῖν, καὶ ἀκολασταίνειν.

d Damasc. lib. II, cap. XXII. Βούλησις γάρ ἐστιν, ὄρεξις, καὶ ἔφεσίς τινος πράγματος λογική.

e Ibid. Εἶτα μετὰ τὴν βούλησιν ζήτησις, καὶ σκέψις, καὶ μετὰ ταῦτα, εἰ τῶν ἐφ' ἡμῖν ἐστι, γίνεται βουλὴ, ἥγουν βούλευσις.

f Idem. Βουλὴ δὲ ἐστιν ὄρεξις ζητητικὴ περὶ τῶν ἐφ' ἡμῖν πρακτῶν γινομένη. βουλεύεται γὰρ, εἰ ὤφειλε μετελθεῖν τὸ πρᾶγμα, ἢ οὔ. εἶτα κρίνει τὸ κρεῖττον, καὶ λέγεται κρίσις. εἶτα διατίθεται, καὶ ἀγαπᾷ τὸ ἐκ τῆς βουλῆς κριθὲν, καὶ καλεῖται γνώμη. ἐὰν γὰρ κρίνῃ, καὶ μὴ διατεθῇ πρὸς τὸ κριθὲν, ἥγουν ἀγαπήσῃ αὐτὸ, οὐ λέγεται γνώμη. εἶτα μετὰ τὴν διάθεσιν, γίνεται προαίρεσις, ἥγουν ἐπιλογή. προαίρεσις γάρ ἐστι, δύο προκειμένων τὸ αἱρεῖσθαι, καὶ ἐκλέγεσθαι τοῦτο πρὸ ἑτέρου, εἶτα ὁρμᾷ

1 Damasc. lib. II, cap. XVI.

hominum, ac brutorum in agendo, et appetendo discrimen affert ejusmodi, quod in illis statim post appetitionem impulsus oritur, sive motus ad actionem, quippe ratione carentibus, ut ab appetitione naturali ducantur potius, quam illam ducant. At homo, utpote ratione pollens, « libera potestate, et arbitrio, et cum ratione movetur. Itaque libera potestate appetit, libera potestate vult, quærit, considerat, consultat, judicat, afficitur, eligit, impellitur ad agendum, libere item agit in iis, quæ naturæ consentanea sunt [a]. » Jam vero quid sit αὐτεξουσίως ista omnia agere, declarat in sequenti capite ; quod totum ex Nemesii capite XXXIX transcripsit. Quamobrem uterque id libero arbitrio fieri dicit, quod in nostra est potestate, ut faciamus, aut non faciamus ; sive quod necessitate non facimus ita, ut eodem semper modo fiat. Nimirum circa sola contingentia, quæ ad utrumvis definita, determinataque non sunt, ac de quibus deliberamus, τὸ αὐτεξούσιον ambo illi Patres constituunt. Ut hoc sit fieri ex libero arbitrio, sic fieri, ut, cum facimus, vel non facere vel contrarium facere possemus. De quo eximius est ejusdem Joannis Damasceni locus in capite XXVII libri secundi ; in quo discrimen illud, quod paulo ante posuerat, in agendo bestiarum, hominumque repetit; quod illæ naturalem appetitionem necessario sequuntur, nec ei resistere possunt; homo vero, « cum appetit, potestatem habet, si velit, appetitionem refrænare, aut ipsam sequi [b]. » Vide indifferentem arbitrii statum, sine quo esse non potest.

Libere.

Rursus idem Damascenus in *Isagoge dogmatum* ad Joannem Laodicenum, capite X, eamdem, quam supra posui, differentiam in agendo brutorum, hominumque commemorat, ac de hominum libero arbitrio sic sentit : « At rationalis, inquit, natura potestatem habet cedendi naturali appetitioni, vel non cedendi, sed vincendi. Declarat hoc natura, quæ, cum insitum vitæ desiderium habeat, tamen rationi obtemperat [c]. » Quod eorum probat exemplo, qui vitam sponte profuderunt, et cibi ac potus appetentiæ restiterunt. Mox vero « illa, quæ voluntati subjiciuntur, et quorum ea desiderio tenetur, vocari dicit θελήματα γνωμικά, id est *voluntates certo judicio et sententia constitutas*. Etenim propria sententia ad illorum usum mens, utpote sui juris, impellitur. Ea sunt autem edere, non edere, facere, non facere, ambulare, non ambulare, ducere uxorem, non ducere, et cætera, quæ in nobis sita sunt, quæ et ipsa possumus, et eorum contraria [d]. » Vide eumdem in libro *de duabus Christi voluntatibus ;* ubi de αὐτεξουσίῳ, id est arbitrio libero similia disputat.

VII. Cum utroque, Nemesio scilicet, ac Joanne Damasceno, de liberi arbitrii natura, et οὐσιώδει ejus indifferentia congruit omnino S. Maximus monachus, et martyr, inter eruditissimos Græciæ theologos habitus. Qui idem, quod illi, atque iisdem pene verbis, et sententiis affirmat; ut in opusculo primo de tredecim, quæ Franciscus Turrianus Latine vertit[1]. Ibi enim « βούλησιν, id est *voluntatem* ait esse finis ; electionem vero eorum tantum, quæ sunt in nostra potestate, et quæ a nobis fieri possunt. » Item, « consilium, sive consultationem esse appetitum inquirentem de rebus agendis, quæ penes nos sunt. Eligibile vero, quod est ex consilio judicatum ; quod ex etymologia liquet. Προαιρετὸν enim, id est *eligibile*, est, quod est ante aliud αἱρετὸν, id est ante aliud eligendum. » Ad hæc προαίρεσιν, id est *electionem*, sive liberum arbitrium definit, appetitum consultantem de rebus

E S. Maximo Essentiali.

πρὸς τὴν πρᾶξιν, καὶ λέγεται ὁρμή. εἶτα κέχρηται, καὶ λέγεται χρῆσις· εἶτα παύεται τῆς ὀρέξεως μετὰ τὴν χρῆσιν.

a Ibid. Ἐπὶ δὲ τῶν ἀνθρώπων λογικῶν ὄντων, ἄγεται μᾶλλον ἡ φυσικὴ ὄρεξις, ἤτερ ἄγει· αὐτεξουσίως γὰρ, καὶ μετὰ λόγου κινεῖται, etc. Αὐτεξουσίως οὖν ὀρέγεται, καὶ αὐτεξουσίως βούλεται, καὶ αὐτεξουσίως ζητεῖ, καὶ σκέπτεται, καὶ αὐτεξουσίως βουλεύεται, καὶ αὐτεξουσίως κρίνει, καὶ αὐτεξουσίως διαπίθεται, καὶ αὐτεξουσίως προαιρεῖται, καὶ αὐτεξουσίως ὁρμᾷ, καὶ αὐτεξουσίως πράττει ἐπὶ τῶν κατὰ φύσιν ὄντων.

b Damasc. lib. II, cap. XXVII. Διὸ καὶ ὀρεγόμενος, εἴπερ ἐθέλοι, ἐξουσίαν ἔχει ἀναχαιτίσαι τὴν ὄρεξιν, ἢ ἀνελεῖν παῦσαι αὐτήν.

c Damasc. Ἡ δὲ λογικὴ φύσις ἐξουσίαν ἔχει ὑποκύψαι τῇ φυσικῇ ὀρέξει, καὶ μὴ ὑποκύψαι, ἀλλὰ νικῆσαι. καὶ δηλοῖ ἡ φύσις, ζωῆς ἔφεσις φυσικὴ οὖσα, καὶ ὑποκύπτουσα τῷ λόγῳ.

d Ibid. Τὰ δὲ τῇ θελήσει ὑποκείμενα, ὧν ἐφίεται ἡ [illegible] λόγος, λέγονται θελήματα γνωμικά. οἰκεῖα γὰρ γνώμῃ ὁρμὰ πρὸς τὴν τούτων χρῆσιν ὁ νοῦς αὐτεξούσιος ὤν. ταῦτα δέ εἰσιν, οἷον φαγεῖν, μὴ φαγεῖν· ποιεῖν, μὴ ποιεῖν· δεῦσαι, μὴ δεῦσαι· γῆμαι, μὴ γῆμαι· καὶ τὰ τοιαῦτα, ἃ ἐστιν ἐφ' ἡμῖν εἰσιν· ἃ καὶ αὐτὰ δυνάμεθα, καὶ τὰ ἀντικείμενα αὐτοῖς.

1 Edita sunt Ingolstadii, ann. 1605.

agendis, quæ in potestate nostra sunt. Mixtum enim quid est, et cum multis junctum est electio ex appetitu et consilio, ac judicio composita. » Tum addit : « Necessario igitur earum rerum est electio post consilium, de quibus erat consilium ante judicium. Illa enim eligimus, de quibus consultamus. »

Jam, quæ sint illa, de quibus consultamus, sequenti aperit capite[1] : « Consultamus, inquit, de iis, quæ sunt in nostra potestate, et per nos fieri possunt. Non de iis, quæ necessario, et semper eodem modo fiunt: » sed de iis, « quæ incertum finem habent, et contingentia sunt. Æque vero contingens est, quod æque facere possumus, atque contrarium ei. Nisi enim utrumque possimus, non de utroque deliberamus. De certis enim, et manifestis, vel quæ fieri non possunt, et non contingunt, nemo consultat. Si enim alterum tantum oppositorum poteramus, illud quidem erat certum, tamquam de quo nulla esset dubitatio ; oppositum vero erat impossibile. Hæc igitur eligimus, quæ ex æquo sunt contingentia, de quibus deliberamus. »

Post de γνώμῃ, id est *sententia* disputans, eadem cum Joanne Damasceno dicit, quæ paulo ante posui, nimirum ab electione distingui ; hanc enim ex illa nasci. Siquidem « appetitio disposita et affecta judicio facto ex consilio, fit sententia, post quam, vel, ut magis proprie loquar, ex qua electio exsistit. Habet igitur rationem habitus ad operationem, sententia ad electionem. » Itaque γνώμη *Gnome.* est *animi affectio*, id est διάθεσις, ex judicio, quod ab consultatione ortum est, profecta. Nam judicium actio est mentis, et intelligentiæ velut præscribens, quid sit opus facto ; γνώμη vero est affectio voluntatis judicium illud admittentis. Definitur enim ibidem a Maximo, ut sit ὄρεξις ἐνδιάθετος τῶν ἐν ἡμῖν, *Appetitus in animo infixus eorum, quæ sunt in nostra potestate*, ut vertit Turrianus. Postea *Electio.* sequitur ἡ προαίρεσις, quæ unum e duobus anteponit alteri.

VIII. Ad tres illos insignes Græciæ theologos, qui de liberi arbitrii natura *Technice.* τεχνικῶς, et scholastico more, atque ex instituto disputarunt, non sententias aliquas obiter adsperserunt, annumerandus est Anastasius Sinaita : qui initio libri, quem adversus Eutychianas propagines edidit, ὁδηγοῦ, id est *Viæ ductoris* inscriptum nomine, vocum omnium, quæ in sermonem, ac disputationem incidunt, notionem exposuit. Ibi inter alia de libero arbitrio, quod Græci vocant τὸ αὐτεξούσιον, agens, quæ sit illius natura, tradit sic : « Liberum arbitrium intelligentis animæ est expedita concupiscentis, quæ in nobis est, partis propensio, et motio ad virtutem, aut vitium. Nam ubi vitii, et virtutis non est appulsio, ibi neque animæ libertas dignosci potest. Quomodo enim libera constabit electio, ubi contrariorum nulla est incursio[a]? » Hic Anastasius de voluntatis ea libertate, arbitrioque agit libero, quod in cursu adhuc, et via positis intelligentibus creaturis convenit. His enim libertas inest illa, quæ *contrarietatis* dicitur. Cæteris ea necessario congruit, quæ circa aientia, et negantia consistit, et *contradictionis* appellatur, aut inter diversa saltem, et disparata ; nam nisi inter diversa et opposita nulla fingi potest libertatis notio. *Ex Anastasio Sinaita.*

IX. S. Thomas in priori parte secundæ partis Joannem Damascenum, ac superiores alios, imo eum ipsum, quem isti omnes imitati sunt, Aristotelem secutus, de voluntatis actionibus, totaque administratione arbitrii liberi, eadem scribit, quæ hactenus docentes christianos illos theologos audivimus. *E S. Thoma*

Primum *Intentionem* finis esse solius asserit[2]. Ea est βούλησις Nemesii, et Damasceni, adeoque Aristotelis. *Electionem* vero[3], quæ est προαίρεσις, eorum esse, quæ ad finem referuntur, et vocantur *media ;* atque hanc mistam, et compositam esse ex appetitu et consilio, uti animal ex anima et corpore ; cujus dicti Gregorium Nyssenum citat auctorem. Is est Nemesius. Tum quærenti, an sit in brutis animantibus *electio*, ita respondet[4] : « Cum electio sit præacceptio unius respectu alterius, necesse est, quod electio sit respectu plurium, quæ eligi possunt. Et ideo in his, quæ sunt penitus determinata ad unum, electio locum non habet. Appetitus autem sensitivus sit determinatus ad unum ; at voluntas, licet secundum naturæ ordinem determinata sit ad unum commune, quod est bonum, indeterminata se habeat respectu particularium

a Anast. Αὐτεξουσιότης ψυχῆς νοερᾶς ἐστιν ἡ ἀκώλυτος πρὸς ἀρετὴν, ἢ κακίαν τοῦ ἐπιθυμητικοῦ ἡμῶν ῥοπή τε, καὶ κίνησις· ἔνθα δὲ κακίας, καὶ ἀρετῆς προσβολὴ οὐ γίνεται, ἐκεῖ οὐδὲ ἡ αὐτεξουσιότης τῆς ψυχῆς γνωρίζεσθαι δύναται. πῶς γὰρ ἂν καὶ φανήσεται ἡ αὐτεξούσιος προαίρεσις, ἔνθα προσβολὴ ἐναντία οὐχ ὑφίσταται.

1 Ib. cap. XIII.— 2 In I, II, qu. XII, a. 2 et 3.— 3 Ibid. qu. XIII, a. 1, 3 et 4.— 4 Ibid. qu. XIII, a. 2.

bonorum; ideo proprie voluntatis esse, eligere, non autem appetitus sensitivi. » Ad hæc electioni contrariam esse necessitatem probat[1], non eam solum, quam nostri somniant, quæ sit coactio, sed quæ ad unum determinat, et *possibili*, vel *contingenti* est opposita. Hanc cum electione pugnare demonstrat; quia proprium est hominis ex libero agentis arbitrio « velle et non velle, agere et non agere; potest etiam velle hoc, aut illud. » Huic autem necessitas adversatur; quia, « quod possibile est non esse, non necesse est esse. » Porro, cur ad utrumque veluti suspensum sit liberum arbitrium, causam ex ipsa rationis humanæ conditione repetit : « Quidquid enim ratio potest apprehendere ut bonum, in hoc voluntas tendere potest. Potest autem ratio apprehendere ut bonum, non solum hoc, quod est velle, aut agere, sed hoc etiam, quod est non velle, et non agere. Et rursum in omnibus particularibus bonis potest considerare rationem boni alicujus, et defectum alicujus boni, quod habet rationem mali; et secundum hoc potest unumquodque hujusmodi bonorum apprehendere, ut eligibile, vel fugibile. Solum autem perfectum bonum, quod est beatitudo, non potest ratio apprehendere sub ratione mali, aut alicujus defectus; et ideo ex necessitate beatitudinem homo vult, nec potest velle non esse beatus, aut miser. Electio autem, cum non sit de fine, sed de his, quæ sunt ad finem, non est perfecti boni, quod est beatitudo, sed aliorum particularium bonorum; et ideo homo non ex necessitate, sed libere eligit. » Vides, ut ei, quod est liberum, oppositum sit necessarium non coactum, sed uno circumscriptum, ac determinatum.

Postremo de *consilio*, et de γνώμῃ prorsus eadem tradit, quæ superius ex Græcis explicata Patribus, ne sim justo longior, hic missa facio·

Atque hæc tota S. Thomæ et aliorum, quos hoc capite in medium adduximus, de libero arbitrio sententia, pulchre ab S. Bernardo. declaratur in libro *de gratia et libero arbitrio*. Ubi liberum arbitrium ex utroque conflatum esse demonstrat : quorum alterum, quod liberum dicitur, appetitus, ac voluntatis proprium est : alterum, quod est arbitrium, sive judicium, rationis; itidem ut προαίρεσιν Græci isti Patres, electionem S. Thomas, ex ambobus illis temperatam, et compositam esse docuerunt, utrique philosophos, et imprimis Aristotelem ducem secuti.

Quod et Anselmus in ejusdem argumenti libro præstitit. Sed de Bernardi, et Anselmi, nec non aliorum quorumdam placitis post uberius explicabitur, cum adversariorum calumnium depellemus; qui et hos, et alios tanquam fautores opinionis novæ, et inauditæ singillatim commemorant.

Summa hujus capitis.

X. Nunc, quod propositum nobis erat hoc in capite, cujus gratia veterum hucusque testimonia diligenter exposuimus, summatim ita colligimus : Libertatem voluntatis, sive liberum arbitrium prorsus abhorrere ab ea necessitate, non modo quæ vim affert et coactionem, sed etiam quæ ad unum affigit, ac circumscriptam tenet voluntatem, tametsi sponte in id unum propensa sit. Nam duo, quod jam dixi, et dicendum sæpe, cogitandum vero semper est, in humana voluntate consideranda sunt, uti post Aristotelem Christiani, quos citavimus, theologi uno ore pronuntiant : Alterum, quod est appetitus naturalis, cujus est actio propria *velle*, quam βούλησιν, vel θέλησιν Nemesius, Maximus, Damascenus, aliique vocant, Latini barbarissantes, *volitionem* : Alterum, quod est *liberum arbitrium*, sive *libertas*, aut *libera voluntas*, cujus actio propria, ut iidem sentiunt, est προαίρεσις, Latinis electio.

Jam utrique violentum, sive coactum repugnat, uti pluribus ostendam postea. Posteriori vero non istud solum, sed etiam alterum genus necessitatis opponitur, quod voluntatem uni deditam ac determinatam habet; nec indifferentem, et quasi suspensam ex sese illam esse patitur, neque duorum alterum optandi liberam potestatem relinquit. Nam prius illud, quod nihil, nisi inclinationem, vel propensionem in id, quod bonum est, voluntatis obtinet, potest cum hac ipsa necessitate consistere. Velle enim et sponte aliquid, et tamen necessario possumus; imo vero prima omnium voluntatis actio, qua in bonum fertur, necessariâ est, nec in illius jure ac potestate censetur. Atque hoc commune cum facultatibus cæteris habet voluntas, uti certa re definita, circumscriptaque sit; idque *objectum* philosophi vulgo nominant. Sic Angelorum, hominumque beatorum voluntas, (quod paulo ante disputantem S. Thomam vidimus) non libere, sed necessario trahitur in Deum, ac beatam, qua

1 Ib. art. 6.

fruuntur, æternamque felicitatem, quod in ea nulla mali sit umbra, vel species, sed totum bonitas occuparit. At eadem voluntas, qua est *libera*. et *arbitrium liberum* dicitur, non solum cogi nequit sic, ut nolendo velit, quod secum repugnat ipsum; sed neque determinari, ac circumscribi uno aliquo potest, ad quod sponte, sed necessario rapiatur. Hæc enim duo, libere velle, vel eligere, et necessario velle sic, ut non velle, vel nolle nequeas, nihil aliud sunt, quam libere velle, et libere non velle, eligere, et non eligere, esse denique et non esse; quæ invicem pugnantia, et contradicentia sunt, ac propterea fieri, quia nihil sunt, ne divina quidem vi, ac virtute possunt.

XI. Intellectum illud est, ac perspicue demonstratum ex libertatis electionisque natura, quam hactenus enodavimus. Etenim liberi arbitrii propria, et οὐσιώδης ἐνέργεια, ut sanctissimis illis, et eruditissimis, peræque philosophis, ac theologis placere vidimus, est ἡ προαίρεσις, id est *electio*. Hæc autem in uno tantum, vel unius esse nequit. Siquidem definitur *unius appetitio præ altero*; sive *ex duobus unius optatio*, ut Latina vox præ se fert. Quod sic iidem explicant: primum, ut, duobus illis propositis, sponte alterum appetat, alterum respuat: tum ut, cum illud amplectitur, non amplecti, vel etiam repudiare possit, aut istud alterum, quod rejicit, optare similiter possit, vel non respuere. Hoc est, quod illi sæpius usurpant, uti voluntas tam in eligendo sui juris, arbitriique sit, ut et hoc, quod appetit, possit, et contrarium hujus asciscere. Hoc si unum veteres illi dicerent, si non expressius reliqua pertexerent, nihil ad convincendam, damnandamque novam de libertate opinionem amplius requireremus. Quid enim necessitati, qualem ista cum libertate conciliat, magis est adversum, quam libera, et non obstricta, impeditaque potestas alterutrius optandi? Quid autem aliud est posse hoc, vel illud; aut, ita hoc eligere, ut ei, quod eligis, contrarium, si velles, amplecti posses, quam indifferenti, et quasi suspenso in statu esse, neutram ut in partem te necessitas ulla compellat? Etenim quisquis hominum more sapit, aut loquitur, *indifferens*, vel ut Græci nominant, ἀδιάφορον cum dicit, hoc significat, intelligique vult, quod neutrum est e duobus, quibuscum appellatione ista confertur; sed interjectum, ac velut in medio positum. Stoici inter bona et mala, quædam media constituebant, quæ neque bona essent, neque mala, eaque vocabant οὐδέτερα, vel ἀδιάφορα, hoc est *neutra*, vel *indifferentia*, ut testis est Diogenes Laertius, et in tertio *de Finibus* Cicero; cujus et illud animadverti debet: « Quod enim illi, inquit, ἀδιάφορον dicunt, id mihi ita occurrit, ut *indifferens* dicerem, » quod scilicet *in mediis positum* appellat. Et in quarto *Academicarum quæstionum* de Zenone, « Huic, inquit, summum bonum est in his rebus neutram in partem moveri; quæ ἀδιαφορία ab ipso dicitur. » Ergo *indifferentia* dicuntur illa, quæ et *media* vocat ibidem Cicero, quæ neutri parti sunt addicta; et eorum status ἀδιαφορία, hoc est *indifferentia* vocatur, qui et ipse *medius* esse debet, ut ab utraque parte liber, expeditusque sit. Augustinus quoque eamdem notionem indifferentiæ agnoscit in libro *de Correptione et gratia* his verbis[1]: « Quasi laudanda, vel indifferenter habenda sint vitia, ut neque laudentur, neque vituperentur. » At hoc modo voluntas humana, sive arbitrium liberum, inter ea, circa quæ versatur, et quæ ipsi proposita sunt ad eligendum, medium esse dicitur ab iis, quos hoc capite recensui, Patribus; atque ex æquo in unum, alterumve propendere posse sic; ut, alterum, si ita lubet, affectare queat, nullius impulsu necessario, sed jure suo, potestate, et arbitrio; unde et αὐτεξουσίου nomen est ortum. Hoc vero numquid aliud est, quam *indifferentiæ* ille status per se immunis ab utroque, et ad neutrum definitus ac determinatus? Repetantur testimonia illa summorum Theologorum, quæ superius attulimus; cumque iis novorum decreta componantur, præsertim odiosa illa et acerba, quibus eos configunt, qui liberum arbitrium in indifferente illo, ac medio statu collocandum putant. Nihil in istos impotentius ab illis jactum esse reperies, quod non ad antiquos illos quos nominavi, pertineat prius, ut mihi quidem plane stupenda cæcitas novi hujus Dogmatistæ videri soleat. Sed reliqua pertexamus.

XII. Omnis igitur electio per se id postulat, ut habeat sibi proposita duo, ex quibus unum præferre possit alteri, cum et hoc anteponere illi posset. Nam, si unum tantummodo spectet, qui tandem erit electio, præsertim sui juris, ac libera? Præterea duo

1 Cap. v.

sunt in electione, velut componentes ejus partes, et οὐσιώδεις, id est *essentiales*, ut iidem Patres asserunt, sic, tanquam animal ex corpore, et anima constat : *Consilium*, et *Judicium*. Quare, ut sine corpore, vel anima nullum esse potest animal ; ita, si consilium, vel judicium detrahas, nulla amplius erit electio, ac liberum omne tolletur arbitrium. Atqui ambo illa nisi cum indifferentia esse nequeunt ; cum necessitate vero, vel necessaria determinatione nullo modo consistunt.

Consilium ecce, sive consultatio, de rebus est minime necessariis, sed contingentibus, quæ fieri, aut non fieri, atque hoc vel illo modo fieri possunt. Hinc εὐβουλία, quæ est consilii dandi, capiendive sagacitas, a Stoicis definitur, « Scientia considerandi quænam, et quo pacto gerentes utiliter agemus[a]. » Est autem contingens oppositum necessario, quod scilicet tam ipsum possumus, quam ejus contrarium. At necessarium, quod solum possumus, ejus autem contrarium non possumus. Itaque de hoc nulla potest esse consultatio, ut diserte Nemesius, cæterique, quos supra laudavimus, auctores asserunt, imprimisque S. Thomas[1]. Sed neque judicium, quod *practicum* vocant, quæ est disceptatio quædam, et arbitrium, velut dubiæ, et controversæ rei, de uno tantum, eoque necessario potest fieri, cujusmodi illud est judicium, quod ex consultatione oritur ; quod et ipsum duplex esse debet, ac de duobus institui comparatis invicem, et voluntati propositis ad eligendum. Nam, nisi plura simul objiciantur, alterum præ altero nequit eligi ; ac, nisi diversæ dignationis, æstimationisque judicantur ambo, ut alterum potius sit altero, sive honestum unum, alterum inhonestum ; nullum erit in delectu pravi discrimen, ac recti, quia voluntas nihil expetere, aut aversari potest nisi quod vel conveniens ipsi, vel dissentaneum esse, moderatrix officii ratio judicarit. Sed relegenda est tota illa in agendo liberæ voluntatis progressio, et administratio, quam ab finis appetitione cœptam, quæ prima est impulsio ac motio voluntatis, ad ultimam, quæ χρῆσις, id est *usus* dicitur, Joannes imprimis Damascenus perducit. Tum sciet, qui illam consideraverit, nullum necessitati, neque determinationi locum illic esse ; sed expeditum, addictumque nulli, hoc est indifferens esse voluntatis jus, et imperium in sese, quod αὐτεξούσιον, vel, αὐτοκρατορικὸν cum dicunt, intelligunt Græci. Quæ sanctissimorum ac doctissimorum theologorum placita, velut inflicta securi, novam opinionem succidunt, quam majori strage deinceps, ac ruina in sequentibus evertemus.

Sui juris vel potestatis.

CAPUT VI.

De eo, quod voluntarium, *vel* spontaneum, *et* involuntarium *dicitur ; quod utrumque declaratur. Coactum. quod voluntario opponitur communi usu sermonis. non evertere funditus libertatem, sed extrinsecus adhibita vi ad eligendum aliquid compellere. Quare mistum esse ex voluntario, et involuntario, et simpliciter esse voluntarium. Quod ex Scriptura primum adversus novos theologos adstruitur,*

I. Libero arbitrio non vim solam, ac violentiam adversari, sed qualemcumque necessitatem, quæ indifferentiæ illius obsistit, cui non antecedens nostra disputatio persuadeat, eum vel nimis hebetem oportet esse, vel apprime pervicacem. Nunc in illo coactionis ac necessitatis adhibendo discrimine, et priore notione persequenda incredibilem, ac stupendam inscitiam novi dogmatis aperiam, ut appareat, miro quodam Dei judicio factum esse, ut homines acuti qui se rara nescio quæ, et ignota cæteris scire, ac docere profiterentur, ne vulgaria quidem, et in mediocri luce ingenii posita discernerent. Sed ante nonnulla sequenti sermoni præmunienda sunt, quibus vis et coactionis ratio propius intelligatur.

Duo sunt, quæ in humanis considerandis actionibus, ac morum disciplina dominantur, quorum alterum ἑκούσιον, alterum ἀκούσιον Græci nominant, Latini prius *voluntarium*, aut *spontaneum*, posterius *non voluntarium*, vel *invitum* vocant ; quamquam voluntatis ibi nomen paulo laxius accipitur, quippe cum utrumque insit etiam in brutis animantibus, quæ voluntate carent ; nam *voluntarium* iis etiam a S. Thoma tribuitur in quæstione de

a Diog. Laert, *in Zenone* lib. VII. Τὴν δὲ εὐβουλίαν ἐπιστήμην τοῦ σκοπεῖσθαι, ποῖα, καὶ πῶς πράττοντες, πράξομεν συμφερόντως.

1 I, par. qu. xiv, a. 3.

voluntario[1], et *involuntario*, ubi *voluntarium* id postulare dicit, ut interius sit, et insitum a natura principium actionis, cum aliqua notitia finis. Quæ notitia perfecta est in hominibus, qui non solum finem discernunt, sed etiam rationem et habitudinem eorum, quæ comparantur ad finem. At in brutis inest quidem finis cognitio, sed non eorum, quæ referuntur ad finem, ratio ad eum, et proportio; ideo deliberare, vel consultare non possunt, nec eligere. Itaque voluntarium iisdem perfecte non convenit, sed similitudine quadam, et imitatione voluntatis humanæ, quatenus innata, et naturali propensione eo feruntur et id appetunt, quod sibi commodum esse, sensuum, quo sunt uno prædita, judicio cognoscunt.

De utroque vere multa, et erudite disputat Aristoteles in tertio libro *Moralium Nicomacheorum*. Sed, quoniam Aristotelis, ac philosophiæ nomen, cum de libertate agitur, novi dogmatis architectos offendit istos; tametsi hoc injuria faciunt, quia nihil ab illis traditum extat, quod non Patres omnes, ac theologi indidem sumpserint, ut supra demonstravi, tamen, ut dem illis omnia, et eorum voluntati obsequar, seponam hic Aristotelem, vel potius quæ ab eo sunt dicta, christianis ex Patribus accipiam, qui eadem usurpando, sua et propria fecerunt.

Duplex involuntarium.

II. Nemesius[2], et ex eo Joannes Damascecenus[3], τὸ ἀκούσιον, quod *involuntarium* nominari dixi, duplex constituunt : alterum *violentum*, quod κατὰ βίαν vocant : alterum κατ' ἄγνοιαν, quod *ex ignorantia* evenit. Prius definiunt ita : « Violentum est, cujus principium est extra, nihil ex impulsu suo contribuente eo, quod vim patitur, Principium autem vocari dicunt efficientem causam[a]; » ut si valentior quispiam inviti alterius, ac repugnantis manum ad cædem faciendam adhibeat. Quod autem *ex ignorantia* dicitur *involuntarium*, est quod ita sponte fit, ut, si nota essent omnia, quæ in actione versantur, non fieret; ut si quis patrem occidat, quem credit hostem. Itaque signum hoc esse dicunt minime voluntarii, cum re peracta dolor, ac pœnitentia sequitur[b]. Nam nonnulla sunt[4], quæ etsi ignorantes egimus, tamen factis jam gaudemus; veluti si quis inscius inimicum occiderit, et comperta re lætetur. Ejusmodi enim dicuntur οὐχ ἑκούσια, id est *non voluntaria*, non tamen ἀκούσια, id est *invito, et ingratiis facta*.

Est autem animadvertendum illud, quod ex Aristotele iidem illi Patres descripserunt, « aliud esse ex ignorantia quippiam agere, aliud ignorantem. Nam, si in nobis sit ignorationis causa, ignorantes quidem facimus, non tamen ex ignorantia[c]. » Ut si quis ebrius, aut ira commotus mali aliquid agat, ejus ipsius tenetur, quia in illius erat potestate ebrietatem vitare, vel iracundiam coercere; idcirco talia vituperari solent a prudentibus. Hoc enim alterum est indicium ab invito perpetrati facinoris, cum errato venia, et misericordia tribuitur[d].

Ex his, quid sit τὸ ἑκούσιον, id est *voluntarium*, aut *spontaneum*, cognoscitur; nam utrique ἀκουσίῳ contrarium est, tam ei, quod vi, quam quod ex ignorantia committitur. Itaque definitur « Voluntarium, cujus principium est in agente singula cognoscente, in quibus versatur actio[e]; » quas circumstantias vocant. Signum autem voluntarii est, « cum et perfecta re, voluptas, et cum aberratum est, dolor sequitur[f]. »

Involuntario.

Voluntarii definitio.

Addunt iidem, ambo illa, « voluntarium, et invitum circa ea tantummodo versari, quæ in potestate sunt nostra[g], » hoc est, ut capite superiori dictum est, quæ ita facimus, ut horum contraria facere possimus. Quare crescere, aut *concoquere*, quia in nostra potestate non sunt, neque *voluntaria* sunt, neque *involuntaria*.

III. Rursus tertium quoddam est inter duo illa interjectum genus[5], et utriusque particeps, quod partim *voluntarium*, partim *invo-*

a Nemes. et Joan. Damasc. Ὅρος τοίνυν τοῦ κατὰ βίαν ἀκουσίου ἐστὶν, οὗ ἡ ἀρχὴ ἔξωθεν, μηδὲν συμβαλλομένου κατ' οἰκείαν ὁρμὴν τοῦ βιασθέντος· ἀρχὴ δὲ εἴρηται ἐνταῦθα ἡ ποιητικὴ αἰτία.

b Nemes. cap. xxxi ex Aristot. Διὸ καὶ οὕτως ὁρίζονται τὸ ἀκούσιόν ἐστιν, ὃ πρὸς τῷ μὴ ἑκούσιον εἶναι, ἐπίλυπόν ἐστι, καὶ ἐν μεταμελείᾳ.

c Nemes. ibid. Πάλιν ἄλλο μέν ἐστι δι' ἄγνοιάν τι ποιεῖν, ἄλλο δὲ ἀγνοοῦντα. ἐὰν γὰρ ἐφ' ἡμῖν ᾖ τῆς ἀγνοίας τὸ αἴτιον, ἀγνοοῦντες μὲν ποιοῦμεν, οὐ δι' ἄγνοιαν δέ.

d Idem. Τοῦ δὲ ἀκουσίου γνώμονες τὸ συγγνώμης ἀξιοῦσθαι, ἢ ἐλέους.

e Nemes. cap. xxxii, et Damasc. lib. II, cap. xxiv ex Arist. Τὸ ἑκούσιον, οὗ ἡ ἀρχὴ ἐν αὐτῷ εἰδότι τὰ καθ' ἕκαστα, ἐν οἷς ἡ πρᾶξις.

f Ibid. Ἑκουσίου δὲ γνώμονες, ἐπιτυγχάνοντος μὲν ἡδονή· ἀποτυγχάνοντος δὲ λύπη.

g Nemes. cap. xxxii et Damasc. ibid. Τὸ γὰρ ἑκούσιον, καὶ ἀκούσιον ἐν τοῖς ἐφ' ἡμῖν ἐστιν.

1 In II, II, qu. vi, a. 2.— 2 Cap. xxix.— 3 Lib. II, cap. xxiv.— 4 Nemes. ibid.— 5 Nemes. cap. xxx Damasc. eod. loco.

luntarium censeri potest; ut cum in naufragii periculo merces suas negotiator in mare projicit aut alterius evitandi mali causa quippiam agit, aut perpetitur. Hæc enim voluntaria sunt, non *violenta* simpliciter; quoniam ad ea facienda impulsu suo voluntas agitur, membraque ad opus adhibet, ex electione, et consilio. Ideo « mixta dicuntur ex voluntario et involuntario; illo quidem per sese, hoc vero propter circumstantiam [a]. » Nam, nisi mali imminentis terror cogeret, nollet id facere. Ideo misericordia digni qui ista patiuntur, haberi solent; at vero qui ex prava voluntatis affectione, et usu corroborato vitio, prave aliquid committunt, etsi vi interdum, ac necessitate, et inviti rapi videantur, *voluntarie* tamen, id est ἑκουσίως, non ἀκουσίως, invitique faciunt, ut iidem illi sentiunt, quos ante laudavi. Nam et ex animi sui sententia faciunt, quod, si vellent, utique non facerent. Et ob ea vituperantur, quoniam cupiditati suæ, quam in potestate habent, minime resistunt, sed sponte cedunt. Si enim reluctari, et eam compescere non possent, ac necessitate insuperabili premerentur, nullum eorum peccatum illic esset. Atqui peccant prudentum omnium judicio, imo turpius agunt, quam qui nondum confirmata corroborataque cupiditate, subita ex animi inconstantia et levitate labuntur.

Duplex coactio et violentia.

IV. Ex his omnibus magnopere ad rem nostram necessarium, atque imprimis animo retinendum illud efficitur, duplex genus esse coactionis, et violentiæ; quorum unum simplex absolutumque est, cui superior illa definitio violenti convenit, ut externa prorsus causa sit ipsius, neque quidquam ex seipso conferat, quod vim patitur, hoc est nulla ad id inclinatione feratur; alterum est, quod in externa duntaxat, et voluntatis usui subjecta vim suam exercet, ut ea cogat, et alio convertat, quam illa cuperet; quæ res efficit, ut voluntas ipsa id eligat ac velit, quod alioqui detestatur. Quocirca non cogitur in sese, nec ullam violentæ necessitatis impressionem accipit, sed extrinsecus duntaxat impellitur, et invita ad illud volendum, quo vis eam major urget, adducitur. Hæc sola necessitas adhiberi voluntati potest; et vero sæpe, ac communi sermonis usu cogi, ac necessario velle dicitur. Nam illa superior numquam in voluntatem cadit, quia sic repugnans est, invitam aliquid, ac nolentem velle voluntatem, ut velle simul, ac non velle; sed interdum vi extrinsecus admota extorquetur, ut velit. Ita simpliciter voluntarium illud est, sed quadamtenus non est voluntarium; quia, si integrum id sibi relinqueretur, ac libera utriusvis esset optio, non illud eligeret, quod ut velit, ab ea violenter exprimitur. Quod paucis verbis declaravit Poeta, cum dixit ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ: *Volens nolenti animo*. Sic qui tempestate coactus merces, et carissima quæque in altum projicit, eam jacturam voluntate quidem eligit; vult enim, et voluntatis suæ nutu, et imperio manus ad illas e navi jaciendas admovet, hoc ipsum tamen necessitatis vi, ac violentia coactus non facit modo, sed etiam facere vult. Longe enim aliter hoc ageret, si iisdem manibus suis vi ab aliquo prehensis, et violenter applicitis, res illas in mare projiceret; nam tum nullo modo voluntaria esset ejectio. Hoc necessitatis, ac violentiæ discrimen plurimum ad id, quod modo agitur, interest scire, ac notatum habere. Id enim præcipua latebra est novæ calumniæ, ac versutiæ, qua imperitis, et rerum sola specie, ac colore contentis miserandum illusit in modum. Quamobrem nostra illa cautione præmunitus lector, cum ad illum legendum se conferet, minimo negotio præstigias omnes, et dolos falsæ, ac fucosæ illius doctrinæ deteget; nec mirari satis poterit, homini vel mediocriter his in litteris versato tantum erroris obrepere potuisse.

Violentia extrinsecus voluntati illata libertatem funditus non perimit.

V. Docco igitur primum, quod est facile, necessitatem eam ac vim, seu violentiam, quæ libertati frequenter opponitur, talem esse, non quæ funditus hanc perimat, sed quæ cum ea consistat, et ideireo violentia nominetur, quod extrinsecus objecta voluntatem permoveat ad id eligendum, a quo vel plurimum abhorret. Primum enim in Scripturis sanctis nunquam aliter usurpatur; nec prioris illius necessitatis, sive coactionis ulla ibi mentio fit. Sic *Judicum* XI. 7. Jephthe Galaadites tribules suos alloquens, *Nunc venistis*, inquit, *necessitate compulsi*. At hi voluntate utique ad illum venerant, ut ei principatum deferrent; quod non facerent, nisi ipsos impendentis exitii metus incitaret. Ita Saul: *Necessitate compulsus*, ait[1], *obtuli holocaustum*. Non

a Nemes. cap. XXX. Εἰσὶν οὖν μικταὶ ἐξ ἑκουσίου, καὶ ἀκουσίου· ἀκουσίου μὲν, καθ' ἑαυτὰς, ἑκουσίου δὲ τότε διὰ περίστασιν.

1 Lib. I *Reg* cap. XIII, 12.

sponte, sed timore coactum, ne non auspicato pugnam iniret, ante condictum tempus sacrificasse se dicit; quod profecto nonnisi libere fecit. Sic Babyloniorum rex, seditione contra se facta, populo Danielem ad supplicium poscenti *necessitate compulsus tradidit* [1]. Num aliter, quam voluntate, tradidisse putandus est? Apostolus quoque necessitatem illam, qua cogi dicitur, non extingui, ac prorsus eripi libertas, huic ipsi velut contrariam opponit in priori *ad Corinthios* [2], *Nam qui statuit in corde suo firmus*, ait, *non habens necessitatem. potestatem autem habens suæ voluntatis, et hoc judicavit in corde suo servare virginem suam, bene facit.* De eo loquitur, qui nubilem habet filiam, de qua integrum sit illi statuere, nuptui dare velit, an virginem illam perpetuo conservare, nec ulla necessitate cogitur eam matrimonio collocare. Hæc igitur necessitas libertati, ac libero decernendi arbitrio est opposita, quæ id scilicet efficit, ut integram rem, et in potestate sua sitam non habeat. Itaque Theodoretus ad illa verba, « Quod ait, *non habens necessitatem*, inquit, idem est, ac liberam habens sui potestatem, neque domino subjectus [a]. » Theophylactus vero significari hoc existimat, « potestatem illum habere, ut det illi virum; nec esse quemquam, qui cogat, ipsam ne det [b]. » Melius tamen Œcumenius necessitatem illam non herilem servitutem, vel imperium domini interpretatur, sed infamiæ metum, ne illi vitio, ac dedecori publice tribuatur, si eam tandiu cœlibem apud se detineat. Tum enim majorem virtutem, ac constantiam præ se fert, « cum eum ab sententia dimovere non potuit infamia illa, qua apud homines laborant, qui filias suas virgines servant [c]. » Verum utcumque locum hunc intelligas, certum est ἀνάγκην illam, id est *necessitatem*, aut *vim*, qua cogitur pater secus, quam vellet, de filia statuere, non extinguere liberi arbitrii potestatem, sed eo tantum adigere, ut non aliter faciat modo, sed etiam ut velit, quam alioqui vellet.

VI. Rursus Apostolus capite nono epistolæ ejusdem [3], *Etsi*, inquit, *evangelizavero, non est mihi gloria; necessitas enim mihi incumbit. Væ enim mihi est, si non evangelizavero. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo. Si autem invitus, dispensatio mihi credita est* [d]. Hoc in loco disertissime Apostolus necessitatem illam, coactionemque, quæ libertati opponi solet, ac debet, expressit. Nam ἄκοντα contrarium esse demonstrat τῷ ἑκόντι, hoc est *invitum*, et *necessitate coactum*, *voluntario*, ac *sponte*, *libereque facienti*. Nimirum ei, qui sponte in prædicandi Evangeli opus incumbit, opponit illum, qui id invitus faciat. At qui hoc invitus agat, non, opinor, nisi volendo agat. Non enim adhibita ei necessitas libertatem illius extinguit.

Sic in epistola *ad Philemonem* : *Sine consilio tuo* (id est *sententia*) *nihil volui facere, uti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed ex voluntate* [e]. Manifeste τὴν ἀνάγκην ex adverso confert cum τῷ ἑκουσίῳ; neque tamen talis est ista coactio, ut non cum libertate cohæreat. Nam, etsi invitus assentiretur Philemon, assentiretur tamen, et suo jure, quantumvis Pauli auctoritate coactus, suapte voluntate cederet. Sed plus aliquid obtinere volebat Apostolus, uti non modo libere, sed etiam ultro, ac libens faceret. *Voluntario.*

Ad hæc in secunda *ad Corinthios*, ad voluntariam beneficentiam illos invitans, *Unusquisque*, ait [4], *prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate. Hilarem enim datorem diligit Deus.*

Petrus item Apostolus episcopos *providere gregi* suo, id est curam ejus gerere, et gubernare (hoc enim est ἐπισκοπεῖν) jubet, *non coacte, sed spontanee* [f]. Quod sic exponit Œcumenius, ut exemplo magis ad imitandum suos incitent, quam pro potestate cogant ad officium; ut hic proinde coactio sit ejusmodi, non quæ voluntatem intercludat, sed eam extorqueat.

VII. Longior sim, si exempla percensere singula voluero, quibus necessitatis, aut coactionis vis illa declaratur, non ut libertatem,

a Theod. Τὸ μὴ ἔχων ἀνάγκην, ἀντὶ τοῦ, αὐτεξούσιος ὤν, οὐχ ὑποκείμενος δεσπότῃ.

b Theoph. Τὸ δὲ, μὴ ἔχων ἀνάγκην, τοῦτο δηλοῖ, ὅτι ἐξουσίαν ἔχει τοῦ δοῦναι αὐτῇ ἄνδρα, καὶ οὐδεὶς ὁ ἀναγκάζων μὴ δοῦναι αὐτήν.

c Œcum. Ἑδραῖόν τινα ὑποτίθεται ἄνθρωπον, ὃν οὐκ ἴσχυσε σαλεῦσαι ἡ δοκοῦσα παρὰ τοῖς ἀνθρώποις ἀσχημοσύνη ἐπὶ τῶν φυλαττόντων παρθένους τὰς θυγατέρας.

d Paulus. Ἐὰν γὰρ εὐαγγελίζωμαι, οὐκ ἔστι μοι καύχημα· ἀνάγκη γάρ μοι ἐπίκειται. οὐαὶ δέ μοι ἐστὶν ἐὰν μὴ εὐαγγελίζωμαι· εἰ γὰρ ἑκὼν τοῦτο πράσσω, μισθὸν ἔχω. εἰ δὲ ἄκων, οἰκονομίαν πεπίστευμαι.

e Philem. XIV. Χωρὶς δὲ τῆς σῆς γνώμης οὐδὲν ἠθέλησα ποιῆσαι, ἵνα μὴ ὡς κατὰ ἀνάγκην τὸ ἀγαθόν σου ᾖ, ἀλλὰ κατὰ ἑκούσιον.

f I *Pet.* v, 2. Ποιμάνετε τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον τοῦ θεοῦ, ἐπισκοποῦντες μὴ ἀναγκαστῶς, ἀλλ' ἑκουσίως.

1 *Dan.* XIV, 2.— 2 I *Cor.* VII, 37.— 3 I *Cor.* IX, 16.— 4 II *Cor.* IX, 16.

et arbitrii usum liberi prorsus eripiat, sed ut ipsum illud inflectat, et ad hoc volendum, eligendumque compellat, quod non nisi metu ac vi extrinsecus oblata deligeret. Quæ violenti, coactique notio, cum libertati opponitur ex adverso, passim in sacris litteris, et communi scriptorum usu tam sacrorum, quam profanorum percrebuit, imo vix alio sensu accipi videas, quam isto, quem dixi. Non enim fert humani consuetudo sermonis, ut, cum cogi aliquem dicimus, ut quippiam contra voluntatem agat, nihil penitus agere voluntatem illius intelligamus, sed vi ac necessitate constrictam, et immobilem teneri, sine sensu et agitatione, non pecudis instar, sed stipitis, aut saxi. Etenim, ubi vis et necessitas illa locum habet, quam opinio nova libertati solam oppositam esse contendit, ibi nulla neque voluntatis, neque libertatis est actio; quoniam utrique contraria est, et sic repugnat, ut voluntarium nihil esse possit, quod sit coactum; quod antecedeti capite non auctoritate solum, præsertim S. Thomæ, sed certissima et invicta ratiocinatione demonstravimus. Ex quo fit, ut, tali necessitate posita, non agat necessario voluntas, sed nihil agat omnino, nec aliter se habeat.

« Quam si dura silex, vel stet Marpesia [cautes. »

Quod in sequenti capite, ne in longum hoc excedat, ex veterum Patrum testimoniis probare instituam.

CAPUT VII.

Ostenditur e Patribus, coactum et violentum, quod libero arbitrio solet opponi, non funditus evertere libertatem, sed cum actu libero cohærere. De fatali necessitate, quam veteres libero arbitrio contrariam agnoscunt, non eam esse violentiam, quæ omnem voluntatis actionem elidit, sed, ea posita, agere quidem ipsam, non tamen libere; quo argumento novum dogma funditus evertitur.

I. Quoniam ad illud necessitatis discrimen, tamquam ad asylum, confugit nova factio, ut antiquorum Patrum auctoritatem eluderet, qui libertati arbitrii necessitatem opponere solent; consentaneum est, iisdem ut e Patribus demonstrem, non eam necessitatem, sive coactionem, cujusmodi illa constituit, cum libertate componi. Sed vel eam, qua, licet necessario, tamen ultro fit quippiam, etsi non libere; vel eam certe coactionem, et violentiam, quæ, extrinsecus duntaxat adhibita vi, voluntatis inclinationem, et electionem exprimit ita, ut quod agitur libere, ac voluntate fiat, non tamen libenter; plane ut sunt ea, quæ Græci Patres post Aristotelem τὰ ἀκούσια nominant, quæ absolute voluntaria sunt, quadamtenus autem voluntaria non sunt. Quod ubi certissimis veterum testimoniis adversus inscitam novitatem obtinuero; tum cætera pertexam, quæ eodem pertinent, ac de necessitate agam altera, quæ ita cum voluntatis inclinatione non pugnat, ut ei, quod arbitrium liberum dicitur, plane contraria sit; ac se ambo naturali quodam dissidio invicem excludant. Horum quod est prius, constitutum antecedenti capite ex disertis Scripturæ sententiis, sic ex Patrum decretis ostenditur.

Est necessitas quæ cum voluntate non pugnat.

Ambrosius in *Enarratione Psalmi* XXXVII de diabolo loquens, « Tentat enim, ut adversarius, inquit; defendit, ut servus, etc. Servit enim, qui non ex voluntate sua, quod optat, exequitur; sed ex necessitate mandatis imperialibus invitus obtemperat. Vide altitudinem Christi, quemadmodum retorsit in diabolum malitiæ suæ pretium. Ille nos cogit, quod odio habemus, hoc facere. *Non enim quod volo, hoc ago*, ut Apostolus dixit[1], *sed quod odi, illud facio*, » etc. Ergo Ambrosius necessitatem cogentem illam vocat, quam lex, et metus imperantis affert; quæ utique voluntatem non eripit, sed eam incitat, et, ut velit, efficit. Quinetiam necessitatis ejusdem illustre nobis exemplum subjicit, in quo idipsum, de quo modo agimus, sine ulla ambiguitate liquet: coactionis hoc genus, quod libero arbitrio solet opponi, non tale esse, cujusmodi fingit adversarius, quod libertatem infringat. Etenim iste quem illo in loco describit Apostolus, qui ad malum illecebra quadam, ac dulcedine peccati trahebatur, invitus vi quadam, et ingratiis eo cogebatur, id est contra voluntatem; et idem tamen voluntate trahebatur.

II. Rursus Ambrosius in commentario *ad Psalmum* CXVIII. « Plurimum, inquit, refert, utrum ex voluntate quid facias, an ex necessitate, quod placeat Deo. Denique voluntarius

1 *Rom.* VII.

minister habet præmium, coactus dispensat obsequium, sicut Apostolo dicente cognovimus. Scripsit enim : *Væ enim mihi est, si non evangelizavero. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo. Si autem invitus, dispensatio mihi credita est.* » Quem Apostoli locum expendimus antecedenti capite. Præterea in commentariis ad nonum *Lucæ* caput Ambrosius idem : « Non potes, inquit, dicere, quia noluit, te bonum facere, ante quem posuit bonum et malum, ut non ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium. Multum enim refert inter eum, qui ex necessitate invitus aliquid agit et inter eum, qui ex voluntate, quod bonum est, eligit. Si enim invitus hoc ago, dispensatio mihi credita est ; si volens, mercedem habeo. » Hic Ambrosii locus contra recens commentum multiplicem habet usum. Primum ex eo constat, voluntarium illud esse, quod non est uno aliquo definitum, sed quod in utrumvis pro arbitrio suo ferri potest. Nam idcirco bonum et malum ante hominem positum esse dicit, ut voluntarium ei bonum esset, hoc est, ut liberam alterutrius optionem haberet ; quod non esset, si nihil præter propositum sibi bonum videret. Deinde voluntario tamquam contrarium objicit coactum et violentum ; quod ipsum tamen voluntatem non evertit, sed efficit.

Augustinus in *Psalm.* XXXIX non minus diserte violentiam talem exprimit, de Diabolo loquens, et ejus persecutione : « Illo, inquit, tempore cogebat Christianos negare Christum ; isto autem tempore, docet Christianos negare Christum. Tunc cogebat, nunc docet. Tunc ergo ingerebat violentias, nunc insidias. Videbatur tunc fremens, lubricus nunc, et oberrans difficile videtur. Quomodo autem tunc cogebat Christianos negare Christum, apertum est. Attrahebantur enim, ut negarent Christum ; et confitentes Christum coronabantur. »

III. Ad hæc idem Augustinus in disputatione secunda *contra Fortunatum Manichæum*, « Liberum, inquit, voluntatis arbitrium in illo homine fuisse dico, qui primus formatus est. Ille sic factus est, ut nihil omnino voluntati ejus resisteret, si vellet Dei præcepta servare. Postquam autem libera ipse voluntate peccavit, nos in necessitatem præcipitati sumus, qui ab ejus stirpe descendimus. Potest autem unusquisque nostrum mediocri consideratione invenire verum esse, quod dico. Hodie namque in nostris actionibus, antequam consuetudine aliqua implicemur, liberum habemus arbitrium faciendi aliquid, vel non faciendi. Cum autem ista libertate fecerimus aliquid, et facti ipsius tenuerit animum perniciosa dulcedo, et voluptas, eadem ipsa consuetudine sic implicatur, ut postea vincere non possit, quod sibi ipsa peccando fabricata est. » Hoc loco libertati sive libero arbitrio contrariam opponit necessitatem ; ea porro non alia ponitur ab adversariis, quam violentia vel coactio. Hæc enim sola voluntati est adversa. Atqui istam ipsam violentiam non excludere voluntatis actionem, imo esse voluntariam, et liberam, eadem ex nova doctrina concluditur, quia non sine voluntate agit quidquid agit ; voluntate enim ferimur in perniciosam delectationem. Ac Nemesius capite XXX et XXXII, quæ ex perturbationibus illis animi, ac morbis fiunt, quæ πάθη, vulgo *passiones* nominantur, voluntate fieri docet, et esse non ἀκούσια, sed ἑκούσια, idque probat eo, quod, cum iis obtemperavit animus, vituperatur. Ita et S. Thomas[1] « concupiscentiam ait non causare involuntarium ; quia per concupiscentiam voluntas inclinatur ad volendum, quod concupiscit. » Quamobrem, cum omnis voluntatis actio libera sit, ut adversarii arbitrantur ; liberum etiam est quidquid coacta voluntas agit, irretiente, ac vim afferente concupiscentia, et consuetudine peccati. Proinde, quod unicum libertati oppositum esse putant, hoc ei non repugnat, ex Augustini mente ; de quo postea præcipue disputabimus. Ex eodem præterea Augustini loco id efficitur : liberum arbitrium tam in primo parente ante lapsum, quam in nobis, consistere in eo, ut facere, vel non facere possimus ; de quo itidem paulo post.

Involuntaria sed *spontanea.*

IV. Nonnunquam vim illam et coactionem libertati Patres opponunt, quam affert præcepti obligatio, quædamque veluti servitus ; ubi perspicua est voluntatis potestas, et jus eligendi liberum ; cui nonnisi voluntariæ compedes injectæ sunt suscepti ac servati sponte mandati. Ejusmodi est vis illa, quam aliquot ex Apostolo depromptis locis exposui antecedenti capite, cum libertate ab eodem velut ex adverso composita ; cum aliter ac libitum esset, cogi dicuntur interdum facere viri boni ac sancti, officii, vel legis tam publicæ, quam privatæ necessitate compulsi. Sic Evangelii prædicandi a Christo sibi munus

Lex quam necessitatem inferat.

1 In I secundæ qu. VI, art. 6.

injunctum, necessitatem, id est *cogentem vim*, Apostolus nominat [1]. Sic ille officii, vel moris ab omnibus recepti necessitate coactus ad largiendum de suo, et in arcam Ecclesiasticam conferendum [2]. Atque hoc genus coactionis latissime patet, ac tam sacrorum librorum, quam scriptorum omnium usu pervagatum est. Nam et lex ipsa divina vinculorum, et compedum, ac jugi etiam appellatione censetur, ac cæterorum ejusmodi; quæ vim, coactionem, ac prementem et alligantem necessitatem significant; quæ libertati, et licentiæ, ac potestati, et juri libero, et expedito velut ex adverso respondet. Hinc tritum illud Augustini [3]: « Felix necessitas, quæ ad meliora compellit. » Loquitur autem de obligatione, quam votum servandæ castitatis affert, cui libertatem opponit: « Sed quia jam vovisti, ait, jam te obstrinxisti; aliud tibi facere non licet. Priusquam esses voti reus, liberum fuit, quo esses inferior; quamvis non sit gratulanda libertas, qua fit, ut non debeatur quod cum lucro redditur. » Ergo hæc necessitas neutiquam abhorret a voluntate, cum sit coactio, qua obstrictus tenetur, ac jure amisso, velut capite minutus quispiam. Etenim, qui voto, vel legi etiam invitus, et coactus obtemperat, libere, ac voluntate agit id, quod lex, et officii ratio præscribit, ac sibi vim facit; cui violentiæ regnum etiam cœlorum interdum patere dicitur.

Quo sensu legis obligationem libertati contrariam plerique Patres asserant.

V. Ac plerique sanctorum Patrum de virginitate, ut et reliquis, quæ consilia dicuntur Evangelica, nullam ideo legem a Christo datam asserunt, ut ne cogerentur ad ea præstanda vi, ac necessitate homines, sed libere, ac sponte sua, qui vellent, ea capesserent: « Volebat enim, non præcepti rem esse servatæ virginitatis eximium facinus, ait Basilius, sed virtutem amantis animæ singulare decus, quæ suapte libera voluntate, ac per sese id, quod supra legem est, supraque naturam exequeretur [a]. » Ibi ergo vis est aliqua, « dum ab corruptela ad integritatem, libera sua electione, quæ natura potior est, eam transire cogit [b]. » Tum vero mandatum, quod δουλοπρεπὲς ἐπίταγμα vocat, id est *servile*, propter vim, ac necessitatem, opponit τῇ ἐλευθέρᾳ συμβουλῇ, id est *liberali consilio*. Apparet autem in illo Apostoli loco, quem Basilius enarrat, perfecta formula liberæ electionis neutram in partem necessitate propendentis, sed suopte inclinantis arbitrio, necnon deliberationis, et consultationis, quæ illam antecepit. Nam, sublata vi præcepti cogentis ac determinantis, rem integram voluntati permittit; quæ in medio posita, et utraque parte diligenter expensa, suisque momentis librata, quod libitum est, asciscat, *potestatem habens propriæ voluntatis* [c].

Sic Chrysostomus homilia LXIII *in Matthæum* ait, Christum, « ob summam suam benignitatem, noluisse legis necessitate virginitatem includere, etc. ut majus electionis liberæ studium esset [d]. » Itaque necessitatem, sive coactionem, quam lex voluntatibus imponit hominum, τῇ προαιρέσει, id est *libero arbitrio* contrariam facit Chrysostomus.

Sic Basilius in libro IV *contra Eunomium*, hæreticos refellit, qui Filium nihil nisi ex mandato Patris facere. dicebant; « quod absurdum sit, homines quidem et bonorum, et malorum pro arbitrio suo factores esse; Filium autem, quamvis Deus sit, nullam rem pro potestate, posse facere [e]. » Nempe præcepti necessitatem liberæ voluntati, ac plenæ libertati vel ex adverso objicit. Ea vero necessitas libertatem non adimit.

VI. Gregorius Nazianzenus in priore *Invectiva in Julianum* similiter necessitatem præcepti opponit liberæ electioni, cum ait, « in lege nostra quædam obtemperandi necessitatem imponere, quæ sine periculo prætermitti nequeunt; alia non necessitate cogere, sed in electione libera esse posita [f]. » Sic

a Basil. *de vera Virgin.* et seqq. Ἐβούλετο γὰρ μὴ ἐπίταγμα εἶναι τὸ κατόρθωμα τῆς παρθενίας· ἀλλὰ πλεονέκτημα φιλαρέτου ψυχῆς, ἀπὸ αὐτεξουσίου αὐθεντίας τὸ ὑπὲρ τὴν ἐντολὴν, καὶ ὑπὲρ τὴν φύσιν ἀφ' ἑαυτῆς κατορθούσης.

b Ibid. Οὕτως ἀπὸ φθορᾶς εἰς ἀφθαρσίαν τὴν ἑαυτοῦ φύσιν κρείττονι τῆς φύσεως προαιρέσει βιάσηται.

c Apost. I *Cor.* VII, 37. Ἐξουσίαν δὲ ἔχει περὶ τοῦ ἰδίου θελήματος.

d Hom. LXIII. Καὶ οὐκ ἀφεὶς εἰς ἀνάγκην νόμου τὸ πρᾶγμα κλεισθῆναι, διὰ τὸν ἄφατον αὐτοῦ ἡμερότητα, etc. Ἵνα πλείων τῆς προαιρέσεως ἡ φιλοτιμία γένηται.

e Basil. Καὶ πῶς οὐκ ἄτοπον, ἀνθρώπους μὲν καὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν εἶναι ποιητὰς αὐτεξουσίους· τὸν δὲ υἱὸν θεὸν ὄντα μηδενὸς κατ' ἐξουσίαν εἶναι ποιητήν;

f Greg. Nazian. Ὅτι τῆς ἡμετέρας νομοθεσίας τὰ μὲν ἀνάγκην ἔχει τοῖς ἐπιταττομένοις· ἃ καὶ μὴ φυλάττουσι κίνδυνος· τὰ δὲ οὐκ ἀνάγκην, αἵρεσιν δέ.

1 I *Cor.* IX, 16.— 2 I *Cor.* IX, 7.— 3 Epist. XLIX.

Optatus Milevitanus apud Fulgentium [1]: « Virginitas voluntatis res est, non necessitatis, etc. Nec impedimento est volentibus (Apostolus) nec nolentes impellit, aut cogit. » Hieronymus quoque in epistola *ad Demetriadem* hæc verba Christi explicans, *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia, quæ habes* [2], » etc. hæc scribit: « Si vis, inquit, esse perfectus. Non cogo, non impero, sed propono palmam, ostendo præmia. Tuum est eligere, si volueris in agone, atque certamine coronari. » Quid apertius dici potest, ut intelligas, vim eam et coactionem quæ a Patribus opponitur libero arbitrio, non illam esse stricte sumptam ac rigidam, et libertatis imo voluntatis ipsius, ut putant nostri, peremptricem violentiam? Ecce iterum, (nam nescio quomodo tantam oscitantiam in magni momenti re, et insolenti notivate struenda, pondere auctoritatis frangere, atque obruere delectat) ecce, inquam, Cyrillus Alexandrinus, vim eamdem, et cogentem necessitatem legibus attribuit, et cum voluntatis libertate, ac determinationis inimica potestate confert: « Leges, ait ille in secundo *contra Julianum* libro, contumaciam coercent, et, quod ad defensionem inclinat, pœnis reprimunt, ad id, quod bonum est, adhortantes, et ab turpibus recedere cogentes eos, qui ab recta ratione abhorrere sponte sua deligunt [a]. » Cyrillus idem in calce libri sexti *contra Julianum*, ἀνάγκην id est *vim*, et *coactionem*, ex mandato, et imperio, opponit ei, quod sponte fit, ac libere. Sic et Philo in libro de eo, *quod deterior potiori insidiatur*, ἀνάγκην cum eo comparat, quod ἐθελουργὸς, καὶ αὐτοκέλευστος homo facit, id est *sponte, ac suopte nutu, et voluntate*.

Sæpe vis et coactionis vocabula pro naturali necessitate usurpantur.

VII. Præterea non raro vim, et coactionem appellant naturalem propensionem ad unum quodpiam determinatam. Ita Zacharias Mitylenæus scriptor imprimis disertus, « Creator, inquit, cum bonus sit, vel potius bonitas ipsa, per seque bonum, non vult naturam nostram necessitati subesse, ut ad modum brutorum animantium, quocumque fuerit impulsa, sequatur. Præterea bonum vult esse nostrum. Non enim ab quodam naturæ esse vinculo, ut virtutem sponte exercentes et quæ honesta sunt, laudibus, præmiisque digni habeamur. Non enim gratum illi est, quod necessitate est expressum, sed quod ex electione provenit. An vero servum tuum verberonem, et vinctum collaudas, si quid forte, quod jussus est, exequitur; an non potius cum, nulla necessitate proposita, neque flagello intentato, nullam partem servilis officii prætermittit, neque imperata tua negligit, sed alacri animo, et cum voluptate servit [b]? » Qui Zachariæ locus quantivis pretii est; nam ad institutum nostrum adamussim quadrat, et ad castigandam novi dogmatistæ licentiam aptissimus est. Qui ubicumque necessitatis, aut coactionis vox apud auctores increpuit, statim ad summam illam, et præfractam violentiam, interemptricemque libertatis animum refert. Nec animadvertit, sæpe coactionis ac violentiæ nomina pro simplici, et naturali, atque ad unum aliquid persequendum determinata necessitate accipi; id quod in illo Zachariæ loco egregie cernimus, ubi naturalem illam simplicemque necessitatem violentiæ nomine, ac similitudine describit vincti catenatique mancipii. Atque hoc Zacharias ex Basilio imitando transtulit, eaque illius homilia, qua disputat non esse mali auctorem Deum; cujus verba postea referam.

Siquidem Basilius in libro *De vera Virginitate*, hominem ab innocentiæ statu βιασθῆναι, id est *violenter abreptum* esse dicit in corruptelam; « ac vicissim « libera electione, validiore, quam natura sit, ad incorruptum statum vi quadam revocari [c]. » Sic ἀνάγκην φυσικὴν, id est *naturalem necessitatem*, Cyrillus

a Cyril. II *contra Jul.* Ἀνασειράζουσι μὲν τὸ δυσάγωγον, καὶ τὸ νενευκὸς εἰς ἀπόστασιν ἀνακόπτουσι ταῖς δίκαις, προτρέποντες εἰς τὸ εὖ, καὶ τῶν αἰσχιόνων ἀναγκάζοντες ἀποφιτᾷν τοὺς λογισμοῦ τοῦ πρέποντος ἀμοιρεῖν ἠρημένους.

b Zachar. lib. *de Opif.* Ὁ δημιουργὸς, ὢ φιλότης, ἀγαθὸς ὢν, μᾶλλον δὲ ἡ αὐταγαθότης, καὶ ταὐγαθὸν, βούλεται μὴ ἀνάγκαις ὑποκεῖσθαι τὴν φύσιν τὴν ἡμετέραν δίκην ἀλόγων ᾗ περ ἂν ἄγοιτο συνεπομένην. πρὸς δὲ καὶ τὸ καλὸν ἡμέτερον εἶναι. οὐ γὰρ δὴ τοῦ δεσμοῦ τῆς φύσεως, ἵνα τὴν ἀρετὴν ἑκόντες ἐργαζόμενοι, καὶ τὰ καλὰ, ἐπαίνων τε, καὶ ἄθλων ἀξιώμεθα. οὐ γὰρ τὸ ἠναγκασμένον αὐτῷ φίλον, ἀλλὰ τὸ ἐκ προαιρέσεως γεωργούμενον. ἢ σὺ τὸν οἰκέτην τὸν σεαυτοῦ μαστιγίαν ὄντα, καὶ δεσμώτην ἐπαινεῖς, εἴ που τι ὧν κελεύεται διαπράττεται; ἢ ὅταν μηδεμιᾶς ἀνάγκης ἐπικειμένης, καὶ μάστιγος, μηδενὸς ἀπολιμπάνοιτο τῶν τῆς δουλείας ἔργων, μηδὲ κατόπιν ἴοι τῶν σῶν προσταγμάτων· ἀλλὰ προθυμίας ὑποδουλεύοι σὺν ἡδονῇ;

c Basil. tom. I. Οὕτως ἀπὸ φθορᾶς εἰς ἀφθαρσίαν τὴν ἑαυτοῦ φύσιν κρείττονι τῆς φύσεως προαιρέσει βιάσηται.

1 Lib. II *ad Monim.* cap. XIII.— 2 *Matth.* XIX.

Alexandrinus opponit ei[1], quod est αὐθαίρετον, *libero arbitrio susceptum*. Ita denique Pelagius in epistola *ad Demetriadem*, « naturæ necessitatem appellat vim naturæ libertati voluntatis » oppositam. Et Julianus Pelagii discipulus[2], » Libertas, inquit, arbitrii possibilitas est vel admittendi, vel vitandi peccati, expers cogentis necessitatis.» Et alibi, « voluntatem ait sine aliquo naturalium coactu delinquere. » Porro in his, quæ ad libertatis humanæ naturam pertinent, nihil a catholica regula discrepasse Pelagium, sequente libro demonstrabimus. Cum autem libero arbitrio non solam violentiam, coactionemque proprie dictam, sed multo magis necessitatem simplicem opponi putaverit, perspicuum est, cum a Pelagianis velut ex adverso posita libertatis coactio, et vis statuitur, utramque comprehendi. Ut vel inde constet, futile argumentum esse novi theologi, qui ex eo, quod Patres, cum de libertate agunt, et sæpius necessitatem cogentem, ac violentiam opponunt, colligit nullam aliam illi contrariam esse necessitatem, nisi violentiam; cum eodem modo probari posset, Pelagianos necessitatem peræque simplicem non existimasse libertati esse contrariam, idemque prorsus cum Augustino sensisse; quod nec isti concesserint, et absurdum, falsumque esse, quam possunt frequenter inculcant.

Necessitas simpliciter dicta, qua voluntas ad unum determinatur, libertati contraria.

VIII. Accipe nunc argumentum aliud ad frangendam pervicaciam validum imprimis, et efficax, quo sine ulla hæsitatione liquet, ex communi sensu veterum Patrum, necessitatem illam libero arbitrio contrariam esse, non solum quæ omnem actionem, et ὁρμὴν, id est *appetitionem* voluntatis eradit, quæque *violentia*, et *coactio* dicitur, sed eam quoque, quæ necessitas simpliciter dicitur, qua voluntas ad unum aliquod determinata, sic in illud suapte sponte ac propensione fertur, ut neque non ferri, neque ferri in diversa possit adeo, ut in jure ac potestate sua non habeat utrumque, neque velut suspensa sit ex se, et indifferens ad eligendum alterutrum. Non posse igitur liberum arbitrium, quod Græci τὸ αὐτεξούσιον vocant, cum illa determinante necessitate consistere, ex iis probatur, quæ adversus fatum, fatalemque rerum, et immutabilem necessitatem Græci, ac Latini Patres disputando pronuntiant.

Nam, cum astrologi necessarias rerum omnium causas, et origines ex astrorum motibus repetendas esse dicerent, philosophi vero plerique, et imprimis Stoici, ex antecedentibus causis fatali itidem necessitate aptas, et connexas putarent; qui contra illos disputant tum gentiles eruditi, tum christiani scriptores, hoc adversus illos præsertim afferunt, quod fatali constituta necessitate tollatur e medio liberum hominis arbitrium, neque juris sui, potestatisque sit, prorsus omni consultatione, electioneque sublata. Hanc esse veterum Patrum disputatione contritam, ac pervagatam argumentationem, negare adversarii non poterunt, qua Origenes, Eusebius, Epiphanius, Nemesius, Ambrosius, Augustinus, Cyrillus, aliique sunt usi, qui de fato egerunt adversus astronomos, et Stoicos, e quibus subinde aliquorum verba referam. Atqui necessitas illa, quam ex fato consequi, isti ipsi, quos contra pugnabant, asseverabant philosophi, vel genethliaci, non vis erat, et coactio, quæ ὁρμὴν, vel *appetitionem* voluntatis excludit, quam solam libero arbitrio secta recens opponit; sed cum illa cohæret, et est simplex illa necessitas, quæ voluntati indifferentem, et ad utrumvis liberum eripit statum eo ipso, quod unius ac certi tantummodo potestatem facit, negat alterius. Igitur qui fatum idcirco nullum in rebus esse dixerunt, quod necessitas, eo posito, talis sequitur, quæ libero repugnat arbitrio; huic ipsi libertati naturalem esse voluerunt indifferentiam, et utriusvis oppositorum eligendi expeditam potestatem, ac liberam.

Quocirca tota vis ratiocinationis hujus, ac pondus in id incumbit unum, ut quam ex fati positione consequi necessitatem arbitrati sunt gentiles philosophi, eam esse demonstrem cum voluntatis appetitione conjunctam. Ita enim obtinebimus id, quod adversæ novitatis caput est, veterum improbari judicio, omne id esse liberum, quod a voluntate manat, cum et actio ponatur illa ex interiore nata voluntatis impulsu, et ob id minime censeatur libera, quod sit necessaria.

IX. Itaque fatalem ejusmodi introductam a philosophis necessitatem, et cum voluntatis actione consistere, et ob hoc ipsum libero arbitrio contrariam esse, quod necessitas sit, ac voluntatem determinet ut indifferens esse desinat, primus nos docebit Nemesius, qui capite XXXV luculenta id oratione disputat, et novam opinionem diserte, ac sine ambiguitate ulla falsam, absurdamque esse demonstrat. Nam contra fatum disserit, cujus defensores

De fa veterum quaten cum no rum do matistar necessit consent

1 Lib. IV *cont. Jul.*— 2 Apud Aug. I *cont. Jul.* oper. imp.

aiebant, « ejus impulsu agi non solum corpora, sed mentis etiam cogitationes [a]. » Itaque « liberum ab illis arbitrium destrui contendit, cum eoque omnem contingentis naturam. » Postea vero Chrysippum, et alios Stoicos aggreditur, qui *consensum*, *impulsumque voluntatis*, quod ille vocat συγκατατίθεσθαι, καὶ ὁρμᾷν, fatali motu regi dicebant; quos refellit sic : « Si enim causis iisdem circumstantibus, ut aiunt ipsi, necesse est eadem fieri, neque possibile est, ut interdum hoc modo, interdum aliter eveniat, quoniam ex æternitate assensiones illæ, et appetitiones determinatæ sunt; necesse est, et animalis appetitionem omnino, ac penitus, iisdem causis circumstantibus ita fieri. Quod si appetitio quoque necessitate sequitur, ubi tandem liberum erit arbitrium? Etenim liberum sit oportet, quod sui juris est arbitrium. Esset autem liberum, si, iisdem circumstantibus, in nostra esset potestate aliquando appetere, aliquando non appetere. Quod si necessitate quadam sequitur appetitio, perspicuum est, etiam fato appetitionem fieri, tametsi a nobis fiat, ac secundum naturam nostram, et impulsionem, ac judicium nostrum. Si enim etiam non fieri posset appetitio illa, falsa esset enuntiatio, quæ sic dicit, iisdem causis circumstantibus, necesse esse eadem consequi [b]. »

Veterum argumenta necessitatem a fato inductam refellentium tanquam libertati contrariam.

Hæc Nemesius; ex quibus apparet, motum voluntatis, qui necessario fit, hoc est ita, ut, quando fit, non possit non fieri, quia in potestate voluntatis non est aliter facere, sed ad unum illud determinata est, quod appetit; talem, inquam, voluntatis impulsionem, etsi a voluntate proficiscatur, et interiore principio, non esse liberam, nec a libero arbitrio, sed ei prorsus esse contrariam. Potuitne clarius, disertius, vehementius, ac fortius nova de libertate damnari sententia, quam ab illo est auctore factum?

X. Scripsit Eusebius Cæsariensis toto fere sexto libro *Præparationis Evangelicæ* de fato, contra quod disputantes inducit plurimos tam christianos, quam exteros, eorumque verba describit, in quibus necessitatis ratio lucet illa, quam dixi. Principio Eusebius ipse primo capite, ab iis qui fatalem inferunt necessitatem, idcirco libertatem, et electionem tolli asserit, quod hanc illi subjiciunt, et ab ea moveri, impellique sentiunt. « Vide, inquit, quemadmodum juris sui libertatem destruunt, dum non externa solum, et quæ in nobis sita non sunt, ex astrorum motione suspendunt, sed etiam liberum nostrum arbitrium [c]. » Quod in sequenti capite probat, cui lemma hoc inscribitur : « Hoc etiam quod in potestate nostra situm est, ab illis tolli, dum arbitrium quoque nostrum fati necessitate moveri volunt [d]. » Tum in ipso capite ex Apollinis oraculo demonstrat, quemadmodum genethliaci existiment, fatales illos siderum occursus quosdam ingenerare impetus hominum voluntatibus, et efficere, ut magno animi ardore aliquid cupiant : « Sic, inquit, Apollo de nescio quo loquens, et unde sit ei ad militiam capessendam injecta cupiditas, explicans, ita dicit :

Mars olli natalis adest, stimulatque ruen-
[tem. [e]»

Igitur, horoscopante Martis stella, fatalis quædam exstitit necessitas quæ illius voluntatem ad bella et arma tractanda compelleret. Qui autem fieri hoc potest, nisi id efficiat, ut agat et velit et appetat voluntas? Hoc autem ipsum libere est velle, ut adversariis placet, qui omnem actionem voluntatis, id est βούλησιν, esse liberam existimant. Itaque non est illa necessitas ejusmodi, quam solam libertati contrariam iidem asserunt, cui voluntas renititur,

Volitionem.

a Nemes. Ὑπὸ ταύτης γὰρ κινεῖσθαι πρὸς τὰς πράξεις οὐ μόνον τὰ μέρη τοῦ σώματος, ἀλλὰ καὶ τὰ τῆς ψυχῆς διανοήματα. καὶ ὅλως οἱ ταῦτα λέγοντες τῷ ἡμῖν συναναιροῦσι καὶ τὴν τοῦ ἐνδεχομένου φύσιν.

b Ibid. Εἰ γὰρ τῶν αὐτῶν αἰτίων περιεστηκότων, ὡς φασὶν αὐτοὶ, πᾶσα ἀνάγκη τὰ αὐτὰ γίνεσθαι, καὶ οὐχ' οἷόν τε ποτὲ μὲν οὕτως, ποτὲ δὲ ἄλλως γενέσθαι, διὰ τὸ ἐξ αἰῶνος ἀποκεκληρῶσθαι ταύτας· ἀνάγκη καὶ τὴν ὁρμὴν τὴν τοῦ ζώου πάντη τε, καὶ πάντως τῶν αὐτῶν αἰτίων περιεστηκότων οὕτως γενέσθαι. εἰ δὲ καὶ ἡ ὁρμὴ ἐξ ἀνάγκης ἐπακολουθεῖ, ποῦ λοιπὸν τὸ ἐφ' ἡμῖν; ἐλεύθερον γὰρ εἶναι δεῖ τὸ ἐφ' ἡμῖν. ἦν δ' ἂν ἐλεύθερον, εἰ τῶν αὐτῶν περιεστηκότων, ἐφ' ἡμῖν ἦν τὸ ποτὲ ὁρμᾷν, ποτὲ μὴ ὁρμᾷν, εἰ δὲ ἐξ ἀνάγκης ἐπακολουθεῖ καὶ τὸ ὁρμᾷν, ὅλον ὡς καθ' εἱμαρμένην καὶ τὰ τῆς ὁρμῆς γενήσεται, εἰ καὶ ὑφ' ἡμῶν γίνεται, καὶ κατὰ τὴν ἡμετέραν φύσιν, καὶ ὁρμὴν, καὶ κρίσιν. εἰ γὰρ οἷόν τε αὐτὴν καὶ μὴ γενέσθαι, ψευδὴς ἂν ἦν ἡ πρότασις ἡ λέγουσα, ὅτι τῶν αὐτῶν περιεστηκότων αἰτίων, ἀνάγκη τὰ αὐτὰ ἕπεσθαι.

c Euseb. lib. VI *de Præp.* cap. 1. Θέα δ' ὡς καὶ τὸ ἐφ' ἡμῖν ἀναιροῦσιν, οὐ μόνον τὰ ἐκτὸς, καὶ τὰ οὐκ ἐφ' ἡμῖν τῇ τῶν ἄστρων ἀνατιθέντες φορᾷ, ἀλλὰ καὶ τὰς ἡμετέρας προαιρέσεις.

d Euseb. cap. II. Ὅτι καὶ τὸ ἐφ' ἡμῖν ἀναιροῦσιν, ἐξ εἱμαρμένης φάσκοντες καὶ τὰς προαιρέσεις κινεῖσθαι.

e Euseb. ibid. Οὕτως καὶ ὁ Ἀπόλλων περί τινος ἅμα, καὶ τὴν περὶ στρατιὰν προθυμίαν ἀφηγούμενος, πόθεν αὐτῷ γίνεται, ἔφη.

Ἄρεα κραιπνὸν ἔχει γενεθλήϊον, ὅς μιν ὀρίνει.

et qua nolente, fit aliquid. Vult enim, et cupidissime vult, ad quod fatalis illum ordo compellit, tametsi necessario velit; quod illi libero arbitrio nihil obesse putant. Atqui hoc illud est, quod antiquos Patres dicebam contra fati defensores præscribere, talem ex eo necessitatem sequi quæ arbitrii libertatem tollit e medio.

XI. Rursus in sexto capite, in quo adversus fatum plenius argumentatur, sic inter alia disserit: frustra esse cohortationes, et castigationes, quibus a sceleribus revocare alios studemus, si fatum est in rebus aliquod: «Cur me, inquit, castigas, et admones, mi homo? Hæc enim non sunt in potestate mea posita, uti liberum mutem arbitrium meum. Nam ante me fatum occupavit. Quid igitur attinet ad id contendere, quo ne voluntate quidem ferri potero, nisi idipsum fato mihi constitutum sit? Ferar autem eo voluntate, si hoc mihi fatale est, etiamsi nihil præcipias, ipsa fati necessitate adductus [a].» Inflectere itaque voluntates hominum, et ad volendum adducere, fati necessitas credita est ab iis, quos eo refellebant Patres, quod cum libero arbitrio nequit necessitas ista consistere.

Capite vero nono idem Eusebius ex Alexandri Aphrodisiensis [1] libro *de Fato* multa describit, quibus ille fati necessitatem simili impugnat argumento, quod libertati sit humanæ voluntatis adversa. Nam liberum hominis arbitrium circa ea versari dicit Alexander, quæ ἐνδεχόμενα, id est *contingentia* vocantur, quæ scilicet fieri, vel non fieri possunt; his autem fati necessitas est contraria. Ex quibus evidens est, cujusmodi necessitas intelligenda sit, quam arbitrio libero repugnare Eusebius, aliique judicant. Quod multo etiam magis in sequentibus Alexander ab Eusebio laudatus affirmat [2], dum fatalem necessitatem non cogere quidem voluntatem fatetur, sed solam deliberandi et consultandi, ac libere adeo unius præ altero eligendi facultatem eripere; itaque hoc, quod voluntas appetit, ἑκουσίως, et ἀδιάστως, id est *sponte* et *non coacte* velle, non tamen libere. Quem Alexandri locum postea referam. Ergo necessitas illa fatalis libertatis hostis a coactione differt, et eo solo liberum evertit arbitrium, quod τὸ ἀδιάφορον, id est *indifferentem statum* voluntatis extorquet. Non alitur de fati necessitate Bardesanes [3], et Origenes apud eumdem Eusebium existimant [4]. Manifeste id vero Gregorius Nazianzenus ostendit in carmine V *Arcanorum*, quod est *de Providentia*, ubi adversus fati defensores, et genethliacos canit sic:

Εἰ γὰρ κύκλος ἅπαντα φέρει, κείνου περιωγῇ
Ῥοιζοῦμαι, τὸ θέλειν δὲ καὶ αὐτόγε κύκλος ἐποίσει.
Οὐδέ τις ἐστὶν ἐμεῖο ῥοπὴ πρὸς κρείσσονα δῆσαι
Βουλῆς, ἠδὲ νόοιο, πόλος δέ με τῇδε κυλίνδει.

« Si enim circulus omnia fert, illius circum-
[volutione,
Rapior cum impetu; porro voluntatem etiam
[ipsam circulus inferet.
Neque ulla mea propensio ad melius adduc-
[ens
Consilii, vel mentis; polus autem huc me
[revolvit. »

Ergo et voluntas nostra fatali necessitate ad agendum adduci credita est ab iis, qui eam asseverabant. Et Paulinus epistola XXXVIII de quodam fati defensore scribit, ipsum « actus nostros, quos summi Domini potestas regit, et pro nostris meritis vertit, aut dirigit, vacuis fatorum, fortunæque nominibus, tamquam æmulis Deo potestatibus subdidisse. »

XII. Sed, quoniam unum præ cunctis jactant Augustinum, ac toti ex eo pendent liberi arbitrii corruptores; his, quæ de necessitate ista hactenus exposui, assentientem illum audiant, et dubitare desinant: « Fatum, inquit [5], qui affirmant, de siderum positione ad tempus, quo concipitur quisque, vel nascitur, quas constellationes vocant, non solum actus, et eventa, verumetian ipsas nostras voluntates pendere contendunt. » Quis ex Augustini verbis istis non id verum esse statim intelligat, quod hucusque contendimus, necessitatem fatalem non esse vim, et coactionem illam peremptricem voluntatis, et quæ omnem illius *appetitionem* extinguat, quam Græci ὁρμὴν appellant, sed cum illa manere, libero dumtaxat sublato ejus arbitrio? Nam voluntates humanas ex fato pendere, nihil esse potest aliud, quam moveri, impelli, agere denique,

a Euseb. Τί με, ὦ ἄνθρωπε, νουθετεῖς; ταῦτα γὰρ οὐδήπου ἐστὶν ἐπ' ἐμοί, τὸ μεταβάλλειν τὴν προαίρεσιν. ἡ γὰρ εἱμαρμένη προκατείληφε. Τί οὖν δεῖ συντετάσθαι πρὸς ἃ οὐδὲ προθυμεῖσθαι δυνήσωμαι, εἰ μὴ καὶ τοῦτο καθείμαρται μοι; προθυμήσομαι δὲ, εἰ καθείμαρται, καὶ ἄνευ τῆς σῆς διδασκαλίας, ὑπὸ τῆς εἱμαρμένης ἀγόμενος.

1 useb. ib. ex Alex.— 2 Alex. ib.— 3 Euseb. ib. cap. x.— 4 Ib. c. xi.— 5 Aug. l. II con. ep. u *Pelag. ad Bonif.* cap. VI.

ac velle, et appetere, quæ est actio voluntatis, ac proinde libera; si verum est quod nova schola declamitat, omnem voluntatis esse liberam actionem.

Quocirca necessitas illa, quam humanæ imponi libertati, astronomi et Stoici sentiebant, sic ab iis est explicata, sic ab Augustino, aliisque Patribus intellecta, impugnataque est; tanquam, ea posita, necessario voluntas ea vellet, aut nollet, in quæ lex illam fatalis induceret. Ut quibus Veneris stella dominaretur, ii fato quodam adulteri fierent, hoc est eorum voluntas sponte quidem, sed necessitate traheretur in obscœnam libidinem; quibus Martis, aut Saturni sidera præessent, hi in latrocinia, et avaritiam propensi eadem fati impulsione fierent. Quod Augustinus tractatu *in Psalmum* XL indicat: « In factis meis, inquit, in peccatis meis non accuso fortunam. Non dico, hoc mihi fecit fatum. Non dico, adulterum me fecit Venus, et latronem me fecit Mars, et adulterum me fecit Saturnus. » Sic apud Tertullianum[1] malefici « mentis malæ impetus vel fato, vel astris imputant. Nolunt enim suum esse, quod malum agnoscunt. » Vide Julium Firmicum libro primo *Astronomicorum*, ubi quæ contra fatalem vim siderum objici solent, refert ac dissolvit. Animadvertes istam ipsam necessitatem cum voluntatis motu et actione conciliari, non eam prorsus eripere; quod Janseniana vis, et necessitas libero arbitrio infesta facere debet. Quod ipsum uberrime quoque Boetius in commentario ad librum Aristotelis *de Interpretatione* tradidit, cujus verba postea referam.

XIII. Denique qualis voluntati necessitas, sive coactio contraria sit, et quæ sit voluntarii ratio, pulchre declarat Augustinus in libro *de Fide contra Manichæos*, capite XXVII. « Intelligite sane, si potestis, inquit, etiam inter ipsos homines, quantum distet inter necessitatem, et voluntatem. Si quis, verbi gratia, merito peccati sui in carcerem, jubente justitia, mittatur, alius adsit vir sanctus, qui eumdem carcerem ingrediatur propter illius consolationem, aut liberationem, nunquid ambo in carcere ex una causa constituti sunt? Ille missus est, ille ingressus. Ille pœnam patitur, ille misericordiam facit. Ille ingressus est, cum voluit: ille, nisi interveniente indulgentia, nullo jure poterit liberari. » Necessitatem hic voluntati opponit eam quæ coactio dicitur, non quæ in voluntatem ipsam per sese tyrannidem exerceat, aut ejus actionem supprimat, sed quæ tantum extrinsecus admovetur. Cui quidem ex adverso respondet id, quod voluntate fit libere; quod ipsum tale esse demonstrat Augustinus, ut fieri possit, aut non fieri; quomodo carcerem intrat ille vir sanctus aut non intrat, ut lubet; egreditur aut non egreditur, utcumque visum ei fuerit.

Sic fatorum necessitati liberum arbitrium, ejusque propensionem in utramvis partem expeditam opponit Cyrillus Alexandrinus libro primo *in Esaiam;* quem locum postea reddemus. Nec alia facile necessitas, sive vis, aut coactio, cum libertati e contrario proponitur, a Patribus intelligenda venit; quæ nimirum extrinsecus voluntatem impellit, ac determinat, interdum quidem ita, ut liberæ optionis potestatem auferat, ut cum de fati necessitate contra gentiles disputant, ubi sola voluntatis ὁρμή, id est *appetitio*, vel impulsio relinquitur, sine indifferentia, et libertate. Alias vero libera etiam electio permittitur, sed, vi aliqua premente, non tamen opprimente, ad unum aliquod inducitur; ut cum metu mortis aut merces in altum negotiator abjicit, aut sibi necem consciscit aliquis. Quæ vis, quo major est aut minor, eo magis aut minus liberæ jus electionis arctat, efficitque ut mistum quiddam oriatur ex voluntario et non voluntario, quod tamen absolute voluntarium sit, et in liberi arbitrii potestate positum. Declarat hoc mortis ille ac supplicii metus, quo nihil terribilius est, neque ad cogendam voluntatem præsentiorem vim habet. At idem, qui vulgares adeo percellit animos, ut iis pene libertatem et electionem extorqueat, ab viris fortibus invictisque martyribus non modo superatur, sed ultro etiam provocatur ac lacessitur, nihil ut ejus infracti violentia contra fas officiumque committant.

XIV. Cæterum, ut ex astrorum vi, causisve naturalem efficientiam habentibus, et antegressis, pendere voluntates humanas negant ideo Patres, quod necessitas inde sequitur, quæ liberum tollit arbitrium; sic eodem argumento probant, præscientiam divinam qua futuras voluntatis actiones liberas novit Deus, nullam ei necessitatem afferre, ne alioqui liberæ non sint. Cujusmodi necessitatem non eam esse quam libertati solam adversari novum dogma sciscit, ex Eusebii disputatione constat; ex qua nonnulla in sexto libro de-

Præscientia divina non tollit libertatem.

1 Apol. cap. 1 et in I *ad Nat.* cap. 1.

cerpsimus, capite sexto, ubi de divina præscientia disserimus. Nam Judam, exempli causa, ex Origene scribit Eusebius, nulla necessitate ad prodendum Christum fuisse compulsum, tametsi id illum esse facturum, præscisset, ac prædixisset Dominus. « Neque enim vituperandus fuisset, si necessario fuisset proditor, ac nisi contingere potuisset, ut cæterorum Apostolorum similis fieret [a]. » Nimirum talis illa necessitas fuit quæ et contingenti est opposita; et omne laudis, aut vituperationis, justi præmii, vel pœnæ meritum extinguit. Hæc autem indifferente illo et ad neutrum determinato ex sese libertatis statu, velut fundamento nituntur, uti postea declarabitur. Igitur necessitas illa, ut cum voluntatis actione spontanea cohæret, sic est arbitrii liberi, ac libertatis hostis implacabilis, contra quam nostris videtur.

Quo sensu necessitas afferri voluntati dicitur.

XV. Quocirca, cum necessitas afferri voluntati dicitur, non vis est illa summa cogitanda, vel coactio, sed altera necessitatis species, quæ cum voluntate consistit. Et, cum veteres illi Patres, quos supra commemoravi, voluntatem nostram asserunt ab iis, qui fatum defendunt, hujus necessitati subjici, non aliam necessitatem intelligunt, quam simplicem et a coactione proprie dicta diversam; nec aliter quod suum est operari et efficere in voluntate necessitatem hanc interpretantur, quam ut voluntatem velle faciat. Quare cum, hac ipsa necessitate posita, liberum arbitrium opprimi, everti funditus, extingui, abolerique dicunt, plane judicant necessitatem simplicem, qua sponte aliquid, sed necessario et sine indifferentia volumus, non quidem voluntati, sed libertati ac libero arbitrio capitaliter repugnare; ac novam theologorum sectam id negantem, et quidquid volumus, libere nos velle statuentem, auctoritate sua condemnant.

Etenim, ut hic pauca repetam, cum Nemesius in capite XLIV. « Stoicos ait, qui fatum adstruebant, et liberum nihilominus ponebant arbitrium, nullum providentiæ locum relinquere, immo etiam liberum arbitrium reipsa tollere [b], » non hoc idcirco dicit, quod nullam esse voluntatis actionem, eamque funditus vi fatorum, ac violentia supprimi, Stoici defenderent. Nam contra isti sentiebant; qui etiam fatorum necessitati voluntates nostras subtrahere conabantur, ut præter alios Augustinus scribit in quinto *de Civitate Dei*, capite decimo. Ergo propterea τὸ ἐφ' ἡμῖν, id est libertatem ab Stoicis voluntatis humanæ reipsa tolli, quam verbo fatebantur, asserit Nemesius, quod illam ipsam voluntatis actionem, alio modo dicerent fati necessitate constringi; de quo Cicero in libro *de Fato*, et nos alibi dicemus. Idipsum et Prudentius optime in secundo *contra Symmachum* expressit; ubi fati necessitatem libertati humanæ voluntatis adversari dicit, etsi hanc ad volendum adigat. Sic enim contra fati propugnatores scribit:

« Denique nulla hominum res est, nulla actio [mundi,
Cui non fatalem memorent incumbere sortem
Quæ quia constituunt, dicant, cur condita [sit lex
Bis sex in tabulis, aut cur rubrica minetur,
Quæ prohibet peccare reos, quos ferrea fata
Ad facinus cogunt, et inevitabile mergunt.
Quin et velle adigunt, pravum insinuantia [votum,
Ne liceat miseris vetitum committere nolle. »

Hint apparet, quemadmodum voluntatem fato subjici gentiles isti putaverint; nimirum ut voluntatem ad volendum necessitate compelli dicerent. Quo uno cum libertatem eripi, et mercedis ac meriti in utramque partem aboleri rationem omnem, Prudentius, et antiqui Patres existiment, evidens est, nec illos omnem voluntatis actionem arbitrari esse liberam, nec eam libero arbitrio solam contrariam esse credere necessitatem quæ voluntatis actionem funditus extorquet.

a Euseb. lib. VI *de Præpar.* Οὐκ ἂν δὲ ψόγος αὐτῷ προσήπτετο, εἰ ἐπάναγκες προδότης ἦν, καὶ μὴ ἐνεδέχετο αὐτὸν ὅμοιον τοῖς λοιποῖς Ἀποστόλοις γενέσθαι.

b Nemes. cap. XLIV. Οἱ δὲ Στωϊκοὶ φιλόσοφοι τὴν εἱμαρμένην, καὶ τὸ ἐφ' ἡμῖν πρεσβεύοντες, οὐδεμίαν χώραν τῇ προνοίᾳ καταλείπουσιν ἀλλὰ ταῖς ἀληθείαις καὶ τὸ ἐφ' ἡμῖν ἀναιροῦσιν.

CAPUT VIII.

Excutiuntur antiquorum Patrum testimonia quæ opinioni favere suæ libertatis hostes arbitrantur; in quibus multiplex illorum hallucinatio convincitur. Dionysius perperam ab illis acceptus, ex eoque refutata eorum opinio. Explicatur ἀνάγκη, *id est necessitas, et vis seu coactio; in quibus notionibus gravissimus eorumdem error aperitur. Clementis Romani locus ab ejusdem defensus calumnia, et ex eo Scriptore, cujusquemodi tandem est, communis opinio de libertate probata. Nec non ex Irenæo, et Tertulliano, quorum sententias frustra novitatis ad suæ patrocinium traxerunt. Postremo Hilarius testis adductus ab Adversario, contra ipsum opponitur, et ex ejus illo ipso, quem citavit, loco, novæ opinionis falsitas clarissime, ac validissime redarguitur.*

Patres, quos in suæ causæ patrocinium novi dogmatistæ advocant expenduntur.

I. Plus quam credi possit, actum est disputatione tota superiorum capitum duorum, cum est necessitatis illius enucleata ratio, quam liberæ voluntati passim veteres opponunt. Ita enim præcipuum inscitæ novitati perfugium interclusimus, in quod consensione victa christianæ antiquitatis, et pudefacta confugit. Ac tanta profecto, tamque intolerabili confidentia in illo se loco jactavit, ut illos ipsos Patres, qui de arbitrii liberi natura palam a seipsa dissidebant, effugere non contenta, etiam obtorto collo trahere in partes suas, ac sibi vendicare non sit verita, cum, quidquid illi de necessitate dicunt voluntati adversa liberæ, id eos de cogente sola dixisse, et omnem motum voluntatis elidente necessitate contendit. Quod ab omnium illorum mente, ac sententia longe esse remotissimum, puto esse neminem qui nobiscum hactenus non agnoverit. Nunc, ut de eo dubitare amplius ne indoctis quidem liceat, etsi id necesse non est, quod, quæ supra universe disputata sunt, ad eos convincendos plus satis idonea sunt; tamen, ut in eo sibi magistri commento placere desinant, per singulos Patres quorum auctoritate præsertim abutitur, ducenda est oratio dandaque est opera, ut qui hæc nostra legent, plane aperteque sentiant, nollos causæ istorum intestiores esse, quam quos sibi advocatos ac suffragatores ex antiquitatis memoria prompserunt.

Dionysius explicatur ab eoque nova opinio refutata.

II. Primus in medium productus ab illis Dionysius est, qui in capite nono libri de *Ecclesiastica Hierarchia* scribit sic: « Non enim vita nobis data est vi, vel necessitate coacta. » Ita illi Græca Dionysii Latine retulerunt; ex quibus hunc ad modum argumentantur: Cum illo in loco Dionysius causam reddat, « cur homines post cor suum abeant, id est faciant, quod voluerint, profecto quandocumque non cogitur homo, facit id, quod voluerit, et consequenter libere operatur. » Sed in paucis istis incredibile est, quam multa peccet, quæ antequam persequor, totus ille Dionysii locus summatim colligendus est. De Angelorum cura tutelaque illic agit, qua populos gubernant; ac Michaelem Hebræorum genti præfuisse dicit, cæteris Angelos alios. Quod autem soli ex omnibus Hebræi divina illustratione dignati sint, quæ per Angelos derivatur in homines, cæteræ vero nationes in tenebris et errore jacuerint; non id esse vitio dandum curatoribus illarum Angelis, « Sed istos ipsos gentium aliarum homines culpandos esse, qui propriis nutibus ab recta in Deum ferente via deciderint [a]. » Quod et ipsi Hebræorum populo contigisse mox ait, de quo ita scriptum est: *Quia scientiam Dei repulisti, et post cor tuum ambulasti*[1]. Tum illa subdit: « Non enim necessitate obstrictam vitam habemus, neque propter liberum eorum arbitrium, quos providentia regit, divina lumina providæ illustrationis hebetantur [b]. »

Explicatur necessitatis et vis seu coactionis ratio.

In iis Dionysii verbis nullus superiori collectioni locus est. Primum quis illum docuit, vim, ac violentiam illic agi, non autem alteram illam necessitatem, « qua simpliciter necesse est aliquid fieri sine renisu voluntatis[2]? » An ubicumque vox est ἀνάγκη, ibi *necessitatem*, quæ est *coactio*, intelligere debemus, et ἀναγκάζειν nunquam aliud est, quam *cogere?* Atqui duplex ab adversariis necessitas ponitur, quarum altera illa, quæ potest cum vo-

a Dion. *de Eccl. Hier.* cap. IX. Ἀλλ' αὐτοὺς ἐκείνους οἰκείαις ῥοπαῖς ἐκ τῆς ἐπὶ τὸ θεῖον εὐθείας ἀναγωγῆς ἀποπεπτωκότας.

b Dion. ibid. Οὐδὲ γὰρ ἠναγκασμένην ἔχομεν ζωὴν. οὐδὲ διὰ τὴν τῶν προνοουμένων αὐτεξουσιότητα, τὰ θεῖα φῶτα τῆς προνοητικῆς ἐλλάμψεως λαμβύνονται.

1 Osc. IV, 1.— 2 Jans. tom. I, lib. VI, cap. VI.

luntatis actione stare, sæpe usurpatur a Patribus, ut capite superiori planum fecimus, velut cum de fatali necessitate loquuntur. Deinde, quamvis ἀνάγκην apud Dionysium, concedamus esse coactionem, et violentiam, non tamen ejusmodi esse dabimus, quæ voluntarium omne prorsus adimit, sed eam tantum, quæ adhibetur extrinsecus efficitque, voluntas ut illud velit quod alioqui non vellet. De hac enim sola intelligendi sunt Patres, quæ inferri voluntati potest, non quæ ejus actionem omnem intercipit, ut supra latius ostendi.

III. Quare nihil penitus nostros ille Dionysii locus adjuvat, imo falsam illorum opinionem redarguit. Docet enim indifferentem illum libertatis statum, et in medio positum, in quo sita voluntas, per se, ac nutu suopte in unum inclinat, altero rejecto; quod ῥοπήν, et αὐτεξουσιότητος nomina persuadent, de quibus postea. Est enim αὐτεξούσιος ῥοπή, ut conjunctim Maximus in *Scholiis* usurpat, velut æquilibrium liberæ, et a seipsa sola determinatæ voluntatis, quæ consultationem, electionemque adhibet. Est et illi Dionysii loco geminus alter in cap. quarto libri *de divinis nominibus*, in quo providentiam asserit ad libertatis se nostræ rationem accommodare, nec invitos nos compellere: « Quare, inquit, futilem vulgi sermonem neutiquam probavimus, qui oportere dicunt providentiam vel invitos nos ad virtutem ducere. Quippe naturam corrumpere, non est providentiæ. Ideo tanquam providentia naturæ cujusque servatrix, eorum, quæ suopte nutu moventur, tanquam per se mobilium, providentiam gerit[a].» Reprehendit illos Dionysius, qui satius esse dicebant, homini peccandi potestatem eripi, ut bene tantum agere posset, ac necessitate ad bonum impelleretur. Hæc, quam optabant illi contingere homini, necessitas talis erat, uti eum ea voluntas ageret. Quomodo enim duci nos ad virtutem possemus, nisi volendo, et eam amplectendo? Nisi forte sola corporis membra, veluti manus, ac pedes agitare, idque alieno impulsu, id sit bene, honesteque facere; quod nemo sobrius judicabit. Ergo, uti laudabiliter, et ex virtute aliquid facere, est id velle, nec sine voluntatis actione cogitari potest; ita cogi, invitumque compelli ad bene, honesteque agendum, nihil est aliud, quam cogi ad hoc volendum. Hoc autem non ea vi, coactioneque fit, quæ sola voluntati opponitur ab nuperis theologis, quæque *capitaliter repugnat libertati* adeo, ut repugnet, eo modo voluntatem aliquid velle. Illa igitur altera intelligenda necessitas est, quæ cum voluntatis actione consistit, cujusmodi fatalis illa est, quam exposui superiori capite; quæ quidem non voluntatem, et βούλησιν, sive *volitionem* perimit, sed προαίρεσιν, et βουλήν, id est *consultationem*, et *deliberationem*, quatenus eligendi e multis unius potestatem aufert eo ipso, quod voluntatem determinat. Atqui istud ipsum sine humanæ naturæ, ac libertatis internecione fieri posse negat Dionysius. Pugnat igitur cum hominis natura necessitas illa, quæ indifferentiam voluntatis excludit.

IV. Nam, quod ἄκοντας, id est *invitos* dixit Dionysius, non vis, aut coactio cogitanda est, quam in fatali necessitate nullam inesse demonstravimus; sed ἄκων pro eo dictum est, quod est non ἑκών, qui non *libere*, nec αὐτοκινήτως et αὐτεξουσίως agit, ut mox indicat Dionysius, qui videlicet uni tantum addictus est, nec jus habet e pluribus unius optandi. Ac tametsi vis et coactio aliqua illic intelligatur, non talis est, quæ voluntatis actum praripiat, sed quæ extrinsecus tantum adhibita consensum voluntatis exprimat; de qua necessitate usitatum illud est, *Felix necessitas, quæ ad meliora compellit*. Atque hoc modo falsum nihilominus erit, quod novus error affirmat, ἀνάγκην, et *coactionem*, de qua Patres loquuntur, esse rigidam illam, et inexorabilem, quæ libertatis actionem perimit. Sed τοῦ ἄκοντος notionem, quam dixi, Dionysii verbis, ac menti consentaneam magis esse antecedentis capitis, ac fatalis necessitatis disputatio persuadet; tum etiam Maximus martyr Dionysii Scholiastes, qui ἄκοντα opponi illic ab Dionysio censet τῷ αὐτεξουσίῳ. Porro τὸ αὐτεξούσιον Maximus idem ait esse « potestatem liberam, secundum quam eligimus. Potestate enim libera deliberamus, et judicamus, et eligimus, et aggredimur, et utimur iis, quæ sunt penes nos. » Quæ omnia sine indifferenti ad utrumlibet statu voluntatis esse nequeunt, ut supra ex eodem Maximo, aliisque fuse demonstravimus. Quocirca liberum arbitrium interimit, ac naturam evertit hominis, quisquis cum adversariis de libertate sentit.

a Dion. cap. IV *de Div. nom.* Διὸ καὶ τὸν εἰκαῖον τῶν πολλῶν οὐκ ἀποδεξόμεθα λόγον, οἳ χρῆναί φασι τὴν πρόνοιαν καὶ ἄκοντας ἡμᾶς ἐπὶ τὴν ἀρετὴν ἄγειν. τὸ γὰρ φθεῖραι φύσιν οὐκ ἔστι προνοίας. δθεν ὡς πρόνοια τῆς ἑκάστου φύσεως σωστικὴ, τῶν αὐτοκινήτων, ὡς αὐτοκινήτων προνοεῖ.

ssitatis
ogi.

Nam τῆς ἀνάγκης vocabulum, et, quod inde formatur, τοῦ ἀναγκάζεσθαι, non vim semper ac violentiam significare, sed interdum necessitatem simplicem, quæ deliberationem, et indifferentiam tollit, plurima sunt exempla. Sed unum modo sufficiet, quod ad rem præsentem, id est fati mentionem spectat. Alcinous in capite XXVI. « Dominationi non est, inquit, anima subjecta, et in ejus potestate situm est agere, vel non agere, neque in hoc necessitatem ullam patitur [a], » quo argumento probat, nulla eam fatorum necessitate alligari; quoniam alioqui τὸ ἐφ' ἡμῖν, hoc est *libera potestas*, sive *liberum arbitrium* tolleretur. Porro istud ipsum τὸ ἐφ' ἡμῖν in fine capitis exponens, ait « non esse determinatum, et pro eo atque in alterutram inclinat partem, verum, aut falsum existere [b]. » Quare τὸ κατηναγκάσθαι opponitur ei, quod est *indeterminatum*, atque *contingens*. Quidquid ergo voluntati contingentiam, et τὸ ἀδιάφορον, id est *indifferentiam* eripit, hoc libero arbitrio contrarium est, et est necessitas ea, quacum illud stare non potest. Nonnunquam tamen τὸ καταναγκάζειν significat *vim inferre*, sed non talem, quæ liberam actionem prorsus adimit, verum quæ extrinsecus tantum admovetur. Ut cum Macarius homilia XLVII ait, dæmones « cogere homines, ut sibi nequitiæ, ac peccati urbes ædificent [c]. » Alludit autem ad Israelitas Pharaoni subjectos in Ægypto, quos ille vi ad urbes extruendas adigebat. Alias autem vis et violentia nominatur id, quod voluntatem non cogit quidem, sed ei liberam eligendi facultatem non relinquit, ut sunt ea quæ naturæ inclinatione facimus, aut patimur, ut est parentum amor in filios; quam Chrysostomus sæpe tyrannidem appellat. Atque hæc necessitas intelligenda sæpius est apud Patres, cum eam dicunt inferri voluntati, et eam cogere. Ita Photius *in Scholiis* ad Joannis Climaci *Gradum* tertium citatus, aiebat, « perturbationum quæ in nobis velut latibulum habent, tyrannidem et tormenta et supplicia nihil ab externa tyrannide distare. Itaque qui iis fortiter resistit, neque liberum mentis arbitrium abnegat, ille pari cum martyribus certamine cursuque contendens, eadem cum illis præmia consequetur [d]. » Optatus Milevitanus initio libri septimi, hujusmodi vim, ejusque cum libertate pugnam recte sic exprimit. » Denique voluntas, inquit, habet pœnam; necessitas veniam. Homicida scelus, dum nemo cogit, potest et facere, potest et non facere. Adulterium mœchus, dum deforis nemo compellit, potest admittere, potest et non admittere; et cætera hujusmodi, in quibus liberum habetur arbitrium. » Ubi graphice descriptam habes liberi arbitrii proprietatem in indifferenti statu positam, cui vis cogens ex adverso ponitur, ut et apud Joannem Climacum in fine *Scalæ* v,

bera
estas

ogi.

V. Hoc sensu *vim* accepit auctor ille, qui sub Clementis nomine epistolam tertiam concinnavit ex libris *Recognitionum*. Qua ex epistola novæ sectæ patronus testimonium secundum posuit; adeo testium defectu incuriosus est, ut promiscue sinceros, ac supposititios habeat. Verum qualiscumque iste scriptor est, cujus auctoritas est nulla; is non modo falsum de libertate dogma non sublevat, sed ei quoque contradicit. « Si quis, inquit, audiens sermonem veri Prophetæ, velit recipere aut nolit, et amplecti onus ejus, id est mandata vitæ, habet in sua potestate; liberi enim sumus arbitrii. » Hæc verba liberi naturam arbitrii commode declarant, quæ in eo sita est, ut velimus, aut nolimus aliquid, et utrumque habeamus in potestate; non habemus autem, si nos ad unum capessendum necessitas aliqua determinatos trahat. Pergit deinde : « Nam, si hoc esset, ut audientes eum, jam non haberent in potestate aliud facere, quam audierunt, vis erat quædam naturæ, per quam liberum non esset ad aliam migrare sententiam. Aut, si rursus ex audientibus nullus omnino reciperet, et hoc naturæ vis erat, quæ unum aliquid fieri cogeret, et alteri parti non daret locum. Nunc autem, quia liberum est animo, in quam velit partem declinare judicium, et quam probaverit, eligere viam, constat evidenter, inesse hominibus arbitrii libertatem. » Vides, ut libertatem indifferente illa potestate definiat, qua possit agere, vel non agere et in quam volet, partem inclinare, ut velut arbiter quidam, ac discep-

Supposititius Clemens ab adversariorum calumnia defensus.

a Alcin. cap. VI. Ἀδέσποτον οὖν ἡ ψυχὴ, καὶ ἐπ' αὐτῇ μὲν τὸ πρᾶξαι, ἢ μή· καὶ οὐ κατηνάγκασται τοῦτο.

b Alcin. ibid. Ἀόριστον δὲ ὂν τὸ ἐφ' ἡμῖν, κατὰ τὴν ἐφ' ὁπότερον ῥοπὴν λαμβάνει τὸ ἀληθεύειν, ἢ μή.

c Macar. Ἄρχοντας πικροὺς τοὺς καταναγκάζοντας αὐτὴν οἰκοδομεῖν αὐτοῖς τὰς τῆς κακίας πόλεις ἁμαρτιῶν.

d Phot. Εἰσὶ τῶν ἐμφωλευόντων ἡμῖν παθῶν καὶ τυραννὶς, καὶ βάσανοι, καὶ κολαστήρια τῆς ἔξωθεν τυραννίδος οὐδὲν διαφέροντα· ὁ γοῦν ἀντισχὼν γενναίως πρὸς ταῦτα, καὶ τὸ τοῦ λογισμοῦ μὴ ἀρνησάμενος αὐτεξούσιον, τοῖς μαρτυρικοῖς ἀγῶσι παραθέων.

tator, utrimque causæ momenta ponderet, et post consultationem quod libitum erit, eligat, et anteponat alteri. Huic libertati, ac potestati opposita est necessitas, quam vim, et coactionem Clemens ille nominat; non, ut adversarius putat, quod, renitente voluntate efficiat nihilominus, quod potest, sed quod voluntatem impellat, hoc est velle illam faciat, non utique nolentem, sed hoc ipsum appetentem necessario, cum alterum velle non possit.

Etenim doceat nos ille, si potest, qui fieri, aut intelligi possit, ut voluntas divinum verbum semper, ac necessario, sine renuendi potestate recipiat, (quod libertati contrarium esse Clemens illic affirmat,) utrum nihil agendo prorsus, ac volendo? At hoc neque recipere est fidem, neque repudiare; neutrum enim facere voluntas potest, nisi agendo aliquid, quod est volendo, vel nolendo. Volet igitur recipere verbum Dei, si necessario recipit, idque ipsum, si istis credimus, liberrime volet; sin Clementi, aliisque Patribus auscultamus potius, non libere, quia necessario, hoc est quia utrumvis in potestate non habet. Sed, ut evidentior sit adversarii in legendis, ac citandis Patribus *incogitantia*, (ita enim ἀπροσεξίαν Latine nominemus) fontem ipsum, et cubile lustremus, unde locum illum in epistolam suam transtulit, qui eam sub Clementis nomine vulgavit. Liber est *Recognitionum* tertius, ex quo validius error iste convincitur; sic enim ibi Petrus: « Unde ostenditur, positum esse in auditorum potestate, eligere, utrum malint. Quod si omnes, qui audiunt, obedirent, naturæ magis esset necessitas, quæ una omnes ageret via. Sicut enim suaderi quis non potest, ut fiat brevior, aut longior, quia non sinit vis naturæ; ita et ad veritatem si omnes verbo converterentur, aut omnes non converterentur, naturæ esset vis quæ cogebat verbo omnes converti, aut nullum omnino converti. » Ex iis perspicuum est, vim a Clemente vocari necessitatem, quæ id efficit, ut voluntas unum aliquid certum, ac determinatum velit, idque coactionis vocabulo afficit; non autem ejusmodi vim et coactionem esse, quam solam adversarius credit, cum libertate, id est cum voluntate pugnare, quacum nulla possit manere voluntatis actio.

Cogens necessitas dupliciter ab antiquis usurpata.

VI. Est autem repetendum illud animo sæpius, quod superiori capite demonstratum est, vim, sive coactionem, sive cogentem necessitatem, dupliciter apud antiquos Patres usurpari. Primum, ut ea voluntatem definiat ac circumscribat uno quopiam, quod vult illa quidem, sed ita, ut contrarium velle nequeat, atque ita necessario velit; quod genus ἀνάγκης opponitur *contingenti*, quod ἐνδεχόμενον Græce dicitur. Deinde ut sit extrinsecus adhibita vis, quæ dolore aliquo et cruciatu, vel metu liberum consensum voluntatis extorquet, ita tamen, ut integrum voluntati sit necessitati illi cedere, vel resistere. Atque hæc coactionis species longe usitatissima est in communi consuetudine sermonis, et in antiquorum Patrum scriptis; eaque tam coactionis, quam necessitatis nomine appellari consuevit, quemadmodum prior, cum sit necessitas simplex, vis tamen, et coactio plerumque dicitur. Præter has duas, tertia est philosophorum scholis, ac disputationibus notior quam communi loquendi usui; quæ cum voluntatis omni penitus actione pugnat, tam naturali, et necessaria quam libera, hoc est cum βουλήσει, et προαιρέσει. Hanc solam nova secta libertati adversari contendit, ad eamque refert veterum omnium dicta, quibus libero arbitrio vim, ac necessitatem opponere videntur. Velut inter alios Irenæi[1], qui « liberum hominem ab initio esse factum asserit, habentem suam potestatem, sicut et suam animam, ad utendum sententia Dei voluntarie, et non coactum a Deo. Vis enim a Deo non fit. » Quoniam ergo vim ibi nominat Irenæus, illam esse factio recens affirmat, « quæ libertati repugnat, qua fit aliquid, nolentibus nobis, » ait ille. Sed ex capitis antecedentis disputatione falsum id esse commentum ostenditur. Vis enim et coactio ab Irenæo pro ea necessitate sumitur, quæ voluntatem determinat, sive sponte unum aliquid asciscat, alterius detracta potestate; ut in fatali necessitate contingere gentiles aiebant philosophi, sive externa sit, et voluntatem alioqui liberam, invitam tamen et renitentem, vi quadam majore compellat; utputa vehementi aliquo terrore, vel cruciatu, quo ab necessitatis infligendæ genere, ac violentia multum abhorret suavissima et benignissima Dei providentia; quæ blande solummodo, ac leniter invitat, aut futura minatur ac denuntiat supplicia, non coram intentare ac repræsentare consuevit.

VII. Hanc germanam esse mentem Irenæi, quæ in eodem illo capite LXXI sequuntur, indicant, et novam opinionem coarguunt.

1 Lib. IV, cap. LXXI.

Etenim vim illic ejusmodi intelligere se declarat, quæ indifferentem voluntatis libertatem impedit. « Dedit ergo Deus, inquit, bonum, quemadmodum et Apostolus testificatur in eadem epistola. Et qui operantur quidem illud, gloriam et honorem percipient; quoniam operati sunt bonum, cum possent non operari illud. Hi autem, qui illud non operantur, judicium justum recipient Dei, quoniam non sunt operati bonum, cum possint operari illud. » Manifesta his in verbis est liberi arbitrii potestas ad utrumvis eligendum ita, ut, cum in unum sponte propenderet, posset, si vellet, eo repudiato, alterum capere. Quæ est illa, quam adversa factio calumniatur perperam, voluntatis *indifferentia*. Cui et Scriptura suffragatur iis verbis, ad quæ Irenæus alludere videtur : *Qui potuit transgredi, et non est transgressus ; facere mala, et non fecit*[1]. Hæc enim liberam, et ad nullum e duobus optandum definitam, ac determinatam electionem vel eligendi potestatem significant cujusmodi electionem Irenæus eodem capite, statim illi loco subdidit : « Et propter hoc, inquit, consilium quidem bonum dat omnibus. Posuit autem in homine potestatem electionis. » Duo hic ponit Irenæus, quæ theologis novis silentium indicunt, *consilium*, et *electionem*. Nam utrumque suspensum, et neutri per se addictum arbitrii judicium, ac voluntatis ostendit : « Deus, inquit, consilium dat homini ; homo quod vult eligit. » Hæc eo pertinent, ut probet, « hominem habere suam potestatem ad utendum sententia (id est consilio) Dei voluntarie et non coactum. » Quare vim illam et coactionem intelligit Irenæus, quæ liberam electionem et usum consilii divini liberum interpellat. Hoc autem fit vel absolute, adhibita necessitate simplici, qua sponte voluntas appetit unum, sed necessario, dum alterum non potest. Ideo neque consilium, neque electio ibi est ulla, ut supra copiose disputavimus. Vel quadamtenus id agitur, vi et coactione extrinsecus admota, quacum libertas quidem manet, et electio libera simpliciter, sed κατά τι, hoc est *aliqua ex parte* non libera ; quia id ampleeti, ac velle ingratiis cogitur, quod alioqui nollet. At tertia illa vis, quam solam libertati opinio nova contrariam facit, nulla uspiam est. Est enim omnino nihil, tanquam tragelaphus aliquis, aut chimæra ; quia constat ex pugnantibus invicem rebus, quæ coire simul ne divina quidem potentia queunt. Ideo, ut sæpe dixi, nec satis dici, cogitarique potest, nunquam aut perraro de illa Patres loquuntur : sed eam philosophorum scholæ sibi proprie vindicant. Relegantur illa, quæ de consilio, electione, ac voluntatis, et arbitrii liberi functionibus supra docuimus ; animadvertes profecto, quantum in illo Irenæi loco adversarium ratio fugerit ; multo vero magis, si alia Irenæi loca cum hoc ipso conferas, quæ in quinto libro *de Deo*, capite III selegimus, cum de libera Dei voluntate verba faceremus. Hæc enim demonstrant, liberi arbitrii naturam cum absoluta necessitate conciliari non posse, adeo quidem, ut Nicolaus Gallasius Genevensis alumnus, ad librum Irenæi IV caputque XXIX. Irenæum ob id reprehendat quod liberum arbitrium in utramque partem post Adami peccatum homini concesserit, quemadmodum et Scultetus, et Centuriatores Magdeburgenses.

VIII. Ut autem novorum libertatis eversorum calumniam, et in temere citandis veteribus temeritatem sub omnium oculos defigam, unum ejusdem Irenæi locum afferam ex capite LXXI libri illius quarti, in quo usitatæ illi quorumdam querelæ satisfacit, qui satius fuisse dicebant, Angelum hominemque creari talem a Deo, ut peccare nullo modo posset. « Sed oportebat, inquit, eum neque Angelos tales fecisse, ut possent transgredi, neque homines, qui statim ingrati existerent in eum ; quoniam rationabiles, et examinatores, et judiciabiles facti sunt, et non quemadmodum irrationabilia, sive inanimalia, quæ sua voluntate nihil possunt agere, sed cum necessitate, et vi ad bonum trahuntur ; in quibus unus sensus, et unus mos inflexibilis, et sine judicio, qui nihil aliud esse possunt, præterquam quod facti sunt. » Huic illorum expostulationi, quæ naturali necessitate, quam vim appellant, trahi homines ad bonum, melius fuisse dicit, sic Irenæus respondet : « Sic autem nec suave esset eis, quod est bonum, neque pretiosa communicatio Dei, neque magnopere appetendum bonum, quod sine suo proprio motu, et cura, et studio provenisset, sed ultro, et otiose insitum. Ita ut essent nullius momenti boni ; eo quod natura magis, quam voluntate tales exstiterint, et ultroneum haberent bonum, sed non secundum electionem. » Ergo, si voluntas ad unum determinatione quadam naturæ, ac necessi-

1 *Eccl.*, XXX, 31.

tate traheretur, sine alterius potestate, liberam fore non putat Irenæus, tametsi *ultroneum*, id est *spontaneum* haberet ad bonum impetum. Non idem est igitur, sponte aliquid a voluntate fieri, atque libere; nec omnis motio voluntatis est libera; nec denique cum libertate cohæret absoluta simplexque necessitas. Addit Irenæus, posita voluntatis illa necessitate, tolli e medio bonorum operum merita, eo quod nullum amplius certamen, et corona certaminis supersit. Quæ vocabula coronæ ac certaminis, quo cum pravis affectionibus, ac malis a dæmone immissis cupiditatibus desideriisque luctamur, ancipitem et in utrumvis suopte arbitrio proclivem libertatem significant. Hinc idem in lib. IV, cap. IX, hominem sibi causam ait esse, cur aliquando frumentum sit, aliquando palea; quem locum antea citavimus[1]. Nunc illud addimus, Augustinum sermone V *de Diversis*, Irenæi sententiam illam expressisse: « Hoc interest, inquit, inter veras istas paleas, et istos carnales homines, quia paleæ illæ non habent liberum arbitrium, homini autem Deus dedit liberum arbitrium. » Et, si vult homo, heri fuit palea, hodie fit frumentum. »

Tertullianus exponitur.

IX. De Tertulliano vero quid dicam? hunc enim quarto loco fautorem novæ opinionis, ac testem protulit Adversarius. Quis hoc, inquam, non valde miretur, ausum illum esse Tertulliani mentionem facere, quo nemo disertius, nemo expressius arbitrii in partem utramque libertatem et τὸ ἀδιάφορον adstruxit? Nos in tomo primo, et libri quinti tertio capite, duo triave Tertulliani loca descripsimus, in quibus « libertatem arbitrii in utramque partem concessam homini esse[2] » dicit. Tum legem ideo positam homini, quod et « obsequium debitum legi, et contemptum legis in potestate haberet. » Quæ verba, si ex humano loquendi usu et communi sensu pendantur, nihil aliud nos docent, quam ad utrumvis liberam, et suspensam homini facultatem esse concessam, quæ nulla determinatione uni potius alligata sit, quam alteri. Qui enim necessario unum amplectitur, cum nequeat alterum, non habet ambo in potestate sua[3]; nec, lege constituta, in utrumque exitum patere illius libertas arbitrii dicitur[4]; nec in eo esse arbitrium eligendi alterum, sicut scriptum est: *Ecce posui ante te bonum, et malum*[5]; præsertim si *electionis*, id est προαιρέσεως, naturam a nobis antea propositam spectes.

Indifferens.

quæ sine consultatione non est. Tam vero consultatio, quam deliberatio, sine suspensione et indifferentia esse nequit; cum necessitate vero sive cogente simpliciter, sive determinante, ne cogitari quidem potest. Quocirca Tertullianus ibidem acute dixit, « adscriptam esse homini, quasi libripendem emancipati a Deo boni, libertatem, et potestatem arbitrii. » Nimirum, uti bonum non necessitate, sed sponte, ac voluntate fieret ab homine, accepit a Deo traditum, et emancipatum sibi bonum; ut ejus dominus esset, hoc est ut in jure, ac potestate sua id haberet, ac posset videlicet aut amplecti, aut a se repellere: quemadmodum in imaginaria venditione, quæ mancipatio dicebatur, qua res ex lege duodecim tabularum abalienabantur, quas *mancupi* vocabant, libripens adhibebatur, ut *nexus* fieret, id est ut juris illa solemnitate res in emptoris potestatem veniret. De quo Boetius in libro tertio commentariorum ad *Topica Ciceronis*.

X. Hoc igitur modo voluntatis suæ dominus a Deo factus est homo, ut pro arbitrio bene uti, vel male illa possit, et bonum eligere, vel non eligere, itidemque malum, integrum habeat. Quam voluntatis indifferentem, et, ut Nemesius loquitur, ἀόριστον, id est *non determinatam* eligendi facultatem Tertullianus ex antedictis colligit sic: « Tota ergo libertas arbitrii in utrumque partem concessa est illi, ut sui dominus constanter occurreret et bono sponte servando, et malo sponte vitando. » Atque, ut rei, aut mancipii dominus eatenus dicitur, idque mancipatum in jure, ac potestate habere, quod illo pro arbitrio uti potest, et vel retinere, vel alteri donare, aut vendere; ita quod bonum, et honestum ac laudabile est, velut nexu quodam mancipatum, id est in potestatem sibi traditum habet liberum arbitrium hominis, quatenus hoc asciscere potest, aut repudiare, ex Tertulliani sententia; qui quam inconsulte ab adversario ad commentum suum probandum sit allatus, et quam valde huic adversetur, videt profecto, qui humani sensus, ac judicii aliquid habet. Sunt et alia ejusdem auctoris testimonia, quibus illa ipsa libertatis natura in utrumque paribus librata momentis ostenditur, e quibus alio loco quædam asseremus. Nunc unum e capite XIV libri *de Monogamia* proponam: « Ecce, inquit, posui ante te bonum, et malum; elige quod bonum est. Si non potes,

1 Tom. I, lib. V, cap. III, § 1.— 2 Tertull. II *cont. Marc.* c. VI.— 3 Tert, *de Exh. cast.* c. II — 4 *Deut.* XXX, 15.

quia non vis (posse enim te, si velis, ostendit quia tuo arbitrio utrumque proposuit) discedas oportet ab eo, cujus non facis voluntatem. » Qui sic loquitur, talem eligendi rationem esse demonstrat, ut qui unum eligit, possit, si velit, non eligere; vel ejus, quod eligit, optare contrarium. Longe ergo Tertullianus abhorret ab eo, quod illi opinio recens affingit, ut libero hominis arbitrio necessitatem simplicem non repugnre sentiat, sed solam vim, et coactionem, cum nullam sine indifferente illo statu, aut cum determinante necessitate, libertatem posse esse decernat. Postremo Tertullianus iste eamdem arbitrii libertatem, quæ fuit in parente primo, in ejus inesse posteris, et libere eos agere demonstrat in secundo *contra Marcionem*, capite octavo. « Atque adeo, inquit, eumdem hominem, eamdem substantiam animæ, eumdem Adæ statum, eadem arbitrii libertas, et potestas victorem efficit hodie de eodem diabolo, cum secundum obsequium legum ejus administratur. »

XI. Est etiam in Hilarii loco, quem Tertulliano subjungit adversarius, hujus ἀκρισία, cæcitasque par, et similis. Nam nihil, quod suo dogmati peræque adversaretur, in medium proferret, si id oppugnare ipse vellet. Hoc me spero, quod dico, facile probaturum, ubi Hilarii verba ipsa proposuero. In *Enarratione Psalmi* secundi[1], Deum, ait nos bonorum suorum participes facere, « sed non sine ratione, ac modo. Nam unicuique nostrum libertatem vitæ, sensusque permisit, non necessitatem in alterutrum affigens, ut unumquemque ex natura bonum, malumve esse, lex cogeret, sed qui nos per benevolentiam utendæ beatitudinis suæ creasset, profectum nobis ad id per meritum vitæ innocentis, honestæque constituit. Quid autem honoris, ac præmii bonitatis necessitas mereretur, cum malos non esse, vis quædam nobis conserta non sineret? Voluntati ergo permissa bonitas est, ut præmium sibi voluntas bonitatis acquireret, et esset nobis æternæ hujus beatitudinis profectus, atque usus ex merito, non necessitas indiscreta per legem. » His in verbis necessitatem illam interpretantur libertatis inimici, quæ est libertati contraria, *quam per vim, et coactionem*, inquit, *exponit*. Meminerit assidue, qui hæc legit, cujusmodi necessitatem, seu vim et coactionem, adversarius intelligat, quam solam libertati contrariam facit; eamque, si nondum scit, e superioribus repetat. Talem ergo necessitatem nego istis Hilarii verbis accommodari posse; ac falsam, violentam et minime cohærentem interpretationem illam esse defendo. Tum nullam ibi alteram liberi arbitrii naturam proprietatemque significari, quam quæ indifferens sit, et neutram in partem determinata necessitate aliqua, non cogente illa duntaxat, imo nullo modo ista, sed ea, quam simplicem vocat, et cum libertate conciliare studet novus dogmatistes. Principio qui sic loquitur, « libertatem vitæ, sensusque permisit Deus unicuique nostrum, non necessitatem nobis affixit, » id omnino *permissum* esse dicit, quod integrum erat non concedere, et cujus contrarium, si vellet, Deus imponere potuisset. Nemo enim aliter aut intelligit, aut intelligitur, cum sic dicit: « Permitto tibi hoc, vel illud, vel, hujus faciendi potestatem tibi permitto. » Nullus, inquam, verba hæc aliud significare sentit, nisi gratuita liberalitate tribui et indulgere aliquid, quod negari sic potuit, ut ei, quod contrarium est, succederet.

XII. Sic apud Matthæum Dominus ait[2] *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras. Ab initio autem non fuit sic.* Permisisse Mosem Judæis ait, ut repudiare possent uxores suas. Ergo et vetare poterat et repudiandi facultatem adimere, ut et olim ante Mosem prohibitum fuisse dicit. Ita c. VIII ejusdem Matthæi, Discipulus quidam Dominum rogat: *Permitte me primum ire, et sepelire patrem meum*[3]. Non hoc, opinor, petebat, quod necessario fieri debebat, nec evenire aliter poterat, sed quod negari, et cujus adeo contrarium injungi posset, ut est revera factum. Nam Dominus id ei, quod permitti sibi postulabat, præcise negavit. Sic apud Joannem *permisit Pilatus* Josepho Arimathæensi[4], ut corpus Jesu depositum de cruce sepeliret, et alia sexcenta, quæ tam e sacris, quam e profanis scriptoribus colligi exempla possent, si id vehementius attineret probare, quod communis et sensus, et usus sermonis satis edocet, id solum permitti, quod secus ac permissum est, fieri potuit. Quis enim sanus permissum dicat homini, ut non sit pecus, leo videlicet, aut hircus? vel ut ne aquilæ instar volando in sublime tollatur, pisciumve more perpetuo sub aquis degat? Hæc enim permitti nemo

1 Hilar. in *Ps.* II, ver. 5.— 2 *Matth.* XIX, 2.— 3 *Matth.* VIII, 19.— 4 *Joan.* XIX, 38.

dicit, quæ aliter fieri nequeunt, præsertim cum illis opposita pugnant invicem, et aientium ac negantium adversantia modo, esse in rerum natura nequeunt. Exempli causa, esse rationalem, et non esse rationalem, implicatum est quiddam ad contradicentium, ut vocant, oppositionem. Ideo, si quis ita diceret, permittitur homini, ut sit rationalis, et ut ne sit, ac non sit rationalis; quis risum teneret? Atqui prorsus in idem absurdum ac ridiculum, imprudens incidit hæresis nova; et illi simile aliquid ejus ex oratione sequitur. Nam, quod necessarium, id est coactum et violentum opponi libero arbitrio, et quidem solum, existimat, est ejusmodi, ut contradicat sibi, atque ideo fieri ne divina quidem potentia, et in rerum esse natura queat. Siquidem coactum est id, quod est ab externo principio ita, ut, quod cogitur, nihil ex se conferat, uti supra ex omnium consensu, et adversarii adeo ipsius demonstravimus; porro voluntarium est id, quod ab interiore est principio. Itaque repugnat, unam eamdemque actionem et voluntariam esse, id est a voluntate profectam, et, ut Scholæ loquuntur, *elicitam*, et esse coactam; tantumdem enim est, ac si dicas, eamdem esse voluntariam, et non esse voluntariam. « Repugnantiam autem illam in eo consistere ait adversarius [1], « quod sequeretur, nos velle simul, et nolle. Cum enim necessitas illa talis sit, quæ nolente voluntate, hoc est renitente voluntate, perficit effectum suum; quando vult autem non renitatur; apertissime sequitur, eam velle simul, et nolle, si voluntas. seu velle, sub tali necessitate poneretur. » Quare necessitas illa, quæ permissæ homini libertati contraria est, in rerum natura esse non potest, ipsomet teste, qui eam statuit; ex quo ineptum illud, et absonum dici ab Hilario sequitur, si vere mentem illius interpretatur ille : « Permisit libertatem homini Deus, non autem voluit, eumdem esse liberum, et non liberum; » vel ita potius, « Permisit homini, ut vellet; non autem talem esse decrevit, ut vellet simul et non vellet. » Nam idem est illis velle, ac libere velle, ut ibidem docet.

XIII. Conferant modo novæ suffragatores opinionis omnes inter se capita, et ex antistitis sui placitis non id esse consequens ostendant; me falso illi hæc affingere, si possunt, arguant. Ac vel hoc ex uno resipiscant intelligantque, tum nihil ista doctrina vanius et futilius esse; tum inventi talis auctorem in tractandis veterum sententiis, quos profecto nimium perfunctorie legit, non satis attentum sed præcipitem fuisse. Nam quod *vim* ibi nominari putat ab Hilario violentam necessitatem, quæ invitæ voluntati, ac renitenti infligeretur, nisi Deus contrariam illi libertatem permitteret, præterquam quod ex dictis hactenus frivolum id est, ex ipso etiam Hilario refellitur; qui paulo post ait « per bonitatem Dei vim libertatis arctari. » Ubi vim perspicue virtutem, et δύναμιν appellat. Quocirca totius Hilariani loci, quem adeo infeliciter isti accipiunt, sensus est iste : Deum liberum homini reliquisse, ut bene, aut male ageret, hoc est bonum, aut malum eligeret; ac legem ei constituisse boni, honestique sectandi; tum recte factorum præmia; male autem actorum pœnas illi proposuisse, sed eam legem vim nullam, aut necessitatem afferre, qua sine deliberatione, et electione feratur in bonum; quam vocat Hilarius *vim quamdam nobis consertam*, cujusmodi in brutis inest animantibus. quæ vi quamdam insita, quod jucunditate, ac suavitate sensus afficit, necessario sectantur, et ad illud persequendum cogi etiam dicuntur interdum, vi vocabuli laxius sumpta pro eo omni, quod necessario, et sine retinendi impetus potestate facimus. Sic parentes cogi dicuntur amare, quos genuerint, eamque tyrannidem sæpe ab Chrysostomo dici, supra meminimus. Potest etiam vis illa sic accipi, ut sit coactio violenta, non illata voluntati ipsi, sed extrinsecus oblata; ut si Deus fecisset, uti quoties peccare vellent homines, grave aliquod malum, et intolerabilem cruciatum, terroremve paterentur. Sic Plato, ut est a Cicerone scriptum [2], « hoc quoque legis putavit esse, persuadere aliquid, non omnia vi, ac minis cogere; » quæ legis coactio nihil, præter metum, ac pœnæ denuntiationem habet. Hinc idem in nono *de Legibus* Plato [a], præstantissimarum legum opus illud esse dixit, docere homines, et cogere pœnis, aut mulctis pecuniariis et id genus

a Plato IX *de Leg.* Ταῦτα εἴτε ἔργοις, ἢ λόγοις, ἢ μεθ' ἡδονῶν, ἢ λυπῶν, ἢ τιμῶν, ἢ ἀτιμιῶν, καὶ χρημάτων ζημίαις, ἢ καὶ δώροις, ἢ καὶ τὸ παράπαν ᾧτινι τρόπῳ ποιήσῃ τις μισῆσαι μὲν τὴν ἀδικίαν, στέρξαι δὲ, ἢ μὴ μισεῖν τὴν τοῦ δικαίου φύσιν, αὐτό ἐστι τοῦτο ἔργον τῶν καλλίστων νόμων.

Tom. III, lib. VI, cap. VI.—2 Lib. *de Leg.*

sanctionibus, ut justitiam ament, oderint injustitiam; nec tantum malo, pœnisve, sed etiam suasionibus, cohortationibus, præmiis, ac muneribus. Ubi et ἀναγκάζειν verbo usus est, quo semper *cogere* significari credit adversarius, qui tamen qualem fingit sibi coactionem, nonnisi perabsurde ibi cogitabit. Ita Titus Bostrensis in libro secundo *contra Manichæos* : « Commisit, inquit [1], hominibus, ut haberent liberam electionem virtutis, ac probitatis. » Mox idcirco Deum non semper e vestigio punire peccatores ait, « ut necessitate, et vi mœroris libertatem non excludat. »

XIV. Denique Hilarius indifferentem in utrumvis propensionem voluntatis humanæ necessitati simplici repugnantem in sequentibus aperit. « Et quanqam nos, inquit, ad voluntatem bonitatis, id est ad bene, honesteque vivendum, per spem promerendæ, et utendæ suæ bonitatis inliceret, pœnam tamen devitatæ, et contemptæ bonitatis adjecit. Ut cum libertatem nobis voluntatis ad bonitatem promerendam reliquisset, quia meritum naturæ necessitas non haberet, libertatem ipsam quotidie propositus e contrario pœnæ terror argueret. Atque ita et per rationem, atque justi ad meritum præmii permissa libertas est, et per bonitatem Dei vis libertatis metu constitutionis arctata est, ut bene velle, meriti spes moneret, malum nolle, propositæ ultionis pœna suaderet. Itaque his, quibus ex voluntatis libertate malitia magis placuit, ultio constituta ira Dei esse creditur. » In his verbis qui τὸ ἀδιάφορον ab nullo determinatæ voluntatis, et in utrumque paribus momentis propensæ non videt, profecto nihil videt. Nam et pœnam, ac præmium a Deo proponi ait, ostendique; ut in potestate sit voluntatis situm, utrum velit amborum acquirere; tum in medio volendi ac nolendi constitutam esse voluntatem asserit, necessitate nulla ad alterutrum adactam; cujusmodi necessitas illa est, quæ arctat, non cogit summa illa, et joculari coactione theologorum recentium, et quæ meritum in utramque partem omne penitus eripit. Quæ autem hoc necessitas facit, illa ipsa est, quæ electionem ac deliberationem aufert, ut ex Nemesio, Joanne Damasceno, aliisque supra diximus. Facit autem sola id determinatione, et alterius detracta potestate, sive indifferentia voluntatis exclusa. Sed de loco Hilarii hactenus; in quo plusculum hæsimus, quod in eo contrarii dogmatis error insigniter convincitur; tum quod in illo non præjudicium, sed plane judicium de reliquis, quæ pro se attulit, testimoniis est factum.

erens.

CAPUT IX.

Aliorum Patrum ab novi dogmatis auctore citata testimonia; quæ maxime contra ipsum faciunt. Imprimis Origenis, qui illius novam de libertate sententiam prorsus evertit. Afferuntur alia ejusdem loca, ex quibus magis error ille convincitur. Coactionem, et vim apud eumdem non eo modo accipi, quo putavit. Eusebius perperam ab eodem citatus, cum adversus illum imprimis faciat. Expenduntur illius loca ex libro sexto de Præparatione Evangelica, et ex libro contra Hieroclem.

I. Reliqua nunc antiquorum testimonia relegamus, quæ libertatis hostes eodem tenore pertexunt. Ac illa profecto talia, ut non expressiora contra se, si oppugnare se ipsi vellent, potuerint afferre.

Origenes ab adversariis advocatus, illis ontradicit.

Horum testium primus est Origenes, qui ob hoc unum suffragari putatur novæ libertatis definitioni, quod huic necessitatem opponit. Atqui ob hoc ipsum opinioni illi vel maxime contradicit, quod ita, ut adversarius objicit, de illa necessitatis, et libertatis pugna statuit. In proœmio operis *de Principiis*, « Esse illud definitum, ait, in Ecclesiastica prædicatione, omnem animam rationalem esse liberi arbitrii, et voluntatis, etc. Unde et consequens est intelligere, non nos necessitati esse subjectos, ut omni modo, etiamsi nolimus, vel mala, vel bona agere cogamur. Si enim nostri arbitrii sumus, instigare fortasse possunt aliquæ virtutes ad peccatum, et aliæ juvare ad salutem, non tamen necessitate cogimur vel agere recte, vel male; quod fieri arbitrantur, qui stellarum cursum, et motus, causam dicunt humanorum esse gestorum, non eorum, quæ extra arbitrii accidunt libertatem, sed eorum quæ in nostra sunt posita potestate. » Quoniam ibi necessitatis et coactionis nomina legunt, statim confectam rem putarunt; nec attentius totius loci sententiam, et quid ex dogmate suo consequens esset, animadverterunt; quod quidem in antecedentibus capiti-

1 Tom. IV *Bibl. Patr.* col. 910.

bus fecimus. Itaque multum in eo loco falsus est adversarius; nam necessitas illa, et coactio, non est ejusmodi, quam cum libertate confligere solam existimat, sed quæ voluntatem inducit ad agendum, et volendum, uti capite VII liquido demonstravimus, cum ex fati necessitate ab Origene, atque aliis explicata Patribus invictum adversus illos argumentum construximus. Ac perspicue hic etiam Origenes, *humanorum gestorum*, id est voluntatis actionum causas esse fatales siderum motiones, ex illorum asserit opinione, qui fatum tuentur. Unde concludi facile est, eosdem putasse, voluntates agere, id est velle sed necessario, non ea necessitate, quæ voluntatis actioni repugnat; qua detracta necessitate, quæ nonnisi absurde in voluntatem invehi potest, opinionis contrariæ moles tota corruit.

II. Velim studiosus lector diligenter iis intendat animum, quæ capite illo VII ex Origene, et Eusebio de fato diximus; quibus pauca nunc adjungenda sunt, quæ ex eodem Origene refert Eusebius in capite postremo libri sexti *de Præparatione Evangel.* Ubi de præscientia Dei loquitur, ac docet, nullam ex ea necessitatem inferri voluntati, quæ libera nihilominus est, et utrumvis in potestate sua continet. Necessitatem porro non illam commentitiam, et exitiabilem voluntati, sed aliam intelligit, cui τὸ ἐνδεχόμενον, id est *contingens* opponitur, et est simplex, sine ulla violentia ad unum determinans, ut ex toto sermonis contextu colligitur. Nam de Juda proditore agit, quem Christus præscivit, ac prædixit tam immane scelus commissurum. Huic vero nullam ex ea prænotione inflictam esse necessitatem ait, « quod alioqui nulla cum vituperatio sequeretur, si necessario proditor fuisset; neque contingere posset, ut cæterorum Apostolorum similis esset [a]. » Quod ex Davidis de eodem Juda prædictione confirmat, qui sic scribit : *Dilexit maledictionem, et veniet ei; et noluit benedictionem, et elongabitur ab eo* [1]. Pergit deinde : « Quod si quis ita narret : Omnino id erit; et intelligat sic : hæc sunt quidem omnino futura, sed possunt aliter fieri; id nos verum esse concedimus, Nam Deum quidem mentiri, est impossibile; possibile est autem de his, quæ possunt esse, vel non esse, sentire, futura hæc esse, vel non esse futura [b]. » Ac mox in exemplo Judæ idipsum explicat, quem Christus notat, posse proditorem esse, et posse similem esse Petro, « ita ut cognitio Dei in hunc modum pronuntiaret. Contingere quidem potest, ut iste hoc faciat, sed contingere potest etiam, ut contrarium faciat. Verum, cum ambo contingentia sint, scio tamen hoc illum esse facturum [c]. »

III. Hoc in Origenis loco crux est novo constituta dogmati. Nam necessitati, quæ ex Dei præscientia inferri voluntati putabatur, et quam ille pugnare cum libertate judicat, τὸ ἐνδεχόμενον opponit; quod in alteram partem non est fixum, ac determinatum, sed utrolibet modo potest accidere. Rursus necessitatem illam appellat τὸ μὴ ἐνδεχόμενον, quod non contingit aliter fieri. Ibi nulla violenti, coacti, omnem voluntatis actionem perimentis est notio. Quid est τὸ ἐνδεχόμενον in liberis actionibus? Damascenum audiamus ex Nemesio : « Consilium, inquit [2], de iis est, quæ ex æquo contingere possunt. Contingens autem ex æquo illud dicitur, quod tam ipsum possumus, quam ejus contrarium [d], » de quo vide caput quartum antecedens. Huic oppositum necessarium, ut ibidem probavimus, est, quod uno circumscriptum, ac determinatum est ita, ut contrarium nostro in arbitrio non sit, ac potestate; de quo videlicet nulla potest esse consultatio. Igitur libertati contraria necessitas non est violentia, vel coactio, sed id, quod τὸ ἐνδεχόμενον eripit, hoc est efficit, ut unum tantum integrum sit voluntati, nec res aliter fieri possit. Nam ἐνδεχόμενον Origenes perinde ac Nemesius, Damascenus, S. Thomas, tum definit esse, cum ita hoc possumus, ut possimus et alterum, quod sine indifferenti statu ne animo quidem informari potest.

a Euseb. lib. VI *de Præpar.* Οὐκ ἂν δὲ ψόγος αὐτοῦ προσήπτετο, εἰ ἐπάναγκες προδότης ἦν, καὶ μὴ ἐνεδέχετο αὐτὸν ὅμοιον τοῖς λοιποῖς Ἀποστόλοις γενέσθαι.

b Ibid. Εἰ δέ τις διηγήσεται, τὸ πάντως ἔσται κατὰ τὸ σημαίνειν αὐτὸ, λέγων ὅτι ἔσται μὲν τάδε τινὰ, ἐνεδέχετο δὲ καὶ ἑτέρως γενέσθαι, τοῦτο ὡς ἀληθὲς συγχωροῦμεν. τὸν μὲν γὰρ θεὸν οὐκ ἐνδέχεται ψεύσασθαι· ἐνδέχεται δὲ περὶ τῶν ἐνδεχομένων γενέσθαι, καὶ μὴ γενέσθαι, φρονῆσαι τὸ γενέσθαι αὐτὰ, καὶ μὴ γενέσθαι.

c Ibid. Καὶ λέγοι ἂν ἡ γνῶσις τοῦ θεοῦ, ὅτι ἐνδέχεται μὲν τόνδε τόδε ποιῆσαι. ἀλλὰ τὸ ἐναντίον· ἐνδεχομένων δὲ ἀμφοτέρων οἶδα ὅτι τάδε ποιήσει.

d Damasc. lib. II, cap. XXVI. Ἡ δὲ βουλὴ, τῶν ἐπίσης ἐνδεχομένων ἐστίν. ἐπίσης δὲ ἐνδεχόμενόν ἐστιν, ὃ αὐτό τε δυνάμεθα, καὶ τὸ ἀντικείμενον αὐτῷ.

1 *Psal.* CVIII, 18.— 2 Mem. c. XXXIV.

Præterea idem Origenes aperte declarat quale esse censeat τὸ ἐνδεχόμενον illud, sine quo libertatis esse functio nulla potest, dum ejus contrarium describit. « Non enim quemadmodum potest dicere Deus : Non contingit hunc quemlibet hominem volare : sic responsum edens, exempli causa, de aliquo dicet: Non contingit hunc esse temperantem. Quippe nulla penitus volandi vis et potestas inest homini ; inest autem potentia temperanter agendi, vel lasciviendi. Quæ cum ambæ potestates suppetant, qui rationibus iis non obtemperat, quæ ad coercendum, et castigandum idoneæ sunt, is in pessimam inclinat, in meliorem autem is, qui, veritate conquisita, secundum hanc vitam vult instituere [a]. »

IV. Ex iis liquido constat, libertati, vel libero arbitrio oppositam esse potentiam uno aliquo definitam ; qui necessitatis est simplicis, proprieque dictæ status, in quo nulla coactionis est suspicio. Etenim contingens illud, quod cum libertate hominis implicatum est, et cum de ea sermo est usurpatur, tale constituit, ut hoc etiam, quod non contingere dicitur, peræque atque alterum voluntas eligere possit, cum videlicet utraque, vel, quod idem est, utriusque potestas suppetit, utputa temperanter aliquid agendi, vel e contrario intemperanter. Quare cum dicitur : Non contingit, Judam Petri Apostoli similem esse ; nullus hic necessitatis, nedum coactionis intellectus est ; non enim prohibet quidquam, ne frugi sit, et ab avaritiæ, cupiditatisque sordibus alienus, nisi quod esse non vult, cum posset esse, si velit.

Quare Deus, qui et futura, et quomodo futura sint, omnia cognoscit, ita Judam Petri dissimilem fore novit, ut sciat, posse etiam, si ita libeat, esse similem. Hoc autem quid aliud est, quam ex se indifferentem esse, nec uni potius addictum, quam alteri? At vero, cum sic dico, *Non contingit Petrum volare*, hoc ipsum, quod non contingens voco, necessarium est, non quia violentum, et coactum ; (quis enim violentum id esse statuat, non volare Petro ?) sed quia fixum, determinatumque est, et quoniam progrediendi facultas in Petro ad unum oppositorum genus determinata est, non volandi. Quare tantum abest, ut, quod adversarius toties inculcat, *necessarii* apud Origenem, Eusebium, Patresque cæteros notio vim, et coactionem significet, ut illa quidem in tota amborum illorum disputatione de eo dicatur, quod a natura est insitum, et cujus contrarium violentum potius foret, quam id, quod necessarium vocatur. Nam non posse volare, ut necessarium, sic naturale est homini; at vel similem esse Petro, vel esse dissimilem, utrumque contingens est Judæ ; neutrum vero necessarium, cum sit naturalis amborum facultas, id est ejusmodi, ut tam unum, quam alterum possit amplecti. Quod si eatenus naturale est Judæ, ut hoc vel illud possit eligere, quod ad neutrum necessitate aliqua determinatur, profecto eatenus liber est, quod ad utrumlibet indifferens est, ac velut in medio suspensus amborum.

V. Animadvertit ex iis omnibus lector, cujus *animam* novi commenti *fictio non decepit*, neque *fascinatio nugacitatis obscuravit*, *transvertitque sensum*, nihil esse verius, quam quod paulo ante dixi, ab illo, quem pro se citavit, Origene, ut et Eusebio, malam pessimo dogmati crucem esse positam in illis ipsis, quibus ad sui præsidium usus est, verbis, ac sententiis utriusque. In quo vel admiranda, vel miseranda novi theologi simplicitas est ; qui in unum intentus Augustinum, cæteros tam negligenter, tamque injuriose attigit, ut ex iis ea potissimum proferret, quibus vel maxime causa sua læderetur.

Atque, ut indoctæ fabulæ fauces arctius premam, unum aut alterum emetiar Origenis locum, qui mutire illius propugnatores vetet. In homilia xx in librum *Numerorum* [1], « Sui, inquit, arbitrii est anima, et in quam voluerit partem, est ei liberum declinare ; et ideo justum Dei judicium est, quia sponte sua sive bonis, sive pessimis monitoribus paret. » Loquitur autem de interioribus monitis inspirantis Angeli, hoc est de vocante et incitante gratia ; quæ libertati nostræ nullam necessitatem affert, quominus detrectare possit. Sed

a Euseb. ibid. Οὐ γὰρ ὥσπερ ὁ θεὸς εἴποι ἄν, οὐκ ἐνδέχεται τόνδέ τινα τὸν ἄνθρωπον πτῆναι, οὕτω χρησμὸν, φέρε εἰπεῖν, περί τινος διδοὺς, ἐρεῖ ὅτι οὐκ ἐνδέχεται τόνδε σωφρονῆσαι. δύναμις μὲν γὰρ πάντη οὐκ ἔστι τοῦ πτήναι οὐδαμῶς ἐν τῷ ἀνθρώπῳ· δύναμις δέ ἐστι τοῦ σωφρονῆσαι, καὶ τοῦ ἀκολαστῆσαι. ὧν ἀμφοτέρων δυνάμεων ὑπαρχουσῶν, ὁ μὴ προσέχων λόγοις ἐπιτρεπτικοῖς, καὶ παιδευτικοῖς, ἑαυτὸν ἐπιδίδωσι τῇ χειρίστῃ· κρείττονι δὲ, ὁ ζητήσας τὸ ἀληθὲς, καὶ βιῶσαι βεβουλημένος κατ' αὐτό.

1 Orig. Hom. xx in *Num.*

de gratia, et hujus cum libertate consensu paulo post quatenus fas est; nunc, quod reliquum est, ostendamus, falsissimum esse, quod adversarius velut ariolando dixit, necessitatis, et coactionis apud antiquos nomina significare vim et violentiam illam, quæ non modo libertatis, sed etiam voluntatis est inimica. Origenes in illa, quam dixi, homilia in *Numeros*, de vocante gratia, et inspiratione loquens, ait, ea nos trahi, cogique, non invitari tantum: « Sed nec sufficit, inquit, eum esse nobiscum, sed quodammodo vim nobis facit; ut nos pertrahat ad salutem. » Quod deinde probat iis Scripturæ locis, in quibus aut tantillum moræ negat discipulo Christus[1], ut patrem sepeliat, aut paterfamilias circum vias, et angiportus missis famulis, quoscumque repererint, jubet ad convivium suum cogere. « Sic ergo non solum invitamur, ait, a Deo, sed et trahimur, et cogimur ad salutem. » Hic nimirum vis, et coactio pro vehementi impulsu ponitur, quocum integra, et sui domina libertas, quantovis pulsata impetu, et concussa persistit. Vide Origenem eumdem homilia nona *in Leviticum*, cujus verba postea reddemus. Frustra igitur ex *coactionis* nomine, quod in superiore illo loco proœmii in libros *Periarchon*, positum est ab Origene, concludit, nullam, nisi peremptricem voluntatis, libertati necessitatem esse contrariam.

VI. Sic in libro sexto in epistolam *ad Romanos* : « Hoc est ergo, ait, quod in hoc loco Apostolus docet, quia unusquisque in manu sua habet, et in arbitrii potestate, ut aut peccati servus sit, aut justitiæ. Ad quamcumque enim potestatem inclinaverit obedientia, et cuicumque parere voluerit, hæc sibi eum vendicat servum. In quo, ut dixi, absque ulla cunctatione in nobis esse ostendit arbitrii libertatem. In nobis namque est exhibere obedientiam vel justitiæ, vel peccato. » Si in eo liberi arbitrii potestas ostenditur, quod in quamcumque partem propendere integrum habet, ut vel hoc, vel illud eligat, neque in solo eo, quod sponte fit, libertas inest voluntatis, neque cum ea necessitatis ulla consistit.

Leg. sic.

Pergit deinde: « Nam et ipsi nos exhibemus, nullo cogente, vel peccato servire, vel justitiæ per obedientiam nostram. » Quo ex cogendi vocabulo latebram errori suo quamdam aucupatur adversarius; sed eum sequentia refellunt, cum statim iste subdit: « Et ideo semper horum meminisse debemus, ne inanes querelas in peccati excusatione proferamus, quod diabolus fecit, ut peccatorem aut naturæ necessitas, aut fatalis conditio, aut cursus astrorum efficiat. » Manifestum est autem ex iis, quæ de fatali necessitate ex Origene supra diximus[2], ita illam libero arbitrio repugnare, ut voluntatis actionem non prorsus auferat. Quare isti ipsi, qui fatum culpæ suæ prætexebant, non coactionem ac vim, sed necessitatem causabantur.

VII. Origeni succedet Eusebius Cæsariensis, cujus se novus error auctoritate defendit; præsertim ex illa disputatione, quam adversus fatalem necessitatem bene longam instituit in sexto libro *de Præparatione Evangelica*. Sed, si quis ea repetat, quæ septimo capite de hoc argumento plene sunt exposita quid illi respondeat, non valde requiret. Cognoscet enim, necessitatem, et vim, qua libertatem hominis interpellari queritur Eusebius, toto cœlo distare ab illa, quæ in recenti officina cuditur. Habet enim hoc necessitas fatalis, ut voluntatem ad agendum, id est ad volendum inclinet et inflectat. Quæ vis ac violentia non est proprie dicta, ac voluntatem per sese cogens; sed aut externa dumtaxat est, aut cujusmodi vis ea dici solet, quæ libero, et utrumvis in jure suo habenti contraria est, ut superius hoc ipso capite monuimus.

Euse
Cæsar
ab a
sa
citatu
ver
eum
mis

Ac, si quis Eusebii librum illum non tumultuarie percurrat, et in sola coactionis, ac necessitatis intentus vocabula, ut adversarius facit, sed diligenter, et cum judicio singula perpendat; multa illic inveniet passim adspersa contra recentem fabulam. Ut sunt ista capitis sexti: « Nam si, inquit, qui ad militiam animum adjicit, non hoc electione propria facit; sed externa necessitate actus[a], » etc. Necessitatem, ut vides, fati, non voluntati sed electioni tantum opponit. Non est ergo violentia, sed necessitas, quacum ἡ ὁρμή, id est *appetitio*, et voluntatis actio stat; nam fati illo actus impulsu ὁρμᾶν dicitur, id est *appetere militiam*. Nihil hic igitur perfugii habet error indoctus. Deinde quid sit προαίρεσις

a Euseb. Εἰ γὰρ ὁ ἐπὶ στρατείαν ὁρμῶν, οὐκ ἐκ προαιρέσεως οἰκείας τοῦτ' ἔπραττεν, ἐλαυνόμενος δὲ ὑπὸ τῆς ἔξωθεν ἀνάγκης.

1 *Luc.* IX, 54.— 2 Cap. VI.

id est *electio*, et quam vim habeat, si apud se quisque cogitet, de quo plura capite quarto, sciet, non illam vi, et coactione, sed necessitate corrumpi sola. Denique necessitas illa fati, quam ex Eusebio arripit adversarius, ἔξωθεν, id est *extrinsecus* afficit voluntatem, non intus in illam agit, quod potest. Ideo plurimum ab illius sensu discrepat.

lectionem.

VIII. Sic in sequentibus προαίρεσιν occupari ait a fato, et ab eodem τὴν προθυμίαν, id est *appetitum voluntatis* immitti. Sed imprimis animadvertenda ista sunt, quibus adversarius ut maxime nititur, ita potissimum refellitur : « Nos vero, tanquam inanima, inquit, huc, et illuc moveri dicere ab extrinsecus imposita aliqua necessitate, velut nervis attractos ad id, ut necessario velimus hæc agere, aut alia ingratiis eligere ; nonne impudentis, ac durissima fronte hominis est[a] ? » Hic nimirum, hic ille tenetur, et necessitatis ab se constitutæ genus ejurare cogitur ; nam fatalis ab Eusebio necessitas, quæ libertati contraria est, ponitur ejusmodi, quæ voluntatis actionem non destruit, sed elicit, et ut velimus, atque optemus aliquid, facit. Habes ergo voluntatis actionem, ex adversarii decreto, liberam, ex Eusebii, cæterorumque, quos pro se testes citavit, opinione, minime liberam, quia necessariam, non tamen coactam, eo quod ab interiore est principio. Hoccine est causam agere suam, an prævaricari potius, et contra se sententiam dicere, eos adhibere arbitros ac disceptatores, quorum tam diserta tamque constanti, ac non dubia voce damnetur ?

IX. Quid si Eusebii reliqua pertexam ? Parumne libertatis naturam, qualem nos contra Adversarii commenta defendimus, et quæ vis huic obsistat, aperte statuit, cum ita scribit ? « Sentire nos perspicue, nostro impetu ac motu prompte in illa tendere ; aut e contrario negligere · ac respuere ; ob eamque causam recte nos, aut secus agere, nullius vi alterius compulsos[b] ? » Cui quidem vi quid ex adverso positum sit, ita declarat : Verum « quædam nos sponte, ac voluntarie nos eligere, alia fugere, ac respuere, ex nostra ipsorum electione. » Nempe ἑκουσίῳ γνώμῃ et προαιρέσει vis illa fatalis est adversa, hoc est electioni, quæ ex duobus unum aliquod assumit, alterum rejicit, cum et hoc asciscere posset, et illud repudiare.

Spontaneo consilio et electioni.

Talis est enim τῆς προαιρέσεως natura, ut supra demonstratum est. Huic vim facit, id est eam tollit, extinguitque necessitas, quæ solam βούλησιν, id est appetitionem, vel ὁρμὴν relinquit ; unde coactio propria esse non potest. Addit præterea ibidem Eusebius, contra fati propugnatores ac necessitatis, eversoresque libertatis, quæ contra novos theologos apprime congruunt : Adeo evidentem in nobis esse liberi arbitrii conscientiam, ut quemadmodum dolere nos, vel lætari, intueri hoc, illud audire, non syllogismo aliquo, sed evidentia ipsa percipimus ; sic nos ipsi sentiamus, ex nobis ipsis proprioque consilio moveri et impelli, ut hæc eligamus, aversemur illa ita, ut omnino libera et sui juris potestas rationalis, et intelligibilis naturæ nostræ merito constet. Quod autem præter electionem nostram permulta nobis accidant, ea minime imputanda esse fato, sed altioris cujusdam providentiæ consilio. Hæc Eusebius.

Electionis

Volitionem.

X. Qui, aliquot interjectis, liberi indolem arbitrii paulo insuper illustriore sententia describit : « Deum, ait, lege hominibus edita, rectam ostendisse viam ; data autem sui juris libertate, electionem meliorum, laude, et commendatione dignam effecisse, necnon præmiis, majorique compensatione ob recte facta ; quod non coacte, sed libera sui arbitrii sententia præclare egerunt, cum possent contrarium eligere[c]. » Nescio, an ad convincendam præposteram novitatem dici quidquam possit expressius ; siquidem τὸ βεβιασμένον opponit ei voluntatis libertati, quæ unum eligit, nullo cogente, ac necessitatem inferente, cum posset alterum eligere. Græci, cum ita loquuntur, *Hoc ille fecit, aut elegit*, παρὸν δὲ ἕτερον ἑλέσθαι, vel τὸ ἐναντίον, hoc est *cum liceret*,

Eusebius illustri sententia liberum describit arbitrium.

Violentum.

a Euseb. Τὸ δὲ δίκην ἀψύχων λέγειν κινεῖσθαι ἡμᾶς τῇδε ὑπό τινος ἔξωθεν δυνάμεως νευροπαστουμένους εἰς τὸ ἐπ' ἀνάγκαις (for. ἐπάναγκες) ἐθελῆσαι τάδε πρᾶξαι, καὶ ἑλέσθαι παρὰ προαίρεσιν ἕτερα, πῶς οὐκ ἂν εἴη ἀναιδὲς, καὶ ἀναισχυντότατον ;

b Euseb. ibid. Ἐπεί περ ἐναργῶς αἰσθανόμεθα ἑαυτῶν ἡμετέρᾳ ὁρμῇ, καὶ κινήσει τάδε τινὰ προθυμουμένων, καὶ ἀμελούντων πάλιν ἑαυτῶν ἀντιλαμβανόμεθα, καὶ παρὰ ταύτην τὴν αἰτίαν κατορθούντων, ἢ μὴ κατορθούντων, καὶ ἐξ οὐδενὸς ἑτέρου βιαζομένων· ἀλλὰ τὰ μὲν ἑκουσίῳ γνώμῃ αἱρουμένων, τὰ δὲ φευγόντων, καὶ παραιτουμένων ἐκ τῆς ἡμῶν αὐτῶν προαιρέσεως.

c Euseb. ibid. Διὰ μὲν τοῦ νόμου τὴν εὐθεῖαν αὐτῇ παραδείξας ὁδὸν. διὰ δὲ τῆς αὐτῇ δεδωρημένης αὐτεξουσίου ἐλευθερίας τὴν τῶν κρειττόνων αἵρεσιν ἐπαίνου, καὶ ἀποδοχῆς ἀξίαν ἀποφήνας, γερῶντε, καὶ μειζόνων ἐπάθλων, τῶν ἐπὶ τοῖς κατορθουμένοις, ὅτι μὴ βεβιασμένως, γνώμῃ δὲ αὐτεξουσίῳ κατώρθου, παρὸν καὶ τὴν ἐναντίαν ἑλέσθαι.

vel *posset alterum optare, sive contrarium*, sine ullis argutiarum offutiis, et cavillationibus, hoc ipsum intelligunt, eodem tempore, quo se sponte ad unum applicabat e duobus, et hoc eligebat, potuisse contrarium ejus eligere, quod etiam natura electionis, et consilii et arbitrii, sive disceptationis, ac judicii et sententiæ demonstrat. Itaque facessat inanis illa calumnia confutata satis a nobis secundo capite, quæ, humana loquendi consuetudine damnata, abnormem, et inauditam sæculis omnibus dictorum illorum sententiam obtrudit; ut cum dicitur, libertatem in eo sitam esse, quod unum e duobus, quod magis placet, eligis, alterum rejicis, disjunctim illud accipiatur, tanquam in eo salva sit arbitrii libertas, si eadem vis et facultas modo unum velit, modo alterum, etsi, cum alterutrum vult, non possit non velle, sed necessario velit, similiterque, cum non vult illud, velle non possit. Debent enim ambo ista conjungi, ut utrumque voluntati ratio, et intelligentia proponat, voluntas, quod magis placet, præ altero eligat, unde προαίρεσις vocatur. *Electio.*

Quod Eusebius idem luce clarius ostendit in sequentibus; ubi causam affert, cur, qui male agit, vituperandus, puniendusque sit: « Nam cui facultas suppetebat eligendi boni, inquit, quando non hoc eligit, sed sponte, quod melius erat, aversatus est, et deterius ascivit; quis huic excusationi locus relinquitur, qui proprii sibi morbi causam ipse attulit[a]? » Vides, in eo liberam electionem constitui, ut, cum posset melius amplecti, in deterius inclinarit; cum posset, inquit, et facultas suppeteret eligendi quod sponte sua non elegit. Sed operæ pretium sit, totum illud caput, imo vero integrum illum Eusebii librum legere, in quo graves, expressæque sunt sententiæ quibus opinio nova configitur; quas sigillatim hic percensere nimis longum sit, ac molestum.

XI. Similis est ratio, hoc est, pro adversariorum commento nulla; pro nobis vero maxima vis eorum, quæ ex libro *contra Hieroclem* Eusebiano citat adversarius ex ultimo capite, in quo contra fatum, fatalemque necessitatem disputat. Primum enim quæ de eodem fato ex Origene, Eusebio, aliisque paulo ante memorata sunt, inane hoc esse præsidium novi erroris, et ei vel maxime refragari prorsus ostendunt; deinde, quæ sint illa sententiarum contra Hieroclem capita videamus. Queritur Eusebius[b], ab illis, qui fati lege ac necessitate res humanas obligant, tolli propriam voluntatis a seipsa motionem, quod non amplius ex electione, sed externa impulsione, velut inanimum quiddam agatur, ac tanquam nervis alienis mobile lignum. Nonne verum illud est in hæretica libertate, quam necessitas constringit? Non enim ex seipsa, quod vult eligit; neque consilium ac deliberationem admittit ullam. Qui enim de eo deliberare potest, quod esse aliter nequit? aut quis electioni locus, ubi totum necessitas tenet? Itaque rapitur eo trahiturque, quo vis illam fatalis ac determinans necessitas impellit. Trahitur autem utique volendo; quia voluntatis actionem fatum ipsum elicit. Nam quomodo tandem impelli, cieri, moveri, attrahique voluntas potest, nisi agat aliquid, et moveatur? Actio vero voluntatis, et motio quæ fingi potest alia, quam βούλησις, id est *volitio*? Ut enim machinæ, quæ adductis nervis, ac funiculis moventur, et νευρόσπαστα. Græce nominantur, cum cientur, utique motio aliqua iis imprimitur; sic voluntas, si nihil agat, impelli, moverique non dicitur. Ea vero motio, ut electio non est, sic non aliud est, quam velle, seu, quod tritum jam est usu scholarum, et nobis condonandum nomen, *volitio*.

Eadem qu novi e neces

XII. Quid illa, quæ in fine capitis ejusdem, et libri totius ab Eusebio posita sunt; nonne securim infligunt hæretico dogmati? « Vim enim, ac definitionem animæ dicit humanæ, suimet absolutum judicem, ac ducem, et dominum ipsum sui constituere[c]. » Quæ vocabula *judicis absoluti*, hoc est summum in se jus habentis, ac *ducis*, et *suimetipsius domini*, omnem procul arcent necessitatis speciem, et statum illum significant nulli contrariorum addictum, determinatumve necessario, præterquam ab seipso. Pergit Euse-

a Euseb. ibid. Ὦ γὰρ παρῆν δύναμις τῆς ταγαθοῦ αἱρέσεως, ὅτε μὴ τοῦτο εἵλετο, ἑκὼν δὲ τὸ κρεῖττον ἀπεστράφη, τοῦ χείρονος μεταποιηθεὶς, τίς ἂν τούτῳ τόπος ἀποφυγῆς λείποιτο τῆς οἰκείας αἰτίῳ καταστάντι νόσου;

b Euseb. *contra Hieroc.* cap. ult. Τίς αἱροῖτο λόγος, ἄκουσαν, οὐχὶ δὲ κατὰ προαίρεσιν, ἀψύχου δίκην σώματος ἔξωθέν ποθεν κινουμένην, καὶ ὥσπερεὶ νευροσπαστουμένην ὧδε, κἀκεῖσε τὴν ἀεικίνητον ἄγεσθαι φύσιν, μηδὲν μηδαμῶς ἐξ ἰδίας ὁρμῆς, καὶ κινήσεως ἐνεργοῦσαν.

c Ibid. Ἀνθρώπων τε ψυχῆς ὅρος, αὐτοκράτορά τε κριτὴν, ἡγεμόνα τε, καὶ κύριον αὐτὸν ἑαυτοῦ καθίστησι.

bius, « et eorum quæ sunt, alia scribit sita in nobis esse, alia non esse. In nobis sita dicuntur, quæ ex electione, et actione suppetunt, quæ et natura libera sunt, et impediri, prohiberique nequeunt[a]. » Quæ mox ita describit idem Eusebius : « In iis porro, quæ in nostra potestate sita dicuntur, appetitionem et impulsum in utramvis partem virtutis, ac vitii unusquisque in sua habet electione. » Cum ergo non possit electio, vel, ut Græcum nomen propius reddam, *prælectio*, id est unius præ altero electio constare, nisi ad duo contraria, vel opposita, sine ulla determinante necessitate, peræque inclinari possit; apparet, Eusebium ab nupera factione toto cœlo distare.

CAPUT X.

De Epiphanio, quem pro se contraria secta testem citat. Ostenditur, neutiquam ejus errori suffragari, neque Macarium, cujus verbis dogma illud refellitur. Chrysostomum quoque id auctoritate sua damnare; cujus loca quædam ab illa calumnia vindicantur. Disputatur iterum de vi, et coactione, quam solam hæretici contrariam libero arbitrio faciunt. Contra quos probatur, non ei esse contrariam, sed esse nihil, et repugnantiam continere.

I. Nihilo magis reliquis Patribus Græcis, quos novus error appellat, cum ejus opinione convenit; sed par est in omnibus disputandi infelicitas, et incuria, dum quibus pro se testimonium mandat, ii maxime illum onerant, et auctoritate sua reum gravissimi et intolerandi erroris addicunt.

Epiphanius ab adversario citatus expenditur.

Epiphanius certe, cum de fatali disputat necessitate, nihil illum sublevat. Vis enim, et coactio, qua fatum urgere nos ab Stoicis est dictum, nihil habet commune cum hæretica necessitate, ut ex antecedentibus sciri poterit[1]. At eodem in loco, quæ est hæresis XVI *Pharisæorum*, de libertatis natura, contra quam adversario videtur, disserit Epiphanius. Nam contra fati defensores opponit legum lationem, ac judicium Dei, quo præclare factis præmia, sceleribus pœnæ sunt constitutæ; quæ, si fatum in rebus est ullum, supervacanea sunt, et sine ratione ponuntur, quoniam liberum arbitrium evertitur. Hoc autem quale sit, his verbis aperit : « Non enim aliam ob causam, nisi quod peccare, et non peccare possunt, ab hoc repetitis pœnis ob malefacta, huic vero, recte factorum præmio, et laude persoluta, in utrumque sententiarum diversitas illa decernitur[b]. » Habes hic par in ambo contraria jus, ac potestatem arbitrii liberi, quod sine indifferente statu intelligentia capi non potest. Ac subinde, quo magis ille status illustretur, Esaiæ verba ex primo capite subjicit : *Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis. Si autem nolueritis, neque audieritis me, gladius vos devorabit.* Quibus ex verbis liberi arbitrii, qualem dixi, rationem concludit ita : « Ex quo perspicue illud, ac citra dubitationem efficitur, liberum arbitrium homini a Deo esse concessum, cum ita per se dixit; *Si volueritis*, et *si nolueritis*; adeo ut bene agere, vel malas res concupiscere, in illius arbitrio sit relictum[c]. » Quibus simillima sunt, quæ ex Methodio refert idem auctor in hæresi LXIV ubi ait, « credere, vel non credere in nostra potestate situm esse, recte facere vel peccare; bonum vel malum agere[d]. »

Item Macarius.

II. Similis de Macario est hallucinatio libertatis inimicæ opinionis. Nam nemo de arbitrii libertate, deque indifferente ad utrumque voluntatis propensione, plura, et apertiora scripsit. At quibus argumentis inducta illum sibi advocatum paravit? Nempe quod « naturam hominis boni et mali esse capacem »

a Ibid. Τῶν ὄντων τὰ μέν ἐστιν ἐφ' ἡμῖν, τὰ δὲ, οὐκ ἐφ' ἡμῖν. καὶ ἐφ' ἡμῖν μὲν, ὅσα γένοιτο ἂν κατὰ προαίρεσίν τε, καὶ πρᾶξιν, ἃ καὶ φύσει ἐλεύθερα, ἀκώλυτα, ἀπαρεμπόδιστα τυγχάνει. τῶν δ' ἐφ' ἡμῖν, τὴν ἐπὶ θάτερα ὁρμὴν ἀρετῆς τε, καὶ κακίας ἕκαστος ἐν αὐτῇ κέκτηται προαιρέσει.

b Epiph. hær. XVI. Ὁπότε διὰ τὸ δύνασθαι ἁμαρτάνειν, καὶ μὴ ἁμαρτεῖν, τὸν μὲν διὰ τὰ ἁμαρτήματα δίκην ἀπαιτεῖσθαι, τὸν δὲ ἔπαινον ἀπεκδέχεσθαι, διὰ τὸ εὖ πεπραχέναι, ὥρισται καθ' ἑκατέρων τὸ διάφορον.

c Epiph. Ibid. Ὥστε παντὶ τῷ δῆλόν ἐστι, καὶ ἀναμφίβολον, ὡς τὸ αὐτεξούσιον παρείχετο θεὸς, δι' ἑαυτοῦ φήσας τὸ, ἐὰν θέλητε, καὶ μὴ θέλητε. ὥστε περὶ τὸν ἄνθρωπον εἶναι τὸ ἀγαθοεργεῖν, ἢ τὸ φαύλων ἐφίεσθαι πραγμάτων.

d Epiph. hær. LXIV, num. 49. Ἐφ' ἡμῖν γὰρ τὸ πιστεῦσαι κεῖται, καὶ τὸ μὴ πιστεῦσαι· ἐφ' ἡμῖν τὸ κατορθώσασθαι, καὶ ἁμαρτήσασθαι· ἐφ' ἡμῖν τὸ ἀγαθοτοιεῖν, καὶ τὸ κακοποιεῖν.

1 Cap. VI.

dixit, sed non ἀναγκαστικὴν, id est *cogibilem*. Quam sit hoc leve, ac joculare, planum est ex antecedentibus capitibus. Neque enim ἀνάγκην illam rigidam et intractabilem, id est ab adversariis confictam, et abhorrentem ab rerum natura, Macarius intelligit, sed populari usu tritam, et usurpatam cum loquendi more communi, tum ab ipsomet, ut mox ostendam. In homilia xv docet, eatenus hominem esse αὐτεξούσιον, hoc est *suæ potestatis, et arbitrii*, quod, quidquid lubet facere potest, sive scelera perpetrare, sive Deo se subjicere, ac pravis cupiditatibus resistere, easque refrænare. Hæc sunt neutri adjunctæ necessario voluntatis, sed pendentis, et liberæ[a].

Necessitatem.

Confert deinde hominem cum brutis animantibus, quorum naturam ait esse δετὴν, id est *ligatam*, et uni addictam ac determinatam. Siquidem serpentes omnes natura sunt infesti et veneno nocent; lupis omnibus inest rapax natura; agnus item omnis est natura placidus; columba simplex omnis est. At homo suapte indole varius est, et versatilis; quia τρεπτῆς, id est *mutabilis* est naturæ. « Vides, inquit, quemadmodum mutabilis illius est natura; nam et in malum vergit, et subinde in bonum, ac per utrumque natura comparatus est propendere, in quas volet, actiones. Capax itaque est natura boni et mali, sive divinæ gratiæ, sive contrariæ facultatis; sed necessitas huic inferri non potest[b]. » Qui non raptim ista legerit, ut videntur fecisse novi theologi, sed considerate, et attente; nihil ibi discernet, ad quod calumnia ista violentæ necessitatis adhærescat. Nam necessitatem libertati oppositam humanæ constituit ejusmodi, qualis est in bestiis; ut in serpente inest ὁρμὴ, et appetitio uniusmodi, et ad unum necessitate constricta et alligata, quam δετὴν vocat, hoc est *determinatam*. Neque vero necessitas illa, quam coactionem Calvinus, et ejus imitatores nominant, in brutis illis inest. Hæc enim non solum arbitrii liberi, sed omnino voluntatis actionem prorsus extinguit. Quare, quod naturam hominis non esse ἀναγκαστικὴν, sive potius ἀναγκαστὴν, hoc est *necessitati subjectam* ait, non potest de vera propriaque coactione dictum existimari, quæ nulla ne in bruta quidem cadit; sed necessitate simplici, aut illa extrinsecus admota, quacum liberi arbitrii stare potest electio. Sic enim paulo post scribit, regem, si præpotens hostis ingruat, cogi cum suis ad bellum progredi[c].

III. Tum postea causam afferens, cur Christianorum corpora immortalia Deus esse noluerit, id eo factum asserit, « quod mundus universus, si rei tantæ admirabilitatem videret, necessitate quadam potius, quam sponte, ac voluntate sua ad bonum eniteretur. Verum, ut simpliciter appareat, et perseveret arbitrium liberum, quod initio Deus homini tribuit, res hujus providenti quadam moderatione dispensantur, et corpora dissolvuntur, ut sit in hominis voluntate situm, inclinari in bonum, aut in malum. Neque enim vel ille, qui in bono perfectus est, vel in peccatum alte est immersus, seseque vas Diaboli facit, a quo in totum damnatus est, necessitate alligatur ulla; sed libertatem habet, ut vas fiat electionis, et vitæ. Similiter et qui divinitate velut inebriati sunt, et alligati Spiritu sancto, nulla necessitate continentur; sed liberum habent arbitrium, ut mutentur, et quidquid velint, agant hoc in sæculo[d]. » Egregia, et plane aurea est hæc Macarii sententia, quæ novo dogmati lethalem infligit ictum. Primum enim *necessitatem* ostendit illam, non quæ liberum arbitrium supprimit, sed quæ cum eo cohæ-

a Macar. homil. xv. Οὕτω καὶ σὺ αὐτεξούσιος εἶ, καὶ ἐὰν θέλῃς ἀπολέσθαι, τρεπτῆς φύσεως εἶ· εἰ θέλεις βλασφημῆσαι, ποιῆσαι φάρμακα, καὶ ἀποκτεῖναί τινα, οὐδείς σοι ἀντίκειται, ἢ κωλύει σε. εἰ θέλει τις ὑποτάσσεται τῷ θεῷ, καὶ διοδεύει τὴν ὁδὸν τῆς δικαιοσύνης, καὶ κρατεῖ τῶν ἐπιθυμιῶν.

b Macar. homil. ead. Ὁρᾷς πῶς τρεπτή ἐστιν αὕτη ἡ φύσις. ἔστιν ἐπὶ τὸ κακὸν ῥέπουσα· καὶ ἔστιν ἐπὶ τὸ καλὸν αὖθις. καὶ δι' ἀμφοτέρων ἐπιτηδείως ἔχει νεῦσαι πρὸς ἃς βούλεται πράξεις. δεκτικὴ οὖν ἡ φύσις τοῦ καλοῦ τε, καὶ τοῦ κακοῦ· ἤτοι θείας χάριτος, ἤτοι ἐναντίας δυνάμεως. ἀλλ' οὐκ ἀναγκαστική.

c Macar. ibid. Ἀναγκάζεται αὐτὸς ὁ βασιλεὺς σὺν τοῖς ἐν τῷ παλατίῳ, καὶ τοῖς στρατοπέδοις αὐτοῦ ἀπελθεῖν, καὶ συγκροτῆσαι τὸν πόλεμον.

d Ibid. Βλέπων ὅλος ὁ κόσμος τὸ παράδοξον τοῦ πράγματος, ὅτι μὴ φθείρεται τὰ σώματα τῶν Χριστιανῶν, ἀνάγκη τοίνυν τινὶ, ἀλλ' οὐχ ἑκουσίᾳ γνώμῃ πρὸς τὸ ἀγαθὸν ἀνήρχετο. ἀλλ' ἵνα φανῇ καθάπαξ, καὶ διαμείνῃ τὸ αὐτεξούσιον, ὅπερ ἐξ ἀρχῆς ὁ θεὸς ἔδωκε τῷ ἀνθρώπῳ, τούτου οἰκονομικῶς τὰ πράγματα διοικεῖται, καὶ γίνεται λύσις σωμάτων· ἵνα ἐν τῷ θελήματι τοῦ ἀνθρώπου ᾖ τὸ τραπῆναι αὐτὸν ἐπὶ τὸ ἀγαθὸν, ἢ τὸ κακόν. οὔτε γὰρ ὁ τέλειος εἰς τὸ ἀγαθὸν. ἢ βαθὺς εἰς τὴν ἁμαρτίαν, καὶ ποιῶν ἑαυτὸν σκεῦος τοῦ διαβόλου, ὑφ' οὗ τὸ ὅλον κατεκρίθη, ἀνάγκῃ τινὶ δέδεται· ἀλλ' ἔχει τὴν ἐλευθερίαν τοῦ γενέσθαι σκεῦος ἐκλογῆς, καὶ ζωῆς. ὁμοίως πάλιν οἱ μεμεθυσμένοι εἰς τὴν θεότητα, καί τοι πεπληρωμένοι, καὶ δεδεμένοι πνεύματι ἁγίῳ, οὐκ ἀνάγκῃ τινὶ κεκράτηνται· ἀλλ' ἔχουσι τὸ αὐτεξούσιον τοῦ τραπῆναι αὐτοὺς, καὶ ποιεῖν ὃ θέλουσιν εἰς τὸν αἰῶνα τοῦτον.

ret. Deinde talem libertatis humanæ rationem, et naturam esse demonstrat, quæ ad bonum malumve suopte nutu ac sponte ferri possit, cogente, vel necessitatem inferente nullo. Denique hunc ipsum libertatis statum insitum a natura esse docet, humano generi; neque culpa primi genitoris extinctum, sed in stirpe perseverare. Quæ tria novæ sectæ rationes mirum in modum conturbant.

Ad hæc Macarius idem[1], libertatem hominis cum auriga comparat, qui currui insidens hunc ipsum pro arbitrio moderatur, ut nunc præcipiti agat impetu, nunc frenis adductis retineat, atque in hanc, vel illam partem, prout visum est, dirigat.

IV. Vide eumdem homilia XXVII ubi multa de libero hominis arbitrio, et indifferente in bonum ac malum nutu, ac propensione disserit. Maxime autem memorabile est illud, « Apostolos ipsos, alioqui perfecta charitate præditos, non prohibuisse gratiam, quin, quod vellent, facerent, siquidem liberet iis ipsis quædam facere gratiæ haud placentia. Etenim natura nostra boni et mali capax est; et adversaria vis hortatrix est, non necessitate compellens. Itaque potestatem habes quamcumque voles in partem liberum tuum arbitrium immittere[a]. » Vides τὸ ἀδιάφορον, et in utramque partem flexibile voluntatis arbitrium. Eadem in proxime sequentibus de hominum libera, in quam volent, partem inclinatione disputat.

ndifferens.

Sed illud palmare, quod, paginis aliquot interpositis ait, « Ei soli, qui in utramque partem converti potest, legem editam fuisse, qui scilicet libero arbitrio præditus est, ut cum adversaria virtute possit confligere. Nam ei naturæ, quæ ad unum alligata est, minime lex imponitur[b]. » Ideo neque pœna, neque præmio digna sunt, neque laude aut vituperatione, quæ non in utrumvis propendere possunt. Disputat autem adversus illos, qui melius esse dicebant, si ejusmodi homo esset, ut sine ulla difficultate ac molestia bene honesteque viveret, ac natura velut ligatus, et ad officium adstrictus esset. Quæ quidem necessitas non violenta coactio, sed necessario determinata voluntatis est affectio; quam Macarius libero arbitrio repugnare, et meritum omne, ac præmium, et laudem eripere, contra novam opinionem demonstrat.

V. At etiam Chrysostomum vendicare sibi, et advocatione tanta causam suam honestare student. Magno id quidem flagitio; nam nemo illo vehementius, ac disertius aut errori refragatur illorum, aut libertatis in utrumque propensum, et indifferentem adstruit statum. Pauca hic ex innumeris testimonia proferam. In homilia XIV in priorem *ad Corinthios*, «Nos, inquit, et hoc et illud habemus in potestate, nimirum ut vel in gehennam incidamus, vel regnum cœleste consequamur, quoniam ita Deus voluit. *Ecce enim, ait, ignis, et aqua; quocumque volueris, extendes manum tuam*[2]. Et, *Si volueritis*[3], *et audieritis me, bona terræ comedetis*, etc[c].» Habes hic neutri parti addictum necessario voluntatis arbitrium, sed inter utrumque veluti nutabundum, et ex duobus, quod placuerit, eligens sponte, atque libere. Cujus potestatis et licentiæ causam refert in Dei voluntatem, tanquam is aliter potuerit facere. Hoc vero, quod potuit facere, oppositum ei quod fecit, esse debet, ideoque necessarium, et uno aliquo circumscriptum. At ejusmodi necessitas non potest esse vis illa, et coactio, non modo libertatis, sed etiam voluntatis extinctrix, cum ne divina quidem virtute possit in rerum esse natura, ut sæpius repetere cogimur. Quare sola necessitas est simplex, qua Deus frenare potuit hominem, ut juris sui non esset, nec in diversa posset excurrere; vel vis externa duntaxat, et extrinsecus admota coactio; quarum prior, salva et integra voluntatis appetitione, solam ei adimit eligendi facultatem, utramque premit, atque angit altera, sed non tollit omnino. Ex quo novi dogmatis falsitas convincitur.

Chrysostomus novo errori contrarius.

Deinceps autem qualis ea sit voluntas, qua

a Macar. homil. XXVII. Ἐγὼ δέ σοι λέγω, ὅτι καὶ τοὺς Ἀποστόλους τοὺς τετελειωμένους ἐν τῇ χάριτι, οὐ κεκώλυκεν ἡ χάρις ἃ ἐβούλοντο πρᾶξαι, εἴ γε ἤθελον αὐτοὶ ἐκεῖνοι μὴ ἀρέσκοντά τινα τῇ χάριτι διαπράττεσθαι. καὶ γὰρ ἡ φύσις ἡμῶν δεκτικὴ καλοῦ, καὶ κακοῦ ἐστι· καὶ ἡ ἐναντία δύναμις προτρεπτικὴ, οὐκ ἀναγκαστική. λοιπὸν σὺ ἔχεις τὸ αὐτεξούσιον βίψαι ὅπου βούλει. Vide seqq.

b Idem. Τῷ γὰρ δυναμένῳ τραπῆναι εἰς ἀμφότερα τὰ μέρη νόμος δέδοται, τῷ ἔχοντι τὸ αὐτεξούσιον ποιῆσαι πόλεμον πρὸς τὴν ἐναντίαν δύναμιν, δετῇ γὰρ φύσει ὁ νόμος οὐ κεῖται.

c Chrys. hom. XIV in I *ad Cor.* cap. IV. Καὶ γὰρ ἡμεῖς ἐσμεν καὶ τούτου κἀκείνου κύριοι, καὶ τοῦ εἰς γέενναν ἐμπεσεῖν, καὶ τοῦ βασιλείας ἐπιτυχεῖν· ἐπειδὴ ὁ θεὸς οὕτως ἠθέλησεν. ἰδοὺ γὰρ, φησὶ, πῦρ καὶ ὕδωρ. οὗ ἐὰν θέλῃς, ἐκτενεῖς τὴν χεῖρά σου. καὶ ἐὰν θέλητε, καὶ εἰσακούσητέ μου, τὰ ἀγαθὰ τῆς γῆς φάγεσθε, etc.

1 Hom. XV.— 2 *Eccl.* XV, 17.— 3 *Esa.* I, 19.

salutem nostram administramus, opitulante Dei gratia, Chrysostomus exponit, et esse talem docet, quæ non simpliçi voto ac desiderio fungitur, sed valens est et robusta, et circa illa quæ ad finem conducibilia sunt, efficax, et arrecta. Qua tota disputatione προαίρεσιν, id est *electionem* describit, quæ arbitrium liberum proprie dicitur, et circa ea, quæ vocantur *media*, versatur, ut supra luculenter ostendimus; ubi et οὐσιῶδες illi esse τὸ ἀδιάφορον probavimus, adeo ut necessitatem simplicem, et interius admotam funditus repudiet.

Essentiale illi esse indifferens.

VI. Hinc illud Chrysostomi ibidem legitur: « Propterea te Deus liberi arbitrii fecit, ut ne postmodum expostules cum ipso, tanquam necessitate constrictus[a]. » Hinc illa querela quorumdam, quam se audisse refert, et refellit Chrysostomus: « Quare in potestate, et arbitrio meo virtutem posuit[b]? » Quod ille factum non negat, immo, cur factum sit, causam aperit. Quid autem aliud est, *dominum* esse virtutis, sive hanc *habere in potestate*, quam posse illam sequi, vel respuere? Bene, inquam, vel male agere, hoc est κύριον esse virtutis, ut ibi Chrysostomus interpretatur, adeoque libero arbitrio præditum; cujus vim inter contraria suspensam mirifice prædicat; ac tam ante peccatum Adami, quam postea, naturæ hominum inesse demonstrat, necnon quid ἀνάγκης nomine significet. Quam quidem non illam esse peremptricem voluntatis, his verbis indicat. Cum enim virtutem initio molestam, postea jucundam esse dixisset, quemadmodum artium rudimenta, cum primum discuntur, ingrata sunt, ubi vero eas percepimus, incredibilem afferunt voluptatem, mox ita sibi objicit: « Atqui nemo, inquit, artem ullam aggreditur, nisi cogentem habeat aliquem. Cum enim dominus sui adolescens esse cœperit, magis eliget initio deliciis frui, et in fine innumera mala perferre, quam in principio laboribus confici, et postmodum laborum suorum fructum capere [c]. » Enimvero necessitas illic nonnisi est externa, quæ liberum arbitrium voluntatemque non tollit, sed vi adhibita facit, ut ad unum inflectat se, cum, si vellet, alterum non minus posset eligere. De hac ergo necessitate, non de commentitia illa, et quæ prorsus accidere non potest, loquitur Chrysostomus; loquuntur et scriptores ad unum omnes, quando eam cum plena et liberrima voluntate, atque appetitione componunt. Lucet insuper iisdem illis in Chrysostomi verbis electionis, arbitriique liberi naturalis functio, quæ inter duo contraria spectatur.

Dominum.

Necessitatis.

VII. Quinetiam, ut stuporem ac veternum excitemus hæreticorum, cæterorumque, qui juxta cum his coactionem eam duntaxat adversari libertati prædicant, quæ cum ipsa ne divina quidem virtute consistit, ad idque suffragatorem sibi Chrysostomum parant; audiant, cujusmodi vim et coactionem intelligere soleat, cum de ea loquitur. In homilia XVIII in eamdem priorem *ad Corinthios* epistolam, Apostoli verba illa explicans[1]: *An nescitis, quia corpus vestrum templum est ejus, qui in vobis est, Spiritus sancti, quem habetis a Deo, et non estis vestri?* hæc præsertim expendit: *Et non estis vestri.* Atque « hoc, inquit, non solum pudefacientis vox est ista, sed etiam vim ac necessitatem afferentis. Quid enim, quæ vis, facis, inquit? Non tu tui dominus es [d]. » Hic, quia βιάζεσθαι positum est, quod verbum *cogere*, *ac vim inferre* significat, et quia libertati, ac potestati agendi quodlibet opponitur, pari atque in cæteris licentia, et stupore vim illam novi somniabunt theologi, quæ liberum arbitrium evertit. At non possunt: non enim libertatem cogi tali violentia credidit Chrysostomus; et subinde admonet, non eam propter illa, quæ dixit Apostolus, esse sublatam [e].

Desinant ergo contentiosi illi vocum aucupatores, ubicumque vis, aut necessitatis, aut coactionis nomina apud Patres increpuerint, gestire atque exclamare, tamquam id repererint, quod pueri in faba. Nam cogere illic, ut et alias passim, est vim extrinsecus adhibere rationum momentis, ac vehementi persuasione; vel certe, docere, non sui juris

Qu
cogere
vete

a Chrys. Διὰ τοῦτο γάρ σε αὐτεξούσιον ἐποιησεν ὁ θεὸς, ἵνα μὴ ὕστερον ἐγκαλῇς τῷ θεῷ ὡς ἀνάγκῃ δεθείς.

b Ibid. Καὶ γὰρ πολλῶν ἤκουσα λεγόντων· διὰ τί γάρ με κύριον ἐποίησεν ἀρετῆς;

c Ibid. Ἀλλ' οὐδεὶς, φησὶν, ἥψατο τέχνης, μὴ τὸν ἀναγκάζοντα ἔχων. ἐπειδὰν γὰρ ᾖ κύριος ἑαυτοῦ, φησὶν, ὁ νέος, μᾶλλον αἱρήσεται τρυφᾶν ἐν ἀρχῇ, καὶ πρὸς τῷ τέλει μυρία παθεῖν τὰ κακὰ, ἢ ταλαιπωρεῖσθαι ἐν προοιμίοις, καὶ καρποῦσθαι μετὰ ταῦτα ἐκ τῶν πόνων ἐκείνων. Vide et hom. LXXI, vers. 17 et 18.

d Chrys. Τοῦτο οὐκ ἐντρέποντος μόνον ἐστὶν, ἀλλὰ καὶ βιαζομένου πρὸς ἀρετὴν. τί γὰρ πράττεις ἃ θέλεις; φησὶν· οὐκ εἶ ἑαυτοῦ κύριος.

e Ibid. Ταῦτα δὲ ἔλεγεν, οὐχὶ τὸ αὐτεξούσιον ἀναιρῶν, etc.

1 I *Cor.* VI, 19.

esse, quos hortatur, sed sub Dei imperio ac dominatu contineri ; quam servitutem, liberalem quidem, nec violentam, paulo post ἀνάγκην vocat.

Necessitatem

VIII. Sed, ut magis acumen miremur istorum, age videamus, quibus Chrysostomi locis commentum fulciant suum. Opponunt id, quod in homilia XII *in Joannem* legitur, ubi disparem corporum esse conditionem ait, atque est animorum : « Quod natura corporum, quocumque ipsam ducere conditor voluerit, eo sequitur ; neque quidquam est, quod resistat. Anima vero suimet domina, et agendorum potestatem habens, non in omnibus, nisi ipsi libeat, obsequitur Deo. Non enim invitam, ac vi quadam coactam bonam efficere vult, et virtute præditam. Quandoquidem ne hoc quidem virtus esset. Sed volenti, et sponte in id inclinanti persuadendum est, talis ut sit[a]. » Sed quis illos docuit talem illic vim, et necessitatem ariolari, quæ ne a Deo quidem ipso possit effici, cum voluntate pugnantem? Discerent potius, si quid ad locorum delectum adhiberent judicii : ideo non posse vim ejusmodi significari, quod, cur libero arbitrio non sit illata, causam esse Dei voluntatem docuit, ut simili in re, capite septimo, ad Hilarii testimonium dixi. Perspicuum est autem, τὸ ἀδιάφορον, et ad neutrum addictum libertatis statum in illis verbis pulchre describi; quemadmodum et in homilia XC *in Joannem* : « Si, inquit, philosopheris, infinitorum tibi bonorum fons erit paupertas. Quod si quis tibi magistratum, et civiles administrationes, et divitias, deliciasque proponeret ; tum paupertate oblata optionem daret, ut, quod velles, acciperes, istam statim arriperes, si ejus pulchritudinem nosses [b]. » Hæc est accurata forma τῆς προαιρέσεως, id est *electionis liberæ*, quæ inter duo consistit, et, in quod amborum mavult, inclinat ex sese. Egregius est insuper ejusdem Chrysostomi locus in *Catena Græca in Job ;* qui tum superiora illa omnia, tum liberi naturam arbitrii, ac voluntatis præclare demonstrat. « Vincimus autem nos, inquit, aut vincimur, non propter adversariorum vim, aut eorum, qui nobis opitulantur, imbecillitatem : sed propter liberam nostram electionem. Nam, cum utrique hortando nos invitent ad sese, et sancti quidem Angeli ad bona, execrandi vero dæmones ad mala : libera nostra voluntas jure suo, ac potestate prædita, quam vult in partem, sese promovet. Non enim Deus vim nobis affert, quos libero honestavit arbitrio ; neque Diabolus cogendi nostri facultatem habet ullam. Sed pro libera nostra voluntate vel recte agimus, vel peccamus, Angelis, aut Dæmonibus adhærentes [c]. »

Indifferens.

Egregius Chrysostomi locus.

IX. Sic in homilia *de Proditione Judæ*, quem locum et illi proferunt, eadem est ἀλογιστία vim libertatis impugnantium. Nam Chrysostomus sciscitanti, cur non Christus Judam ab cogitato scelere repressit, ita respondet : non opportuisse necessitate probum illum fieri, quod ne sic quidem probus fuisset, eo quod necessitate nemo fit bonus. Hic vero coactionem, et violentiam illam, quæ voluntati perniciem affert, nihil opus est fingere. Uti nec in homilia altera [1], in qua de Pauli conversione disserens, negat illum ἀνάγκῃ ; id est *necessitate* compulsum. Tum « Deum nemini vim inferre, sed volentes trahere [d], etc. neque cuiquam necessitatem afferre [e]. » Etenim, quam demum vim, ac necessitatem excludat, in eadem homilia demonstrat ; nimirum qua servos cogunt domini, et invitos, quidquid jubent, facere compelluntur. « Homines, inquit,

Infelix disputatio.

a Chrys. Ὅτιἡ μὲν τῶν σωμάτων φύσις, ἥπερ ἂν αὐτὴν ἄγειν ὁ δημιουργὸς βούληται, ταύτῃ ἕπεται, καὶ τὸ ἀντιπίπτον οὐδέν· ἡ δὲ ψυχὴ κυρία ἑαυτῆς γενομένη, καὶ τῶν πρακτέων τὴν ἐξουσίαν ἔχουσα, οὐ πάντα, ἂν μὴ βούληται, πείθεται τῷ θεῷ. ἄκουσαν γὰρ αὐτὴν. καὶ βίᾳ που κατηναγκασμένην οὐ βούλεται ποιῆσαι καλὴν, καὶ ἐνάρετον· ἐπειδὴ μηδὲ ἐστι τοῦτο ἀρετή. ἀλλὰ χρὴ βούλομένην, καὶ ἑκοῦσαν πεῖσαι γενέσθαι τοιαύτην.

b Chrys. *in Joan.* Ἐὰν γὰρ φιλοσοφῇς, καὶ μυρίων ἀγαθῶν ἔσται σοι πηγή. καὶ εἴ τις σοι ἀρχὴν, καὶ πολιτικὰς δυνάμεις, καὶ πλοῦτον, καὶ τρυφὴν προετίθει, εἶτα τὴν πενίαν τιθεὶς, αἵρεσιν ἐδίδου λαβεῖν ὅπερ ἤθελες, ταύτην ἂν εὐθέως ἥρπασας, εἴ γε αὐτῆς ἔγνως τὸ κάλλος.

c Chrys. *in Cat. Græca in Job.* Χινῶμεν δὲ ἡμεῖς, ἢ κινώμεθα οὐ παρὰ τῶν ἀντιπραττόντων δύναμιν, ἢ τὴν τῶν συμμαχούντων ἀδυναμίαν, ἀλλὰ παρὰ τὴν ἡμετέραν προαίρεσιν. ἑκατέρων γὰρ εἰς ἑαυτοὺς προτρεπόντων, τῶν μὲν ἁγίων ἀγγέλων εἰς τὰ ἀγαθὰ, τῶν δὲ ἀλιτηρίων δαιμόνων εἰς τὰ φαῦλα, ἡ ἡμετέρα προαίρεσις τῷ αὐτεξουσίῳ τετιμημένη εἰς ὃ ἂν θελήσῃ μέρος προχωρεῖ. οὔτε γὰρ θεὸς βιάζεται τιμήσας ἡμᾶς τῷ αὐτεξουσίῳ· οὔτε διάβολος ἀναγκαστικήν τινα δύναμιν κέκτηται καθ' ἡμῶν. ἀλλὰ κατὰ προαίρεσιν εἴτε κατορθοῦμεν, ἢ ἁμαρτάνομεν, ἀγγέλοις, ἢ δαίμοσι προσκλινόμενοι.

d Idem hom. XLIII. Ὅτι μὴ βουλομένους οὐ βιάζεται ὁ θεὸς, ἀλλὰ βουλομένους ἕλκει.

e Ibid. Ἀλλ' ἐπειδὴ ἀναγκάσαι οὐδένα θέλει.

1 Tom. eod. Hom. XLIII.

servis suis sive sponte volentibus, sive etiam invitis imperare, ac dominari volunt[a]. » At Deus « invitos, et refragantes non cogit, neque vi compellit[b]. » Nunc velim respondeant adversarii, an vis et necessitas illa, qua heri mancipia parere cogunt, et qua servos suos ad obsequendum Deus non vult adducere, omnem non modo libertatis usum, sed etiam voluntatis eripiat? Hoc si eligant quod, ut sibi consentanei sint, oportet eos dicere, non tam argumentatione, quam communi sensu, et experientia convicti tacere cogentur. Nemo enim sic stupidus est, qui non intelligat servos quamlibet atrocibus tormentis et cruciatibus adactos, quæ in illorum potestate sunt, si nolint, non facere; ut cum fidiculis et quæstionibus ad confitendum crimen admoventur. Itaque nihil sic coacti faciunt, ut non voluntate, imo arbitrio libero faciant, quod in moralis doctrinæ elementis traditur, nedum hoc theologi, ac doctorum coriphæi ignorare possunt. Quod si in illa, et cum illa necessitate, quam tantopere jactitant, et quod unicum novitati suæ receptum, ac perfugium habent, libera stat hominis voluntas, profecto frustra sunt; nihilque præter canoras nugas, *Nænias.* et illa Platonicorum τερετίσματα nobis occinunt tam hæretici omnes hodierni, quam illorum assectatores, qui solam hanc necessitatem, cujus apud Patres vestigia relegunt, libertatis hostem esse clamitant.

Coactio exterior libertatem non tollit.

X. Non possum clarius, quam in isto ipso domini ac famuli exemplo, declarare, quæ sit ratio libertatis et necessitatis illius, ac novæ vanitatem opinionis sub oculos omnium subjicere. Etenim dominus, qui mancipio suo operam injungit aliquam, duobus hanc modis elicere potest, primum blandiendo et hortando; tum rationibus et minis etiam urgendo, aut promissis alliciendo, ita tamen, ut vim manusque contineat. Altero modo, si faces ac ferrum adhibeat, ut olim gladiatores ad pugnandum igni et ferro incitari solebant. Utrobique liberum est famulorum obsequium; id est voluntatis *electione*, ac προαιρέσει præstatur. Sed interest tamen, quod in priori genere inest τὸ ἑκούσιον, id est *spontaneum;* parent enim ultro, non coacti. Posteriore modo qui imperata faciunt, ἀκουσίως, id est *invite*, *et ingratiis* obtemperant; libero tamen faciunt arbitrio, quidquid coacti faciunt, quoniam vis illa nonnisi extrinsecus voluntatem afficit.\Ut autem voluntas ipsa cogatur, ut velit, quod non vult, nec est in potestate domini, nec omnino effici virtute ulla potest; quod secum res ipsa pugnet. Ad hanc violentiæ coactionisque formulam exigenda sunt omnia illa dicta veterum,,quibus imperite abutuntur tam hæretici, quam qui horum placitis insueverunt, dum coactionem solam libero arbitrio contrariam esse clamitant. Et ne ab Chrysostomo recedam, hoc ipse sensu dixit, « animis a diabolo vim neque dum in corpore degunt, neque dum sunt extra corpus, inferri. Quinam ergo peccant, ait si vi minime coguntur? Ultro et volentes seque ipsas tradentes, non necessitate compulsæ, neque tyrannide oppressæ. Atque hoc omnes illi demonstrarunt, qui illius artificia omnia superarunt. Nam et Job, cum infinita misceret, persuadere non potuit, ut blasphemum aliquid proferret. Unde apparet, in potestate esse nostra positum illius parere consiliis, vel non parere; neque necessitatem, vel tyrannidem ullam perpeti[c]. » Cùm igitur vim omnem, et impressionem suam diabolus in Jobum verteret, nihil ad ejus animum, ac liberum arbitrium ista pertinebat; quia cogi in sese ne a Deo quidem potest. Hæc autem vis, quæ voluntatem afficiat ipsam, non est libero arbitrio contraria; quia contrarium id actioni alicui non dicitur, quod in eodem subjecto vicissim esse nequit; qui nihil est, et ex repugnantibus constat. Quis enim candido, exempli causa, *chimæram* dicat esse contrariam, quæ sit album simul et non album quippiam? Oportet enim, contraria sub eodem esse genere. Id autem, quod est *ens*, et quod est *non ens*, sub eodem non sunt genere. Ita neque liberum arbitrium, sive *velle*, et *simul velle ac non velle*, non sunt contraria. Quod posterius illa est ipsa violenta coactio, quam ab Luthero, Bu-

a Chrys. Ἄνθρωποι μὲν γὰρ καὶ ἑκόντων, καὶ ἀκόντων τῶν οἰκετῶν βούλονται εἶναι, καὶ δεσπόζειν, etc.

b Ibid. Ἄκοντας, καὶ ἀποπηδῶντας οὐκ ἀναγκάζει, οὐδὲ βιάζεται.

c Chrys. hom. II *de Lazaro.* Εἰ γὰρ ἐν τῷ σώματι οἰκούσῃ τῇ ψυχῇ βίαν ἐπαγαγεῖν οὐ δυνήσεται ὁ διάβολος, εὔδηλον ὅτι οὐδὲ ἀπελθούσῃ. πῶς οὖν ἁμαρτάνουσι, φησὶν, εἰ μὴ βίαν πάσχωσιν; ἑκοῦσαι, καὶ βουλόμεναι, καὶ ἑαυτὰς ἐκδιδοῦσαι, οὐκ ἀναγκαζόμεναι, οὐδὲ τυραννούμεναι. καὶ τοῦτο ἐδήλωσαν ἅπαντες οἱ περιγενόμενοι τῶν ἐκείνου μηχανημάτων. τὸν γοῦν Ἰὼβ μυρία κυκήσας, οὐκ ἴσχυσε πεῖσαι βλάσφημόν τι ῥῆμα ἐξενεγκεῖν. ὅθεν δῆλον, ὅτι καὶ τοῦ πεῖθεσθαι, καὶ τοῦ μὴ πείθεσθαι ταῖς ἐκείνου συμβουλαῖς ἡμεῖς ἐσμεν κύριοι, καὶ ἀνάγκην οὐδεμίαν, οὐδὲ τυραννίδα ὑφιστάμεθα παρ' ἐκείνου.

cero, Calvino didicerunt Dordracenses, ac cæteri Protestantes, solam adversari libero hominis arbitrio, et ex eadem schola novi illi arripuerunt theologi, qui se Catholicos inscribunt, cum sint illorum in istius dogmatis professione germani.

CAPUT XI.

De Basilio Seleuciensi, et Cyrillo, quos adversus libertatis indifferentiam testes citant adversarii. Refelluntur hi ex utriusque sententiis, quæ de liberi arbitrii indifferentia disertissime proferuntur.

Basilius Seleuciensis ab adversariis citatus, iisdem ostenditur contrarius.

I. Basilium præterea Seleuciensem, et Cyrillum Alexandrinum in medium proferunt veræ, ac proprie dictæ libertatis impugnatores; iisque testimonium denuntiant, quod illi prorsus istis contrarium dicunt, eorumque novitatem auctoritate sua comprimunt. Ut a Basilio Seleuciensi ordiar, quem isti velut Augustino anteriorem[1], nescio cur, nominant, hunc in eo opitulari putant sibi, quod, cum de libero agit voluntatis arbitrio, cum eo necessitatem, tanquam ex adverso positam, subinde comparat, quam etiam violentiam interpretatur. Non erit pluribus opus ad hanc eludendam petitionem, si ea recordemur, quæ de necessitate, ejusque cum libertate conflictu, superius explicata sunt. Sed, ut certo constet, temere illos et inconsulte, quæ non perspecta penitus habent, et excussa, Patrum loca proferre vocum inductos specie, pressius cum illis de utroque contendam.

Ac Basilius quidem in oratione tertia, quæ est secunda *de Adamo*, de libero arbitrio disputans, quod Deus indidit homini, vim ait huic inferri non posse. Si, quia *vim*, id est *violentiam*, memorat tamquam libertati contrariam, consequens est, solam ab illo necessitatem eam, quæ coactio est, opponi libertati, non necessitatem simplicem, qua fit aliquid sponte, tametsi fit necessario; ergo ille, de quo loquitur ibi Basilius, tale habebat liberum arbitrium, quod citra indifferentiam cum necessitate simplici consisteret, ac solam violentiam excluderet. Nam, nisi id esse consentaneum putant, nihil efficiunt argumentatione sua; quia, si non sola coactio libertati repugnat illi, sed præterea necessitas simplex, quæ indifferentiam tollit; non licet concludere ex eo, quod vim coactionemque statim nominat Basilius, eumdem arbitrari, cum simplici necessitate posse liberum arbitrium manere. Atqui non hoc Basilius voluit; neque ut illorum est sententia, velle potuit. Et mira est eorum oscitantia in isto producendo Basilii testimonio.

II. Etenim Basilius illic de Adamo, ejusque voluntate agit libera, quam lege, interdictoque suo de non gustando certæ arboris fructu oppignerare Deus sibi voluit. Cujus mandati justissimam causam repetit inde, quod ejusmodi voluntatem habuit, cujus esset in potestate, quod jussum erat, facere. Jam vero liberum in Adamo arbitrium fuisse, novæ auctores opinionis asserunt, quod omnino sui juris esset; ac non solum ab omni coactione, sed etiam necessitate simplici solutum, quæ indifferentiam tolleret, et ad unum aliquid determinaret. Quod in illo præcipuum fuisse contendunt, et naturæ humanæ adhuc integræ proprium: « Ad utrumlibet, ait novi assertor dogmatis, hoc est ad bonum et malum, ad vitam et mortem, ad amorem creatoris et creaturæ, ut sæpissime Augustinus docet, illa prima libertas indifferens fuit[2]. » Et paulo post: « In isto ergo stadio constitutus Adam, cum ad utrumlibet contrariorum esset indifferens, » etc. Verum primi hominis lapsu sublatam esse hanc indifferentiam, et in ejus locum necessitatem peccandi successisse simplicem, ejusdem et aliorum τὸ κενόσπουδον idem persequentium habet opinio; ad quam probandam Basilii Seleuciensis ille est adductus locus, summa, quod iterum fatendum est, istorum ἀπροσεξίᾳ et *negligentia*.

Inane studium.

Sed, ut universe de naturali, et insita voluntatis potentia sermonem ibi Basilius instituat, quod et vero est similius; certe tam multa, tamque illic expressa de liberi arbitrii indifferentia, cui sit simplex inimica necessitas, expromit, ut ferrei sit oris, qui alio derivandum hoc testimonium affirmet. Neque hic necesse est verba ipsa describere, quæ jam alibi posui[3]. In illis libertatem hominis graphice, si quis alius, depingit, ac totam in illo indifferenti, nec circumscripto necessitate aliqua statu, ac velut æquilibrio constituit, cujus vestigium libertatis nullum apud Augustinum exstare fingunt novi dogmatistæ[4], de quo postea. Basilius vero, ad quem illi nos vocant, disertissime talem ibi libertatem informat,

1 Tom. III, l. VI, c. XII.— 2 Tom. II lib. *de Grat. primi hom.* c. VI.— 3 Tom. I, l. V, c. III, § 7.— 4 Tom. III, l. VI, c. VIII.

« quæ in utramque partem potestatem suam partitur, sitque rationis judicium, eorum, quæ facienda sunt, electionem velut in trutina ponderans[a]. » Vocat αὐτοδέσποτον γνώμην, *sententiam,* et *propositum sui juris,* nullius imperio, et *dominatui subjectum.*

Quod autem et ἀδίαστον αἵρεσιν nominat, id est *nulla vi expugnabilem electionem,* non ex eo sequitur, solam illi vim, coactionemque esse contrariam; siquidem, ut supra jam ostensum est, necessitas quælibet, seu vis extrinsecus admota facit interdum, ut voluntas non modo fieri jubeat aliquid quod antea nolebat, et cui magnopere reluctabatur, sed etiam uti sponte velit, eligatque. Quod in perditis hominibus quotidianus nos usus docet; quorum contumaciam, ac duritiem pectoris sæpe denuntiatus pœnarum terror, aut vis aliqua major, et cruciatus inflectit ad obsequium voluntarium. Tunc autem nonnisi volens, ac sponte cedens cogitur, nec, nisi vellet, ad volendum posset impelli; in quo τὸ ἀδίαστον, et τὸ ἀδούλωτον proprie consistit.

Vis et servitutis expers.

III. Notentur et illa verba loci ejusdem, quibus liberi arbitrii naturam aptissime, qualem volumus, expressit. « Hinc alterum eligit, alterum pro eo ac visum est, respuit; unum aversatur, alterum amplectitur [b]. » Vides in utrumlibet propensum liberi nutum arbitrii, nec uno aliquo defixum, et occupatum sic, ut alterius potestate careat; quod ille regni instar esse dicit. Pergit enim post illa, quæ jam alibi descripta sunt: « Et regnans, inquit, libero, suique juris consilio, electionibus animi, ac propositi sui dives est [c]. » Quorsum vero illa regni similitudo spectat, nisi ut jus illud quodcumque voluerit amplectendi, faciendique demonstret? Quod si uno tanto aliquo devinctum arctatumque sit, jam non regnum est, nec plena potestas ejus, quod volet, agendi. « Propterea, ut idem porro Basilius ait, Deus legem imponens, necessitatem ad agendum non adhibet: sed, quæ visum illi fuerit, imperat, et voluntati permittit effectionem. Quod si is, cui præcipitur, præceptum violet, non tamen ideo naturam ejus immutat Deus, neque legibus necessitatis inobsequentem ligat, neque vi beneficium eripit, neque donum necessitate distrahit, neque corrumpit sententiam animi naturam detorquens. Sed liberas, suique juris cogitationes relinquens, eum, qui peccavit, pœnis castigat, cæterum dominanti rationi corporis habenas commisit [d]. » Hic ille locus est, ex quo necessitatem colligunt vim esse ac coactionem, solam oppositam libertati. Verum illa, quæ de coactione supra sæpius inculcavimus, admonent, necessitatem illam, de qua Basilius loquitur, partim externam esse, quæ nativam voluntatis indifferentiam non eripit, partim naturalem ac simplicem; ut cum ait, Deum peccatis offensum, non ademisse naturale libertatis jus, ac beneficium, nec ejus immutasse naturam ita, ut non jam ex pluribus, quod vellet, eligere posset, sed ad unum illud, quod Deo visum esset, adstricta teneretur, idque volens omnino, sed sine alterius potestate, sequeretur, uti pecudes sponte attrahuntur ad unum quippiam determinatum, cujus illecebra captæ sunt. Porro ipsam, de qua tantopere litigant, voluntatis indifferentiam, et suspensum inter duo diversa, et opposita illius impulsum mirifice Basilius tum illis, quæ posuimus, tum reliqua in omni oratione declarare pergit, Ita, quod sæpe animadvertere cogimur, aliud agentes, vel occæcati prorsus adversarii, Basilii locum illum ad suam causam traxerunt, quo nullus vehementius, et insignius illorum convincit errorem.

Necne Cyrillo

IV. Similis est in Cyrillo pro se citando stupor, et cæcitas illorum, et eo insuper admirabilior, quo plura sunt in illius libris, et clariora testimonia de libero arbitrio, quibus indifferentia ejus, et ad utrumlibet eligendum plena potestas exprimitur. Vel ille ipse locus, in quem digitum nobis intentant ex octavo *contra Julianum*, quam disertus adversus novitatem istorum, et ad removendam a libertatis usu necessitatem apprime commodus! Quærebant impii Christianæ pietatis hostes,

a Basil. Seleuc. init. orat. III. Προαίρεσις ἐπ' ἄμφω τὴν ἐξουσίαν μερίζουσα, οὐδὲ λογισμοῦ διάκρισις ζυγοστατοῦσα τῶν πρακτέων τὴν αἵρεσιν.

b Ibid. Ἐντεῦθεν τὸ μὲν ἐκλέγεται· τὸ δὲ πρὸς τὸ δοκοῦν παραπέμπεται· καὶ τὸ μὲν ἀποστρέφεται, τῷ δὲ προστίθεται.

c Ibid. Καὶ βασιλεύων αὐτεξουσίῳ βουλεύματι πλουτεῖ ταῖς τῆς γνώμης αἱρέσεσι.

d Ibid. Διὰ τοῦτο διδοὺς νόμον θεὸς οὐκ ἀνάγκην πρὸς τὸ πράττειν προστίθησιν. ἀλλ' ἐντέλλεται τὰ δοκοῦντα, καὶ τῷ θέλειν τὴν πρᾶξιν ἀφίησι. κἂν ὁ προστατόμενος παραδράμῃ τὸ πρόσταγμα, οὐδ' οὕτως μεταλλάττει τὴν φύσιν οὐδὲ νόμοις ἀνάγκης δεσμεύει τὸν παρακούσαντα, οὐδὲ ἀφαιρεῖ βίᾳ τὴν χάριν, οὐδὲ περισπᾷ τὸ δῶρον ἀνάγκῃ, οὐδὲ νοθεύει τὴν γνώμην, παρατρέπων τὴν φύσιν· ἀλλ' ἐῶν τὸ τῶν λογισμῶν αὐτοδέσποτον, σωφρονίζει τιμωρίαις τὸν πλημμελήσαντα· τῷ δὲ κραοῦντι λογισμῷ τὰς τοῦ σώματος ἡνίας ἐπέτρεψεν.

Porphyrius aliquis, ac Julianus, quid necesse fuisset, Deum hominem fieri, et in terras descendere, ut tot ærumnis ac laboribus humanum a peccato genus eximeret, cum solo nutu, et inexplicabili potentia liceret ipsi hominum mentes momento ad meliora transferre. Respondet Cyrillus, id eo factum esse ut salva homini sua libertas esset; nec pro potestate, quod nollet, ingratiis cogeretur facere. Cyrilli verba suis momentis æstimanda, sunt ejusmodi : « Omnis, inquit, quæ in cœlis est, rationalis, intelligensque creatura liberum ad id, quodcumque tandem elegerit, faciendum, habet impulsum, et ab omni solutam necessitate propensionem in singula. Hoc enim modo, nec alio fieri poterat, ut et boni merito prædicatione, ac præmiis afficerentur, et mali justam vituperationem consequerentur [a]. » Hæc de Angelorum libero arbitrio dicta significant, qualis universe natura sit illius, nimirum quæ potestatem habet in seipsa suarum actionum, ut quocumque voluerit, et ad quod maluerit e duobus comparatis invicem, et oppositis inclinari possit sine ulla necessitate. Quam necessitatem, vim sine dubio intelligit ad unum determinantem, non solum externam, cui absolute potest voluntas resistere, non ut exequatur, quod vult, sed ut velit, (hoc enim auferri ei non potest) verum etiam interiorem, et naturalem, cujusmodi inest in brutorum animantium appetitu; ut ea necessitas respondeat, et contraria sit τῇ ῥοπῇ, id est libero et indifferenti nutui, inclinationique voluntatis, quam fontem et radicem esse meriti omnis, ac vel laudis et præmii, vel vituperationis et pœnæ, jure Cyrillus affirmat, in idque consentiunt et Patres cæteri, quos supra percensuimus.

V. Postea de hominis voluntate libera pergit disputare Cyrillus : « Ut igitur et nos ipsi, inquit, ad quodvis bonum sponte feramur, libero animi proposito vitam in terra degere nobis Deus concessit. Atque ita principio contigit. Ipse enim voluntatum suarum ex se suspensas habenas tenet, et suopte nutu incitatis propensionibus in utrumque fertur, bonum, inquam, et malum [b]. » Calviniani fautores dogmatis, qui ubicumque *necessitatis* nomen increpuit, ibi se invenisse putant, non quod pueri in faba; ac nihil præter violentiam et coactionem ibi somniant; ex illo Cyrilli loco confectum sibi negotium, existimant, eo quod ἀκαταβίαστον γνώμην, id est *non coactam* esse dicit *animi sententiam*. Atqui meminisse illos oportuit primum, Cyrillum ibidem de libero primi hominis arbitrio loqui, ut paulo ante notavimus. Cum igitur aliam in illo statu voluntatis liberæ conditionem fuisse censeant, quam in ejus deinceps posteritate fuerit, et hanc peccato illius profligatam, et amissam velint; nullam ex auctoritate ista probationem conficere possunt, quin suapte confessione teneantur. Deinde, quoniam revera de naturali ipsa facultate liberi arbitrii disputat Cyrillus, cujusmodi etiam in Adami stirpe superest; respondemus, ex tota illa oratione perspicuum esse, Cyrillum non aliam liberæ voluntatis indolem, proprietatemque describere, quam quæ a nobis communi ex sententia proponitur. Quod verba illa clare indicant, cum ait, « habenas ipsum suarum tenere voluntatum, et a seipso incitatis nutibus in ambo ferri, bonum et malum. » Quid enim aliud ista clamant, præter suspensam, et indifferentem voluntatis ad utrumque potestatem? Ut, qui quadrigarum lora tenet, auriga potest, quamcumque volet in partem equos flectere, et unde volet abducere; sic homo libertati suæ relictus, pro eo ac libitum est, in hanc vel illam partem voluntariis motibus agitur, nulla neque necessitate neque violentia alio, quam placet, impulsus. De qua vi relegenda illa sunt quæ pluribus antea disputavimus.

VI. Subinde vero Cyrillus idem, quid incommodi futurum sit, si Deus talem homini voluntatem eriperet, et ad bonum tantummodo persequendum eam inflecteret, ita disserit : « Igitur, si inexplicabili quadam, et divina virtute, et efficacia usus, uniuscujusque mentem ad bene agendum transtulisset, et impervium ipsi malum etiam non volenti fecisset; non jam tota illa res fructus esset animi, nec laudem ullam mereretur, sed ne-

a Cyril. VIII *cont. Jul* Πᾶσα μὲν γὰρ ἡ ἐν τοῖς οὐρανοῖς λογικὴ, καὶ νοερὰ κτίσις, αὐθαίρετον ἔχει τὴν ἐφ' ὅπερ ἂν ἕλοιτο τῶν πρακτέων ὁρμὴν, καὶ ἀνάγκης ἐλευθέραν τὴν ἐφ' ἑκάστῳ ῥοπὴν. Ἦν γὰρ οὕτω, καὶ οὐχ ἑτέρως, εὐφημίας μὲν, καὶ γερῶν ἀξιοῦσθαι τοὺς ἀγαθοὺς ἐν δίκῃ, καθορίζεσθαι δὲ τῶν φαύλων τὸ κατεψέχθαι δεῖν.

b Ibid. Ἵνα τοίνυν καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ πρὸς πᾶν ὅ, τιοῦν τῶν ἀγαθῶν ἐθελοντὶ διαστείχωμεν, ἀκαταβιάστῳ γνώμῃ διαβιοῦν ἐπὶ γῆς ἐφῆκε θεός· καὶ οὕτω γέγονεν ἐν ἀρχαῖς. Ἀνῆπται γὰρ αὐτὸς τὰς τῶν ἑαυτοῦ θελημάτων ἡνίας, καὶ αὐτοκελεύστοις ἐπ' ἄμφω φέρεται ῥοπαῖς, εἴς γε τὸ ἀγαθὸν φημὶ, καὶ τὸ μὴ οὕτως ἔχον. Vide similia lib. IV *contra Jul.*

cessitatis potius esset, et voluntatem superantis potentiæ[a].» Non quod « impetus ille impressus non procederet a voluntate, et ideo non esset liberi arbitrii motus, sed vi necessitatis extortus,» ut novus Dogmatistes scribit[1]. Nam, si ad bonum determinata voluntas esset, ut aliter non posset facere, non propterea coactione ac violentia ad bonum impelleretur, aut non motus ille voluntatis esset, et quidem *spontaneus*, sed non esset arbitrii liberi, quia nullum deliberationi, aut electioni locum relinqueret. Adde, vim, ac necessitatem ejusmodi significari posse, quæ libertatem non penitus elidit, sed extrinsecus admota facit, ut velint, (quod sæpe diximus, et adversus istos sæpius est cogitandum) ut, quod illo modo fit, nolentibus quidem nobis initio fiat, sed subinde etiam volentibus, et, ut velimus, adductis. Simile est quod idem Cyrillus alio in loco scripsit: « Ubi, inquit, auditio, et disciplina, et eruditionis bonum est, fides utique persuasione, non necessitate fit. Adjutrix autem potius est, quæ ex charitate dignis a Patre confertur Christi cognitio, quam expressa necessitate. Etenim veritatis dogma libertatem voluntatis, et vim ex sese eligendi hominis animæ integram servare nos cogit[b].» Qui locus tantum abest, ut nuperæ opinioni Calvini, ac cæterorum faveat, aut libertatis indifferentiam minuat, ut eam adstruat potius. Nam hoc ipsum demonstrat, quo ex Tridentina synodo sæpius in medium adduximus, ita divinam gratiam opitulari libero hominis arbitrio, ut in ejus potestate sit *consentire*, ac *dissentire* pro eo ac libet.

Proponuntur nonnulla Cyrilli loca quæ nuperam damnant opinionem.

VII. Et quoniam Cyrilli testimonio usi sunt novæ libertatis architecti, eumque controversiæ hujus idoneum disceptatorem eo ipso judicarunt, proponam aliquot ejusdem loca, in quibus et nuperam illam condemnat opinionem; et communem, receptamque, cui patrocinamur hactenus, affirmat. In libro tertio *contra Julianum*, « Hominis mentem rerum agendarum, aut non agendarum potestatem esse sortitam ait; eique concessum esse, ut voluntariis nutibus feratur in quodlibet[c].» Cujus Christiani dogmatis adstipulatores subinde profert gentiles philosophos, Porphyrium, et Alexandrum Aphrodisiensem; e quibus ille in epistola *ad Nemertium* scribit, « Deum unicuique homini liberam, ac juris sui voluntatem dedisse, ut in eorum potestate sit honestum, voluntarii laude decoratum[d].» Et alibi: « Anima namque potestatem sui, ad libertatis possessionem sortita est, virtutis aut vitii spontaneam electionem, ut in unaquaque, quod laude, quodque probro dignum sit, probetur, et inter homines locum habeant approbationes, et laudes, ac præmiorum distributiones[e].»

Tum Alexandri sententiam primum ex libro *de Providentia* commemorat, in qua summum a Deo beneficium accepisse nos ait, quod virtutum possessio, quas naturaliter non habemus, in nostra potestate, et arbitrio posita sit. « Nam, si virtutes a natura obtinere possemus, nullus jam malitiæ locus relinqueretur[f].» Quare libertati, et utriusque capaci voluntati hominis opponit naturalem necessitatem, hoc est simplicem, quæ ad unum affixa determinataque est, non utique violenta est, et coactionem adferens. Subjicit deinde ejusdem alterum locum, qui eodem pertinet, ex libro *de Fato*, ex quo nos etiam plura descripsimus alibi[2]. Cum igitur de libero arbitrio agens hominis Cyrillus, ejusque naturam, et proprietatem ex christianis decretis explicans, philosophos, eosque gentiles, et christianorum hostes in medium proferat, et cum fidei nostræ placitis adamussim quadrare

a Cyril. VIII *cont. Jul.* Οὐκοῦν εἰ ἀῤῥήτῳ τινὶ, καὶ θεωπρεπεστάτῳ δυνάμει, καὶ ἐνεργείᾳ χρώμενος μετεκόμισε τὸν ἕκάστου νοῦν εἰς ἀγαθουργίας, καὶ δυσεξίτητον αὐτῷ, καὶ οὐχ ἕκοντι λοιπὸν ἐτίθει τὸ ἀγαθὸν, γνώμης μὲν οὖν οὐκέτι τὸ χρῆμα καρπός· οὔτε μὴν ἐπαίνων ἄξιον, ἀνάγκης δὲ μᾶλλον, καὶ ἀβουλήτου πλεονεξίας.

b Cyrill. lib. IV *in Joan.* Ὅπου γὰρ ἀκοὴ, καὶ μάθησις, καὶ τὸ ἐκ παιδεύσεως ἀγαθὸν, διὰ πειθοῦς δηλονότι, καὶ οὐκ ἐξ ἀνάγκης ἡ πίστις. ἀντιληπτικὴ δὲ μᾶλλον, ὡς ἐξ ἀγάπης τοῖς ἀξίοις ἡ ἐπὶ Χριστῷ συνέσις χορηγεῖται παρὰ πατρὸς, ἥπερ ἀναγκαστική. περισώζεσθαι γὰρ ὁ δογματικὸς ἀναγκάζει λόγος τὸ αὐτεξούσιον, καὶ αὐτοπροαίρετον τῇ τοῦ ἀνθρώπου ψυχῇ.

c Cyril. Καί τοι τῆς ἀνθρώπου διανοίας τῶν πρακτέων, ἢ μὴ λαχούσης τὴν ἐξουσίαν, καὶ ῥοπαῖς ἐθελουσίοις, ὡς ἔφην, πρὸς πᾶν ὁτιοῦν ἴέναι συγκεχωρημένης.

d Porphyr. apud Cyril. ibid. Δεδωκότος δὲ καὶ τὴν ἐλεύθερον, καὶ αὐτεξούσιον ἑκάστῳ ἵν' ᾖ ἐπ' αὐτοῖς τὸ καλὸν, τῷ τοῦ ἑκουσίου κοσμούμενον ἐπαίνῳ.

e Ibid. Τῆς γὰρ ψυχῆς τὸ αὐτεξούσιον εἰς ἀρετῆς ἐλευθεριότητος κτῆσιν εἰληχυίας, ἢ κακίας τὴν ἑκούσιον αἵρεσιν, ἵν' ἐπ' αὐτῇ ἑκάστῃ καὶ τὸ ἐπαίνων εἶναι ἄξιον δοκιμασθῇ, καὶ τὸ ψόγων, καὶ ἔχωσι χώραν ἐν ἀνθρώποις ἀποδοχαὶ, καὶ ἔπαινοι, καὶ γερῶν νεμήσεις.

f Alexand. ibid. Εἰ μὲν οὖν τὰς ἀρετὰς ἐκ φύσεως ἔχειν ἐδυνάμεθα, οὐδεμία ἂν χώρα τῇ κακίᾳ κατελείπετο.

1 Tom. II, lib. VI, cap. XII.— 2 Tom. I, III, c. I.

istorum dogma testetur; qua fronte nuperi Theologi illam ipsam, quam cum Cyrillo, aliisque catholicis Patribus tuemur, libertatis notionem eo nomine suggillant, quod a philosophis tradita sit?

VIII. Audiant et illa rursus, quæ paulo ante scripsit: « Voluntariis, inquit, nutibus creatura rationalis gubernatur; ad id, quod rectum, et quod contrarium est, voluntariis propensionibus transiliens [a]. » In utrumvis ergo suopte nutu propensa est hominis voluntas, et quasi in medio posita, hoc est indifferens, ad contraria seipsam movet.

Item eodem in libro, post illa Porphyrii, et Alexandri allata testimonia, concludit, extra culpam esse Deum, etsi talem hominem condiderit, ut bonum, malumve posset eligere; ex quo ille peccandi occasionem capit; « cum nimirum motionis alterutram in partem suæ velut clavum, et gubernaculum nacti sint homines, et sponte ad id inclinent, quod extra legem est, et illi displicet [b]. » Manifesta iis in verbis est suspensio, et indifferentia voluntatis, ac potestas seipsam ad utrumvis determinans; uti navis gubernator clavum manu tenens, in quamcumque vult partem, movet illam ac flectit; quæ descriptio cum necessitate simplici, et ad unum alligante prorsus repugnat. Sic deinceps idem Cyrillus, « Novit omnia prius, inquit, quam fiant. Sed humanas res cursum suum tenere permittit, præsertim quia ex uniuscujusque libero arbitrio suspensum esse videtur facere aliquid, aut non facere [c]. » Potestne significari quidquam clarius, quam hoc ille loco monstravit, liberum arbitrium hominis neutram in partem necessitate ulla deprimi, sed paribus inter utrumque momentis esse libratum?

Item in libro primo commentariorum *in Esaiam* oratione prima, ad illa Prophetæ verba, *si volueritis, et audieritis me*, etc. liberi arbitrii voluntarium in utrumvis flexum, tam bonum, quam malum, asseverat.

Et in quinto commentariorum *in Joannem*, adversus fatalem necessitatem longa oratione disserens, eo præsertim illam refutat, quod nulla res alia voluntatum nostrarum, et consiliorum habenas regit, et ad quod vult, illas impellit: Tum in libro X « unumquemque, ait, liberi sui arbitrii propensionem ad id, quod vult, dirigere, atque ad illud, quod placet, quodque jucundum est, deflectere [d]. »

IX. Et ut imperite constet ab novi patronis dogmatis Cyrillum ad id assumptum, ut ejus auctoritate probent solam eam libertati oppositam esse necessitatem, quæ naturæ repugnat, hoc est violentiam et coactionem; audiant, quid in quarto *contra Julianum* adversus tale commentum diserte pronuntiaverit, et deinceps obstrepere desinant. Cum enim Julianus unamquamque gentem suum habere tutelarem, ac præsidem diceret Deum, a quo certa in illam indoles, morumque conditio derivata manaret, ex qua fieret, ut alii in iracundiam proni essent, ac truculenti, alii in voluptates, ac luxum, alii in honestatis disciplinarumque studia, Cyrillus confictum id, et absurdum inde esse confirmat, quod, eo posito, liberi ad virtutes et vitia homo arbitrii esse desinat. « At quonam modo agnosci posset voluntatis uniuscujusque libertas? Nec enim amplius integrum nobis esset, bene, vel male facere. Sed eundum erit etiam non sponte, et sine ulla consideratione, quocumque nos naturalis propensionis lex detulerit. Difficile est autem repugnare naturæ, vel potius impossibile. Quamobrem, si quis crudelis, atroxque sit, naturæ ad id legibus est compulsus; et ab ista criminatione liber sit Scytha, et quivis item alius, qui propenso sit ad immanitatem, et atrocitatem ingenio [e]. » Hoc in loco Cyrillus libero arbitrio contrariam esse necessitatem indicat, quæ naturalem propensionem sequitur, et qua res sponte fit; non illam quæ naturæ adversatur eamque cogit. Siquidem naturales inclinationes ad

a Cyril. III *cont. Jul.* Ἐθελουσίοις γὰρ νεύμασιν ἡ λογικὴ διοικεῖται κτίσις, πρός γε τὸ ἔχων ὀρθῶς, καὶ τὸ ἐναντίον ἐθελουσίοις ἄττουσα ῥοπαῖς.

b Cyril. ibid. Λαχόντες, ὡς ἔφην, τῆς ἐφ' ὁτιοῦν ῥοπῆς τε, καὶ ἐξουσίας τοὺς οἴακας, καὶ ἑκοντὶ νενευκότες, ἐπί τι τῶν ἔξω νόμου, καὶ ἀπαδόντων αὐτῷ·

c Ibid. Ἀλλ' οἶδε μὲν τὰ πάντα πρὶν γενέσεως αὐτῶν, εἶναι δὲ ὥσπερ κατὰ ῥοῦν ἐφίησι τὰ ἀνθρώπινα, μάλισθ' ὅτι τῆς ἑκάστου προαιρέσεως ἀπηρτημένον ὁρᾶται τὸ ὁρᾶσαί τι τὸ τυχόν, ἢ μή. Vide et lib. IV.

d Id. lib. X *in Joan.* Ἀλλ' ἑκάστου τῆς ἰδίας προαιρέσεως τὴν ῥοπὴν ἐφ' ὅπερ ἂν βούλοιτο διϊθύνοντος παρατρέποντός τε πρὸς τὸ αὐτῷ θελητὸν, καὶ ἡδέως πῶς ἔχον.

e Cyril. IV *contr. Jul.* Εἶτα ὅπη ποτὲ κατίδοι τις ἂν τῆς ἑκάστου διανοίας τὸ ἐλεύθερον; κείσεται γὰρ οὐκέτι τὸ ὁρᾷν ἐφ' ἡμῖν, ἢ τὸ ἀγαθὸν, ἢ τὸ φαῦλον· εἶναι δὲ χρὴ καὶ οὐχ ἑκόντας ἀκατασκέπτως οἷ περ ἂν ὁ τῆς φυσικῆς ἐπιτηδειότητος ἡμᾶς ἀποκομίζοι νόμος. ἔργον δὲ τὸ μάχεσθαι φύσει· μᾶλλον δὲ καὶ ἀμήχανον. οὐκοῦν εἰ καί τις εἴη τυχὸν ὠμός τε, καὶ ἀπηνὴς, φυσικοῖς εἰς τοῦτο νόμοις κατεδιάσθη. καὶ ἀπηλλάχθω μὲν ὁ Σκύθης τῆς ἐπὶ τούτῳ διαβολῆς, ἀπηλλάχθω δὲ καὶ πᾶς ὅτῳ οὖν πρός τὸ ἀνήμερόν τε, καὶ πικρὸν ἀπονένευκεν ὁ νοῦς.

iram aut sævitiam, si necessario impellant hominem, et ad unum determinent adeo, ut contrarium in ejus potestate non sit, libertatem ait eripere. Atqui, quod ex naturali propensione fit, non fit coacte. Non igitur solo eo, quod est violentum, excludi liberam voluntatis actionem existimat.

X. Rursus idem Cyrillus « Sui juris est, inquit, et ad id, quod sibi visum est, soluta cujusvis hominis est mens. Quare, licet malis legibus quidam ad id, quod rectum non est, instituti sint, ad meliora facile se transferent, et utilia, si velint, cum naturæ legibus ad turpia non sint alligati, neque necessariis quibusdam attractionibus præter voluntatem cogantur; sed, ut dixi, licet ipsis libere transferri ad id, quod melius est [a].» Et hoc etiam loco libertatem arbitrii repugnare demonstrat naturali, necessariæque propensioni. Quam necessitatem coactionis vocabulo significat; ita enim plerumque veteres usurpare solitos, supra monuimus.

Denique in quinto libro ejusdem operis, Juliano respondens, qui satius fuisse dicebat, si Deus a malefactis homines vi, ac necessitate deterreret, « Et ubi libertas erit, inquit, humanæ mentis, et sibi permissa potestas? Virtus enim libera res est, ut et ipsi Græcorum sapientes asserunt, ut et merito laus bonos, et pœna improbos consequatur. Quibus cum liceret recte factis gloriam adipisci, ultro ad turpia delapsi perierunt [b]. » Ibi Cyrillus vim, ac necessitatem more suo sumpsit pro naturali, ac fixa, et ad unum determinante lege, et impulsu voluntatis; cui libertatem opponit ejusmodi, quæ suopte nutu in alterutrum ferri potest, bonum vel malum; ex quo laus, aut vituperatio consequitur, quæ nulla potest esse, ubi alterutri necessario addicta, et adstricta voluntas tenetur. Idem præterea Cyrillus in libro VII *de Adoratione in Spiritu*, causam, cur mali puniantur, ita reddit: « Quod, cum liceret ipsis non dissolute vivere, voluntate sua ad hoc feruntur, ut puniri debeant [c]. » His Cyrilli testimoniis geminum illud est Gregorii Nysseni oratione quinta *in orationem Dominicam*; « Boni, inquit, et honesti studium æqualiter naturæ utriusque (Angelicæ et humanæ) substantiæ est insitum, et attributum; plenamque item ac summam in sese potestatem, et ab omni necessitate liberam voluntatem in utrisque parem rerum omnium moderator effecit; ut animi libero arbitrio, atque proposito regatur, quidquid ratione pariter, ac mente decoratur [d]. »

XI. Sed nonne piaculum sit eximium expressissimumque Basilii locum omittere, qui unus dirimendæ quæstioni, et comprimendæ novæ opinioni satis esse possit, si tantum fidei apud illos, ac venerationis habeat, quantam ipsius auctoritas meretur? Hic igitur in homilia *ad Psalmum* LXI verba hæc explicans; *Mendaces filii hominum in stateris*, liberum hominis arbitrium, et usum ejus, atque in agendo progressionem, plene, accurateque describit: « Unicuique nostrum, ait, intus inest statera quædam a conditore nostro fabricata, in qua rerum natura discerni potest: Posui, inquit[1], ante faciem tuam vitam et mortem: bonum, et malum, naturas duas invicem oppositas. Eas tu ex adverso privato in judicio tuo, et examine ponderato. Expende diligenter, quid tibi magis expediat, utrumnam temporariam eligere voluptatem, et per ipsam, mortem consequi sempiternam; an laborem et perpessionem; quæ inest in exercitatione virtutis, eligentem eam adhibere conciliatricem æternæ vitæ,[e]» sic igitur, tamquam in trutina, libera hominis voluntas

Basilii eximii locus

a Cyril. IV *contra Jul.* Αὐτόνομος γὰρ, καὶ ἀφειμένη πρὸς τὸ δοκοῦν ἡ παντὸς ἀνθρώπου διάνοια. ὥστε καὶ εἰ νόμοις φαύλοις πεπαιδαγώγηνταί τινες πρὸς τὸ μὴ ἔχον ὀρθῶς, εὐκόλως ἂν μεταφοιτήσειαν πρὸς τὰ ἀμείνω, καὶ ὀνησιφόρα ἐθελονται, οὐ νόμοις φύσεως καθειργμένοι πρὸς τὰ αἰσχίω· οὔτε μὴν ὁλκοῖς τισιν ἀναγκαίοις πρὸς τὸ παρὰ βούλησιν καταβιαζόμενοι· ἀλλ' ὡς ἔφην, ἐνὸν ἐλευθέρως μεθορμίζεσθαι πρὸς τὸ ἄμεινον.

b Id. lib. V. Καὶ ποῦ τῆς ἀνθρώπου διανοίας τὸ ἐλεύθερον, καὶ ἀφειμένον εἰς τὸ δοκοῦν; χρῆμα γὰρ ἀδέσποτον ἡ ἀρετή· καθὰ καὶ αὐτοί φασιν οἱ Ἑλλήνων λογάδες· ἵνα καὶ τοῖς ἀγαθοῖς τὸ ἐπαινεῖσθαι δεῖν εἰκότως ἀκολουθῇ, καὶ τοῖς μὴ τοιούτοις τὸ χρῆναι πράττεσθαι δίκας. ἐξὸν γὰρ εὐδοκιμεῖν δι' ἀγαθουργίας, ἐθελονται διολώλασι πεσόντες εἰς τὰ αἰσχίω.

c Cyril. Ὅτι καί τοι μὴ βιοῦν ἀνειμένως ἐξὸν, ἐθελοντὶ διαστείχουσιν ἐπὶ τὸ κολάζεσθαι δεῖν.

d Nyssen. Ἡ μέν τοι τοῦ καλοῦ τε, καὶ ἀγαθοῦ ἐπιθυμία ὁμοτίμως ἑκατέρᾳ συνουσιώδη τῇ φύσει, καὶ τὸ αὐτοκρατές τε, καὶ αὐτεξούσιον, καὶ πάσης ἀνάγκης ἐλεύθερον ἴσον ἐπ' ἀμφοῖν ὁ τοῦ παντὸς ἐπιστάτης ἐποίησεν, ὡς αὐτονόμῳ τινὶ προαιρέσει οἰκονομεῖσθαι πᾶν ὅσον λόγῳ τε, καὶ διανοίᾳ τετίμηται.

e Basil. Ὅτι ἑκάστου ἡμῶν ἐν τῷ κρυπτῷ ζυγός τις ἐστὶ παρὰ τοῦ κτίσαντος ἡμᾶς ἐγκατασκευασθεὶς, ἐφ' οὗ τὴν φύσιν τῶν πραγμάτων δυνατόν ἐστιν διακρίνεσθαι.

1 *Deut.* xxx, 15.

bonum ac malum appendit. Item, sitne hoc vel illud agendum; quo et superiora pertinent vocabula τῆς ῥοπῆς, et ἰσορρόπως ἔχειν, id est *velut in æquilibrio esse ad virtutem et vitium*, ut alibi scribit[1]. Denique in eadem illa homilia *in Psalmum* LXI, sic eum locum concludit: « Non poteris hoc in die judicii dicere: bonum ignorabam. Offertur tibi libra, quæ idoneam boni, ac mali discernendi facultatem præbeat. Quippe corporum gravitates stateræ propensionibus probamus; quæ autem eligenda sunt in vita, libero animæ arbitrio discernimus. Quem et trutinam vocavit, quod æqualem in utrumvis inclinationem capere potest[a]. Hanc eamdem cum trutina arbitrii nostri comparationem luculenter instituit Cyrillus in libro VII *de Adoratione*.

Consonat huic Maximus Martyr, qui medium illum arbitrii liberi statum, et ad utrumvis contrariorum expeditam, neque determinatam facultatem clarissime sic exponit. « Mens, inquit, nostra media est inter duos, quorum uterque, quæ sibi propria sunt, facit, et ille quidem virtutem, iste vero nequitiam. Ii sunt Angelus et Dæmon. Habet autem potestatem mens, et vim agendi, quod velit, sive ut obsequatur, sive ut resistat[b]. » Sic in capitulo XIII *Centuriæ* IV ait « in potestate esse ac voluntate hominum, ut, quæ a Deo bona sunt creata, secundum liberam electionem bona sint, aut mala[c]. »

Maximus artyr clarissime beri arbitrii ndifferentiam tuetur.

CAPUT XII.

De Joanne Damasceno, quem novi dogmatis patroni perperam ad commenti sui communionem adigunt; in quo mira illorum hallucinatio detegitur. Proponuntur, et examinantur illius loca, quibus abutuntur isti; τὸ ἑκούσιον, *id est spontaneum, interdum pro libero accipi, et cum electione conjuncto. Ejusdem Damasceni sententia de arbitrii libertate plenius edisseritur.*

In citando Damasceno mira adversariorum hallucinatio detegitur.

Illud vero novorum dogmatistarum flagitium ferre quis possit? aut quis risum, vel etiam stomachum teneat, cum illos videat, inter cæteros Patres, quos falsum pro se testimonium dicere jubent, Joannem quoque Damascenum ausos citare? Quid dico citare? Imo neminem affirmare peræque favere sibi, ac novo commento gratificari? Itaque longiorem de eo, quam de aliis, sermonem faciunt, ut hoc ab illo ingratiis exprimant, libero arbitrio solam opponi coactionem, non necessitatem simplicem. Horum igitur exemplo singulare hoc illi caput dabimus post Græcos antiquiores, eoque id libentius faciemus, quod in ejus enucleandis verbis, ac sententiis, summam cogemur conficere superiorum testimoniorum, eorumque pondus, ac robur expendere.

Duo potissimum argumenta sunt[2], quæ ex Damasceno petuntur. Unum est « quod liberum arbitrium nihil aliud esse docet, quam voluntatem; ita ut eodem modo, quo Augustinus passim, liberum arbitrium voluntatis, et voluntatem, idem omnino existimare videatur. » Item hominem docet « hoc ipso esse liberum, quo rationalis est; quia videlicet ex

ἔθηκα πρὸ προσώπου σου τὴν ζωὴν, καὶ τὸν θάνατον, τὸ ἀγαθὸν, καὶ τὸ κακὸν, δύο φύσεις ἀντικειμένας ἀλλήλοις. ἀντιστάθμησον αὐτὰς ἐπὶ τοῦ οἰκείου σεαυτοῦ κριτηρίου· ζυγοστάτησον ἀκριβῶς τί σοι λυσιτελέστερον, τὴν πρόσκαιρον ἐλέσθαι ἡδονὴν, καὶ δι' αὐτῆς τὸν αἰώνιον λαβεῖν θάνατον, ἢ τὴν ἐν τῇ ἀσκήσει τῆς ἀρετῆς ἑλόμενον κακοπάθειαν, ταύτῃ προξένῳ χρήσασθαι τῆς αἰωνίου ζωῆς.

a Ibid. Οὐκ ἔστι σοι εἰπεῖν ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς κρίσεως· οὐκ ᾔδειν τὸ ἀγαθόν. προσφέρεταί σοι τὰ ἴδια σου ζυγὰ ἱκανὴν παρεχόμενα διάκρισιν ἀγαθοῦ, καὶ κακοῦ. τὰ μὲν γὰρ τοῦ σώματος βάρη ταῖς ἐπὶ τῆς τρυτάνης ῥοπαῖς δοκιμάζομεν. τὰ δὲ τοῦ βίου ἐκλεκτὰ τῷ αὐτεξουσίῳ τῆς ψυχῆς διακρίνομεν. ὃ καὶ ζυγὸν ὠνόμασεν, διὰ τὸ ἴσην δύνασθαι λαμβάνειν τὴν ῥοπὴν ἑφ' ἑκάτερα.

b Maxim. cent. III *de Charit.* cap. XCI. Ὁ νοῦς ἡμῶν μέσος ἐστὶ δύο τινῶν, ἑκάστου τὰ ἴδια ἐνεργοῦντος· τοῦ μὲν τὴν ἀρετήν· τοῦ δὲ τὴν κακίαν. τουτέστιν ἀγγέλου, καὶ δαίμονος. ἐξουσίαν δὲ ἔχει ὁ νοῦς καὶ δύναμιν ὃ θέλει, εἴτε ἔπεσθαι, εἴτε ἀντιστῆναι. Vide caput XCII.

c Idem cent. IV, cap. XIII. Τὸ δὲ ἀγαθὰ ταῦτα εἶναι, ἢ φαῦλα, ἐν τῷ θελήματι τῶν γεγονότων ὑπάρχει.

1 Lib. *de Spir. sanct.* c. VI.— 2 Tom. III, lib. VI, cap. XV.

hoc ipso, quo utitur consideratione rationali, non sensitiva, necesse est, voluntatis motum consequentem esse liberum. » Quare singulas actiones, quibus prælucet ratio, liberas esse putant, ex Damasceno esse consequens.

II. Verum stupenda est in tractandis et intentandis Damasceni locis illis cæcitas hominum imperitissimorum; quos affirmare ausim numquam Damascenum data opera legisse, sed cursim tantummodo ac subsultim; et ut quæque vox eorum præjudicatæ et anticipatæ opinioni blandiri videbatur, eam raptim ac properando sublegisse; nec quæ illis erant connexa, vel aliis in locis posita, curasse. Nos, qui Damascenum sedulo plus semel attenteque legimus, scimus illum ab nupero isto commento longissime recedere, idque gravissimis, ac disertissimis jugulare decretis; quorum pleraque superioribus in libris adduximus[1]. Ea si quis relegat, novorum Dogmatistarum os ac frontem satis admirari non poterit. Hic igitur illa loca denuo non adscribam, sed eorum vim accommodabo ad præsens institutum; et pauca fortasse, quæ illic omissa sunt, referam.

Ex his unus est ex capite LXVI vel capite XIV libri tertii, ut Latini numerant; ubi de duplici contra Monothelitas voluntate disputat: « Si ad imaginem, ait, beatæ, et supersubstantialis divinitatis homo factus est, liberi autem est arbitrii; et voluntate prædita natura divina; igitur homo, tanquam ipsius imago, liberi arbitrii est natura sua. Liberum enim arbitrium esse voluntatem, definitum est a Patribus[a]. » Porro « naturalem hanc voluntatem paulo post ait non esse necessitate aliqua constrictam, sed juris sui, et arbitrii[b]. » Ubi necessitatem pro *coactione* accipi probant ex eo, quod sequitur, sive divinam, sive creatam naturam intelligentem *nihil coactum habere*. Quare ex hoc loco concludunt, « voluntatem in sua generalitate sumptam liberum arbitrium esse[c].

Proponuntur et examinantur loca quibus abutuntur adversarii.

III. Atqui mire obtusum istud est argumentandi genus. Quis enim nescit, liberum arbitrium naturalem hominis esse facultatem, ac voluntatem ipsam? Sed nimirum hujus ipsius voluntatis multiplex actio est: una necessaria, quæ voluntas, vel *volitio* absolute dicitur: alia est electio, quæ est propria facultatis illius, non ut voluntas est, sed ut est liberum arbitrium. Quod ab sanc. Thoma traditum est in *Summa Theologiæ*[2]; qui et alibi duo in volendi potentia inesse dicit[3]: alterum, quod est natura: alterum, quod voluntas est. Vide caput nostrum tertium libri primi hujus operis; ubi sanc. Thomæ sententias plenius exposuimus. Inest igitur in voluntate hominis tanquam commune quiddam, et, ut loquuntur, *genericum*, quod est naturalis appetitio intellecti boni; sive necessario, ac sine potestate alterius expetitur, sive ex pluribus libere est electum. Est et aliud proprium, quod *specificum* vocant, appetitio boni cum electione ex antegressa deliberatione, in quo præcipue liberum arbitrium consistit. Hæc omnia tum Nemesius Christianus et antiquus philosophus, tum Joannes Damascenus, aliique docent ex Aristotelis sententia, ut in capite IV libri illius ostendimus.

Ibi Damascenus ὄρεξιν, id est *appetitionem*, ac θέλησιν, et βούλησιν distinguit a προαιρέσει, quæ est *electio* ex consultatione orta, cum ex duobus unum anteponimus alteri. *Volitio*

IV. Idem et alio in libro, qui est de duabus Christi voluntatibus, θέλησιν, quam *volitionem* interpretari possis, naturale aliquid esse vult; at vero hoc vel illo modo velle, est γνωμικὸν, hoc est *arbitrii nostri*. Chrysostomus γνώμην idem esse docet ac προαίρεσιν. « In quo, inquit, natura cum libera voluntate pugnat; sed γνώμη, id est libera voluntas, contra naturam coronatur[d]. » Vide omnino, quæ copiosius ibi ex Damasceno, aliisque Patribus exposita sunt; miraberis, tam temere de Damasceni opinione pronuntiare ausos esse novi commenti vindices; ac, quæ dicerent, et de quibus affirmarent, adeo nescisse. *Liberu luntas electio*

Cæterum adversus Monothelitas ille disputans, qui humanam in Christo voluntatem abnegabant, merito contendit naturalem esse

a Damasc. Εἰ κατ' εἰκόνα τῆς μακαρίας, καὶ ὑπερουσίου θεότητος ὁ ἄνθρωπος γεγένηται, αὐτεξούσιος δὲ φύσει, καὶ θελητικὴ ἡ θεία φύσις· ἄρα καὶ ὁ ἄνθρωπος, ὡς αὐτῆς εἰκὼν, αὐτεξούσιος φύσει, καὶ θελητικὸς, τὸ γὰρ αὐτεξούσιον θέλησιν ὡρίσαντο οἱ πατέρες.

b Ibid. Φυσικὸν δὲ τὸ θέλημα, λέγοντες, οὐχ ἡναγκασμένον τοῦτο φαμὲν, ἀλλ' αὐτεξούσιον.

c Ibid. Οὐ μόνον γὰρ ἡ θεία, καὶ ἄκτιστος φύσις οὐδὲν ἠναγκασμένον ἔχει, ἀλλ' οὐδὲ ἡ νοερὰ, καὶ κτιστὴ.

d Chrys. hom. x. Ἐν ᾧ φύσις μὲν καὶ προαίρεσις μάχεται, στεφανοῦται δὲ γνώμη κατὰ φύσεως.

1 Tom. I, lib. V, cap. II, n. 4 et lib. I hujus operis cap. IV.— 2 In I, par. q. LXXXIII, a. 3 et 4.— 3 u. XXII *de vol. Dei*.

homini liberi arbitrii facultatem. Quod isti perperam sic accipiunt, ut etiam necessario agentem voluntatem ex arbitrio libero velle censeant. Cui Damascenus apertissime contradicit, dum τὸ αὐτεξούσιον id est *arbitrium liberum*, circa illa versari dicit, quæ sunt ἐφ' ἡμῖν, id est in « nostra potestate sita ; cujusmodi sunt quæ et asciscere ipsa possumus, et eorum contraria[a] ; » tum circa illa[1], quæ contingentia sunt, et de quibus consultare possumus. Hæc autem necessitati simplici repugnant ; quæ fusius ex eodem Damasceno, ac Nemesio, aliisque in quarto illo capite tradidimus.

V. Sed vide *stuporem* et ἀλογίαν incredibilem. Damascenum asserunt velle, « motus humanos hoc ipso, quo rationales sunt, esse liberos, et a brutorum actionibus distingui ; » quo nihil est falsius. Verum qui tandem istud probant ? « Nam cum docuisset, bruta sola naturali appetitione, et impetu duci, et propterea eorum appetitionem non posse vocari voluntatem, neque naturalem videlicet, quam ipse ibidem docet esse finis, neque deliberantem, quæ est mediorum ; rationem adjicit : Voluntas siquidem est rationalis[2], et naturalis, atque a libera potestate manans appetitio. At in hominibus, utpote ratione præditis, naturalis appetitio non tam ducit, quam ducitur. Mera enim, ac libera potestate, et cum ratione movetur, quod videlicet vitales, et in cognitione sitæ facultates in homine conjunctæ sint ; ac proinde libera potestate appetit, vult, quærit, considerat, deliberat, judicat, afficitur, eligit, ad agendum fertur. » Ibi aperte Damascenum testari asserit, « omnes omnino motus hominis, qua rationalis, a primo appetitu finis, usque ad executionem mediorum esse liberos ; idque ideo, quia potestas appetitiva, et cognitiva rationalis junctæ sunt. »

Verum Damascenus de iis voluntatis actionibus loquitur, quæ humanæ proprie dicuntur, hoc est quæ liberæ sint, ac τῶν ἐφ' ἡμῖν, sive *circa ea, quæ juris sunt nostri* ac potestatis, quæque non solum præeunte ratione fiunt, sed sic etiam amplectente voluntate, ut posset dissentire, si vellet. Cujusmodi actio naturalis est, et ab natura proficiscitur, quatenus liberum arbitrium natura insitum est homini, eique tam est naturale velle libere, et eligere, quam vivere, sentire, ambulare. Quanquam *naturale* sic interdum sumitur, ut oppositum sit *libero*, cum id significat, quod non est *contingens*, sed determinatum, ac necessarium. Hoc modo Græci Patres, qui de Christi voluntate duplici contra Monothelitas disserunt, aiunt velle simpliciter esse φυσικὸν, id est *naturale* homini, velle autem hoc vel illo modo, esse γνωμικὸν, puta bene, aut male aliquid velle ; id enim ex electione pendet, quæ non necessario definita est ad unum aliquid sequendum. *Consilii.*

VI. Ut autem melius Joannis Damasceni mens a nobis percipi possit, diligenter illa revocanda sunt in memoriam, quæ in libro quinto *de Deo, Deique proprietatibus*, capite primo, de voluntate ac libero arbitrio diximus, iisdem hausta de fontibus, unde Nemesius christianorum philosophorum disertissimus, et ex Nemesio verbis totidem Damascenus transtulit, ex eoque postremo sanc. Thomas. Nimirum voluntatis actionem alteram circa finem esse : alteram circa ea, quæ ad finem conducunt et *media* vocantur ; illam βούλησιν nominari, hanc προαίρεσιν. Βούλησις, quæ eadem et θέλησις dici potest, (quamquam nonnullam inter hæc ambo differentiam indicare videtur Joannes Damascenus[3], quæ ad hoc redigi potest, ut θέλησις, vel θέλημα sit naturalis ipsa voluntatis facultas. βούλησις autem facultatis ipsa motio, et actio) ergo illa, quæ βούλησις dicitur, tam in iis versatur, quæ in nostra potestate consistunt, quam quæ extra eam sunt, hoc est tam possibilium quam impossibilium ; ut si regnare velit quispiam, quod non potest assequi, aut si immortalis esse velit ; at προαίρεσις, quæ est *electio*, nonnisi ea spectat, quæ in nostra sunt potestate. Cæterum eadem illa actio voluntatis, quæ est βούλησις, et in finem ferri dicitur, quatenus varie consideratur, et βούλησις est, et προαίρεσις. De hac loquor, quæ et libera est, atque αὐτεξούσιος, de qua Damascenum intelligendum esse docui. *Volitionem. electionem.* *Volitio.* *Et volitio et electio.* *Sui juris.*

Etenim, ut in eodem loco quinti libri demonstravimus, nullum hac in vita bonum est, nec ullus tam excellens finis voluntati proponitur, qui perspicue ac cujusmodi in se est, cognitus, necessario eam alliciat, ac deliberationem omnem absorbeat. Quare quemcumque tandem appetimus finem, ut ad eum obtinen-

a Damasc. *in Isag. dogm.* cap. x. Ἄ τινα ἐφ' ἡμῖν εἰσιν· ἅ καὶ αὐτὰ δυνάμεθα, καὶ τὰ ἀντικείμενα αὐτοῖς.

1 Damasc. lib. II, cap. xxii.— 2 Damasc. lib. II, cap. xxii.— 3 Lib. II, cap. xxii.

dum consilia nostra, et quæ vocantur media, dirigamus, illum ipsum eligimus antea, et cum aliis comparatum iis ipsis anteponimus, ne Deo quidem excepto, quod omnium bonorum longe maximum est, maximeque expetendum. Ergo eadem voluntatis motio, qua Deum volumus, quatenus libera est, et ex antecedenti deliberatione, ac judicio nascitur, electio est; ut autem, constituto jam a nobis hoc fine, idonea comparando ei præsidia, quæ vocantur media, quærimus, quod nonnisi electione altera fit, βούλησις proprie nominatur.

Falsa collectio.

Ex quo manifesta est ἀσυλλογιστία novæ factionis, quæ ex eo, quod appetitionem finis Damascenus βούλησιν, id est *volitionem* appellat, eamque *naturalem*, ac *vitalem*, et *rationalem*, ac nihilominus αὐτεξούσιον, id est *liberam* vocat, effici putat, omnem voluntatis motionem « a primo appetitu finis, usque ad executionem mediorum, esse liberam. »

VII. Sequitur argumentationis genus secundum longe etiam imbecillius, absurdiusque altero. Quoniam inquiunt, « liberum eo modo definit esse id; quod est in nostra potestate, sicut hoc Augustinus solemniter docuit. » Id autem « in nostra esse potestate sentit, quod ultro, et sponte fit, scilicet voluntate, atque ratione. » Hoc igitur, quod sponte tantummodo facimus, sine deliberatione, et electione, id pro libero censeri ab Damasceno asserunt, et in nostra esse potestate. Quanquam « ab hoc genere liberi statim distinguit aliud genus liberi, quod magis proprie tale vocari solet, de quo scilicet deliberamus. »

Præterea illud ipsum, inquiunt, spontaneum opponit coacto, et invito; nec minus liberum eidem opponit coacto, ut appareat, prorsus Damascenum libertati, non putasse contrariam esse necessitatem simplicem, sed tantum coactionem.

Sed mirum est, talibus argumentis, existimare illos suum posse dogma probari, quibus vel præcipue falsitatis arguitur. Nec enim alia re ad eos retundendos opus est, quam ipsorummet oratione, ac verbis quæ pro se citant, Joannis Damasceni. Dixi jam sæpius, hunc e Nemesio omnia fere, quæ de libero scripsit arbitrio, transtulisse, iisdemque verbis: Nemesium porro itidem ex Aristotele sumpsisse. Hinc ergo constabit, quam absurde et imperite testimonio illo sint usi, quod eorum damnat opinionem, et fœdissimæ contradictionis nexibus implicatos illos tenet.

VIII. Scribit Joannes Damascenus, id quod adversarii proferunt, « Eorum quæ fiunt, quædam in nobis sita esse, quædam non esse. In nobis sita illa sunt, quorum liberam habemus potestatem, ut aut ea faciamus, aut non faciamus; hoc est omnia quæ sponte a nobis aguntur. Non enim sponte agi dicerentur, nisi actio in nostra foret potestate [a]. » Hinc illi, quos contra disputamus, affirmant, quidquid sponte agimus, id etiam libere nos agere. Sed frustra sunt; nam τὸ ἑκούσιον, sive *spontaneum*, aut universe, et, ut sic dicam, *generice* sumitur, quomodo parvulis etiam inesse dicitur, aut particulari notione, quatenus idem est, ac προαιρετὸν; cui tamen addit aliquid. Non enim omnia, quæ ex electione, ac libere facimus, ἑκούσια, et spontanea proprie vocantur. Ut qui in tempestate merces in mare projicit, *invitus* hoc facit, hoc est ἀκουσίως, non ἑκουσίως, id est *sponte*, et tamen *libere*, atque προαιρετῶς. Quanquam Nemesius ea simpliciter ἑκουσίως censet fieri [1], quoniam contribuentibus aliquid fiunt, Aristotelem secutus, qui in tertio *Nicomacheorum Moralium* idipsum docet [2]. Nihilominus τὸ ἑκούσιον nonnihil distat ab electione; siquidem eadem voluntatis actio, qua est appetitio ex ratione orta, et libera, sive αὐτεξούσιος, *spontanea* vocatur; ut autem ad deliberationem refertur, ac judicium, quo, altero repudiato, alterum amplectimus, προαίρεσις. Sane auctor epistolæ *ad Demetriadem*, qui Pelagius putatur, spontaneum hoc sensu accipit, cum rationem affert, cur Deus boni, ac mali potestatem homini fecit: Neque enim aliter, inquit, spontaneum habere poterat bonum, nisi æque etiam malum habere potuisset. »

Liberu

IX. De hujusmodi ἑκουσίῳ, quod necessitate nulla constrictum est, perspicuum est, loqui Damascenum; cum ita definit; ut sit id, quod in nostra potestate est, ut facere possimus, aut non facere. Hoc enim libertatem indicat, quæ ex oppositis, quod libitum est amplectitur, non determinantem, et uni affigentem

Sponta

a Damasc. lib. II, cap. xxvi. Τῶν γινομένων τὰ μὲν εἰσιν ἐφ' ἡμῖν, τὰ δὲ οὐκ ἐφ' ἡμῖν. ἐφ' ἡμῖν μὲν οὖν εἴσιν, ὧν ἡμεῖς ἐσμεν αὐτεξούσιοι ποιεῖν τε, καὶ μὴ ποιεῖν, τουτέστι πάντα τὰ δι' ἡμῶν ἑκουσίως πραττόμενα. οὐ γὰρ ἑκουσίως ἐλέγετο πράττεσθαι, τῆς πράξεως οὐκ οὔσης ἐφ' ἡμῖν.

1 Cap. x.—2 Cap. 1 et seq.

necessitatem; quæ potestatem aufert faciendi, vel non faciendi, eo quod unum tantummodo amborum integrum relinquit. Sic etiam cum addit, τὸ ἑκούσιον illud, de quo loquitur, ejusmodi esse, ex quo laus, aut vituperatio sequitur. Nemo enim laudem ob id meretur, quod non potuit non facere, sed quod et sponte, et non necessario fecit. Hinc Nemesius capite XL « principium peccati, ac recte justeque facti electionem esse » scribit[a]. Et in capite XXXIX idipsum, quod Damascenus verbatim describsit, asserit, τὸ ἐφ' ἡμῖν, et τὸ αὐτεξούσιον, ac προαίρεσιν circa necessaria, et ad unum determinata minime versari, sed circa contingentia, quæ utrovis modo possunt evenire, et de quibus habetur consultatio.

Quod ex nobis, quod sui juris, ac electionem.

Basilius in homilia *ad Psalmum* XXXIII τὸ ἑκούσιον et τὸ προαιρετὸν pro eodem accipit. Nam primum ait, « non omnem paupertatem esse laudabilem, sed eam, quæ secundum consilium Evangelicum ex electione suscipitur, » etc. Tum ita scribit: « Non qui inopes fortunarum sunt, sed qui inopiam elegerunt ex animi destinatione. Nihil enim eorum, quæ citra electionem fiunt, beatum haberi debet. Quoniam virtus omnis voluntario maxime, ceu propria nota, constituitur[b]. » Sic etiam Gregorius Nyssenus libro *de Fato*[1], ἑκόντα, et ἐκ προαιρέσεως aliquid facere, pro eodem accipit.

Itaque frivola est novi dogmatistæ ratio, qui duo quædam *liberi*, et *libertatis* genera Damascenum distinxisse putat: unum, quod est simpliciter ἑκούσιον, id est spontaneum, secundum quod in potestate nostra habemus ea, quæ facimus, si volumus, etiamsi nulla deliberatio præcesserit, ac ne aliter quidem facere potuerimus, quia necessario fecimus: alterum « liberi genus, quod magis proprie tale vocari solet, de quo scilicet deliberamus, » describere Damascenum arbitratur, eodem illo capite XXVI libri secundi, quando, post explicatum prius liberi genus, quod est *spontaneum*, quod in iis consistere docuit, « quibus vituperatio, vel laus convenit, et circa quæ hortatio, vel lex versari solet[c], » mox ista pertexit: « Proprie vero in nostra potestate consistunt ea omnia, quæ ad animam spectant, et de quibus consultamus. Consilium vero est eorum, quæ ex æquo contingunt. Contingit autem ex æquo id, quod tam ipsum possumus, quam huic oppositum[d]. » Quæ posteriora non ad liberum omne pertinere putat: sed ad unum genus, quod videlicet sic adversus illos defendimus, ut nullum aliud esse dicamus, quando sic voluntas « uni alicui consentit, ut, si vellet, dissentire posset, » ut Tridentini Patres loquuntur; adeoque non necessario consentit, neque uno illo, quod amplectitur, ejus est circumscripta potestas.

X. Hinc vero illud elucescit, quod identidem repetere me cogit indignitas rei: novos istos theologos, qui sic de Patrum sententiis ac testimoniis disputant, non illos penitus introspexisse, neque continua et attenta lectione mentem eorum altius perscrutari studuisse, sed tumultuarie, et insubide volutasse, dum in id unum intendunt animum, ut quæ præjudicatæ jam opinioni utcumque blandiri videntur, ac specie ipsa verborum congruere, undecumque colligant, et in numerum inferciant; quod in illo Damasceni loco perspicue convincitur. Nego igitur, duo istic libertatis genera contineri, sed unum idemque, quod iis vocibus explicatur, quæ ἐκ παραλλήλου eadem notione ponuntur: « Quod in nobis situm est, vel in nostra potestate versatur electio, liberum arbitrium; quod vituperatio, vel laus sequitur; circa quod hortatio, lexve consistit; de quo consultamus, aut consilium capimus; in quo virtutis aut vitii opera posita sunt[e], » et hujus generis alia, quæ in sequentibus perstringemus. His, inquam, appellationibus una eademque libertatis, et arbitrii liberi forma comprehenditur, cujus natura, et essentia in eo constituitur, ut ex pluribus, quæ in potestate sua ita continet, ut, quod libitum

Parallela.

a Nemes. Ἀρχὴ γὰρ ἁμαρτίας, καὶ δικαιοπραγίας ἡ προαίρεσις.

b Basil. Οὐκ ἀεὶ ἐπαινετὴ ἡ πτωχεία, ἀλλ' ἡ ἐκ προαιρέσεως κατὰ τὸν εὐαγγελικὸν σκοπὸν κατορθουμένη, etc. Οὐχ οἱ πένητες κατὰ τὴν περιουσίαν, ἀλλ' οἱ τὴν πτωχείαν ἐκ ψυχῆς προελόμενοι. οὐδὲν γὰρ τῶν ἀπροαιρέτων μακαριστόν· διότι πᾶσα ἀρετὴ μάλιστα δὴ πάντων τῷ ἑκουσίῳ χαρακτηρίζεται.

c Damasc. Καὶ ἁπλῶς οἷς ἔπεται ψόγος, ἢ ἔπαινος, καὶ ἐφ' οἷς ἐστι προτροπὴ, καὶ νόμος.

d Ibid. Κυρίως δὲ ἐφ' ἡμῖν ἐστι τὰ ψυχικὰ πάντα, καὶ περὶ ὧν βουλευόμεθα· ἡ δὲ βουλὴ τῶν ἐπίσης ἐνδεχομένων ἐστίν· ἐπίσης δὲ ἐνδεχόμενόν ἐστιν, ὃ αὐτό τε δυνάμεθα, καὶ τὸ ἀντικείμενον αὐτῷ.

e Apud Damasc. et Nemes. Τὸ ἐφ' ἡμῖν, τὸ ἑκούσιον, προαίρεσις, αὐτεξούσιον, ᾧ ἕπεται ψόγος, ἢ ἔπαινος, ἐφ' ᾧ ἐστι προτροπὴ, καὶ νόμος περὶ οὗ βουλευόμεθα, ἐν οἷς ἐστι τὰ τῆς ἀρετῆς καὶ τὰ τῆς κακίας ἔργα.

est, eligere possit, unum anteponat cæteris. Quod ex Damasceni illo ipso loco patet, ac reliquis Græcis, Latinisque theologis. Quod enim ad Damascenum spectat, si ejus totam illam disputationem attente consideres, et cum iis, quæ citatum ab illis locum antecedunt, consequentia componas, quod isti nunquam fecerunt; vera esse quæ dixi statim intelliges.

XI. De libero arbitrio, quod τὸ ἐφ' ἡμῖν, et αὐτεξούσιον nominat, agit Joannes Damascenus capitibus quatuor libri secundi[1], orsus a XXV. In iis autem omnia propemodum ex Nemesio, et iisdem verbis majori ex parte descripsit. Igitur Nemesius capite XXXIX, ex eoque Damascenus capite XXV, *de libero arbitrio*, sive *de eo quod in nobis situm est*, acturos se esse pronuntiant, ac triplicem de eo quæstionem constituunt: prima, an sit aliquid situm in nostra potestate: secunda, quænam illa sint quæ sunt in nobis posita, et quorum habemus potestatem: tertia, quanam de causa Deus nos liberi arbitrii condiderit[a]. Itaque synonyma sunt ista, τὸ ἐφ' ἡμῖν, τὸ αὐτεξούσιον, et ἐξουσίαν ἔχειν; quæ, cujusmodi sint, subinde declarant. Nam ut probent esse aliqua in nostra sita potestate, quæcumque fiunt, ad sex omnino causas revocari posse dicunt, Deum, necessitatem, fatum, naturam, fortunam, casum. De iis singillatim disserunt, et ad nullam earum referri posse demonstrant, quæ homines agunt. Non est necesse illorum omnia persequi. Quare hoc unum commemorabo, quod ad propositum nostrum attinet, quod de necessitate scripserunt. Huic igitur adscribi illa posse, quæ libera hominum voluntate geruntur, negant propterea quod « ad necessitatem motio illa tantummodo spectat, quæ eodem modo semper habet[b]. » Ex quo etiam et « fatum excludunt, quod necessitate continentur omnia, quæ fato fiunt. » Porro cujusmodi necessitatem intelligant, ibidem explicant, nempe cui τὸ ἐνδεχόμενον opponitur, id est *contingens*. Hæc autem necessitas non est *violentia*, vel *coactio*, sed ea, quæ *simplex* dicitur. Nam coactioni non opponitur *contingens*, sed *spontaneum*; contingenti vero, hoc est ei, quod fieri, vel non fieri potest, respondet id, quod necessitate simplici fixum, ac determinatum est.

XII. Quocirca τὸ ἐνδεχόμενον proprium est liberi arbitrii, sive τοῦ ἐφ' ἡμῖν, quod et αὐτεξούσιον ibidem ambo vocant, idipsumque sic explicant: cujus actionis principium est in nobis, eam esse liberam, et ejusmodi, de qua consultamus. « Nam, si nullius actionis homo principium est, supervacanea est illi consultatio. Quorsum enim utetur consilio, si nullius actionis dominus est? Etenim consilium omne propter actionem suscipitur[c]. » Definitur autem πρᾶξις ab utroque, ut sit *efficientia rationalis*; ex qua sequi ait *laudem*, *aut vituperationem*[d]. Quod quidem non de omni *actione rationali* intelligi volunt, sed de ea sola, quæ est in potestate nostra, qualem paulo ante descripsi, de qua scilicet consultatio fit, et quæ est contingens, non necessitate aliqua definita, ac denique circa quam ἡ προαίρεσις, id est *electio* consistit, et quæ hanc antecedere debet, *consultatio*, ut ibidem asserunt illi. « Multa enim sponte fieri dicunt, non tamen ex electione, ut sunt quæ subito ex ira facimus, sine ulla deliberatione; vel cum amicus repente nobis occurrit, id quidem spontaneum nobis est, sed non ex electione nostra[e]. »

Ut igitur, cum ex rationali actione oriri laudem aut vituperationem asserunt, non universe loquuntur de quavis actione, cujus fons est ratio, sed de ea sola, quam tot notis, ac descriptionibus designant; sic etiam, cum τῷ ἑκουσίῳ subnectunt laudem ac vituperationem, ejusmodi spontaneum indicant, quod a προαιρέσει et βουλῇ, hoc est *electione*, et *consilio* non sejungitur. Nimirum quod et eorum ex genere est, quæ dicuntur ἐφ' ἡμῖν, id est « in

a Nemes. et Damasc. Ὁ περὶ τοῦ αὐτεξουσίου λόγος, τουτέστι τοῦ ἐφ' ἡμῖν, πρώτην μὲν ἔχει ζήτησιν, εἰ ἔστι τι ἐφ' ἡμῖν.

b Ibid. Τῆς δὲ ἀνάγκης τῶν ἀεὶ ὡσαύτως ἐχόντων ἡ κίνησις. τῆς δὲ εἱμαρμένης τὸ ἐξ ἀνάγκης τὰ δι' αὐτῆς ἐπιτελεῖσθαι.

c Ibid. Λείπεται δὴ αὐτὸν τὸν πράττοντα, καὶ ποιοῦντα ἄνθρωπον, ἀρχὴν εἶναι τῶν ἰδίων ἔργων, καὶ αὐτεξούσιον. ἔτι εἰ μηδεμιᾶς ἐστιν ἀρχὴ πράξεως ὁ ἄνθρωπος, περιττῶς ἔχει τὸ βουλεύεσθαι. εἰς τί γὰρ χρήσεται τῇ βουλῇ, μηδεμιᾶς ὢν κύριος πράξεως; πᾶσα γὰρ βουλὴ πράξεως ἕνεκα.

d Nemes. cap. XXIX, Dam. lib. II, cap. XXIV. Πρᾶξίς ἐστιν ἐνέργεια λογική. ταῖς δὲ πράξεσιν ἔπαινος, ἢ ψόγος ἕπεται.

e Damasc. ibid. cap. XXIV. Ὅσα διὰ θυμὸν πράττομεν, μὴ προβουλευσάμενοι ἑκουσίως ποιοῦμεν, οὐ μὴν κατὰ προαίρεσιν. καὶ ὁ φίλος αἰφνιδίως ἐπέστη. ἑκουσίως μὲν ἡμῖν, οὐ μὴν καὶ προαιρουμένοις.

1 In cap. XLII, XLIII, XLIV, XLV *Græco-Lat. vero* cap. XXV, XXVI, XXVII, XXVIII.

nobis sita, et quæ libero arbitrio facere possumus, aut non facere, » vel de quibus cohortationes, aut leges proponuntur[a]. Nihil autem apud eum, qui, quod dicit, intelligit, aliud ejusmodi est, nisi quod sic agere volumus, ut possemus nolle, vel certe non velle, id est a volendo desistere. Cum enim necessario quippiam facimus ita, ut aliter nequeamus facere, sed ad id unum circumscripta est voluntas, et facultas nostra; frustra cohortationes, aut leges eo conferuntur.

XIII. Subjicit iis Damascenus ex Nemesio illa ipsa, quæ paulo ante descripsi[1]: « Proprie autem in nostra potestate consistit[b], » etc. Ubi particula δὲ, quasi *adversativa*, sic ab adversariis arripitur, tanquam alteram *liberi* speciem ostendat, quæ proprie, ac stricte magis accipitur, ut sit prima libertas ea, quæ eadem est cum spontaneo, posterior, quæ est προαίρεσις. Verum Nemesius non δὲ, sed δὴ scripsit, *Proprie quidem*, vel *Proprie igitur*, vel denique *Proinde proprie*, ut sit illatio, et conclusio ducta ex antecedentibus. Nam quia τὰ ἐφ' ἡμῖν talia esse dixerat, ὧν ἐσμεν αὐτεξούσιοι, hoc est, *quæ in libera nostra potestate sita sunt, ut ea faciamus, aut non faciamus*; ex iis colligit, ejusmodi esse illa, « quæ ad animam pertinent, et de quibus consultamus, quæque ex æquo contingunt, id est quæ et ipsa possumus, et eorum contraria, » ac reliqua, quæ toto illo capite disputat. Quæ aperte, citraque dubium ostendunt, sola ista dici libera, in quæ ista cadunt omnia. Et quod dixit, omnia, quæ sponte agimus, libera esse, non laxe, infiniteque intelligi debere, quasi idem sit omnino spontaneum, quod liberum; sed iis conditionibus, quæ sunt appositæ, restringendum esse spontanei vocabulum. Sicut cum ibidem ait, *proprie in nostra potestate sita esse* τὰ ψυχικὰ πάντα, id est *universa, quæ ad animam pertinent*, nemo ita sit contentiosus, ut animæ vegetantis, sentientisque functiones libero arbitrio subjiciat. Sed nimirum ex adjunctis apparet, τὰ ψυχικὰ arctius usurpari de iis solis, quæ ad rationalem animam pertinent; eamque humano more, modoque, ut vulgo dicunt, operantem. Eadem ergo cautione πᾶν τὸ ἑκουσίως πραττόμενον, *omne id, quod sponte fit*, libere fieri dixit, hoc est, quod ἐκ προαιρέσεως agitur; videlicet *ex electione*, ac deliberatione, sive consilio, sine quibus nullus est in homine usus arbitrii liberi.

Electione.

XIV. Quæ autem ex eodem Joanne Damasceno de coacto et violento ab adversariis intentantur, quod libertati solam opponit violentiam, non necessitatem, vel determinationem ad unum; primum falso id illi prædicant, cum simplicem[2], determinantemque necessitatem contingenti ex adverso Damascenus objiciat, sine quo nihil esse liberum existimat. Deinde illa ipsa coactio quemadmodum cum libertate contendi debeat, pluribus antea disseruimus; ex quibus constat, sive externam illam constituamus, non eam libero arbitrio repugnare, cum nihilominus integra maneat hominis libertas; sive interiorem, et illatam voluntati ipsi vim intelligamus, non magis cum humana voluntate, quam cum omni appetitione confligere, nec inferri talem omnino, ne a Deo quidem posse. At vero Damascenum, ac cæteros Patres, qui necessitate liberum arbitrium eripi asserunt, de ea loqui necessitate, quæ in eodem, ut loquuntur, subjecto inesse potest, in quo libera est actio, hoc est in voluntate, quam interius afficit. Proinde nonnisi de necessitate simplici ac determinante, hoc est deliberationem omnem et consilium, adeoque electionem perimente, illos interpretari queas. Nihil enim horum funditus tollit externa vis et coactio; quanquam usum liberæ voluntatis eatenus constringit, et impedit, quod invitam eo, quo nollet, ac reluctantem trahit, ita tamen, ut libere hoc ipsum eligat, cum, si vellet, posset non eligere, ac prementi, urgentique violentiæ resistere, quod innumera sanctorum martyrum exempla testantur. Hæc nos passim in antecedentibus capitibus exposuimus, quæ si animo repetas, cassa, et inania esse deprehendes illa omnia, quæ de vi, et coactione ex Damasceno proferunt.

Damasceni sententia de arbitrii libertate plenius edisseritur.

XV. Cujus quidem imprimis illa consideranda sunt, quæ post superiora ista pertexuit, quorum se adversarii patrocinio tuentur. Hinc enim falsos eos esse constabit; nec aliam libertatis formam, quam quæ a nobis est defensa, Damascenum agnoscere. Hic igitur in capite XXVI libri ejusdem secundi, quod ex Nemesii quadragesimo primo verbatim transtulit, liberi arbitrii causam, et originem in-

a Dam. cap. XXVI. Ἐφ' ἡμῖν μὲν οὖν εἶσιν ὧν ἡμεῖς ἔσμεν αὐτεξούσιοι ποιεῖν τε καὶ μὴ ποιεῖν.

b Dam. cap. XXVI. Κυρίως δὲ ἐφ' ἡμῖν ἐστι. At Nemes. cap. XX. Κυρίως δή.

1 Num. 9.— 2 Damasc. lib. II, cap. XXVI.

quirens, ratiocinatur in hunc modum. Primum ait, liberum arbitrium cum eo, quod est rationale, esse connexum; quidquid enim factum, creatumque est, id verti, mutarique posse. Sed ea, quæ sunt animæ, et rationis expertia, mutationes capere corporeas; rationalia vero secundum electionem mutari. Cujusmodi autem sit illa mutatio, quæ et ratione præditis proprie competit, et secundum electionem accidit, uterque sic explicat: « Ejus, quod rationale dicitur, vis est duplex, una contemplatrix, altera est actuosa. Contemplatrix est, quæ cujusmodi res sunt, percipit. Actuosa vero est consultatrix, quæ agendis rectam rationem præscribit. Contemplatricem porro vim mentem nominant, actuosam vero rationem; rursus contemplatricem illam vocant sapientiam, actuosam vero prudentiam. Jam quisquis consultat, eatenus consultat, quod in ipso sita est agendorum electio, ut quod consilio habito præferendum esse judicarit, eligat, electumque agat. Prorsus itaque necesse est, ut is, cui consultatio suppetit, actionum suarum dominus sit. Nisi enim actionum sit dominus, frustra consultationem habeat. Quod si verum est, necessario ei, quod ratione est præditum, inest arbitrii libertas. Nam aut rationale non erit; aut si rationale sit, suarum actionum dominium habebit, et liberi erit arbitrii[a]. »

XVI. Hic Damasceni ex Nemesio locus novam de libertate fabulam perimit, dum liberi arbitrii rationem prima ex origine repetit. Siquidem imprimis communem habere cum cæteris rebus creatis conditionem mutabilitatis hominem asserit, eo ipso, quod ex nihilo factus est; mutationem vero eidem proprie convenire illam, quæ est secundum electionem. Cum ergo mutatio, quæ supra reliquorum creatorum conditionem peculiaris est homini, non alia sit, quam quæ ex arbitrio libero competit; inde sequitur, nullum esse liberi arbitrii usum, nisi κατὰ προαίρεσιν, *secundum electionem*. Electio vero nulla esse potest, nisi ex antegressa consultatione, ac deliberatione. Hæc autem necessario postulat, ut in utrumvis propendere voluntas posset, antequam eligat. Quod ne intellgi quidem potest, si ad unum necessario determinata ante sit sic, ut alterum ei oppositum nequiverit asciscere; atque hoc est posterius liberi genus, *quod magis proprie tale vocari solet*, ut novus dogmatistes ait. Nec illud rejicit, aut esse liberum inficiatur; sed non solum esse tantummodo contendit; et qui hoc dicunt, non tam Christianos, quam Aristoteleos esse statuit, ut qui nullam sine indifferentia, vel cum necessitate, libertatem posse esse prædicant. Atqui Christiani ambo illi Patres, Nemesius, et, cujus consensu, ac testimonio gloriatur, Joannes Damascenus, nullum esse liberum arbitrium judicant, nisi posterioris istius generis, quod consilio, et electione utitur; nimirum, ut statim explicant, in quo prudentia locum habet, quæ circa contingentia versatur.

XVII. Aristoteles enim « prudentis esse dicit, posse recte consultare de iis, quæ sibi bona sunt, et conducibilia » etc. Tum, « Uno verbo, inquit, ille prudens est, qui est consultandi peritus. Nemo autem consultat de iis, quæ non possunt aliter habere, » etc. Item: « Non potest consultatio fieri de iis, quæ necessario sunt[b]. » Idem et S. Thomas de prudentia tradidit, eam versari[1] « circa contingens aliter se habere, et *universe* circa sola contingentia poni virtutem intellectus practici; circa factibilia quidem artem, circa agibilia vero prudentiam. » Quamobrem, cum electio ex consilio pendeat, consilium autem ex prudentia; apparet, liberum arbitrium in iis solis, quæ contingentia sunt, et quæ fieri, vel non fieri possunt, non autem in determinatis, ac necessariis consistere. Igitur uniusmodi

a Damasc. lib. II, cap. xxvii. Τοῦ γὰρ λογικοῦ, τὸ μέν ἐστι θεωρητικὸν, τὸ δὲ πρακτικόν. Θεωρητικὸν μὲν τὸ κατανοοῦν ὡς ἔχει τὰ ὄντα· πρακτικὸν δὲ, τὸ βουλευτικὸν, τὸ ὁρίζον τοῖς πρακτοῖς τὸν ὀρθὸν λόγον. καὶ καλοῦσι τὸ μὲν θεωρητικὸν, νοῦν· τὸ δὲ πρακτικὸν, λόγον. καὶ τὸ μὲν θεωρητικὸν σοφίαν, τὸ δὲ πρακτικὸν, φρόνησιν. πᾶς οὖν ὁ βουλευόμενος, ὡς ἐπ' αὐτῷ τῆς αἱρέσεως οὔσης τῶν πρακτῶν, βουλεύεται. ἵνα τὸ προκριθὲν ἐκ τῆς βουλῆς ἕληται, καὶ ἑλόμενος πράξῃ. Addit Nemes. Πᾶσα τοίνυν ἀνάγκη τὸν ἔχοντα τὸ βουλεύσθαι καὶ κύριον εἶναι πράξεων. εἰ γὰρ μὴ κύριος εἴη πράξεων, περιττῶς ἔχει τὸ βουλεύεσθαι. Sequitur apud ambos. Εἰ δὲ τοῦτο, ἐξ ἀνάγκης παρυφίσταται τῷ λογικῷ τὸ αὐτεξούσιον. ἢ γὰρ οὐκ ἔσται λογικόν· ἢ λογικὸν ὄν, κύριον ἔσται πραξεων, καὶ αὐτεξούσιον.

b Aristot. lib. VI *Eth.* cap. v. Δοκεῖ δὲ φρονίμου εἶναι τὸ δύνασθαι καλῶς βουλεύσασθαι περὶ τὰ αὐτῷ ἀγαθὰ, καὶ συμφέρονται, etc. Καὶ ὅλως ἄν εἴη φρόνιμος ὁ βουλευτικός. βουλεύεται δ' οὐδεὶς περὶ τῶν ἀδυνάτων ἄλλως ἔχειν, etc. Καὶ οὐκ ἐστι βουλεύσασθαι περὶ τῶν ἐξ ἀνάγκης ὄντων.

1 In I, II, qu. lvii, a. 4, ad 2 et a. 5, ad 3.

libertatis humanæ genus Damascenus agnoscit, quod αὐτεξούσιον vocat, et κύριον πραξεων, hoc est *suas actiones habens in potestate*. Est autem *actionem suarum dominus, et eas habet in potestate*, qui sic agit, ut posset non agere; quoniam ita postulat natura prudentiæ, consultationis, et electionis, ac denique mutabilitatis illius, quæ est homini propria, secundum electionem.

Hinc ibidem Damascenus « bruta liberi arbitrii non esse dicit, » non eo proxime, ac præcise, quod intelligentia carent, ac sensu duntaxat percipiunt, sed « quod ducuntur potius a natura, quam ducunt. Idcirco naturali cupiditati non resistunt, sed simul atque aliquid appetiverunt, in actionem feruntur. Homo e contrario, qui ratione præditus est, naturam potius ducit, quam ab ea ducitur. Ideo et cum aliquid appetit, potestatem habet, si velit, appetitionem reprimere, vel ei obsequi. Hinc bruta neque laudantur, neque vituperantur[a]. » Ergo eatenus liberum homo habet arbitrium, quod potest appetere, vel non appetere, hoc est eamdem actionem edere, vel retinere; ex quo laus item, aut vituperatio sequitur, non utique solo ex spontaneo, si id necessariam est, et una parte definitum.

CAPUT XIII.

Exponuntur usitatæ apud Patres quædam locutiones, quibus liberi arbitrii facultas et agendi modus exprimitur ejusmodi, ut necessitate remota, utrumvis appetere possit, ac repudiare. In nobis esse, vel in nostra potestate; dominum esse; ubi, quid dominium sit, explicatur. Tum locus ille communis apud Patres, cur non Deus nos necessitate quadam ad virtutem adstrinxerit. Alia liberi arbitrii nomina, ut ἀδέσποτον, αὐτόνομον, αὐτοκίνητον, αὐθεκούσιον, αὐτοτελές, αὐθαίρετον; *quibus omnibus libera ad utrumvis propensio designatur, ut et nomine* ῥοπῆς *et æquilibrii. De* ἐξουσίᾳ, *et* αὐτεξουσίῳ, *cui simplex adversatur necessitas. Laudem et vituperationem ex sola generis illius libertate sequi.*

I. Idem de libero arbitrio, quod Nemesii ac Damasceni fuisse monstravimus, aliorum quoque Patrum judicium est, certis vocibus ac locutionum formulis expressum, quas illorum sententiæ continent toto hoc libro descriptæ. Hujusmodi formularum hic nonnullas colligemus, easdem fere, quæ ex Damasceno, et Nemesio supra propositæ sunt; in quibus ea vis, proprietas, et natura liberi arbitrii graphice describitur, qualem hactenus informavimus, et quam novi de libertate dogmatis vindices impugnant, ut in eo sit posita libertas, quod omnibus ad agendum positis necessariis, eligere homo quippiam possit, aut respuere, agere item, aut non agere; nec ulla necessitate non modo cogatur, sed nec ita ad consentiendum impellatur, ut, si vellet, dissentire non posset; qua libertatis forma ab Tridentina synodo tradita multum ac libenter utimur.

Formulæ a Patribus usurpatæ quibus liberum arbitrium adstruitur.

Ex his locutionibus primum occurrat illa τὸ ἐφ' ἡμῖν, *quod in nobis*, ac *nostro jure et potestate situm est*. Quam cum usurpant veteres, id ejusmodi esse significant, ut in alterutram partem inclinare se voluntas nostra possit, ac facere, vel non facere. Sic Methodius apud Epiphanium[1] « arbitrii libertatem in eo con-

a Damasc. lib. II, cap. xxxii. Ὅθεν καὶ τὰ ἄλογα οὐκ εἰσὶν αὐτεξούσια. ἄγονται γὰρ μᾶλλον ὑπὸ τῆς φύσεως, ἥπερ ἄγουσι. διὸ οὐδὲ ἀντιλέγουσι τῇ φυσικῇ ὀρέξει, ἀλλ' ἅμα ὀρεχθῶσί τινος, ὡρμῶσι πρὸς τὴν πρᾶξιν. ὁ δὲ ἄνθρωπος λογικὸς ὢν ἄγει μᾶλλον τὴν φύσιν, ἥπερ ἄγεται. διὸ καὶ ὀρεγόμενος, εἴπερ ἐθέλοι, ἐξουσίαν ἔχει ἀναχαιτίσαι τὴν ὄρεξιν, ἢ ἀκολουθῆσαι αὐτῇ. ὅθεν τὰ μὲν ἄλογα οὐδὲ ἐπαινεῖται, οὐδὲ ψέγεται.

1 Apud. Epiph. Hær. lxiv. n. 49.

sistere ait, quod in nobis situm est credere, vel non credere, itemque peccare, vel recte agere; » cujus verba jam alibi descripsi[1]. Gregorius Nyssenus in libro *de Fato*, esse illud ἐφ' ἡμῖν interpretatur, « quod pro potestate, et arbitrio eligere volumus[a]. » Eusebius in libro sexto *de Præparatione*, « in nobis positum esse dicit, quod ex propriæ electionis motione fit[b]. » Et in eodem libro, capite IX ex Alexandri Peripatetici libro *de Fato* multa describit ad idem argumentum spectantia. Quo ex Alexandrii libro non pauca citavimus in V libro *de Deo*[2]; ubi illud ἐφ' ἡμῖν ex nostra sententia pulcherrime declaratur.

II. Sic Ammonius in librum *de Interpretatione*, easdem voculas exponit, asserens, « non omnia vel esse, vel fieri ex necessitate, sed quædam in nobis esse sita; quandoquidem, cum domini quarumdam simus actionum, et in nostra potestate, sit eligere, vel non eligere nonnulla, itemque agere, aut non agere, electiones, actionesque dicimus alias esse laudabiles, alias vituperatione dignas[c]. » Est igitur τὸ ἐφ' ἡμῖν, quatenus eligere, aut non eligere, agere vel non agere possumus, indidemque oritur laus, aut vituperium. Quæ sunt iis germana, quæ ex Damasceno, et Nemesio paulo ante sumpsimus.

Basilius quoque τὸ ἐφ' ἡμῖν, « principium, et radicem appellat peccati, et liberum arbitrium[d]. » Et postea, « In nobis esse dicit abstinere a malitia, vel malis esse[e]. » Chrysostomus homilia XIV *in Matthæum* hortatur nos ad pœnitentiam, antequam extrema judicii dies adveniat. « Nunc enim, inquit, totum in nobis situm est; tunc vero Judex solus sententiæ arbiter erit ac dominus[f]. » Ibi ἐφ' ἡμῖν eventum omnem judicii positum esse dicit, non alio sensu, nisi quia alterutrum nunc eligere possumus, ut aut bene nobis, aut male vertat; tunc autem ad unum aliquid divina nos sententia determinabit.

Cyrillus Alexandrinus libro IV *contra Julianum* τὸ ἐφ' ἡμῖν necessitati determinanti contrarium esse non minus clare indicat. Etenim contra impium illum disserens, qui a præsidibus geniis varios animi affectus, ac mores subjectis gentibus insinuari dicebat; ut alii bellicosi sunt, et crudeles, alii ad humanitatem propensi, tanquam virtutes et vitia naturæ, non voluntati cujusque, ac studio tribuere oporteret, sic illud oppugnat: « Et ubinam, inquit, agnosci poterit cujusque animi libertas? Non enim tam situm erit in nobis bonum vel malum facere; sed eundum erit etiam minime nolentibus, sine ulla consideratione, quocumque nos naturalis propensionis lex rapuerit. Est autem difficile, imo impossibile repugnare naturæ. Itaque, si quis forte crudelis, et inhumanus erit, naturalibus ad id legibus est coactus[g]. » Hic τὸ ἐλεύθερον, id est libertatem, idem valet, ac τὸ ἐφ' ἡμῖν, opponiturque non coacto, et violento, sed determinato, ac necessario; quale istud est, ad quod naturæ impulsu ferimur, quod profecto non est coactum, et tamen abusione quadam vocis, et laxiori significatione cogi ad hoc dicimur, quod sine electione naturæ quadam determinata motione persequimur; de quo vide capita VI, VII et VIII libri hujus. Scholiastes Joannis Climaci ad *Gradum* XIII proprietatem locutionis illius τοῦ ἐφ' ἡμῖν, manifeste sic explicat: « Ut non incidant, ait, et obstrepant improbæ cogitationes generales et universæ, animæ nostræ, non est in nostra potestate situm. Ut autem passionem moveant, et in nobis morentur, aut non morentur, hoc vero in nostra potestate situm est[h]. »

a Nyssen. Ὅπερ ἂν θέλωμεν κατ' ἐξουσίαν αἱρεῖσθαι.

b Euseb. VI *de Præp.* ver. 14. Τὸ ἐφ' ἡμῖν ἐκ τῆς αὐτοπροαιρέτου κινήσεως.

c Ammon. Ὡς οὐ πάντα ἐστί τε, καὶ γίνεται ἐξ ἀνάγκης· ἀλλ' ἐστι τινὰ καὶ ἐφ' ἡμῖν. ἐπείπερ κύριοι πράξεων τινῶν ὄντες. καὶ ἐφ' ἡμῖν ὂν ἐλέσθαι, ἢ μὴ ἑλεσθαι τάδε τινὰ, καὶ πρᾶξαι, ἢ μὴ. τὰς μὲν ἐπαινετὰς, τὰς δὲ ψεκτὰς εἶναι τῶν τε προαιρέσεων, καὶ τῶν πράξεων λέγομεν.

d Basil. in hom. *Quod Deus non sit auct. mal.* Τὸ ἐφ' ἡμῖν ἀρχὴ, καὶ ῥίζα τῆς ἁμαρτίας, καὶ τὸ αὐτεξούσιον.

e Basil. ibid. Ἐφ ἡμῖν ὄντως ἢ ἀπέχεσθαι τῆς πονηρίας, ἢ μοχθηροῖς εἶναι.

f Chrys. Νῦν μὲν γὰρ ἐφ' ἡμῖν τὸ πᾶν κεῖται. τότε δὲ ὁ δικάζων μόνος τῆς ψήφου γίνεται κύριος.

g Cyril. Εἶτα ὅπη ποτὲ κατίδοι τῆς ἂν τῆς ἑκάστου διανοίας τὸ ἐλεύθερον; κείσεται γὰρ οὐκέτι τὸ ὁρᾶν ἐφ' ἡμῖν ἢ τὸ ἀγαθὸν ἢ τὸ φαῦλον. ἰέναι δὲ χρὴ, καὶ οὐχ ἑκόντας ἀκατασκέπτως, ἧ περ ἂν ὁ τῆς φυσικῆς ἐπιτηδειότητος ἡμᾶς ἀποκομίζοι νόμος· ἔργον δὲ τὸ μάχεσθαι φύσει, μᾶλλον δὲ καὶ ἀρήχανον. οὐκοῦν εἰ καί τις εἴη τυχὸν ὠμός τε, καὶ ἀπηνὴς, φυσικοῖς εἰς τοῦτο νόμοις κατεδιάσθη.

h Schol. I. Τὸ προσβάλλειν καὶ παρενοχλεῖν τοὺς τῆς κακίας συλλογισμοὺς γενικοὺς, καὶ πάντας τῇ ψυχῇ ἡμῶν, τῶν οὐκ ἐφ' ἡμῖν ἐστι. τὸ δὲ κινεῖν πάθος, καὶ χρονίζειν ἐν ἡμῖν, ἢ μὴ, τῶν ἐφ' ἡμῖν ἐστι.

1 Tom. I, lib. V, cap. III, § 4.— 2 Cap. I, n. 5.

III. Nec aliter Latini usurpant ista *in potestate nostra esse*, vel *in nobis esse*. Augustinus libro *de Natura et gratia*, capite XLVII contra Pelagium disputans, qui posse bene, vel male agere, naturalis esse necessitatis aiebat; bene autem, aut male agere, potestatis nostræ, quemadmodum « posse audire, vel odorari, vel videre, potestatis nostræ non est, sed in naturali necessitate consistit, audire vero, odorari, videre, potestatis nostræ est; » hunc, inquam, refellens Augustinus, videndi possibilitatem in nostra esse potestate dicit, quia possumus eam nobis eripere. « Quomodo enim, ait, in potestate nostra non est videndi possibilitas, si in potestate nostra est non videndi necessitas, quia in potestate est cæcitas, qua idipsum videre posse nobis, si volumus, adimamus? Quomodo autem in potestate nostra est videre, si velimus, cum etiam, salva integritate naturæ corporis, oculorumque nostrorum, nec volentes videre possimus, sive per noctem luminibus, quæ forinsecus adhibentur ademptis, sive nos quisquam in tenebroso loco aliquo includat? » Hic, si quid est judicii, perspicue lector agnoscit, illud in potestate esse dici nostra, quod tum possumus, tum ejus contrarium, hoc est quod retinere, vel abjicere possumus; et eo tantum in potestate esse, quod utrumvis possumus. Nam videndi possibilitatem nullam aliam ob causam Augustinus ait in nostra potestate esse, nisi quod eam nobis adimimus, si volumus. Igitur ἐφ' ἡμῖν, id est *in nostra potestate* situm non est, quod uno definitum determinatumque est. Sic Augustinus idem in libro *de Correptione, et gratia*, capite XIV. « Sic enim velle, et nolle, inquit, in volentis, aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem. »

IV. Ambrosius item[1], « In nobis est, inquit, ut aut subjiciatur adversarius, aut resultet. » Et in libro primo *de Hexaemero*, cap. VIII. « Et certe in nobis est moderari studia, cohibere iracundiam, coercere cupiditates; in nobis est etiam indulgere luxuriæ, adolere libidines, inflammare iracundiam, vel inflammanti aurem accommodare; elevari magis superbia, effundi in sævitiam, quam reprimi humilitate, diligere mansuetudinem. » Subjicit illa ad idem institutum aptissima, quibus, quid sit in nobis positum, explicare pergit. « Quorum igitur nos sumus domini, horum principia extrinsecus non requiramus, nec derivemus in alios: sed agnoscamus ea, quæ proprie nostra sunt. Quod enim possumus non facere, si nolumus, hujus electionem mali nobis potius debemus, quam aliis adscribere. Ideo etiam in judiciis istis voluntarios reos, non ex necessitate compulsos, culpa constringit, pœna condemnat. » Illud *in nobis esse* declarat Ambrosius, quod voluntate facimus, et eligimus ita, ut possimus non facere, si nolumus; hoc est « quod tam ipsum possumus, quam ejus contrarium, » ut ex Nemesio, et Damasceno supra meminimus[2]. Idem porro locus Ambrosii in primo *de Hexaemero*, huic, quod *in nobis esse* dicitur, geminam hanc esse locutionem indicat, *dominum esse rei cujuspiam*, quemadmodum et Græci solent usurpare, κύριον εἶναι; id enim est habere in potestate. Boetius in librum *de Interpretatione*, « Nostra, inquit, voluntas domina quodammodo est nostrorum actuum, et totius vitæ rationis; sed non eodem modo eventus quoque in nostra est potestate. » Quem quidem usum potestatis in unius rejectione, et alterius electione positum, idem Ambrosius exponit in libro *de Noe*, cap. IV. « Qui electione inferioris, inquit, et contemptu superioris consortii, tanquam voluntariis obnoxii peccatis, graviori condemnantur severitate. »

Quid sit Dominium.

V. Sane dominium nihil aliud est, quam *proprietas rei*, cum re uti quapiam pro arbitrio possumus, hoc est alienare, aut retinere, aut oppignerare, aut quidvis aliud ea facere; et quanto magis absolutum jus illud est, tanto perfectius est dominium, magisque dicitur dominus. Jus autem illud absolutum magis est, quod ad plura rei utendæ potestatem obtinet. Nam qui tantummodo usumfructum habet, quod est jus capiendorum fructuum, is dominus in Jure civili censetur; sic etiam ille, qui possessionem solam habet sine usufructu, possessionis dominus dicitur; « Uterque tamen nonnisi per abusionem dominus appellatur, ut Cujacius observat[3]; sicut maritus uxoris, pater filii, patronus liberti. Nec enim hi proprietatem harum personarum habent; nec illi earum rerum, quarum possessionem tantum, vel usumfructum habent. » In iis omnibus, si diligenter attendas, quid ad perfectum dominium desit, nihil occurret aliud, nisi quod libera dispositione careant rerum istarum aut personarum; nec integrum sit ipsis, quem volent, ad usum versare illas

1 In *Psal.* CXVIII Octon. XI. — 2 Lib. II, cap. XXVI. — 3 Lib. X *Obser.* cap. LXXVI.

et expendere. Cum enim in prædio, exempli causa, rustico duo spectentur : alterum solum ipsum, sive fundus, aut ager : alterum proventus, qui ex agro nascantur; qui usufructus tantummodo jus possidet, solos fructus alienare potest, vel consumere, vel donare, vel ad hunc aut illum usum convertere, eoque ipso dominus est illorum, in quos potestatem, et arbitrium voluntatis exercet; soli autem, aut fundi non est idcirco dominus, quod uniusmodi illius usu circumscriptus ac determinatus est, ut in eo degere et incolere possit, non autem vendere, donare, aut diruere. Adeo sine libero ad opposita jure, ac potestate nullum dominium constat, non solum extra nos positarum rerum, unde exempla ista petuntur, sed etiam interiorum, quales sunt voluntatis actiones, in quibus maxime liberi potestas arbitrii cernitur. Unde recte Chrysostomus, « tum nos esse dominos ait, cum eligendi domini sumus [a]. »

VI. Quocircas S. Thomas[1], cum illud quæsisset, « utrum voluntas aliquid ex necessitate appetat; » respondet, eam necessario in finem tendere, non autem in ea, quæ finis gratia comparantur, et vulgo *media* dicuntur. Postea, quod universe tertio in argumento sibi objecerat, non videri aliquid appetere necessario voluntatem, quia « secundum voluntatem sumus domini nostrorum actuum, sed ejus, quod ex necessitate est, non sumus domini; » huic occurrit ita : nos « actuum nostrorum dominos esse, secundum quod possumus hoc, vel illud eligere. Electio autem non est de fine, sed de iis, quæ sunt ad finem, ut dicitur in tertio *Ethicorum* [2]. Unde appetitus ultimi finis non est de his, quorum domini sumus. » Cum igitur electio propria sit actio liberi arbitrii, neque hoc sine illa movere se, aut efficere quippiam possit; consequens est, eatenus nos actionum nostrarum dominos esse, quod hoc vel illud amplecti, aut repudiare possumus; in quo electionis tota ratio consistit. Sic in libro primo *contra gentes*, capite LXXXVIII hominem pariter, ac Deum eo ipso dominum esse suorum actuum scribit, quod liberum habet arbitrium. Atque hæc Aristotelis, omniumque tam gentilium, quam christianorum philosophorum concors est opinio, ut ex iis apparet, quæ in libro V *de Deo*: et hujus operis primo ex utrisque demonstravimus.

Itaque Gregorius Nyssenus in libro *contra Fatum*, ab iis, qui fatalem necessitatem invehunt, ita decerni ait, « in asciscendis vitæ institutis, neutiquam eligentis animum dominum esse [b]. » Quod genus necessitatis non violentia, sed sola determinatione contineri, libro primo docuimus, capite sexto.

Sic etiam Chysostomus in homilia XIV in epistolam *ad Corinthios*, illorum querelam propulsans, qui ægre ferunt, se non necessitate compelli ad virtutem, sed eam libertati suæ permitti, ex quo salus sua periclitetur, « Ob id, inquit, liberi te Deus arbitrii fecit, ut ne postea incuses Deum, quod sis necessitate constrictus [c]. » Tum illorum expostulationem ita proponit; « Multos, inquit, audivi dicentes: Cur me virtutis comparandæ dominum fecit [d]? » Est ergo dominus virtutis acquirendæ, qui liberam potestatem habet virtutis amplectendæ, vel respuendæ; eique libertati, et arbitrio est opposita necessitas, non cogens, sed definiens, ac determinans, cujusmodi naturalis impulsus est, utriusvis eligendi facultate carens.

Idem Chrysostomus in homilia *de Judæ proditione*, egregie vim illius vocis explicat, κύριον εἶναι, cum de libero usurpatur arbitrio. « Deus, inquit, Judam violenter non traxit. Nam, quia dominos fecit nos electionis tam bonorum, quam malorum, et sponte vult esse bonos; ideo, nisi velimus, vim non affert, neque necessitate cogit. Etenim vi coactum bonum esse, non est, esse bonum. Quoniam ergo et ille animi, ac propositi sui dominus erat, et potestate præditus non cedendi, nec ad avaritiam declinandi, ob id mente occæcatus est [e]. » Ibi κύριον εἶναι non aliud esse demonstrat, nisi ad utrumvis a- *Dominum esse.*

a CHRYS. hom. I in epist. *ad Phil.* Ὅταν αἱρεσις ᾖ, κύριοί ἐσμεν.

b NYSSEN. Τῶν κατὰ τὸν βίον ἐπιτηδευμάτων μηδαμοῦ τὸν λογισμὸν τοῦ αἱρουμένου κύριον εἶναι.

c CHRYS. Διὰ τοῦτο γάρ σε αὐτεξούσιον ἐποίησεν ὁ Θεὸς ἵνα μὴ ὕστερον ἐγκαλῇς τῷ Θεῷ, ὡς ἀνάγκῃ δεθείς.

d Ibid. Καὶ γὰρ πολλῶν ἤκουσα λεγόντων, διὰ τί γάρ με κύριον ἐποίησεν ἀρετῆς.

e CHRYS. Ὁ δὲ θεὸς βίᾳ οὐχ εἵλκυσεν. Ἐπειδὴ γὰρ κυρίους ἡμᾶς ἐποίησε καὶ τῆς τῶν φαύλων, καὶ τῶν ἀγαθῶν πράξεων αἱρέσεως, καὶ ἑκόντας βούλεται εἶναι καλούς· διὰ τοῦτο, ἂν μὴ βουλοίμεθα, οὐ διάζεται, οὐδ' ἀναγκάζει. τὸ γὰρ βιασθέντα εἶναι χρηστὸν οὐκ ἔστιν εἶναι χρηστόν. ἐπεὶ οὖν κἀκεῖνος γνώμης κύριος ἦν, καὶ ἐν ἐξουσίᾳ τοῦ μὴ πεισθῆναι, καὶ πρὸς φιλαργυρίαν μὴ ἀποκλῖναι, διὰ τοῦτο ἀπετυφλώθη τὴν διάνοιαν.

1 In 1 par. qu. LXXXII, a. 1.— 2 Cap. III.

rem, et indifferentem habere potestatem. Cui potestati, in qua libertatem constituit, necessitatem opponit, non absolute cogentem, sed extrinsecus illatam, quacum liberi arbitrii potestas manet; sed cogi, et ad unum determinari dicitur, non tamen simplici necessitate, sed ea, quam in iis, quæ ad mores attinent, præcipue spectari diximus, quod ad virtutis ac meriti rationem attinet; « Virtutem enim liberam oportet esse ab omni metu, ac servitute [a], » ut ait Gerontius.

Vera libertatis ratio constituitur e querimonia eorum qui se liberos esse indigne ferunt.

VII. Atque hic quidem locus de quorumdam hominum querimonia, qui se liberi ad virtutem, et salutem capessendam arbitrii factos esse, indigne ferunt, non parum conducit tum ad id, quod in præsens agitur, propriam videlicet vocum illarum notionem, quibus libertas hominis exprimitur, tum universe ad arbitrii liberi naturam investigandam. Quare de hoc aliqua veterum dicta proferam, ac primum Basilii in homilia, qua Deum probat auctorem mali non esse. « Sed cur, inquit, in prima constitutione non hoc habuimus, ut peccare non possemus, etiamsi vellemus? Quoniam et tu servos tuos, non tunc, quando vinctos eos habes, benevolos arbitraris, sed cum sponte vides ipsos officium suum exequi. Sic igitur Deo quoque gratum non est, quod necessitate est expressum, sed quod ex virtute præclare geritur; porro virtus ex electione, non ex necessitate fit. At electio pendet ex iis, quæ sunt in nobis sita: in nobis autem illud est, quod liberi nostri est arbitrii. Quisquis ergo conditorem reprehendit, quod non naturaliter peccati nos expertes creaverit, nihil aliud nisi rationis expertem naturam rationali præfert, et immobilem, atque impulsu et appetitione carentem ei, quæ electione, et actione prædita est [b]. » Etiam τὸ ἐφ' ἡμῖν, et liberum ab electione non divelli putat Basilius, et ejusmodi esse virtutem asserit, adeoque id omne, quod laudi, aut vituperationi vertitur. Huic vero necessitatem opponit, non violentam, cogentemque, sed naturalem, et quæ nihilominus ἑκούσιος sit, ac spontanea; cujusmodi sunt appetitiones brutorum, quorum similes fore dicit homines, si necessitate illa ducerentur ad agendum, non enim bruta vi appetere coguntur. Nec illi, quos contra Basilius, aliique contendunt, optabant voluntati nostræ vim inferri, interiorem quidem, qua voluntas afficeretur, quod ne in brutis quidem potest fieri; sed ut naturalis inesset nobis instinctus ad solam virtutem propensus ac determinatus, quomodo bestiæ in id unum sponte rapiuntur, quod jucundum, est, et accommodatum corpori. Hoc enim *spontaneum* est; sed quia necessarium est, abhorreta libero quod debet esse προαιρετικόν. Quamobrem, cum nos Basilius ait bestiarum fore similes, si libertas illa detrahatur utriusvis eligendi, ad solam determinantem necessitatem respicit, quæ proprie ac directe opponitur arbitrio libero; quantumvis reliquum sit aliud discrimen, quod præeunte ratione homines, cætera autem animantia sensu duntaxat, ad appetendum ferantur. Sed hoc extrinsecus tantum ad voluntatem pertinet: propria autem, et οὐσιώδης liberi arbitrii differentia peti debet ex interiore illo, et innato agendi modo, quod electione continetur.

Electivum.

Essentialis.

VIII. Gregorius Nyssenus in libro *Catechetico* capite v eadem cum Basilio fratre suo scribit, Deum, qui ad imaginem, et similitudinem suam crearet hominem, « non hunc utique privaturum fuisse bonorum omnium optimo ac pretiosissimo, videlicet gratia illa, et beneficio, quod in dominatus experte, ac sui juris et arbitrii voluntate consistit. Nam, si qua necessitas humanæ vitæ imposita fuisset, ea ex parte falsa esset imago; et hujusmodi discrepantia ab exemplari suo aliena redderetur. Etenim regnatricis naturæ qui tandem imago diceretur illa, quæ necessitatis legibus adstricta esset, atque serviret? Itaque, quod in omnibus ad similitudinem divinitatis expressum foret, oportebat omnino in natura sua id habere, ut suiipsius jus et potestatem obtineret, nec alteri subjiceretur, ut eo pacto virtutis esset præmium bonorum communio [c]. » Procul sunt ab hujus loci sensu, et

a Geront. in *Collect. sententiarum virorum illust.* Γερόντιος ἔφη· ἐλεύθεραν εἶναι προσήκει παντὸς φόβου τὴν ἀρετήν, καὶ ἀδέσποτον.

b Basil. Ἀλλὰ διὰ τί οὐκ ἐν τῇ κατασκευῇ τὸ ἀναμάρτητον ἔχομεν, φησίν, ὥστε μηδὲ βουλομένοις ἡμῖν ὑπάρχειν τὸ ἁμαρτάνειν; ὅτι καὶ σὺ τοὺς οἰκέτας οὐχ ὅταν δεσμίους ἔχῃς, εὔνους ὑπολαμβάνεις· ἀλλ' ὅταν ἑκουσίως ἴδῃς ἀποπληροῦντάς σοι τὰ καθήκοντα. καὶ θεῷ τοίνυν οὐ τὸ ἠναγκασμένον φίλον, ἀλλὰ τὸ ἐξ ἀρετῆς κατορθούμενον. ἀρετὴ δὲ ἐκ προαιρέσεως, καὶ οὐκ ἐξ ἀνάγκης γίνεται. προαίρεσις δὲ τῶν ἐφ' ἡμῖν ἤρτηται. τὸ δὲ ἐφ' ἡμῖν ἐστι τὸ αὐτεξούσιον. ὁ τοίνυν μεμφόμενος τὸν ποιητήν, ὡς μὴ φυσικῶς κατασκευάσαντα ἡμᾶς ἀναμαρτήτους, οὐδὲν ἕτερον, ἢ τὴν ἄλογον φύσιν τῆς λογικῆς προτιμᾷ, καὶ τὴν ἀκίνητον, καὶ ἀνόρμητον τῆς προαιρετικῆς, καὶ ἐμπράκτου.

c Nyssen. Οὐκ ἂν τοῦ καλλίστου, καὶ τιμιωτάτου τῶν ἀγαθῶν ἀπεστέρησε. λέγω δὴ τῆς κατὰ τὸ ἀδέσπο-

intelligentia, Calvini, et auctorum novi dogmatis ludificationes, ac præstigiæ, qui *necessitatem* libero contrariam arbitrio, vim et coactionem esse volunt. Sed hoc tota illa Gregorii Nysseni oratio respuit; quæ necessitatem ejusmodi mentibus nostris objicit, quam, si voluisset Deus, hominum voluntatibus inferre potuisset, nimirum si ei libitum esset eripere homini utriusvis eligendi potestatem. Hoc autem non vi, ac coactione illa faceret, quam solam cum libertate pugnare isti putant, quæ interior sit, et in appetitione ipsa, voluntateque resideat. Hujusmodi enim necessitas nea Deo quidem afferri potest, quod ad contradictionem implicata sit. Verum necessitas ab Gregorio talis intelligitur, quæ aut extrinsecus, salva interim libertate, ad eam applicaretur, aut hanc prorsus, sine contrarii potestate, ad unum traheret, et alligaret; quemadmodum sancti in æternæ felicitatis statu Deum amant, sine odii, vel ab amore desistendi potestate.

IX. Videnda plane sunt illa, quæ supra capite septimo[1], ad similem Hilarii locum exposuimus; tum ista Titi Bostrensis præ oculis habenda, ex initio libri secundi *adversus Manichæos*[2]. « Virtus, inquit, et vitium, ut in potestate ejus esset fecit, ingenerans naturæ utriusque cognitionem, ut instar oculi hanc adducens, et adhibens, non solum cum perfecta scientia in vita ambularet, sed esset auctor officiorum virtutis. Homo igitur injuste operans, juste de peccato accusatur. Si enim peccatum committit, tanquam non possit ab eo se abstinere, injustam querelam subit. Sin autem, cum posset non facere, facit contrarium, merito accusatur tanquam injustitiam suscipiens. » In potestate dicit hominis esse peccatum, quod est ἐν ἡμῖν, quia sic illud committit, ut posset non committere. Nam, si non posset non facere, hoc est si necessitate id faceret, quæ ad faciendum alligaret, non peccaret omnino; et hoc est *auctorem esse* faciendi. Adde his et cætera ejusdem, quæ jam alibi descripsimus[3]. Paucis Basilius ista complexus est, cum in tertio libro, ἐκ προαιμέσεως ἀγαθοὺς, id est *ex electione nos esse bonos* asseveravit; nam προαίρεσις ad utrumque spectat,

In nobis.

Hieronymus in epistola CXLI. « Solus Deus est, inquit, in quem peccatum non cadit. Cætera enim, cum sint liberi arbitrii, juxta quod et homo ad imaginem, et similitudinem Dei factus est, in utramque partem suam possunt flectere voluntatem. » Cyrillus item Alexandrinus in libro quarto *contra Julianum*, « Non enim naturæ legibus, inquit, velut necessitate, ac vi ad hoc adstringimur, ut boni simus, aut mali. Sed solutis potius, ac liberis mentibus, in hanc aut illam partem versare nos natura possumus [a]. » Manifeste vim ac necessitatem pro simplici et uni alligante necessitate sumit, non pro coactione ac violentia. Nam eam ejusmodi vocat, quæ ex naturæ inclinatione ac lege oritur, qualis esse violentia non potest. Itaque Cyrilli locus iste diligenter est notandus, ut ad similes veterum explicandos transferatur, in quibus eadem τῆς βίας, aut βιάζεσθαι vocabula non coactionem, sed definientem necessitatem significant, ut jam fuse in superioribus ostendimus. Sic Augustinus in libro II, *De peccatorum meritis, et remissione*, capite XVIII « voluntatis arbitrium vocat, quod huc, atque illuc liberum flectitur. » Hoc enim proprie est, quod Græci κύριον appellant.

X. Cui vocabulo affinia sunt ista, τὸ ἀδέσποτον, hoc est *nullius dominatui subjectum*, quo Gregorius Nyssenus utitur in loco paulo antea citato, et αὐτόνομον, id est *sui juris, nec alienæ potestati obnoxium*, et ἀνειμένον πρὸς τὸ δοκοῦν, *expeditum, ac solutum, ut quo libitum est, evagari queat*, ut apud Cyrillum in quarto *contra Julianum*. Tum αὐτοκρατὲς apud Gregorium Nyssenum in eodem illo loco, *quod sibi imperat, nec alteri subjicitur*. Et in libro *contra Fatum*, necnon oratione IV *in Orationem Dominicam*; quem locum jam alibi citavimus.

Expendun tur vocabula quibus auctores Græci liberum exponunt arbitrium.

Sic τὸ αὐτοκίνητον Dionysii in quarto capite libri *de divinis nominibus*; ubi querelæ isti, quam paulo ante proposuimus, occurrit, « oportere dicentium providentiam vel invi-

Seipsum movens.

τον, καὶ αὐτεξούσιον χάριτος. εἰ γάρ τις ἀνάγκῃ τῇ ἀνθρωπίνῃ ἐπεστάτει ζωῇ, διεψεύσθη ἂν ἡ εἰκὼν κατ' ἐκεῖνο τὸ μέρος ἀλλοτριωθεῖσα τῷ ἀνομοίῳ πρὸς τὸ ἀρχέτυπον. τῆς γὰρ βασιλευούσης φύσεως ἡ ἀνάγκαις τισὶν ὑπεζευγμένη τε, καὶ δουλεύουσα πῶς ἂν εἰκὼν ὀνομάζοιτο; οὐκοῦν τὸ διὰ πάντων πρὸς τὸ θεῖον ὡμοιωμένον, ἔδει πάντως ἔχειν ἐν τῇ φύσει τὸ αὐτοκρατὲς, καὶ ἀδέσποτον· ὥστε ἄθλον ἀρετῆς εἶναι τὴν τῶν ἀγαθῶν μετουσίαν.

a Cyril. Οὐ γάρ τοι φύσεως νόμοις ὡς ἐξ ἀνάγκης, καὶ βίας, εἰς τὸ εἶναι φαῦλοί τε, καὶ ἀγαθοὶ κατεσφίγμεθα· φρονήμασι δὲ μᾶλλον ἀνειμένοις τε, καὶ ἐλευθέροις ἢ τὰν ἐπὶ τὰν ἴέναι πεφύκαμεν. Forte ἐπὶ τὰν, ἢ ἐπὶ τὰν, et est Dorismus ex vetere Poeta.

1 Num. 9.— 2 Tom. IV *Bibl. Patr.* col. 900.— 3 Lib. V *de Deo*, c. III, n. 6.

tos nos ad virtutem agere. Atqui naturam corrumpere non est providentiæ. Unde tanquam providentia uniuscujusque naturæ conservatrix eorum, quæ suopte impulsu moventur, tanquam per se impulsorum curam gerit [a]. » Neque vero putandum est τὸ αὐτοκίνητον id esse simpliciter, quod per se, et naturali impulsu cietur, hoc est quod naturale in se motionis habet principium, quomodo gravia per se deorsum feruntur, aut sursum levia. Plus aliquid Dionysius intellexit, adeoque quod sui juris ac potestatis est, et in utrumque semetipsum potest impellere, ut Maximus in *Scholiis* adnotavit; qui idem ait esse τῶν αὐτοκινήτων ac τῶν αὐτεξουσίων, καὶ αὐτοκρατόρων. « Non enim seipsa moventium dixit eo sensu, ut animata intelligi vellet, ad distinctionem immobilium, ut sunt ædes, et montes, aut aliunde mobilium, ut sunt lapides et ligna. Quippe cum de virtute ageret, eorum meminit, qui per se moverentur [b]. »

Seipsum moventis Sui juris, quæ potestatis.

XI. Quocirca dixit proxime ante Maximus, eos, qui hoc sciscitantur, cur non tales nos Deus creaverit, ut, etsi vellemus, minime peccaremus, « itidem facere, ac si interrogarent, cur non mentis et rationis expertes nos produxerit. Siquidem necessitate nos ad virtutem impelli neque nostrarum nos rerum arbitros, ac potentes esse monstraret; neque naturæ nostræ intelligenti esse permitteret. Tolle enim a nobis liberum arbitrium, non erimus amplius imago Dei, nec anima ratione, ac mente prædita [c]. »

Qui igitur voluntatem nostram uno aliquo circumscriptam esse vellet, ut ejus contrarium eligere non posset; is in quo definitam illam cuperet, liberum ei arbitrium auferret; quoniam necessitatem imponeret, non utique violentam, sed uni alligantem, qualis inest in iis, ad quæ natura impetum habet, sive id quod appetit, solis sensibus, sive ratione ac mente perceptum fuerit. Nihil enim hoc refert ad liberum arbitrium tollendum. Quanquam ex eo, quod voluntatis in utrumvis libera motio penitus amputaretur, sequi Maximus affirmet naturæ rationalis, et intelligentis interitum. Verum id reipsa potius, et consequenter; vel, ut dialectici loquuntur, *materialiter* accidit, quam *formaliter*. Nam libero arbitrio proprie, ac præcise adversatur necessitas, et uniusmodi asciscendæ rei potestas, quæ sola τῆς προαιρέσεως, hoc est *electionis* est inimica.

XII. Atque hoc demonstrat Augustinus in libro *contra Adversarium legis, et Prophetarum*, capite XIV ubi eidem quæstioni respondet : « Quibus autem videtur, inquit, sic hominem fieri debuisse, ut peccare nollet, non eis displiceat, sic esse factum, ut non posset peccare, si nollet. Numquid enim si melior esset, qui non potest peccare, ideo non bene factus est, qui posset et non peccare. »

Nec aliud voces cæteræ, Græcorum maxime, significant, ut αὐθεκούσιος, quam Eusebius usurpat in sexto *de Præparatione*, capite sexto; et αὐτοτελής, quod est ipsum per se agendi, eligendique vim habens, nec aliunde motum, et impressionem requirens, qua necessario pellatur. Atque hoc vulgo sic exprimunt, quod, necessariis ad agendum positis omnibus, ex se agere potest, aut non agere; id enim est τὸ αὐτοτελές. Quare Eusebius in eodem illo capite sexto, ubi de fato disputat, « Ita enim, ait, aperte sentimus, nos neutiquam cogi ab alia causa, cum filios castigamus, aut servos flagellamus peccantes, et cum aliquid volumus, aut non volumus; sed absolute propria ex potestate ad motiones ejusmodi venire [d]. » Ergo αὐτοτελὴς est idem, atque αὐτοκράτωρ, *sui dominus*, et *absolutus ab omni necessitate;* quam universe coactionem a Patribus appellari sæpe, diximus antea.

XIII. Idem valet et τὸ αὐθαίρετον, *quod per se eligendi vi præditum est* apud Cyrillum [1]; qui

a Dion. Διὸ καὶ τὸν εἰκαῖον τῶν πολλῶν οὐκ ἀποδεξόμεθα λόγον· οἳ χρῆναί φασι τὴν πρόνοιαν καὶ ἄκοντας ἡμᾶς ἐπὶ τὴν ἀρετὴν ἄγειν. τὸ γὰρ φθεῖραι φύσιν, οὐκ ἔστι προνοίας. ὅθεν ὡς πρόνοια τῆς ἑκάστου φύσεως σωστικὴ, τῶν αὐτοκινήτων, ὡς αὐτοκινήτων προνοεῖ.

b Maxim. in cap. IV *de Div. nom.* Οὐ γὰρ τῶν ἑαυτοὺς κινούντων, οἷον ἐμψύχων, πρὸς ἀντιδιαστολὴν τῶν ἀκινήτων, ὡς οἴκων, καὶ ὁρῶν· ἢ ἑτεροκινήτων, ὡς λίθων, καὶ ξύλων. περὶ γὰρ ἀρετῆς διαλεγόμενος, τοὺς αὐτοκινήτους παρέλαβεν.

c Ibid. Τοῦτο γὰρ οὐδὲν ἕτερόν ἐστιν, ἢ λέγειν, διὰ τί μὴ ἀνόητα, καὶ ἄλογα ἡμᾶς ἐποίησε; τὸ γὰρ ἐξ ἀνάγκης ἡμᾶς ἄγεσθαι ἐπ' ἀρετὴν, οὔτε αὐτοκρατορὰς τινας ἡμᾶς ἐδείκνυ τῶν καθ' ἑαυτοὺς· οὔτε τὴν νοερὰν ἡμῶν φύσιν εἶναι συνεχώρει. ἄνελε γὰρ ἡμῶν τὸ αὐτεξούσιον, καὶ οὔτε εἰκὼν θεοῦ, ἐσόμεθα, οὔτε ψυχὴ λογικὴ, καὶ νοερά.

d Euseb. Οὕτω γὰρ ἐπεὶ ἐναργῶς ἑαυτῶν αἰσθανόμεθα μὴ βιαζομένων ὑπ' ἄλλης τινὸς αἰτίας ἐν τῷ παιδεύειν τοὺς υἱεῖς, καὶ μαστίζειν τοὺς οἰκέτας ἁμαρτάνοντας, καὶ ἐν τῷδε τί βούλεσθαι καὶ μὴ βούλεσθαι· ἀλλ' αὐτοτελῶς ἐκ τῆς ἰδίας ἐξουσίας εἰς τὰς τοιαύτας κινήσεις ἀφικνουμένων.

1 Lib. IV *in Joan.* cit. lib. V *de Deo*, c. III.

id exponens, ait, esse τὸ ἐπ' ἀμφω βαδίζον, *quod ad utrumque ambulat, sive ad virtutem, sive ad vitium.* Tum Dionysius « intelligentium substantiarum potestatem per se eligendi jus habentem [a] » nominat. Idem Cyrillus τὸ αὐθαίρετον opponit naturali necessitati : « Perperam, inquit, agere liberi arbitrii est, non naturali necessitate accidit [b]. » Talia sunt, quorum principium in nobis esse dicunt idem Græci Patres, ut Nemesius [1], et Joannes Damascenus [2]; vel *quorum habenas, ac fræna tenemus in manibus*, ut sæpe Cyrillus, qui de hominis lapsu ita scribit : « Cum autem liberam, ac sui juris electionem haberet, et propriarum voluntatum habenas teneret, (est enim pars hæc imaginis; siquidem Deus voluntatum quoque suarum dominus est), mutatus est, et cecidit [c]. » Circa contraria itaque, vel opposita saltem, proprie liberum exercetur arbitrium. Atque huic Cyrilli loco affine est, quod Procopius in commentariis *ad Genesim* de ligno scientiæ boni et mali scribit : « Deus, inquit, locum dare volens libero arbitrio, et contrariorum notitiam, arbore ostensa, esum interdicit [d]. » Eadem vis est et vocis ἰδιαίρετον, qua non raro usus est Joannes Damascenus, ut et Climacus [3].

Rursus ad eamdem demonstrandam arbitrii liberi propensionem, τῆς ῥοπῆς nomen accommodatur a Græcis; quæ est proprie lancis ex dubio et suspenso æquilibrii statu deorsum vergentis, ac sidentis inclinatio. Sic ῥοπὴν ἐθελούσιον, vel νεῦμα passim Cyrillus Alexandrinus nominat, et hujus locutionis exempla superius capite x proposita sunt.

XIV. Sed nihil in usu Græcorum aut crebrius est, aut significantius, quam vocabula ista, τῆς ἐξουσίας, et quæ ab ea derivantur, τοῦ αὐτεξουσίου, vel αὐτεξουσιότητος. Hæc enim potestatem, ac liberam, suique juris facultatem exprimunt agendi vel non agendi, hujus aut illius amplectendi vel repudiandi.

Declarat hoc illustri sententia Cyrillus Hierosolymitanus in *Catechesi* quarta : « Liberi, inquit, arbitrii est anima. Et Diabolus suggerere quidem potest, necessitatem vero afferre non potest. Proponit tibi stupri cogitationem; si vis, eam admisisti; si non vis, non admisisti. Si enim necessitate impulsus stuprum faceres, cur gehennam pararet Deus? Mansueta est ovis; sed nunquam hæc ob mansuetudinem coronæ præmium est adepta, quandoquidem mansuetudo ista non illi inest ex electione, sed ex natura ipsa [e]. » Vides τὸ αὐτεξούσιον, id est *liberam sui potestatem*, ita circumscribi, ut oblatas pestilentes a dæmone cogitationes, si velit, admittat, amplectaturque voluntas; si nolit, non recipiat, tanquam in medio posita, et neutri amborum necessitate sit addicta. Ejusmodi est enim necessitas illa, cujus meminit Cyrillus, qui eam opponit libertatis statui illi, quo ad utrumvis inclinari possumus, hoc est προαιρέσει, sive eligendi facultati, ut statim explicat, cum id solum præmio affici debere asserit, quod ἐκ προαιρέσεως oritur. Huic, inquam, προαιρέσει contraria non est necessitas violenta : sed ea, quæ spontanea potest esse : ut est naturæ lege præfinita, qualis est in brutis. Non enim ad id respectum habet Cyrillus, quod ovium appetitus, exempli causa, sensuum cognitione, non rationis, et intelligentiæ perceptione ducitur; sed hoc unum commemorat, quod ἐκ προαιρέσεως, *ex electione* non existit.

Item Basilius αὐτεξούσιον αὐθεντίαν vocat *liberi arbitrii supremum jus* [4], *et auctoritatem*, qua ea sponte præstat, quæ sunt consilii, non præcepti, hoc est quæ nulla mandati divini necessitate præscripta determinataque sunt. Eusebius Cæsariensis [5] γνώμην αὐτεξούσιον, et αὐτεξούσιον ἐλευθερίαν nuncupat, quam eo circumscribit, quod contrariorum alterum alteri anteferre potest. Et Cyrillus Alexandrinus « libertatem ac sui juris potestatem a Deo

a Dionys. cap. II *de Eccl. Hier.* Ἡ τῶν νοερῶν αὐθαίρετος αὐτεξουσιότης.

b Cyr. IV *cont. Jul.* Τὸ ἀκοσμεῖν αὐθαίρετον, καὶ ἐκ διδασκάλων, καὶ οὐκ ἐξ ἀνάγκης φυσικῆς τισιν ἐπισυμβάνει.

c Cyr. lib. IX *in Joan.* Ἐπειδὴ δὲ αὐτοπροαίρετος ὤν, καὶ τὰς τῶν ἰδίων θελημάτων πεπιστευμένος ἡνίας· μοῖρα γὰρ τῆς εἰκόνος καὶ αὐτή. κατεξουσιάζει γὰρ τῶν οἰκείων θελημάτων ὁ θεός. ἐτράπη, καὶ πέπτωκε. Vide et lib. I *de Adorat. in Spir.* c. t. lib. V *de Deo*, cap. III, num. 5.

d Procop. Ὁ δὲ θεὸς χώραν δοῦναι τῷ αὐτεξουσίῳ βουλόμενος καὶ τῶν ἐναντίων τὴν γνῶσιν, δένδρον ὑποδείξας ἀπαγορεύει τὴν βρῶσιν.

e Cyr. Hieros. Αὐτεξουσιός ἐστιν ἡ ψυχή. καὶ ὁ διάβολος τὸ μὲν ὑποβάλλειν δύναται. τὸ δὲ ἀναγκάσαι παρὰ προαίρεσιν οὐκ ἔχει τὴν ἐξουσίαν. ὑπογράφει σοι πορνείας λογισμόν. ἐὰν θέλῃς, ἐδέξω· ἐὰν μὴ θέλῃς, οὐκ ἐδέξω. εἰ γὰρ κατ' ἀνάγκην ἐπόρνευες, καὶ τίνος ἕνεκα τὴν γέενναν ἑτοίμαζεν ὁ θεός; πρᾶόν ἐστι τὸ πρόβατον. ἀλλ' οὐδέ ποτε τοῦτο διὰ τὴν πρᾳότητα ἐστεφανώθη· ἐπειδὴ τὸ πρᾶον οὐκ ἐκ προαιρέσεως. ἀλλ' ἐκ φύσεως αὐτῷ πρόσεστιν.

1 Cap. XXXIX. — 2 Lib. II, c. XXV et XXVI. — 3 In *Scala*, IV. — 4 Lib. *de vera. Virg.* t. I. — 5 Lib. VI *de Præp.* cap. VI Citatus jam supra cap. VIII, § 1.

concessam ait, ut sit in hominum arbitrio bonum et honestum, quod spontanei laus exornet [a]. »

XV. Ac vocabulum ipsum τῆς ἐξουσίας, quod est *potestas ac libertas agendi*, in ipsa notione sua utriusvis amplectendi facultatem continet, ex usu Patrum, et sententia, definienti necessitati contrariam; velut ab Gregorio Nysseno sumitur in libro *de Fato*. Nemesius in libro *de natura hominis*, cap. XXXVIII cum idem aperte docet, tum nominatim necessitatem simplicem, et uni affixam, τῇ ἐξουσίᾳ, arbitrioque libero esse adversam. Etenim cum Fati necessitatem contra philosophos oppugnare vellet, ad Dei providentiam referri omnia contendit, cui nulla necessitas obrepere potest. Nam eorum, quæ Dei consilio, ac providentia geruntur, « neutrum fit necessario, sed ita, ut posset non fieri; quod contingenter dicitur. » Neque enim « necessitati subjectus est Deus, nec ejus voluntatem necessitati servire fas est dicere, quippe qui necessitatis est conditor. Ac necessitatem quidem sideribus imposuit, etc. Porro non solum extra omnem necessitatem est Deus, sed ejus etiam dominus est, et effector. Cum enim potestas ipsa sit, et natura potestate pollens, nihil neque naturæ necessitate facit, neque legis præscripto, sed omnia ei contingentia sunt etiam necessaria [b]. » Quibus verbis ἐξουσίαν, id est *potestatem liberam*, necessitati contrariam adstruit, non violentæ, ac peremptrici liberi arbitrii, sed simplici, et ad unum aliquid addicenti; quippe necessitatem ejusmodi opponit libertati, cujus effector est Deus. Non est autem necessitatis illius auctor, quam solam novi dogmatistæ adversari volunt arbitrio libero; siquidem nec a Deo fieri potest ejusmodi coactio, quæ ex contradicentibus sibi invicem coalescit, ut supra plus semel admonuimus. Tum ἐξουσίαν istam id illa refert, quæ sunt ἐνδεχόμενα, id est *contingentia*, sive quæ possunt esse, vel non esse; quibus simplex est contraria necessitas.

Ita Cyrillus Alexandrinus libro II *in Joannem*, « Primus, inquit, homo, cum terrenus esset, et in propria sitam haberet potestate boni vel mali electionem, et propensionis in utramque partem dominus esset, acerbo dolo circumventus est [c]. » Hinc etiam τὸ αὐτεξούσιον promiscue capitur cum eo, quod est αὐτοπροαίρετον, ut ab Eusebio [1]. Rursus idem Cyrillus, unumquemque electionis suæ habere potestatem [d] » ait.

XVI. Tertullianus Græcum nomen αὐτεξούσιον, eodem modo, ac significationis genere sic exprimit in libro II *contra Marcionem* capite V. « Liberum, et sui arbitrii, et suæ potestatis invenio hominem a Deo institutum. » Et capite sequenti, « liberam hominis potestatem vocat arbitrii sui; » et illud idem repetit, « liberii arbitrii, et suæ potestatis institui hominem oportuisse, » ut ad imaginem esset et similitudinem Dei.

Potestatis itidem vocem ita Augustinus accipit [2], ut, quod integrum est, et utrolibet modo potest fieri, significet, cum « Christum habuisse ait in potestate una voce suos persecutores prosternere. » Et *in Psalmum* LXX. « Non erat in potestate tua, ut non nascereris ex Adam; est in potestate tua, ut credas in Christum. » Sic in *Psalm.* LXX « *in manu esse*, idem esse ait, atque *in potestate*, ut *Proverbiorum* XVIII. *Mors et vita in manibus linguæ*, id est in potestate linguæ. Quid est in potestate linguæ! Ex ore tuo justificaberis, et ex ore tuo condemnaberis. » Qui locus ex *Matthæi* XII ab Augustino allatus indicat, *in potestate esse*, quod in utramque partem potest a nobis fieri. Hinc et Cyprianus in concilio Carthaginensi, ab Augustino eodem citatus in libro IV *contra Donatistas*, cap. VIII « nemini se præjudicare dicebat, quominus unusquisque episcoporum, quod putat, faciat, habens arbitrii sui liberam potestatem. »

Sic *liberam facultatem sequendi Deum* usurpat Lactantius [3], eamque in utrumlibet ferri

a Cyr. III *contra Jul.* Δεδωκότος δὲ καὶ τὸ ἐλεύθερον, καὶ αὐτεξούσιον ἑκάστῳ ἵν' ᾖ ἐπ' αὐτοῖς τὸ καλὸν τῷ τοῦ ἑκουσίου κοσμούμενον ἐπαίνῳ.

b Nemes. Οὐκ ἐξ ἀνάγκης μέντοι τὸ ἕτερον αὐτῶν, ἀλλ' ἐνδεχομένως. οὐ γὰρ ὑπ' ἀνάγκην ὁ θεός· οὐδὲ τὴν βούλησιν αὐτοῦ δουλεύειν ἀνάγκῃ θεμιτὸν εἰπεῖν. καὶ γὰρ τῆς ἀνάγκης δημιουργός ἐστιν. ἀνάγκην μὲν γὰρ ἐπέθηκε τοῖς ἄστροις, etc. Αὐτὸς δὲ πάσης ἀνάγκης οὐ μόνον ἐκτὸς καθέστηκεν, ἀλλὰ καὶ κύριος, καὶ ποιητής ἐστιν. ἐξουσία γὰρ ὢν, καὶ φύσις ἐξουσιαστικὴ, οὐδὲν οὔτε φύσεως ἀνάγκη, οὔτε θεσμῷ νόμου ποιεῖ. πάντα δέ ἐστιν αὐτῷ ἐνδεχόμενα καὶ τὰ ἀναγκαῖα.

c Cyr. Ὁ πρῶτος ἄνθρωπος χοϊκός τε ὑπάρχων, καὶ ἀπὸ τῆς γῆς, καὶ ἐν ᾗ ἔμελλε κείμενην ἔχων ἐξουσίαν τοῦ τε ἀγαθοῦ, καὶ τοῦ φαύλου τὴν αἵρεσιν, ῥοπῆς τε τῆς ἐπ' ἄμφω κύριος ὤν, πικρῷ συνηρπάσθη δόλῳ.

d Cyr. *in Joan.* Τῆς οἰκείας προαιρέσεως ἕκαστος ἔχει τὴν ἐξουσίαν.

1 Lib. VI *de Præp.*— 2 Aug. in *Ps.* LXXVIII,— 3 Lib. IV, cap. XI.

posse demonstrat. Ideo enim datam hominibus, « ut et præmium vitæ adipiscerentur, si secuti fuissent, quod plurimi eorum faciunt, atque fecerunt ; et culpa sua in pœnam mortis incurrerent, si regem suum repudiassent, quod sciebat esse facturos. »

Et Moses Bar-Cepha[1] legem Adamo datam a Deo refert « ad hoc, ut intelligeret libertatem sibi, facultatemque arbitrii a Deo datam esse, cum ab illo conderetur. Neque enim legem ipsi imposuisset particularem, et quæ ex voluntate penderet, ne de arbore ederet scientiæ, nisi ante libertate potestateque proprii arbitrii ipsum donasset, qua, si vellet, observaret legem, sin nollet,non observaret.» Et postea, « Homines, si volunt, servant, si nolunt, non servant suas leges. Pendent enim ex libero hominum arbitrio. » Habes liberæ potestatis, arbitriique liberi graphicam delineationem ; cujusmodi præclare ab Ambrosio tradita est in primo libro *de Hexaemero* capite VIII. « Quorum igitur nos sumus domini, inquit, horum principia extrinsecus non requiramus, nec derivemus in alios, sed agnoscamus ea, quæ proprie nostra sunt. Quod enim possumus non facere, si nolimus, hujus electionem mali nobis potius debemus, quam aliis adscribere. Ideo etiam in judiciis istis voluntarios reos, non ex necesssitate compulsos, culpa constringit, pœna condemnat. Neque enim, si per furorem aliquis innocentem peremerit, obnoxius morti est. » Atqui sponte, et ex voluntate cædem illam furiosus perpetrat, nec minus ratione intelligentiaque cognitam. Quid ergo prohibet, quominus novi Dogmatistæ libere commissum illud esse facinus, ac legibus plectendum esse decernant ? Huc refer, quod Alchuvinus interrogatione V *in Genesim*, cum quæsisset, « Cur homo suæ potestatis auctor est creatus, » respondet, « Ut sibi ipse auctor esset ad vitam, sive ad mortem. Si vero necessitate esset subjectus, tunc nec boni operis habet gloriam, nec mali pœnam, sed esset quasi unus ex pecoribus. »

Conclusio ex dictis.

XVII Ad extremum communes illæ, usitatæque priscis Patribus formulæ loquendi, Calvinum, ac cæteros liberi eversores arbitrii silere jubent, cum ita dicunt : laudem, ac vituperationem, pœnam, atque præmium eatenus mereri homines actionibus suis, quod plenam, et ad utrumque liberam earum potestatem habent ; nempe cum sic agant, ut, si vellent, possent non agere. Quod imprimis Scriptura commendat[2], quæ illi gloriam æternam attribuit, *qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala, et non fecit.* Eodemque loca cætera pertinent, quæ ad probandam electionis humanæ libertatem alias attulimus[3].

Clemens Alexandrinus in primo *Stromateon*, « Neque vero, inquit, aut laudationes, aut vituperationes, aut honores, aut supplicia justa essent, nisi penes animam potestas esset appetitionis, et aversionis, ac si minime voluntaria esset malitia [a]. » Sic Eusebius Cæsariensis in libro VI *de Præparatione Evangelica*, sublata illa hominis ad utrumvis motione libera, supervacaneas esse leges ait, et ab his decreta præmia, vel supplicia, tum cohortationes, et increpationes. Epiphanius similiter contra Fatum disputans eumdem locum pertractat in hæresi *Phariseorum*[4] ; tum Cyrillus Alexandrinus libro II *contra Julianum* quem cap. X citavimus, et libro V *in Joannem* ; Boetius in librum *de Interpretatione* : « Quod si omnia vel casu, vel necessitate fierent, nec laus digna bene facientibus, nec ultio delinquentibus, nec leges ullæ essent justæ, quæ aut bonis præmia, aut malis restituerent pœnas. » Gregorius Nyssenus in oratione *de sanc. Ephræm :* « Ex iis quæ habemus in nostra potestate, sunt laudes, et eorum, quæ libero utuntur arbitrio, præmia [b]. » Philemon in *Palamede* apud Stobæum [5] :

Ἀνὴρ δικαίος ἐστιν οὐχ ὁ μὴ ἀδικῶν·
Ἀλλ' ὅς, τις ἀδικεῖν δυνάμενος μὴ βούλεται.

« Justus vir ille est, non qui inique nil facit,
Sed facere qui, cum possit, haudquaquam [velit. »

XVIII. Vide quæ ex Damasceno capite antecedenti ad idem negotium attulimus. Ac profecto, cum laus, mercesque virtutis, et recte factorum *coronæ* nomine designari in Scriptura soleat[6], *non possit* autem *corona esse*

a CLEM. ALEX. I *Strom.* Οὔτε δὲ οἱ ἔπαινοι, οὔτε οἱ ψόγοι, οὔτε αἱ τιμαὶ, οὐθ' αἱ κολάσεις δίκαιαι, μὴ τῆς ψυχῆς ἐχούσης τὴν ἐξουσίαν τῆς ὁρμῆς, καὶ ἀφορμῆς, ἀλλ' ἀκουσίου τῆς κακίας οὔσης.

b GREG. NYSS. Τῶν ἐφ' ἡμῖν γὰρ οἱ ἔπαινοι, καὶ τῶν αὐτεξουσίων τὰ γέρα.

1 Lib. *de Paradis.* par. I, cap. XXVIII.— 2 *Eccles.* XXXI, 10.— 3 Supra, cap. II.— 4 Hær. VI.— 5 Stob. serm. IX *de Justitia.*— 6 II *Tim.* II, 2 et c. IV, 8.

sine certamine, ut post Apostolum[1] ait Ambrosius[2], nec certamen absque dubio, incertoque victoriæ exitu ; perspicuum est, sic pugnare nos contra vitia, ut, cum iis resistimus vinci ab illis, et eadem, qua repellimus, cedere voluntate possimus. Est autem, uti repudiare nihil aliud, quam *nolle*, ita cedere idem, ac *velle* iis obsequi. Igitur tum maxime, cum malæ cogitationi consentire nolumus, possumus, si ita visum nobis fuerit, consentire velle ; idque non aliunde, quam ex arbitrii libertate fit. Quamobrem si tota meriti ratio ex intima, et naturali libertatis proprietate petitur, hæc ipsa in volendi, nolendive potestate, hoc est alterutrius eligendi, ac faciendi constituitur. Sexcenta sunt ejusdem generis testimonia veterum, et in promptu posita, quæ longius prosequi supervacaneum est.

1 II *Tim.* II, 5.— 2 Lib. I *de Abel et Cain*, cap. V.

THEOLOGICORUM DOGMATUM

DE OPERE SEX DIERUM

LIBER QUARTUS

IN QUO EX AUGUSTINI SENTENTIA LIBERI ARBITRII NATURA CONSTITUITUR.

CAPUT PRIMUM.

Calvinum, aliosque hæreticos, et horum dogmati faventes unum præ se ferre Augustinum; atque hos illis longe hac in parte intolerabilius errare. Constituitur quæstionis status. In quo sit posita liberi arbitrii notio. Illustratur similitudo duplex oculi, et pedis, qua usus est Augustinus; ex eaque liberi arbitrii integritas, morbus, et curatio definitur.

Qui de libero arbitrio novam, indoctamque fabulam superiore sæculo commenti sunt hæretici, et qui ex eorum manibus acceptam probro majore nuper obtruserunt catholici nominis theologi, omnes Augustinum fere nominant fundum opinionis illius, et auctorem. Calvinus quidem [1], (nam qui hujus hæresim norit, ejusdem farinæ omnes noverit) sic Augustino inhæret uni, ut veteres omnes, uno hoc excepto, clamitet, « in hac re aut variare, aut vacillare, aut perplexe loqui ; ut certi fere nihil ex illorum scriptis referre liceat.» Et in libro tertio *contra Albertum Pighium de libero arbitrio* [2], « Hinc illa, inquit, quam uni Augustino præ aliis tribuo, veræ sanæque doctrinæ perspicua, certa, exactaque explicatio ; hinc et ille consensus, quem illi nobiscum esse glorior. » Idipsum et Romanæ communionis hostes reliqui præ se ferunt; et quibus sub catholica, uti dixi, professione ejusdem est de arbitrii libertate profani dogmatis communio. Atque hoc etiam isti flagitiosius, quam illi faciunt, quod hæretici palam interdum, et aperte liberum peccato primi parentis arbitrium periisse jactitant, dum titulum esse sine re [3], et inane simulacrum asserunt ; nostri autem, qui generalium conciliorum, et Romanorum Pontificum decretis, ac tot theologorum responsis circumcludi, et arctari se cernerent, quominus liberum arbitrium funditus eriperent, appellatione relicta sola, vim ejus, ac naturam prave interpretando sustulerunt. Libero enim arbitrio non necessitatem simplicem, sed solam vim, et coactionem opponere conati sunt. Ita in illum recidunt Lutheri, et Calvini titulum sine re, vel rem de solo titulo, vel libertatis ementitæ larvam, ac speciem.

II. Quin hoc ipso projectiore, quam hæresiarchas istos, audacia esse illos ostendimus, quod hi unum fere sibi Augustinum vindicant; cæteros Patres aut valere prorsus jubent, aut non valde sibi adversari si probent, satis habere se existimant. At nuperi theologi adeo minus pudenter hac in causa versantur, ut se Augustino negent uno esse contentos, quem extra controversiam suis partibus ascribunt; sed reliquos etiam Græcos, ac Latinos Patres ejusdem secum societate opinionis implicent, nemine prorsus excepto. Imo vero quod est effrenatius, recentiores ipsos scholasticæ theologiæ magistros, atque ipsum adeo sanc. Thomam, defendere student sibi ; qui illorum opinionem ambage omni remota prorsus hæreticam vocat. Verum, quod ad Patres Augustino antiquiores spectat, vel æquales ejusdem, maxime Græcos, et falso et imperite talem illis impositam esse calumniam, superiore libro demonstravimus ; in quo etiam de Augustino non pauca commemorata sunt, quæ nunc plenius, uberiusque perse-

Intolerabilius quam veteres hæretici errant novi dogmatistæ.

1 Calv. lib. II Inst. cap. II, § 4 fol. XLVI, col. 3.— 2 In opusc. Theol.— 3 Lib. III superiori cap. I.

quar, propria huic uni attributa tractatione, quod in illum præcipua, ut jam dixi, vis controversiæ, ac disputationis incumbit.

Quamobrem de Augustino potissimum agam hoc in libro, perficiamque, Deo juvante ut intelligant omnes, tum de liberi arbitrii natura egregie illi nobiscum, et communi cum sententia convenire, atque ab istorum novitate reipsa multum discrepare; tum, si quid interdum offensionis inest illius in verbis, id explicatu esse facile; nec propterea secus ac Patres reliqui, et Catholica ipsa doctrina continet, de humana libertate statuisse. Hoc autem duplici, opinor, ratione, consequemur; primum si liberum arbitrium, hoc est rem ipsam eo significatam nomine, cujusmodi superioribus capitibus complexi sumus, auctore probemus Augustino; et quod alias liberum arbitrium culpa primi parentis extinctum, amissumque prædicat, non eo valere, ut naturalis in homine facultas perierit, sed alio, commodoque sensu esse dictum, nec ei, quod a nobis ante constitutum sit, adverso. Quæ nostra disputatio cum omnes oppugnabit universe liberi eversores arbitrii, ac mendacii, et calumniæ tanti viri nomini temere inustæ reos illos peraget; tum imprimis eos, qui sub catholica professione iisdem, quibus nos, fidei regulis obliganti, communem tamen cum illis habent opinionis absurdæ pravitatem.

Quæstionis status constituitur

III. Ut autem ancipitem verborum contentionem, conflictumque vitemus, quid sit in quæstione situm, et quid ex Augustino probare deinceps oporteat, velut in medio ponemus. Nec longe quærendum illud est; jam enim ab Tridentinæ synodi Patribus præscripta nobis est de hac re judicandi, loquendique formula, cum ita decernunt: « Omnes homines in prævaricatione Adæ innocentiam perdidisse[1], immundosque factos usque adeo servos esse peccati, et sub potestate Diaboli, ac mortis, ut non modo gentes per vim naturæ, sed ne Judæi quidem per ipsam litteram legis Moysi, inde liberari, aut surgere possent tametsi in eis liberum arbitrium minime extinctum esset, viribus licet attenuatum, et inclinatum. » Itaque duo sunt in voluntate distinguenda, ac diligenter notanda; quæ et nuperæ factionis coryphæi sic explicant. Unum est, inquiunt, « potentia, seu facultas illa, quam vulgo liberum arbitrium appellamus, sine cujus motu, hoc est voluntate, sive voli-

tione, nihil recte, aut perperam ab homine, aut Angelo sive stante, sive jam lapso fieri potest. » Alterum est « certus quidam, et laudabilis istius potentiæ status, » quo ea fit libera, et peccati servitute, ac vinculis expedita, Deo se subjicit; quam libertatem in charitate consistere, iidem illi docent nuperi theologi. « Ipse enim, inquiunt, amor creatoris, sive veritatis, est formalis libertas ejus. » Horum duorum quod prius est, asserunt illi, in Adamo post peccatum hæsisse, atque in ejus posteris nondum renatis, ac justificatis manere, quoniam naturæ propria est affectio, quæ aboleri culpa nulla potuit: posterius autem primi hominis delicto sublatum et extinctum esse dicunt.

Quo utroque recte constituto, (est enim Tridentinæ synodi decretis, et fidei catholicæ consentaneum) de eo tota nobis suscipienda dimicatio est, non ut esse tantum liberum in hominibus arbitrium prioris illius generis, ex Augustino probemus, sed ut tale monstremus esse, quale communis habet sensus, et opinio, et cujusmodi eadem synodus informavit canone illo quarto sessionis VI quem in primo capite antecedentis libri descripsimus; nempe « liberum arbitrium sic cooperari assentiendo Deo excitanti, et vocanti, ut possit dissentire, si velit. » Hoc enim nihil aliud est, quam in neutrum inclinare necessario; sed ita Dei vocationem amplecti, ut, si vellet, repudiare posset. Quem statum *indifferentem* hoc est nulla re necessario definitum, et obligatum appellant theologorum ac philosophorum scholæ. Aut appelletur sane aliter, utut visum erit, dum res ipsa teneatur, naturalem hanc esse voluntatis humanæ facultatem, ut ad bonum, malumve liberam habeat electionis et arbitrii vim, hoc est, nulla trahente necessitate, in hanc, illamve partem suopte nutu, ac momento vergere possit.

Vera liberi arbitrii notio.

IV. Est inquam, illa libertatis vocabulo subjecta notio, cum voluntatem, et agendi principium significat, quod *libera voluntas*, vel liberum arbitrium dicitur, ut sit facultas quædam, qua sic unum voluntas eligit, et asciscit, ut possit non eligere; vel ex duobus propositis unum vult, rejecto altero, quod, si vellet optare posset, illo, quod anteposuit, spreto ac relicto. In hanc liberi arbitrii rationem docti pariter, indoctique consentiunt; eoque duce natura vehimur omnes, si huic auscultare potius, quam rixari et contendere

1 Trid. Syn. Sess. VI, c. 1.

delectat. Nec jam illud quæritur, possitne viribus suis ac suopte marte, sine cujusquam adminiculo, in utrumvis inclinari voluntas hominis; an aliena ope roboranda, fulciendaque sit. Nam quocunque tandem modo opus suum faciat, dum hoc facit, id est dum libere unum eligere dicitur, nemo, qui hoc audit, aliud cogitat, nisi voluntatem neutri alligatam necessario, ex pluribus sibi propositis unum elegisse præ altero, cum hoc illi, si mallet, anteferre potuisset. Etenim sicut ambulare, si simpliciter, ac per se, præcisaque omni altera notione consideretur, nihil aliud est, quam promovendo gressu ab uno loco ad alium progredi; ac tam ille ambulat, qui sustentante et adjuvante altero procedit, quam qui per se solus ingreditur. Ut etiam videre oculus dicitur eo ipso, quod lumen, et colores percipit, sive solus, ac suapte vi id agat, sive adjuvante aliquo; sic libero arbitrio agere, id est libere eligere dicitur, qui ex duobus, quæ in potestate habet, id est, quæ optioni ejus permissa sunt, uno repudiato, alterum sumit, cum posset etiam illud, quod repudiavit, eligere, et id repudiare, quod elegit. Hoc, inquam, præcise, et alia omni dempta consideratione, subest liberi arbitrii vocabulo, sive istud ex sese, suisque viribus faciat, sive alieno adjutum auxilio. Nam utraque illa tum pedis, tum oculi similitudine Augustinus utitur, ut illam declaret opitulantis gratiæ necessitatem, in libro *de Natura et gratia*, cap. XXII et XXVI. Oculi vero præcipue συνέργειαν illam gratiæ, et voluntatis, quam ex Tridentina synodo propugnamus, illustrat in XXVI cap. « Sicut enim oculus, inquit, corporis etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere; sic homo etiam perfectissime justificatus, nisi æterna luce justitiæ divinitus adjuvetur, recte non potest vivere. Sanat ergo Deus, non solum ut deleat, quod peccavimus, sed ut præstet etiam, ne peccemus. » Et alibi[1]: « Sicut corporis oculus non adjuvatur a luce, ut ab eadem luce clausus, aversusve discedat, ut autem videat, adjuvatur, neque hoc omnino, nisi illa adjuverit, potest; ita Deus, qui lux est hominis interioris, adjuvat nostræ mentis obtutum, ut non secundum nostram, sed secundum ejus justitiam, boni aliquid operemur. » Quanquam interest lucem inter, qua oculus adjuvatur, et gratiam, quæ animo succurrit; « quod, ut hic convertatur, ipsa adjuvat; quod certe oculis corporis lux ipsa non præstat, » ut ibidem scribit Augustinus. Valet tamen ad id, quod hic agitur, lucis ista similitudo, ut, quemadmodum oculus qualicunque adjutus auxilio, id, quod est oculi, nihilominus confert et efficit; sic liberum arbitrium, utcunque gratia sanatum et corroboratum, non aliter, quam ut libero arbitrio convenit, agat, et nitatur.

Illustratur oculi et pedis comparatione.

Cooperationem.

Irenæus quoque usum libertatis gratiæ adjunctæ similitudine eadem explicat: « Neque lumen, inquit[2], cum magna necessitate subjiciet sibi quemquam, neque Deus cogit eum, qui nolit continere ejus artem. » Ubi quod de *coactione* dicit, superiore libro ab novæ factionis præstigiis extricavimus.

V. Igitur *recte vivere*, quod cum gratia posse hominem ait Augustinus, idem est, quod recte ambulare recteque videre. Quod ad animum translatum valet hoc, recte sapere, sive recte arbitrari ac judicare, recteque velle, quod est libere velle; quæ duæ sunt arbitrii liberi partes, ut ex Bernardo præsertim libro primo docuimus; quarum prima, quæ *arbitrium* vocatur, ad rationem et intelligentiam spectat, altera, quæ liberum est vel libertas, ad voluntatem. Utraque pars peccato vitiata et infecta, *medicinali*, ut loquitur Augustinus, *gratia* curatur. Vitiatam dico, et infectam, non extinctam. Ita enim Tridentina sanxit synodus[3], cum ait: « Tametsi in eis liberum arbitrium minime extinctum esset, viribus licet attenuatum et inclinatum. » « Sicut ergo vulnere[4], verbi gratia, claudicans ideo curatur, ait Augustinus, ut, sanato malo præterito, futurus dirigatur incessus; sic mala nostra non ad hoc solum supernus medicus sanat, ut illa jam non sint, sed ut de cætero recte ambulare possimus. » Sanatur ergo, et præsidio gratiæ, nt *operari*, vel *cooperari* possit, adjuvatur. Operatur autem utraque facultas, voluntas, et ratio id, ad quod agendum a natura facta, comparataque est, quidquid cooperante et adjuvante agit gratia. Nam et mens ac ratio judicat, e duobus propositis unum amplectendum esse; et libertas, id est libera voluntas, rationis arbitrium sequens, unum eligit duorum, ac libere id facit, hoc est, ut paulo ante dixi, neutri addicta sic, ut non alterum, si vellet, eligere posset. Nam, si aliter agendo cooperatur, utputa necessario, quamvis sponte, nec ambo in potestate habet; non ut liberum arbitrium agit, sed ut voluntas,

1 Lib. II *de Peccat. mer.* cap. V.— 2 In lib. IV, cap. LXXV.— 3 Sess. VI c. I, et can. I.— 4 Aug. l. *de Nat. et gr.* c. XXVI.

appetitioque simplex. Quare neque liberum arbitrium sanari, aut adjuvari dicèndum est, superveniente gratia, neque cooperari gratiæ; quia liberi arbitrii more, modoque non agit. Quemadmodum si morbus pedis, ex quo claudicatio est orta, curetur sic, ut, sublato vitio, progredi pes amplius nequeat, nisi alieno trahatur impulsu, non sanatus esse pes ambulans, neque ad ambulandum adjutus esse dici debet; quoniam ambulare non est quoquo modo ab hoc loco ad alterum transire, sed ita, ut id interno motu, impulsuque fiat. Sic etiam oculus, qui caligine offusa videre nihil poterat, cum, infusa luce, caligo illa detergitur; si videre amplius, ut oculi est natura, non potest. hoc est eo agere modo, ac sentire, quo qui agit oculus videre dicitur; nec ad videndum sanatus est, neque cum luce operatur, id est *cooperatur*, quoniam quælibet actio altera, oculi actio non est, id est visio, nisi quæ naturali vi, et agendi modo *cooperatur*. Cum igitur arbitrium liberum, quod in primo parente integrum sic erat, ut, quod liberi arbitrii est, facere posset, nimirum agere, vel non agere, bene item agere vel male; cum hoc, inquam, arbitrium, culpâ sauciatum, *medicinali gratia reparari* dicitur, nisi proprio ac naturali modo, id est minime necessario, sed ad utrumvis libera inclinatione deinceps agat; neque curari dicendum est, neque operari cum opitulante gratia, sed in aliam, et diversam ab pristina operandi transisse speciem. Hæc satis sunt ad novos theologos vel noctuarum more cæcutientes, vel in recto fidei tramite claudicantes, ab falsæ opinionis morbo curandos. Sunt enim expressissima, et ex Augustini sensu, doctrinaque deprompta; quam quidem locis ejus aliquot in medium prolatis manifestiorem faciam, in quibus liberi naturam arbitrii, qualem dixi, summa verborum ac sententiarum perspicuitate defendit.

CAPUT II.

Augustinum liberi arbitrii potestatem in natura vitio Adami corrupta constanter agnovisse, nec extinctam putasse. In quo Pelagii sita sit hæresis, et quid contra eam senserit Augustinus. Tum ex ejus cum hæreticis conflictu intelligi, cum liberi arbitrii naturam eamdem cum communi usu, et sententia constituisse in indifferenti ad utrumvis potentia: et ab nupera calumnia longe abhorruisse.

Omnis, quæ de gratia, et libero arbitrio inter Pelagium et Augustinum est mota controversia, in eo vertebatur, quod Pelagio placebat, « non solum ad facienda, verum etiam ad perficienda mandata divina, per liberum arbitrium humanam sibi sufficere naturam, » ut in epistola XCV *ad Innocentium Papam* ipse cu collegis suis scribit Augustinus. Cum etiam naturalem hanc liberi arbitrii vim, ac libertatem appellaret gratiam, ut ne penitus Dei gratiam homini recte ad agendum esse necessariam, negare videretur, atque ab adversariorum, imo vero totius humani generis insectatione hac sè calumnia liberaret: « Naturam enim creati hominis referre gratiam creatoris dixit[1], atque ita se dicere sine peccato implere posse justitiam per liberum arbitrium, cum adjutorio divinæ gratiæ, quod Deus hoc dederit homini ipsa possibilitate naturæ. Et in libro *de Spiritu, et littera*, capite II, Pelagianorum ita declarat opinionem; « quod putarent, sine adjutorio Dei, per seipsam vim voluntatis humanæ vel justitiam posse perficere, vel ad eam tendendo proficere. » Mox addit, « Sed, cum urgeri cœperint, quomodo id præsumant asserere, fieri sine ope divina, reprimunt se, nec hanc vocem audent emittere, quoniam vident, quam sit impia, et non ferenda. Sed aiunt, ideo ista sine ope divina non fieri, quia et hominem Deus creavit cum libero voluntatis arbitrio, et dando præcepta, ipse docet, quemadmodum homini sit vivendum, et in eo utique adjuvat, quod docendo aufert ignorantiam, ut sciat homo in operibus suis, quid evitare, et quid appetere debeat, quo per liberum arbitrium naturaliter insitum viam demonstratam ingrediens, continenter, et

1 Aug. in ead. ep. XCV.

juste, et pie vivendo, ad beatam, eamdenque æternam vitam pervenire mereatur. » Igitur Pelagius arbitrabatur, liberum arbitrium per se, ac nulla gratia corroborante et adjuvante, præterquam sola lege, ac Dei mandato, pie, ac juste posse vivere.

Huic contrarium fidei catholicæ dogma opponit Augustinus.

II. Huic contrarium fidei catholicæ decretum ita statim concipit Augustinus [1] : « Nos autem dicimus, humanam voluntatem sic divinitus adjuvari ad faciendam justitiam, ut, præter quod creatus est homo cum libero arbitrio voluntatis, præterque doctrinam, qua ei præcipitur, quemadmodum vivere debeat, accipiat Spiritum sanctum, quo fiat in animo ejus delectatio, dilectioque summi illius, atque incommutabilis boni, quod Deus est, » etc. Et in epistola XCV. « Ad non peccandum, inquit, id est ad non male faciendum, quamvis esse non dubitetur arbitrium voluntatis, tamen ejus potestas non sufficit, nisi adjuvetur infirmitas. » De naturali itaque facultate, id est libero arbitrio, nulla inter illos movebatur quæstio, sed de adjutorio liberi arbitrii, hoc est gratia Christi, quæ voluntatem liberam Adami culpa vitiatam sanat, debilem erigit, infirmam adjuvat, et sine qua nihil ad salutem spectans efficere posse liberum docet arbitrium.

Quocirca nihil aliud postulat a Pelagio, quam « ut anathemet, quod in scriptis suis affirmarat, possibilitatem naturæ ad vincenda peccata, et implenda mandata, » etc., ut fateatur « sine gratia hominem sine peccato esse non posse [2]. Vide et in libro *De gratia Christi, et originali peccato*, præsertim capite quarto, ubi Pelagii sententiam ipsius verbis explicat, quibus asserebat possibilitatem recte agendi, et non peccandi esse a natura; velle autem in libero situm arbitrio, cujus effectus est esse id, quod volumus, idque sine ulla altera gratia, quam naturali facultate suppetere. Et in capite XXXI ejusdem Pelagii verba describit, quibus « liberi arbitrii potestatem dicebat in omnibus esse generaliter, Judæis, atque gentilibus. In omnibus est liberum arbitrium æqualiter per naturam, sed in solis Christianis juvatur a gratia. » Contra quem Augustinus: «Iterum quærimus qua gratia?» De libero arbitrio nihil; quod profecto faceret, si aliter, atque ille, de eo sentiret. Rursus in libro II *de Nuptiis, et concupiscentia*, capite tertio, cum Julianus quereretur, negari a Catholicis liberum arbitrium; quod si quis assereret, «statim Cœlestianum, et Pelagianum vocari; » ita inter cætera occurrit Augustinus: « Liberum itaque in hominibus esse arbitrium, et Deum esse nascentium conditorem, utrique dicimus; non hinc estis Cœlestiani, et Pelagiani, » etc. Si in voce tantummodo *liberi arbitrii* cum Catholica fide concordarent hæretici illi, re autem ac verbi notione dissentirent; ridicule hoc Augustinus diceret. Non enim voces, sed vocibus subjecti sensus hæreticos proprie faciunt, aut Catholicos. Non dubitaret ergo, quin hæretici forent, et eo detestabiliores, quod sub eodem vocabuli sono diversum, et impium dogma, eoque ad decipiendum aptius occultarent. Itaque, cum in Pelagii scriptis legisset illud [3], « Sive per gratiam, sive per adjutorium, sive per misericordiam, et quidquid illud est, per quod esse homo absque peccato potest, confitetur, quisquis rem ipsam confitetur; ait [4], se lætitia repente esse perfusum, quod Dei gratiam non negaret, per quam solam homo justificari potest; » verum statim fraudem, ac dolum comperisse, cum in sequentibus animadvertit, Pelagium gratiæ nomine, non medicinalem Christi virtutem, sed naturalem vim, ac potentiam intelligere.

Eadem Augustini e Pelagii de natura liberi arbitrii sententia.

III. Quare de naturali potentia, id est libero arbitrio, nullum Pelagio negotium fecit Augustinus; neque hoc illum profiteri jussit: Liberum arbitrium post peccatum primi parentis jam esse nullum, sed deletum et extinctum; neque damnare eos anathemate, qui dicerent, posse hominem per liberum arbitrium esse sine peccato, aut ad vitam eniti ac salutem; sed hoc solum fateri voluit, per solum liberum arbitrium nulla Christi adjutum gratia, non posse vitare peccatum; et id ipsum damnare, suis illud viribus, et naturæ sola possibilitate præstare. Vide caput XLII libri ejusdem *de natura, et gratia*, et sequentia deinceps; ex quibus intelligitur [5], Pelagium ipsam non peccandi possibilitatem non tam in arbitrii potestate, quam in natura ipsa posuisse. Ex quo duo conficiebat: alterum, quoniam natura solum habet auctorem Deum, *absque Dei gratia, non dici* posse, hominem esse sine peccato, *quod ad Deum proprie pertinere monstratur*: alterum, sicut natura non potest eripi, sic neque *possibilitatem* illam non peccandi posse detrahi, atque ita non periisse in nobis ex Adami culpa. Uno verbo non hoc damnat Augustinus in Pelagio, posse homi-

1 Ibid. cap. III.— 2 Lib. *de Nat. et grat.* c. X.— 3 Idem c. XI lib. *de Nat. et grat.*— 4 Cap. XII.— 5 Ibid. c. LIII.

nem per liberum arbitrium esse sine peccato, vel recte posse vivere, sed hoc tantum, posse hoc per solas arbitrii liberi vires, nulla opem ferente gratia Christi. Hinc ejusdem libri capite LXII cum Pelagius Hilarii dictum attulisset, quo significat, « hominem posse esse mundo corde; » nihil hoc esse respondet Augustinus, et « quid dixerit, inquit, contra id, quod dicimus, vel quid istum adjuvet, vere nescio, nisi quia, posse esse hominem mundo corde, testatus est. Quod quis negat? Sed gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, non sola arbitrii libertate. »

Et capite LXIII cum Pelagius idem Sixti Papæ, (ut quidem putabat, cum esset revera Sixti philosophi) testimonium objecisset, quo asserebat, « libertatem arbitrii sui permisisse hominibus Deum, ut pure et sine peccato viventes similes fiant Deo; » non hoc negat Augustinus, neque liberum arbitrium post peccatum Adami periisse dicit; verum occurrit sic: « Sed ad ipsum arbitrium pertinet vocantem audire, et credere, et ab eo, in quem credit, non peccandi adjutorium postulare. » Tum libro primo *de gratia Christi*, capite VI contra id, quod Pelagius scripserat, « Possibilitatem, quam in natura ponebat, gratiæ suæ adjuvare semper auxilio Deum, » hoc solum opponit: « Non ait ipsam voluntatem, vel ipsam operationem; quod si diceret, non abhorrere a doctrina Apostolica videretur. » Tanquam in eo solo culpandus sit, quod *possibilitatem*, id est naturalem ipsam potentiam liberi arbitrii, per se, ac sine adjutorio gratiæ agere dixisset.

IV. Præterea capite VII libri ejusdem primi *de gratia Christi*, verba illa Pelagii expendens, « Deus gratiæ suæ auxilium subministrat, ut, quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam; » duo tantum in iis desiderat: primum *ut ostendat*, *quam velit intelligi gratiam*, ne legem tantummodo dicat esse adjuvantem gratiam: deinde ut vocem, *facilius*, tollat. « Tolle, facilius, inquit [1], et non solum plenus, verumetiam sanus est sensus, si ita dicatur, ut, quod per liberum facere jubentur homines arbitrium, possint implere per gratiam. Cum autem, facilius, additur, adimpletio boni operis etiam sine Dei gratia posse fieri, tacita significatione suggeritur. » Ergo si quod Pelagius liberum inesse homini putabat arbitrium, id Christi gratia ad recte agendum adjuvari diceret, verbum cum eo non commutaret Augustinus. Nunc autem hoc unum redarguit, quod « gratiam confitebatur [2], qua demonstrat, et revelat Deus quid agere debeamus, non qua donat, atque adjuvat, ut agamus. » Quod in capite XXV evidenter ostendit, ubi eumdem refellit hæreticum dicentem, gratiam Dei tantummodo « possibilitatem adjuvare naturalem, » contra quod affirmat, etiam « velle et operari in nobis operari. Non quia nos non volumus, aut nos non agimus, sed quia sine ipsius adjutorio nec volumus aliquid boni, nec agimus. » Ergo agimus et volumus, hoc est voluntas nostra, et liberum arbitrium, ut ibidem exprimit, agit, et vult, cum adjuvatur gratia. Agit, inquam, ut liberum est arbitrium, et ut natura facultatis hujus exigit, non autem alio modo, quam quo agere debet, potestque. Ecquis porro iste ipse modus est? quæ arbitrii liberi propria conditio, atque natura? Dictum id quidem est superiore libro, præsertim capite tertio, et sequentibus, ubi ex theologis, et Patribus, ad quos nuperi provocant novæ libertatis architecti, demonstratum id est, liberum arbitrium a voluntate differre hoc ipso, quod illud necessitatis nexibus expeditum agere possit, vel non agere, et ex sese neutram in partem definitum sit; ista vero necessitate aliqua constringi possit, cum neutri vis, et coactio possit inferri. Quare si recte, et ex rei veritate, ac natura, non ex Aristotelis tantum, et humanæ sapientiæ placitis, constituta vis, et ratio est humanæ libertatis; profecto non alio sensu liberum arbitrium usurpavit Augustinus, quam quo sanc. Thomas, Patresque cæteri, Nemesius, Joannes Damascenus, et alii sumpserunt, quorum sententias toto pene antecedenti libro descripsimus. Ita naturalem in homine potentiam post peccatum quoque primi parentis inesse sensit Augustinus, quæ præsidiis excitata, et armata gratiæ, libere consentit inspirationi divinæ, hoc est ita, ut dissentire possit; quod synodus Tridentina decrevit. Nam, si dissentire non potest, non ex libero arbitrio, sed ex sola voluntate consentit. Vide insuper ejusdem Augustini librum *de gestis Pelagii* [3], ubi cum hæreticus iste possibilitatem naturalem, et gratiam sæpe nominaret, nihil ab eo postulat aliud, quam ut ancipitem vocis gratiæ significationem clarius, ac distinctius explicet.

1 Ibid. c. XXIX.—2 Cap. VIII.—3 Præsertim cap. VI, VII, VIII, IX, X.

Certa Augustini sententia indagatur.

V. Licet autem ad indagandam, et certo definiendam Augustini sententiam generalis ista ratio sufficiat, libet tamen in eo pressius insistere, atque ex illa, quam hoc capite proposuimus, contra Pelagianos concertatione rem plane conficere, ut muti esse vel erubescere, si quid ingenuæ frontis habent, cogantur adversarii, dum causam suam cæterorum Patrum apertis damnatam suffragiis, ementita unius Augustini auctoritate defendunt. Contra quos brevi hac argumentatione negotium omne concluditur. Cum de liberi arbitrii viribus, deque *possibilitate*, ut vocant, recte agendi Pelagius, et Augustinus inter se confligerent, in eamdem rei, de qua agebatur, notionem significationemque convenire illos oportuit; alioqui nulla nisi inepta et ridicula potuit inter ipsos esse contentio. Arbitrium itaque liberum cum nominabat Pelagius, ut hoc suis esse contentum operibus, ac sine Christi gratia, per sese recte, aut male agere posse diceret; Augustinus e contrario, nisi Christi adjutum gratia nihil boni facere posse pugnaret; prorsus, nisi cæci in disputando ferrentur, eamdem rem ac significationem ambo ei vocabulo subjecerunt, quod est *liberum arbitrium*. Hoc si non facerent, temere ac sine fructu conflictatus in eo esset Augustinus, ut hæreticum illum falsa dixisse monstraret, cum diverso, ac dixisset ille, sensu verba ejus acciperet.

Id in alia controversiæ parte, quæ inter illos fuit, licet intueri, quæ est de gratia. Hæc utrum libero arbitrio ad recte agendum, declinandumque peccatum necessaria sit, an sine ea suis illud viribus possit præstare, quærebatur inter ipsos, multumque de eo contendebatur, Pelagius initio gratiam negabat esse necessariam; post Christianorum offensione commotus, cœpit necessitatem fateri gratiæ, sed subdole, et astute, gratiam intelligens eam, quæ natura est insita, voluntatis facultatem, aut etiam legem; non illam, quæ Christi concessa meritis hominem sanat, et ad recte agendum adjuvat. Cum igitur de gratia disputarent inter se, nihil prius faciendum putavit Augustinus, quam ut vox ipsa gratiæ, ejusque notio et significatio constaret, ne in ambiguo et ancipiti vocabulo ridicule, ac sine fructu tumultuarentur. Quare in libro *de Natura, et gratia*, et in eo, qui est *de gratia Christi*, et in omnibus fere, quos contra hanc hæresim edidit, perpetuo discrimen illud gratiæ, et ambiguitatem nominis, ac Pelagianorum fallacias commemorat.

Necnon Pelagii.

VI. Altera porro quæstionis pars in eo sita fuit, quod Pelagius liberum hominis arbitrium in Adamo, postquam lapsus est, et in ejus posteris, sanum ac valens fuisse, et esse semper assereret, neque aliis, quam naturæ præsidiis ad agendum opus habere; liberi autem arbitrii vocabulo natura inditam homini facultatem intelligebat, quæ ad utrumvis indifferentem propensionem habet, et non modo cogi, sed ne simplici quidem necessitate potest aliqua constringi. Quod adeo vel adversarii ipsi confitentur, qui libertatem voluntatis in illo indifferentiæ statu constituentes Catholicos Pelagiani erroris insimulant, tanquam ejusmodi naturam, definitionemque liberi arbitrii ab Hæretico illo didicerint, qui eamdem ab Aristolele, ac profana philosophia traditam acceperit. Quinetiam ex Augustini libris, in quibus Pelagium oppugnat, et ex ipsis ejusdem Hæretici verbis, quæ nonnunquam describit, perspicuum est, libertatem voluntatis et arbitrii sic acceptam ab illo, et ubique jactatam; ut cum in libro primo *pro libero arbitrio*, ut refert Augustinus[1], ita scribebat: « Habemus possibilitatem utriusque partis a Deo insitam, velut quamdam, ut ita dicam, radicem fructiferam, atque fœcundam, quæ ex voluntate hominis diversa gignat, et pariat, et quæ possit ad proprii cultoris arbitrium vel nitere flore virtutum, vel sentibus horrere vitiorum. » Vide et caput XLII ejusdem libri; et in libro secundo *de Peccatorum meritis, et remissione*, capite XVIII. « Voluntatis arbitrium, ex Pelagii sententia, tale esse dicit, quod huc, atque illuc liberum flectitur. »

Lege non cogi.

Tum Julianus Pelagianæ columen sectæ, passim eam libertatis rationem inculcat, cujus hæc verba leguntur apud Augustinum[2]: « Catholici, id est nos dicimus, quod ab initio usque ad finem, sine aliquo naturalium coactu, voluntas et ante baptisma in unoquoque delinquit; quæ illo ipso tempore, quo peccat, potestatem habet recedere a malo, et facere bonum, ut constet ratio libertatis. Et peccatum nihil esse dicit aliud, quam malam voluntatem, cui esset liberum, ab eo, quod prave appetiverit, abstinere[3]. » Cum sic igitur liberum arbitrium definirent Augustini adversarii, Pelagius et Julianus, et hoc ipsum nullo peccato vitiatum, sed integrum, et quale ab initio naturæ humanæ est insitum,

1 Lib. I *de Gr. Christ.* c. XVIII.— 2 Lib. I oper. imperf. , CI.— 3 Lib. II, c. XVI.

manere dicerent in nobis; cur illorum verba referens, ac refellens Augustinus, de natura ipsa liberi arbitrii, et notione nihil istis negotii facit? cur non falsam, et Aristoteleam, christianæque contrariam naturam, et rationem libertatis evertit?

Hanc Pelagii sententiam nusquam reprehendit Augustinus

VII. Etenim, si liberum aliud quiddam esse putavit Augustinus, quam quod illi dicebant, naturalem animæ potentiam, quæ necessitatis ad unum determinantis inimica, indifferens ex se sit, ut hoc vel illud agat: « Si in amplissima quadam immensitate respectu omnium mediorum, hoc est universæ a Deo conditæ creaturæ, et ab omni illa inalligatissima libertate, » positam illius naturam existimavit, ut nova theologia sciscit, vel *in adhæsione ad finem ultimum*, ac cæteris id genus; cur, quod in *gratia* fecerat, ut illudentem ambiguitate nominis hæreticum, quid eo sibi vellet, prius exponere juberet, non idem et in libero fecit arbitrio; sed hoc ad bonum et malum suapte natura potens, et indifferens asserentis eatenus restitit, ut ad bonum, nonnisi adjutum gratia Christi, ferri posse contenderet, de natura ipsius et indifferentia nihil expostulavit? Cur, cum Julianus scripsisset[1]; « voluntatis libertatem eo ipso constare, quod illo ipso tempore, quo peccat, potestatem habet recedere a malo, et facere bonum, » non præscribit adversus hanc definitionem Augustinus; sed potius in communi illa notione consentiens, id unum, quod dixi paulo ante, redarguit? « Ex quo homo, inquit, incipit uti voluntatis arbitrio, et peccare, et non peccare potest; (vides indifferentem sine ulla necessitate potentiam) sed alterum horum non facit, nisi adjutus ab eo, qui dixit: *Sine me nihil potestis facere: alterum vero propria voluntas*[2], » etc. quibus cætera libri ejusdem, ac reliquorum contra Pelagianos operum consentanea sunt. Cur in libro *de Spiritu et littera*, adversus Pelagianos disserens, qui gratiæ necessitatem negabant ex eo, quod homini sufficeret cum lege docente liberum voluntatis arbitrium, quod, quia natura est insitum, non potest eripi, nihil ex adverso contendit Augustinus, aliud[3], nisi « bene vivere donum esse divinum; non tantum quia homini Deus dedit liberum arbitrium, sine quo nec male, nec bene vivitur, » etc. sed etiam « quia et ipsa humana justitia operationi Dei tribuenda est, quamvis non fiat sine hominis voluntate? » Si liberi arbitrii naturam, quod et voluntatis intelligit nomine, aliter ac Pelagiani interpretaretur Augustinus; nonne id explanare hoc loco, ac distincte profiteri debuit, quo hæreticorum ora frenaret? Posse hominem ecce viribus a natura datis peccatum vitare, ac bene vivere, Pelagiani asserunt, quia talis est liberi arbitrii naturalis proprietas, ut ad utrumque sit indifferens, et, quod vult, eligere possit amborum. Cur non Augustinus hoc reprehendit? Cur non liberum arbitrium in eo positum non esse contendit, ut in utrumvis suopte nutu propendere possit; sed in eo potius, ut velit tantum, ac sponte eligat, quocumque id tandem agat modo, dum id tamen nulla vi cogente faciat? Denique, quod necessario sic aliquid velit, ut non velle non possit, dum hoc ipsum velit, non eo liberum arbitrium tolli, quoniam nihil præter simplicem voluntatem habet arbitrium illud liberum, quod a natura tributum est, hoc si vere sensisset Augustinus, et contra Pelagianos dixisset, paucis istis verbis et se magna molestia liberasset, et totam de gratia, et libero arbitrio controversiam sustulisset. Jam enim intelligeremus omnes, quomodo liberum in homine post peccatum arbitrium supersit, tametsi per se, ac sine Christi gratia, recte ac pie non possit vivere; profecto enim eo ipso, quod malum suapte voluntate vult, etsi non velle nequit, quia necessario vult, libere tamen, et ex arbitrio vult libero, si nihil ab eo differt voluntas. Atqui liberum arbitrium istud idem, quod et in Adamo fuisse conditum, et quia naturale est, in eodem, ejusque posteris perseverasse post lapsum, objiciebat Pelagius, manere non diffitetur Augustinus; imo concedit ultro, quoniam *sine eo nec male, nec bene vivitur*. Inest igitur ex Augustini sententia naturalis eadem in homine peccatore libertas voluntatis, quam Pelagius adstruebat; nisi quod sine Christi auxilio et gratia recte vivere non potest; quod ex se illam posse falso iste jactabat.

Confirmatur eamdem esse Augustini ac Pelagii de liberi arbitrii natura sententiam.

VIII. Vereor, ne immodice et cum fastidio legentium commorari in isto loco videar. Sed tanta est novæ illius de libertate opinionis indignitas, ac tam late patens, nulla ut ad eam evellendam, ac penitus obterendam videri nimia diligentia debeat. Quare insistam adhuc in eodem capite, et ex Pelagii atque Augustini acerrima dimicatione pergam istud planum facere: non aliam liberi arbitrii natu-

1 Aug. lib. I *cont. Jul. op. imperf.* — 2 *Joan.* xv. — 3 Lib. *de Spir. et lit.* c v.

ram, definitionem, notionem ab Augustino constitutam esse, quam quæ ab Pelagio, Juliano cæterisque illius est sectæ posita; nec de eo contendisse invicem, sed velut commune principium habuisse, ex quo disceptaretur de cæteris orta quæstio. In quo velim prudens illud lector secum recordetur, quam vigilans et experrectus in illa opprimenda hæresi fuerit Augustinus, quam intentus in omnem partem, quam subtiliter, et enucleate omnes illius sententias, dicta verbaque scrutetur, ut nihil omittat, in quo latebra, vel suspicio sit aliqua callidi sensus ac subdoli.

Quis igitur adeo hebetem, et aliud agentem in tanta quæstione fuisse tam acrem, et acute videntem adversarium existimet, ut hoc vel non discerneret, vel dissimularet, in quo causæ propemodum summa continebatur? Etenim in hoc ipso tota consistebat quæstio: utrum homo naturali vi et facultate liberi arbitrii, quæ gratiæ quoddam genus est, peccatum omne vitare, ac bene honesteque vivere, et ad salutem pervenire posset. Affirmabat hoc Pelagius, eo præsertim fretus argumento, quod liberi arbitrii natura sit ejusmodi, ut bonum aut malum sponte, ac citra necessitatem possit eligere, agere item vel non agere; eaque potestas, vel, ut aiebat ipse, possibilitas, cum natura insita sit, nullo peccato possit auferri, ac nonnisi essentia ipsa hominis erepta. Augustinus e contrario et inesse fatetur homini liberum arbitrium, quatenus naturalis est facultas; et idem tamen peccato debilitatum, ac veluti sauciatum esse dicit; ut propterea *medicinalis Christi gratia* curandum, adjuvandumque sit, sine qua malum quidem potest eligere, bonum vero non potest; quemadmodum oculus absque luce videre, pes, nisi remedio aliquo sanetur, recte ambulare non potest.

IX. Obsecro, quisquis hæc apud Augustinum toties explicata, ac tam fuse disputata legit, si paululum communem sensum, et humanum judicium vel habeat, vel consulat, num tandem negare poterit, quin eadem notione, ac significatione *liberi* appellationem *arbitrii*, atque is, quocum de eo disputabat, acceperit? Non fert hominum usus, ut de re quapiam, an sit, contendant invicem, nisi prius quæ sit nomini subjecta potestas inter ambas partes conveniat. Si liberi arbitrii naturam, essentiam, ac definitionem aliter, ac Pelagius, Pelagianique faciebant, institueret Augustinus; nonne objectante illo, liberum arbitrium, cum naturæ insitum sit, etiam admisso perseverare peccato, quid illud esset, et quatenus ejus essentia maneret, explicare eum oportuit, non simpliciter, quod Pelagius contendebat, admittere? Multum enim conturbasset hominem, ac totam illius vim et impetum fregisset, si istud ipsum arbitrium liberum nequaquam hoc natura sua poscere dixisset, ut indifferens sit, et ad utrumvis potestatem liberam habeat, sed unum idemque esse cum voluntate, ut quidquid etiam necessario, et ad unum determinati volumus, nonnisi libere, et ex libero arbitrio velimus; ac denique solum id, quod violentum est, et coactum, id est quod in rerum esse natura non potest, liberum arbitrium evertere. Hoc si Augustinus contra Pelagium attulisset, tam Catholicam ab ejus oppugnatione fidem, quam seipsum ab omni negotio ac molestia liberasset. Credo enim, magnopere laborandum fuit, ut voluntatem post peccatum in homine esse constaret; aut ut eam cum Christi adjutorio conciliaret, et gratia: cum sine differendi potestate, consentire voluntatem, nec aliter posse facere monstraret.

X. Hæc ad novorum theologorum discutiendam fabulam sufficere poterant. Credo enim, quid tandem difficultatis habet illa quæstio; aut quid in ea tamdiu, tantaque contentione acutissima desudarunt ingenia, si tam in promptu est, et expedita ratio, quæ in illa recenti libertatis humanæ definitione blanditur? Quid enim vel intellectu facilius, vel dictu brevius est, si modo verum est, quam quod Calvinus, Lutherus, Bucerus et hæretici reliqui, et qui in eadem cum illis causa sunt, nuperi theologi contra Pelagianos ostentant: frustra ipsos de libero arbitrio contendere; quod quia idem est cum voluntate, post peccatum manet utique, sed ad bonum malumque potestatem non habet, quoniam uni est alligatum malo, in quod et sponte rapitur, et libere? Atqui difficilem hanc esse quæstionem, et lubricam ejus tractationem. sæpe testatur Augustinus; ut in libro primo *contra Pelagium*, et Cœlestium *de gratia Christi*, capite XLVIII. « Sed quia ista quæstio, inquit, ubi de arbitrio voluntatis, et Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut, quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur, quando autem asseritur Dei gratia. liberum arbitrium putetur auferri. » Quamobrem, (redeo enim ad illud prius, unde sum digressus) quandoquidem *liberi arbitrii* vocem, et significationem, cujusmodi Pela

giani usurpabant, accepit, et eo tanquam principio constituto, reliquam disputationem instituit Augustinus; nemo tam desipiat; ut aliter de naturali hominis facultate sensisse illum existimet, quam aut istorum, aut communis mortalium omnium fert sensus et opinio; aut non plurimum ab recenti illa, et indocta fabula, imo portento erroris abfuisse; quod nos sequenti rursus in capite demonstrare pergemus.

CAPUT III.

Demonstratur porro liberum arbitrium eadem notione Augustinum intellexisse, quam communis fert sententia, et ipsius adeo Pelagii. Augustinum ipsum palam profiteri, se a Pelagio de natura liberi arbitrii minime dissentire. Quomodo in homine post peccatum Adami liberum mansit arbitrium. Ecclesiastici locus illustratur. Nec non ille Apostoli : Non ego, sed gratia Dei mecum, συνέργεια. et cooperatio *liberi arbitrii. Insignis similitudo ex oculo et lumine petita, qua arbitrii liberi proprietas, et* συνέργεια *cum gratia commendatur.*

Definitio liberi arbitrii juxta Pelagium.

I. Pelagius hæreticus in quadam *ad Innocentium Papam* epistola[1], de libero arbitrio ita scribebat : « Ecce ad beatitudinem tuam epistola ista me purget, in qua pure atque simpliciter ad peccandum, et ad non peccandum integrum liberum arbitrium habere nos dicimus; quod in omnibus bonis operibus divino semper adjuvatur auxilio. » De naturali et insita hominibus potentia prorsus ita loquitur Pelagius, dum liberum arbitrium ad utrumque, bonum scilicet et malum, integrum, et indifferens esse dicit, ita tamen, ut ad bonum divino semper adjuvetur auxilio. Quæro, an vera sit, et christiana illa definitio liberi arbitrii, quam hæreticus iste proferebat; an falsa, et contra fidei regulam ex Aristotelis, ac gentilis schola philosophiæ deprompta? Nam si vera est, vincimus. Si est falsa, cur de ea tacet Augustinus? cur non explicat, quæ sit propria nativæ libertatis ratio? cur de gratiæ solum ambiguitate quæritur? Sic enim respondet : « Quærimus adhuc, quo auxilio liberum adjuvari dicat arbitrium; ne forte, sicut solet, velit intelligi legem, atque doctrinam. » Atqui, si de liberi arbitrii natura contra Pelagium præscriberet, majorem istius sectæ stragem, ac ruinam ederet, ac sublata ex illius definitione, indifferentia, et ad opposita potestate, hominem de statu dejiceret. Verum hac idcirco defensione non utitur, quia falsa est, et inaudita tunc erat, et majorem illa ipsa, quam impugnabat, hæresi, plagam infert Christianæ religioni, atque fidei. Itaque de sola gratia, et ejus ancipiti usu, et significatione disputat. Ac, cum eodem in loco scripsisset Pelagius : « Quum liberi arbitrii potestatem dicimus in omnibus esse generaliter, in Christianis, Judæis, atque gentilibus; in omnibus est liberum arbitrium æqualiter per naturam; sed in solis Christianis juvatur a gratia. » Contra hæc Augustinus de libero arbitrio nihil; de gratia solum ita : « Iterum quærimus, qua gratia? » ac deinceps in eodem loco commoratur. Et capite trigesimo tertio, dicente Pelagio, « Liberum si confitemur arbitrium, ut dicamus, nos indigere Dei semper auxilio, » sic Augustinus occurrit : « Ecce iterum quærimus, quo auxilio nos indigere fateatur? » De libero arbitrio verbum nullum.

In hac definitione consentit Augustinus.

II. Sed quid minutatim ista conquirimus? Ecce de libero arbitrio, id est ejus naturali proprietate, et essentia, nihil a Pelagianis se sentire diversum Augustinus clarissime fatetur in libro secundo *de nuptiis et concupiscentia ad Valerium*, cap. tertio. In quo Juliano querenti de Augustini, et aliorum catholicorum importunitate, « quod si quis aut liberum in hominibus arbitrium, aut Deum esse nascentium conditorem dixerit, Cœlestianus, aut Pelagianus vocaretur; » Augustinus ita respondet : « Non est ita, ut loqueris, quicunque ista dixisti, non est ita; multum falleris, vel fallere meditaris; non liberum negamus arbitrium. » Ac, nonnullis interpositis, in quibus, quomodo vere liberum, id est liberatum, fit Christi gratia, docet, de quo paulo post : « Liberum itaque in hominibus, ait, esse arbitrium, et Deum esse nascentium conditorem, utrique dicimus. Non hinc estis Cœlestiani, et Pelagiani. Liberum autem quemquam esse ad agendum bonum sine adjutorio Dei; et non erui parvulos a potestate tenebrarum, et sic tranferri in regnum Dei, hoc vos dicitis : hinc estis Cœlestiani, et Pelagiani. Quid obtendis ad

1 Apud. Aug. lib. *de Grat. Christi* cap XXXI.

fallendum communis dogmatis tegmen, ut operias proprium crimen, unde vobis inditum est nomen?» Communis igitur Catholicis cum Pelagianis non solum appellatio ipsa, voxque fuit *arbitrii liberi*, sed etiam dogma, hoc est de natura ejus et definitione sententia. Alioqui stultum esset amborum concordiam solo nomine, ac vocabuli sono metiri, cui dispar esset, et contraria utrinque notio subjecta. Nonne hæretici pene omnes, cum a Catholicis de re ipsa fidei plurimum dissiderent, iisdem tamen atque illi nominibus utebantur?

III. Ut de *gratia* non ea repetam, quæ capite antecedente dixi, quemadmodum Pelagius Christi gratiam ad recte vivendum necessariam esse verbo tenus asseruit, Arius certe Christum Deum, ac Dei Filium, et a Patre genitum non dubitavit dicere; quidam etiam ex illa secta coæternum Patri, et minime creatum, ut in primo *de Trinitate* demonstravimus; nonnulli et consubstantialem suo quodam, et proprio sensu dixerunt ita, ut ὁμοούσιος, idem significaret, atque ὁμοιούσιος, ut inter alios Cæsariensis Eusebius in epistola, quam ad Cæsarienses suos e Nicæno Concilio scripsit. Christum quoque Filium Dei, ac Deum fatebatur Nestorius non minus, quam Eutyches. Sic hodie Christi corpus in sacramento Eucharistiæ et inesse, et a fidelibus accipi, Zuinglii et Calvini discipuli profitentur, et hujus generis alia sexcenta. Utrumnam igitur aut qui cum illis olim in certamen veniebant, Catholici sola nominum erant professione contenti; nisi de re nomini subjecta potius, quam de syllabis, et earum strepitu concordes illos haberent? aut qui hac ætate nostra cum novis hæreticis certant, non perinde communium ambiguitatem nominum rei, ac significationis ipsius expressione discutiunt?

ὁmousios.
ὁmœousios

IV. Dicant igitur, si possunt « novelli et perversi dogmatis assertores, » ut cum Augustino loquar[1], qui liberi arbitrii peregrinam et inusitatam rationem Christianis auribus ingerunt, et eos, qui in indifferenti, et ad utrumque libera, minimeque necessitate constricta potestate situm esse prædicant, tanquam Pelagianos, et Aristoteleos potius, quam Christianos damnant; cur Pelagii, ac Juliani dogma de arbitrio libero, commune esse secum Augustinus agnoscat, nec se aliter, atque istos sentire fateatur, imo nomen omne cum illis hac in parte concordare catholicum? Dicant, obsecro, qui tandem Pelagianis aientibus, liberum arbitrium tam bonum suis viribus amplecti posse, quam malum, statim restitit Augustinus, nec eos ultra progredi, est passus, quin hoc præscriberet, tale quidem fuisse, antequam peccaret Adamus, liberum arbitrium; post peccatum vero nihil præter malum posse; bonum sine Christi gratia, et adjumento persequi non posse? Idem autem liberi arbitrii naturalem facultatem, et rem nominis, qualem a philosophis acceperant, profitentibus hæreticis non modo non contradixit, sed vero illos, et catholice de eo pronuntiasse respondit?

Qui consensus novis ogmatistis guttur præcludit.

Quid igitur evidentius, quam Augustinum liberi arbitrii naturam et essentiam non aliam statuisse, quam quæ a Pelagio, et similibus hæreticis asserebatur; nec diversam post lapsum Adami, atque ante lapsum, in humano genere posuisse? Pelagianos porro itidem, ut Aristotelem, ut gentiles philosophos cæteros, de liberi arbitrii natura, definitione, ac notione judicasse? Puderet hoc repetere toties, nisi adversariorum nos partim importunitas, partim inscitia cogeret, qui Aristoteleam, philosophicam, gentilem, Pelagianam, nihil minus denique, quam Christianam, et catholicam clamant esse liberi arbitrii definitionem, quam ante ipsos unicam humanum omne genus ascivit. Audiant itaque rursum, quæ sit Pelagiana ista, hoc est non minus Augustiniana, ut ipse prædicat, et catholica liberæ voluntatis, arbitriique liberi definitio.

Juliani de libero arbitrio sententia.

V. Julianus sectæ illius antesignanus[2], contra Augustinum disputans de libero arbitrio, ante omnia Ciceronis illud memorat usu contritum, « Omnem, quæ ratione suscipitur, de aliqua re disputationem debere a definitione proficisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputatur. » Cui mox ista subnectit: « Ita ergo et nos, sicut supra de justitia, et peccati definitione disseruimus, nunc quoque videamus, quæ libertati arbitrii definitio competat, ut planum sit, quis nostrum consentiat, quis repugnet.» Tum ita definit: « Libertas arbitrii, qua a Deo emancipatus homo est, in admittendi peccati, et abstinendi a peccato possibilitate consistit.» Hic τὸ ἀδιάφορον, et neutri affixum necessitate aliqua statum voluntatis licet intueri; quem deinceps explicare pergit: « Factum est enim, inquit, animal rationale, mortale, capax virtutis, et vitii, et quod posset ex concessa sibi

1 Lib. II *de Nupt. et conc.* c. II.— 2 Apud Aug. lib. I *cont. Jul. oper. imperf.* c. LXX.

possibilitate vel servare mandata, vel transgredi, vel magisterio naturali conservare jus humanæ societatis, liberumque haberet alterutrum velle, vel partem, in quo peccati, et justitiæ summa est. » Manifestum est, Julianum libertatem arbitrii ejusmodi constituisse, quæ duorum alterum eligere posset pari potestate, ut quo tempore unum optat, potuerit pro eo alterum sumere. Nam, si alternatio illa potestatis, non in idem tempus concurrit, sed ad disparata pertinet, liberi appetitus dici equum vel canem nihil prohibet; possunt enim diversis temporibus modo unum, modo alterum capere, et reipsa, quod possunt, faciunt; tametsi, cum unum e duobus sequuntur, non habent ex sese liberam alterius optionem, quod ad unum illud, in quod eos impetus tulit, determinante necessitate trahuntur. In ista porro Juliani oratione nihil aliud Augustino displicet, nisi quod liberum arbitrium *de suo concipere justitiam*, hoc est solis naturæ viribus extricare se peccati nexibus, et recte vivere posse defendit; quod est, « esse arbitrium laudabiliter liberum, etiamsi non fuerit Dei gratia liberatum. » Quod in sequentibus deinceps ambo prosequuntur. Ac præcipue notanda illa sunt Juliani [1]: « Si ergo est, ut ratio prodidit, arbitrii libertas propulsatrix necessitatum, ut nemo sit vel bonus, vel malus, cui non sit liberum esse contrarium, » etc. Ubi id solum vitio illi vertitur, quod suapte vi, sine Christi gratia, bonum amplecti posse diceret, hoc est liberum esse laudabili illa libertate, quæ ab solo Christo conceditur. Quo et illa Augustini spectant; quæ ibidem vellicat Julianus : « Non negamus arbitrium liberum; sed *si vos Filius liberaverit*, ait Veritas [2], *tunc vere liberi eritis*. »

Confirmatur Augustinum eodem sensu accepisse liberum arbitrium quo Pelagius ac Julianus gentilesque philosophi accipiebant

VI. Nimium igitur ex hac omni bene diffusa, sed necessaria disputatione liquet, Augustinum liberum arbitrium, id est naturalem voluntatis humanæ facultatem eo sensu intellexisse, quo Pelagius, Julianus, ac philosophi gentiles: ut sit potestas arbitrii, et voluntatis ad utrumque indifferenter habens, et, quod ex Tridentina synodo libenter usurpamus [3], sic *assentiens* cuicumque rei, etiam « Deo excitanti, atque vocanti, ut possit dissentire, si velit. » Idem tamen arbitrium liberum, post Adami peccatum, credidit non posse sine Christi excitante, et adjuvante gratia boni quidquam velle, vel facere; de quo nemo sane catholicus ambigit. Hoc igitur ab hac nostra certatione remoto, de naturali ipsa potentia, ejusque natura, tota contentio est, quatenus de ea senserit Augustinus. Sed illa ipsa, si non aut imperitos, aut nimis pervicaces adversarios habemus, sublata jam omnis esse debet, postquam intellectum est, neque vulgari ab illius significatione nominis, et qualem liberi arbitrii immodici laudatores adstruebant, discrepasse summum virum, nec de nupera calumnia, et interpretatione *libertatis*, cum de naturali ejus ageret statu, cogitasse. Itaque quoties liberum arbitrium post Adami peccatum manere adhuc in homine dicit, quod sæpissime dicit; non aliud intelligit, quam inesse illi potentiam sic a natura comparatam, ut necessariis ad agendum omnibus instructa velle possit aut non velle, assentire vel dissentire, bonum hoc vel illud persequi, in statu etiam vitæ præsentis malum vel bonum amplecti. Huc enim spectare tum leges, ac mandata, nec non consilia divinitus homini edita, tum cohortationes, pollicitationes, comminationes, pœnarum, præmiorumque denuntiationes, quibus sacri sunt libri referti. Sequidem vana, jocularia, et insulsa omnia ista sunt, si non est in homine liberum arbitrium, hoc est auscultandi, et non auscultandi integra facultas, necessitate nulla constricta. Hæc non mea, sed Augustini tota est oratio in libro *De gratia, et libero arbitrio ad Valentinum;* cujus initio de utroque luculentam disputationem explicat, ex qua pauca quædam libabimus.

VII. Imprimis capite secundo ita est exorsus: « Revelavit autem nobis per scripturas suas sanctas, esse in homine liberum voluntatis arbitrium. Quomodo autem revelaverit, commemoro vos non humano eloquio, sed divino. » Post hæc ambo ista, liberum arbitrium, et gratiam, singillatim probat e Scripturis. Liberum quidem arbitrium sic: « Primum, quia ipsa divina præcepta homini non prodessent, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens ad promissa præmia perveniret. » Inter alia porro Scripturæ testimonia, quibus liberum probat arbitrium, memorabilis est tritus ille ex libro *Ecclesiastici* locus, qui etiam cujusmodi sit, ostendit: « Et liber, inquit, *Ecclesiasticus* dicit [4]: *Ne dixeris, quia propter Deum recessi; quæ enim odit ne facias. Ne dixeris, quia ipse me induxit: non enim opus habet viro peccatore.* Ut autem demonstret, non induci a Deo homi-

Ecclesiastici locu illustratu

1 Ibid. cap. LXXXIII.— 2 *Joan.* VIII.— 3 Sess. VI, can. VI.— 4 *Eccl.* XV.

nem in peccatum, sed in ejus potestate situm esse, uti non peccet, etiam cum peccatum eligit, statim ex eodem *Ecclesiastico* ista subjungit: *Ipse ab initio fecit illum, et reliquit illum in manu consilii sui. Si volueris, conservabis mandata, et fidem bonam placiti. Apponet tibi ignem, et aquam; ad quodcumque volueris, extende manum tuam. In conspectu hominis vita et mors; et quodcumque placuerit, dabitur ei.* Ecce apertissime videmus expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium.» Merito sane hunc *Ecclesiastici* locum plurimum commendat Augustinus, et ad liberum arbitrium probandum præ cæteris illustrem esse prædicat. Ex eo igitur apparet, tum eam esse naturam ipsius, quam dixi, ut ad opposita liberam, et expeditam habeat utrius volet eligendi potestatem, ut eodem tempore, quo consentit uni, dissentire possit; (de quo vide quæ libro superiore, capite secundo dixi) tum, quod caput est, non minus post lapsum Adami, quam in priore illo, beatoque statu, eamdem perseverare naturalem vim liberi arbitrii; ut Calvino silentium indicatur, qui in libro tertio *contra Pighium* falso ac temere pronuntiat, « ubicumque Augustinus liberi arbitrii commendat facultatem, ad primam naturæ conditionem, non præsentem miseriam, in quam liberi arbitrii vitio præcipitata est, respicere. » Quod cum ex plerisque citatis a nobis antea locis illius, tum ex hoc ipso redarguitur *Ecclesiastici* loco, et Augustini ad eum ἐπιστάσει. Non enim de solo parente primo adhuc innocente loquitur *Ecclesiasticus*, sed ad humanum omne genus verba illa pertinent. Siquidem ideo ista scripsit, ut falso excusantes peccata sua, et quamdam illis necessitatem, ac Dei voluntatem obtendentes compesceret. Quæ ratio prorsus inanis et ludicra foret, si in solo Adamo fuisset liberam utriusvis eligendi facultatem, periisse autem in posteris intelligeret; ac vera, et inexpugnabilis illorum esset defensio, qui a peccato abstinere se ideo non posse dicerent, quod naturali carerent libertate, et ad unum addictam, ac necessitate circumscriptam voluntatem haberent.

Observatione.

Tum vero ineptissima foret Augustini cavillatio, si illos qui gratiæ totum tribuebant, sine ulla liberi arbitrii συνεργείᾳ, illis Scripturæ verbis castigaret, quæ in solo primo parente fuisse monstrarent, quod in ejus posteris esse desiisset. Perinde enim faceret, ac si quis cæcum ad videndum, aut claudum ad recte ambulandum inde hortaretur, et cogeret, quod pater illius homo sanus, et valens oculis ac pedibus, acute olim vidisset, et recte incessisset. Quocirca et in manu consilii sui relicti sunt homines, et proposita sunt in eorum conspectu vita, et mors, ignis, et aqua; et si voluerint mandata servabunt; et ad utrumque liberam potestatem, ac neutro devinctam necessario adhuc obtinent perinde atque ille, qui ab initio factus est; tametsi non sine Christi gratia niti ad bonum, et naturæ vires exercere possint, quod eas Adami strage ac ruina fractas, ac debilitatas acceperint. Hæc sana est ac robusta catholicæ fidei professio, quam nova theologia frustra sollicitat: Augustinus vero deinceps eodem loco acervatim congestis Scripturæ testimoniis fulcit.

Cooperatione.

VIII. Inter quæ disertissimum illud est Pauli [1], ubi parentes ad conservandam filiarum virginitatem hortatur. *Quod vult faciat*, inquit, *non peccat, si nubat, qui autem statuit in corde suo, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, et hoc statuit in corde suo, servare virginem suam, bene facit.* Profecto enim aut liberi arbitrii *indifferens* potestas ibi manifesta est, aut quid ipsa sit, ac quæ sit ei voci tribuenda significatio, cum *indifferens* aliquid dicitur, non video. Ad extremum ita concludit Augustinus: « Nempe ubi dicitur: *Noli hoc, et noli illud*: et ubi ad aliquid faciendum, vel non faciendum in divinis monitis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium. »

Verum ne hæretici hostes gratiæ inde errandi occasionem sumerent [2], tanquam « ista omnia divina testimonia in defensione liberi arbitrii sic intelligantur, ut ad vitam piam, et bonam conversationem, cui merces æterna debetur, adjutorio, et gratiæ Dei locus non relinquatur, » deinceps alia ex eadem Scriptura depromit testimonia, quibus sine adjutorio Christi nihil liberum arbitrium posse monstratur. Quorum eo vis, ac summa recidit, ut, quidquid boni agitur a nobis, « et Dei donum sit, et liberum arbitrium. Neque enim præciperentur tam multa ad vitandum peccatum, nisi homo haberet propriam voluntatem, qua divinis præceptis obediret; et tamen Dei donum est, sine quo servari

1 I *Cor.* VII, 63.— 2 Aug. ib. cap. IV.

castitatis præcepta non possunt. » Proinde « victoria, qua peccatum vincitur, nihil aliud est, quam donum Dei in isto certamine adjuvantis liberum arbitrium. » Adjuvatur ergo liberum arbitrium a gratia, non aut datur, aut eripitur; ut quidquid boni fit ab illo et ex illius vi ac potestate fiat libere operantis, hoc est, idipsum, quod est, præstantis; nec sine istius auxilio fiat, sed ex amborum efficientia nascatur. Quo illud Apostoli pertinere vult[1]: « *Non ego autem, sed gratia Dei mecum*[2]. Id est non solus, sed gratia Dei mecum : ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo. »

IX. Sed audiamus eumdem in epistola LXXXIX ita disputantem : « Illud vero, quod dicunt, sufficere homini liberum arbitrium ad Dominica præcepta implenda, etiamsi Dei gratia, et Spiritûs sancti dono ad opera bona non adjuvetur, omnino anathematizandum est, etc. Valet itaque liberum arbitrium ad opera bona, si divinitus adjuvetur, quod fit humiliter petendo et faciendo. » Ecce liberum idem illud arbitrium, quod et quale Pelagiani solum posse bene agere, ac sibi sufficere dicebant; aut inesse, aut posse, aut agere denique, non negat Augustinus, sed hoc contendit unum, neque tale esse, ut per se sibi sufficiat, et adjuvari gratia, et cum ea communiter operari. « Non enim, ait idem alio in loco[3], arbitrium voluntatis tollimus, sed Dei gratiam prædicamus. Cui enim prosunt ista, nisi volenti, sed humiliter volenti, non se de voluntatis viribus, tanquam ad perfectionem justitiæ sola sufficiat, extollenti? » Hinc et illud contra eosdem hæreticos non semel definit[4] : « possibilitatem, et voluntatem sanari, et adjuvari » per gratiam. Item illud inculcat, neque solum arbitrium liberum, neque solam gratiam bonum opus efficere, sed utrumque simul; quod et Apostoli insigni testimonio approbat ex priore *ad Corinthios*[5] : *Sed abundantius illis omnibus laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Quæ sic illustrat Augustinus : Atque, ut ostenderet et liberum arbitrium, mox addidit : « *Et gratia ejus in me vacua non fuit, sed plus omnibus illis laboravi.* Hoc enim liberum arbitrium hominis exhortatur et in aliis, quibus dicit : *Rogamus, ne in vacuum gratiam Dei suscipiatis.* Ut quid enim eos rogat, si gratiam sic susceperunt, ut propriam perderent voluntatem? Tamen, ne ipsa voluntas sine gratia Dei putetur boni aliquid posse, continuo, cum dixisset, *Gratia ejus in me vacua non fuit, sed plus omnibus illis laboravi*, subjunxit, atque ait: *Non ego autem, sed gratia Dei mecum*, id est, non solus, sed gratia Dei mecum; ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo. »

Expenditur locus Apostoli : *Non ego autem* etc.

X. Scio illum Apostoli locum in vulgatis Græcis codicibus paulo aliter legi, οὐκ ἐγὼ δὲ, ἀλλ' ἡ χάρις τοῦ θεοῦ ἡ σὺν ἐμοί. *Non ego tamen, sed gratia Dei, quæ mecum est.* Ex quo Calvinus, Beza, cæterique similes errori suo patrocinium petunt, ut liberum arbitrium *passive tantum agere* cum Deo[6], ejusque gratia defendant, hoc est nihil agere, sed totum ab gratia præstari. Contra quos alibi, Deo adjuvante, disputabimus; nunc, quod satis est, asserimus, primum in Græcis nonnullis codicibus aliter scriptum exstitisse, itaque, ut et noster interpres, et Augustinus perpetuo legit[7], nec non Origenes homilia XV *in Genesim*, Fulgentius libro secundo *de veritate Prædestinationis*, Dionysius Alexandrinus in responsione nona ad *Paulum Samosatenum*, Prosper libro *contra Collatorem*, et *in Psalmum* CIII. Faustus Regiensis libro primo, capite sexto, Orosius *in Apologetico*, Cyrillus Alexandrinus libro IX *in Joannem.*

Quinetiam Augustinus in epistola CVI et in libro *de Gestis Pelagii*, capite XIV refert, Joannem Hierosolymitanum inter alia testimonia, quibus præter liberum arbitrium, gratiam Christi necessariam esse Pelagio persuadere volebat, illud, de quo agimus, illi proposuisse : *Non ego, sed gratia Dei mecum.* Quæ omnia veterum testimonia interpretem nostrum ab erroris suspicione purgant, et argumentationi illi robur addunt, quam ex Apostoli verbis istis Augustinus, aliique conficiunt, dum utriusque concursionem ad recte agendum necessariam esse probant, ut neutrum sine altero quidquam efficiat. Sic Pelagio ex Hilario probare nitenti, hominem per liberum arbitrium posse, si velit, esse sine peccato, « Quis negat? » Respondet Augustinus[8]: « Sed gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, non sola arbitrii libertate. »

Atque hoc vocabula ipsa declarant τῆς

1 Aug. ib. cap. III.— 2 I *Cor.* XV, 10.— 3 Lib. *de Nat. et grat.* c. XXXIII.— 4 Lib. *de Nat. et grat.* cap. XLII.— 5 I *Cor.* XV, 10.— 6 Ita Calv. lib. II *Instit.* cap. III, § 11.— 7 Aug. ep. CVI et lib. *de Nat. et grat.* cap. V et serm. XIII *de Ver. dom. sec. Matth.* cap. V. Hom. XII de L et serm. XLII *de Sanct.* et serm. CVII *de Diver.* cap. VII *de Spir. et lit.* cap. XXIV; lib. *de Grat. et lib. arb.* cap. V.— 8 Lib. *de Nat. et grat.* c. LXII.

συνεργείας, id est *cooperationis*, vel *collaborandi*; *adjutorii* quoque, vel *auxilii*, et hujusmodi alia, quæ concordiæ illi significandæ solent adhiberi. Quod enim *adjuvari* dicitur, profecto aliquid ipsum conferre debet ex proprio ut ab eo distinguatur, quod in nobis sine nobis fieri dicitur : « Qui enim adjuvatur, etiam per seipsum aliquid agit » ait Augustinus *ad Psalmum* LXXVIII. Et omnino communio quædam, et societas actionis exprimitur, dum adjuvari unum intelligimus ab altero, vel ei *cooperari*, ut superius ostendimus. Ubi et quod sanari gratia liberum arbitrium dicitur, eamdem habere significationem probavimus oculi exemplo, qui sine lumine videre utique non potest, neque tamen eo adjutus, et illustratus, non illud videndo agit, ad quod agendum natura comparatus est oculus. Ita ergo liberum arbitrium, cum auxilio gratiæ fulciri, juvarique creditur, facit hoc omnino, quod naturalis istius facultatis proprium est.

XI. Quam eamdem oculi similitudinem Augustinus in libro *de gestis Pelagii*, capite tertio, insigni sententia complexus est ; quæ multum ad institutam orationem attinet. « Sic etiam in illo testimonio, inquit, quod in eodem libro eidem titulo subdidit : *Apposuit tibi aquam, et ignem : ad quodvis porrige manum tuam. Ante hominem bonum et malum : vita et mors : quod placuit ei, dabitur illi.* Manifestum est, quod si ad ignem manum mittit, et malum, ac mors ei placet, id voluntas hominis operatur ; si autem bonum, et vitam diligit, non solum voluntas id agit, sed divinitus adjuvatur. Sufficit enim sibi oculus ad non videndum, hoc est ad tenebras ; ad videndum vero lumine suo non sibi sufficit, nisi illi extrinsecus adjutorium clari luminis præbeatur. » Etenim, ut recte alibi Augustinus idem, « aguntur, ut agant, non ut ipsi nihil agant. » Item[1] : « Neque enim voluntatis arbitrium ideo tollitur, quia juvatur, sed ideo juvatur, quia non tollitur. Qui enim Deo dicit : *Adjutor meus esto*, confitetur se velle implere, quod jussit, sed ab eo, qui jussit, adjutorium poscere, ut possit. » Et in libro primo *contra Julianum Operis imperfecti*, « Ex quo autem homo, inquit, incipit uti voluntatis arbitrio, et peccare et non peccare potest, sed alterum horum non facit nisi adjutus ab eo, qui dixit, *sine me nihil potestis facere ;* alterum vero propria voluntas, » etc. Tum præclare in libro *de gratia Christi*, capite XIV. « Quis autem non videat et venire quemquam, et non venire arbitrio voluntatis? Sed hoc arbitrium potest esse solum si non venit, non autem potest nisi adjutum esse, si venit. » Sane qui non solus venire dicitur, nihilominus venit, et qui non solus aliquid facere, facit utique. Quare, si liberum arbitrium non solum, sed cum altero vult, aut agit, necesse est, ut eo modo, quo natura factum est, velit, agatve. Quæ sit autem arbitrii liberi naturalis, et propria conditio, superiore libro demonstravimus, ac quæ sit ei voci potestas subjecta.

CAPUT IV.

Eamdem post peccatum Adami in hominibus liberi arbitrii manere naturalem facultatem, quæ in statu fuit innocentiæ, probatur ex Augustino, ejusque contra Pelagianos disputatione ; ac solum id, quod erat gratiæ, detractum. Quod ex libero Adami arbitrio, et adversariorum confessione probatur. Iisdem enim notis in præsenti naturæ statu delineatur, et agnoscitur ab Augustino. Posse *pro eo, quod est* facere, *interdum accipi.*

Mystica et arcana novæ theologiæ de libero arbitrio post Adami lapsum fabula excutitur.

Nihil in scriptis hæreticorum, præsertim Calvini, et similium, necnon theologorum recentium, qui in evertendo arbitrio libero operas cum illis partiti sunt, sæpius repetitum videas, quam istud ; fuisse in Adamo ante peccatum liberum arbitrium ea integritate, et natura, quam communis habet aliorum opinio, quos apprime catholicos, Pelagianos isti impudenter, atque imperite nominant. Nempe liberum illi fuisse bene aut male agere, et *indifferentem ad utrumlibet contrariorum* voluntatem habuisse : « Ad utrumlibet, inquit unus ex illo grege[2], hoc est ad bonum et malum, ad vitam et mortem, ad amorem creatoris, et creaturæ, illa prima libertas indifferens fuit. » Et alibi [3] : « Cum tali arbitrio in utramque partem libero, et flexibili conditus est Angelus, et primus homo. » Et paulo post : « Quamobrem iste primus est in creatura liberi arbitrii status, ad utramque non solum contradictionis, sed et contrarietatis partem prorsus flexibilis, et indifferens. » Verum, postquam sponte se ad

1 Ep. LXXXIX.— 2 Tom. II *de Grat. prim. hom.* c. VI.— 3 Tom. III, lib. VII, c. X.

unam partem applicavit, utputa homo et Angelus desertor ad creaturam, Creatore contempto, « ex hac, inquit, spontanea creaturæ rationalis in utramque partem liberrimæ discretione, illa æquabilis libertatis indifferentia velut bilancis æquilibrium periit. » Unde « duplex libertatis genus, vel duplex potius status exortus est: unus in quo, quemadmodum Deus, creatura Deo simillima, et ejusdem boni amore stabilita, jam nihil mali amplius velle potest: alter, in qua creatura Deo dissimillima, et boni sui amore spoliata, nihil boni. » Existimat ergo, hominem in statu peccati liberum arbitrium non habere ad utramvis partem indifferens. « Nec tamen, inquit, ideirco liberum arbitrium periit. Non enim in eo libertas arbitrii sita est, ut utrumque genus actuum bonorum, malorumque possit æqualiter, sed ut in quoscumque actus potestatem habeat, sive in bonos, sive in malos, libera feratur voluntate. Cum enim hoc liberum sit, quod est in potestate voluntatis, actus illi alterius partis, quorum potestate caret, non sunt amplius in ipsius potestate, ideoque nec in ipsius libera voluntate, proinde nec liberi. Sed respectu oppositi generis arbitrium est liberrimum; » nempe quod ei summe adhæret, nec ab eo retrahitur, ac proinde *majori* quadam in eo *latitudine* spatiatur.

II. Hæc est mystica, et arcana novæ theologiæ fabula de arbitrio libero, quæ in duorum alterutrum incurrit. Aut enim infuscata malitia est, et improbitate, quam Græci κακοήθειαν vocant, aut intolerandi erroris absurditate suffecta. Etenim, quod sæpe dixi, nemo catholicus diffitetur, liberum arbitrium Originali peccato esse *vulneratum*, *sauciatum*, *debilitatum*, *atque vitiatum*, ut loquitur Augustinus[1]; adeo ut per se, ac sine Christi adjutorio, et medicinali gratia nihil efficere boni queat, saltem quod ad æternam felicitatem quoquo modo pertineat. Qui enim sentire aliter licet, maxime postquam ita synodus Tridentina statuit: « Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit; » quod et Arausicanum concilium tanto ante multis canonibus decreverat. De hoc igitur nulla inter nos potest esse quæstio; sed hanc ipsam qualemcumque liberi facultatem arbitrii; adjutam Christi gratia, profitemur, utriusque liberam habere potestatem, hoc est ex se, suaque vi, et naturali agendi modo divina ope sublevato, sic assentiri gratiæ, ut dissentire possit adeo, ut nulla eam non modo coactio, sed etiam necessitas ad unum potius eligendum, quam alterum adstringat. Hoc si nobiscum fatentur novi theologi, quod salva conciliorum auctoritate inficiari nequeunt, cur eos allatrare non desinunt, qui sic sentiunt? cur eorum detrahere famæ, existimationique non dubitant? cur Pelagianorum, ac gentilium philosophorum discipulos, et Aristoteleos magis, quam Christianos appellant? Quis istorum, quibus imperiti illi, et amore novitatis occæcati temere obtrectant, dixit unquam, liberum arbitrium sine Christi gratia, vel solis viribus suis, iter salutis aut aggredi, aut perficere posse; vel quoquo modo boni aliquid, quod eo pertineat, facere? Huc igitur revocatur omnis ac recidit quæstio, utrum sic Christi gratia sanetur, adjuveturque liberum arbitrium, ut ex sese, viribusque suis aliquid ad salutem conferat, quando eadem excitatur, ac sublevatur, gratia Christi, non ut patiatur tantum, *ac mere passive se habeat*, quod ab Calvino inepte positum Tridentina synodus anathemate damnavit[2]; sed ut agat, et navet aliquid eo genere actionis et operæ, quod naturale est, et insitum arbitrio libero. Sicut oculum diximus sine luce nihil intueri posse, eumdem infusa luce eo modo agere, quo, ut agat oculus, vim accepit a natura videndi; sic arbitrium liberum opitulante gratia convalescens, non alio modo, quam qui in ejus est natura, cum illa agit, et *cooperatur*, hoc est citra necessitatem, et sic *assentiens gratiæ*, *uti dissentire possit*. Libet enim ipsis uti Tridentinæ synodi verbis, nec ultra fidei præscriptum de hac quæstione quippiam attingere, ne præstitutos ab sede Apostolica limites excedam.

III. Ejusmodi libertatem arbitrii, quæ, necessariis ad agendum positis omnibus, agere potest, aut non agere, sive assentiri, vel dissentire, neque peccato periisse, et post redintegratas illius vires manere adhuc, et suo modulo agere, sani omnes, ac sobrie catholici theologi defendunt, reclamant hæretici, Calvinus, aliique, quibus adstipulatur recens factio. Et quoniam Augustini arbitrio stare, vel cadere causa utrique decrevimus; perga-

1 Lib. *de Nat. et Grat.* c. XIX. — 2 Sess. VI, can. IV.

mus id, quod jam instituimus facere, ex illius probare placitis, idem, quod in Adamo fuit ante peccatum, et eodem agens modo perstare liberum arbitrium post illius lapsum, nisi quod debilitatum eo casu, et sauciatum medicinali opus habet gratia Christi, quacum sic agit, et operatur, ut hoc præstet omnino, quod arbitrii liberi proprium esse, superiore præsertim libro docuimus. Quod eleganter in primo *de Vocatione gentium* *, capite tertio Prosper his verbis aperit : « Nec quia spiritu Dei agitur, ideo se putet liberum arbitrium non habere; quod ne tunc quidem perdidit, quando diabolo voluntate se dedit, a quo judicium voluntatis depravatum est, non ablatum. Quod ergo non interfectum est per vulnerantem, non tollitur per medentem. » Quo constituto, jam illud ex Augustino demonstrandum suscipimus, liberum arbitrium, sive naturalem voluntatis facultatem, eo modo agere Christi adjutam gratia, et a peccato recreatam, quo in beato illo innocentiæ statu operata est in primo parente. Ex quo illud contra novam theologiam efficitur, eam ab Augustino naturalem definiri vim arbitrii liberi, et quidem solam, quæ necessariis ad agendum omnibus positis agere possit, aut non agere, et hoc vel illud eligere, in quo *Indifferens.* τὸ ἀδιάφορον consistit, quod illi Pelagiani erroris insimulare solent.

IV. Igitur qui ex Augustini sententia liberum arbitrium tale fuisse colligunt, ut indifferens ad unum, vel alterum eligendum, agendumve, aut non agendum fuerit, non aliis ex illius verbis, aliave loquendi formula concludunt, quam ista : « Hominem, inquit Augustinus [1], fecit cum libero arbitrio, et quamvis sui futuri casus ignarum, tamen ideo beatum, quia et non mori, et non miserum fieri in sua potestate esse sentiebat. In quo statu recto, ac sine vitio si per ipsum liberum arbitrium manere voluisset, profecto sine ullo mortis, et infelicitatis experimento, acciperet illam merito hujusmodi permansionis beatitudinis plenitudinem, qua et sancti Angeli sunt beati, id est ut cadere non posset ulterius, et hoc certissime sciret. » Sic igitur fuisse in primo parente liberum arbitrium Augustinus ostendit, quod in potestate sua, id est voluntatis arbitrio, utrumvis habuerit, ut acceptam ab origine gratiam, ac statum justitiæ vel retinere, et in eo perseverare posset, vel relinquere, et ab eo desciscere. Et in sequenti capite cum dixisset [2], Adamum non sine gratia Dei vixisse, aut in beato illo statu permanere potuisse, quemadmodum cum ista gratia liberum ejus arbitrium constiterit, sic explicat : « Istam gratiam non habuit homo primus, qua nunquam vellet esse malus ; sed sane habuit, in qua si permanere vellet, nunquam malus esset, et sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset, sed eam tamen per liberum arbitrium deserere posset. » Sed totum caput ipsum lege, in quo fuse idem traditur; cujus summa hæc ad arbitrii liberi vim exprimendam ab novæ theologiæ signifero conficitur [3] : Adamum tale accepisse liberum arbitrium, « ut bene velle posset, et male; et rursum tale liberum arbitrium, ut posset non peccare, si vellet. » Ergo in eo, quod velle, vel nolle idem poterat sic, ut, quod nunc vellet, posset nolle potius, quam velle, sive contrarium velle, ex eo, inquam, Augustinus, et cum eo novi theologi concludunt, Adamum liberum arbitrium habuisse.

V. Hæc igitur notio est arbitrii liberi, et hæc natura est ejus, ac definitio, ut, cum ad agendum fertur, possit hoc vel illud eligere. Quod si Adamus unum duntaxat in potestate habuisset sua, ut, exempli causa, nonnisi perseverare in gratia potuisset, non autem eam potuisset deserere, aut ex adverso sine permanendi jure, ac potestate, necessario in peccatum incidisset; nec Augustinus, nec novi isti libertatis architecti dicerent, Adamum habuisse liberum arbitrium, si quidem consentanei sibi, et non absurdi esse vellent. Rursus ex eodem Augustino verba illa depromunt, ut in Adamo fuisse liberum probent arbitrium : « Potuit enim non peccare primus homo [4], potuit non mori, potuit bonum non deserere. Numquid dicturi sumus, non potuit peccare, qui tale habebat liberum arbitrium? Aut non potuit mori, cui dictum est, Si peccaveris, morte morieris ? Aut non potuit

* Valde dubium est an liber *de vocatione gentium* sit genuinus S. Prosperi fetus. Hæc habent recentiores editores operum S. Prosperi tanquam certum 1° Hoc opus prodiisse anonymum. 2° Exaratum esse post annum 430 et ante annum 496. 3° Sub pontificatu Gelasii papæ opus notum fuisse, sed sine auctoris nomine lectum fuisse. 4° Verisimile non esse Prosperi. 5° Auctorem cum hactenus ignotus manserit, difficile posse sciri quis tandem fuerit. 6° Quod si ex modo tractandi et styli conformitate judicium sumatur, esse unde conjiciatur esse opus S. Leonis. J. B. F.

1 Lib. *de Cor. et Grat.* cap. x.— 2 Cap. xi.— 3 Tom. II, lib. *de Grat. primi hom.*— 4 Aug. *de Corrept. et Grat.* cap. xii.

bonum deserere, cum hoc peccando deseruerit, et ideo mortuus sit?» Manifestum est, quod et illi ex iis verbis inferunt, eatenus in primo parente fuisse liberum arbitrium, quod hoc vel illud eligere, peccare vel non peccare posset.

Sed hoc in sequentibus firmius, evidentiusque monstratur. Nam duplicem libertatem voluntatis, quæ quidem in vitio minime sit, ac duplicem liberi arbitrii notionem distinguit : unam quæ hujus vitæ propria est, et Adamo in illo statu innocentiæ contigit : alteram, quæ non est vitæ præsentis, sed futuræ. « Prima ergo libertas voluntatis, inquit, erat posse non peccare ; novissima erit multo major, non posse peccare. Prima erat perseverantiæ potestas, bonum posse non deserere ; novissima erit felicitas perseverantiæ, bonum non posse deserere. » Igitur hoc ipso liberum in Adamo fuit arbitrium, quod in ejus potestate situm erat, ut peccaret, aut non peccaret. Et utcumque tandem absoluta libertatis habet ratio, hoc est sive ad ejus essentiam indifferens illa in utrumvis spectat propensio, quod vera theologia prædicat, sive non pertinet, quod nova somniat; tamen in hujus vitæ statu, et extra sempiternam felicitatem, cum illa est conjuncta, ejusque propria nota et affectio, ac διακριτικὸς χαρακτὴρ, quo dignoscitur, et separatur a brutorum animantium appetitione; quia nullum, præter duplex illud genus libertatis, Augustinus agnoscit, quorum alterum in primo parente, dum sine peccato viveret, alterum in futura vita constituit.

VI. Et in libro XXII *de Civitate Dei*, capite XXX. « Primum, inquit, liberum arbitrium, quod homini datum est, quando primum creatus est rectus, potuit non peccare, sed potuit et peccare; hoc autem novissimum eo potentius erit, quo peccare non poterit. Verum hoc quoque Dei munere, non suæ possibilitate naturæ. » Fuit igitur libero Adami arbitrio naturale, ut in præsenti vitæ conditione peccare, vel non peccare posset. Iisdem loquendi formulis liberum primi parentis arbitrium declarare solent Augustini discipuli, ut Petrus Diaconus in libro *de Incarnatione et gratia ad Ferrandum*, cap. VI. « Credimus itaque bonum, et sine ulla carnis impugnatione, a Deo creatore omnium factum Adam, magnaque præditum libertate ita, ut bonum facere in propria facultate haberet, et malum, si vellet, posset admittere. » Nec aliis verbis eamdem Adami libertatem Prosper exprimit [1], et Fulgentius [2], necnon Gregorius Papa de Angelorum arbitrio libero loquens, maxime homilia VII *in Ezechielem* : « Et natura, inquit, Angelica, quando creata est, liberum arbitrium accepit, utrum vellet in humilitate persistere, et in omnipotentis Dei conspectu permanere, an ad superbiam laberetur, et a beatitudine caderet. » Verum nihil hoc attinet probare pluribus, in quo consentientes habemus adversarios ipsos, qui ultro confitentur, eo ipso liberum arbitrium in Adamo significari fuisse ab Augustino, ac reliquis Patribus, quod agere vel non agere, hoc vel illud eligere, peccare, aut recte vivere potuerit; quamvis ne hoc quidem sine gratia potuerit.

Eadem liberi arbitrii ratio in homine lapso quæ fuerat in innocente.

VII. Quamobrem, cum in hominibus, post Adami lapsum, liberum arbitrium, quatenus naturæ est humanæ insita facultas, inesse doceant iidem illi Patres ; ac tum liberi arbitrii vocabulum illis attribuant, tum iisdem prorsus verbis, quibus, cum de Adamo loquebantur, vim illius nominis, ac notionem, et proprietatem significent; perspicuum est, liberum ab illis arbitrium tale in nobis constitui, quale in Adamo fuit, citra innocentiæ, ac sanitatis prærogativam, quam originalis noxa vitiavit, adeoque non aliam illius esse formam, quam quæ eodem et vocabulo, et vocabuli significatione continetur. Ac de nominis quidem appellatione ipsa scitum illud est Antipatri Bostrensis episcopi dictum in libro, quem contra Origenem ediderat : « Generalem hanc esse inter homines regulam, ut res, quamdiu in propria forma remanet, illud esse dicatur, quod ejus vocabulo significatur. Quod si formam præsertim cum actione mutaverit, non jam hoc erit, quod esse dicitur, sed aliud ab eo diversum. Ita videlicet homo tandiu homo proprie nominatur, quandiu intra proprios formæ suæ terminos consistit. Quod si formam, quam accepit ab initio, mutet, aliud quiddam potius, quam homo vocabitur [a]. » Quocirca, cum liberum arbitrium sit voluntatis facultas, vel actio, quæ ex

a ANTIPAT. apud Damasc. *in Eclogis*. M. S. littera A. tit. LXXII. Καὶ οὗτος καθόλου ὁ κανὼν παρὰ ἀνθρώποις ἀσάλευτος, μέχρις οὗ ἐν τῷ ἰδίῳ σχήματι μένει, ἐκεῖνο εἶναι λέγεται, ὅπερ σημαίνεται. εἰ δὲ

1 Lib. *cont. Collat.* cap. XVIII et in resp. ad cap. VIII Gall.— 2 Fulg. lib. *de Incarnat.* cap. XII.

duobus unum aliquid eligit, cum posset, alterum, ac neutri necessario est affixa, quoad res vocabulo significata manet, jure ipsum vocabulum usurpatur, re autem extincta, supervacanea est appellatio. Itaque, cum Augustinus in Adami posteritate non voluntatem solum, sed liberam voluntatem, liberumque inesse dicat arbitrium, rem una nominis inesse, si sapimus, æstimare debemus.

VIII. De qua re liberi arbitrii significata vocabulo innumera sunt illius testimonia, quæ eadem formula, et conceptione verborum homines, post culpam primi parentis, liberum retinere docent arbitrium, quo in Adamo sano adhuc et integro fuisse, paulo ante affirmantem illum audivimus. Relegantur illa præsertim, quæ superiori capite posui, ut ex libro ad Valentinum *de gratia, et libero arbitrio*; quo in libro, cum de utroque ex instituto disputet, nullus hæsitandi locus est, quin amborum propriam rationem, notionemque persecutus fuerit; ac tam gratiæ nomini id, quod ista vox præcise significat, quam liberi arbitrii voci subjecerit id, in quo illius natura consistit. Licet hoc agnoscere, si quis scribendi occasionem, exordiumque libri illius animadvertat, in quo, cur de eo argumento disputare aggressus sit, ita præfatur : « Sed quoniam sunt quidam, qui sic gratiam Dei defendunt, ut negent hominis liberum arbitrium, aut quando gratia defenditur, negari existiment, liberum arbitrium; hinc aliquid scribere ad vestram charitatem, » etc. Quemadmodum ergo gratiam cum a se non negari demonstrat, (quod capite IV facere incipit) non aliam gratiam intelligit, exprimitve, nisi ejusmodi, quam Pelagiani necessariam non esse dicebant, hoc est eam, quæ Christi parta meritis, medicinalis, et ad sanandum, ac juvandum liberum arbitrium infusa dicitur; ita prorsus, cum « esse in homine liberum voluntatis arbitrium, » nec se id inficiari probat in II et III capite, eo sensu liberum arbitrium sumit, quo negari a se Pelagianos sibi ait objicere. Hoc autem est illud idem, de quo nobis controversiam novi theologi faciunt, ut antecedens caput evicit, et quod iisdem plane verbis explicatur, ac declaratur ab Augustino quibuscum in primo fuisse parente docebat : « Nempe ubi dicitur, inquit [1], Noli hoc, et noli illud, et ubi ad aliquid faciendum, vel non faciendum, in divinis monitis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium. »

IX. Exempli causa, liberum, ut Augustinus argumentatur, Adamus arbitrium habuit, quod illum peccare potuisse, vel non peccare Scripturæ prædicant; quod ei præceptum datum est, cui obtemperare vel non obtemperare posset; quod accceptam a Deo gratiam, sine qua recte vivere nequibat, conservare, aut amittere poterat. Per hæc eadem signa, et vestigia liberum in Adami posteris arbitrium notavit idem. Nam loca Scripturæ quamplurima percensuit in eodem libro, qnibus indicat, liberum homini esse, ut bene agat, aut male; utrumque enim in ejus potestate relictum : *Si volueris, conservabis mandata, et fidem bonam placiti,* ait *Ecclesiasticus* [2] *: Apponet tibi ignem, et aquam; ad quodcumque volueris extendere manum tuam.* Et ut Augustinus liberi arbitrii fuisse primum hominem probavit inde [3], quod « mori, vel non mori in sua potestate habebat, » ita post ejus lapsum nihilominus inesse liberum idem arbitrium probat in libro *ad Valentinum*, ex illis *Ecclesiastici* : *In conspectu vita et mors; et quodcunque placuerit, dabitur ei.* Ex quibus concludit Augustinus : « Ecce apertissime videmus expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium. » Sic etiam ex eo, quod mandata Deus hominibus edidit, ostendit, illos libero esse præditos arbitrio itidem, ut in Adamo fecit. « Quid illud, inquit, quod tam multis locis omnia mandata sua custodiri, et fieri jubet Deus? Quomodo jubet, si non est liberum arbitrium? Quid beatus ille, de quo Psalmus dicit [4], quod *in lege Domini fuit voluntas ejus;* nonne satis indicat voluntate sua hominem in lege Dei consistere? » Sed vide cætera capitis illius secundi libri ad Valentinum; quæ et nos capite antecedenti percurrimus. Profecto ex illis efficitur, vel in primo nostro parente non fuisse liberum arbitrium, hoc est naturalem utrumvis eligendi facultatem, vel in illius inesse posteris; tum eodem prorsus in his, atque in illo fuit, perseverare modo indifferentem, et nulli ad-

τὸ σχῆμα, καὶ μάλιστα μετὰ τῆς ἐνεργείας ἀμείψει, οὐκέτι ἂν εἴη ἐκεῖνο ὃ λέγεται, ἀλλ' ἕτερον παρ' ἐκεῖνο. οὕτω που καὶ ὁ ἄνθρωπος μέχρι τότε ἄνθρωπος λέγεται κυρίως ἕως ἐν τοῖς ἰδίοις ὅροις τοῦ σχήματος μένει. εἰ δὲ τὸ σχῆμα, ὅπερ ἐξ ἀρχῆς εἴληφε, μεταβάλλει, ἄλλό τι, οὐκ ἄνθρωπος κυρίως λεχθήσεται.

1 Aug. *de Grat. et lib. arb.* c. II.— 2 *Eccl.* XV, 16 Ita citat. Aug. ib.— 3 Lib. *de Corrept. et Grat.* c. X.— 4 *Psalm.* II.

dictam, definiente, ac circumscribente necessitate.

Hoc qui non capit, frustra ut capere possit, argumentatis laborabit industria. Sed pergamus tamen, ut instituimus, et grassantem opinionis novæ licentiam ejus, quem sibi ultro legerunt, arbitrii voce, et auctoritate reprimamus; ut hæc duo in illius agnoscant scriptis, et esse in nobis liberum arbitrium, et ad eam formulam exigi, quam concilium Tridentinum præfixit; ut ita consentiat vocationi, et inspirationi Dei, ut tum maxime, cum est consensurus, dissentire, si velit, possit.

X. In libro *de Correptione et gratia* memorabilis est locus [1], qui hæc ambo persuadet. Nam imprimis Dei vocantis efficientiam, quanta intelligi maxima potest, commendat his verbis : « Non est itaque dubitandum, voluntati Dei, qui in cœlo, et in terra omnia quæcumque voluit, fecit, et qui etiam illa, quæ futura sunt fecit, humanas voluntates non posse resistere, quominus faciat ipse, quod vult; quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cum vult, facit. » Sane, si est ulla vis orationis, si quod sententiarum, verborumque lumen, quo divinæ voluntatis, ac decreti, ejusque gratiæ ac vocationis insuperabilis, et absoluta potestas ostendi potest, ea hoc in loco adhibuit Augustinus. Quare quid aliud expectes, quam illud ipsum arbitrium liberum sic inflecti, ducique, quo vult Deus, et consentire, et uno aliquo circumscriptum sit, nec ambo voluntati illius permittantur? Videamus, quid deinde subjicit : « Nisi forte, inquit, ut ex multis aliqua commemorem, quando Deus voluit Sauli regnum dare, sic erat in potestate Israelitarum subdere se memorato viro, sive non subdere; quod utique in eorum erat positum voluntate, ut etiam Deo valerent resistere. » Utrumque, hoc est subdere se, vel non subdere Sauli, in voluntate positum ait fuisse Israelitarum. Ergo in utrumvis voluntates flectere suas poterant; tametsi reipsa nonnisi consensuri erant, eo quod, manente integra eorum libertate, Deus, quo decreverat, illorum movebat voluntates, ut, etsi possent, aliter facturi non essent, quam ut se subderent. Ideo mox addit : « Qui tamen hoc non fecit, nisi per ipsorum hominum voluntates, sine dubio habens humanorum cordium, quo placeret, inclinandorum omnipotentissimam potestatem. » Hoc quemadmodum faciat Deus, et quatenus cum hujus efficientia salva sit voluntatis humanæ libertas, non est hujus loci dicere; nec præfixos ab Sede Apostolica limites disputationis istius prætergredi licet.

XI. Quod igitur fas est, et ad institutum modo sufficit, id ex Augustini verbis illis concluditur, eam esse liberi arbitrii vim, nativamque proprietatem, ut agere, vel non agere in illo positum sit; atque hunc usum illius, et operandi modum, ut, exempli causa, subdat se alicui, vel non subdat. Hoc autem sine indifferentia ne informari quidem cogitando potest. Qui enim aliter in voluntate Israelitarum positum fuit, subdere se Sauli, vel non subdere, nisi quod, utrum vellent, eligere poterant? Nam propria liberi arbitrii actio est electio; nec aliter movere se, quam eligendo, potest naturalis illa facultas animi. Frustra autem in voluntate, vel libero arbitrio positum dicitur agere hoc vel non agere, si nonnisi unum potest eligere. Quod nec ipsum quidem est eligere, ut in priore libro diximus, quoniam hoc electio natura sua postulat, ut inter duo sibi proposita media sit, et quodammodo suspensa.

Nec movere quemquam debet, quod sic in illorum voluntate positum utrumque scribit Augustinus, ut tamen Deo non valerent resistere. Cui consentaneum est, quod statim de Abisai subjicit [2], qui Deo instinctus Davidi se cum suis adjunxit; de quo sic Augustinus : « Nunquid ille posset adversari voluntati Dei, et non potius ejus facere voluntatem, qui in ejus corde operatus est per Spiritum suum; quo inductus est, ut hoc vellet, diceret, et faceret. » Etenim, si id simpliciter accipitur, ut non potuerint Israelitæ aliter facere, quam ut se Sauli subderent, hoc est si non poterant non se subdere; falsum est, in eorum voluntate positum fuisse *subdere se, sive non subdere*, quoniam hoc solum in voluntate positum est quod potest velle. Quamobrem *posse* ab Augustino non pro agendi potestate sumitur, sed pro actione, et eo, quod erat reipsa futurum, ac factura erat, voluntas illorum libera.

Posse pro eo quod est facere interdum accipi.

XII. Qua de re præstantissimus est Chrysostomi locus, qui totam illam pessimorum liberi interpretum arbitrii nationem conturbat, atque hic ideo describendus est. Quod enim de Judæis scripsit Joannes [3]: *Propterea autem non poterant credere, quia iterum dixit*

Vindicatur Chrysostomus a Beza explicatus.

1 Cap. XIV.— 2 Lib. I, *Paral.* XII.— 3 *Joan.* XII, 39.

Isaias[1], *Excæcavit oculos eorum, et induravit cor eorum*; primum animadvertit Chrysostomus, particulas istas « *propterea*, et *quia*, non causam significare, sed eventum, et exitum. Non enim, quia ita prædixerat Isaias, ideo illi non credebant; sed quia non erant crediturі, idcirco prædixit Isaias [a]. » Tum in illis verbis demonstrari ait τὸ ἀψευδὲς, id est *certam, firmamque Scripturæ veritatem*, quæ id solum prædicit, quod procul dubio futurum est. « Quod si, inquit, verba ista, *non poterant* usurpantur pro *nolebant*, ne mireris. Nam et alibi dicit [2] : *Qui potest capere, capiat.* Hoc modo solet potestatem vocare liberum arbitrium. Ac rursus [3] : *Non potest mundus odisse vos; me autem odit.* Atque hoc in communi usu loquendi observari videas; ut cum dicitur : Non plus hunc amare; ubi vehemens voluntas appellatur potestas. Item cum dicimus : Non potest iste bonus fieri [b]. » Eadem et Theophylactus habet; quæ sane vera sunt, et solida theologia digna.

XIII. At Beza in *Scholiis* ad illum Joannis locum, hanc illorum expositionem vellicat, præsertim vero Chrysostomum incessit : « quem norunt omnes, inquit, pii, plus æquo suum illud αὐτεξούσιον extollere solere.» Quinam porro *pii* sunt isti? Qui Calvini, ac similium dogma de libero arbitrio profitentur quibus fidelem navant operam novi theologi; qui integram utriusque potestatem adimunt arbitrio libero; sed isti præpostere argutantur. Et Bezam merito reprehendit Daniel Heinsius in *Exercitationibus sacris ad novum Testamentum* [4], ad illa verba: *Non potest Filius a seipso facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem* [5]. Hunc enim simplicem Hebraismum esse contendit : Non posse facere, pro non facere, tale est, *Et non poterat ibi virtutem ullam facere* [6]. Tale est, *Non enim poteris amplius villicare* [7]; et in *Genesi* Angelus Loto [8], *Non potero*, inquit, *facere quidquam, donec ingrediaris illuc.* Huic et Hugo Grotius suffragatur, ac multa scitu digna in *Observationibus ad Marci Evangelium* scribit [9]; ubi et exemplis aliquot illam verbi δύνασθαι notionem illustrat, velut illo *Geneseos* XXXVII de fratribus Josephi : *Et non poterant ei quidquam pacifice loqui;* et, *Non potest mundus odisse vos* [10]; item *non possumus nos quæ vidimus, et audivimus, non loqui.* Denique Chysostomi, quam Beza respuit, interpretationem approbat; quæ profecto verissima est.

Est ergo in arbitrii potestate, utrum volet, eligere, et amplecti, et eatenus liberum est, quod non sic uno definitum est, ut non peræque suopte nutu inclinari in alterum possit, ac tam consentire, quam dissentire; quod ipsum aliis insuper Augustini testimoniis uberius adstruemus in capite sequenti, ne hoc longius excurrat.

CAPUT V.

Alia Augustini loca proferuntur, quibus liberi arbitrii indifferens potestas ad utrumvis post Adami peccatum probatur. Item cogendi vocem pro necessitate simplici ab eodem usurpari. Illustrantur loca quædam librorum de libero arbitrio, et Retractationum, quæ evidenter illud ostendunt. Diluitur insulsa hæreticorum, et aliorum ratio voluntatis indifferentiam perperam interpretantium. Quid sit esse in potestate ex Augustino. Unde et indifferentia liberi arbitrii conficitur.

Ex Augustino liberi arbitrii indifferens ad utrumvis potestas in homine lapso adstruitur.

I. Si, quod in hujus capitis titulo propositum est, id quemadmodum probari, et qua sententiarum formula demonstrari oporteat, quispiam interroget; nemo aliter sanus ac prudens respondeat, quam ita persuadendum esse, in arbitrio voluntatis humanæ positum esse bonum agere, vel non agere. His enim verbis communi ex hominum sensu, ac sermone, vis illa media, et indifferens ostenditur. At hujusmodi effata crebra sunt apud Augustinum. In I libro *de Prædestinatione Sanctorum* capite V sub finem : « Non quia credere, inquit, vel non credere, non est in arbitrio voluntatis humanæ. Sed in electis præparatur

a Chrys. hom. LXIX *in Joan.* Ἰδοὺ πάλιν τὸ, ὅτι, καὶ εἶπεν, οὐχὶ αἰτιολογίας, ἀλλ' ἐκβάσεως. οὐ γὰρ ἐπειδὴ εἶπεν Ἡσαΐας οὐκ ἐπίστευον· ἀλλ' ἐπειδὴ οὐκ ἔμελλον πιστεύειν, διὰ τοῦτο εἶπεν Ἡσαΐας.

b Ibid. Εἰ δὲ κεῖται τὸ, οὐκ ἠδύναντο, ἀντὶ τοῦ οὐκ ἤθελον, μὴ θαυμάσῃς. καὶ γὰρ καὶ ἀλλαχοῦ φησιν. ὁ δυνάμενος χωρεῖν, χωρείτω. οὕτως οἶδε πολλαχοῦ δύναμιν τὴν προαίρεσιν λέγειν. καὶ πάλιν· οὐ δύναται ὁ κόσμος μισεῖν ὑμᾶς· ἐμὲ δὲ μισεῖ. τοῦτο δὲ καὶ ἐν τῇ κοινῇ συνηθείᾳ φυλαττόμενον ἴδοι τις ἄν· ὡς ὅταν λέγῃ τις, οὐ δύναμαι ἀγαπῆσαι τὸν δεῖνα, τὸ σφοδρὸν τῆς βουλήσεως, δύναμιν λέγων.

1 *Isa.* VI, 9. — 2 *Matth.* XV, 12. — 3 *Joan.* VII, 7. — 4 Cap. IV *in Joan.* — 5 *Joan.* V, 19. — 6 *Marc.* VI, 5. — 7 *Luc.* X, 2. — 8 *Gen.* XIX, 22. — 9 *Marc.* VI, 5. — 10 *Joan.* VII, 7.

voluntas a Domino. » Quam voluntatis libertatem, et *indifferentiam* cum gratiæ adjutorio cohærentem pulchre idem explicat in libro *de Gratia Christi*, capite XIV. « Quis autem non videat, et venire quemquam, ait, et non venire arbitrio voluntatis? Sed hoc arbitrium potest esse solum, si non venit; non autem potest non adjutum esse, si venit; et sic adjutum, non solum quid faciendum sit, sciat : sed quod scierit, etiam faciat. »

In libro quoque *de Natura et gratia*, cap. LXIV Sixti philosophi, quem esse putavit Romanum pontificem, et martyrem, dictum illud approbat : « Quia libertatem arbitrii sui permisit hominibus Deus, ut pure, et sine peccato viventes similes fiant Deo. Sed ad ipsum arbitrium pertinet vocantem audire, et credere, et ab eo, in quem credit, non peccandi adjutorium postulare. » Tum vero c. LXV Hieronymi sententiam illam approbat: « Item, inquit, quod ait a memorato dictum esse Presbytero, Liberi arbitrii nos condidit Deus; nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur. Alioquin ubi necessitas, nec corona est, quis non agnoscat? quis non toto corde suscipiat? » Quid hoc Hieronymi dicto, et Augustini assensu clarius, ut non solum in parente primo, sed in nobis etiam liberum inesse significaret arbitrium? Ac, ne forsitan necessitatem hic novi theologi gratis somnient eam solummodo, quæ coactio, et violentia vocatur; primum opponenda illa sunt, quæ contra inane hoc effugium in primo libro tradita sunt. Deinde necessitatem Hieronymus eam interpretatur ipse in epistola *ad Ctesiphontem*, quæ ex absoluto Dei imperio nascitur, utriusque potestatem non relinquit. Vide Hieronymi verba, quæ libro V *de Deo et ejus attributis* posuimus [1].

II. Sic in libro secundo de *Actis cum Felice Manichæo*, capite tertio : « Esse autem, ait, liberum arbitrium, atque inde peccare quemque, si velit, non peccare, si nolit, non solum in divinis Scripturis, quas non intelligitis, sed etiam in verbis ipsius Manichæi tibi probo. » Quod cum in quinto capite ex Manichæi verbis probasset, qui legem servare noluisse quosdam ait; ita mox subjicit : « Vides, in his verbis confirmatum esse etiam a nesciente, quid loqueretur, liberum arbitrium. Qui enim servare legem non vult, in potestate ejus est, si velit. Non enim dixit, non potuerint, sed noluerint. Hoc certe, quod nolunt servare legem, non a gente tenebrarum coguntur. Si enim coguntur, non nolunt, sed non possunt. Si autem nolunt, non utique coguntur, ut faciant, sed voluntate sua nolunt. Hoc ergo, quod in eorum voluntate est, ut nolint, peccatum est certe sine aliqua necessitate gentis tenebrarum. »

Cogendi verbum eodem pro necessitate simplici usurpatum.

Hic non est metuendum, *ne cogendi* verbum, quo utitur Augustinus, perfugium aliquod præbeat novæ calumniæ; tanquam non necessitas simplex libero arbitrio contraria sit, sed sola coactio. Manifestum enim est, ibi *coactionem* ab Augustino sumi pro simplici necessitate; siquidem adversus Manichæi dogma disserit, qui liberum arbitrium negabat, et mali, hoc est peccati causam, et originem imputabat non libertati creaturæ rationalis, sed naturæ malæ, quæ ad gentem tenebrarum pertinet. Cujus impulsione naturæ, et propensione, nonnisi malum fieri dicebat. At Augustinus ex eo, quod imprudens idem ille dixerat, quosdam legem Dei servare noluisse concludit, liberum illos arbitrium habere; quia « qui legem servare non vult, in potestate ejus est servare, si velit. »

III. Ex qua ratione tria colliguntur, quæ novam theologiam funditus labefactant. Alterum est, *coactionem* illic non violentiam significare; nam id violentum non est, quod est naturæ, et naturali inclinationi consentaneum. Manichæus autem naturam esse malam asserebat, adeoque naturalem ejus propensionem in malum, non utique violentam, cum boni facere nihil omnino posset. Frustra ergo vim ac violentiam hic præpostera novitas obtendit. Alterum est, liberum arbitrium ab Augustino tale definiri, quod ita vult aliquid, ut possit nolle; ac « legem ita servare non vult, ut in potestate ejus sit servare, si velit. » Quod est, eodem tempore, quo circa unum potestate sua utitur, illud eligendo, quamvis actu ipso alterum respuat, posse tamen istud eligere, quod sine indifferenti, ac minime affixa et circumscripta potestate, prorsus intelligi, explicarive non potest. Tertium illud denique conficitur : ubicunque in Scripturis aut apud Augustinum legimus, homines noluisse legem servare, aut bene servare, sive cum Deus hortari nos dicitur ad hoc faciendum, vel illud fugiendum, et omnino ubi aliquod mandatum editur, ex cujus transgressione peccatum sequitur; ibi liberum arbitrium significari, necessitatis non minus,

1 Cap. v, num. 8.

quam coactionis expers, utpote quod in utrunque liberum motum, et inclinationem habeat in potestate sitam. Et vide, obsecro, quemadmodum liberum arbitrium simplici necessitati opponit, cujusmodi naturalem dixi esse propensionem. In capite quarto ejusdem libri, verba illa Matthæi refert [1]: *Aut facite arborem bonam et fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, et fructum ejus malum.* Quibus ista subnectit : « Cum ergo dicit, aut hoc facite aut illud facite; potestatem indicat, non naturam. Nemo enim, nisi Deus facere arborem potest. Sed habet unusquisque in voluntate aut eligere, quæ bona sunt, et esse arbor bona; aut eligere quæ mala, et esse arbor mala, » Et mox : « Hoc ergo Dominus dicens, aut facite illud, aut facite illud, ostendit esse in potestate, quid facerent. » Itaque vocanti, et hortanti Deo consentire, vel reluctari, est in voluntatis potestate, cui simplex repugnat necessitas. Equidem nescio, quæ tam dura possit esse frons, quæ non tanta sententiæ illius vi, ac perspicuitate vincatur. Atque ex hoc eodem loco omnia superiorum capitum argumenta corroborantur, maxime illa, quæ ex capite secundo, et tertio libri *ad Valentinum* allata sunt, ad liberi arbitrii indifferentem, et ancipitem adstruendam potestatem.

Illustrantur loca quædam librorum *de libero arbitrio*, et *Retractationum* quæ idem adstruunt.

IV. Totidem illa, quæ dixi, de libero arbitrio capita colliguntur ex Augustini libris tribus, quos de libero arbitrio conscripsit. Quamvis enim non multo post conversionem suam tempore illos elucubravit, ac nondum orta Pelagiana hæresi, antequam controversia illa de gratia et libero arbitrio diligentius enuclearetur; nihilominus postea libros illos recensens [2], quæ de arbitrio libero ibi scripserat, probavit; et hoc unum addidit : « De gratia Dei, qua suos electos sic prædestinavit, ut eorum, qui jam in eis utuntur libero arbitrio, ipse etiam præparet voluntates, nihil in his libris disputatum esse, » quod adversus Manichæos de origine mali dissereret, cujus causam illi esse dicebant, « immutabilem quamdam, et Deo coæternam mali naturam. » Ipse autem pugnabat, illud ex voluntatis libertate, ac libero arbitrio proficisci; quamobrem quæ de liberi arbitrii natura, et proprietate ibi scripsit tum ea probant, tum « hæreticos Pelagianos, qui liberum sic asserunt voluntatis arbitrium, ut gratiæ Dei non relinquant locum quandoquidem eam secundum merita nostra dari, asserunt, vetat extollere se, quasi eorum egerit causam. » Cum igitur nihil Augustinus illic aliud dixerit, quam quod communis habet de libero arbitrio Theologorum, ac veterum Patrum opinio antecedentibus explicata capitibus, et quod Calvinus, Lutherus, hæretici cæteri, ac recentiores eorum partiarii Catholici quidam improbant; apparet, et priores illos recte et ex Augustini mente de libero arbitrio disputare, et istos in magno errore versari, atque ab Augustino discedere, ac falso denique Pelagianam illis hæresim adscribere, cum in Manichæorum ipsi, contra quos talia scripsit Augustinus, cœno, ac peste volutentur.

Ex iis ergo sententiis, quas in primo *Retractationum* refert, et approbat Augustinus, confirmari omnia illa dico, quæ pro communi sententia hactenus posui : Liberum arbitrium non solum a coactione, sed ab necessitate etiam abhorrere, ut, quod sponte alioqui, et voluntate fit, non semper ex voluntate fiat libera; tum in eo situm esse liberum arbitrium, ut ad agendum paratis necessariis omnibus rebus, hoc vel illud eligere, agere vel non agere possit.

V. Ex his primum illud sic ex Augustino demonstratur. Violentum coactumque illud est, quod ab externa causa fit, et immittitur contra inclinationem naturæ. Quod igitur ex naturæ propensione oritur, potest quidem necessario fieri; violentum autem esse non potest. Atqui Manichæi, contra quos contendit Augustinus, malum ab libero arbitrio originem ducere, id ipsum aiebant oriri ex naturæ malæ propensione. Hos vero convincit hac ratione, quod si necessario (cujusmodi illud est, quod naturali inclinatione fit) homo peccatum facit, non peccat, quia, quod debet, facit. Verba Augustini, quæ in primo *Retractationum* approbat ex libro tertio *de libero arbitrio*, capite x sunt hæc : « Si enim hoc debet quisque, quod accepit, et sic homo factus est, ut necessario peccet, hoc debet, ut peccet. Cum ergo peccat, quod debet, facit. Quod si scelus est dicere; neminem natura sua cogit, ut peccet. » Manifestum est, Augustinum *cogendi* verbum non proprie usurpare pro eo, quod non modo cum voluntate, sed etiam cum omni appetitu pugnat, cum eoque minime consistit; sed pro eo, quod necessario fit, etsi sponte, ac voluntate fiat; quale est illud, quod ex naturali inclinatione agitur. Hoc

1 *Matth.* XII, 33.— 2 Lib. I *Retr.* c. IX.

modo, si voluntas peccatum facit, non peccat, quia peccare cogitur, id est necessitate ad peccandum impellitur; quod scelus esse dicere censet Augustinus. Scelus ergo faciunt tam Calvinus, ac reliqui hæretici, quam Semicatholici, qui liberum arbitrium tam ad bonum, quam ad malum ferri necessitate sentiunt. Ac liberum arbitrium sic abhorret ab omni necessitate, quæ utriusvis potestatem, et τὸ ἀδιάφορον eripit, ut quod necessario fit, id libere non fiat, si quid Augustino creditur.

Indifferens.

VI. Quocirca, quidquid de libero arbitrio, qua naturalis est, et insita creaturæ rationali facultas, scripsit Augustinus in libris *de libero arbitrio*, quod et Pelagiani contra illum usurpabant, idipsum non modo non improbat in libro *Retractationum*, sed assentiendo confirmat Augustinus; atque hoc unum, quod passim alias, addendum putat, et in adversariis suis requirit, ut liberum arbitrium non sine gratiæ ope ac præsidio bonum amplecti posse fateantur, ac suam illam exerere vim, naturalemque potestatem. Quo concesso, nihil jam illis negotii faciendum existimat. Ex his autem omnibus liquet, quoties in illis locis, quæ ex libris *de libero arbitrio* expendit in primo *Retractationum*, *voluntatem*, aut *velle*, aut *libertatem*, aut aliud ejusmodi nominat, quo insita liberi arbitrii a natura potestas, ejusque actio propria significatur, eam intelligi ab Augustino naturalem potentiam, quæ cum simplici necessitate cohærere nequeat, et quæ in agendo in alterutrum æquo jure propensa sit. Sic illa sunt accipienda, quæ ex primo libro retulit [1]: « Malefacta justitia Dei vindicari. Non enim juste vindicarentur, nisi fierent voluntate. » Quam autem voluntatem, et qua vi præditam dixerit, exponit sic: « Vides igitur jam, ut existimo, in voluntate nostra esse constitutum, ut hoc vel fruamur, vel careamus tanto, et tam vero bono. Quid enim in voluntate, quam ipsa voluntas sita est? » Et paulo post: « Voluntate nos, ait, laudabilem, et beatam vitam, voluntate turpem, et miseram mereri, ac degere. » Item illud [2]: « Ex quo conficitur, ut quisquis recte, honesteque vult vivere, si id se velle præ fugacibus rebus velit, assequatur tantam rem tanta facilitate, ut nihil aliud ei, quam ipsum velle, sit habere, quod voluit. » Tum istud: « Quid, inquam, quisque sectandum, et amplectendum eligat, in voluntate esse positum constitit [3]. » Quibus in locis mediam quodammodo, ac velut suspensam inter utrumque voluntatem significat.

VII. Hinc etiam frigida illa, et insulsa novorum theologorum calumnia summovetur, quam supra discussimus; qui, cum voluntatis actionem omnem liberam esse velint, indifferentem utriusvis eligendi potestatem ad liberi arbitrii negant pertinere naturam; et quod ibidem dictum est ab Augustino, ridiculum in sensum detorquent. Sic enim ille scripsit [4]: « Non enim posses aliud sentire esse in potestate nostra, nisi quod cum volumus, facimus. Quapropter nihil tam in nostra potestate, quam ipsa voluntas est. Ea enim prorsus nullo intervallo, mox ut volumus præsto est. » Quæ verba libertatis corruptores sic interpretantur, ut, quamvis necessario aliquid volumus adeo ut ejus contrarium velle non possimuslib, ere tamen velimus, quia volumus, et eo ipso, quod volumus, in potestate est nostra velle; non enim vellemus, nisi velle possemus. Sed ex antecedentibus constat, cavillari istos, cum sic disputant. Augustinus enim necessitatem simplicem oppositam esse statuit arbitrio libero; et cum ita loquitur, id in nostra potestate esse, quod cum volumus, facimus, ex publico usu, et consuetudine humani sermonis, id includitur, ut, cum nolumus non faciamus; non ut separata ambo ista contraria, et opposita, sed copulata sumantur: hoc est ut eodem quo volumus, et eligimus tempore, possimus nolle, ac rejicere. Hoc enim potestatis vox, et ἐξουσίας, vel αὐτεξουσίας sine dubio significat; et qui aliter judicant, contra commune judicium peccant. Ac tametsi in illo loco unam duntaxat oppositionis partem commemoret Augustinus, idque in potestate esse dicat, *quod cum volumus facimus*, nec addat, aut non facimus si nolimus, sæpe alias tamen ambo exprimit, et conjuncta profert, ut in iis locis, quæ hoc, et antecedenti capite citavimus. Ait enim, « credere, vel non credere esse in arbitrio voluntatis humanæ [5]; » item « venire et non venire [6]. » Sunt et illa clarissima, quæ paulo ante ex libro *contra Felicem* retulimus, ubi ait « peccare quemque, si velit; non peccare, si nolit. » Et, « Qui legem servare non vult, in potestate ejus esse servare, si velit. » Quæ omnia et alia id genus innumera plane, nisi sensum cum ratione perdidimus, agnoscere, faterique nos

Insulsa adversariorum cavillatio removetur.

1 Aug. I *de lib. arb.* c. XII.— 2 Lib. I, c. XIII.— 3 Ib. c. XVI. — 4 Aug. lib. III *de lib. arb.* c. III.— 5 Lib. *de Præd. sanct.*— 6 Lib. *de Grat. Chris.* c. XIV.

cogunt, id in potestate esse nostra, non quod facere possumus, et velle, sed quod facere aut non facere, velle aut non velle possumus; ut cum aliquid, ut faciamus, eligimus, simul eligere possimus, ut non faciamus. Quid enim aliud particulæ istæ, *si*, et *cum*, hominum more loquentibus, et cogitantibus objiciunt, quam neutra nos parte necessario teneri, atque constringi; sed in alterutram ferri posse, utcunque libitum erit?

VIII. Equidem quantum præjudicata possit opinio, et ad tuendam quodcunque semel arripuit animus, obstinata voluntas, nunquam melius intellexisse videor, quam in hac causa, et controversia; in qua sic amentes ac cæci theologi isti feruntur odio vetustatis, et nativitatis illecebra deliniti, ut excussisse funditus ex animo communes naturæ notiones, ac rationem ipsam exuisse videantur. Obsecro enim, quis unquam aliter cogitavit, cum ita diceret, audiretve : In potestate nostra esse aliquid facere, vel non facere, nisi nulla nos necessitate ad unum e duobus adstringi, sed ita unum amplecti, ut, si velimus alterum possimus eligere? Esse enim in potestate aliquid non dicitur, si hoc necessario facimus ita, ut aliter facere nequeamus. Quare vocabuli istius notio, quod est *potestas*, duo quædam includit opposita invicem, circa quæ libera est eligendi facultas, et indifferens.

Quod ex Augustino sine ulla contradictione probatur. Hic enim in libro *de Natura et gratia*, cap. XLVII cum Pelagius dixisset, « Posse videre, sive possibilitatem videndi, potestatis nostræ non esse, sed in naturali necessitate consistere, » quia sive videmus, sive non videmus, possumus tamen videre; hoc refellit Augustinus, atque e contrario defendit, possibilitatem videndi in nostra esse potestate; idque non alio probat argumento, quam quia contrarium illius, quod est non posse videre, in potestate est nostra; possumus enim nos excæcare : « Quomodo, inquit, in potestate nostra non est videndi possibilitas, si in potestate nostra est non videndi necessitas; quia in potestate est cæcitas, qua idipsum videre posse nobis, si volumus, adimamus? » Ergo unica et certa regula est dignoscendi, quid sit in potestate nostra, ita unum facere, ut quod facit, huic, si voluisset, potuisset facere contrarium. Quod et in sequentibus ejusdem capitis demonstrare pergit Augustinus : et in libro ipso tertio *de libero arbitrio*, capite XVIII verbis istis : « Quis peccat in eo, quod nullo modo caveri potest? Peccatur autem. Caveri igitur potest. » Quam sententiam in primo *Retractationum* refert : eaque abutenti Pelagio nihil aliud opponit, nisi de sola natura se illic egisse : de gratia vero tacuisse, sine qua vitia superari non possunt. Igitur liberum arbitrium, qua naturalis est potentia, id habet, ut, cum peccat, cavere, si velit, peccatum possit, opitulanti consentiens gratiæ. Quod nihil aliud est, quam, quod Tridentina synodus sanxit, ita dissentire ab gratia, ut ei consentire posset.

IX. Sed, ut hæreticos theologastros, et horum de libero arbitrio fautores insaniæ pudeat, qui nihil nisi Augustinum jactitant, et in ejus se lectione tot annos contrivisse gloriantur : præclarum illius, ac vere decretorium testimonium afferam, quo et eorum falsa opinio convincitur, pervicaciaque frangitur et communis sententia comprobatur. Hic enim fons est, a quo post canonicas Scripturas, Tridentinum concilium et sentiendi de libero arbitrio formam, et loquendi regulam accepit. Liber est ille *de Spiritu et littera ad Marcellinum*, quem adversus Pelagianos editum memorat et commendat Hieronymus in calce tertii libri *contra Pelagianos*. Hujus in XXXI capite quæstionem instituit, quæ controversiæ nostræ summam continet, eamque aliquot deinde capitibus disputat. Quæritur igitur, « utrum fides ipsa, in qua salutis est exordium, in nostra constituta sit potestate. » Quam ut dissolvat, prius explicat, quid sit *potestas*, et quid *habere in potestate*. Hanc ergo, dicit esse « potestatem, ubi voluntati adjacet facultas faciendi. Unde hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult, facit, si non vult, non facit. » Quæ verba primum, si stupor mentis, et calumnia desit, hoc omnino significant, id esse in potestate, et libero arbitrio, quod ita eligi potest. ut possit omitti; ita ut eodem tempore ad utrumvis inclinari sponte queat, nec alterutri necessarie sit adstrictum. Nam si, ut novi theologi cavillantur, disjunctæ, ac separatæ ambæ partes oppositionis accipiendæ sunt, ut id libere fieri dicatur, quod, etsi necessario fit, tamen fit sponte, quandiu fit; ac post si fieri desinat, idemque necessario, sponte fieri desinit; sequitur, amentes, ac furiosos libero uti ad agendum arbitrio, et in potestate habere, quod agunt, quamvis aliter agere nequeant, eo quod maxime volentes id faciunt; quod, ut nemo nisi amens dixerit, ita nemini, nisi sui simili, persuadeat.

Augustini decretarium testimonium.

X. Idem paulo ante, quatenus voluntario

coactum adversetur, pulchre aperit, ac novorum theologorum somnolentiam excitat : « Sed, ut potestate, inquit, aliquid fiat, voluntas aderit. Neque enim dici solet quispiam potestate fecisse, si quid fecit invitus. Quamquam, si subtilius advertamus, etiam quod quisque invitus facere cogitur, si facit, voluntate facit ; sed quia mallet aliud, ideo invitus, hoc est nolens facere dicitur. Malo quippe aliquo facere compellitur, quod volens evitare, vel a se removere, facit, quod cogitur. Nam si tanta voluntas sit, ut malit hoc non facere, quam illud non pati, cogenti procul dubio resistit, nec facit ; ac per hoc si facit, non quidem plena, et libera voluntate, sed tamen non facit nisi voluntate ; quam voluntatem quia effectus consequitur, non possumus dicere, potestatem defuisse facienti. Si enim cogenti cedens vellet facere, nec posset, ei voluntatem affuisse, licet extortam, sed potestatem defuisse, diceremus. Cum vero ideo non faciebat, quia nolebat, erat utique potestas, sed voluntas deerat, quandiu cogenti reluctando non fecit.» In his Augustini verbis totum illud elucet, quod de coactione et violentia dixi superiore libro, præsertim capite v et vi ubi coactum, quod libero ac voluntario a Patribus solet opponi, demonstravi, non excludere libertatem arbitrii, nec sic ambo ista opponi invicem, ut simul esse nequeant ; quomodo rationale, et expers rationis. Sed vim coactionemque sæpius intelligi, quæ extrinsecus adhibetur, neque libertatem et eligendi alterutrius facultatem eripit, sed ad unum tamen impellit. Cujus tamen impetum violentiæ, si est fortis, et firma voluntas, frangit, et nihilominus, quod vult, facit ; quod martyrum exemplo ibidem probavimus. Quamobrem desinant deinceps obstrepere Calviniani gracculi, et libero arbitrio solum opponi dicere coactum et violentum ita, ut ambo simul esse non possint. Neque mutila quædam et lacera, vel etiam detorta violenter Augustini dicta nobis objiciant, ac solo *cogendi* prolato vocabulo fucum facere conentur ; sed ex illa Augustini plena, et perspicua sententia mentem ejus accipiant, si id investigare serio student, et non calumniari potius, ac tumultus agere.

Aliter voluntate.

XI. Habes etiam in eodem loco libertatis naturam egregie communi ex opinione traditam, ut ea sit, quæ non unum tantum potest eligere, sed utrumvis amborum. Nam ideo illum ipsum, qui invitus cogitur, voluntate, id est libero arbitrio (non enim voluntatem simplicem, sed eam, quæ libera est, intelligit) facere, quod cogitur, ostendit, quia si vult, potest reluctari, et, vi superata, contrarium ejus, quod facit, eligere. Proinde eatenus liber est, quod ita facit, ut hoc ipsum, quod facit, possit non facere ; hoc est, dum deliberando secum agitat, quid facto opus sit, et tanquam in procinctu, ac suspenso quodam statu est, potest, utrum malit e duobus, persequi. Si enim, ut ridicule nugatur nova theologia, cum unum eligit, necessario eligit, nec eligere potest contrarium, quantumvis postea, ob mutabilitatem insitam, a priori desciscere possit, et ad alterum transire ; non idcirco libere tum, cum prius elegit, fecisse, ab Augustino creditur. Hic enim de eo momento, quo primum facit, et eligit, loquitur, cum ait, idcirco libere eligi, quia posset, necessitate superata, non facere, ac si, cum illud asciscit, alterius facultatem non haberet, cogenti non posset resistere, neque non facere. Quod tamen posse, si velit, Augustinus affirmat.

Præterea sciendum est, ab Augustino potestatem dupliciter accipi, in quo altera latebra est, et cavillatio novi dogmatis. Nam aut ipsam volendi, et eligendi facultatem intelligit : aut ejus, quod velit exequendi, ac faciendi. Harum prior potestas impediri non potest, sed tota est in arbitrio cujusque ; sita est enim in ipso actu volendi, quam voluntatem Augustinus vocat ; de qua ita scribit : « Nihil tam in nostra potestate, quam ipsa voluntas est [1]. Ea enim prorsus nullo intervallo mox, ut volumus, præsto est. » Altera vero potestas id, quod voluntatis imperio fit, respicit. Quod pro eo ac magis, minusve præpediri potest, ita magis, vel minus in potestate esse nostra dicitur. De hac, et superiori ibidem Augustinus : « Dum autem volumus, inquit, si ipsa voluntas deest nobis, non utique volumus. Quod si fieri non potest, ut dum volumus, non velimus, adest utique voluntas volentibus, nec aliud quidquam est in potestate, nisi quod volentibus adest. Voluntas igitur nostra nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate. Porro quia est in potestate, libera nobis est. Non enim est nobis liberum, quod in potestate non habemus, aut potest non esse, quod habemus. » Ibi Augustinus in potestate id esse dicit, et liberum, quod, cum volumus, facimus ; et ex conse-

Potestas dupliciter ab Augustino accepta.

1 Lib. III *de lib. arb.* cap. III

quenti, quod, cum nolumus, non facimus; in quo nulla necessitatis potest esse suspicio. Quam necessitatem *cogendi* quidem vocabulo mox exprimit; sed ut appareat, externam illam esse coactionem non interiorem, quam nullam afferri voluntati posse sæpius diximus, et quæ libero arbitrio, non voluntati repugnat. Etenim paulo post demonstrat, præscientiam Dei non adimere libertatem: « Sicut non sibi, inquit, adversantur hæc duo, ut tu præscientia tua noveris, quod alius sua voluntate facturus est; ita Deus neminem ad peccatum cogens, prævidet tamen eos, qui propria voluntate peccabunt. » Coactio illa nihil aliud est, quam fatalis necessitas, cui liberum arbitrium subjiciebant plerique fati propugnatores. Hanc vero cum libera voluntate non stare indicat Augustinus, et arbitrii liberi proprium esse, ut possit facere, vel non facere idem, et unum; vel potius, quod maxime in potestate habet, eligere ac velle. «

Fides in nostra est potestate.

XII. Sed in eodem libro *de Spiritu et littera* pergit Augustinus, et fidem in potestate esse nostra sic colligit: « Vide nunc, utrum quisque credat, si noluerit, aut non credat, si voluerit. Quod si absurdum est (quid est enim credere, nisi consentire, verum esse, quod dicitur? consensio autem utique volentis est) profecto fides in potestate est.» Quamvis enim fides assensus est mentis, pendet tamen a voluntate, quæ intelligentiæ illam imperat, eo quod obscuritate quadam implicatur, nec ad assentiendum cogit audientem. At scientia, quæ quidem demonstratione, ac necessaria ratione colligitur, sine ulla voluntatis electione trahit animum, et ad assensum impellit. Et quamvis eodem momento, quo demonstratione victus necessario assentitur intellectus, voluntatis consensus accedat, non dicetur assensus ille liber, aut in potestate intelligentis esse, quamvis voluntarius sit. Cujus, ut omnia intelligenter excutiant novi Theologi, nullam investigare causam alteram possunt, nisi hanc, quod volens quisque sic fidei consentiat, ut, quod supra ex Augustino memoravimus, dissentire possit. Evidenti autem, et manifeste cognitæ veritati sive volens, sive nolens assentitur animus.

Verum, ne quis putaret, sic in potestate nostra esse fidem ut solis viribus suis, sine gratia Christi, illam possit amplecti, deinceps Augustinus exponit[1], voluntatem istam, qua credimus, donum esse Dei. Quo quidem in loco egregie liberum arbitrium in statu illo, quem sæpe repetimus, indifferenti esse situm ostendit. « Liberum, inquit, arbitrium naturaliter attributum a creatore naturæ rationali, illa media vis est, qua vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem potest. Et ideo nec istam voluntatem, qua credit Deo, dici potest homo habere, quam non acceperit; quandoquidem, vocante Deo, surgit de libero arbitrio, quod naturaliter, cum crearetur, accepit. Vult autem Deus, omnes homines salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire, non sic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene, vel male utentes justissime judicentur. Quod cum fit, infideles quidem contra Dei voluntatem faciunt, cum ejus Evangelio non credunt. » Qui locus ex Augustini mente arguit, liberum inesse arbitrium in homine etiam infideli, eamque facultatem in eo positam esse, quod bene, vel male possit agere. De quo libero arbitrio paulo post ait[2], esse voluntatem, qua credimus, non solam, sed adjuvante Dei gratia; « quod visorum suasionibus agit Deus, ut velimus, et ut credamus, sive extrinsecus per Evangelicas exhortationes, etc., sive intrinsecus, ubi nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem. Sed consentire, vel dissentire proprie voluntatis est. » Profecto, si quid candoris est in novis theologis, ex iis verbis intelligent, liberi arbitrii indifferentem vim, *ut consentire, vel dissentire possit;* qua formula Tridentinum decretum conditum est. Nec minus tamen, quod statim Augustinus subtexuit, « ipsum velle credere Deus operatur in homine, et in omnibus *misericordia ejus prævenit nos*[3]. Consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriæ voluntatis est. » Tum paulo post : « Accipere quippe, et habere anima non potest dona, de quibus hoc audit (nempe istud, *Quid habes, quod non accepisti*[4]?) nisi consentiendo; ac per hoc quid habeat, et quid accipiat, Dei est; accipere autem, et habere, utique accipientis, et habentis est. » Consentiendo itaque dona Dei accipit, sed ita, ut, « cum consentit, si velit, dissentire possit.» ut ex Augustino Concilium Tridentinum definit, Sic ad *Psalmum* LXIII. « Duo tibi modo proposita sunt, inquit; elige cum tempus est.» Et plura alia ejusdemmodi, eodemque spectantia.

1 Cap. XXXIII.— 2 Cap. XXXIV.— 3 *Ps.* LVIII, 21.— 4 I *Cor*, IV, 7.

CAPUT VI.

Rursus de voluntatis indifferente statu, et potestate libera ex Augustino disputatur. Ostenditur, etiam ex adversorium confessione liberi arbitrii naturam in eo sitam esse, ut possit agere, vel non agere.

I. Tanta vis est veritatis, ut in ejus plerumque confessionem, etiam inviti, illi ipsi, a quibus oppugnatur, incidant. Hoc in ea, de qua confligimus, liberi arbitrii definienda natura contingit adversariis nostris, quos adeo imprudentes, nescientesque fateri idipsum, quod negant, hoc capite demonstrabimus. Etenim tota in eo controversia posita est, quod liberi arbitrii vim ejusmodi esse communis habet sensus, Tridentini decreto concilii, et auctoritate firmatus, et e duobus sic unum eligat, ut alterum, cum illud elegit, posset eligere ; quod est medium inter duo, et indifferentem esse. Quid est enim hoc, quod dicimus, medium et indifferens? Doceat nos Chrysostomus, quandoquidem externam philosophiam, ipsumque porro communem naturæ sensum, et intestinum, ac domesticum animæ testimonium Pelagiani erroris insimulant. Ille igitur ipse Chrysostomus homilia tertia in epistolam *ad Philippenses*, vitam hominis mediam, et indifferentem esse dicit, quia nec bona per se est, nec mala, sed prout est libera hominis electio, ita alterutro censetur. « Etenim vivere, ait, ex eorum est genere quæ media sunt, et indifferentia ; at vero bene vel male vivere, in potestate nostra situm est. Quare vitam non odimus. Licet enim etiam bene vivere. Quod si male utimur illa, ne sic quidem eam criminabimur. Quid ita? quoniam non ipsa est in culpa, sed liberum arbitrium eorum, qui ea male utuntur [a]. »

Medii et indifferentis notio exponitur.

Quocirca medii, et indifferentis notio hæc est, ut ex sese interjectum sit inter duo contraria, vel opposita, quorum neutri necessario inhæret, sed tam ad unum, quam alterum transire possit ; quod in hominis voluntate libere fit, hoc est ex electione, qua sic uni se addicit, ut posset alteri. Est ergo indifferens ad bonum, vel malum, ad agendum aut non agendum; conditio voluntatis, ac libertatis humanæ ; quod ex adversariorum, ut proposui, confessione sic elicitur. Id enim in potestate esse nostra, dicunt, *quod, cum volumus, facimus, cum nolumus, non facimus.* Hoc vero ex Augustino sumpserunt; qui tum illud scripsit in libro tertio *de libero arbitrio*, capite tertio, et in primo *Retractationum* probavit ; tum istud, uti superiori capite meminimus [1], « hoc quemque in potestate sua habere, quod, si vult, facit, si non vult, non facit [2]. »

II. Ac novi theologi duo illa quidem libertati tribuunt, sed cum hac disjunctione, ut, etsi, necessario unum aliquid velit adeo, ut alterum velle nequeat, cum illud prius eligit ; postea tamen, ob mutabilitatem suam, priore illo repudiato, alterum, quod antea nolebat, incipiat velle. Non enim quidquid semel voluntas elegit, in eo semper inhæret, ut nunquam illius contrarium eligat ; siquidem huic et quotidiana experientia refragatur, quæ alternantibus desideriis homines ostendit modo in bonum ferri, modo in deterius, ac quod ante summopere concupiverint, et libenter amplexi sint, mutata mox voluntate respuere. Et illi ipsi præposteri theologi non repugnant, quin ea sit in homine vicissitudo voluntatum. Quæ si ambæ, contrariæque sic habent, ut tam unam, quam alteram exercere homo possit, hoc est ut, cum hoc vult, alterius vo'endi potestatem habeat, nec ad unum aliquod necessitate adigatur ulla, nihil ad perfectam indifferentiam deest libertatis humanæ. Quare hoc illi non dicunt, qui necessitatem simplicem libertati nihil adversari prædicant, et omnem voluntatis actum esse liberum, etsi unum ita eligat, ut non possit oppositum. Unde necessario distrahunt illa duo velle et non velle, bonum eligere vel non eligere, aut in bonum malumve ferri. Quæ cum liberi arbitrii propria esse, tum ab cæteris Patribus, tum ab Augustino præsertim affirmari vident, momentis ac temporibus ista distinguunt. Nam, etsi voluntas bonum, exempli causa, necessario velit, tamen, quia vult, libere velle eam existimant ; malum autem tum,

Summa systematis adversariorum.

a Chrys. hom. III *ad Phil.* Τὸ γὰρ ζῆν, πάλιν τῶν μέσων ἐστὶ, καὶ ἀδιαφόρων. τὸ δὲ καλῶς, ἢ κακῶς· ἐν ἡμῖν ἐστι. ὥστε οὐ μισοῦμεν τὸ ζῆν· ἔνεστι γὰρ ζῆν καὶ καλῶς· ὡς ἐὰν κακῶς αὐτῷ χρησαίμεθα, οὐδὲ οὕτω διαβαλοῦμεν αὐτό. διὰ τί; ὅτι οὐκ αὐτὸ αἴτιον γέγονεν· ἀλλ' ἡ προαίρεσις τῶν κακῶς χρωμένων αὐτῷ.

1 Num. 9.— 2 Aug. lib. *de Spir. et lit.* c. xxxi.

cum necessario vult bonum, velle non posse, consequens est, ut dicant, quoniam id necessarium vocatur, quod aliter non potest fieri. Unde necessario velle est ita velle, ut non possit non velle, vel nolle. Quocirca, cum id in potestate nostra esse, Augustinus definit, quod, « si volumus, facimus, si nolumus, non facimus, » quia non eligitur alterum necessario, si, cum eligitur, perinde potest alterum eligi, ideo potestatem illam ita dispensare coguntur, ut modo unum eligi, modo alterum dicant, et utrumque tum necessario, cum eligitur, adeo ut, cum horum unum asciscit, non sit indifferens ad alterum : sed hoc ipsum postea ob insitam mutabilitatem eligat, priore damnato.

Systema illud funditus evertitur tum ratione, tum auctoritate.

III. Hæc est novæ, et abnormis tam philosophiæ, quam theologiæ ratio, atque summa. Ex qua jam illud fateri cogam eos, quod negant, et in istud ipsum incurrere, cujus vitandi gratia ineptam, et illiberalem hanc fabulam commenti sunt. Quod dant igitur, accipiamus, et hominem sumamus, qui divinæ gratiæ consentiens, justitiam, virtutemque complexus est. Hunc, certum est, nonnisi volentem, ac libero utentem arbitrio tum oblatam arripuisse gratiam, tum eamdem retinere. Ergo iste, cum, mutato consilio, ab suscepta justitia desciscit, quæro, an non possit, si velit, in pristino manere statu, et utrum necessario ab justitia excidat? Hoc si dixerint, non solum impie, ac nefarie sentiunt, ut fato quodam agi libertatem nostram existiment; ac Scripturarum omnium innumeris testimoniis resistere non poterunt. E quibus insigne illud est *Isaiæ* primo capite : *Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis. Quod si nolueritis*, etc., ut alia prætermittam, quibus usi antea sumus. Poterant ergo, si voluissent, in cœpto perseverare, sed noluerunt. At iidem simul, et eodem momento, quo justitiam velle poterant, eamdem utique, quia reipsa deseruerunt, poterant deserere. Quare ad utrumvis liberam potestatem habebant; nec eos uni alicui ulla necessitas alligatos tenebat. Hoc autem est indifferentem esse. Quare nihil est aliud potestas libera, sive arbitrium liberum, quam voluntatis facultas indifferenter habens ad utrumvis eligendum, siquidem illud est in potestate nostra, quod, si volumus, facimus, si nolumus, non facimus. Verum ad invictum robur argumentationis illius adjungamus auctoritatis pondus ejusmodi, cui cedere cogantur inviti, et eadem ex Augustini oratione, ac sententia conficiamus, ut agnoscant omnes, ab hujus luce quantum illorum tenebræ distent, ac falsissime ipsos de hoc tanto patrono gloriari.

De voluntatis indifferente statu rursus ex Augustino disputatur.

IV. Cum itaque Pelagiani ex eo, quod peccatum vitare, vel facere in potestate sit arbitrii liberi, posse hominem sine peccato esse jactitarent, Augustinus sic adversus illos disputat[1]. « Nam qui dicunt, esse posse in hac vita hominem sine peccato, non est eis continuo incauta temeritate obsistendum. Si enim esse posse negaverimus, et hominis libero arbitrio, qui hoc volendo appetit, et Dei virtuti, vel misericordiæ, qui hoc adjuvando efficit, derogabimus. Sed alia quæstio est, utrum esse possit; alia utrum sit; alia si non est, cum possit esse, cur non sit; alia utrum, qui omnino nunquam ullum peccatum habuerit, non solum quisquam sit, verumetiam potuerit aliquando esse, vel possit. » Ac subinde ista subdit : « In hac quadripartita propositione quæstionum si a me quæratur, utrum homo sine peccato possit esse in hac vita, confitebor, posse per Dei gratiam, et liberum ejus arbitrium. » At secundæ quæstioni, utrum sit, respondet, non esse; ex quo indifferens, et media liberi arbitrii potestas ostenditur. Nam et cum sine peccato non est homo id est cum reipsa peccat, habet in potestate, ut non peccet, quia potest esse sine peccato, si velit, et cum peccat, peccare potest. Ad utrumque igitur potestas illius inclinari potest.

Rursus de tertia quæstione, cur, cum homo possit esse sine peccato, non sit, ita disserit : « Cum voluntate humana, gratia adjuvante divina, sine peccato in hac vita possit homo esse, cur non sit, possem facillime, ac veracissime respondere, quia homines nolunt. » Ergo et nolunt, quod possunt, et, cum nolunt possunt velle. Quod quid aliud est, quam indifferenti in statu posita alterutrius eligendi potestas? sed de potestate voluntatis, et quatenus aliquid in potestate esse dicatur, docebunt etiam illa te tum Augustini, tum aliorum testimonia, quæ libro quinto *de Deo* commemoravimus [2]. Velut cum Augustinus in potestate hominis esse ait[3], non consentire diabolo, cum tamen consentiat; et cum liberam

1 Lib. II *de Peccat. mer. et rem*, c. VI.— 2 Cap. V, n. 8 et 9.— 3 Lib. I Homil. XII.

voluntatem definit, « liberum ad faciendum, et ad non faciendum motum animi. »

V. Item in libro *de Natura, et gratia*, capite XXIII. « Nemo, inquit, ei dicit, sic hominem factum; ut de justitia quidam posset in peccatum ire, et de peccato ad justitiam redire non posset. Sed, ut in peccatum iret, sufficit ei liberum arbitrium, quo se ipse vitiavit; ut autem redeat ad justitiam, opus habet medico, quoniam sanus non est, opus habet vivificatore, quia mortuus est. » Qui locus verum, et catholicum dogma paucis complectitur; quod ex Tridentino canone contra hæreticos, novosque theologos propugnare studemus. Nam posse, cum peccato tenetur, ad justitiam reverti, Dei adjuvante gratia, demonstrat.

In tractatu vero ad *Psalmum* LI graphice potestatem illam ad utrumque arbitrii liberi, quasi in æquilibrio positam describit, cum hæc enarrat verba Davidis: *Dilexisti malitiam super benignitatem*, sic autem loquitur: « Ante te erat benignitas; ipsam diligeres, etc. Benignitas ante te, iniquitas ante te; compara, et elige. » Vide deliberationem, et consultationem, et ex ea sequentem electionem, atque arbitrium. Et ut intelligeres, utriusque penes ipsum et notitiam, et eligendi potestatem fuisse, statim pertexit, « Sed forte habes oculum, quo videas malignitatem, et non habes oculum, quo videas benignitatem. Væ iniquo cordi! Quod pejus est, avertit se, ne videat, quod videre potest. Quid enim de talibus alio loco dictum est? *Noluit intelligere, ut bene ageret.* Non enim dictum est, non potuit, sed noluit, inquit, intelligere, ut bene ageret; clausit oculos a luce præsenti, etc. Nam vis nosse, quam videat malus utrumque, et illud potius eligat, hinc se avertat? Quare clamat, quando inique aliquid patitur? Quare tunc exaggerat, quantum potest, iniquitatem, et laudat benignitatem, reprehendens eum, qui in illo operatus est malignitatem?» Hic apparet utriusque ad eligendum propositi cognitio, deque eo judicium animi, quod arbitrium dicitur; tum voluntatis libera in alterum inclinatio, et electio. De qua illud insuper addit: « Ante te est æquitas, ante te est iniquitas. Unam linguam habes; quo vis, eam vertis. Quare ergo potius ad iniquitatem, et non ad æquitatem? Cibos amaritudinis non das ventri tuo, et cibos iniquitatis das linguæ tuæ malignæ? Sicut eligis, quo vescaris, sic elige quod loquaris?» Ostendit in potestate hominis esse, si velit, linguam ad æquitatem flectere, cum eodem tempore potestatem habet et ad iniquitatem transferre, quod et reipsa facit. Ita utrumque in ejus est arbitrio ac potestate. Et animadvertendum hoc loco, de linguæ usu in utramque partem ista dici, quam frenare ac domare nemo sine Dei gratia potest, ut Jacobus Apostolus docet [1], ex eoque contra Pelagianos enixe contendit Augustinus [2]. Quare constat etiam sibi libertas hominis, et utriusvis potestas quando gratiæ adjumentum offertur: ut, quod ex Tridentina synodo sæpius repetere cogimur, consentiat ita, ut dissentire possit.

VI. Lucet etiam arbitrii liberi potestas indifferens in eo, quod Augustinus habet sermone quinto *de Diversis* [3]: « Hoc enim interest, inquit, inter illas veras paleas, et istos carnales homines; quia paleæ illæ non habent liberum arbitrium; homini autem Deus dedit liberum arbitrium. Et si vult homo, heri fuit palea; hodie fit frumentum. Si a verbo Dei se avertat hodie, fit palea. »

Præterea voluntarii, et liberi notionem in indifferenti ad utrumque potestate sitam esse, præclare ostendit Augustinus; cum de peccati natura disserit, duobus in locis. Primum in libro *De vera religione*, capite XIV. « Nunc vero, inquit, usque adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. Et hoc quidem manifestum est, ut nulla huic doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat. Quare aut negandum est, peccatum committi, aut fatendum est, voluntate committi. » Quod usitato deinceps argumento probat: Nam « si non voluntate male facimus, nemo objurgandus est omnino, aut monendus est; quibus sublatis, christiana lex, et disciplina omnis religionis auferatur, necesse est. » Hoc illud ipsum est argumentum, quo Græci præsertim tam philosophi, quam theologi, ac Patres, liberum arbitrium, cujusmodi volumus, asseverare solent, ut in superiore libro declaravimus. Et Augustinus illo in loco *voluntarii* et *voluntatis* nomen ad liberum refert arbitrium: ut in sequentibus indicat: « Voluntate ergo peccatur, inquit. Et quoniam peccari non dubium est, nec hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium. Tales enim servos suos meliores esse Deus judicavit, si ei servirent liberaliter quod nullo modo fieri posset, si non voluntate, sed

1 *Jac.* III.— 2 Lib. *de Nativ. et Grat.* c. XXV et XVI.— 3 Cap. VI, tom. X.

necessitate servirent. » Quo in loco necessitas ista non sic accipienda est, ut coactum aliquid, et invitum significet; siquidem contra Manichæos disputat, qui peccatum a natura quadam mala proficisci, non a libera, et sui juris voluntate dicebant. Quod autem a naturali principio oritur, et sponte fit, non est coactum. Prorsus ergo necessitatem ibi vocat, quæ ad unum adstringit, et alligat sic, ut alterius potestatem eripiat. Quare peccatum ita demum voluntarium est, si ab eo potest abstineri, ut in alio loco de duobus exponit, quæ in argumentum adduximus.

VII. Alter itaque locus est, in quo peccati definitionem his verbis concipit : « Peccatum, inquit, est voluntas retinendi, vel consequendi, quod justitia vetat, et unde liberum est abstinere [1]. » Cujus etiam definitionis similem, atque in loco altero rationem sic affert : « Neminem vituperatione, suppliciove dignum, qui aut id velit, quod justitia velle non prohibet, aut id non faciat, quod facere non potest. » Quid dici clarius potuit, ut libertatis naturam exprimeret : « Nonne ista cantant, ait ibidem, et in montibus pastores, et in theatris poetæ, et indocti in circulis, et docti in bibliothecis, et magistri in scholis, et antistites in sacris locis, et in orbe terrarum genus humanum? » Ergo peccatum nullum est ex orbis totius, et humani generis consensu, nisi quod ita fit, ut non fieri possit.

Atenim Augustinus objicienti hoc sibi Juliano respondit [2], « Istam definitionem peccati ejus esse, quod peccatum tantummodo est, non quod etiam pœna peccati, quia perit libertas non peccandi. » Et in primo *Retractationum*, capite XV. « Propterea vera est, inquit, de hac definitione loquens, quia id definitum est, quod tantummodo peccatum est, non quod est etiam pœna peccati. Nam quando tale est, ut etiam sit pœna peccati, quantum est, quod valet voluntas sub dominante cupiditate, etc. » Tanquam peccatum Adami solius ejusmodi fuerit, quale ibi definitur, *a quo liberum sit abstinere;* cætera vero deinceps peccata, quæ ab illo, et in ejus pœnam profecta sunt, necessitatem adjunctam habeant, nec sit liberum ab illis abstinere. Ita quidem Augustinus, quod et alibi frequenter usurpat, cum et liberum peccato primi hominis arbitrium extinctum esse, docet, et necessitatem quamdam in nobis esse peccandi; de qua ejus sententia uberius postea. Nunc illud, in quo modo disputatio nostra versatur, accipimus : ex ista definitione peccati ab Augustino tradita sequi, voluntarium seu liberum, a quo liberum arbitrium vocatur, eam habere naturam, ac notionem, ut ad utrumque indifferenter se habeat, hoc est ut sic unum eligatur, ac fiat, ut sit liberum abstinere. Neque enim aliter novi theologi locum illum interpretari poterunt, aut sic eludere, ut ideo liberum sit peccatum, quia sponte, ac voluntate, imo ardenti cupiditate homo illud amplectitur, ac deinde propter mutabilitatem suam ad aliud transferre se potest; his, inquam, præstigiis, quibus utuntur alibi, evadere hoc loco non poterunt. Etenim *voluntarium* non id simpliciter, quod voluntatis consensione fit, appellat Augustinus, sed quod ita fit, ut liberum sit non facere. In quo potestatem utriusque ab omni expeditam necessitatis vinculo perspicue indicat. Sic enim *voluntarii* nomen accipi passim, jam docuimus, et præter ea Patrum testimonia, quibus ad utrumvis liberam significari voluntatis inclinationem ostendimus, occurrit nunc Ambrosii locus in libro *de Noe, et arca*, capite IV. « Itaque in vanum laborant, ait, cœlum votis usurpantes, superbis, et terrenis operibus incubantes, qui electione inferioris et contemptu superioris consortii, tanquam voluntariis obnoxii peccatis graviori condemnantur severitate. » Ibi *voluntaria* peccata nominat, quæ *electione* unius, et alterius *rejectione* committuntur.

Talis fuit in Adamo potestas qualis non in ejus remanet posteris.

VIII. Talis autem fuit potestas in Adamo, ut novi theologi fatentur, non cujusmodi in ejus est posteris. Unde voluntarium illud, sive liberum in solo fuisse primo parente censuit Augustinus, ut illis placet; ac solius ejus peccatum voluntarium fuit, cætera voluntaria non sunt, quia non est liberum ab illis abstinere, propter *pœnalem* peccandi necessitatem. Atqui voluntarium omne liberum est, ut aiunt novi dogmatis propugnatores; repugnatque, ex Augustini sententia, ullum actum oriri a voluntate, qui non sit liber. Cur igitur Augustinus voluntarium, sive liberum negat esse peccatum posterorum Adami? Certe nonnisi voluntate fit illorum. Quis nisi cæcus, aut amens non videt, voluntarium, sive liberum ab Augustino nihil aliud intelligi, nisi quod in utramque partem libere flecti potest; ut eodem tempore, priusquam sponte se addicat uni, alterum possit asciscere, et cum illud electum a se obtinet, ab eo transire possit ad

1 Lib. *de Duabus anim.* c. XI et lib. VII *de Gen. ad lit.* cap. I. — 2 Lib. I *cont. Jul. oper. imperf.* cap. CII.

contrarium? Sic enim idem Augustinus alio in loco tradidit [1]: « Voluntatis arbitrium esse, quod huc, atque illuc liberum flectitur, atque in eis naturalibus bonis est, quibus et male uti malus potest. » Quare naturalis liberi arbitrii facultas ex se hoc habet, etiam seposita Christi gratia, ut ad bonum, malumve indifferens sit, et *huc, aut illuc flecti possit*, tametsi bonum sine illa gratia, saltem aut constanter, aut ad æternam vitam pertinens, non possit eligere. Quem quidem medium, indifferentemque statum Augustinus idem in primo *de gratia Christi*, capite xxv recte explicat, cum ait, « multo majus esse indignationem a contrario in lenitatem convertere, atque transferre, quam cor neutra affectione præoccupatum, sed inter utramque medium, in aliquid declinare.

IX. Atque hic quidem locus adversus novam libertatis calumniam plane singularis est, siquidem, eo ipso concesso, quod ex Augustino Calvinus, hæreticique cæteri, et horum satellites Armacani contendunt, liberum arbitrium in solo fuisse primo parente, in ejus posteris periisse, de quo mox videro ; hoc, inquam, sine controversia permisso, nihilominus id efficitur, quod volumus : liberi arbitrii notionem hanc esse, ut non uni alligatum sit, sed ad plura solutam, et indifferentem potestatem obtineat. Auctor *Hypognostici* [2], cur dicatur arbitrium liberum, declarans, « Arbitrium, inquit, ab arbitrando rationali consideratione, vel discernendo, quid eligat, quidve recuset, puto, quod nomen accepit. Vel ideo liberum arbitrium dictum, quod in sua positum sit potestate, habens agendi, quod velit, possibilitatem, quod est vitalis, et rationalis animæ motus. Sed hujusmodi, ut ante jam dixi, fuit in homine protoplasto, cum ante peccatum maneret illæsus, etc. Per velle ergo malum recte perdidit posse bonum, qui per posse bonum potuit vincere velle malum. » Si ergo liberum arbitrium ideo perditum dicitur, quia ferri non potest in bonum, sed solum in malum ; enimvero talis est liberi arbitrii natura, et conditio, ut in bonum, ac malum inclinari possit ; alioqui non perire putaretur, si cum unius necessaria appetitione posset consistere. Ac proinde quoties apud Augustinum, aliosque Patres legimus, esse in potestate voluntatis aliquid facere, sive velle, aut nolle, in hanc illamve partem flecti posse, bonum posse amplecti vel malum ; cum has, inquam, et similes loquendi formulas invenimus, ipsa liberi arbitrii ac libertatis natura, proprietas, et essentia debet intelligi, quæ non ad unum duntaxat post alterum, ob insitam mutabilitatem, transire possit, veluti canis, eo abjecto, quod prius arripuerat, alterum appetit ; sed ita plane, ut dum consultat, ac deliberat utrum eligat amborum, utriusvis optandi liberam potestatem habeat. Hæc est ipsa libera, indifferens, necessitatis expers, sui juris, neutri alligata necessario facultas hominis, et ab naturæ auctore homini insita, propter quam ad imaginem Dei procreatus a plerisque Patribus existimatur. Hanc frustra minuere, et obscurare conantur illiberalibus, indoctisque præstigiis, et calumniis imperiti.

CAPUT VII.

De libero arbitrio diversa, et in speciem contraria Augustini dicta ; ut modo post peccatum inesse, modo periisse dicat. Ex quo duplex notio liberi colligitur. Quid sit liberum esse justitiæ ; servitus, et captivitas libertati opposita. Liberum arbitrium, quatenus naturalis est facultas, etiam post peccatum manere.

I. Nunc ad ipsum controversiæ caput, disputationisque, quam cum adversariis de libero arbitrio suscepimus, summam veniamus. Ea, quoniam quidem de Augustini sententia præcipua lis est, in ejus ambiguis quibusdam, nec satis cohærentibus, ut videtur, invicem dictis tota consistit. Etenim libera voluntas, vel arbitrium liberum sic alias ab eo describitur, ut sit juris potestatisque suæ facultas a natura hominibus insita, quæ ex duobus alterutrum potest eligere, cum sit ad neutrum alligata necessario. Cujusmodi notio, definitioque libertatis tot hactenus ex illo testimoniis, argumentisque collecta est, ut de ea dubitare sit imperiti ; negare autem omnino parum pudentis. At interdum, et quidem non minus frequenter, idem sic de libero arbitrio loquitur, tanquam non natura sit inditum aliquid homini, sed adventitium Dei donum, et charitatis proprium : quod cum inesset in primo parente, ejus culpa perierit.

1 Lib. II *de Peccat. mer. et remiss.* cap. xviii.— 2 Lib. III paulo post init.

Expenduntur loca Augustini veterumque in quibus liberum arbitrium periisse dicitur.

Ejusmodi loca quamplurima Calvinus ex Augustino refert [1], in quibus Adamum scribit amisisse liberum arbitrium. Et nos hic aliqua proponemus ; ut in *Enchiridio ad Laurentium* capite XXX. « Libero arbitrio male utens homo, et se perdidit, et ipsum. Sicut enim qui se occidit, utique vivendo se occidit; sed se occidendo non vivit, nec seipsum potest resuscitare, cum occiderit ; ita cum libero peccaretur arbitrio, victore peccato amissum est et liberum arbitrium. » Et epist. CVII. « Liberum, inquit, arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus. »

Et in libro XIV *de Civitate Dei*, capite XI. « Arbitrium igitur voluntatis tunc est vere liberum, cum vitiis, peccatisque non servit. Tale datum est a Deo, quod amissum proprio vitio, nisi a quo dari potuit,reddi non potest. Unde Veritas dicit, *Si vos Filius liberaverit tunc vere liberi eritis.* » Ex quibus Augustini verbis Arausicana synodus secunda canonem fecit decimumtertium, itaque concepit: « Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam baptismi non potest reparari. Quod amissum nisi a quo potuit dari non potest reddi. Unde ipsa veritas dicit, » etc.

II. Cœlestinus item Papa in epistola prima *ad Episcopos Galliæ*, capite IV. « In prævaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem, et innocentiam perdidisse: » qui locus postea declarabitur. Augustinus quoque in primo *Operis imperfecti contra Julianum* [2], objicienti sibi hæretico, liberum arbitrium manere post Adami peccatum, negat, manere libertatem in iis, qui per peccatum liberi facti sunt justitiæ, id est alienati ab ea, et servi peccati. Tum Lugdunensis Ecclesia, liberum arbitrium « in Adamo perditum in operibus mortuis liberum esse posse dicit, in vivis non posse [3]. » Et Potho presbyter Prumiensis libro primo *de Statu domus Dei*, « In primo itaque parente nostro, ait, expulsi de domo nostra sumus, ac destructa interiore domo nostra, libertate arbitrii amissa, ducti sumus in captivitatem. » At ex adverso bene multis in locis liberum arbitrium post primi parentis delictum, ac vitiatam ab origine naturam, etiam in peccatoribus manere prædicat ; ut in primo libro *ad Bonifacium*, capite secundo : « Liberum, inquit, arbitrium usque adeo in peccatore non periit, ut per illud peccent maxime omnes, qui cum delectatione peccant, et amore peccati hoc eis placet, quod eis libet. » Et epistola LXXXIX : « Neque enim voluntatis arbitrium ideo tollitur, quia juvatur ; sed ideo juvatur, quia non tollitur. Qui enim Deo dicit, Adjutor meus es, confitetur se velle implere, quod jussit ; sed ab eo, qui jussit, adjutorium poscere, ut possit. » Tum copiose in libro *De gratia, et libero arbitrio*, capite secundo, et sequentibus, ut in quarto : « Numquid tam multa, quæ præcipiuntur, inquit, in lege Dei, ne fornicationes, et adulteria committantur, indicant aliud, quam liberum arbitrium ? Neque enim præciperentur, nisi homo haberet propriam voluntatem, qua divinis præceptis obediret. » Item libro VIII *de Genesi ad litteram*, capite XXIII. « Qui nunquam ita punit voluntatem malam, ut naturæ perimat dignitatem. » Loquitur autem de voluntatis arbitrio, quod naturis quibusdam dedit, aliis non dedit, et has illis naturaliter subjici voluit. Sic in libro *De correptione, et gratia*, capite primo, et alibi sæpius. Idque omnia illa ejusdem testimonia clamant, quæ supra ad liberi arbitrii probandam naturam attulimus.

Duplici sensu liberum arbitrium sumitur.

III. Quamobrem ista ipsa sententiarum ac verborum conflictio saltem specie tenus sese collidentium, evigilare nos admonet et agnoscere, non eodem modo liberi ab illo usurpari nomen arbitrii, sed alio atque alio sensu ; quod discrimen ad hanc brevem formulam redigitur. Libertas enim, a qua liberum dicitur arbitrium, alias naturalem voluntatis facultatem significat ad utrumvis e duobus eligendum potestatem habentem, quem Græci προαίρεσιν vocant, de qua fuse dixi in primo libro ; nonnunquam vero statum quemdam illius facultatis significat solitum,et expeditum ab impedimentis, quæ illius functionem honestam, et laudabilem interpellant, et invitum plerumque hominem ad id, quod suave est, ab decoro, rectoque deflectunt. Quod cum fit, tum est quædam servitus, et captivitas, qua aut sponte illigata detinetur hominis voluntas ut in vitiosis, ac vel infidelitate, vel aliquo alio morbo depravatis accidit, vel retinens, et quodammodo coacta ; ut, cum illucescere jam sol justitiæ cœperit, et odore quodam sancti Spiritus afflatos ad spem salutis, ac libertatis erigere. Inest ergo peccati servitus, quia *qui facit peccatum, servus est peccati* [4] ; eique libertas est contraria, quæ ab charitate proficiscitur. De qua libertate Christus ibidem

Electionem.

1 Lib. II *Inst.* cap. II, § 8.— 2 Cap. LXXIII et seq.— 3 Lib. de *Trib. epis.*— 4 *Joan.* VIII et XXXIV.

ait, *Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis* [1]; et Apostolus [2] : *Ubi spiritus Domini, ibi libertas : Qua libertate*, ait idem [3], *Christus nos liberavit*, nempe *per spiritum adoptionis, qui testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei* [4], et servituti ibidem opponitur. Ita liberum arbitrium, vel libera voluntas dupliciter dicitur; aut quia huc vel illuc flecti potest, quæ est naturalis illius vis, ac potestas, aut quia solutis peccati, et corruptelæ nexibus, quibus servilem in modum obligabatur, potestate sua utitur ad id, quod bonum, Deoque gratum est, eligendum, ac faciendum, quod antea, ne minima quidem ex parte præstare poterat. Atque hoc ipsum excitanti, et adjuvanti Christi gratiæ debet, cujus ope corroboratum « liberum hominis arbitrium, id est naturalis ipsa facultas, motum, inquam, et excitatum, ita cooperatur assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, ut possit dissentire, si velit, » ut ait Tridentinum concilium [5].

IV. Utriusque illius libertatis innumera sunt apud Augustinum testimonia, ac libri pene omnes, quibus Pelagianam oppugnavit hæresim, in hoc uno argumento commorantur, ut vel ea, quæ hactenus tot capitibus explicavimus, clarissime demonstrant. Sed, ut in rem veluti præsentem lectorum deducantur animi, aliquot eorum oculis loca subjiciam in quibus rem aperta, et illustri significatione videtur exprimere.

In epist. LXXXIX Pelagianos liberum arbitrium a natura insitum immodice jactantes ita compescit : « Desinant ergo sic insanire, et ad hoc se intelligant habere, quantum possunt, liberum arbitrium, ut superba voluntate respuant adjutorium, sed ut pia voluntate invocent Dominum. Hæc enim voluntas libera tanto erit liberior, quanto sanior; tanto autem sanior, quanto divinæ misericordiæ, gratiæque subjectior. » Et mox : « Quomodo enim libera est, cui dominatur iniquitas ? » Et in epistola XC quæ est synodica : « Quia et ipsum nostræ voluntatis arbitrium vere fit liberum; dum a carnalium concupiscentiarum dominatione liberatur. » Sic in epistola CVII. « Si vero volumus defendere liberum arbitrium, non oppugnemus, unde fit liberum. Nam qui oppugnat gratiam, qua nostrum ad declinandum a malo, et faciendum bonum, liberatur arbitrium, ipse arbitrium suum adhuc vult esse captivum. » Et mox : « Responde, quomodo ad declinandum a malo, et faciendum bonum, liberum habebamus arbitrium, quando erat sub potestate tenebrarum; unde nos, si quemadmodum dicit Apostolus, Deus eruit, ipse utique illud liberum fecit. » Ibidem et Diabolum ait non habere « liberum arbitrium ad benefaciendum, sed ad maximam malevolentiam pœna sui sceleris obduratum. »

In libro quoque *de Correptione, et gratia*, cap. primo « Liberum itaque arbitrium et ad malum, et ad bonum faciendum confitendum est nos habere. Sed in malo faciendo liber est quisque justitiæ, servusque peccati. In bono autem liber esse nullus potest, nisi fuerit liberatus ab eo, qui dixit : *Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis* [6].

V. Hunc statum voluntatis, quæ peccati dominatione continetur, Augustinus *servitutem*, et *captivitatem* nominat. Nonnunquam vero, qui sic est affectus, eum vocat *liberum justitiæ*, et *servum peccati*. Ut enim qui liber est ab aliquo, non amplius ei obnoxius est, sed ab illo est exemptus; ita qui sub peccati servitute captivus habetur alienus est a justitia, et ejus imperium excussit. Sic in primo *ad Bonifacium contra epistolas Pelagianorum*, c. II primum liberum arbitrium ait non periisse per peccatum Adami, « sed eam, quæ in paradiso fuit, libertatem habendi plenam cum immortalitate justitiam, propter quod natura humana divina indiget gratia. » Tum illud Apostoli memorat : *Cum essetis servi peccati, liberi fuistis justitiæ* [7]; ubi non diversus status est, sed unus et idem, *servum esse peccati*, et *liberum justitiæ*, cui opponitur liberatus, vel liber a peccato; de quo statim ista subjecit : « Liberi ergo a justitia non sunt, nisi arbitrio voluntatis; liberi autem a peccato non fiunt, nisi gratia Salvatoris. » Ibidem etiam notat, Paulum prudenter « verba ipsa discrevisse. » Cum enim dixisset, « *Cum servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ*, ac liberos justitiæ non liberatos » scripsisset; mox, « A peccato non liberos, ait, ne sibi hoc tribuerent, sed vigilantissime maluit dicere *liberatos* referens hoc ad illam Domini sententiam : *Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis.* » Ac sequenti capite, « nec liberum in bono erit, inquit de arbitrio libero loquens, quod liberator non liberaverit; sed in malo liberum habet arbitrium, cui delectationem malitiæ vel occultus, vel manifestus deceptor inseruit, vel sibi ipse persuasit; etc. Sed hæc voluntas,

Quid sit liberum esse justitiæ.

1 Ib. ver. 36.— 2 II *Cor.* III. 17.— 3 *Gal.* V, 1.— 4 *Rom.* VIII, 15.— 5 Sess. VI, can. I.— 6 *Joan.* VIII.— 7 *Rom.* VI.

quæ libera est in malis, quia delectatur malis, ideo libera in nobis non est, quia liberata non est. » Et in primo *contra Julianum operis imperfecti*, « Non est, inquit [1], aliud arbitrium laudabiliter liberum, nisi quod fuerit Dei gratia liberatum. »

Servitus et captivitas libertati opposita.

VI. Hæc igitur voluntatis servitus, et captivitas, ex peccato, et concupiscentia oritur, quatenus, ut ait Gregorius Nyssenus [2], « a conditore suo descivit, et ad contrarium sponte transfugit, ab naturali domino transfuga factus, et desertor; tum quod malam peccati servitutem prætulit ingenuæ, ac sui juris libertati; ac pro eo, quod Deo serviebat, maluit sub corrumpentis virtutis tyrannide degere [a]. »

Pulchre apud eumdem etiam Damascenum Nilus monachus, « Nescis, inquit, quibus passionibus anima superatur, harum mancipium et quasi verberonem servum eam fieri? *Nos autem non sumus ancillæ filii sed liberæ* [3], ut a peccato separati libere agamus. Magis eligendum est homini, ut sit servus, et vernarum verna quam execrandis unquam passionibus subjici [b]. »

Quod Augustinus ex iis Petri Apostoli verbis approbat [4] : *A quo enim quis devictus est, huic et servus addictus est* [5]. « Petri certe Apostoli est ista sententia. Quæ cum vera sit, qualis quæso potest servi addicti esse libertas, nisi quando eum peccare delectat? Liberaliter enim servit, qui sui domini voluntatem libenter facit; ac per hoc ad peccandum liber est, qui peccati servus est. Unde ad juste faciendum liber non erit, nisi a peccato liberatus, esse justitiæ cœperit servus. Ipsa est vera libertas propter recti facti licentiam; simul et pia servitus, propter præcepti obedientiam. Sed ista libertas ad benefaciendum unde erit homini addicto, et vendito, nisi redimet ille, cujus illa vox est : *Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis?* Quod antequam fieri in homine incipiat, quomodo quisquam de libero arbitrio in bono gloriatur opere, qui nondum liber est ad operandum bene, nisi se vana superbia inflatus extollat, quam cohibet Apostolus dicens : *Gratia salvi facti estis per fidem* [6]*?* »

Per gratiam et charitatem homo fit liber.

VII. Quocirca per ea, quæ peccato, et concupiscentiæ contraria sunt, gratiam videlicet, et charitatem, homo libertatem illam adipiscitur, quia servus esse desinit; et liberum tunc arbitrium dicitur, cum juris est sui, neque mancipii instar obnoxium, sed emancipatum, et liberatum. » Ab hac ergo necessitate servitutis, ait Augustinus [7], ille liberat, qui non solum dat præcepta per legem, verum etiam donat per spiritum charitatem, cujus delectatione vincatur delectatio peccati. Alioquin perseverat invicta, et servum suum tentat. » Hinc potestatem ipsam bene agendi, quæ liberi arbitrii, id est τοῦ αὐτεξουσίου propria est, a Deo donari docet idem [8], retractans id, quod in libro *contra Adimantum* scripserat : « In potestate nostra esse positum mutata voluntate bonum operari; » quod sic declarat : « In potestate quippe hominis est mutare in melius voluntatem; sed ea potestas nulla est, nisi a Deo detur, de quo dictum est, *Dedit eis potestatem filios Dei fieri* [9]. Cum enim hoc sit in potestate, quod cum volumus, facimus, nihil tam in potestate, quam ipsa voluntas est : sed præparatur voluntas a Domino. » Quod etiam in secundo *Retractationum*, capite primo repetit.

Hinc alibi sæpius, possibilitatem recte vivendi, ac vitandi peccata, quam naturalem esse Pelagius asserebat, contendit, ex Christi esse gratia; ut in libro *de Natura et gratia*, cap. XI et XL et XLII ubi « possibilitatem istam fieri dicit, cum sanata, et adjuta hominis voluntate, *charitas Dei* diffunditur in cordibus nostris, » etc. Quod et deinceps aliis capitibus exponit. Tum in libro *de Gratia Christi*, capite tertio, et sequentibus idem fuse demonstrat. Vide præsertim caput XVIII et XX ex quibus evidens est, *possibilitatem*, sive *potestatem* ab illo liberum arbitrium intelligi, idoneis ad bene agendum præsidiis instructum, hoc est quod bene vel male agere potest; quorum

a Greg. Nyss. *in Orat. Domin.* Πρώτην ὤφλησεν ὁ ἄνθρωπος τιμωρίαν τῷ θεῷ, ὅτι ἀπέστησεν ἑαυτὸν τοῦ ποιήσαντος, καὶ πρὸς τὸ ἐναντίον ἀπηυτομόλησεν, δραπέτης τοῦ κατὰ φύσιν δεσπότου, καὶ ἀπογενόμενος. δευτέραν δὲ, ὅτι τὴν πονηρὰν τῆς ἁμαρτίας δουλείαν ἀντὶ τῆς αὐτεξουσίου ἐλευθερίας προετίμησεν, καὶ ἠλλάξατο τοῦ δουλεύειν τῷ θεῷ τὸ τυραννεῖσθαι ὑπὸ τῆς καταφθειρούσης δυνάμεως.

b Nilus ibid. Οὐκ οἶσθα ὅτι ὧν ἥττηται ψυχὴ παθῶν. τούτων γίνεται καὶ δοῦλος μαστιγίας; ἀλλ' οὐκ ἐσμὲν ἡμεῖς παιδίσκης τέκνα, ἀλλὰ τῆς ἐλευθέρας, ὅπως τῆς ἁμαρτίας διαιρεθέντες ἐλευθεριάσωμεν. αἱρετόν μᾶλλον ἀνθρώπῳ δοῦλον γενέσθαι, καὶ οἰκοτρίβα, ἢ δουλωθῆναί ποτε πάθεσι καταράτοις.

1 Cap. LXXI.— 2 Apud Joan. Dam. *in Eclog.* lit. II, tit. XXVII.— 3 *Gal.* IV, 31.— 4 August. *Enchir.* c. XXX.— 5 II *Pet.* II, 19.— 6 *Eph.* II, 8.— 7 Lib. II *Oper. imperf. cont. Jul.* c. CV.— 8 Lib. I *Retr.* c. XXIII.— 9 *Joan.* I.

prius sine Christi gratia, et charitate non potest; ideo *potestas*, sive *possibilitas*, plena, atque perfecta, nonnisi ex charitate conficitur.

Ex quo illud explicandum est, quod Cœlestinus primus papa scripsit [1], « In prævaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem, et innocentiam perdidisse; et neminem de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium posse consurgere. » Ibi enim naturalem possibilitatem appellat potestatem plenam, atque completam recte agendi, quam ab origine accepturi erant Adami posteri, nisi eos parentis noxa contaminasset. Quam quidem potestatem ab libero arbitrio separat; hoc enim vocat insitam a natura libertatem, et voluntatem, quæ, ut ad recte vivendum idonea sit, sananda est, et adjuvanda Christi gratia; « Qua opitulante et mala necessitas removebitur, et libertas plena tribuitur [2], » ait idem Augustinus. « Nam in recte faciendo ideo nullum est vinculum necessitatis, quia libertas est charitatis [3]. »

Denique iisdem de causis liberum arbitrium ad Dei gratiam, id est « ad Dei dona pertinere » dicit alibi [4]; nec tantum ut sit, (quod est naturæ a Deo conditæ) « sed etiam ut bonum sit, id est ad facienda mandata Domini convertatur; atque ita Dei gratia non solum ostendat, quid faciendum sit, sed adjuvet etiam, ut possit fieri, quod ostenderit. »

Liberum arbitrium dupliciter acceptum.

VIII. Ex tot Augustini testimoniis id manifeste colligitur, liberum arbitrium dupliciter accipi, ac duos ejus distinguendos esse status, unum naturalem, et homini insitum: alterum naturæ divinitus additum, quem *supernaturalem* vocant. Prior est ingenita ipsa facultas, qua pro libito potest voluntas hominis alterutrum e duobus eligere, quorum videlicet neutri necessario est affixa, ut sæpius repetere cogimur. Hoc enim libertatis genus oppositum est necessitati uno aliquo definienti, ac circumscribenti, quæ deliberationem omnem, et consilium, ac liberam eligendi potestatem incidit, sine qua προαίρεσις esse nequit, quam Latini liberum vocant arbitrium, ut in primo libro abunde probavimus. Posterior est laudabilis, et a gratia profectus libertatis status ejusmodi, ut voluntas ad bonum, et id, quod gratum Deo est, amplectendum, et eligendum possit eniti, peccati, sub quo captiva tenebatur, vinculis expedita, et cupiditatis ac concupiscentiæ laqueis, et illecebris explicata; quo tanquam visco, et glutino ad rerum caducarum amorem, et voluptatem implicatæ illius erant pennæ, ne sursum evolare posset.

Electio.

Liberum arbitrium quatenus naturalis facultas, in homine lapso remanet.

Ex his duobus priorem constat inter catholicos, imo vero inter omnes, qui paulo plus brutis animantibus sapiunt, post peccatum primi parentis extinctum non fuisse. Non enim natura ipsa per peccatum erepta est homini, aut nativa vis, et proprietas ulla. Itaque stulte desipiunt hæretici quidam, ut Calvinus, et hujus generis alii, qui liberum arbitrium, id est ipsam voluntatis facultatem, quæ erat in Adamo, peccato ipsius interiisse censent: neque id, quod naturale est, ab eo, quod naturæ est admensum, et gratiæ tribuitur, voluerunt, potueruntve discernere. Quibus vereor, ne non solum annumerandi, sed deteriores etiam judicandi sint nuperi theologi, qui libertatis nomen verbo retinent, re tollunt, et prava interpretatione corrumpunt.

IX. Adversus quos firmissime illud asseverandum est, quod ex Augustini doctrina hucusque confecimus, ejusdemmodi, quale ante lapsum fuit in Adamo, in hujus esse stirpe liberum arbitrium, quod ad naturam ipsam attinet; etsi quidquid erat gratiæ, et ornatus naturæ captu præstantioris ei inditum, culpa illius extinctum sit, ac nonnisi Christi meritis, et gratia recuperetur. Hunc ipsum naturæ superiorem viribus, ac plenum divini splendoris, et roboris humani statum animi, sæpe Augustinus liberum arbitrium simpliciter vocat, et amissum esse primi peccato parentis affirmat.

Quod cur absolute sic nominet, nec ab naturali potentia quidquid cum ea gratiæ est conjunctum clarius, distinctiusque separet; (etsi non obscure facit hoc plerisque in locis, ut ex superioribus capitibus constat) tamen, cur frequenter libertatem arbitrii adscribat gratiæ, et illam periisse dicat; diligentius inquirenda ratio est, quæ illum movit. Eadem enim adversus hæreticos, et horum veneno contactos catholicos in promptu habita, multum utilitatis ac momenti ad propositam quæstionem conferet.

1 Epist. I *ad episc. Gall.* c. IV.— 2 Lib. *de Nat. et Grat.* c. LXVI.— 3 Ib. c. LXV.— 4 Lib. II *de Peccat. mer.* c. VI.

CAPUT VIII.

Explicatur causa, propter quam Augustinus liberum arbitrium sæpe aliter, atque ut, naturalem hominis facultatem significat, usurpat. Quod Pelagianorum gratia fecisse monstratur. Horum igitur, et Catholicorum sententiæ inter se comparantur. Quid sit liberum et quid servitus, ex Jurisconsultis, et ex Augustino accurate traditur.

Liberi arbitrii vires juxta Pelagium.

Inter Pelagium nefariæ auctorem hæresis, et contrarium, id est catholicarum partium ducem Augustinum summa litis, et controversiæ fuit ejusmodi, de qua dixi jam, et rursus dicam alibi copiosius; nunc quatenus ad institutam disputationem est necesse, (hæc enim inde tota suspenditur) breviter enarranda est. In eo igitur hærebat illorum contentio, quod Pelagius liberum sic a natura datum homini putabat arbitrium, ut per sese, nullis aliis, quam naturalibus opibus egens, et auxiliis, tam bonum, quam malum posset amplecti. Ut enim visus ex sese, suisque viribus lucem, et quamlibet colorum varietatem intueri potest, quamdiu inest oculo, neque cæcitate restinctus est, ad idque naturalibus tantummodo præsidiis, hoc est sibi debitis instruitur; et ut quælibet insita facultas naturaliter suas partes, et functiones exequitur; ita voluntas humana, sive liberum arbitrium, ut ille putabat, per se et propriis viribus, quas ab ortu suo primum accepit, potest in malum bonumve suapte sponte ferri, nec ad honeste vivendum extraordinaria requirit adjumenta, sed propriis, insitisque contentum est. Atque hoc tanto magis innatum est illi, quam cæteris facultatibus; quod eæ sic interdum morbo, vel casu aliquo pereunt, ut instaurari nequeant, voluntati eripi potestas utriusvis eligendi, nisi tota ipsa hominis sublata natura, non potest.

Hæc de possibilitate liberi arbitrii opinio Pelagii, ejus expressa verbis, ab Augustino declaratur in libro *de Natura et gratia*[1], et in libro *de Gratia Christi* luculentius[2], ubi tria Pelagius distinguit, posse, velle, et esse. Posse in natura constituit, et Deo auctore naturæ; « duo vero reliqua, hoc est velle et esse, ad hominem referenda esse dicit, quia de arbitrii fonte descendunt. » Sic, « quod possumus videre oculis, nostrum non est. Quod vero bene aut male videmus, hoc nostrum est. Et ut generalius universa complectar, quod possumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius est, qui hoc posse donavit, qui hoc posse adjuvat; quod vero bene vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus, nostrum est, quia hæc omnia vertere etiam in malum possumus. »

Ejusdem infirmitas juxta Augustinum.

II. Augustinus autem e contrario liberum arbitrium primi peccato parentis ita fractum, debilitatum, attenuatum esse docet, ut soli sibi relictum, nihil nisi malum eligere, facereque possit; bonum autem, nonnisi adjutum a Deo, et sola Christi gratia possit. Quamobrem nulla inter illos de naturali voluntatis potestate versata quæstio est, quam quidem post peccatum manere constabat; sed de integritate virium ad agendum, quod Pelagius sanas et valentes eas esse dicebat, nisi quod prava, et voluntaria peccandi consuetudine corrumpi naturam, infirmioremque reddi putabat, ita tamen, ut in potestate esset hominis iisdem, quibus natura pollet, viribus emendare seipsum, et in viam reverti. Hinc Augustinus, quando contra hæreticos illos gratiam Christi propugnat, liberum in homine mansisse sæpius arbitrium negat, qualitatem, et conditionem intelligens, non potentiam et facultatem. Etenim liberum usurpat de eo, quod non est captivum, neque mancipii instar addictum, et peccati, concupiscentiæque nexibus irretitum. Quibus cum extricare, et exsolvere se, nisi Christi, ejusque gratiæ beneficio, homo non possit, merito liberi arbitrii eo sensu non esse dicitur. Verumtamen liber est nihilominus naturali ea libertate, qua omnibus ad agendum necessariis præditus integrum habet, et in potestate sua, consentire, vel dissentire: quod, ut sæpe demonstravimus, nihil aliud est, quam ad neutrum necessitate rapi, ac circumscribi, sed indifferente in statu versari.

Quo sensu Augustinus non mansisse liberum arbitrium post peccatum asserat.

Hoc vero ipsum, indifferentem esse, id est in utramvis partem suo arbitratu propendere posse, adeo est implicatum et connexum cum libertatis et liberi notione, ut vel alterum illud libertatis genus, quod Adamus amisit, et servituti respondet, ab ea significatione non recedat. Nam ideirco liber non est captivus aut servus, quia non potest, quod vult; neque integrum illi est uti arbitrio et judicio suo,

1 Cap. VII et seq.— 2 Cap. III et seq.

sed alterius nutu, atque imperio continetur, a quo definitur, et determinatur illius voluntas, ut ne promiscue, et indifferenter tam unum, quam alterum possit, sed ex iis solum illud, quod domino placet.

III. Etenim indifferens oppositum est necessario. Necessarium voco *id, quod non potest non esse*, ut a sanc. Thoma definitur [1]; at indifferens, quod potest esse, vel non esse. Hoc autem est contingens; unde et necessario contingens ex adverso respondet. Cum igitur liberum universe, absoluteque sumptum id in sua notione habeat, quod non est adstrictum uni ac certæ rei, eaque definitum, sed quod solutum, et expeditum nexibus omnibus, huc vel illuc moveri potest; eo ipso sequitur, *indifferens* omne id esse, quod est liberum adeo, ut ne cogitando quidem fingi alia possit libertatis ratio, quam quæ cum indifferentia jungitur. Quare libertati prorsus contraria est necessitas, et est ad repugnantiam implicatum, quod tam Calviniana hæresis, quam nova theologia commenta est, solam libertati oppositam esse coactionem, non autem necessitatem simplicem.

Liberæ ad utrumvis indifferentiæ varii gradus.

Sed libertatis, cujus in indifferentia, et solutione, vel, ut ita vocare liceat, *inalligatione* generatim est natura et essentia sita, varii sunt gradus; et est alia perfectior alia, pro eo ac vel pauciora, minusque tenacia, vel nulla nos omnino vincula constrictos tenent. Quemadmodum equus aut capite tenus, laxiore ad præsepe capistro religatur, aut si contumax est, arctioribus toto corpore nexibus impeditur, aut denique

« per aperta volans, ceu liber habenis,
Æquora, vix summa vestigia ponit arena [2]. »

Sic animus noster concupiscentiæ, vel pravæ consuetudinis aut funiculis obligatus hæret, aut *quasi vinculo plaustri*, ut ait Propheta [3], plus aut minus innectitur, aut denique cum David canit exultans, *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis* [4]; et, *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium* [5]. Atque hæc perfecta libertas vix, ac ne vix quidem cuiquam mortalium hac in vita conceditur. Nam peccati expers est nemo: *Peccatorum* autem *suorum* [6], saltem *levium*, *criniculis*, ut eos vocat Augustinus, *unusquisque*, *constringitur*. Itaque post hanc vitam speranda duntaxat; quando in libertatem vocati filiorum Dei, ac peccati mortisque tyrannide liberati, utrique insultabimus: *Ubi est mors victoria tua? ubi est mors stimulus tuus* [7]?

IV. Hanc libertatis inimicam servitutem graphice describit Apostolus capite septimo epistolæ *ad Romanos*, tum luculenter Augustinus non oratione tantum, sed suo insuper exemplo, in octavo libro *Confessionum*, quod expertus erat in se ipse demonstrans in illa grandi rixa, conflictuque carnis et spiritus, cum « semisauciam hac atque hac versaret [8], et jactaret voluntatem, cum hac parte assurgente, cum alia parte cadente luctantem. » Tum in capite sequenti, « Unde hoc monstrum, inquit, et quare istud? Imperat animus corpori, et paretur statim; imperat animus sibi, et resistitur. Imperat animus, ut moveatur manus, et tanta est facilitas, ut vix a servitio discernatur imperium. Et animus animus est, manus autem corpus est. Imperat animus, ut vellit animus, nec alter est, nec facit tamen. Unde hoc monstrum, et quare istud? Imperat, inquam, ut velit, qui non imperaret, nisi vellet, et non fit, quod imperat. Sed non ex toto vult; non ergo ex toto imperat. Nam in tantum imperat, inquantum vult; et in tantum non fit, quod imperat, inquantum non vult, » etc. Quam demum « ægritudinem esse animi, dicit, quia non totus assurgit veritate sublevatus, consuetudine prægravatus. » Itaque, « Sic ægrotabam, ait [9], et excruciabar, accusans memetipsum solito acerbius nimis, ac volvens, et versans me in vinculo meo, donec abrumperetur totum, quo jam exiguo tenebar, sed tenebar tamen. »

V. Jam Pelagiani statum illum captivæ, secumque confligentis voluntatis, non ex originali naturæ vitio, neque ex propagatione primi peccati ortum ducere volebant; sed eum quemque prava sibi consuetudine fecisse, eademque, qua contractus hic morbus est, voluntate, ac vi animi posse sanari. Augustinus contra, non ex propriis tantummodo delictis, sed vel sine iis, vel etiam cum iis, ex naturæ nasci depravatione, et intestino concupiscentiæ morbo; cui sola curando Christi gratia sufficiat.

Quapropter in Adamo nihil ejusmodi fuisse, sæpe idem docet; sed summa libertate præ-

1 In I p. qu. LXXXII, a. 1.— 2 Virg. *Georg.* III.— 3 *Esa.* V, 10.— 4 *Ps.* CXV, 16.— 5 *Ps.* CXXIII, 7.— 6 Aug. tract. X *in Joan.*— 7 I *Cor.* XV.— 8 Aug. VIII *Conf.* cap. VIII.— 9 Cap. XI.

ditum fuisse voluntatis, et arbitrii, quod et carere peccato poterat, si vellet, et quod rectum, honestumque est amplecti. « Verum est, ait in libro *de Natura et gratia*, capite XLIII, quod Deus tam bonus, quam justus talem hominem fecerit, cui peccati malo carere sufficeret, sed si voluisset. Quis enim eum nescit sanum, et inculpabilem factum, et libero arbitrio, atque ad juste vivendum potestate libera constitutum? » Et alibi liberum arbitrium primi hominis « adeo liberum fuisse dicit [1], ut bene velle posset, et male. » Et postea : « Illi ergo sine peccato ullo data est, inquit [2], cum qua conditus est, voluntas libera, et eam fecit servire peccato. » Nullam enim ille patiebatur concupiscentiæ legem, quæ mentem in carnis ac peccati obsequium vel invitam, ac repugnantem cogeret, ut et « *quod vellet bonum, non ageret, quod odisset malum illud faceret* [3]. Quæ est vis, et coactio, adeoque captivitas, et servitus, cui est laudabilis illa contraria libertas, in qua primus parens conditus est; quæ quidem ex justitia, et charitate, qua constabat innocentiæ ille status, oriebatur.

VI. Ita fit, ut amissa peccato cum justitia et charitate libertas, et oppressa servitute, nonnisi instaurata per gratiam charitate et justitia recuperetur. Quod Pelagiani, sine gratia, sola naturali voluntatis vi ac libertate fieri dicebant. Hinc apud Bedam Julianus ille Pelagianæ sectæ columen in libro quodam *de Amore* [4], qui primus erat eorum, quos in *Canticum Canticorum* scripserat, « sanctum nobis, aiebat, ac generosum amorem ab ipso lucis exordio natura conciliante insitum, » quod nihil aliud est, quam charitas, hoc est bona voluntas. Dicebat [5] « amorem sanctum solis animi viribus innixum, usque ad senium sine damno sui persistere vigoris. Tum, amorem nostrum, sicut de corpore trahere, quod est perturbatus, et rapidus, ita de animo, quod sit sublimis, atque continuus. » Dicebat, « eumdem, quamdiu nihil de gentilitati voluntate desiderat *, quasi ad solius animi moveri arbitrium, et in actibus suis habere jucunditatem, ut perturbationis immunem, ita etiam libertate gaudentem. Quod est aperte dicere, quia, exceptis quæ ad carnis stimulos pertinent, in arbitrio sit animi nostri situm, cui se amori, vel quantum subdiderit; quodque idem amor, solo animi motu dispensante, id est nulla Dei gratia actus, operum quoque bonorum perfectionem liberam, et nulli obnoxiam perturbationi possideat. » Vides, cujusmodi libertatem humanæ voluntati Julianus, cum eoque Pelagiani omnes tribuerent; a qua etiam liberi arbitrii nomen fluxisse crederent. Nempe « forte, ac firmum ad non peccandum, ut scripsit Pelagius [6], liberum in nobis habere nos arbitrium, quod generaliter naturæ humanæ creator inseruit. » Item [7], « Ad peccandum, et ad non peccandum integrum liberum habere nos arbitrium dicebat, hoc est nullis obnoxium perturbationibus » ex se, ut ait Julianus, adeoque liberum ab earum vinculis, et servitute, nisi quantum nostra illis voluntate cedimus.

Hinc *possibilitatem*, quod ipsum est liberum arbitrium, idem ille Pelagius asserebat [8], « utriusque partis a Deo insitam esse, velut quamdam radicem fructiferam, atque fecundam, quæ ex voluntate hominis diversa gignat, et pariat et quæ possit ad proprii cultoris arbitrium vel nitere flore virtutum, vel sentibus horrere vitiorum. »

VII. Quocirca liberum eo sensu arbitrium usurpabant, quod nullius servituti esset obnoxium; nec dominantis, et urgentis cupiditatis imperio subesset, sed eam potius haberet in potestate, sine adventitio ullo gratiæ adjutorio, verum innata vi, et naturali, qua expedita, et soluta non minus pro libito uti posset, quam cæteris ab eadem concessis natura facultatibus, « Patet, inquit de Juliano loquens Beda, quid humanæ arbitrio libertatis, quid tribuat gratiæ spirituali; quia animum hominis per se sapientem fieri, per se dignitatem sancti, et generosi amoris habere, per se huic amori voluptatem subjicere carnis, per sese et incitare ad virtutem, et ordinare appetitum posse testatur. » Huic generi libertatis proprie, ac directe est opposita *coactio*, quæ eadem est et servitus, et captivitas. Est enim servitus, ut a Jurisconsultis definitur [9], « qua quis dominio alieno contra naturam subjicitur, » id autem, quod est contra naturam, *violentum*, et *coactum* dicitur. Et quidem is proprie servit, non qui alteri imperanti obsequitur, sed sic obtemperat, ut, si nolit, vi adigi possit

Quid sit liberum et servitus juxta jurisconsultos.

* Corrigendum arbitror : *genitali voluptate* (hæc correctio nec manuscriptis nec bonis editionibus fulcitur.) J. B. F.

1 Lib. *de Corrept. et grat.* cap. XI.— 2 Ibid. cap. XII.— 3 *Rom.* VII, 15.— 4 Lib. I Comment. in *Cant.* init. — 5 Beda ibid.— 6 Lib. I *de Lib. arb.* apud Aug. l. *de Grat. Chris.* c. XXVIII.— 7 Idem Pelag. in ep. *ad Innoc.* apud Aug, *de Grat. Chris.* c. XXXI — 8 Apud August. *de Grat. Christ.* cap. XVIII.— 9 Lib. IV, § 1 *de Statu hom.*

ad obsequium. Quin et servile hoc præcipue vocatur, quod contra propensionem est, et metu fit, non liberali animo ; idque *serviliter* fieri dicitur, quod ingratiis fit, et repugnante voluntate, ad nutum, et imperium alterius ; cui contrarium est *servire liberaliter* apud Comicum [1]. Hanc *servitutis, servilisque* notionem ex Augustinianæ doctrinæ fontibus ductam, operæ pretium sit bene hic, accurateque perpendere ; nam novæ de liberi arbitrii natura opinionis ex eo fucus, et calumnia detegitur. Augustinus ergo *servile* id appellare proprie solet, quod non ex plena voluntate procedit, sed vi, et contra inclinationem animi ab nolentibus extorquetur ; quod ipsum nihil aliud est, quam coactum. Declarat hoc imprimis ; cum de timore servili agit ; quem ideirco servilem dici significat, quod ita præcipienti paret, faciatque quod jubetur, ut eodem tempore contrarium vellet, si posset, auderetve facere : ac nisi majoris eum alicujus mali metus in officio contineret. Sic ille apud eumdem Comicum [2].

« Malo coactus qui suum officium facit,
Dum id rescitum iri credit, tantisper cavet.
Si sperat fore clam, rursum ad ingenium redit.
Quem beneficio adjungas, ille ex animo facit. »

VIII. Hinc eos omnes, qui sub lege veteri ita continebantur, ut inviti facerent, quod lex jubet, cum voluntate ab eadem abhorrerent, proprie sub lege fuisse docet, et in servitute ; cæteros vero, qui sponte ad eam animum accommodabant, sub lege negat fuisse, et ad libertatem adscribit. Ac servilem, quem vocant, timorem ita definit : « Aliud est, inquit [3], voluntate benefaciendi benefacere, aliud autem ad malefaciendum sic voluntate inclinari, ut etiam faceret, si hoc posset impune permitti. Nam sic profecto in ipsa voluntate peccat, qui non voluntate, sed timore non peccat. » Et alibi, « Sub lege est, inquit [4], qui timore supplicii, quod lex minatur, non amore justitiæ, se sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber, nec alienus a voluntate peccandi. In ipsa enim voluntate reus est, qua mallet, si fieri posset, non esse, quod timeat, ut libere faciat, quod occulte desiderat. » Huic mox legem charitatis opponit, quam et *libertatis legem* nominat.

Pelagiani quoque huic generi libertatis, quod commune omnibus hominibus, ac natura insitum esse volebant, opponebant coactionem ; ut in epistola, quam ad Thessalonicensem misit episcopum, Julianus his verbis exponit : « Hominem, inquit [5], Dei opus defendimus, nec ex illius potentia (Diaboli) vel in malum, vel in bonum invitum aliquem cogi, sed propria voluntate aut bonum facere, aut malum. »

In quo sita Augustini et Pelagianorum conflictatio.

IX. Hac itaque de causa, cum adversus hæreticos illos contenderet Augustinus, qui liberum arbitrium suis ac nativis pollere opibus ad bene vivendum asserebant, neque Christi necessariam illi esse gratiam, quæ ipsum a peccati servitute, et concupiscentiæ vi ac necessitate liberaret ; eumque tota de ea libertate, quæ servituti et violentæ captivitati, ac necessitati respondet, inter illos esset controversia ; merito liberi ac libertatis nomina in ea significatione sumpsit, qua utebantur adversarii, et de qua sola disputabatur. Nam de naturali ipsa voluntatis libertate, quæ in consentiendi vel dissentiendi indifferenti ex sese potestate consistit, nihil inter ipsos dubitationis ac discordiæ fuit, uti supra monstravimus. Omnis ergo de libertate fuit ejusmodi conflictio, qua voluntas dicitur nulla oppressa, et constricta dominantis concupiscentiæ vi ac necessitate, integris ad bonum eligendum et faciendum viribus præstare, quemadmodum ante lapsum inerat Adamo. Hanc libertatem, ab eaque dictum arbitrium liberum, naturale conditoris esse munus affirmabat Pelagius, eamque *possibilitatem* vocabat, quam et gratiam eatenus dici patiebatur, quod nobiscum, et in nobis a Deo procreata sit. Augustinus vero cum catholicis omnibus, præter naturalem hanc, communemque cum Christianis, Judæis, et gentilibus gratiam, alteram insuper agnoscebat solis Christi meritis concessam, quæ hunc in nobis laudabilem statum libertatis efficeret ; nec tantum possibilitatem bene volendi, agendive, sed etiam voluntatem, et actionem, id est usum illius possibilitatis adjuvaret. Quippe [6] « bonam voluntatem ipsam esse charitatem, quæ non a nobis est, sed a Deo, et a Patre datur, ut filii ejus simus, adeoque liberi, *qua libertate Christus nos liberavit* [7]. »

X. Huc illa omnia Augustini loca spectant, antecedenti a nobis capite commemorata, in quibus liberum arbitrium opus esse gratiæ significat ; idque Adami culpa prioris amis-

1 Terent. *Andr.* Act. I Sc. I.— 2 *Adel.* Act. I, Sc. I.— 3 Lib. I *cont. epist. Pelag.* cap. IX.— 4 Lib. *de Nat. et grat.* cap. XII — 5 Apud Aug. lib. I *cont. duas epist. Pel.* cap. XVIII.— 6 Aug. lib. I *de Grat. Christi* c. XXI.— 7 *Gal.* V, 1.

sum, posterioris merito ac beneficio restitui. Manet tamen in utroque statu, corruptæ peccato, et integræ, sanatæve Christi gratia naturæ libertas altera, quæ est naturalis potestas arbitrii liberi; quæ necessitate obrui nulla potest, sed integrum hoc semper habet, et in jure suo positum, ut consentiat, aut dissentiat, quoties ad agendum necessariis instructa est omnibus, ut hactenus copiose demonstravimus. Est enim liberi arbitrii, electionisque liberæ in eo sita ratio, qua sublata, tollitur e medio virtutis ac vitii, recte maleque facti, laudis ac vituperationis, præmii denique suppliciique discrimen, ut christiana omnis tam vetus, quam hodierna theologia, imo fides ipsa, qua christiani sumus, profitetur. Quamobrem, cum nihil de naturalibus hominis proprietatibus peccatum decerpserit, sed ea tantummodo, quæ ad gratiam pertinebant, ornamenta sustulerit; « Naturæ enim humanæ, ut ait Prosper [1], in illa universalis prævaricationis ruina, nec substantia erepta est, nec voluntas, sed lumen decusque virtutum, quibus fraude invidentis exuta est » tam in ipsa peccati servitute, quam post recuperatam gratiam et adoptionem, manet libertas illa voluntati sui juris, et arbitrii, nec ad peccandum ita cogitur, ut, si velit, non peccare non possit. Hujusmodi enim violentia, cogensque necessitas, ut sæpe dixi, non interius voluntatem afficit, ut ei vim afferens, id, quod nolit, velle compellat; (id enim non magis libero arbitrio, quam ipsi voluntati, et appetitui repugnat) sed extrinsecus urget, et voluntatis extorquet assensum. Cum tamen necessitati, quantacumque est, potest homo reluctari, si velit, vel Dei opitulante gratia, si ad æternam salutem, veramque laudem virtutis fructus ille tolerantiæ referatur, vel obdurantis et obfirmantis sese contra dura et molesta quælibet vigore animi. Quod utrumque tam martyres, ac cæteri sancti, quam gentiles, ac Judæi, aut etiam facinorosi quamplurimi demonstrant; qui per exquisitissima tormenta, corporumque lanienas invictum robur mentis, et immotum ad mortem usque pertulerunt. De quibus Augustinus [2], « Fortitudinem, inquit, gentilium mundana cupiditas: Fortitudinem autem Christianorum Dei charitas facit. » Quod ergo illi potuerunt, poterant et alii, qui doloris acerbitate fracti superatique cesserunt, vel blandimentis voluptatum et illecebris deliniti ab eo, quod proposuerant, desciverunt. Nihil enim homo potest unus, quod non eodem, quo ille potest, sive naturæ, sive gratiæ præsidio fretus homo alius possit.

Liberum arbitrium peccato vulneratum et gratia Christi sanatum.

XI. Jam cum excusso peccati jugo, et repræsentata filiorum Dei libertate, per Christi gratiam nova creatura fit, multo magis naturalis illa dos enitescit, ac firmatur in hominibus, arbitrii liberi. Non enim naturam gratia deterit, sed perficit; cumque tota illa voluntatis infirmitas, et peccandi qualiscumque necessitas, id est coactio, morbus illius, vitiumque sit naturæ ipsius inimicum; ægritudine ista sanata, quod medicinalis facit gratia Christi, ad pristinum, et nativum libertatis statum voluntas humana revocatur. « Sanato quippe vitio, ait Augustinus [3], nullum malum remanet; quia vitium naturæ quidem inerat, sed vitium natura non erat. » Ad id supra quam credi potest opportuna, et utilis est antiquorum illa Patrum sententia, cujus in octavo libro *de Trinitate* mentionem fecimus [4]. Nam complures illorum affirmant, Christi meritis, ac beneficio instaurari in nobis pristinum illum statum, in quo Adamus initio conditus est. Cum enim ad imaginem Dei et similitudinem factus homo dicatur, horum prius naturale esse censent, et ita generi ipsi hominum insitum, ut aboleri peccato nequeat; id autem in arbitrii libera potestate, plerique itidem constituunt, ut superius exposui. Alterum autem, quod similitudinis vox significat, totum gratiæ fuisse censent, in eodem parente primo, et communicatione esse factum, infusioneque Spiritus sancti. Hoc vero, secuta mox culpa, penitus extinctum, ac deletum, nonnisi per Christi gratiam recuperari docent, illo ipso, quem amisimus, restituto Spiritu sancto, et qui ex eo oritur, et constat, primordialis illius vitæ, et interioris hominis statu, dum quod in « priore Adamo perierat, erigitur in secundo, » ut alicubi Leo, nisi fallor, loquitur.

XII. Quæ constans, et firma veterum asseveratio hæreticorum, et qui ultra quam pudentes decet, horum imitantur errorem, novorum theologorum nationem conturbat, liberumque demonstrat arbitrium ejusdemmodi, quale in Adamo nondum lapso extitit, in ejus posteritate esse, Christi instauratum opera. Etenim, si esse posset arbitrii liberi vis, ac facultas ulla, qualem ex omnium veterum recentiorumque consensu Patrum, ac

1 Prosp. *cont. Collat.* c. XVIII.— 2 Lib. I *cont. Jul. imperf.* c. XVIII.— 3 Lib. *de Grat. Chris.* c. XIX.— 4 Cap. V, num. 4.

theologorum tot hactenus capitibus informamus; eam primo illo in homine sano adhuc et integro fuisse nemo nisi insanus neget. Fatentur hoc certe illi ipsi, quibuscum negotium maxime nobis est, novitii dogmatis asseclæ. Id si ita est, quandoquidem Christi gratia nos ad eamdem libertatis, qua Adamus censebatur, conditionem revocat, inest etiam nobis non dissimilis, atque in illo fuit, arbitrii liberi potestas. Nec me præterit, expeditiorem, ac beatiorem in illo fuisse, quam in nobis est quamlibet gratia renovatis ac justitia, liberæ voluntatis statum, quod nullis ille concupiscentiæ, peccatique reliquiarum pulsabatur molestiis, quas in se justi quique quotidianas perpeti solent, eo quod « tenebrarum, ut ait Augustinus[1], residua trahimus in corpore propter peccatum mortuo, donec aspiret dies, et removeantur umbræ. » Verum nihil hoc libertatis magnitudinem imminuit, non modo naturalis, quæ peccato deleri non potest, sed nec alterius illius, quam opus gratiæ esse monstravi; imo vero amplior firmiorque Christi parta, et restituta beneficio est, quam in homine illo primo fuerat.

XIII. Quod Augustinus eximie in libro *de Correptione et gratia*, capite duodecimo sic probat: « Major quippe libertas est, inquit, necessaria adversus tot, et tantas necessitates, quæ in paradiso non fuerunt, dono perseverantiæ munita, atque firmata, ut cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus suis vincatur hic mundus. Hoc sanctorum martyria docuerunt. Denique ille Adam et terrente nullo, et insuper contra Dei terrentis imperium, libero usus arbitrio, non stetit in tanta felicitate, in tanta non peccandi facilitate. Isti autem, non dico terrente mundo, sed sæviente ne starent, steterunt in fide, cum videret ille bona præsentia, quæ fuerat relicturus, isti futura, quæ accepturi fuerant, non viderent.»

Itaque tantum abest, uti gratia Christi nativam hominis libertatem minorem faciat, (quod utique fieret, si eam necessitate aliqua circumscriberet, ut indifferens, et ad utrumvis eligendum apta esse desineret) ut innatam potius vim illam electionis liberæ, ac potestatem perficiat, novaque libertatis accessione cumulet. « Non solum enim Deus posse nostrum donavit; atque adjuvat, sed etiam velle et operari operatur in nobis, ut ait Augustinus[2]. Non quia nos non volumus, aut nos non agimus, sed quia sine ipsius adjutorio nec volumus aliquid boni, nec agimus. » Libere ergo volumus, et facimus, quidquid aspirante, et adjuvante Christi gratia volumus, quoniam ita volumus, ut non velle possimus. Velle enim nostrum consentire est; atqui nos *ita consentimus, ut dissentire possimus*, quod Tridentina synodus statuit; neutrum igitur necessitate facimus, alioqui si necessario consentimus, dissentire non possumus.

CAPUT IX.

Expenduntur Augustini loca quædam, ex quibus colligi videtur, necessitatem non pugnare cum arbitrii libertate, aut non esse liberum in homine arbitrium, quod ad agendum, vel non agendum, hoc vel illud eligendum, indifferentem velut statum habeat. Nunquam ita premi, et alligari liberum arbitrium, ut non in ejus potestate sit agere vel non agere; varii indifferentiæ modi. Necessitatis item multiplex ratio, et quatenus cum libertatis indifferentia cohæreat. Triplex regula ad Augustinum interpretandum apprime utilis; et ex iis locorum aliquot Augustini declarata sententia.

I. Liberam ad utrumvis eligendum facultatem arbitrii liberi asseverantem hactenus Augustinum audivimus. Nunc potissima restat tractationis, et controversiæ pars, in enodandis quibusdam illius sententiis posita, ex quibus contraria, cui evertendæ operam damus, comprobari videtur opinio. Sunt autem loca quamplurima; quæ tum ab aliis, tum a Calvino præsertim in libris *de libero arbitrio contra Pighium* objecta sunt. Sed hæc eo fere pertinent, ut liberum in nobis esse nullum arbitrium ad agendum, quod bonum est, ex illis colligi videatur; ac totum a Deo in nobis effici, nihil nobis consentiendo libere facientibus, sed quod ab illo fit, ac datur, tantum excipientibus; quod nominatim Tridentina synodus anathemate notavit. Reliquæ vero ex Augustino sententiæ in eum finem adducuntur, ut, reservato voce tenus arbitrio libero, res ejus ac natura destruatur, dum necessitas huic imponitur uno ac certo aliquo circumscribens.

Prioris generis testimonia jam a nobis explicata sunt; ubi et duplex ex Augustino

Duplex libertati genus.

1 Lib. XIII *Conf.* cap. XIV.— 2 Aug. lib. *de Grat. Chris.* c. XXV.

constituta libertas est humanæ voluntatis; quarum altera, quæ naturalis est, peccato aboleri non potuit : altera, quæ status quidam est illius naturalis potentiæ, vitii et concupiscentiæ nexibus solutus, culpa primi parentis amissa, Christi gratia recuperatur. De hac posteriori libertate, cui servitus, et captivitas opponitur, interpretanda sunt illa loca, quæ Calvinus, et hujus fautores contra liberi arbitrii τὸ ἀδιάφορον inculcant. In quibus vel periisse liberum arbitrium dicitur, vel necessitate quadam constrictos homines esse significatur, ut peccent. Quæ necessitas non absoluta est intelligenda, tanquam continere se nequeant, vel abstinere a peccato, si velint, aut non velle peccare nequeant omnino. Quisquis enim ita se habet, ut actioni suæ, ac voluntati moderari nequeat, quia non tam agit, quam agitur, et impetu quodam rapitur ad unum aliquid persequendum; is, si aliter facere nequit, minime peccat, ut in amentibus, et parvulis apparet, quorum vehementes sunt ad id, quod expetunt, motiones, impulsionesque voluntatis; nec tamen peccant ideo, quod regere se ac retinere non possunt. At quicumque cæteroqui rationis compos, dominante tamen libidine, ac concupiscentia premitur, vel peccandi dulcedine ac consuetudine sic irretitus est, ut pene in naturam affectus ille transierit; trahitur is quidem vi ac necessitate quadam, ut interdum invitus ac renitens, quod nollet, cogatur facere. Cujusmodi ab Apostolo status describitur, et conflictus animi cum cupiditate luctantis, in septimo capite epistolæ *ad Romanos*, et a profanis etiam scriptoribus sæpius exprimitur. Sic illa apud tragicum Græcum [1].

Indifferens.

De secundo genere loquitur Augustinus in locis quæ opponunt adversarii.

Καὶ μανθάνω μὲν οἷα δρᾷν μέλλω κακά.
Θυμὸς δὲ κρείσσων τῶν ἐμῶν βουλευμάτων.

« Nec me latet factura quæ mox sim mala,
Sed ira potior sana consilia opprimit, »

Quæ sic imitatus est Seneca Hippolyto.

« Quæ memoras scio
Vera esse, nutrix. Sed furor cogit sequi
Pejora; vadit animus in præceps sciens,
Remeatque, frustra sana consilia expetens. »

II. Non tamen sic oppressa libertas servitute illa jacet, ut non in voluntatis potestate sit ab malefacto temperare. Nec enim necessitate peccat, siquidem peccat; sed ita, ut, si vellet, non peccare posset. Retinent enim sese, ac prava consilia revocant etiam perditissimi, et longa consuetudine obdurati in malum homines, sive metu legum, ac suppliciorum, sive commodi, aut voluptatis majoris aliqua proposita spe. Quod ipsum argumento est, non necessitate illos facere, quidquid mali faciunt, sed potestatis eorum, et arbitrii fuisse non facere. Hinc recte Augustinus in primo libro *ad Bonifacium*, capite secundo, « Liberum, inquit, arbitrium usque adeo in peccatore non periit, ut per illud peccent, maxime omnes qui cum delectatione peccant, et amore peccati hoc eis placet, quod eis libet. » Nec est calumniandi istic locus, ut liberum arbitrium pro sola voluntate simplici ab illo putetur acceptum. Siquidem liberum arbitrium, quatenus naturalis est potentia, tale post Adami peccatum manere significat ibidem, quale ante peccatum fuit, nec ejus lapsu perditum fuisse. « Quis autem nostrum dicat, inquit, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa quæ in Paradiso fuit, habendi plena cum immortalitate justitiam. » Quare, cum in Adamo, priore illo in statu, ad utrumvis inclinare se voluntas potuerit, et eatenus liberum ejus arbitrium fuerit, perinde, postquam peccavit, ejusdemmodi vis et facultas remansit; tametsi ad bonum illud, quod æternam ad salutem pertinet, sine benefica Christi gratia niti, et aspirare nequeat. Nihilominus enim liberi arbitrii proprietas, et natura retinetur, cum vel in malis ipsis electionis suæ potestatem sine ulla necessitate liberam, hoc est indifferentem, expedire possit, ac multorum etiam opinione, citra extraordinariam opem gratiæ, nonnulla per sese honeste ac laudabiliter possit agere, tametsi ad æternam, ut jam diximus, adipiscendam salutem minime ista referantur.

III. Mihi quidem profecto insulsum et absurdum videtur, iis hominibus, qui alieni sunt a Christi gratia, liberum inesse voluntatis arbitrium, ob id negare, quod vel boni nihil suscipere possunt, vel ejus saltem boni, quod naturæ superat captum; ex eoque colligere, determinatam, et uni alicui sic alligatam esse voluntatem, ut indifferentiam non habeat. Quid enim? Non saltem eo ipso habet ancipitem, indifferentemque motionem, quod vel in malis unum quodpiam optare potest e pluribus, vel cum istis naturalia bona, et

Inest electio etiam gratia Christi carentibus.

1 Eurip. *Med.*

honesta comparare ? quod ad electionis arbitriique suspensionem, hoc est libertatem, sufficit. Quid igitur attinet tantas excitare turbas et tragœdias, et voluntatis humanæ ac libertatis immutare naturam, atque insitas denique hominum mentibus, et ab natura haustas ipsa notiones evertere, proque his novam, inauditam, dissentientem ab communi usu, et judicio libertatis rationem inducere ? Quid enim necesse est τὸ ἀδιάφορον, id est, quod in utrumvis nutu suopte propendere possit, de liberi arbitrii natura detrahere, cum sine hoc vel illa ipsa, quam relinquunt, homini libertas constare nequeat ? Nihil, inquiunt, ad liberi arbitrii essentiam indifferentia pertinet ? Quia post peccatum sic inest in homine, ut ad solum eligendum faciendumque malum vim, ac potestatem habet, nullam autem habet ad bonum. Quare ad utrumvis indifferentem potestatem non habet. Atqui, ut illud demus, quod merito negatur a pluribus, nihil per sese boni, quod quidem naturale sit, non autem ad æternam spectet salutem, persequi posse liberum arbitrium ; ut igitur de eo minime pugnemus, de quo alias viderimus, istud profecto non potest eripi, quin malorum ipsorum delectum aliquem instituat. Non enim est uniusmodi, et plures in eo sunt gradus ac species, in quibus experiri vim ac facultatem suam libertas humana possit. Potest et uno eodemque proposito, id sequi, vel omittere, ut utrobique τὸ ἀδιάφορον appareat. Deinde saltem ope et auxilio Dei suffultum eniti ad bonum poterit, quod ad tuendam ac demonstrandam indifferentiam est satis. An, si certos ad colores nimium vegetos, ac vibrantes contuendos hebes est oculorum acies, cum in aliis valeat, visum propterea illis adimemus ; aut pedibus ambulandi potestatem, si in plano tantummodo reptent, per ardua vero, et acclivia tendere non possint ? Quis ita stolide desipiat ? Nam in eo ipso et videndi, et progrediendi facultas inesse cognoscitur, quod in quibusdam naturali potentiæ subjectis id agunt, quod facultatum istarum proprietas, et natura postulat. Similiter et liberum hominis arbitrium propriam, nativamque retinet in eligendo suspensionem, et indifferentiam, etiam in uno contrariorum genere, dum ex multis, quæ illi subjecta sunt, potest, quod libitum erit, optare, vel in unum quodpiam inclinari, ab eove continere. Nihil igitur faciunt, neque satis idonea de causa tumultuantur, qui ab libero arbitrio indifferentiam abjudicant, aut hoc ipsum penitus auferunt ; qui ambo loquendi modo dissimiles, reipsa invicem consentiunt.

Indifferens.

Varii, indifferentiæ modi.

Indifferens.

IV. Quocirca voluntatis illa circumscriptio, quæ indifferentiæ ejus ex adverso respondet, dupliciter consideratur : aut in toto aliquo genere unius ex oppositis, sive vitii, ut in damnatis ac dæmonibus, sive boni ac virtutis, ut in Deo ac beatis : aut in aliquo singulari. Horum primum libertatis indifferentiam non eripit, si e pluribus unum aliquod eligere potest ita ut posset, si vellet, alterum, tametsi ad aliud, oppositumque genus pertingere nequeat. At in posteriori cessat voluntatis illa suspensio, si sic uni est affixa, ut aliud appetere nequeat, ac ne actionem quidem, et impetum cohibere possit ; quod in amentibus ac parvulis cernitur, et in brutorum appetitione, quæ in potestate non habet, ut agat vel non agat, sed pro objectæ rei qualitate, quadam ad persequendum, aut evitandum necessitate trahitur.

Hoc si bene notatum, animadversumque fuerit, primum novorum theologorum abnormis, absurdaque ratio per se ipsa concidet ; qui inanis argumenti, ac ludicri falsa decepti specie, liberi arbitrii receptam usu, sensuque communi definitionem, et notionem temere sollicitant, dum indifferentem ad opposita potestatem extorquent. Nihil enim hoc necesse est, etiamsi nullum ex sese bonum suisque viribus capessere posse illud existimemus. Nam in malis saltem, aut iis, quæ nec bona, nec mala sunt, libertatis indifferentia spectabitur. Deinde saltem adjutum gratia, id, quod naturæ suæ consentaneum est, præstare poterit, ut in oculo, aliisque sensibus, et naturæ facultatibus usuvenit, quæ remedio aliquo sanatæ, corroboratæque eo, quod insitum, ac proprium est, genere actionis utuntur.

Expenduntur Augustini loca in quibus asseritur, si fides adversariis, necessitatem libertati non repugnare.

V. Præter hæc vero indidem et Augustini loca quædam exponemus, atque ab hæreticorum, ac similiter, atque illi, perperam opinantium calumnia vindicabimus ; qui ex illis concludi asserunt, usque adeo cum voluntatis libertate non pugnare necessitatem, ut peccatum etiam fiat ab iis interdum, qui hoc necessario faciunt, nec aliter possunt. Ut cum Augustinus Juliano peccati definitionem opponenti, quam in libris ipse suis ediderat, ut sit « voluntas retinendi, et admittendi, quod justitia vetat, et unde liberum est abstinere ; » respondet : « Istam definitionem peccati ejus esse, quod peccatum tantummodo est, non quod etiam pœna peccati ; quia perit libertas

non peccandi [1]. » Tum paucis interjectis, « Multum, inquit, erras, qui vel necessitatem nullam putas esse peccandi, vel eam, non intelligis, illius peccati esse pœnam, quod nulla necessitate commissum est. » Quibus ex verbis opinio illa colligitur Augustini, Adamum quidem in priore statu innocentiæ sic in potestate voluntatem habuisse suam, ut eam, quo esset libitum, flecteret; atque ideo nulla peccandi necessitate constrictum, sola voluntate id admisisse, a quo liberum erat abstinere, illius vero posteros prioris istius delicti talem pertulisse pœnam, ut necessitate peccarent.

Sic in libro *de Perfectione justitiæ contra Cœlestium*, cum hæreticus iste sic interrogasset, « Per quid efficitur homo cum peccato, per naturæ necessitatem, an per arbitrii libertatem? Respondetur, inquit [2], per arbitrii libertatem factum, ut esset homo cum peccato; sed jam pœnalis vitiositas subsecuta, ex libertate fecit necessitatem. » Non minus expressum est, quod idem Augustinus *ad Psalmum* XCI scribit : « Modo, inquit, aures suæ positæ sunt inter monentem Deum, et suggerentem serpentem [3]. Quare huc flectuntur, hinc avertuntur? Non cessat Satanas suadere malum; sed nec Deus cessat admonere bonum. Satanas autem non cogit invitum. In tua potestate est consentire, » etc. Vide et Cyrillum in commentario *in Isaiam*.

VI. His et similibus ex locis imperite probant hæretici, periisse per peccatum liberum, quod erat in Adamo, voluntatis arbitrium; quia potestas illa boni vel mali eligendi est erepta, solaque relicta est amplectendi mali. Alii non ipsum quidem liberum arbitrium extinctum audent dicere, ne pro catholicis haberi desinant; sed liberi arbitrii vim et essentiam aliter explicant, ut cum absoluta necessitate alterius asciscendi facultas illa cohæreat, nec ad ipsum indifferens ad utrumque status pertineat. Sic

« Dum vitant stulti vitia, in contraria cur-
[runt. »

Imo eodem atque illi relabuntur; et novam insuper falsitatis accessionem, ac stuporis colligunt. Nam et idem reipsa sentiunt, quod isti, quorum ab causa segregari volunt; et hos ipsos erroris immanitate superant, dum rerum naturas evertunt, et contra communem humani sensum generis absurda novitate pugnant.

Sine causa nuperi theologastri liberi arbitrii naturam corrumpunt

Atqui nihil eos cogebat, in arbitrii liberi natura mutare quidquam, aut ei pendentem illum, et indifferentem statum adimere. Nam etsi, quod opinari volunt Augustinum, concedatur ipsis, fractum, enervatumque peccato primi parentis arbitrium liberum nihil per sese boni agere posse, ne ejus quidem boni, quod naturalem ordinem non superat, sed ad malum trahi necessitate, ut in dæmonibus accidit; non ideo tamen indifferens esse desinit voluntas in his, quæ libere agit. Siquidem in malorum saltem genere constat sibi; quia non uno aliquo circumscripta est, ut pro eo eligere non possit alterum malum, vel circa illud unum aut agere, aut actionem cohibere nequeat; quod improbissimi quique metu saltem ac pœnæ terrore victi faciunt, ut quod maxime cupiunt, ab eo sese contineant. Versabitur itaque necessitas illa, appetendique circumscriptio genere in ipso duntaxat actionis, vel rei expetitæ malæ, quia contrarium huic bonum affectare non poterit. Erit tamen integra, et indifferens illius potestas, ut hoc vel illud malum capere possit e multis; tum ut circa unum agere, vel ab eo temperare possit. Quod ipsum de beatis quoque, quibus est constituta bene agendi necessitas, dici convenit, necnon de Deo, suo quodam, ac proprio modo, de quo postea. Nunc enim, quod instat, efficere studemus, falsa illos ex causa commotos esse ut arbitrii liberi rationem nova interpretatione corrumperent, ac sine indifferentia posse eam intelligi putarent, quod monstri esse simile hactenus contendimus.

Tria utilia ad mentem Augustini indaganda.

VII. Clarebit autem hoc magis, si ad Augustini mentem ac sententiam explicandam, tria quædam apprime utilia notentur; quorum id primum sit : Cum de natura Augustinus loquitur, liberove hominis arbitrio, peccato vitiatis ac debilitatis, et ex altera parte gratiam iis opponit; de utroque loqui secundum ea, quæ cujusque propria sunt, hoc est, quæ singulis ex sese conveniunt, et ut seorsim, seposito altero, spectantur; quod ex simili Apostoli disputatione manifestius erit, ubi de lege Mosaica disserit. Videtur enim aliquando causam illam, et instrumentum facere peccati; nec alium fructum ab ea pro-

1 Aug. I *cont. Jul. op. imperf.* cap. CII,—2 Ratioc. IX,—3 Aug. in *Psal.* XCI.

ficisci putare, quam ut cupiditatem acuat, et ad malum incitet, ac majoris pœnæ damnationisque reos constituat. Hinc *passiones peccatorum per legem esse* dicit [1], *et operari in membris nostris, ut fructificent morti.* Et, *Occasione autem accepta* [2], *peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat.* Item: *Quum venisset mandatum* [3], *peccatum revixit*; atque hujus generis alia multa. De quibus sic habendum est : Paulum legem ibi considerare præcisam ab Christi gratia, et secundum se, eamque duntaxat, quæ suo marte, ac viribus suis efficere potest. Itaque non ex eo coneludi debet, eos, qui sub lege vixerunt, nihil aliud ex lege consecutos, nisi quod ibidem scribit Apostolus; aut ab gratia legem reipsa divulsam fuisse, tanquam Deus nullum Judæis adjumentum alterum, præter Pelagianum illud gratiæ genus, id est legem ac doctrinam concesserit. Nam reipsa præsto illis gratia fuit, Christi meritis indulta, qua, si bene uti vellent, legem observarent. Verum illa legis propria non erat, nec in ejus censu numerabatur. Ideo quando lex cum gratia comparatur, et quod cuique peculiare est, tribuitur, ambo illa effecta, disparibus orta principiis, invicem separantur; etsi in re ipsa concurrant, operasque conjungant.

VIII. Non dissimili ratione, cum de natura peccato corrupta agit Augustinus, eamque cum Christi gratia contendit, sumit id, quod unicuique per se ac seorsim convenit, non quod re, et effectu ipso, mutuo ex amborum consensu, ac copulatione geritur. Liberum arbitrium in hac Adami fæce, si præcidas a gratia, et illius opes æstimes, nihil omnino boni vel absolute, ut putasse creditur Augustinus, (de quo non est disputandi modo locus) vel ejus saltem, quod ad vitam æternam refertur (ut complures alii statuunt) designare, nedum persequi, ac perficere potest. Non enim *sufficientes sumus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis*; *sed sufficientia nostra ex Deo est* [4]. Quare necessitatem quamdam traxit non bene agendi. Male autem ne sic quidem agit necessario, hoc est ita, ut non possit non agere. Alioqui non peccat omnino; sed quasi *habitu*, ut sic loquar, non *actu*, necessitas illa constat, quia, velit, nolit, ac sive molitur aliquid, sine ab actione cessat, legem habet in se peccati, *repugnantem legi mentis suæ, et captivantem eum in lege peccati, quæ est in membris suis* [5]. Hic est concupiscentiæ morbus, qui in Adami posteris regnat, nondum Christi gratia renovatis; cujus unius illa præsidio vincitur, eique constanter resistitur. Sine gratia vero nec unquam illi vera et christiana cum laude contradicitur, nec diu vis illius, atque impetus sustinetur; quin tandem voluntas ei humana succumbat, et, quod jubet illa, faciat. Quare necessitas inest quædam universe peccandi, et *in actu*, ut loqui solent, *signato*, *non exercito*, si a gratia divulsam, ac solitariam voluntatem hominis spectes; nec in ejus est potestate non committere peccatum, quamvis singula nonnisi libere consentiendo faciat, hoc est ita, ut non consentire possit. Cæterum, ut res se habent, atque ex ordinario divinæ administrationis, et providentiæ statu, nunquam in agendo, ubi recte vel male consulendi sibi momenta vertuntur, deest voluntati gratiæ præsidium, adeo, ut, integrum habeat, et in potestate sua quilibet, illicienti, et ad peccatum trahenti cupiditati resistere, ac bene insuper agere potius, quam male, quod solis naturæ viribus non poterat. Atque hoc secundum est de tribus illis, quæ cumprimis notanda esse docui: peccati necessitatem illam, quæ ab Augustino traditur, generatim, et *secundum habitum* intelligi debere, non *secundum actum*.

Duobus modis usurpata necessitas.

IX. Postremum, ac tertium est, necessitatem usurpari duobus modis, quod ad negotium nostrum attinet. Altero, ut id necesse sit, quod absolute fit, nec aliter potest fieri, ut homini necesse est mori; nam velit nolit, moriendum est illi; nec in ejus est arbitrio, ac potestate mortem evadere. Altero, cum id necesse dicitur, quod absolute quidem potest non fieri, quia in voluntate situm est facientis; sed ex certis circumstantiis rerum, temporum, ac personarum difficile est non fieri, imo fit semper. Ita Christus, *Necesse est*, inquit [6], *ut veniant scandala;* quod apud Lucam ita concipitur : *Impossibile est, ut non veniant scandala* [7], Græce est, ἀνένδεκτον τοῦ μὴ ἐλθεῖν τὰ σκάνδαλα, hoc est, *Non contingit, ut non eveniant scandala*; hoc autem non simplicem, et absolutam necessitatem significat, sed non aliter accidere, et ut sunt mores hominum, ac cupiditatum illecebræ, sic omnino fieri. Ejusdemmodi est et illud Apostoli, *Oportet hæreses esse*[8]. Quod genus necessitatis *infallibilitatis* vocabulo in scholis effertur. Ad quam illa pertinent, quæ de sexuum,

1 *Rom.* VII.— 2 Ib. ver. 8.— 3 Vers 9.— 4 II *Cor.* III, 5.— 5 I *Cor.* VII, 23.— 6 *Mat.* XVIII.— 7 *Luc.* XVII, 1.— 8 I *Cor.* II, 19.

ætatum, conditionum, ac studiorum affectionibus, et propensionibus pronuntiari, ac præscribi solent a sapientibus ; ut cum Salomon ita scribit : *Proverbium est : Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea* [1]. Fit enim quodammodo necessario, ut quale quisque prima in ætate, ac diu vivendi institutum tenuerit, id in senectute persequatur. Etsi potest quidem aliter usuvenire, sed perraro accidit. « Quoniam, ut recte Clemens Romanus apud Damascenum scribit, cujusquemodi quisque studiis ab initio consueverit, in iis consenescit. Nam, etsi a pravitate nonnunquam ad meliora se transferat, voluntati corpus minime respondet. Sed ut, cum paralysi dissoluta sunt corpora, homo quidem in aliam partem, illa vero in aliam feruntur [a], » etc. Atque, ut ait Hilarius Arelatensis [2], « Difficile diu illigata solvuntur. Facilius est tenera evellere, quam robusta succidere. » Hæc igitur necessario sic habere dicuntur ; unde et illud Comici [3] :

« Quid ais ? cum virgine una adolescens cu-
[buerit
Plus potus, illa se abstinere ut potuerit ?
Non verisimile dicis : nec verum arbitror. »

Ex præcedentibus nonnulla explicantur Augustini loca.

X. Ex his tribus veluti regulis explicari poterunt, et ad verum ac catholicum redigi sensum, quæ ab Augustino dicta, parum sincere ab Calvino, et ejus imitatoribus accipiuntur ; ut ex iis colligant, partim ea voluntati hominum imputari peccata, quæ necessario fiunt, vitarique nequeunt, ut sunt concupiscentiæ motus minime voluntarii ; partim libere ab iisdem committi, quantumvis necessario perpetrentur, quoniam libertati necessitatem absolutam adversari non putant. Frustra illi vanissimum suum commentum in Augustinum transferunt, ejusque sententiis aliquot fulciunt, quæ facilem, ut dixi, habent interpretationem, si et causas dictorum, et contra quos dicta sint, cogitemus. De peccato originali contra Pelagianos erat illi disputandum. Aiebant isti, nullum ex aliena voluntate peccatum contrahi ; quia peccatum omne propria voluntate fit ; debere enim ejusmodi esse, ut *ab eo liberum sit abstinere* ; quare nescientibus alienam labem ingeri non posse. Contra hoc Augustinus excipit de peccati genere duplici ; ac peccatum aliud simplex esse dicit : aliud, quod alterius est pœna peccati. Illud non nisi propria voluntate committi, deque eo verum esse, quod ipse scripserat, Peccatum ejusmodi esse, *unde liberum sit abstinere* ; quale in Adamo primum illud fuit, cujus reatu posteritas tenetur. At vero posterius peccatum minime ex eorum, in quibus inest, arbitrio pendere, sed inevitabilem habere necessitatem. Quæ quidem dupliciter intelligitur ; vel per se, vel efficientia sua, quod brevius ac planius Scholastico more dicitur, *formaliter*, vel *efficienter*. Nam et originalem plagam accipiunt ex utero parvuli, quæ illorum animos afficit ; et ex ista ipsa plaga necessaria quædam ægritudo sequitur, intestina videlicet ac domestica corruptela, quæ peccati lex, et concupiscentia dicitur, et ab Apostolo *peccatum* vocatur ; sive quia peccati etiam in renatis, deterso jam reatu, fructus, et effectus est, sive quia prolectat ad peccatum, ejusque causa est et origo.

XI. Apparet ergo, quatenus necessarium sit peccatum illud, quod est pœna peccati, ut eo carere non sit liberum. Etenim neque quisquam sine illo communi more gignitur, eo quod « natura filii iræ dicimur ; quia ita ipsis nostris principiis insedit, ut ab illa, præter dominum nostrum Jesum Christum, nullius hominis natura sit libera, ut ait Prosper [4] ; et inde vehemens quædam, minimeque voluntaria propensio in malum oritur, quæ, nisi succurrat gratia, præcipites nos abripit in omnia scelerum genera.

« Transcurrit enim virosa per omnes (ait idem
[Prosper [5])
Peccati ebrietas, corrupti et cordis in alvo
Persistit ; cruda servet carbunculus esca.
Hinc animi vigor obtusus caligine tetra
Induitur, nec fert, divinæ fulgura lucis
Lumen iners. Hinc arbitrium per devia
[lapsum
Claudicat, et cæcis conatibus, inque ligatis
Motus inest, non error abest. Manet ergo
[voluntas

a Clem. Rom. apud Damasc. *in Eclogis*, lit. S, tit. V. Ὡς ἀληθὲς εἰπεῖν, ὁποῖα ἐξ ἀρχῆς ἐκμελετήσει τις, τούτους εἰσαεὶ συγκαταγηράσκειν προάγεται. κἂν γὰρ πρὸς βελτίω ποτὲ μετάθηται ἐκ μοχθηρίας, οὐκέτι ὁμοίως τὸ σῶμα τῇ γνώμῃ παρέπεται. ἀλλ' ὥσπερ τὰ παραλελυμένα τῶν σωμάτων ἐφ' ἕτερα μὲν αὐτὸς, ἐφ' ἕτερα δὲ ἐκεῖνα φέρεται.

1 *Prov.* xxii, 6. — 2 In Orat. *de S. Honor.* — 3 Terent. *Hec.* — 4 In *Ps.* ci. — 5 Carm. *de Ingr.* c. xxvii.

Semper amans aliquid, quo se ferat, et laby-
[rintho
Fallitur, ambages dubiarum ingressa viarum
Vana cupit, vanis tumet, et timet, omnimo-
[daque
Mobilitate ruens in vulnera vulnere surgit. »

Ex hac primigenia, et nativa peccati necessitate consequentium, et, quæ *actualia* dicuntur, peccatorum necessitas existit; ad quam tres illi pertinent modi, quos superius exposui. Siquidem velut coacti, ac reluctanter per prona feruntur vitiorum, ac facinorum homines, nisi gratia subleventur, quæ nunquam deest ipsis; ut, si uti illa velint, coercere insitam vim illam, et a lapsu continere se possint. Verumtamen, quantum eniti per se voluntas possit, attendunt, qui necessario male istam agere dicunt, ut hoc sobrie, et catholice dicant. Tum quod, etsi singulis in malefactis, nolle ea possit admittere, non potest eamdem firmitatem constanter in omnibus adhibere.

XII. Atque hæc est theologorum omnium scholasticorum decretis consentanea ratio, quorum princeps sanc. Thomas quæstionem hanc [1], « utrum homo sine gratia possit non peccare, » ita dissolvit: « In statu naturæ corruptæ posse hominem abstinere ab omni peccato mortali, non autem posse abstinere ab omni peccato veniali, propter corruptionem inferioris appetitus sensualitatis, cujus motus singulos quidem ratio reprimere potest (et ex hoc habent rationem peccati, et voluntarii) non autem omnes; quia dum uni resistere nititur, fortassis alius insurgit; et etiam quia ratio non potest semper esse pervigil ad hujusmodi motus vitandos. » Quo in loco præstantissimus theologus iis, quæ hactenus diximus, egregie suffragatur; ac Tridentini concilii adversus Calvinum, ejusque sectatores placitis, doctrinæque congruit. Nam ad hoc ipsum, ut actio aliqua peccatum sit et voluntarium, id esse necessarium docet, *ut reprimi possit*; quod est, ita consentire illi voluntatem ut dissentire possit; adeoque indifferentem ad utrumvis habere potestatem, nec ulla simplici necessitate constrictam. Præterea illud ibidem adstruit, etiam sine gratia « posse singula peccata mortalia vitari, et secundum aliquod tempus; quia non est necesse, quod continuo peccet in actu. » Tum in responsione ad primum argumentum, quod erat hujusmodi: « Videri hominem sine gratia posse non peccare, quia nullus peccat in eo [2], quod vitare non potest; » ita scribit, « Hominem posse vitare singulos actus peccati, non tamen omnes, nisi per gratiam. »

An homo sine gratia possit non peccare

XIII. Hæc est illa peccati necessitas, quam sæpe Augustinus in depravata hominum natura, et voluntate inesse prædicat; quam partim in originali labe ac macula constituit, quæ sine ullo liberi arbitrii consensu sola generatione contrahitur; partim in toto ipso *actualium*, ut vocant, delictorum genere; quoniam, etsi vitari sine gratia singula possunt, non tamen universa possunt. At de originali parvulorum macula loqui sæpius Augustinum, cum peccato necessitatem adscribit, tum ex iis, quæ paulo ante protulimus, tum ex aliis locis evidens est. Ut cum in secundo *contra Julianum imperfecti operis* [3], objicienti hæretico, parvulos nullum ab ortu trahere peccatum, quia propriam ad peccandum voluntatem non habent; cum tamen Augustinus ipse definitionem peccati hanc attulerit, ut sit « voluntas admittendi, quod justitia vetat, et unde liberum est abstinere; » sic respondet. « Hæc definitio peccati est ejus, quod non est etiam pœna peccati, etc. Dic, si audes, quomodo voluntati hominis liberum sit abstinere a malo, ubi audis, Non quod volo ago; aut nega esse malum, ubi audis, Non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum, hoc ago. Sed utique agnoscimus, hoc peccatum pœnam esse peccati, et ideo discernendum ab illa definitione peccati, ubi voluntas hoc committit, unde liberum est abstinere. »

CAPUT X.

Afferuntur alia Augustini testimonia, quibus hæretici, et eorum fautores probare nituntur omnem voluntatis actionem, sive volitionem esse liberam. Explicatur locus insignis illius ex tertio de libero arbitrio. Voluntas sæpe pro libera voluntatis actione sumpta; itaque illic ab Augustino accipi monstratur, Declaratur, id esse in potestate nostra, ad quod indifferens est voluntatis motio. Alia Augustini explicata testimonia.

I. Reliqua sunt illa Augustini loca, ex quibus effici putant, omnem voluntatis actionem liberam esse hoc ipso, quod ab ea proficisci-

1 In I, II, qu. c, a. 8.— 2 Aug. lib. *de duab. anim.* c. x et xi et l. III *de lib. arb.* cap. xviii.— 3 Cap. xxxviii.

tur, vel, ut loqui solent, elicitur. Quæ quidem arx est præcipua novæ, et portentosæ de libertate sententiæ; ex qua multiplicium errorum seges, ac fidei totius, imo naturæ ipsius humanæ pernicies, ac rerum omnium perturbatio sequitur.

Hæc sunt igitur arcana reconditæ illius, et ab omni sæculorum memoria inauditæ sapientiæ, quibus Augustinum auctorem, ac patronum asciscunt. Voluntatem, aiunt, eo ipso, quod voluntas est, et vult aliquid, liberam esse, ac libere velle; nihil ut inter voluntatem, et liberum arbitrium distet; ac *volitio* omnis, ob id unum, quod ab voluntate, id est facultate naturali hominis elicitur, libera censenda sit, « Implicat enim contradictionem, inquiunt, ut voluntas non sit libera; sicut implicat, ut volendo non velimus, aut non faciamus, quod volumus, hoc est ut voluntas non sit voluntas. » Ita jam nullum erit inter velle, et libere velle discrimen; et quidquid ex voluntate utcumque fit, id ex libero fiet arbitrio. Ex quo jam sequitur, et parvulos nondum ratione utentes et amentes libere agere omnia, tametsi necessitate agant; quia et voluntate agunt, et cum volunt, agunt, ex novi dogmatis interpretatione. Sed quam hoc remotum sit ab humano sensu, et judicio, superiore in libro dixi; nunc, quod proposui, docendum est, non sic Augustinum sensisse, cujus auctoritate isti perperam abutuntur.

Expenduntur alia Augustini loca quibus hæretici probare nituntur omnem voluntatis actum esse liberum.

II. Locus est illius primarius in libro tertio *de libero arbitrio*, capite tertio, ubi præsensionem ac præscientiam Dei nihil obstare libertati hominis affirmat, eoque ipso probat, quod nihilominus voluntas agit; unde et fit aliquid quando volumus, et libere fit, estque in potestate nostra hoc solo, quia volendo facimus. Nam, cum Evodius, quicum colloquitur, intelligere non posset, « ac miraretur, quomodo non sint contraria, et repugnantia, ut et Deus præscius sit omnium futurorum, et nos non necessitate, sed voluntate peccemus; » Augustinus, ut ei persuadeat, non repugnare, Deum futura illa præscire, quæ nonnisi voluntate nostra futura sunt, tale exemplum adhibet : « Si post annum, verbi gratia, beatus futurus es, post annum te beatum facturus est, jam ergo præscit hodie quid post annum facturus est, » et tamen voluntate, non necessitate, nec invitus eris beatus. Evodius respondet : Non esse in sua potestate, ut sit beatus; alioqui « jam profecto, inquit, essem. Volo enim etiam nunc, et non sum, quia non ego, sed ille me beatum facit. » Unde hoc sibi liberum non esse concludit. Ad hæc Augustinus : « Optime, ait, de te veritas clamat. Non enim posses aliud sentire esse in potestate nostra, nisi quod, cum volumus, facimus. Quapropter nihil tam in nostra potestate, quam ipsa voluntas est. Ea enim prorsus nullo intervallo, mox ut volumus, præsto est. Et ideo recte possumus dicere, non voluntate vivimus, sed necessitate, aut non voluntate morimur, sed necessitate, et si quid aliud hujusmodi. Non voluntate autem volumus, quis vel delirus audeat dicere ? » Deinde quibusdam interpositis : « Quod si non hoc modo dixerit, sed dixerit, se, quia necesse est, ut velit, ipsam voluntatem in potestate non habere, occurretur ex eo, quod ipse dixisti, cum quærerem, utrum invitus beatus sis futurus; respondisti enim, quod jam esses beatus, si potestas esset in te. Velle enim te, sed nondum posse dixisti. Ubi ego subjeci, de te clamasse veritatem. Non enim negare possumus, habere nos potestatem, nisi cum nobis, quod volumus, deest, dum autem volumus, si ipsa voluntas deest nobis, non utique volumus. Quod si fieri non potest, ut dum volumus, non velimus, adest utique voluntas volentibus, nec aliud quidquam est in potestate, nisi quod volentibus adest. Voluntas igitur nostra nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate. Porro quia est in potestate, libera est nobis. Non enim est nobis liberum, quod in potestate non habemus, aut potest non esse, quod habemus. » Ex his Augustini verbis probari putant [1], « impossibile esse, ut volitio non sit in nostra potestate, vel non sit libera; quia impossibile est, ut, cum volumus, non velimus; impossibile, ut, cum fit, quod volumus, non sit in nostra potestate; impossibile, ut, quod ita est in nostra potestate, non sit liberum. » Mox autem Augustinus : « Ita fit, inquit, ut et Deum non negemus esse præscium futurorum, et nos tamen velimus, quod volumus. Cum enim sit præscius voluntatis nostræ, cujus est præscius, ipsa erit. Voluntas ergo erit, quia voluntatis est præscius. Nec voluntas esse poterit, si in potestate non erit. Ergo et voluntatis est præscius. Ergo et potestatis est præscius. Non igitur per ejus præscientiam mihi potestas adimitur; quæ propterea mihi certior aderit, quia ille, cujus præscientia non fallitur, adfuturam mihi esse

1 Lib. VI *de Grat. Christ. Salv.* c. v.

præscivit. » In quibus observant, eumdem Patrem, « ut ostenderet præscientiam futuræ voluntatis, non tollere nobis, sed potius inferre libertatem ejusdem voluntatis, hoc unicum tantum ostendere, quod præscientia ista non impedit, quin voluntas, seu volitio maneat in nostra potestate, hoc est quin maneat voluntas. Ipsa enim voluntas per seipsam voluntas est, et in nostra potestate, et libera. » Hæc illi.

III. Atqui, ut absurda, et sensu ac ratione destituta opinio est ista; sic tota hæc argumentatio, quam ex Augustino adstruunt, pueriliter conflictatur in verbi cavillatione, et sophistica calumnia. Ambiguitas primum inest in *voluntatis* nomine, quæ alias universe pro actione voluntatis sumitur, qualiscunque ea sit, hoc est sive necessaria sit, sive libera, et ex deliberatione, ac consultatione suscepta; alias ad eam restringitur, quæ libera est, ut idem sit, ac προαίρεσις, id est *electio*, cui simplex et absoluta necessitas opponitur. Hoc posteriore modo voluntas in illo Augustini loco capitur, ut mox ostendam. At nostri in sophistica illa fraude volutantur, quam Gregorius Nazianzenus alicubi vocat, ἀπὸ τοῦ πη, καὶ ἁπλῶς, quando ex eo, quod quadamtenus verum est, de toto, universeque concluditur; ut si ex eo, quod animal rationale nominatur, colligam nullum non esse animal ejusmodi.

A quadamtenus ad simpliciter.

Voluntatis nomen persæpe liberam, et ex indifferenti, ac neutri addicta facultate prodeuntem actionem significare, quam *volitionem liberam* vocant, non est opus probare pluribus. Res hoc ipsa clamat, usus·que tam exterorum, quam sacrorum scriptorum; e quibus unus sufficiet Apostoli locus, in quo perspicue libertatis humanæ naturam, ac proprietatem describit, qualem quærimus, hoc est necessitati contrariam, et indifferentem, et in utrumlibet suopte nutu propensam: *Nam qui statuit*, inquit[1], *in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, et hoc judicavit in corde suo servare virginem suam, bene facit.* Ibi voluntas est *electio*, et *optio* unius e duobus propositis, et contrariis invicem; quæ sunt, virginem servare filiam suam, aut eam nuptui dare. Hæc autem ambo eatenus in potestate esse demonstrat Apostolus, quod non uno aliquo obligati, ac circumscripti tenemur, sed ἀδιαφόρως, hoc est *promiscue*, et *indifferenter* alterutrum nobis integrum est eligere. Non aliter intelligi ista possunt: Potestas voluntatis suæ est arbitrium liberum, et jus inclinandi in alterum e duobus, altero repudiato, sive, ut Græca vox habet, unum præ altero eligendi: ubi unum tantum relinquitur, non est ulla deliberatio.

Sic Hieronymus epistola VII *ad Lætam*, ad locum illum Apostoli alludens, « Offerre, inquit, necne filiam, potestatis tuæ fuit, etc. ut autem oblatam non negligas, ad periculum tuum pertinet. »

IV. Jam voluntatem istic ab Augustino nominari, non eam *volitionem*, quæ necessitate est expressa, sed quæ libera est, atque ex consultatione, et pendente, indifferentique voluntatis potestate prodiit, tam clarum est, ut vel cæco pateat. Hoc enim causa ipsa dicendi, et disputationis totius ratio persuadet, ac series. Nam agit ibi de consensu et concordia liberæ voluntatis cum Dei præscientia; quæ difficillima semper est habita, multumque jactata inter philosophos, ut etiam hodie christianos theologos exercere non desinat. Itaque nemo istud non concedendum putabit, eam *voluntatis* vocabulo vim ac significationem subjecisse sanctum Augustinum, quæ sola tantam affert quæstioni illi difficultatem, ac molestiam. Quænam igitur est illa? Non opinor ejusmodi *volitio*, (sic enim loqui fas est) quæ ex se uni tantum addicta, uno definita, et circumscripta sit, hoc est necessaria, ut in potestate non sit arbitrii, hac omissa, alteram et contrariam *elicere*. Quid enim facilius, quam talem voluntatem cum fato, ac Dei præscientia conciliare? Nemo quæret, qui fieri possit, ut futura præsentiat Deus, quæ ab homine sunt agenda, si agit necessario; quia tunc contingentia esse desinunt, hoc est ejusmodi, ut esse, vel non esse possint. Esse enim oportet adeo, ut non esse non possint, quia necessario sunt, ac proinde præsagiri, prædicique possunt, sine ulla ambiguitate, vel metu, ac periculo, ne non eveniant.

Demonstratur voluntatem de qua agit Augustinus esse liberam

Atqui ita percontabatur Evodius, ex quo sermonis istius causa fluxit: « Si præscius est Deus, peccaturum esse hominem, necesse est, ut peccet. Si autem necesse est, non ergo est in peccando voluntatis arbitrium, sed potius inevitabilis, et fixa necessitas. » Hic necessitatem opponit voluntati, non utique cogentem, et violentam, quam solam libertati con-

[1] *Cor.* VII. 37.

trariam esse fingunt adversarii, sed eam, quæ *contingenti* repugnat, hoc est quæ *inevitabilis est, et fixa*, et qua sola periclitari potest divinæ præscientiæ veritas ac fides. Quare *voluntatem* eodem usurpat modo deinceps Augustinus in ea quæstione solvenda, quo in ipsa sumitur, ut hanc voluntatem appellet, et eo sensu non abhorrere probet a Dei præscientia, quo Evodius, et alii similiter quærentes intellexerunt.

V. Quid enim absurdius? quid indignius non modo tanto viro, quantus Augustinus fuit, sed vel qualicumque homine, quam ita respondere, ut illic responsum esse consequens est, si novis istis theologis auscultamus? Quærit Evodius hoc idem, quod et gentilium plerique sapientum, et inter alios Aristoteles, ejusque discipuli in libro *de Interpretatione;* tum Cicero, ut postea videbimus: quomodo futurorum contingentium, quæ ex libertate nostra pendent, vera et certa, definitaque possit esse vel præscientia, vel prænuntiatio; et id propterea quæritur, quoniam id, quod vere præsciri, ac prædici dicitur, necessarium est esse; quod autem libero ex arbitrio fit, id contingens est, ac tam esse potest, quam non esse. Hic status est inquisitionis, quod nemo diffiteatur; huic ergo quinam ex Nostrorum sensu, et interpretatione respondet Augustinus? Ait, voluntatis actionem illam ideo præsciri, quia fit a voluntate, et quidam necessario, hoc est ut non esse non possit. Hoccine est quæstionem dissolvere, an prævaricari potius, et ei, qui contra disputat, totum id, quod vult, concedere? Non enim qui sic argumentabantur, voluntatis actionem omnem certo præsciri a Deo negabant, ut puta eam, quæ uniusmodi, definitaque, ac necessaria sit, sed eam solam non videri, certo sciri posse dicebant, quæ ex natura sua incerta contingensque esse debet. Ita non quamcumque voluntatem, seu *volitionem* Augustinus in potestate esse nostra judicat; sed eam videlicet, quæ sola difficultatem, et quæstionem parit, quæ pro eligentis arbitrio poterat non esse, et est tamen, prævideturque futura. Ostendimus autem supra, cum sic dicitur: « Id esse in potestate nostra, quod, cum volumus, facimus, » tacite semper adjunctum intelligi alterum hoc, « Et videlicet, cum nolumus, non facimus; » idem enim est *cum volumus*, ac, *si volumus*, quæ particula *dubitativa* dicitur, et suspensum, indifferentemque nutum voluntatis exprimit, quæ ad utrumvis inclinare se possit. Ita leprosus ille Christo, *Si vis,* inquit [1], *potes me mundare*, et utique *si non vis*, non mundabis. Nonnunquam et utraque pars contrariorum exprimitur; ut apud Joannem Pilatus: *Mihi non loqueris*[2]. *Nescis, quia potestatem habeo crucifigere te, et potestatem habeo dimittere te?* Ἐξουσίαν dixit, hoc est liberum utriusvis faciendi jus, vel in crucem tollendi, vel dimittendi; quorum si unum tantummodo pronuntiasset, nemo non alterum una significari crederet. *Potestatem.*

VI. Quare non minus loquendi, quam sentiendi novitate ridiculi sunt hæresis Calvinianæ fautores, qui in illis Augustini, et similibus verbis, unam tantum oppositorum partem contineri putant, ut id liberum sit, quod, cum volumus, facimus, etsi hoc unum possimus facere, alterum non possumus, tanquam appetitus ille voluntatis, et impetus, quo in aliquid fertur, quia sponte fit, liber sit, quamlibet necessario sit expressus. Hoc modo parvulorum, qui nondum per ætatem ratione utuntur, ac judicio, necnon amentium plena erit ad agendum libertas, quoniam et voluntate agunt, et quod volunt, maxime volunt. Naturale est autem voluntati, ut quidquid vult, libere velit, cum nonnisi libere velle possit, ac tam « implicet contradictionem, ut volitio non sit libera, quam ut volendo non velit; » ut novi doctores asserunt. Quæ si quis absque risu, vel stomacho poterit audire, næ is mihi consummatus Stoicus videtur. Sane et Beati summo voluntatis affectu Deum diligunt, nec tamen libere diligunt; nec de his loqui ita, nisi ridicule, imo irreligiose possumus. *Sancti in cœlo si volunt,* vel *cum volunt, diligunt Deum.* Quis enim ita dixit? Cur autem nemo dixit, nisi ob eam, quam attuli, causam, quod istæ locutiones utrumque nos ex æquo velle, et eligere posse demonstrant? An quisquam de sanctis iisdem loqui sic audeat: *Potestatem habent sancti filii Dei fieri*, quemadmodum de viventibus adhuc Joannes scripsit, *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*[3]? Aut ita potius, *Si sancti in Christo maneant, aut perseveraverint, quodcumque petierint, fiet illis*, uti de iisdem degentibus in corpore Christus ipse pronuntiavit: *Si manseritis in me*[4], *et verba mea in vobis manserint*, etc. Et, *Qui perseveraverit usque in finem*[5], *hic salvus erit?* Nimirum ideo stultum est de illis

1 *Matth.* VIII.— 2 *Joan.* XIX, 10.— 3 *Joan.* I.— 4 *Joan.* XV.— 5 *Matth.* X, XXII.

loqui sic, quoniam in eorum jure, ac potestate libera non est alterutrum velle, sed uno definita, circumscriptaque voluntas est illorum, quod omnino non velle nequeunt, quia felici quadam ad illud necessitate sunt adstricti. Sic de Angelis scribit Augustinus, id illis præmii loco tributum esse, ut peccare, et a Deo excidere amplius non possint; uti, quod antea liberum iis erat, jam in necessitatem verteretur.

Præterea Spiritus sanctus a Patre, Filioque voluntate est productus; adeoque, ut quibusdam ex nova illa theologorum natione visum est, libere. Ecquis ergo dicere de eo est ausus ita, *Pater et Filius, cum voluerunt, produxerunt Spiritum sanctum?* Cui non autem impia, et nefaria vox ista videbitur? Atqui per adversarios usurpare talia licebit; qui ad voluntatem necessario etiam operantem, et ad unum alligatam accommodare loquendi modos istos non dubitant.

Alia Augustini explicata testimonia.

VII. Non absimile est, quod ex ejusdem Augustini libro secundo *contra Felicem Manichæum* proferunt[1], ut in uniusmodi duntaxat agendi potestate liberum arbitrium hærere confirment. Nam quod Manichæus scripserat in libro *Thesauri*, aliquos Dei legem servare noluisse, argumentatur ex eo illic Augustinus: « Vide, inquit, in his verbis confirmatum esse etiam a nesciente quod loqueretur, liberum arbitrium. Qui enim servare legem non vult, in potestate ejus est, si velit. Non enim dixit, non potuerunt, sed noluerunt. Ibi ex solo, inquiunt, nolendi verbo arbitrii libertatem asserit. » Verum plane cæci sunt, dum hæc objiciunt, et ad commenti sui fidem, et auctoritatem spectare ista putant, quæ profecto in contrarium perspicue valent. Quid enim apertius scribere poterat Augustinus, ut liberi arbitrii naturam in statu illo indifferente sitam ostenderet, quam cum ita docuit, eum, qui servare legem non vult, in potestate habere sua servare, si velit? Aut quid aliud tot jam paginis efficere, ac persuadere nitimur, quam libertatem hominis in eo consistere, ut hoc, vel huic oppositum eligere possit, id est sive rem hanc, aut illam, sive harum aliquam aut aspernari, aut asciscere? In quo duplex genus libertatis consistit, quarum una inter contraria, altera inter aientia, et negantia versatur.

Sane Augustinus ibidem capite antecedenti[2], liberi arbitrii, vel potestatis liberæ naturam, et proprietatem ad hanc regulam exigit: « Audi ergo de libero arbitrio, inquit, primo quidem ipsum Dominum, ubi duas arbores commemorat, quarum mentionem ipse fecisti: audi dicentem[3]: *Aut facite arborem bonam, et fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, et fructum ejus malum.* Cum ergo dicit, *aut hoc facite, aut illud facite,* potestatem indicat, non naturam. Nemo enim nisi Deus, facere arborem potest. Sed habet unusquisque in voluntate, aut eligere, quæ bona sunt, et esse arbor bona, aut eligere, quæ mala, et esse arbor mala. » Quibus verbis liberi arbitrii nativa, propriaque ratio in eo ponitur, ut hoc vel illud, hoc est bonum vel malum facere possit; eaque *indifferentia* potestatem illius, nempe dum ævum hoc mortale trahitur, metitur Augustinus.

VIII. Sic in secundo libro *Retractationum* capite primo, locus ille, quem adversarii itidem proferunt, contra ipsos usum habet insignem. Cum enim Augustinus de eo ageret, quod in secundo libro *ad Simplicianum* scripserat, « Quamvis sit in cujusque potestate, quid velit, non est tamen in cujusquam potestate, quid possit; » hoc ita declarat: « Quod ideo dictum est, quia non dicimus esse in potestate nostra, nisi quod, cum volumus, fit, ubi prius, et maxime est ipsum velle. Sine ullo quippe intervallo temporis præsto est voluntas ipsa, cum volumus; sed hanc quoque ad bene vivendum desuper accipimus potestatem, cum præparatur voluntas a Domino. »

Hinc illi scilicet argumentantur, eo ipso liberam esse actionem voluntatis, quod a voluntate oritur quoniam tunc in potestate esse nostra dicitur aliquid, cum fit, quando volumus. Atqui satis hanc ratiocinandi pravitatem vel loquendi usus ipse convincit. Nihil enim aliud significatur his verbis, *quod cum volumus, facimus*, nisi quod sive volumus, facimus, sive nolumus, non facimus. Hoc autem ne intelligi quidem potest, nisi ita faciamus, aut ita non faciamus, ut, antequam facere, aut non facere constituerimus, alterutrum possimus eligere; in quo potestatis liberæ posita notio est. Nam, si nonnisi velle possumus, aut nonnisi nolle, stulte dicimur facere, cum volumus, quemadmodum et ratione, et exemplis supra demonstravimus.

IX. At etiam Anselmi sententiam ad idem institutum accommodant; quod nunquam

1 Cap. v, tom. VI.— 2 Lib. II *cont. Fel.* c. IV.— 3 *Matth.* x, 33.

Anselmus ab adversariorum interpretatione vindicatus.

profecto facerent, si paululum ad ista commentanda judicii ac sensus communis adhiberent. Nam nullus locus est, qui disertius, et luculentius novitatem configat istam: « Omnis, ait Anselmus[1], potestas sequitur voluntatem. Cum enim dico, quia possum loqui, vel ambulare, subauditur, si volo. Si enim non subintelligitur voluntas, non est potestas, sed necessitas. Cum enim dico, quia nolens possum trahi, et vinci, non est mea potestas, sed necessitas, et potestas alterius. Quippe non aliud, possum trahi vel vinci, quam alius me trahere vel vincere potest. »

Ecquis, ista cum legit, cogitare aliud potest, quam posse loqui, vel ambulare, si velis, esse ita reipsa loqui, aut ambulare, ut, si velles, neque loquerere, neque ambulares omnino? Etenim finge aliquem, qui a valentiore velit nolit trahitur, aut ligatur, cum hoc patitur, voluntatem ad id suam adjungere; num de isto potes recte dicere: Hic, cum vult, trahitur? Profecto non potes. Atqui volens trahitur; sed non ea voluntate, qua in potestate habeat id, quod vult, quoniam, etsi nollet, fieret tamen. Itaque non hoc est satis, ut libere dicamur aliquid facere, quod cum volumus fiat, hoc est ut, volentes aliquid faciamus, nisi hoc in ista locutione, *cum volumus*, una contineatur, ut illud idem, cum nolumus, non fiat. Hoc autem tale est, ut antequam volentibus fieret nobis, peræque nolentibus potuerit non fieri.

CAPUT XI.

Expenduntur alia quædam Augustini loca, ut ex libro quinto de Civitate Dei, capite nono, et decimo. Ciceronis opinio de præscientia Dei ab Augustino refutata; hunc vero voluntatis nomine liberam, et indifferentem intellexisse. Duplex genus necessitatis, et quænam libertati officiat, quæ cum ea cohæreat. Voluntarium pro libero sumi. Explicatur locus alius Augustini in libro de Natura et Gratia; et ostenditur, ex eo indifferentiam libertatis astrui, exclusa necessitate.

Ciceronis opinio de præscientia Dei ab Augustino confutata.

Augustinus in libro quinto *de Civitate Dei* contra Fatum disputans, Dei præscientiam ita tuetur, ut cum ea liberam hominis voluntatem non pugnare demonstret; ac Ciceronem potissimum refellit, qui in libro secundo *de Divinatione*, Deo futurorum scientiam ademit, quod, ea concessa, negari non possit, quin fato omnia contingant, nihilque sit in potestate nostra. Etenim, quæ libera fiunt hominis voluntate, ea, ut a philosophis traditur, et res ipsa docet, contingentia sunt, non necessaria; quæ autem certo sciuntur, ac prænuntiantur, ea sunt necessaria. Nam aliter, quam futura certo sciuntur, evenire non possunt, ne non verum sit, certo esse præscita. « Nihil est enim, inquit Cicero, tam contrarium rationi, et constantiæ, quam fortuna, ut mihi ne in Deum quidem cadere videatur, ut sciat, quid casu fortuito futurum sit. Si enim scit, certe illud eveniet; sin certe eveniet, nulla fortuna est. Est autem fortuna, rerum igitur fortuitarum nulla est præsensio. » Itaque « in has augustias, ait Augustinus[2], Cicero coarctat animum religiosum, ut unum eligat e duobus, aut esse aliquid in nostra voluntate, aut esse præscientiam futurorum; quoniam utrumque arbitratur esse non posse, sed si alterum confirmatur, alterum tolli; si elegerimus præscientiam futurorum, tolli voluntatis arbitrium; si elegerimus voluntatis arbitrium, tolli præscientiam futurorum, etc. Igitur ex his duobus eligit liberum voluntatis arbitrium. Quod ut confirmaretur, negavit præscientiam futurorum; atque ita, dum vult facere liberos, fecit sacrilegos. » Porro Ciceroni sic respondet Augustinus: « Nos adversus istos sacrilegos ausus, atque impios, et Deum dicimus omnia scire, antequam fiant, et voluntate nos facere, quidquid a nobis non nisi volentibus fieri sentimus, et novimus. » Tum: « Non est autem consequens, ut, si Deo certus est omnium ordo causarum, ideo nihil sit in nostræ voluntatis arbitrio. Et ipsæ quippe nostræ voluntates in causarum ordine sunt, qui certus est Deo, ejusque præscientia continetur; quoniam et humanæ voluntates humanorum operum causæ sunt. » Ex hac Augustini disputatione concludunt, omnem voluntatis actionem esse liberam; nam alioqui « frivola, et inanis esset illa disputatio, si voluntas esse posset, quæ non sit libera. Statim quippe respondebitur, voluntates illas, quas Deus præscit, non esse liberas voluntates, sed necessarias. »

II. Atqui ut voluntatem intelligamus ibi, non quamcumque, sed liberam, *frivola et inanis est*, non illa Augustini disputatio, sed

1 Lib. II *Cur Deus homo*, c. II.— 2 Cap. IX, lib. V *de Civ.*

istorum, qui voluntatis omnem actionem liberam esse volunt, argumentatio. Ita prorsus Augustinus de ea voluntate loquitur, et ejusmodi præsciri a Deo voluntatem, ac si præsciatur, libertati non repugnare dicit, quæ causa libera est, et cujus effectio contingens est, non necessaria. Nisi enim de ea loquitur, inepta, et ab eo, quod propositum est, aliena tota illa est oratio. Nam ad hoc pertinere debet, ut, quod Cicero contra præscientiam opponebat, et quod ei contrarium putabat esse, id responsione sua dissolvat Augustinus. Movebat autem Ciceronem, ut cum præscientia Dei pugnare libertatem hominis arbitraretur, hoc unum, quod, illa posita, jam necessario voluntas ageret; ageret autem necessario, quia unum tantummodo, ac definitum ab illa Dei præscientia posset facere. Quare necessitas illa in sermone, et controversia versatur, quæ contingenti, et indifferenti ad hoc, ut sit, vel non sit, opponitur; quæ est simplex necessitas, non violentia nescio quæ tantum, et coactio, aut extrinsecus illata vis. Non enim contingenti opposita est ista, sed τῷ ἑκουσίῳ, id est *spontaneo*. Quæritur autem, utrum præscientia Dei res contingentes, et fortuitas, quales voluntatis electiones sunt, certo noverit. Nam si spontaneæ duntaxat, sed necessariæ sunt, ut sunt appetitiones brutorum, non dubitaret Cicero, quin certo præsciri a Deo possint. Habent enim causas invicem connexas, quarum series ex sola Dei voluntate, et ordinatione pendet, qua omnes illæ certo constitutæ, et ex se mutuo aptæ, continuatæque sunt, ut aliter habere nequeant, quantum quidem ad rationis expertes causas, et efficientias attinet. Possunt enim libere agentium effectiones aliquæ in illa serie, ac propagatione locum habere, quæ fortuiti nonnihil afferant. Sed citra liberæ voluntatis usum, rata, definita, necessaria sunt omnia, ut a Deo præsentiri possint, assentiente Cicerone.

Voluntatem appellat Augustinus, quæ libera est et indifferens.

Quocirca perspicuum est, de ea tantummodo agi voluntate, quæ soluta sit necessitatis vinculis, et ad opposita invicem pro libito, indifferenterque possit vergere, ut, quod voluerit, ex illis eligat. Hac enim remota, manet integra quæstio, ac dubitatio Ciceronis, qui cum solo eo, quod fortuitum et contingens est in voluntatis actionibus, certam Dei præscientiam contendit. Quæ enim necessariæ sunt, eæ cum fato ac præscientia neutiquam pugnant. De his ergo non loquitur Augustinus, uti neque Cicero; nec de voluntate universe uterque disserit, sed de ea voluntate, quæ hominis, vel ratione præditorum potius est omnium propria, hoc est libera, ac sui juris, et arbitrii.

III. Non minus expedita nobis, et liquida ratio constat in reliqua Augustini disputatione contra Stoicum fatum, quam in decimo capite libri ejusdem quinti *de Civitate Dei* pertexit, in quo insulse triumphant adversarii. Sed nullus locus magis istorum convincit opinionem, ac libertatis τὸ ἀδιάφορον ostendit. Describemus hic primum integrum illum, ut de eo melius existimare possimus. Sic igitur Augustinus: « Unde nec illa necessitas formidanda est, inquit, quam formidando Stoici laboraverunt causas rerum ita distinguere, ut quasdam subtraherent necessitati, quasdam subderent; atque in his, quas esse sub necessitate noluerunt, posuerunt etiam nostras voluntates, ne videlicet non essent liberæ, si subderentur necessitati. Si enim necessitas nostra illa dicenda est, quæ non est in nostra potestate, sed etiamsi nolumus, efficit quod potest, sicut est necessitas mortis; manifestum est, voluntates nostras, quibus recte, vel perperam vivitur, sub tali necessitate non esse. Multa enim facimus, quæ, si nollemus, non utique faceremus. Quo primitus pertinet et ipsum velle. Nam si volumus, est; si nolumus, non est; non enim vellemus, si nollemus. Si autem illa definitur esse necessitas, secundum quam dicimus necesse esse, ut ita sit aliquid, vel ita fiat, nescio, cur eam timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis. Neque enim et vitam Dei, et præcientiam Dei sub necessitate ponimus, si dicamus necesse esse, Deum semper vivere, et cuncta præscire; sicut nec potestas ejus minuitur, cum dicitur mori, fallique non posse. Sic enim hoc non potest, ut potius, si posset, minoris esset utique potestatis. Recte quippe omnipotens dicitur, qui tamen mori et falli non potest. Dicitur enim omnipotens faciendo, quod vult, non patiendo, quod non vult. Quod si ei accideret, nequaquam esset omnipotens; unde propterea quædam non potest, quia omnipotens est. Sic etiam cum dicimus necesse esse, ut, cum volumus, libero velimus arbitrio, et verum procul dubio dicimus, et non ideo ipsum liberum arbitrium necessitati subjicimus, quæ adimit libertatem. Sunt igitur nostræ voluntates, et ipsæ faciunt, quidquid volendo facimus, quod non fieret, si nollemus. »

Expenditur Augustini disputatio contra Stoicum fatum.

Indifferens.

IV. Ibi Augustinus contra stoicos disputat qui voluntates nostras, id est, ut loquuntur

Duo necessitatis genera distinguit Augustinus

philosophi, *volitiones* futuras, et liberas præsciri a Deo negabant, eo quod præscientia Dei falli non potest, nec aliter fiet, quam futurum præviderit; ex quo necessitas quædam oritur. Unde ne voluntates nostræ liberæ necessitati illi subjicerentur, maluerunt eas divinæ præscientiæ subtrahere. Adversus hæc Augustinus duo necessitatis genera constituit; quorum unum libertati repugnat, alterum non repugnat. Ac pro duplici necessitate ista, duo novi coryphæus dogmatis ex illis Augustini verbis colligit, quæ sunt nobis etiam atque etiam hoc loco consideranda.

Primum ex eo concludi putat, hanc solam opponi libero arbitrio necessitatem, quæ violenta sit et cogens, hoc est « quæ, nobis etiam nolentibus, seu invitis, et coactis operatur effectum suum, » ut est necessitas mortis. Verum Augustinus genus hoc necessitatis, non quia cogit, et vim facit voluntati, eo contrarium esse libero dicit arbitrio, sed quia determinatum est, ut non aliter evenire possit. Nam sive volumus, sive nolumus, necesse habemus emori. Quod autem ita nectitur, et effertur, *sive volumus, sive nolumus, hoc fiet*, non violentiam indicat, sed determinationem, non in voluntate ipsa, sed in re, quæ necessitate hac afficitur. Itaque mortem, ac moriendi necessitatem vel odisse, ac detrectare possumus, vel amare, aut æqui bonique consulere, quoniam libere in eam ferri voluntas potest. At homo ipse, corpusve mortale hominis necessitatem hanc patitur, hoc est, ut dixi, determinationem. Quocirca duo illa invicem opposita sunt, *determinatum*, et *liberum*. Liberum dicitur ab Augustino, *quod, si volumus, est, si nolumus, non est;* in quo principatum tenet *voluntas* ipsa, id est θέλησις, sive *volitio*. Determinatum autem illud est, *quod sive volumus, sive nolumus, est;* hoc autem est necessarium ex Augustini sententia. *Coactum* vero nihilo est magis, quam *spontaneum*. Siquidem communis illa necessitas est iis, quæ secundum naturam fiunt, cum iis, quæ sunt adversa naturæ, quæ proprie *violenta* dicuntur. Non poterat novum illud commentum libertatis valentiore, ac certiore telo confici, quam Augustini testimonio isto. Observetur illa tantum liberi definitio, et quid huic ex adverso respondeat, diligenter intueamur. Nimirum, si quid sapimus, ei, quod sic ponitur : *Si volumus. hoc est, si nolumus, non est;* directe contrarium est istud : *sive volumus, sive nolumus, hoc erit.* Atqui posterius hoc per se, ac præcise consideratum, nullam aliam, præterquam definiti, ac determinati notionem intelligentiæ nostræ objicit; violenti, et coacti omnino nullam. Porro *determinatum* nihil est, nisi necessarium, quod simplex dicitur, naturali commune ac violento. Igitur hæc necessitas proprie, ac recta libertati opponitur, cujus formulam in ista complexione statuit Augustinus : *Si volumus, est; si non volumus, non est.* Propterea Hugo Victorinus [1], et Magister Sententiarum [2], liberum arbitritum circâ præsentia versari negant, quia determinata sunt, ; quod idem est, ac necessaria sunt, qua præsentia.

V. Alterum ex Augustini verbis consectarium ab libertatis corruptore deducitur; in quo arcem novæ opinionis constituit. Hoc autem est : necessarium simplici, et absoluta, antecedentique necessitate, videlicet quod ita determinatum est, ut ejus contrarium impossibile sit, non opponi libero, dummodo non sit præter voluntatem, sed ejus inclinationi consentaneum. Quod ex superioribus verbis Augustini colligit; ubi in exemplum necessitatis libertati non contrariæ, profert « necessitatem vitæ ac præscientiæ in Deo, » ita scribens : « Neque enim et vitam Dei, et præscientiam Dei sub necessitate ponimus, si dicamus necesse esse, Deum semper vivere, et cuncta præscire. » Atqui determinata ista sunt, et necessaria, quia *mori, fallique non potest.* Igitur non est libero contrarium determinate necessarium.

Verum, si quis Augustini locum illum et sententiam melius attentiusque perpendat, quam iste fecit, animadvertet profecto, longius eum aberrasse, ac præpostere acceptam ab illo esse mentem Augustini; nec ex eo adjumenti quidquam, ac præsidii inscitam novitatem capere. Sumamus hoc imprimis, quod ultro illi nobis offerunt, cum sic loquitur Augustinus : « Vitam et præscientiam Dei sub necessitate non poni, quando dicimus, Necesse est, semper Deum vivere, » etc. non ibi negare illum, vitam et præscientiam Dei esse necessariam; aut absolute necessitatem omnem, et quocumque spectatam modo abjudicare ab divinis proprietatibus, sed eam necessitatem intelligere, quæ sit opposita libertati. De hujusmodi enim necessitate istic agitur, assentientibus etiam ipsis, uti diximus, adversariis, qui ex Augustini verbis illis argu-

1 Part. V, lib. I *de Sacram.* c. XXII.— 2 In II, dist. XXV.

mentantur, non esse libertati oppositam vitæ, ac præscientiæ divinæ necessitatem. Itaque sic est Augustini concipiendus iste locus : « Neque enim et vitam Dei, et præscientiam Dei sub necessitate ponimus, quæ libertati contraria sit. » Hoc est, cum dicimus : non potest non vivere, aut non futura præscire Deus, adeoque non est ei integrum, ac liberum mori vel non mori, præscire vel non præscire, sed determinate necessarium est semper vivere, ac præscire; cum hæc, inquam, dicimus, non detrahimus aliquid divinæ libertati. Quemadmodum cum dicimus : non potest Deus mori, aut falli, etsi verbo detrahere videmur aliquid omnipotentiæ Dei, quia ei, quod est *posse*, oppositum est *non posse*; revera tamen nihil eripimus. Cur ita? quoniam, quod negamus, tale non est, ut potentiæ Dei repugnet.

Explicatur locus Augustini difficilis.

VI. Etenim omnipotentia Dei, ut et facultas alia quælibet, proprium habet *objectum*, ut vocant, circa quod operata est, et præter quod non agit; sicut intellectui propositum est *ens*, et *verum*, appetitui bonum. Neque circa quidquam agere, ac navare potest facultas ulla, quod non objecti sui amplitudo contineat. Ut, exempli causa, quod nihil est, a Deo non proprie dicitur intelligi, neque, quod malum est, appeti. Quare nihil ex eo decedere vel intelligentiæ divinæ dicitur, quominus omnia comprehendat, vel potentiæ, quominus possit omnia, quod quædam negare videmur, intelligere eum, aut posse facere. Quæ enim facultatum istarum alicui denegantur, non in subjectarum iis rerum, id est *objecti* proprii ulla parte numerantur. Quod si fieret, tum vero minueretur illarum vis, et efficientia. Ut quod stoici dicebant, non præsciri a Deo voluntates liberas, hoc erat mancam illius scientiam facere, propterea quod liberæ istæ voluntates res aliquæ, et veræ, et entia sunt, et in eo, quod intelligentiæ potest objici, continentur. Similiter qui Deum negabant Gentiles, posse mortua suscitare corpora, tantumdem de illius omnipotentia delibabant, quod eo minus omnipotentem eum esse fatebantur. At vero, quod impossibile est esse, quia nihil est, vel ad contradictionem implicatum est, fieri quidem non potest; sed ideo nihil de Dei potentia detrahit, qui hæc posse ipsum negat facere, quia circa ea sola versatur ejus omnipotentia, quæ sunt aliquid, et entia vocantur, et præterea creata sunt, hoc est talia, ut fieri, crearique possint.

Negare de Deo quæ *nihil* sunt, nihil detrahit ejus perfectionibus.

VII. Ad eum modum res habet in libero Dei arbitrio; cujus *objectum*, ut vocant, tam tale porrigitur, quam omnipotentiæ, et unum prorsus est, idemque. Nam hoc omne, solumque potest facere Deus, quod velle potest libere; et vicissim hoc solum, et omne libere velle potest, quod potest facere; quo sensu illud antiquorum celebre dictum potest accipi: *Deum posse quidquid vult*, de quo alio in loco pluribus[1]. Pari ergo gradu procedit utraque Dei facultas. Et ut illa, quæ in Deo necessaria sunt, quæ nulla sunt omnino, præterquam id, quod ipse Deus est, ejus omnipotentiæ neutiquam subjiciuntur, nec ad illius objectum pertinent, quoniam in iis solis Dei versatur omnipotentia, quæ creari possunt, et *contingentia* vocantur; sic ejusdem liberæ voluntati, et electioni objiciuntur ea sola, quæ possunt esse, vel non esse, ac proinde fieri, vel non fieri; quæ autem divina, æterna, increata, et necessaria sunt, ea sunt extra liberæ voluntatis objectum. Qui locus adversus Arianos maxime est notandus, qui voluntate libera, et electione Filium a Patre productum esse dicebant; contra quos alibi disputavimus[2].

His constitutis, facile est judicium, quid sit hujusmodi, ut, eo, denegato ac subtracto, Dei libertas, seu voluntas libera minuatur, aut e contrario nihil ex ea detrahatur. Etenim solum hoc, sine libertatis imminutione, negari non potest, circa quod illa versari potest, vel quod subjectarum ei rerum, id est *objecti* ambitu coercetur. Quod autem extra ejus objectum est, eo detracto, nihilo fit illa contractior. Non secus atque in omnipotentia fit, cui tunc solummodo facimus injuriam, cum aliquid ei subducimus, circa quod agere potest, et pars est illius *objecti*. Nam, cum illa negamus, in quibus neutiquam exerceri potest, non fit ea deterior.

VIII. Ex his illustrantur Augustini verba illa, quæ commento suo perperam novus dogmatistes obtendit. Scribit enim Augustinus, non omne genus necessitatis oppositum esse libertati; neque, quoties dicimus necesse esse ut sit aliquid, vel ita fiat, statim consequens esse, ut eo ipso, quod libertati denegamus, minor ea sit, et angustior. Ut cum dicimus necesse est, ut semper vivat Deus, vel ut omnia prænoscat, ac proinde non

Non om genus necessita oppositu libertat

1 Tom. I, lib. V, cap. VI.— 2 Tom. III, lib. VI, c. VIII.

potest velle mori, aut futura nescire, sive mortem ac futurorum inscitiam eligere ; verbo tenus detrahere quidpiam videmur libertati, vel, ut ita loquar, *omnilibertati* divinæ, quemadmodum omnipotentiæ auferre aliquid videmur cum dicimus, Deus non potest mori, vel mentiri ; revera tamen nihil utrobique demimus, quoniam negamus ea tantum, quæ sunt extra utriusque facultatis objectum. Nam sicut mors Dei, et mendacium Dei intra objectum omnipotentiæ minime comprehenduntur ; ita neque ad libertatis objectum attinent, eo quod impossibilia sunt, ac propterea nihil, et *non entia* sunt.

In summa, qui Augustini locum illum explicare volent, præ oculis habeant hoc, quod paulo superius animadverti [1], qua de causa, quove sensu necessitatem vitæ, ac præscientiæ divinæ in exemplum adhibuerit, ut non omnem necessitatem libertati contrariam esse monstraret ; neque statim ac dici audimus, necesse est, ut hoc sit, consequens putandum, ex eo libertatem minui. Nam eatenus necessitatem illam proprietatum divinarum in medium attulit, quod circa eas considerari liberæ voluntatis actio potest, non ut illis exerceri queat, sed ut nequeat potius, adeoque sic libero Dei arbitrio subtrahantur, ut sint extra illius objectum.

IX. Etenim sic Augustinus in illo, quem descripsimus loco, vitæ ac præscientiæ necessitatem cum Dei libertate, vel, ut dixi, cum *omnilibertate* confert, quomodo cum omnipotentia Dei eadem illa componit. Quippe ita non obstare libertati divinæ asserit necessitatem vitæ, ac præscientiæ ; sicut utraque non est omnipotentiæ illius adversa. Porro repugnantia illa, qua in speciem obsistere videtur omnipotentiæ divinæ vivendi et certo præsciendi necessitas, et quam removet Augustinus, in eo consistit, quod ita dicitur : non potest non vivere, aut non futura prænosse Deus. Ergo similiter apparens illa cum libera Dei voluntate conflictio, quam habere videtur vivendi, et præsciendi necessitas, et quam propulsare nititur idem Augustinus, in eo sita est, quod sic dicitur : Non potest velle mori Deus, aut velle futura nescire.

Quamobrem, uti nemo credere debet, omnipotentiam circa Dei vitam, ejusque certam præscientiam versari, et operari, tanquam subjectam sibi rem, cujusmodi nulla esse potest, nisi factitia et creabilis ; (quandoquidem omnipotentia divina ea sola respicit, quæ sunt extra Deum posita, et ex nihilo facta) sic objectum esse nequeunt eadem illa liberi arbitrii divini, neque circa ea posse operari libertas divina dicitur, ne idem omnino consequens sit absurdum, uti tam libere velit se vivere Deus, ac certo futura nosse, quam esse voluit Angelos, aut homines, ac quidquid omnipotentia sua procreavit. Hoc enim posito, redit illa, quam superius attigimus, formula libertatis et expressio : « Si vult, vivit perpetuo Deus ; si non vult, moritur. » Item, « Si vult, futura præscit ; si non vult, futura non novit. »

X. Mali ergo ratiocinatores sunt, qui ex Augustini verbis istis, quibus negat, « vitam Dei, et præscientiam Dei sub necessitate poni *libertatis inimica*, si dicamus necesse esse Deum semper vivere, et cuncta præscire, » concludunt, libere Deum ista velle, eo quod voluntaria sunt illa, non coacta, nec cum libertate pugnantia ; non minus quam pessime argumentarentur, si ita colligerent, Deum omnipotenti sua virtute facere, ac creare vitam suam, et præscientiam suam, eo quod necessaria hæc esse dicit Augustinus, neque potentiam ejus minuere, aut cum ea pugnare. Denique, uti supra meminimus, particula ista *si*, in libertatis definitione comprehensa, quam ex Augustino [2] novus dogmatistes proposuit ita [3], ut hoc *libere velle, et in potestate habere* dicatur quispiam, *quod si vult, facit, si non vult, non facit* : dubiam rem, nec in utrumlibet, definitam significat, sed suspensam, et indifferenter habentem se, uti pro arbitrio fieri possst, aut non fieri. Age enim illa libertatis norma repetatur, quam ex Augustino dogmatistes ad satietatem usque ingerit, cum sic dicit, « Illud esse liberum [4], quod est in potestate nostra ; id autem habere nos in potestate, quod cum volumus, facimus. » Item [5], « Hanc dicimus potestatem, ubi voluntati adjacet facultas faciendi. Unde hoc quisque in potestate habere dicitur, quod, si vult, facit, si non vult, non facit. » Deinde cum hac ipsa regula comparetur, quod idem dogmatistes probare nititur [6], necessitatem illam, qua Deum dicimus necessario vivere, cunctaque præscire, non ejus repugnare libertati, nec impedire, quominus libere ista velit ; ecquid aliud inde consequens erit, nisi

1 Paragraph. 5.— 2 Lib. *de Spirit. et lit.* cap. II et V *de Civitate Dei*, cap. X.— 3 Lib. VI, cap. IV et V.— 4 Ibid. cap. IX.— 5 Ibid. ex Aug. lib. *de Spir. et lit.* cap. III.— 6 Ibid. cap. VI.

Deum, si vult, vitam, ac præscientiam suam facere posse ; si non vult, non facere ? Quam detestandam, et horribilem blasphemiam nescio, utrum aures illorum ferre poterunt, si ad ea, quæ dicunt, qualemcumque hominis, nedum Christiani, animum adjecerint. Melius veteres illi Patres, quos alibi citavimus[1], qui *effecta naturæ e voluntatis operibus* secernunt, ut Gregorius Nyssenus loquitur ; et Didymus in libro *contra Manichæos*, « in iis, quæ ad substantiam pertinent, non assumi voluntatem » ait ; nam « nullum dicere, voluntate esse animal, aut lapidem. »

XI. Nec est omittendum aliud genus, exemplumque necessitatis ab Augustino allatum, quod salva libertate cadere in voluntatem dicitur. « Ut cum dicimus necesse esse, ut cum volumus, libero velimus arbitrio. » Nam et « verum dicimus ; et non ideo ipsum liberum arbitrium necessitati subjicimus, quæ adimit libertatem. » Qui locus utilis est ad multorum Patrum intelligendas sententias, maxime cum de Dei, ac beatorum libertate loquuntur, quæ cum honesti, bonique in omnibus tenendi necessitate consistit. Quibus ita sæpius occurrimus, ut quatenus illis liberi usus arbitrii constat, necessitatem istam nonnisi universe, ac generatim subesse diceremus agendi sic ; in singulis tamen liberis actionibus integram eos habere potestatem, minimeque determinatam. Cui simile est, quod ibi docet Augustinus, « necesse esse, ut, cum volumus, libero velimus arbitrio, » nempe quæ humano, id est hominum proprio modo, ac libere volumus. Est enim liberum arbitrium, sive voluntas libera, efficiens causa *volitionis* liberæ, et quidem necessaria, si in genere ista spectemus, quia nonnisi a voluntate potest actio illa fieri. At minutatim, et in singulis actionibus, et *objectis*, ut vocant, liberam habet potestatem sui, necessitate nulla definitam. Unde inter causas divinæ potentiæ, præscientiæque subjectas, ac seriatim ordinatas, locum suum habet libertas hominis, estque causa illo, quo dixi, sensu necessaria, quam Deus in aliarum ordine connexam, et comprehensam videt, quamvis motionem illius, appetitionemque nonnisi contingentem, et liberam fore cognoscit. Ac vel ipsa Augustini verba, nisi pervicaces sumus, aurem nobis vellere possunt, et admonere, voluntatem illam, de qua ibi loquitur, ex se circumscriptam uno quopiam non esse, sed indifferentem. Ait enim : « Sunt igitur nostræ voluntates, et ipsæ faciunt, quidquid volendo facimus ; quod non fieret, si nollemus. » Quibus verbis ostendit, ita velle nos, et volendo facere quidquid volumus, ut et nolle, ac non facere possemus. Quod ipsum est ἀδιάφορον, id est *indifferenter* habere, et quasi suspensum esse inter assensum et dissensum.

XII. Hinc evidens est, quantum eos opinio fefellerit, quantaque cæcitate laborent, qui ex illo, ac cæteris Augustini locis novum illud, et monstri simile dogma confici putant, omnem voluntatis actionem, etsi necessaria sit, et in unum tantum ferri queat, dummodo non vi, sed sponte fiat, liberam esse. Hoc neque uspiam Augustinus, neque veterum ullus vel littera aliqua significavit. Teneatur hoc unum, neque ex memoria lectoris excidat, cum *voluntatis* nomen, aut *velle* illic Augustinus exprimit, non qualemcumque intelligere facultatis motionem, sed eam, quæ ab illa ipsa, qua libera est, liberumque arbitrium vocatur, existit, et oritur. Agnovit hoc ipsum S. Thomas[2], qui ejusdem volendi facultatis actionem duplicem statuit : unam necessariam, quæ ab illa, ut est natura, proficiscitur : alteram contingentem, quæ ab eadem, qua est voluntas, oritur, ubi voluntas pro libero arbitrio sumitur. Hinc voluntarium nonnunquam pro libero, et in indifferente, ac minime definita potestate sito sumitur, eique necessarium, id est uni alligatum, ac circumscriptum opponitur. Ut apud Ciceronem in libro primo *de Inventione*, « voluntarium maleficium appellatur consulto, et de industria factum, cui veniam dari non oporteat. » Et in *Topicis* idem, « Ea, quæ fiunt, partim sunt ignorata, inquit, partim voluntaria. Ignorata, quæ necessitate effecta sunt ; voluntaria, quæ consilio. Quæ autem fortuna, vel ignorata, partim voluntaria. Nam jacere telum, voluntatis est ; ferire, quem nolueris, fortunæ. » Hic voluntarium nominat, quod consulto, et certo consilio fit ; id autem ejusmodi est, cui in alterutrum libera voluntas sponte se addixit ; eique necessarium ex adverso respondet, hoc est ad unum aliquod affixum, et definitum, licet alioqui violentum non sit. Non enim quæ ab imprudentibus fiunt, ea sunt coacta ; et tamen opposita sunt voluntario, quia non est in arbitrio nostro potestas utriusvis eligendi. Eodem sensu

Quid significet *voluntas velle.*

1 Tom. III, lib. VI, cap. VIII, § 15.— 2 Qu. XXII *de Vol. Dei* artic. 5 in Opusc.

Lactantius [1], « Non est, inquit, astrorum motus voluntarius, sed necessarius; quia præstitutis legibus, officiisque deserviunt. »

XIII. Non dispar est alterius apud eumdem Augustinum loci ratio, qui ad institutum præsens, et ea, quæ supra docuimus, illustranda magnopere attinet, ut eam videlicet necessitatem, quæ cum libertate cohærere posse ab illo dicitur intelligamus, generatim, et circa speciem considerari, non circa singulares actiones. Scripserat Pelagius de libera voluntate sic [2] : « Voluntatis enim arbitrio, ac deliberatione privatur, quidquid naturali necessitate constringitur. » Quod dictum ita castigat Augustinus : « Et hic nonnulla quæstio est. Perquam enim absurdum est, ut ideo dicamus, non pertinere ad voluntatem nostram, quod beati esse volumus, quia id omnino nolle non possumus, nescio qua, et bona constrictione naturæ; nec dicere audemus, ideo Deum non voluntatem, sed necessitatem habere justitiæ, quia non potest velle peccare. » Qui quidem locus superiori illi germanus est, quem ex quinto libro *de Civitate Dei* paulo ante protulimus. Quorsum vero spectet, et quæ mens in eo fuerit Augustini, ex Pelagii opinione, et tota illa contra hunc disputatione colligi debet.

Tria Pelagius in humanis [3], et liberis actionibus distinguenda esse dicebat, « posse, velle, et esse. Posse in natura, velle in arbitrio, esse in effectu locabat. » Possibilitatem ergo vocabat, potestatem a natura, et ejus auctore concessam voluntati, qua bonum vel malum amplecti potest. Huic nulla opus esse gratia putabat, ut in bonum inclinaret, cum id naturali facultate, ac suis viribus præstare posset. Deo tamen, et gratiæ ejus eatenus imputari, quod naturæ ipsius, et voluntatis sit conditor, eamque libertatem inseruit homini; cæterum velle quod rectum est, et reipsa perficere, atque esse bonum, totum in arbitrio esse voluntatis, sine ope ulla gratiæ Christi. Hinc posse hominem asserebat [4], sine ullo esse peccato, siquidem vellet (quod proprium est loci illius argumentum, unde sententia illa deprompta est) « Ipsa non peccandi possibilitas [5], (aiebat Pelagius) non tam in arbitrii potestate, quam in naturæ necessitate est. Quidquid in naturæ necessitate positum est, ad naturæ pertinere non dubitatur auctorem utique Deum. »

XIV. Quocirca, cum ex insita, et naturali hominis libertate concluderet Pelagius, potestatis esse nostræ peccatum omne vitare, et bonum facere, eo quod, nisi integrum id haberet, necessitate quadam premeretur, quæ libertati contraria est; idcirco de hac possibilitate contendit Augustinus, asseritque, culpa primi parentis esse sublatam, ac propterea liberum arbitrium nostrum « vincentibus [6], et vincientibus cupiditatibus subditum, *sine gratia*, nisi ad peccandum valere [7]; ad justitiam nonnisi divinitus liberatum, adjutumque, non valere. » Quod universe, ut jam diximus, intelligendum est, uti liberum arbitrium gratia destitutum ex Augustini mente, nihil boni possit agere, saltem quod ad æternam salutem pertinet. Neque tamen propterea liberum non est, aut non ad consentiendum, dissentiendumve juris est sui; quoniam ita bonum ejusmodi facere non potest, ut in singulis actionibus in potestate sua habeat, quodcumque vitare peccatum, ab eoque continere se, siquidem velit. Est ergo necessitas illa mali vel secundum negationem intelligenda, quod boni nihil facere potest, vel necessarium idem est, ac certo futurum, et quod *infallibile* vocant. Hoc vero libertati, et ejus *indifferentiæ* nihil obesse perspicuum est; quemadmodum neque boni appetendi generalis illa necessitas voluntati plenam eripit eligendi cum *indifferentia* potestatem.

Animadvertendum est vero, *possibilitatem*, de qua tanta cum Pelagianis Augustino fuit in illis libris contentio, dupliciter accipi. Aut enim naturalem facultatem et potentiam significat, qua velle libere possumus, quæ, ut potestatem exerceat suam, aliis adjumentis opus habet; aut eamdem illam potentiam designat omnibus ad agendum necessariis instructam præsidiis ita, ut nihil electionem, et functionem ejus liberam moretur, quam ipsiusmet arbitrium. Atque hæc possibilitas *proxima*, et *completa*, sive *in actu completo*, vel *secundo* nominari solet in scholis; prior autem illa *remota*, vel *in actu primo*. Sicut videndi possibilitas interdum naturalem ipsam vivendi facultatem, hoc est τὴν ὁρατικὴν δύναμιν indicat, quæ etiam morbo, vel tenebris, ne possint videre, detentis oculis suppetit; interdum plenam integramque potestatem, ut cum et sani oculi sunt, et lux affluit. De hac perfecta possibilitate loquitur Augustinus,

1 Lib. I, c. v.— 2 Apud Aug. l. *de Nat. et Grat.* c. XLVI.— 3 Aug. l. *de Grat. Christ.* c. IV.— 4 Lib. *de Nat. et Grat.* c. XLV.— 5 Apud Aug. ibid. c. LI.— 6 Aug. ep. XL.— 7 Idem lib. III *ad Bon.* c. VIII.

quando adversus Pelagium ostendit possibilitatem bene agendi, vel non peccandi periisse nobis Adami culpa; non autem de priori, quod superiori disputatione accurate patefactum est.

CAPUT XII.

Proponuntur alia Augustini loca, et confecta ex illis argumenta quibus probatur, necessitatem non pugnare cum libertate. Velut quod Deus necessario vult bonum, et est nihilominus liber. Declarantur istæ ipsæ Augustini sententiæ. Explicatur libertas, quæ contrarietatis vulgo dicitur. De eadem libertate, qua servituti opponitur. In hac determinationis proprie notionem inesse. Quatenus amissum ab Augustino dicatur arbitrium liberum.

Transit jam disputatio nostra ad ea novæ opinionis argumenta, in quibus præcipuum robur inest, ex certissima Augustini auctoritate conflatum, quo et Calvinus, et Calvini imitatores ad pervertendam abutuntur arbitrii liberi naturam.

Proponuntur alia Augustini loca, onfectaque ex iis argumenta solvuntur.

Sic enim disputant: Augustinum plerisque in locis docere, liberrimum esse Deum, ac sui juris, et potestatis in agendo, et tamen necessario nonnisi bonum velle; quod idem et de Angelorum, ac beatorum omnium voluntate tradidit. De Deo primum Augustinus ita in primo libro *contra Julianum Operis imperfecti*. « Cum enim Julianus urgeret, aiunt illi, liberum id tantum esse [1], quod facere posset bonum, et malum, id est peccare, et non peccare; » ita ille respondet: «Liberum non est [2], nisi quod duo potest velle, id est, bonum, et malum. Liber ergo Deus non est, qui malum non potest velle; de quo etiam ipse dixisti: Deus esse nisi justus non potest. Siccine Deum laudas, ut ei auferas libertatem? An potius intelligere debes, esse quamdam beatam necessitatem, qua Deus injustus non potest esse? » Et paulo post: « Ergo nec in Deo est arbitrii libertas, quia malum facere non potest, sicut negare seipsum non potest,» etc. Quamobrem Deum arbitrantur eatenus esse liberum, tametsi peccare non possit, « quod voluntas in eo justitiæ ita est firma, ut non possit mutari. » In hac ergo « perpetua voluntate, qua potenter, et immutabiliter vult justitiam, vel, si mavis, non vult peccatum, et injustitiam, Deum liberum esse » docere putant Augustinum. Ut cum Pelagio sic instanti [3], « Voluntatis arbitrio, ac deliberatione privatur, quidquid naturali necessitate constringitur, » his verbis respondet: « Et hic nonnulla quæstio est. Perquam enim absurdum est, ut ideo dicamus, non pertinere ad voluntatem, quod beati esse volumus, quia id omnino nolle non possumus, nescio qua, et bona constrictione naturæ; nec dicere audemus, ideo Deum non voluntatem, sed necessitatem habere justitiæ, quia non potest velle peccare. »

Quænam libertas Deo competat.

II. Sed Augustini sententiæ istæ, ut sunt verissimæ, ita Calvinianæ ac novæ opinioni nihil opis afferunt. Illud quidem extra dubitationem est, divinam voluntatem eo, quod bonum, rectum, honestumque est, esse definitam, ac determinatam; nec inter bonum et malum velut indifferenti ac libera propensione suspensam. « Non est diversa, nec in diversum fertur Dei voluntas, ait Cyrillus; sed uniusmodi est in bonum, et id omne, quod laudabile est [a]. » Verum necessitatis hæc forma nihil ad negotium nostrum pertinet. Nam est generalis, et universe, infiniteque spectatur, cujusmodi cum libertate consistit, ut antecedenti capite constitutum est. Etenim, quamvis quidquid eligit, ac destinat Deus, non aliud sit, quam bonum; ex multis tamen bonis potest pro arbitrio, quod libitum est, asciscere, relictis ac segregatis aliis. Quis enim, nisi impius, aut demens atque imperitus asserat, Deum ita mundum vel absolute, vel eo, quo produxit, tempore necessario procreasse; has item, non istas res, ex infinita copia, quam in potestate habebat, edidisse, cum facere aliter non posset? Id vero quam dictu sit absurdum, ostendimus in primo hujus operis tomo [b], cum de voluntate ac libertate Dei disputatum est. Quare ex innumerabili bonorum multitudine, quæ voluntati illius ac potentiæ subjicitur, quidquid voluit, elegit, et extraxit e nihilo Deus, nulla non modo vi, sed neque necessitate compulsus. Quod ipsum et in ope-

a Cyril. lib. IV *contra Jul.* Οὐ γὰρ διάφορον, οὔτε μὴν διενηνεγμένον εἰς ἕτερον τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ, μονόειδες δὲ μᾶλλον εἰς τὸ ἀγαθὸν, καὶ πρὸς ὃ, τιοῦν τῶν τεθαυμασμένων.

1 Lib. VI, cap. VII.— 2 Aug. I Oper. imperf.— 3 Aug. lib. *de Nat. et Grat.* c. XLVI.— 4 Lib. V, cap. IV.

ribus, quæ vocantur gratiæ, liquido apparet; non enim naturalibus duntaxat in rebus, *Omnia, quæcumque voluit, Dominus fecit, in cœlo, et in terra, in mari, et in omnibus abyssis*[1]; sed etiam in his, quæ naturæ vim, captumque superant, *Cujus vult, miseretur, et quem vult, indurat*[2]. Et, *Spiritus, ubi vult, spirat*, et sexcenta ejusdemmodi, quæ indifferentem, et nulla obligatam necessitate Dei in agendo libertatem esse persuadent; quod in quinto illo libro latius exposuimus.

III. Atque, ut et divinæ libertatis conditio melius intelligi possit, et nuperi commenti præstigiæ diluantur, pauca de libertate universe hic animadvertenda sunt. Imprimis, cum duplex vulgo constituta sit in scholis libertas, una, quæ *contrarietatis*, altera, quæ *contradictionis* dicitur; priorem non sic interpretandam esse, tanquam inter ea sola versetur, quæ proprie contraria dicuntur, ut sunt bonum et malum, virtus, et vitium, turpe et honestum; sed ea nonnunquam nominari contraria, quæ sub eadem boni vel mali, id est honesti vel turpis specie collocantur, ac tantummodo diversa, aut disparata sunt. Nam, cum omnis liberi arbitrii, et voluntatis electio ex consultatione, et consilii capiendi deliberatione nascatur, et eam necessario antecedentem habeat; totidem in rebus sita est electio, quot ad deliberandum propositæ esse possunt. Sunt autem quinque genera rerum, de quibus deliberari solet, ut adversus Panætium in primo *de Officiis* probat Cicero; quot scilicet in dubitationem veniunt. Nam, honestumne factu sit, an turpe, quæritur; tum utile an noxium; tertio utrum utri præferendum, cum pugnare videtur cum honesto id, quod videtur utile; quarto, duobus propositis honestis, utrum honestius; denique, duobus propositis utilibus, utrum utilius. Ex iis quinque deliberandi rationibus duæ vel tres priores ea, quæ sunt proprie contraria, respiciunt; in quibus cum honesto turpe, aut cum noxio utile, aut cum honesto utile contenditur; postremæ duæ inter diversa sub eadem specie versantur, quæ tamen contraria dicuntur, id est opposita; quoniam in consilio capiendo secum invicem quodammodo confligunt, nec tum esse, id est obtineri simul ambo possunt. Si enim possent, omnis jam esset cum dubitatione sublata deliberatio.

Duplex libertas constituitur
Explicatur libertas contrarietatis.

IV. Illud alterum recolendum est, cum sit libertatis nomen anceps, ac bifariam usurpetur, ut jam plus semel ostendimus, ac nonnunquam naturalem eligendi facultatem, et indifferentem significet, opponaturque necessario, et ad unum affixo, alias statum quemdam indicet servituti, vel captivitati contrarium, cui vis et coactio respondet ex adverso; hanc tamen posteriorem notionem ad priorem referri. Etenim naturalis illa liberi arbitrii facultas hoc voluntati tribuit, ut ea, quæ vult, eligat, et ex pluribus id, quod visum fuerit, ac magis placuerit, assumat; quod tum eripitur, si est certi ac determinati unius optandi illata necessitas. Tum enim deliberatio, et consultatio tollitur; minuitur autem, non penitus amputatur arbitrii liberi potestas, cum ad unum illud amplectendum vi extrinsecus adhibita cogitur, et quo major vis est illa, eo minus libertatis inest in agendo. Nam cui impedimenti aliquid objicitur, quominus id, quod vult, agat, ei libertas plena detrahitur; ac tanto minus utitur sua, quanto magis ex aliena voluntate pendet. Cujus rei nulla reddi alia causa potest, nisi quod minus est *indifferens* ad utrumvis asciscendum, magis autem in alterum inclinatur; velut statera, alteram lancem prægravante ac deprimente pondere, æquilibrium non servat, sed in unam partem vergere incipit. Hoc autem partim vi ac metu, et extrinsecus adhibito cruciatu fit, cum ab invito unum extorquetur e duobus, quod minime vult; partim blandiente, et ad se trahente propositi boni specie, sive repugnans alioqui ratio ac voluntas paulatim labefactata eo perducitur, ut et ipsa sponte consentiat, sive non invita, sed ardens, et inflammata rei objectæ cupiditate toto in eam impetu rapitur. Utrobique ergo determinatur, et uni cuipiam addicitur voluntas hominis, ut eo minus agat libere, quo minus in potestate habet, ut hoc vel illud eligat; nec de eo deliberandi, et consilii capiendi jus retinet.

Quænam perfecta libertas.

V. Quamobrem quo quisque ab omni concupiscentia, et animi perturbatione, ac morbo solutior est, eo est liberior; non modo, quia servitute ista non tenetur illiberali ac sordida; (qua ratione dictum est a philosophis, maxime Stoicis, solum sapientem, id est perfecta virtute præditum, liberum esse, quia « soli hoc contingit sapienti, ait Tullius [3], ut nihil faciat

1 *Psal.* CXXXIV.— 2 *Rom.* IX, 18.— 3 *Parad.* VI.

invitus, nihil dolens, nihil coactus, » improbos vero omnes esse servos, quatenus « servitus est obedientia fracti animi, et abjecti, et arbitrio carentis suo, » non igitur eo tantum liberior est, qui «istinc[1], tanquam a domino agresti, et furioso profugit, quod potestatem habet vivendi, ut velit, » quæ est vera libertas, verumetiam quod in consilio capiendo, ac faciendo delectu, quietiore et consideratiore est animo, nec ullis pulsatur angoribus, aut cupiditatum aculeis, quibus ab eo, quod rectum est, et quod sequi mallet, sæpe invitus abducitur. Itaque, cum duo sint in eo, quod nominamus *liberum arbitrium*, et hoc posterius rationis et consilii sit, quid sit opus facto, more arbitri decernentis ; illud voluntatis proprium sit libere, quod placet, eligentis ; sic ambo invicem habent, ut radix, quod vulgo philosophi dicunt, ejus, quæ est in voluntate, libertatis, in ratione, et ejus arbitrio, ac judicio consistat. Unde quo incorruptius istud est, et sincerius, eo manans ab hac veluti radice libertatis fructus plenior est, et perfectior. Ita fit, ut libertatis utraque notio, et proprietas in eumdem conspiret, ac redigatur indifferentis, nullaque oppressæ necessitate voluntatis statum. Ex quo novi dogmatis nebula discussa, clara et jucunda lux oritur tum ad veri perspicientiam, tum ad Augustini sententiam explicandam. Qui de libero arbitrio plerumque disputans, libertatis vocabulum usurpat sic, tanquam ei servitus, vel captivitas opponatur ex adverso. Nimirum quod servilis hæc, et obnoxia conditio nativæ, et indifferenter ad ea, quæ proposita sunt, habentis facultatis usum impediat. Nam ob id duntaxat libertati est contraria servitus, quia, ut vult, agere non sinit hominem ; sed eum juri alterius ac potestati voluntatique subjicit, et quodammodo circumscribit, ac determinat ita, ut ἀδιάφορος, id est *indifferens* esse desinat ad quodcumque libitum erit amplectendum, cum ex uno heri imperio pendeat, eoque sit definitus.

De eadem libertate quatenus servitati opponitur.

VI. Ac, si diligenter usum nominum istorum *liberi* ac *servi*, et similium expendas, tam sacros apud auctores, quam profanos, invenies, eo spectare omnia, ut liberum id sit, quod ad plura capessenda inoffensam et expeditam habet potestatem eatenus, quod horum delectum facere possit, et unum ex iis, quod visum erit, anteferre cæteris ; servile vero id vocari, quod alligatum uni et contractum est, neque jus habet ex pluribus, quod malit, optandi. Cujus rei, significationisque nonnulla tertio in libro jam exempla dedimus. Unum hic, et præclarum ex Apostolo reddemus, in quo notio utraque tum indifferentis, tum minime servientis eidem libertatis vocabulo subjicitur. *Mulier*, inquit ille[2], *alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit. Quod si dormierit vir ejus, liberata est*, (Græce ἐλευθέρα, id est *libera est*) *cui vult, nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit, secundum meum consilium.* Vides, libertati oppositam hic esse servitutem, quæ *alligationis* voce declaratur, cum ad unum affixus tenetur aliquis, nec in jure ac potestate habet sua, ut alterum persequatur. Sic femina quamdiu superstes est vir ejus, non est libera, quia *potestatem corporis sui non habet, sed vir*[3] ; neque aut alterum licet illi capere conjugem, aut continentiam anteferre matrimonio. Mortuo viro, libera est tum statu ipso, conditioneque vitæ, tum eligendi potestate, ut vel alteri nubere possit, vel vidua permanere. Itaque deliberationi et consilio tum est locus, qui antea non erat, eo quod *alligata*, id est *determinata*, et ad unum adstricta erat vitæ genus, et conjugem unum. Quare consilium ei dat Apostolus, ut viduitatem conjugio præferat, quod dare hactenus non poterat, eo quod alterutrius eligendi jure carebat. Est etiam in ejusdem *ad Corinthios* epistolæ capite IX libertatis ac servitutis eo sensu, quem diximus, illustre specimen, cum ita scribit Apostolus : *Nam quum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem.* Sic autem servitus illa, et libertas ei contraria ibidem exprimitur. Libertas quidem, quod neque Judaicis ritibus, et institutis obnoxius, neque gentilium obligatus moribus, neque infirmus esset, ac suo jure, arbitratuque vitam posset componere ; at servitus, qua libertatem commutavit istam, in eo sita fuit, quod unum se fecit ex Judæis, quando cum illis versabatur, et cum gentilibus vivens, unum se item fecit gentilium, atque inter infirmos similiter infirmum. Quo in exemplo exactam secundum illa, quæ diximus, imaginem utriusque potes animadvertere. Non puto, tam præfractum, ac pervicacem fore quemquam novorum δογματιστῶν, quin tam manifesta veritatis luce convictus, libertatis veram germanamque resumat intelligentiam, et contentiosam illam inanemque dimittat ; quæ profecto si ad

Dogmatistarum.

1 Cic. *de Senect.* — 2 1 *Cor.* VII, 39.— 3 Ibid. ver. 4.

vivum resecetur, nihil præter speciem, atque pompam rationis et sapientiæ pondere vacuam continet.

Quatenus amissum liberum arbitrium dicat Augustinus

VII. Ut enim experiendi causa unum aliquem Augustini locum in exemplum adhibeamus ex iis, quibus probare maxime conantur, libertati non esse necessitatem oppositam, nec in indifferente illo statu consistere; expendantur illa verba capitis tricesimi *Enchiridii ad Laurentium* : « Libero, ait Augustinus, arbitrio male utendo homo et se perdidit, et ipsum. Sicut enim qui se occidit, utique vivendo se occidit, sed se occidendo non vivit, nec seipsum potest resuscitare, cum occiderit; ita, cum libero peccaretur arbitrio, victore peccato, amissum est et liberum arbitrium. *A quo enim quis devictus est*[1], *huic et servus addictus est.* Petri certe Apostoli est ista sententia; quæ cum vera sit, qualis quæso potest servi addicti esse libertas, nisi quando eum peccare delectat? Liberaliter enim servit, qui sui domini voluntatem libenter facit; ac per hoc ad peccandum liber est, qui peccati servus est. Unde ad juste faciendum liber non erit, nisi a peccato liberatus, esse justitiæ cœperit servus. Ipsa est vera libertas propter recti facti licentiam; simul et pia servitus propter peccati obedientiam. » Ex hoc loco evidenter approbari putat Calvinus, liberum in homine per peccatum periisse voluntatis arbitrium, eo quod gratia destitutus bonum velle non potest. Sed libertas illa, quæ periisse dicitur ab Augustino, non est naturalis eligendi potestas, sed laudabilis quidam illius status, quo ad bonum propensa fit; quod nemo, ac ne ipse quidem Calvinus diffiteri audeat. Nihil ergo aliud extinctum in voluntate est, quam usus illius ad honesti, bonique delectum et amorem; quod et libenter agnoscimus. Cæterum eadem illa naturæ vis et facultas adjuta gratia explicare se potest ad petendam honestatem. Quare, si hoc tantum volunt, omnis est inter nos sublata controversia; nihil enim, citra Christi gratiam, liberum in nobis arbitrium posse dicimus, quod ad vitam æternam conferat. At Calvini fautores non hoc solo contenti sunt; id enim præterea contendunt ex illa Augustini sententia, libertatem arbitrii in eo sitam esse, ut voluntas sponte, et interiore quodam affectu prona sit in unum quippiam, sive malum, sive bonum, etsi alioquin ad oppositum eniti, ac tendere nequeat. Sic enim liber est ad peccatum, inquiunt, quod ait Augustinus, qui nonnisi peccare potest, bene autem agere non potest. Et liberalis, ab libertate utique dicta, nominatur servitus, quam sponte quis obit, et amanter, ut ille apud Comicum ab hero laudatus[2] :

« Scis feci, e servo, ut esses libertus mihi,
Propterea quod serviebas liberaliter. »

De hoc genere libertatis, quod peccati servituti contrarium est, vide etiam Augustinum tractatu XLI *in Joannem.*

VIII. Atqui hoc ipsum argumento esse debet, libertatem nonnisi in potestate ad utrumque soluta, et indifferente esse positam. Hic enim « *liberaliter servire*, hoc est sui domini voluntatem *libenter* facere dicitur, » qui non uni alicui faciundæ rei, vel obsequendi modo, ac generi alligatus est, ut in eo tantum obtemperare velit; sed qui totus ex herili voluntate pendet, ut quodcumque ille jusserit, sine ulla exceptione, quamprimum potest, exequi studeat; hic nimirum liberaliter, et, si in bonis hoc præstet, ingenue, ac laudabiliter servit. Nam, si in malis duntaxat, aut in his perinde, ac bonis, et promiscue morigerum se præbet, non est in laude numeranda voluntas ista; etsi est obsequiosa, et eatenus liberalis, quod magno animo, et ad omnia parato, sine ullo discrimine, alieno præcepto pareat. Quod si quis sive in bono, sive in malo exequendo sic affectus esset, ut nonnisi unum aliquid efficere posset, cæterorum nihil omnino posset, tum illud insuper unum non rationis delectu, sed necessario faceret, cum non posset omittere; non ille profecto libere servire, ac ne hominis quidem more facere diceretur. Necesse est igitur, ut liberaliter, vel libere obsequium alicui præstetur, id ea voluntate fieri, qua, si nollet, minime istud ageret; adeo ut etsi nihil nisi peccare possit, tam in hoc, quam in illo designando facinore operam ultro navare suam velit, cum negare posset.

Sic enim omnia, quæ ab amentibus proficiscuntur in nos officia, nullam a nobis gratiam, ac laudem, si sint honesta, merentur, quamvis prolixo, et bene de nobis merendi cupidissimo animo fiant. Cujus rei quæ tandem fingi causa poterit, nisi quod illi necessitate, non voluntate commodant, neque aliter facere possunt?

1 II *Pet.* II, 19.— 2 Terent. *Andr.* Act. I, sc. I.

CAPUT XIII.

De Dei libertate rursus agitur, ac voluntate libera. Unde contra Novum dogma argumentum aliud efficitur. Divinæ processiones, et interiores operationes non sunt liberæ : et quatenus quidam Scholastici liberas esse sentiant. Aliam esse rationem motionis divinæ voluntatis, qua seipsum amat, ac Spiritum sanctum producit, ab ea, qua creatas res diligit, et efficere vult. Veterum Patrum altercatio super processionibus divinis, an sint liberæ. Ex hoc loco colligi veram libertatis naturam, et proprietatem. Qua ratione in beatis liberum sit arbitrium, ex Augustini sententia.

I. Sed, ut nondum a divina voluntate, ac libertate recedat oratio, in hac ipsa licet intueri, quam sit ab rei veritate simul, et Augustini mente discordans novitas ista; utque nulla, sine indifferenti ex sese voluntatis propensione, possit esse libertas arbitrii. Deus enim tum seipsum amat, et ea, quæ in se contemplatur, omnia; tum amando Filium Pater, et vicissim hunc ille, producunt ambo Spiritum sanctum. Nihil amore hoc ardentius, nihil plenius, in quod tota se infiniti vis affectus, ac voluntatis effundit. Num igitur libere, sive ex arbitrio libero, Pater et Filius producunt Spiritum sanctum? Dici hoc quidem necesse est, ex opinionis novæ decretis, quorum id est consectarium. Nam, si libere fit, et ab arbitrio libero, quod, etsi necessario agitur sic, ut ab eo desisti nequeat, sponte fit tamen, et ex interiori motione voluntatis, non violenter, et externo impulsu, qui solus libertati contrarius fingitur; cur non libero divinæ voluntatis arbitrio Spiritum sanctum oriri, atque existere fateantur? Neque vero diffitentur, qui ex illa opinione sunt, sed ultro etiam in exemplum divinæ libertatis cum necessitate sociatæ, et alienæ ab indifferentia istud proferunt.

II. Nec me præterit, tum Scotum [1], tum sanc. Thomam [2], aliosque scholasticos putare, libere seipsum diligere, liberequc Spiritum sanctum a Patre procedere; quorum opinio, quatenus vera sit, disputatur in scholis accuratius. Nunc, quod ad præsens negotium satis est, istud assero et illos *liberi* nomen pro eo, quod est *voluntarium*, et *spontaneum* usurpare, et nihil ex eo præjudicii fieri ad institutam disputationem; neque Calvini causam, ejusque partiariorum auctoritate illa commodiorem fieri. Agitur enim inter nos non de quacumque voluntatis motione, sive liberi arbitrii usu, et efficientia, sed ea sola, de qua inter Pelagianos et Augustinum controversia vertebatur, sive inter Catholicos, et Lutheranos vel Calvinistas, super qua Tridentinum concilium decretum fecit canone IV et V sessionis sextæ. Utrobique porro non ea libertas intelligi potest, cujusmodi est illa, qua Spiritus sanctus a Patre, Filioque prodire dictus est a catholicis doctoribus; sed ea duntaxat, qua Ariani, et horum deterrimum genus Anomœi, tam Filium a Patre, quam ab solo Filio produci Spiritum sanctum, impie docuerunt. Quod ubi perspicue demonstravero, tum illud apparebit, cassa hæc, et inania esse præsidia, quæ illinc ad fulciendam novitatem suam Calviniani asseclæ dogmatis assumunt.

Quo sensu quidam Scholastici Divinas processiones liberas dixerunt.

III. Imprimis, quod ad Tridentinos Patres attinet, de hoc « arbitrio libero loquuntur [3], quod «a Deo motum, et excitatum cooperatur assentiendo ita, ut possit dissentire, si velit;» tum ejusmodi, quod *post Adæ peccatum* [4], *amissum, et extinctum* esse, Lutherus, Calvinus, et horum sectatores asserunt; «esseque rem de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a Satana invectum in Ecclesiam. » At libertatis genus istud non tale esse potest, quali Spiritus sanctus processisse a Patre, pie catholiceque dicitur. Alioqui de hac productione pronuntiari ita posset. Spiritum sanctum sic volente Patre, et libere consentiente processisse ut si vellet, dissentire posset, neque Spiritus sanctus existeret; quod hæreticum est, et Eunomianorum Aetianorumque proprium dogma. Jam quod ad Lutheranos et Calvinistas, aliosque id genus spectat, liberum abitrium eatenus tantum inficiantur, ut ne in nostra potestate credatur esse consentire, vel dissentire gratiæ; sed ut nullus sit cum « gratia liberi arbitrii concursus, » quod Beza scripsit [5]; vel « ut libera cujusque electione non aut recipiatur, aut respuatur ; » ut Calvinus loquitur [6]; et hujus generis alia pleraque,

1 In II, dist. x, q. 1 in Resp. ad 1 et ad 11 dub.— 2 *De Potent.* q. 1, a. 2, ad v.— 3 Can. IV.— 4 Can. V.— 5 *Tract. Theol.* I, ap. IV.— 6 Lib. II *Instit.* c. III, § 13 et 14.

quibus Tridentina synodus opponit duos illos canones.

IV. Quippe Calvinus, ut supra ex illius verbis ostendimus, liberum arbitrium ea sola ratione post peccatum manere censet in nobis, quod sponte, ac volentes in malum, aut bonum trahimur, non violenter, et contra voluntatis nostræ propensionem. In quo deteriores, et absurdiores illo esse docui novi de libertate dogmatis architectos; quod Calvinus ingenue profitetur[1], se ab communi, et apud antiquos Patres Latinos pariter, atque Græcos, recepta opinione discedere, « qui arrogantius usurparunt vocabulum; si quidem αὐτεξούσιον dixerunt; ac si potestas sui penes hominem fuisset. » Itaque liberi arbitrii hanc esse notionem agnoscit, ut ad utrumvis eligendum indifferens sit; ideoque post Adami culpam tale in nobis esse præcise negavit. Sed ejusmodi duntaxat superesse voluit usum voluntatis, uti necessario quidem assentiretur, verum sponte ita, ut dissentire non posset. At nostri, obfirmata fronte adversus humanum sensum, et commune de rebus judicium, illam ipsam necessitate constrictam, sed sponte, quo rapitur, sequentem voluntatem ipsum volunt esse liberum hominis arbitrium, ac τὸ αὐτεξούσιον; nec ullum motum esse voluntatis humanæ, nisi liberum, et eam non Augustini modo, sed antiquorum omnium Patrum, ac scholasticorum etiam fuisse sententiam. Sed ea profecto vis est, et stupenda, prodigiique similis vel cæcitas, vel confidentia. Nam et qui illud non vident, quod palam, et in clarissima luce positum est et in quod natura duce docti omnes, indoctique conspirant, cæcos eos oportet esse; et qui tot sæculorum usu, approbationeque firmatam libertatis notionem extorquere se, ac delere posse confisi sunt homines neque supra modum eruditi, nec in summa auctoritate positi, valde magnam ad illud conandum fiduciam attulerunt.

Novi dogmatistæ Calvino deteriores.

Sui juris.

V. Nunc de Augustino, quod e duobus erat alterum, doceamus, illam *liberi* significationem, quam Catholici persecuti sunt, cum eam ad divinas processiones, interioresque voluntatis motiones applicarunt, non eam esse, de qua disputare ille solet, cum de gratia pugnat adversus Pelagianos. Etenim hujus est libertas illa conditionis, de qua Augustinus agit, ut ea « faciamus multa [2], quæ, si nollemus, non utique faceremus. Quo primitus pertinet et ipsum velle. Nam, si volumus, est; si nolumus, non est. Non enim vellemus, si nollemus. » Quod de voluntate illa, seu *volitione*, qua Spiritus sanctus producitur, sine summa impietate, aut intolerabili perversitate locutionis usurpari non potest. Audeant enim ita de Spiritu sancto pronuntiare : Pater Spiritum sanctum sic vult procedere, ut si nollet, non produceretur. Aut ita : Spiritus sanctus, si Pater vult, est; si non vult, non est. Quis non hæc audiens intelligat, Spiritum sanctum in ordinem cogi, atque ab consortio divinitatis excludi? Possunt quidem hac cavillatione sese utcumque defendere, ut hoc velle se dicant, nonnisi voluntate Patris existere Spiritum sanctum, cujus operatione dempta, jam oriri nequeat. Verum calumniari istud est, et vim facere verbis, atque ab usitata loquendi ratione desciscere. Etenim, ut jam supra diximus, qui alteri sic loquitur : Si vis hoc facies; si non vis, non facies; ex communi hominum usu, et æstimatione, demonstrat, utrumvis illius potestati permitti, ut tum hoc, tum illud facere possit ex æquo.

Libertas qualem definit Augustinus non convenit divinis processionibus.

VI. Rursus talis est libertas illa, de qua Augustinus disserit, ut de volendo, et agendo consultet, ac deliberet, aut certe simile quiddam deliberationis habeat. Nam liberum arbitrium ex Scripturis approbat ille in libro *de gratia et libero arbitrio ad Valentinum* [3], quod ibi mandata homini eduntur, ac præcepta, « quibus nominatim convenitur voluntas; » ut cum dicitur, « Noli hoc, et noli illud; et ubi ad aliquid faciendum, vel non faciendum in divinis monitis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium. » Ac, tametsi Deus consilio, et deliberatione proprie non utatur, adeoque nec προαίρεσις proprie dicta in ejus voluntate sit, ut ait Damascenus, quod ex ignoratione, ac dubitatione ista proficiscuntur; inest tamen horum simile quippiam, et in Scripturis, quæ humano more de divinis loqui solent, ejusmodi repræsentatur ad agendum libera divinæ voluntatis motio. Non enim quidquid vult, necessario vult Deus, ut sanc. Thomas in prima parte demonstrat [4]. Quæ ergo libere vult, de iis sæpe deliberare, et eligere dicitur; ac vel personæ inter se ipsæ, vel cum Angelis interdum suis, hoc est, ut Hebræi loquuntur, cum familia sua Deus consilium habet; quibus exemplis refertæ sunt omnes sacræ paginæ. Num quisquam igitur sanæ, et

Electio.

1 Lib. II *Instit.* cap. II, § 4.— 2 Aug. V *de Civit.* cap. X.— 3 Cap. II.— 4 Qu. XIX, art. 3.

catholicæ mentis tale quippiam cogitabit de productione Spiritus sancti, ut de ea deliberasse Patrem ac Filium asseveret? Atqui, si liberi arbitrii vera, propria, et absoluta ratio est in Deo, eaque per omnia tam necessaria, quam contingentia uniusmodi spectatur, ut sit sola voluntatis impulsio, et eo ipso libera, quia voluntaria; par esse debet utrobique illius expressio. Nam, si in aliis quiddam simile consultationis adhibetur, in aliis usurpare id est nefas; profecto dissimilitudo ipsa tum intelligentiæ, tum locutionis, voluntatum inter se dissimilitudinem ostendit. Alio itaque modo vult Deus seipsum, vel a se procedentem personam; alio vero illa omnia, quæ nonnisi libere et extra se profert. Quemnam vero dissimilitudinis istius modum ac rationem vel comminisci alium possumus, nisi hunc, quod quædam sic vult Deus, ut nolle nequeat, quæ videlicet necessario vult, non libere, alia sic vult, ut nolle posset, quæ ideo contingentia sunt, adeoque libere ab eo facta?

VII. Huc ille Catholicorum cum Arianis conflictus pertinet, de quo in sexto *de Trinitate* capite octavo diximus: utrum voluntate Filium Pater, an necessitate genuerit. Qua in quæstione diversæ ibidem expositæ sunt Patrum sententiæ, quorum alii voluntate asserunt genuisse Patrem, alii negant. Utique tamen in eo fere concordant, ut necessitatis inde nomen excludant. Quod frustra novi libertatis oppugnatores eo valere cogunt, ut necessitas ea sola cum libertate pugnet, quæ violenta sit, hoc est qua fit aliquid nolentibus nobis. Etenim plerique, quod ibi monstratum est, antiquorum, catholicorumque Patrum ab hoc necessitatis abhorrentes nomine, ne Filium necessitate faterentur esse genitum, voluntate productum dicere maluerunt. Nimirum quod *necessitatem* intelligerent *violentiam*, et *coactionem*, qua ingratiis et contra voluntatem aliquid fieret, sive etiam *egestatem*, et *inopiam*, quorum neutri Deus est obnoxius; ideo voluntate Patrem genuisse dixerunt. Verum levissima est ista, deque sola significatione nominis vim habet argumentatio. Rem quidem ipsam satis declarant veteres, cum ejusmodi voluntatem ab divinis processionibus procul arcent, quæ integrum habet facere vel non facere, quæque ex consilio, ac deliberatione oritur, ut sit unius electio pro altero. Non enim catholicus quisquam ita Filium, vel Spiritum sanctum a Patre productum esse putavit, ut in ejus esset arbitrio originem illis dare, vel non dare. Nemo item creatas res omnes, velut universitatem hanc, sic a Deo factas, atque ex nihilo vocatas esse sensit, ut non liberum illi fuerit eas non procreare. Quin omnes ita profitentur, beneficii cujusdam gratuiti, ac voluntarii fuisse, quod illas exstare voluerit. Sic Origenes in præfatione ad commentarios *in Jobum*, quos manu exaratos penes me habeo ab Latine editis plane diversos, « mundum, ait, non ex necessitate, sed ex bonitate conditoris exstitisse, quemadmodum scriptum est[1]; *Omnia fecit Dominus propter semetipsum*[a]. »

VIII. Hac etiam de causa solum esse Deum *immortalem, et incorruptum*, id est ἀθάνατον καὶ ἄφθαρτον, illi idem antiqui perhibent, non quod nullæ aliæ sint res, quibus æternitas illa, immortalitasque conveniat, ut Angeli, et hominum animæ; verum utrosque χάριτι, non φύσει, et οὐσίᾳ, id est *gratia*, sive gratuita liberalitate, non *natura*, et *substantia*, id habere dicunt, ut nunquam intereant, cum, si Deus velit, iis occasum possit afferre, de quo alibi dictum est[2]. Est igitur aliud productionis divinæ genus, quod naturaliter existit, nec est in potestate producentis ab eo desistere, ut quamvis voluntate sit, non tamen libere, vel ita, ut, si velit, non sit; itaque definitum illud est ac necessarium. Aliud est, quod ex libera pendet voluntate facientis, et est contingens, atque in gratia, et beneficio numeratur; cujusmodi sunt omnia, quæ Deus sola bonitate inductus extra se profudit; quæ quidem non eodem, ac priora illa, jure censentur. Quid est ergo inter utrumque discriminis? Num occæcati adeo sumus, et a communi ratione, ac judicii et sermonis consuetudine recedimus, ut non interesse hoc unum arbitremur, quod creatarum rerum effectio libera sit, et ex nutu Dei ac placito pendeat eo ipso, quod eas procreare voluerit, cum secus facere posset; Filium vero, vel Spiritum sanctum non libere produxerit, hoc est ita, ut posset non producere?

IX. Quæ res invitos etiam cogit adversarios

a Orig. Οὐκ ἐξ ἀνάγκης, ἀλλ' ἐξ ἀγαθότητος τοῦ κύριος δι' ἑαυτόν.

1 Prov. xvi, 4. — 2 Tom. I, lib. III, cap. iv, § 10 et tom. II, lib. I, cap. v.

De volitionum genera.

id, quod nolunt, agnoscere, liberam dici voluntatem illam, quæ pro arbitrio velle potest utrumque, sive quæ ad utrumlibet indifferentem habet propensionem. Etenim duo quædam sunt voluntatum, sive *volitionum* genera distincta natura. Unum est, quo ita vult Deus aliquid, ut id nolle posset; quod ipsum est indifferenter ad utrumque habere se, sive non minus hoc velle, et eligere posse, quam illud. Ac talis est ex sese voluntas ista, ut nonnisi ejusmodi esse possit. Neque enim velle creatum aliquid efficere, necessarium esse potest in Deo ; quoniam creatum omne contingens est, non necessarium. Est autem, quidquid est, ex sola Dei voluntate, adeoque contingens ut sit, ex eadem voluntate sortitur; unde consequens est, non esse necessariam *volitionem* ipsam Dei, sed contingentem, qua est illius *creaturæ volitio*. Nam per sese ipsa Dei est substantia, minimeque adeo contingens; verum, ut ad hanc, illamve creatam rem dirigitur, eamque tanquam terminum respicit, ut contingens, ita libera dicitur, ut alio in loco demonstravimus[1]. Aliud genus est voluntatis, quo unum aliquid definite, determinateque vult Deus sic, ut alterum velle nequeat, neque ab eo volendo desciscere; ac ne esse quidem et consistere possit omnino, nisi volendi hunc motum exprimat. Ut quod Deus seipsum vult, et amat, et eodem actu Spiritum sanctum, tanquam amoris illius terminum producit, id vero determinatum est, nec aliter habere potest; et est naturale Deo, quatenus naturale non idem est, quod *essentiale*, sed contingenti opponitur.

X. Hinc potior illa pars antiquorum Patrum[2], quæ post ortum Arianæ perfidiæ contra hanc stylo decertavit, ac majoris idcirco auctoritatis in hac controversia esse debet, asserit Patrem non voluntate produxisse Filium, sed naturaliter, ut Athanasius, Epiphanius, Gregorius Nyssenus, Basilius, Cyrillus, Ambrosius, Augustinus, Fulgentius, Maximus, Toletana synodus, et alii. Qui quidem voluntatem eo sensu intellexere, quo eam sumebant adversarii, contra quos disserebant, ut in potestate esset volentis eam proferre, vel continere, hoc est velle, aut non velle. Nam ideo voluntate pugnabant esse productum Spiritum sanctum, ut pari esset, ac res omnes creatæ, conditione, atque forte, quatenus poterat non esse, neque produci, si Deo visum ita fuisset, Nisi enim voluntatem sic accepissent, ut est actio contingens eo modo, qui in Deo ejusmodi esse dicitur, ut paulo ante significavimus, quæ scilicet poterat non esse talis in Deo, nec ad hunc terminum referri, sed ad contrarium; ac si necessariam determinatam, et uno aliquo circumscriptam volendi actionem illam interpretati essent Ariani, nunquam catholici illi Patres negassent, Spiritum sanctum voluntate, id est tali voluntatis actione produci, quin ultro assentirentur iis, cum et productione aliqua ambas a Patre personas originem habuisse constet, et illam ipsam productionem non contingentem esse, sed necessariam ita, ut non talis, atque ejusmodi productrix termini esse nequiverit.

Liberas esse divinas processiones negaverunt Patres, unde veræ libertatis ratio adstruitur.

XI. Atqui non *voluntate* productas illas acerrime defendunt, et *naturaliter* potius ortas a Patre. Hæc sunt igitur invicem ex illorum opinione contraria, *voluntate* aliquid fieri, et *natura* fieri. Quare non potest *voluntas* hic esse qualiscumque *volitio;* (sic enim loqui jam cœpimus) nec ea facultas animæ, quæ cognominis est, et volendi principium, simplex est appetendi cum ratione potestas, ut novæ theologiæ visum est. Hoc enim modo naturæ non opponitur; sed est natura, ut sanc. Thomas docuit[3]; qui duo in volendi potentia distinguit: alterum quod est natura: alterum, quod voluntas est, sive liberum arbitrium. Ad priorem, id est naturam, refert id omne, quod naturali inclinatione ac necessario, et determinate voluntas appetit, ut est finis ultimus; ad posteriorem, quæ est libera voluntas, quidquid absque necessitate vult, ut sunt quæ *media* dicuntur ad finem. Quocirca duæ illæ facultatis ejusdem actiones invicem distant, estque harum una naturalis et necessaria, cujusmodi esse Patres eam sentiunt, qua Spiritus sanctus oritur; altera non necessaria, sed libera, quæ creatas res e nihilo extrahit, cum eas, si vellet, nunquam procreare posset.

XII. Eadem et in beatis tam Angelis, quam hominibus libertatis est ratio, si naturam ipsam, et essentiam arbitrii liberi spectes; ut in potestate versetur amplectendi utriusvis arbitra, et indifferente, quæ « ita consentire possit uni, ut, si vellet, ab eo dissentire posset, » ex Tridentina formula. Pessime ergo ratiocinantur Calvinus, et qui ejus sectam colunt, ac reliquum hoc genus omne, quando ad evertendum τὸ ἀδιάφορον illud humanæ liber-

1 Tom. I, lib. V, cap. XIII.— 2 Vide lib. VI *de Trin.* cap. VIII, tom. III.— 3 Qu. XXII *de Volunt. Dei*, art. 5.

tatis, argumentum ducit ex beatis mentibus, « quod multo invictius, inquiunt [1], demonstrat, simplicem illam necessitatem, sublata omni omnino indifferentia et contrarietatis, et contradictionis, non officere in doctrina sancti Doctoris libertatis arbitrio. » In quibus verbis novæ theologiæ dogma conceptum vides, quod tanto pondere auctoritatis, ac rationis hactenus obtrivimus, maxime Tridentini concilii. Nimirum quod cum necessitate simplici, et absoluta cohærere liberum arbitrium asserit, ut, quod necessario fit antecedenti, et absoluta, non consequenti, et hypothetica necessitate, id nihilominus libere fiat, eoque libertatis genere, quod ita consentiendi potestatem habet, ut et dissentiendi, si vellet, habeat, quod esse docui Tridentini canonis præscriptum. Quocum nonnulli, cum verbo, ac palam non audeant, reipsa confligunt, seque ipsos suapte oratione collidunt, neque, quod dicunt, intelligunt. Siquidem « necessitate simplici, et sublata omni omnino indifferentia consentire alicui, non est ita consentire, ut, si velles, dissentire posses. » Minus esse, quam ratione præditum animantem oportet, qui sic sapiat, et loqui audeat. Nam duo nectit, quæ se invicem perimunt, habere in potestate consentire, aut dissentire si velit; et tamen unum de duobus tantummodo definite, determinateque posse sic, ut non possit alterum. Pervincunt tamen, quoad licet, et tantam vim absurditatis ex illo, quem dixi, beatorum statu conficere student. Sed ex tota superiorum capitum disputatione ludere illos operam, frustraque niti, prorsus intelligitur. Hinc enim dilui, ac dissolvi facile poterit quidquid ex Augustino ad id persuadendum argumentationum instruunt.

XIII. Nam quod tandem invictum illud est specimen demonstrationis? Augustinum, aiunt hoc adversus Pelagianos constantissime docuisse, « primum quidem hominem fuisse liberi arbitrii, sed ita, ut bene velle posset, et male; sed in futura vita arbitrium fore liberrimum in bono usque adeo, ut male velle non possit, idque non aliqua metaphorica libertate, sed illa omnino, qua dicitur liberum arbitrium. » Ut cum « multo liberius fore dicit arbitrium [2], quod omnino non poterit servire peccato. » Et alibi [3] : « Quid erit, inquit, liberius libero arbitrio, quando non poterit servire peccato? quæ futura erat homini, sicut facta est et Angelis sanctis, merces meriti? » Tum : « prima ergo libertas voluntatis erat, posse non peccare; novissima erit multo major, non posse peccare. » Item : « Nec ideo liberum arbitrium non habebunt [4], quia peccata eos delectare non poterunt, etc. Hoc autem novissimum eo potentius erit, quo peccare non poterit. » His et similibus in locis loqui Augustinum de vera, et proprie dicta libertate contendunt, quæ est voluntatis facultas; non de eo, quæ per metaphoram dicitur, et in statu posita est servituti contrario. Hinc igitur effici putant, libero arbitrio non adversari necessitatem simplicem; quin potius cum hac ipsa necessitate obfirmatur in bono, ut in malum inclinari non possit amplius, liberius fieri.

XIV. Verum adversus hæc parata jam nobis est, et ex superioribus confecta responsio. Augustinum itaque concedamus de ipsa volendi potestate, ac naturali facultate, non de statu illo loqui, qui servituti est oppositus; nihilo magis id sequetur, quod novi theologi concludunt : non esse libertatem arbitrii in indifferenti ad utrumvis propensione sitam. Etenim libertas, sive liberum arbitrium in beatis circa ea, in quibus libere versari, et ut liberum arbitrium est, agere potest, multo liberius est, quam aut in Adamo fuit, aut in ejus posteris, dum in corpore adhuc degerent. Nam et liquidiorem, ac sinceriorem veri, ac boni notitiam habent, neque *in tenebris ambulant*, sed in perenni, et aperta luce versantur; et ab eo, quod cognoverint, eligendo nullis perturbationibus, ac cupiditatibus abducuntur. Usus ergo plenior in illis est libertatis, et expeditior; volendi autem naturalis potentia non crescit; nec οὐσιῶδες ei aliquid accedit. At in finem ipsum ultimum, cujus in beata possessione conquiescunt, non libere, sed necessario voluntatis impetu feruntur. Non enim qua liberum est arbitrium, sed qua natura est et voluntas, agit tum naturalis volendi potentia : quoniam indifferenti caret ad utrumlibet facultate : neque consilio ac deliberatione utitur : sed in uno defixa et occupata flagrantissimæ charitatis propensione consistit. Hæc est ipsa, ut jam cæteros sileam, S. Thomæ Aquinatis doctrina : quam in capite libri superioris tertio proposui : tum ex prima parte *Theologicæ summæ* [5] : tum CXXXII quæs-

Essentiale.

1 Tom. III, lib. VI, cap. VIII.— 2 *Enchir.* cap. CL.— 3 Lib. *de Corrept. et Grat.* cap. XI.— 4 Lib. XX *de Civit. Dei* cap. ult.— 5 Qu. XXXVIII.

tione *de Voluntate Dei*[1]: ubi liberum arbitrium a voluntate, sive natura, aut naturali volendi facultate discernit, iisdem lineis utramque circumscribens: quod voluntas circa finem ultimum, idque necessario moveatur: liberum arbitrium, circa ea quæ sunt ad finem, et *media* vocantur, quæ libere, et cum potestate alterius eligit.

XV. Nec alia est Augustini sententia tot ab eo locis inculcata, aperteque tradita: quæ hoc in libro pluribus capitibus complexi sumus. Contra quæ nescio quomodo Calvini, et hujus fautorum aures obsurduerunt, ut cum ille liberi arbitrii τὸ ἀδιάφορον, et ad neutrum necessario definitam potestatem clara et diserta, nec minus frequenti voce prædicet, affirmare nihilominus audeant, « vix ullum vestigium reperiri posse, ubi de ista libertate loquatur[2]. » Quod immane mendacium alterius illos mendacii jure suspectos facit, quo se in Augustini libris volutandis omnibus tot annos consumpsisse jactitant. In quo si quidem non fallunt, valde obtusos, et hebetes eos oportet esse, qui post tam crebra, et sole ipso clariora testimonia de indifferente libertatis humanæ statu, adhuc eum illius in scriptis requirunt. Est igitur, ut ab sanctissimo theologicæ scholæ magistro proditum est, beatorum voluntas in iis, et circa ea tantum libera, quæ sunt extra summum bonum, et finem ultimum: in quibus definiti nihil habent, ac determinati. Quanquam universe quidem, genere ipso circumscripti sunt bonitatis, vel ejus quod est divinæ voluntati gratum. Sub hoc tamen genere infinita rerum optandarum, et honestarum illis proposita copia est ad usum, ac delectum: de quibus nihil certi constat ipsis ex divina revelatione, quid melius sit, hoc est Deo magis acceptum: cum utrimque paria se momenta rationum offerant, et eædem honestæ utilitatis illecebræ; quæ illorum mentes suspensas habent.

Indifferens.

Qualis et circa quænam versetur libertas beatorum in cœlo.

XVI. Neque hoc divinando, et incertis de rebus temere conjectando dicimus. Hujusmodi enim exemplis sacrorum librorum volumina respersasunt. E quibus unum satis sit proferre. Apud Danielem illustris est Angelorum inter se concertatio[3], capite præsertim decimo. Ibi Angelus ille, qui Prophetæ adstabat, et eum docebat, refert *sibi restitisse principem regni Persarum viginti et uno diebus: et a Michaele uno de principibus primis opem sibi allatam.* Deinde; *Et nunc revertar*, inquit, *ut prælier adversum principem Persarum.* Princeps iste Persarum Angelus erat tutelaris Persici regni, ut interpretatur Hieronymus, ac Theodoretus. Ac bonos omnes illos fuisse Angelos tam isti sentiunt, quam Gregorius Papa[4], Dionysius[5], S. Thomas[6], et plerique alii, qui invicem pugnabant, quod Persis præfectus creditæ sibi provinciæ consulens captivorum omnem populum dimitti nolebat, ut ait Hieronymus: Theodoretus, quod Judæos scelerate, ingrateque erga Deum sese gerentes cernerent Græcis et Persis præpositi Angeli, tantum illis conferri beneficii, ut in libertatem vocarentur, ægre tulisse credidit. Neutrius ergo partis Angelis constabat quæ Dei esset voluntas, alioqui lis inter eos omnis esset extincta. Verum sic universe addicti, affixique erant Dei voluntati, et arbitrio, ut particulatim, et in singulis negotiis, ea cum esset ignota, suo judicio et sententia starent: cui si contrariam esse divinam scirent postea, mox se ad eam applicarent. Quæ res argumento est, liberam in beatis esse mentibus, et indifferentem voluntatis motionem, et in utramque partem flexibilem; sed ibi duntaxat, ubi nulla eos necessitas ad unum alligat, cujusmodi est amor summi boni, vel eorum appetitio, quæ sciunt grata esse Deo: ac postquam voluntas quæ sit illius intellexerunt.

Idem de Christo judicium debet fieri, quem certum est in iis tantummodo, quæ electioni, voluntatique suæ permissa fuerant; et de quibus certi nihil constitutum, ac fixum erat, libero usum arbitrio. Quænam autem ea fuerint, non est hujus loci pertractare. Fiet hoc Deo bene adjuvante, cum de incarnationis mysterio dicetur.

1 Art. 5. — 2 Tom. III, lib. VI, cap. VIII. — 3 *Dan.* X. — 4 Lib. XVII *Mor.* cap. VIII. — 5 Cap. IX *de Cœlest. Hierar.* — 6 In I par. qu. CXIII, a. 8.

THEOLOGICORUM DOGMATUM

DE OPERE SEX DIERUM

LIBER QUINTUS

IN QUO LIBERTATIS VERA RATIO EX LATINIS AUGUSTINO POSTERIORIBUS EXPENDITUR.

CAPUT PRIMUM.

De iis Patribus, qui post Augustinum fuerunt, quorum testimoniis male utuntur adversarii, ut cum libero arbitrio necessitatem copulent. Prosperi in illos sententiæ retorquentur. Explicatur liberi arbitrii definitio a Prospero allata. Hypognostici auctor novo dogmati contrarius. Prosper itidem aliis in locis, necnon Fulgentius, cujus sententia perperam ab illis citata declaratur ; et aliæ contra eos afferuntur.

Mens Prosperi expenditur et contra adversarios retorquetur

I. Qui Augustino posteriores exstitere Patres, haud amplius isto Calvinianam, ac novam de libertate opinionem adjuvant, Latini pariter, et Græci ; sed eam utrique condemnant. Ac novæ theologiæ frontem mirari subit[1], quæ illos etiam in partes trahere non erubuit, et quæ ab iis sunt scripta de arbitrii in utramque partem libera et indifferenti propensione, in contrarium deflectere, proque suis ausa est asciscere. Sed quam istud temere, quamque nullo vel candore, vel judicio tentaverit, hoc in capite demonstrabitur.

Prosper ex illo numero primus citari debet, æqualis Augustini, et ejus doctrinæ deditissimus ; ex quo ita concludunt, non adversari arbitrio libero necessitatem ad unum impellentem, quod is de Angelis dixit, « Divino[2], justoque judicio actum, ut quæ fuit illis manendi voluntas, fieret permanendi voluntaria, felixque necessitas. » Quod ab Augustino didicit, qui hoc sæpius tam de Angelis, quam beatis hominibus affirmat. Sic hos merito bonæ voluntatis, ait[3], qua bonum, cum possent, deserere noluerunt, « novissimam hanc accepturos felicitatem perseverantiæ, ut bonum amplius non possint deserere. » Et in primo *imperfecti operis contra Julianum*, capite CI illam ipsam « necessitatem beatissimam vocat, qua necesse est feliciter vivere, necesse est non mori necesse est in deterius non mutari ». Hujusmodi necessitatem in Deo constituit, qua peccare non potest ; tum « in sanctis Angelis, qua non premuntur, sed fruuntur. »

II. Verum nihil ex istis, ac similibus Augustini, ac Prosperi sententiis contra τὸ ἀδιάφορον liberæ voluntatis obtinent, quin potius vehementius inde refelluntur. Neque enim liberum esse Deo non mori, vel non peccare, quisquam nisi absurde, impieque dixerit. Voluntarium quidem utrumque esse Deo, vere a nobis asseritur ; liberum autem sine quodam horrore vel pronuntiantis, vel audientis usurpari non potest. Etenim hoc ipsum, de quo contendimus, liberum tale est, ut ab arbitrio libero vim suam, et notionem accipiat ; idemque est, *liberum* dici, atque in arbitrio nostro positum, sive in *libero arbitrio*, vel *in voluntate*, aut *libera voluntate* ; hæc enim omnia synonyma sunt. Ecquis autem, nisi profanus, ac demens loqui sic audeat : In arbitrio Dei positum est, vel in libera voluntate, ut non peccet, aut non moriatur ? Cur autem non audeat ? aut cur sacrilega, et in tantam majestatem contumeliosa ista vox habetur ? nisi quia qui sic dicit, *in arbitrio alicujus hoc positum est*, contingens id esse significat, nec ita necessario fieri, sed contrarium etiam evenire posse. Prorsus, velint nolint adversarii, vel aperte confiteri,

Indifferens.

1 Lib. VI *de Grat. Christ.* cap. VIII, tom. III.— 2 Lib. I *de Vita cont.* cap. III.— 3 Lib. *de Corrept. et Grat.* cap. XI.

vel apud se recognoscere tacite coguntur, hunc enuntiationi isti subjici sensum, cum dicitur : *In arbitrio, ac libera potestate Dei est non mori, vel non peccare*, ut si velit, mori, ac peccare possit. Velle autem posse, debent concedere, qui sic loquentur ; ut quamvis detestanda, et nefaria, non a seipsa dissidens, secumque discordans sit oratio.

III. Quapropter Prosperi, et Augustini mens illa fuit, quam antecedenti capite declaravimus : Angelos « merito suæ stabilitatis in æternum felices effectos, de sua permansione securos esse », ut ibidem ait Prosper. Nec enim peccare amplius possunt ; neque liberi ad hoc arbitrii usum retinent, quem iidem ad res alias intra boni honestique formam eligendas integrum servant. Ac vel ipsa Prosperi verba, quæ a novis theologis afferuntur, docere illos poterant, quam non bene ratiocinentur. Nam, cum dicit, « quæ fuit Angelis cum Deo suo manendi voluntas, facta est permanendi voluntaria, felixque necessitas : » voluntati necessitatem opponit, non utique cogentem, et vim inferentem, sed ad unum impellentem potestate alterius ablata. Nisi enim « cum voluntate illa manendi, quæ felicem necessitatem permanendi » meruit, potestatem etiam non manendi Angelus habuisset ; necessario jam in bono mansisset, quinam ergo manendi in eo necessitatem aut meruisse, aut accepisse postea diceretur? Prorsus itaque, antequam necessitatem illam adeptus est manendi cum Deo, voluntatem habuit, quæ ita manere vellet, ut non velle posset ; huic autem necessitas simplex opponitur a Prospero et Augustino. Ergo libero arbitrio contraria est necessitas simplex. Et valde mirum est, sic occæcatos iu causa ferri nuperos illos theologos, ut ea pro se in medium proferant, quibus maxime læduntur ; neque, quid ex Patrum dictis, ac sententiis consequens sit, animadvertant.

IV. Par et eadem est in altero Prosperi loco citando illorum incogitantia. Scripsit in libro *contra Collatorem*, capite XVIII ita Prosper : « Liberum ergo arbitrium, id est rei sibi placitæ spontaneus appetitus, ubi usum bonorum, quæ acceperat, fastidivit, et vilescentibus sibi felicitatis suæ præsidiis, insanam cupiditatem, et experientiam prævaricationis intendit, bibit omnium vitiorum venenum, et totam naturam hominis intemperantiæ suæ ebrietate madefecit. » Ex his verbis priora illa sola, quibus liberi arbitrii definitio tradi videtur, contra τὸ ἀδιάφορον intentant ; « Hæc enim definitio, inquiunt[1], non requirit aliud ad libertatem, nisi ut rem placitam sponte velit, aut appetat, nulla cujusquam indifferentiæ habita ratione. » Quod cum dicunt, *spontaneum* apud Prosperum laxius usurpari putant pro eo, quod interiore fit impulsu, non extrinsecus cietur, quomodo τὸ ἑκούσιον definiunt Græci, ut hac ratione brutorum etiam appetitus sit spontaneus ; nec vident, eo posito, non liberum hominis arbitrium ibi definiri, sed appetitum quemlibet. Inest autem peculiare quippiam liberæ voluntati, quo a bestiarum appetitione distinguitur ; et hoc ipsum in ista definitione contineri, intelligique debet, ut illius definitio sit. Quid igitur est, quo a brutorum ὁρμῇ, et *appetitu*, vel etiam ab voluntate simplici liberum differt arbitrium? Dictum est in libro tertio ex Græcorum theologorum, ac Latinorum, imprimisque S. Thomæ sententia : idque est in eo situm, ut liberum arbitrium ex antegressa deliberatione, et consultatione unum aliquod de duobus, quodcunque vult, et quod magis placitum est, eligat, voluntas autem, quæ nihil nisi spontanea est, uni sit affixa, et uno aliquo definita, sine ulla potestate contrarii. Quamobrem τὸ ἑκούσιον, id est *spontaneum* a Prospero sumitur sic, ut libero arbitrio convenit, idemque est, ac liberum. Nam integra definitio duobus illis vocabulis contineri debet, *Spontaneus appetitus*, cætera, quæ rem appetitam exprimunt, non pertinent ad essentiæ, naturæque descriptionem.

V. Quo quidem in loco manifesta fraus est novæ theologiæ coryphæi, qui Prosperi verba depravavit, omissa vocula. Nam, cum apud illum sic legatur, « Liberum arbitrium, id est rei sibi placitæ spontaneus appetitus, » iste, pronomine *id* extrito, ita conformavit orationem, quasi ex professo liberum arbitrium definire Prosper voluerit, *Liberum arbitrium est rei*, etc. Hoc autem, quod pusillum videtur, non parum ad sententiam interest. Nam potest in his verbis, *rei sibi placitæ spontaneus appetitus*, genus tantummodo liberi arbitrii intelligi, quod huic est cum brutorum etiam appetitione commune ; in sequentibus vero differentia generi adjuncta, quæ in usu et electione rerum ad appetendum propositarum, et contrariarum cernitur. Ut si de homine sic loquar : « Hoc

1 Cap. eod. XIII lib. VI *de Grat. Christ.* tom. III.

igitur animal, quod appetitu et cognitione præditum est, ubi in Dei ignorantiam, contemptumque cecidit, bibit omnium vitiorum venenum; » si quis in prioribus illis, *Animal appetitu, et cognitione præditum*, definitionem hominis contineri vellet, utrumque, qua proprium est illius, deberet sumere; alioqui nonnisi genus esset, cui adjuncta differentia in sequentibus intelligeretur ex eo, quod Dei ignorantia, contemptusque nominetur, quæ nonnisi in intelligentem, et ratione utentem cadere possunt. Similis est illorum Prosperi verborum sententia, et novorum theologorum haud dispar in eorum usu, argumentationeque vitium; quod multo etiam majus apparebit, si de cujus arbitrio libero Prosper ibi loquatur, attendimus. Hinc enim constabit, cæcum et attonitum in tractandis Patrum sententiis fuisse novi propugnatorem dogmatis, dum in hoc intentus unum est, ut quam maximum auctorum, ac suffragatorum numerum inferciat; ob idque solam speciem, ac vocabulorum similitudinem persequitur, neque vel antecedentia, et consequentia sermonis, vel scriptoris mentem ac propositum diligentius explorat. Quod in illo Prosperi loco, ut jam dicere cœpi, commissum est ab eo. Loquitur enim ibi Prosper de libero primi parentis arbitrio; hoc autem plene liberum fuisse, et indifferens, novus dogmatistes fatetur. Quare « spontaneus appetitus rei sibi placitæ, *quo* usum bonorum, quæ acceperat, fastidivit, » cum eadem indifferente fuit, et utrumque in jure, ac potestate habente facultate conjunctus. Denique *res placita* vocatur, quæ post consilium, ac deliberationem pendentis adhuc, et ancipitis animi, delecta est, et aliis anteposita.

VI. Sic reliqua, quæ eodem in capite, quasi per saturam, ex Augustino, Hypognostico, Clemente, Hugone, aliisque congerit, tantumdem ad corroborandam opinionem illam valent, hoc est omnino nihil; imo eam funditus evertunt. Ejusmodi est definitio illa liberi arbitrii, quam Magister Sententiarum habet [1], et Augustino, ait ille, multi tribuunt: « Liberum arbitrium est facultas rationis, qua bonum eligitur, gratia assistente, vel malum eadem desistente. » Qua in definitione, omissis illis particulis *gratia assistente*, et *gratia desistente*, « remanet, inquit, illa definitio, qua bonum, vel malum eligitur. Sed hoc, addit, etiam Deo, et Angelis jam beatis, et damnatis convenit; illi enim eligunt bonum, hi malum, utique maxime voluntario electionis motu. » Hic, si quid dicat, intelligeret, nunquam testimonio uteretur isto, quod, ut contrariam affirmat, sic ejus opinioni refragatur. Ea quippe vis est *electionis*, et huic vocabulo subjecta notio, quæ τὸ ἀδιάφορον, et pendentem inter opposita duo statum liberæ voluntatis includit, ut in libro tertio ex Latinorum, ac Græcorum theologorum decretis ostendimus. Nam nulla, nisi propositis pluribus, et ex iis, fieri potest electio. Jure itaque liberum arbitrium definitur facultas rationis, qua bonum, vel malum eligitur. Quod vero ad Deum, et beatos, vel damnatos attinet, quatenus in illis electio sit, et liberi usus arbitrii, postremo libri superioris capite jam exposuimus. *Indifferens.*

VII. Cujus porro judicii est, illud etiam contra se proferre, quod *Hypognostici* scribit auctor [2], « Liberum arbitrium ideo liberum dici, quod in sua sit positum potestate, habens agendi, quod velit, possibilitatem? » Sed, ut disputatoris incuria plenius constet, volo hic totum *Hypognostici* locum describere: « Ipsum igitur, inquit, liberum arbitrium hominibus esse, certa fide credimus, et prædicamus indubitanter. Sed cur dicatur liberum arbitrium, est paululum disserendum. Arbitrium ab arbitrando rationali consideratione, vel discernendo, quid eligat, quidve recuset, puto, quod nomen accepit. Vel ideo liberum arbitrium dictum, quod in sua sit potestate, habens agendi, quod velit, possibilitatem, quod est vitalis, et rationalis animæ motus. Sed hujusmodi, ut jam ante dixi, fuit in homine protoplasto, cum ante peccatum maneret illæsus. Non enim per aliud contraxit offensam, nisi per id, quo potuit, ne delinqueret, resistere suadenti. Per velle ergo malum recte perdidit posse bonum, qui per posse bonum potuit vincere velle malum. » Hinc multiplex novi theologi apparet inscitia, qui id primum non adverterit, ex illis verbis confirmare id, quod evertere illo testimonio voluit, liberi arbitrii indifferentem in utrumque potestatem. Quid enim aliud sibi ista volunt, « arbitrium ab arbitrando esse dictum, hoc est a discernendo, quid eligat, quidve recuset? » Certe voces istæ, uti necessitatem ad unum alligantem, ac proinde electionis inimicam respuunt; sic inter utrumque suspensam, et cunctabundam adstruunt. *Discer-*

1 Lib. II *Sent.* dist. XXIV.— 2 Lib. III, cap. IV.

nere autem, *quid eligat*, *quidve recuset*, qui tandem poterit is, cui tantum unius amplectendi sive boni, sive mali, potestas, relinquitur ?

Quod autem illud ipsum, cujusquemodi est, liberum arbitrium *in solo homine protoplasto* fuisse scribit, et videlicet in posteris non esse, supra explicatum est a nobis ex Augustini sententia, cui ille auctor est addictus ; nimirum tale liberum arbitrium intellexit, quod sanum, et integrum erat, ut per se, suisque viribus bonum eligere posset perinde, ac malum ; neque medicinali, et actionem ipsam, hoc est *velle* in nobis efficiente gratia opus haberet, quod etiam nonnihil attigi. At hoc ipsum, quod liberum illud arbitrium, de quo loquebatur, in solo fuisse primo parente dicit, adversariorum in auctore isto citando negligentiam arguit ; qui adversus indifferentem voluntatis statum, et utriusvis potentem, ea verba protulerunt, quæ de nullo alio dixisse se scriptor ipse testatur.

Prosper ab adversariis advocatus contra illos vertitur.

VIII. Verum, ut ad Prosperum revertamur, is expositum hactenus a nobis de libertate hominis dogma præclare comprobat, et Augustino succinit in eodem libro *contra Collatorem*[1] ; « ubi liberum arbitrium naturaliter homini inditum manere ait in natura, sed qualitate, et conditione mutata. » Quippe, ut alibi scribit[2], « non voluntate, sed voluntatis sanitate privatus est. » Ergo « nec[3], quia spiritu Dei agitur, ideo se putet liberum arbitrium non habere, quod ne tunc quidem perdidit, quando diabolo voluntate se dedit, a quo judicium voluntatis depravatum est. Quod ergo non interfectum est per vulnerantem, non tollitur per medentem ; vulnus sanatur, non natura removetur. » Manet ergo naturalis eadem facultas in Adami posteritate, quæ in illo fuit ante peccatum ; sed infirma, et iners ad bonum, saltem ejusmodi, quod ad sempiternam salutem refertur, ut propterea Christi gratia juvanda sit, non tamen destruenda, quod a nobis antea declaratum est.

Meminerit autem prudens lector, cum liberum audit arbitrium, non simplicem voluntatis appetitum, quamvis rationalem, in animo suo describere, sed qualem Patres illi nobis exhibent, et in Adamo innocente adhuc exstitisse volunt ; nisi quod Christi eget gratia post lapsum, ut ad bonum applicare se possit. Ea vero neque naturam illius immutat, quæ quidem, qua arbitrium liberum est, circa opposita versari debet, ut ex iis liquet, quæ in tertio libro diximus ; et in beatis circa finem ultimum non libere, sed necessario versatur, quod ibidem, et in proxime antecedente libro memoravimus. Ea porro necessitas amandi, ac sine amissionis metu perfruendi summi boni, merces est ejusdem libere adamati, et dum homo in hac vita degeret, et præ omnibus, quæ amplecti poterat, sponte delecti ; quemadmodum sine ulla ambiguitate scriptura denuntiat : *Qui probatus est*, inquit[4], *in illo, et perfectus est, erit illi gloria æterna ; qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala, et non fecit. Ideo stabilita sunt bona illius in Domino.*

Necnon Fulgentii

IX. Fulgentius in libro *de Incarnatione, et gratia Christi*, cap. XII verbis hoc istis indicat. « Accepisset, inquit, divino munere, si præcepta servasset, non solum perfectam, atque inamissibilem corporis immortalitatem ; verum etiam in anima talem gratiam sancte, justeque vivendi, ut peccare deinceps omnino non posset, si non peccaret, donec peccare potuisset. Creatus ergo primus homo de terra terrenus, accepit quidem gratiam, qua posset non peccare, si peccare nollet ; nondum tamen tantam acceperat gratiam, qua nec peccare vellet omnino, nec posset ; ut scilicet a bono, justoque Domino post esset illud munere largiendum, si voluntarie fuisset hoc a servo prius in opere custoditum. » Quibus in verbis frustra sibi latebram captat nova de libertate fabula. Non enim cum ista necessitate, ac circa illa, in quibus ista versatur, liberi usum arbitrii futurum ait fuisse ; quin contrarium potius ostendit, dum ei *voluntarium* opponit. Si, inquit, voluntarie peccatum vitasset, cum peccare poterat, postea præmii loco accepisset, ut deinceps omnino peccare non posset. Ergo *voluntarie non peccare* idem est, ac non peccare, cum peccare posses ; eique est oppositum ita nolle peccare, ut nec possis velle peccare. Quid adversus nuperam istam libertatis calumniam aut expressius, aut robustius dici poterat, quam ista est Fulgentii sententia ? Prorsus ita est, ut supra memoravi. Nullum omnino, vel exiguum judicium ac delectum ad illa, quibus usus est, Patrum describenda testimonia Calviniani interpolator dogmatis attulit. Nam ea passim objicit, quæ nostram nihil, suam autem funditus opinionem labefactant ; quod mihi non tam mirum, quam ad

1 Cap. XXXVIII.— 2 Lib I *de Vocat. gen.* cap. VII.— 3 Ibid. c. VIII.— 4 *Eccl.* XXXI, 10.

veritatis commendationem amplum, et magnificum videtur. « Quippe gloriosum victoriæ genus est [1], ab eo, cum quo decertes, arma capere ; quæsitumque adversario testem illinc stare, et istinc dicere, » ait Claudianus Mamertus.

X. Pergam porro, et Fulgentium sua illos voce refutantem rursus hic eos audire jubebo. Scribit ille in secundo libro *de veritate Prædestinationis* capite secundo, « Liberam voluntatem non ideo non esse in homine, priusquam sanetur opere divinæ conversionis, quia morbo magis vult obtemperare, quam medico, cum eo ipso, quod obtemperat homo, vel non obtemperat, liberum sibi inesse arbitrium, evidenter ostendat. » Ergo liberum arbitrium in eo ostenditur, in quo etiam utique consistit, *quod obtemperat, vel non obtemperat*, hoc est quod contrariorum istorum alterutrum eligit, cum utrumvis optare possit. Quis autem nescit adeo, quid dicat, ut liberum arbitrium ibi a Fulgentio accipi velit, pro simplici voluntate, vel appetitu quamlibet rationali? Nemo enim dubitavit unquam, neque controversiam ea de re fecit, utrum in homine voluntas esset, hoc est utrum in eo facultas esset appetendi ; sed utrum libere obtemperaret vocanti, et attrahenti se gratiæ, hoc est, quod Tridentina synodus post Augustinum concipit, utrum sic ei assentiret, ut posset dissentire, si vellet. Subjicit capite tertio sequenti Fulgentius : « Est ergo non solum in hominibus justis, verum etiam in impiis liberum arbitrium; sed in istis[2] bonitate Dei redemptoris erigitur, atque dirigitur; in illis [3] autem Dei ulciscentis æquitate deseritur, et punitur. » Et paulo post : » Cognitione itaque mandati ad bene operandum hominis liberum arbitrium convenitur, non quia voluntate tantum, vel virtute sua potest homo implere, quod ei lex jubet, sed ut per mandati notitiam infirmitatis suæ sibi conscius fiat, et adjutorium gratiæ medicinalis exposcat. Qua percepta, potest et diligere, quod jubetur, et facere, et agnoscere vel quid possit, vel quid non possit. » Tum ut intelligas, non qualemcunque voluntatem, sed liberam, et ad utrumvis indifferenter habentem, liberi arbitrii significari nomine, sic deinde quarto capite pertexit : « Hæc omnia, quæ superius posuimus, dignum est, ut cœlestibus eloquiis asseramus. Per Isaiam sic loquitur Deus [4] : *Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis. Si autem nolueritis, nec obaudieritis me, gladius devorabit vos.* His verbis, quibus dicitur, *Si volueritis*, et *si nolueritis*, procul dubio libertas humani declaratur arbitrii. Velle enim et nolle, voluntatis esse nullus ignorat. » Reliqua sunt ejusdemmodi, et superiori nostræ doctrinæ Augustinianæ, et catholicæ consentanea ; quæ « sic inesse non negat homini liberum voluntatis arbitrium, ut illud sine juvamine gratiæ Dei, ad ea, quæ sancta sunt, non solum agenda, sed etiam cogitanda, insufficiens, atque invalidum esse testetur [5]. »

For lege in illis.

For. in istis.

CAPUT II.

Excutiuntur Bedæ loca Novi ab auctoribus dogmatis pro se allata. Tum Anselmi, quo iidem nituntur. Ex hujus occasione de libertate, et ei opposita necessitate diligentius agitur. Hanc vero, de qua Patres loquuntur, non libertati, sed spontaneæ libertati, quod est τὸ ἑκούσιον, *repugnare. Cur de hoc solo genere necessitatis Patres fere loquantur.*

Prospero, ac Fulgentio comites adjungunt alios novi architecti dogmatis Augustino posteriores ; ac primo Bedam. Quo in citando idem in vitium incidunt, quod antecedenti capite notavi, ut quæ sibi adversa maxime sunt, ea pro suis opponant ; adeo inconsiderate, et imprudenter in illa causa jactantur, nec auctorum, unde testimonia corrogant, sensa penetrant, nec eorum accurate verba perpendunt. Scripsit Beda miscellam quamdam variarum quæstionum, quarum decima tertia est de libero arbitrio. In ea contendunt adversarii, prorsus illum opinioni suæ favere, quod ibi libertati arbitrii solam vim et coactionem esse contrariam ostendit. Nam de Adami libero arbitrio disputans, « Sciendum, est, inquit, quod liberum arbitrium dicitur habuisse primus homo ante gustum pomi ; post gustum vero servus effectus est peccati. Sed cum habuisset liberum arbitrium, videndum est, quæ libertas illius arbitrii fuerit. Arbitrium certe liberum fuit, quamdiu suæ potestatis exstitit, ita ut nulla vi cogente, nec Dei, nec diaboli, quod vellet, bonum seu

Bedæ sensus ab adversariis male intellectus.

1 Claudianus. *de Statu animæ* libro tertio, col. 636, tomo quarto *Bibliothecæ. Patrum.* — 2 *Esaias.* I. — 3 Idem Fulgentius. cap. VI.

malum faceret. Sed cum liberum esset hoc respectu, quod a nullo domino nulla vi poterat[1], ut vellet aliquid, aut nollet, per se tamen debile erat, » etc. Mox idem arbitrium Christi merito, et gratia restitutum esse scribit sic : « Venit Dominus nos pristino restituens gradui, reddens arbitrium patris primi liberum, sicut prius, a vi extranea, sed nova debilitate propria, ut nemo sit, qui de se præsumat, sed in solo Deo semper confidat. » Paulo post vero declarat, quinam cum divina prædestinatione concordat liberum arbitrium: « Si autem præordinat, et prædestinat vitam bono, et mortem malo, videtur vim inferre libero arbitrio; quia, cum prædestinatio sua falli non possit, necesse est, ut malus sit, quem prædestinavit ad mortem, et bonus sit, quem prædestinavit ad vitam. Et, si necesse est, hunc esse bonum, et illum malum, periit ergo liberum arbitrium, quod necessitate cogitur. Quod si arbitrium non est liberum, sed cogitur necessitate, non est culpandus ille, qui velit nolit, peccat, neque laudandus, qui velit nolit, bene agit; sed laus et culpa soli cogenti est imputanda. » Tandem quæstionem hanc ita dissolvit, ut solam vim cogentem ab arbitrii libertate submoveat. « Prædestinatio Dei, inquit, nulla vi cogit nos ad bonum, vel malum. » Et : « Sicut ergo prædestinatio ad mortem non cogit malos, ut pereant ; sic etiam prædestinatio ad vitam non cogit bonos, ut salventur. Sed, cum Dominus bonos ad vitam prædestinavit, ita eos prædestinavit, ut ipsa sua prædestinatio meritis, et precibus nostris obtineatur. » Hinc ergo argumentantur illi, solam vim contrariam esse arbitrio libero, non necessitatem simplicem.

II. Sed in ista ratiocinatione adeo nihil inest rationis, communisque judicii, ut, si illis inde, quod volunt efficere, concludendo permittimus, suum ipsi dogma labefactent. Meminerit lector id, quod libro superiore sæpius inculcavimus, cujusmodi necessitatem intelligant illi, quam solam asserunt libertati esse contrariam. Duplex, inquiunt[2], ab Augustino necessitas statuitur : « una, quæ operatur effectum suum, etsi nolis, seu quantumcumque renitaris ; altera, qua simpliciter necesse est aliquid fieri sine renisu voluntatis. Prima illa necessitas, qua fit aliquid, etsi nolis, semper apud Augustinum opponitur voluntati. Impossibile est enim, ut id, quod fit voluntate nostra, fiat, nobis etiam nolentibus ; et e contrario ut id, quod fit necessitate, seu nobis nolentibus, fiat nostra voluntate. » Ex quibus evidens est, talem hanc esse violentam necessitatem, quæ sola libertati opponi dicitur, ut, nonnisi eversa funditus voluntate, in ea collocari possit. Impossibile est enim, cum violentia ista voluntatem consistere, hoc est velle nos aliquid, quod ea necessitas extorqueat ; ut nihil sit aliud voluntas, sive *volitio* hoc modo coacta, quam *tragelaphus* aliquis, aut *chimæra*, aut simile aliquid, quod in rerum natura esse nequit, quoniam ad contradictionem implicatur. De quo relege præsertim caput nonum libri antecedentis.

III. Quo animadverso, perspicua est novi Dogmatistæ pugna secum, inscitaque collectio. Etenim Beda de libero primi hominis arbitrio loquitur, quale habuit antequam peccaret. Hoc igitur amissum peccato esse dicit, et postea Christi gratia restitutum, *liberum*, *sicut prius*, *a vi extranea* factum. Quare *vis illa extranea* liberum arbitrium oppresserat; et, ut calor frigori succedens hoc extinguit, ac vicissim calorem frigus expellit ; ita violenta illa necessitas primo libertatem elisit, deinde libertas violentiam expulit. Dicant itaque nobis, quomodo post peccatum violentia illa, visque major in voluntatem insinuare se potuit, ut ei liberum auferret arbitrium. Hæc enim vis, et coactio, non extrinsecus admota, sed interior esse debet, si est ulla, vel esse potest ; siquidem externa vis libertatem non eripit, neque rem *involuntariam* facit, ut ex Aristotele Nemesius, Damascenus, S. Thomas, ac theologi omnes prædicant, et in tertio libro sæpius ostendimus. Ideo violentia illa, quæ non solum arbitrio libero, sed voluntati et appetitioni repugnat, eamque perimit, naturalem ipsam facultatem afficere debet, si in rerum natura ejusmodi esse aliqua potest. Sed non potest ; alioqui eadem voluntatis actio voluntaria esset, et non voluntaria.

IV. Prorsus ergo, quid dicant, nesciunt, qui talem a Beda, cæterisque Patribus necessitatem violentam opponi volunt arbitrio libero, quæ ne divina quidem potentia interri potest voluntati ; quia nihil est, et ex rebus contrariis, minimeque secum cohærentibus efficitur. Quod et novi ipsi theologi fatentur iis verbis : « Impossibile est, ut id, quod fit voluntate nostra, fiat nobis etiam nolentibus.

1 Addendum videtur *cogi*.— 2 Tom. III, lib. VI, cap. VI.

et e contrario, ut id, quod fit necessitate, seu nobis nolentibus, fiat nostra voluntate.» Cum ergo necessitas illa, quam solam voluntati putant adversari, ea sit, *quæ operatur effectum suum, etsi nolis, ac renitaris ;* in voluntate ipsa inesse non potest. Quare aut externa tantummodo vis est, et cui voluntas renititur ; aut si intus afficit, nihil agit voluntas, neque aut assentitur, aut renititur, sed velut truncus, aut stipes ad agendum movetur : quod solus in illa Deus efficere potest, cui creatæ res omnes ad nutum parent, ex ea potentia, quam *obedientialem* vulgo nominant. Sed nec illud animadvertunt, Bedam de eo loqui arbitrio libero, quod ante peccatum primus habuit parens. Huic autem indifferentiam tribuunt ; ideoque non vis illi tantummodo contraria fuit, sed simplex, et indifferentiæ isti opposita necessitas. Itaque nihil ad illorum negotium Bedæ ille locus pertinet.

Similiter et Anselmi.

V. Transeo nunc ad Anselmum, quem in partem suam nova factio pertrahit certis ejus sententiis inducta nonnihil, ut apparet, contortis, et obscure conceptis. Primum enim in secundo libro *Cur Deus homo*, capite x « necessitatem illam esse proprie dicit, quæ est coactionis, et nolentem premit. » Sic enim loquitur : « Improprie dicitur necessitas, ubi nec coactio ulla est, nec prohibitio, » Et, « Omnis quippe necessitas est aut coactio[1], aut prohibitio ; quæ duæ necessitates convertuntur invicem contrarie, sicut necesse, et impossibile. Quidquid namque cogitur esse, prohibetur non esse, et quod cogitur non esse, prohibetur esse ; quemadmodum quod necesse est esse, impossibile est non esse, et quod necesse est non esse, impossibile est esse, et conversim. »

Verum de hac necessitate plura a nobis hucusque dicta sunt, quatenus libertati repugnet. Nunc illud paucis expendendum est, cur nonnulli veterum, cum de voluntate libera hominis agunt, ei nominatim opponant coactionem, sive necessitatem cogentem. Erit enim utilis hæc tractatio ad novorum dogmatis patronorum reprimendam fiduciam, qui in istarum vocum calumnia delitescunt. Duo sunt, ut antea sæpe dixi, in voluntate libera consideranda : alterum τὸ ἑκούσιον, id est *spontaneum ;* alterum τὸ αὐτεξούσιον, quod est *liberum, ac sui juris, et potestatis*. Prius hoc confert, ut voluntas ex se, et proprio nutu inclinet in id, quod appetit, et hoc amet, amplectaturque ; posterius vero, ut *ita consentiat rei* alicui, ut, *si vellet, dissentire posset*, ut habet Tridentina formula. Multum autem inter se ambo ista discrepant ; etenim nonnulla faciunt homines ingratiis, et inviti, hoc est ἀκουσίως, quæ tamen libere, et cum potestate alterius faciunt, veluti cum metu impendentis mali, vel præsentis dolore coguntur id eligere, quod alioqui detestantur. Ita fit, ut libertati, qua *spontanee* agendi principium est, contraria sit necessitas cogens, sive violentia ; eidem vero, qua est αὐτεξούσιος, et utrumque habens in potestate, opposita sit necessitas simplex.

Duplex necessitatis genus explicatur.

VI. Ea porro necessitas, quæ simplex ideo dicitur, quia tollit omnem eligendi, ac deliberandi potestatem, nihil ad genus illud, quod *morale* vocant, attinet. Etenim τῶν ἠθικῶν, id est *moralium rerum* stirps et principium est ἡ προαίρεσις hoc est *electio* ; sine qua bonitas illa, vel malitia, quam *moralem* nominant, et ex qua laus aut vituperatio, præmium aut pœna consequuntur, esse nulla potest. At necessitas altera, quæ coactio, et violentia dicitur, quatenus humanas actiones afficit, in quibus proprie bonitas aut pravitas ista consistit, ad mores, et earumdem qualitates actionum pertinet. In quo sane memoria repetendum illud est, quod in superiore libro[2] ex sanc. Thomæ[3], imo philosophiæ ipsius decretis exposuimus : Voluntati ipsi, et ejus actionibus, quas *elicitas* nuncupant, vim et coactionem afferri posse nullam. Nec enim cogi voluntas potest, ut velit, quod non vult, hoc est nolendo velit, vel volendo nolit ; id enim velle esset, et non velle, sive nolle, et non nolle. Quare in solis *imperatis*, ut vocant, hoc est voluntatis imperio productis extrinsecus, et ab externis facultatibus ortum habentibus actionibus, inest cogens illa necessitas ; quæ et ipsa tamen redundat in voluntatem, quatenus extrinsecus admota vincit illam, et metu, vel dolore compellit ad volendum, et eligendum, quod antea nolebat. Hæc autem non est propria, et absoluta, vel directa voluntatis coactio, quia, cum ea vis infertur, ut cedat, incipit velle, et ex interiore principio manat ista voluntatis impulsio. Itaque, quod eo modo coacti volumus, simpliciter *voluntarium* dicitur ; quadamtenus autem, et, quod aiunt vulgo, *secundum quid*, non voluntarium.

1 Cap. xvii.— 2 Cap. iii.— 3 In I, II, qu. vi, art. 4.

VII. Jam externa illa necessitas, sive coactio, liberam voluntatis motionem sic modificat, et quodammodo afficit, ut interdum illi ex toto voluntas repugnet, neque vi ulla fracta succumbat; interdum ita superetur, ut consentiat, ut si vis illa removeatur, nolit omnino facere. Priore modo quidquid geritur, id et meriti est, ac laudis, et pœnæ, ac vituperationis expers. Nam sive quis manu alterius violenter utatur ad stipem inopi largiendam, aut honestum opus alterum, nulla in invitum ac renitentem laudis particula redundat; sive reluctanti feminæ prævalidus aliquis stuprum inferat, nihil ex eo, quod patietur, ad eam noxæ pertinebit, uti *Deuteronomii* capite XXII, XXV sancitum legimus. Ita Christianas feminas, quæ per Gotthicam irruptionem, Urbe capta, vim a barbaris perpessæ fuerant, solatur Augustinus[1], quod « inconcussa, ac stabili permanente virtute, quidquid alius de corpore, vel in corpore fecerit, quod sine peccato proprio non valeat evitari, præter culpam sit patientis. » Posteriori vero modo, in bonis quidem et honestis, laude caret ac merito, quodcumque est actum; ut si quis, metu proposito mortis, invadenti pauperi vestem, aut pecuniam dare cogitur, si voluntate penitus resistit, nullam ex eo misericordiæ laudem consequitur, quamvis nonnisi volens eroget. Atque ita Basilius, « Nihil, inquit, necessitate expressum laudabile est[a]; » et Damascenus, « Non est, inquit, virtus, quod per vim agitur[b]. »

Vis exterius illata meritum tollit ac culpam.

In malis autem ac turpibus, etsi culpa penitus, ac vituperatione non caret, quoniam emori quivis potius, quam metu, vel voluptate deduci ab officio debuit; levius tamen peccatum est, ac mitiore pœna plectendum, eique facilius venia conceditur. Sic adversus Christianos illos, qui in persecutione, metu ac terrore, vel cruciatu fracti cesserant, tolerabilior est pœnæ modus constitutus, quam in eos, qui sponte deliquerant; ut in Ancyrana synodo, et Nicæna, aliisque factum esse scimus. Sic etiam Lucretiam illam, cujus ab gentilibus impense est commendata castitas, « fortasse juveni violenter irruenti, etiam sua libidine illectam consensisse » suspicatur Augustinus[2]; ac non eam violenter oppressam, sed metu dedecoris victam esse obstinatam pudicitiam » Livius narrat[3]. Et Ovidius,

« Succubuit famæ victa puella metu. »

Quare non dubia est illius culpa; sed cui facilius possit ignosci, quod invita consensit. Est autem τοῦ ἀκουσίου proprium, ut ei comes sit venia, et misericordia, ut ait Nemesius. *Inviti*

VIII. Igitur fons et origo boni meriti, ac laudis in actibus liberis est, non electio sola, et libertas, sed τὸ ἑκούσιον, id est *spontanea electio*, ut ex Aristotelicis fontibus Nemesius[4], Joannes Damascenus, ac Thomas Aquinas, aliique tertio in libro memorati sentiunt. Huic autem opposita est vis et coactio, ac necessitas, non qualiscumque, sed cui parere, vel resistere in potestate sit arbitrii liberi. Quod egregie in primo *magnorum Moralium* docet Aristoteles; ubi primum[5], quid violentia sit, exponit, atque hanc in rebus etiam anima carentibus reperiri asserit, et tunc esse, cum ab externo principio oritur. Deinde sequenti capite de necessitate agit, quam similiter in externis rebus esse demonstrat. Quo autem discrimine vim ab necessitate separet, difficile est discernere. Sed qui diligenter illum locum, et attente legerit, ita judicabit : Cum utraque ab externa causa proficiscatur, in eo differre, quod ἡ βία, id est *vis* et *coactio*, sit ejusmodi, cui reluctari non potest id, quod cogitur; ut si quis manu alterius violenter apprehensa ad cædem patrandam utatur, aut si quis feminam vinculis constrictam per vim opprimat. Utrobique enim corpori ipsi vis affertur, cui nullo modo potest, qui eam patitur, resistere; animus tamen liber est, ac sui juris, nec ulla violentia potest adigi, ut consentiat. At necessitas voluntatem ipsam respicit; quam uti absolute non cogit, sic impellit, et urget, ut velit, maxime cum nulla corpori vis admovetur, sed solo proposito periculo, deliberandi potestas relinquitur.

IX. Atque hoc exempla ipsa demonstrant, quibus utrumque declarat Aristoteles. Nam prioris exemplum tale posuit, ut si equum recto cursu concitatum vi reflectas in alteram partem, aut lapidem sursum jacias; posterioris vero, ut si rapido, et incitato gradu in agrum properes, quod ni facias, ibi omnia

a Basil. *in Psalm.* CXIV. Οὐδὲν δὲ τῶν ἠναγκασμένων ἐπαινετόν.

b Damasc. lib. II *de Fide*, cap. XII. Οὐκ ἀρετὴ τὸ βίᾳ γινόμενον.

1 Lib. I *de Civit. Dei* c. XVII.— 2 Lib. I *de Civit. Dei* c. XIX.— 3 Lib. I.— 4 Nemes. c. XXIX.— 5 Arist. I *Mag. Mor.* c. XV.

peritura sint, et universe, quoties, ut majus incommodum vitemus, levius aliquod depaciscimur. Manifestum est, violentiam tunc esse, cum in corpus nostrum vim aliquam exercet causæ extrinsecus urgentis impressio, ut illud quidem, quo non vult homo, trahatur, et contra voluntatem toleret; animus vero vel aversetur interim, vel non sponte, sed invitus assentiatur. At necessitas ad solum referri animum videtur, cum, præsenti nulla vi admota corpori, imminentis tantummodo mali metus ostenditur, quo commota voluntas non sponte, sed tamen libere, quod propositum est, asciscit. Ac sæpe fit, ut etiam sponte trahentem necessitatem sequatur; quemadmodum Paulus Eremitarum primus. Decianæ vitandæ persecutionis gratia, « ad montium deserta confugiens, dum persecutionis finem præstolaretur, necessitatem in voluntatem vertit, » ut ait Hieronymus[1]; qui bene voluntatem opponit necessitati, hoc est τὸ ἑκούσιον, *spontaneum* invito, et vi necessitatis expresso. Itaque necessitas hujusmodi libertatem non perimit, sive προαίρεσιν, electionemque liberam; sed *spontaneo* duntaxat repugnat, quod et *voluntarium* nonnunquam dicitur, Græce autem ἑκούσιον.

Græci Latinique, necnon gentiles philosophi de ea loquuntur necessitate quæ non simpliciter libertatem aufert.

X. Quapropter Græci, Latinique scriptores, ac vel gentiles, vel christiani theologi perinde, ac philosophi, cum de rebus disputant ad liberum arbitrium, ac mores spectantibus, sicubi ἀνάγκην, id est *necessitatem*, nominant, non aliam intelligunt, quam quæ a nobis exposita est, non extinctricem utique libertatis, et absolutam, (hæc enim nihil ad mores attinet) sed quæ liberam electionem voluntatis inflectit, ad seque pertrahit; quæ propterea *moralis necessitas* appellari consuevit. Ex quo fucus et cavillatio Lutheri, Calvini, Buceri, ac novorum dogmatistarum convincitur, qui libertati arbitrii solam opponi vim et coactionem putantes, non autem necessitatem simplicem, qua et sponte aliquid, et necessario fit, inde calumniam struunt, quod *necessitas* ab antiquis pro violentia identidem accipitur. Nec animadvertunt, tam liberum considerari ab illis, quod est etiam *spontaneum*, quam necessarium, quod oppositum est spontaneo; utrumque porro ad genus rerum, quod *morale* vocant, referri.

Hæc, quæ supra in tertio libro sparsim attigimus, iterum inculcanda hoc loco fuerunt ut intelligeremus, cur Anselmus necessitatem eam solam proprie vocari dixerit, quæ est *coactio*, vel *prohibitio*. Nam de ea tantum agit necessitate, quæ ad *mores* spectat, id est, quæ actiones liberas, ipsamque adeo libertatem arbitrii modificat, et certa ratione conformat; non ut eam perimat, et ejus functionem penitus extinguat, sed ut bonitatem ac malitiam, quæ inde oritur, majorem, minoremve faciat, aut omnino resecet. Et multum errant, ac cæci feruntur in hoc Anselmi loco, et similibus adversarii, sive necessitatem interpretantur rigidam, et absolutam, qua cum stare libertas non potest, sive externam tantum, quæ spontaneo contraria est, non libero. Nam prioris generis nulla in rerum natura potest esse coactio, hoc est violentia, quæ interior sit, et voluntatis nutum extorqueat ab invita, ut jam sæpius ostendimus. Tum quod addit Anselmus, speciem illius necessitatis esse præceptum, satis indicat, non de absoluta, et interfectrice libertatis coactione loqui se, sed de ea, quæ extrinsecus admota voluntatem impellit. Cujusmodi non est opposita libero arbitrio, hoc est προαιρέσει, sed τῷ ἑκουσίῳ, id est *spontaneo*, quemadmodum et coactio. Nam utroque modo, coactione, ac præcepto frænatur, et constringitur voluntas, ne sponte, quod vult, eligat, quamdiu necessitati illi refragatur, nec obtemperat, ut quod libere, sed invita tamen eligebat, ultro incipiat amplecti. *Electioni.*

XI. Nam quod ex Augustino passim alias, et ad illum Anselmi locum occinit novus dogmatistes[2], talem intelligi necessitatem, *quæ, etiamsi nolumus efficit id, quod potest*, nihil et pro catholica, id est nostra opinione validius, et contra dogmatis sui venena præsentius afferre potuit. Etenim perspicuum est, Augustinum de necessitate, sive coactione illa interpretandum esse, non quæ voluntatis arbitrium liberum interius obsidendo velle, et eligere cogat; id enim nulla vi, ne divina quidem, effici posse consentiunt omnes, quoniam manifestam in se repugnantiam includit. Restat igitur, ut extra voluntatem sita premens illa necessitas, corpori ac sensibus incubet; et in iis, *etiamsi nolumus*, hoc est obnitente, ac resistente arbitrio libero, efficiat id, quod potest. Quid autem illud est, quod potest, nisi ut cogat? nam coactionis, sive necessitatis cogentis potestas in eo solo est, ut cogat. Atqui libera voluntas in se ipsa cogi non potest. Non igitur in ipsa voluntate ope-

1 In vita Paul.— 2 Tom. III, lib. VI, cap. XVI.

ratur, et efficit, quod potest, ista necessitas, sed in iis, quæ sunt extra voluntatem. Manet ergo cum ista necessitate libertas arbitrii, et electionis ; nec ei contraria, et opposita est illa necessitas. Et omnino quid dicant neque sciunt, neque satis attendunt, qui in illa necessitatis cavillatione, ac fuco latebram captant erroris imperiti. Nam dum necessitatem ejusmodi quærunt, quæ libertati repugnat, non intelligunt, *repugnare* id dici, quod cum eo consistere nequit, cui repugnat ; ut cum ex duabus pugnantibus agit unum id, quod potest, alterum e medio, necesse sit excedere, neque id, quod potest, efficere. Ita lux et tenebræ repugnant invicem ; et ideo, cum aut lux, *quod potest, efficit*, necesse est tenebras extingui, aut vicissim tenebræ cum efficiunt, quod possunt, lucem videmus evanescere. Quod enim efficere lux potest, hoc ipsum est, dissipare tenebras ; sicut id, quod tenebræ possunt, est lucem interficere. Quare, si necessitas cogens, sive violentia, libero arbitrio repugnat, et in eo, quod potest, efficit, debet in ipsa voluntate, tanquam communi subjecto, vim suam exerere, hoc est actionis alicujus in voluntate causa, et principium esse, quæ non sit libera, sed violenta, cujusmodi causa est sua. Siquidem violentia, *quod potest, efficiens*, nonnisi violentum efficiet. Atqui si est actio illa voluntatis, cum ne fingi quidem alia possit, quam velle, sive *volitio ;* eo ipso libera est, ut novi dogmatistæ sentiunt, qui omnem voluntatis motum liberum esse prædicant. Erit ergo libera, et non libera.

XII. Porro verum id esse, quod dixi, ut, si necessitas libertati repugnans sola sit coactio, causam esse quampiam oporteat, quæ in voluntate ipsa efficiat aliquid simile sui, hoc est violentum et coactum ; primum inde liquido constat, quod, si extra voluntatem, *quod potest, efficiat*, voluntas ipsa, quia velle interim potest, adeoque libere velle, nulla vi cogatur ; nec in eam necessitas illa, *quod potest, efficiat*, quia non cogit voluntatem, nec ei libertatem eripit. Deinde necessitas ista cogens, cum sic ab Augustino definiatur ; « quæ etiamsi nolumus, efficit id, quod potest, » res et causa esse aliqua debet ; quidquid enim efficit aliquid, causa est ejus, quod efficitur. Igitur vel effectionem propriam exercet in voluntatem, vel eatenus efficere in ea, quod potest, dicitur, quia voluntatem ipsam impedit, ne, quod potest, efficiat, et ejus actionem supprimit. At neutro modo cogi voluntas potest. Non priore, ut jam probavimus ; quia nulla in volendi motione potest esse coactio, cum sit omnis voluntatis actio libera, ut adversariis placet. Posteriore autem non dicitur cogi ; nec enim cogitur, aut coactum vocari potest, quod nullum est, quia, ne sit, impeditur ; alioqui, cum Deus voluntati mox acturæ concursionem efficientiæ suæ, et auxilium subtraheret, voluntatem cogeret, quod est absurdissimum. Ita ex omni parte lucet istud, Calvinum, Bucerum, et eorum imitatores, cum libertati solam opponi putant coactionem, nihil præter inanem vocum fundere strepitum, quibus res nulla subest, et sententia. Sed jam ad Anselmum revertamur, cujus reliqua in sequens caput conferenda sunt ; nam et paulo longiorem orationem postulant, et sunt ad novæ opinionis convincendam falsitatem apprime necessaria.

CAPUT III.

Ex superiori disputatione de necessitate, et coactione, colligitur vera et germana mens Anselmi, a qua novos aberrasse dogmatistas ostenditur. Quomodo Christus non potuerit velle mentiri. Duplex ab Anselmo constituta necessitas, et impossibilitas, antecedens, et consequens. Hanc solam cum libertate cohærere, non priorem, ab eodem censeri. Ex quo novæ opinionis præstigiæ discutiuntur. Laus proprie liberam alterutrius eligendi potestatem sequitur, ut et meritum.

I. His velut fundamentis institutæ disputationis positis, prona jam omnia, et facilia erunt apud Anselmum ; eumque constabit extra novi commenti esse suspicionem, et de libertate arbitrii eadem cum Tridentina synodo, eumque theologis omnibus, ac nobiscum adeo sentire, ut in potestate posita sit utriusvis ex oppositis eligendi sic, ut posset non eligere, si vellet.

In illo decimo capite secundi libri *Cur Deus homo*, agit Anselmus de ἀναμαρτησία Christi Domini, et Bosonem inducit secum ex adverso contendentem, ac sciscitantem, quomodo Christus peccare non potuerit ? Nam mentiri utique potuit, « quod semper peccatum est. Cum enim dicat Judæis de Patre : *Si dixero, quia non scio eum, ero similis vobis*

Impeccabilitate.

mendax [1] : et inter hæc verba dicat, non scio eum : quis eum dicat, easdem tres nequivisse proferre dictiones, sive aliis verbis, ut sic diceret, non scio eum ? Quod si faceret, ut ipse ait, esset mendax, quod est esse peccatorem. Quare quoniam hoc potuit, peccare potuit. » Hinc Anselmus occurrit ita : « Et hoc dicere potuit, et peccare non potuit ; » quod sic deinceps explicat : « Omnis potestas, inquit, sequitur voluntatem. Cum enim dico, quia possum loqui, vel ambulare, subauditur, si volo. Si enim non subintelligitur voluntas, non est potestas, sed necessitas. Nam, cum dico, qui nolens possum trahi, et vinci non est nec mea potestas, sed necessitas, et potestas alterius. Quippe non est aliud, possum trahi, vel vinci, quam alius me trahere, vel vincere potest. Possumus, itaque dicere de Christo, quia potuit mentiri, si subaudiatur, si vellet ; et quoniam mentiri non potuit nolens, nec potuit velle mentiri, nec minus dici potest nequivisse mentiri. Sic itaque potuit, et non potuit mentiri. »

Doctrina Anselmi de impeccantia Christi.

II. Hujus responsionis Anselmi summa hæc est : Christum absolute, ac simpliciter mentiri non potuisse, quia non potuit velle mentiri. Non est autem mentiendi potestas sine voluntate ; quia nullus mentitur, nisi velit. Ut autem, nisi velit, nemo mentitur ; ita nec potest mentiri, nisi possit velle mentiri. Quare, cum Christus non potuerit velle mentiri, mentiri non potuit. Potest tamen cum hac hypothesi quodammodo dici potuisse mentiri, ut si enuntiem sic : *Si vellet Christus, potuisset mentiri.* Sed hæc conditionalis cum sit rei impossibilis, non potest ex ea absoluta enuntiatio colligi : *Christus mentiri potuit.* Quemadmodum si quis ita necteret : Si Deus esset creatus, peccare posset, non fit ex eo consequens, posse Deum peccare. Manifestum est autem, Anselmum de ea potestate loqui, quam ἐξουσίαν Græci vocant, et a qua αὐτεξούσιος homo dicitur, quæ ex se minime determinata est, sed in utrumvis pro arbitrio ferri potest. Sola enim, quæ est ejusmodi, potestas sic effertur, ut subaudiatur, *si volo.* Ut cum dico, *possum loqui*, vel *possum bene vivere*, et similia, in illis semper intelligitur, *si volo.* Nam in locutionibus istis, communi usu, ac more, non absoluta potestas, sive natura insita facultas agendi significatur, sed actionis executio, ac πρᾶξις ; tanquam ita pronuntietur : *loquar*, vel *vivam bene*, *si velim.* Etenim, si naturalis ipsa loquendi, aut volendi potentia intelligatur, sive reipsa velim, sive nolim, nihilominus possum loqui, ac bene vivere ; antecedit enim innata vis et facultas voluntatis usum et actionem, non sequitur. Itaque falsum est, loquendi potestatem habere me, si velim, quasi sola voluntate mea fiat, ut loqui possim, ac nisi velim, hoc est si sola voluntatis actione nolim, potestate illa caream. Prorsus igitur, cum dico *possum loqui*, *si volo*, sensus iste dicti est *loquar*, *si volo*, adeoque *non loquar*, *si nolo*. Est enim conditionata ista, *si volo*, in ancipiti, et incerto positi, velut suspensa inter utrumque, velle, ac nolle, esse, et non esse. Unde non potest id de eo dici, quod necessario definitum determinatumque est, ut nonnisi unum integrum sit amplecti. Quis enim, sic loquitur : Possum non perpetuo vivere, si volo ; vel, Possum cum cæteris hominibus resurgere, si volo ? Nemo de iis dicit, quæ non sunt arbitrii, ac potestatis nostræ ita, ut eligere ista, vel non eligere possimus. Sed potestas hujusmodi est ἐξουσία, vel αὐτεξουσία illa, de qua superiori libro, capite XII egimus, quæ ex sese potest hoc, vel ejus contrarium optare ; agere, vel non agere.

Potestas vel *sui juris. arbitrium.*

III. Quo sensu nemo, nisi impie diceret : potest Christus peccare, si vult ; id enim esset, peccaturum eum, si velit, eo quod utrumque velle potest. Aliud enim, *si vult*, aliud, *si vellet*, quod est, *si velle posset ;* quod omnino Christus non potest, nec unquam potuit, non modo peccare, sed neque velle peccare. At, cum de nobis dicitur in mortali adhuc vita manentibus, « Potest iste peccare, si vult, » nemo, qui humano more sapit, et loquitur, aliter hoc accipit, nisi unumquemque posse ideo peccare, quia potest velle peccare ; qui, nisi velle possit, absolute non potest peccare. Denique pari modulo procedunt in istis potestas, et libera voluntas, ut, quatenus quisque velle potest, quod in ejus arbitrio situm est, eo ipso posse dicatur, et facere. Itaque tam Deus, et Christus, quam sancti homines, et Angeli peccare non posse dicuntur, sed dispari conditione. Nam Deus omnino, et absolute non potest peccare, quia non potest velle peccare, hoc est libertas illius est ejusmodi, ut ex se peccatum eligere nequeat ; at sancti ideirco peccare non possunt, quia reipsa non possunt velle peccatum, quamvis ea sint voluntate, quæ ex se in peccatum

1 *Joan.* VIII, 55.

inclinari potest. Quocirca peccare possunt, hoc est tam facere, quam velle peccatum, *remota potentia*, non autem *proxima potentia*. Et sic ἀναμάρτητοι sunt, cum sint natura sua ἁμαρτητικοὶ; eo quod creatum omne rationis particeps, qua ex nihilo factum est, peccare potest, ut vulgo Patres asserunt, præsertim cum adversus Arianos Filii divinitatem adstruunt. Et quamvis Christus, ac sancti cæteri, antecedente, ut vocant, necessitate, peccare non possint, quoniam citra deliberationem, et electionem hoc illis convenit, et ad speciem actionis honestæ definita est eorum voluntas; tamen multum inter ambos interest. Siquidem Christus necessitate quadam potentiæ ipsius, adeoque οὐσιώδει, et *substantiva*, determinatus est; reliqui nonnisi ex accidenti. Quippe bonitas peccati omnis expers, nulli rei creatæ οὐσιώδης est, sed adventitia est, et accidens; Christo autem, ac Deo secundum substantiam convenit.

Impeccabiles. *Peccandi capaces.*

IV. Plurimum autem ad Anselmi extricandam sententiam refert scire, ab eo necessitatem dupliciter accipi: uno modo, ut sit absoluta, neque ex voluntatis actione libera pendens: altero, ut sit conditionata, et ex ipsa consequens actione. Deum, exempli causa, amare seipsum, absolute est necessarium: aut Patrem amare Filium, et universe personas divinas sese mutuo diligere; non enim hoc electione quadam faciunt, cujusmodi in Deo cogitatur electio, sed naturaliter, et antecedente liberum omnem motum voluntatis actione. Cætera autem, quæ extra se sunt, et creata, nonnisi libere vult. Potuit enim nolle procreare: *Quomodo enim posset aliquid permanere, nisi tu voluisses*[1]? Nihilominus eo ipso quod esse voluit, ac liberam suam voluntatem ad ea producenda determinavit, et inflexit, non possunt illa non esse; quoniam immutabilis est Deus, et quod semel decrevit, necesse est fieri. Verum necessitas ista non est absoluta, sed conditionata, et ex libera voluntatis actione consequens. Nam et in homine ex eo, quod libere vult, similis necessitas existit, ut, cum reipsa vult, non possit eodem tempore non velle. Quidquid enim est, etsi contingens ex se sit, tamen, cum est, non potest non esse, adeoque necesse est esse; quia necessarium illud vocatur, quod non potest non esse. Sed hujusmodi necessitas, ut dixi, conditionata est, et consequens liberam, voluntatis actionem. Quod dixi de necessario, idem et de impossibili volo accipi; ambo enim ista conversim enuntiantur, ut Anselmus ait[2]. Etenim quidquid necesse est esse, impossibile est non esse; et quidquid impossibile est esse, necesse est non esse. Quare utrumque necessarium, antecedens, et consequens, adjunctum habet sui generis impossibile; quippe non solum impossibile est, Deum non seipsum velle, sed etiam id, quod est, non esse. Sed prius absolute impossibile est, posterius conditionate, et consequenter.

Duplex necessitas alia antecedens, alia consequens ab Anselmo constituta.

V. Cæterum duo ista necessarii, et impossibilis genera sic se habent, ut quod prius est, et absolutum, sive antecedens, libertatis usum eripiat. Quidquid enim necesse est esse, et impossibile est non esse, non est arbitrii nostri, uti fiat, aut non fiat, ac sit, vel non sit. Sed nonnisi fieri, et esse potest; ideoque neutiquam a nobis eligi dicitur, vel in potestate esse nostra. At quod posteriori modo necessario esse dicitur, et impossibile esse, ut non sit, conditionate tantum, videlicet quatenus est, et fit a nobis, non tollit liberi notionem; quandoquidem ex eo consequitur, et illud includit. Non enim propterea non sunt contingentes creaturæ, aut non esse potuerunt, quia Deus ab omni æternitate voluntatis suæ sententiam fixit, et immutabili consilio procreare illas statuit. Quin ea potius libere producit, eo quod designavit tempore, etsi, propterea quod immutabili decreto creare illas constituit, necesse sit, creari eas et existere, sitque impossibile aliter fieri. Verum hæc, uti dixi, necessitas est ὑποθετικὴ, et consequens, non antecedens et absoluta; neque divinæ voluntati libertatem, et indifferentiam detrahit, sed rei tantummodo creatæ, quæ hac ὑποθέσει posita, non potest non existere. Quod idem de Angelorum, hominumque voluntate, et ejus actione, proportione dicitur. Nam, cum volunt, eo ipso, quod volunt, velle eos necesse est; neque hæc necessitas facit, ut non libere velint. Faceret autem, si, antequam vellent, non haberent in potestate sua velle, aut non velle. Sic Pater seipsum amat, aut Filium, vel Spiritum sanctum producit, non electione aliqua, et ad utrumvis libera voluntatis motione, sed necessitate illa, quæ motum omnem illius antegreditur, et est absoluta.

Prior non posterior liberum tollit. *Hypothetica.* *Hypothesi.*

VI. Quibus animadversis, facile docebimus, Anselmum eam solam necessitatem cum libertate componere, et ei minime contrariam esse

1 *Sap* I.,I 26.— 2 Lib. II *Cur Deus homo* cap. XVII.

E supra dictis mens Anselmi expenditur.

dicere, quæ est consequens, et conditionata, non simplex, et antecedens : ac novi dogmatistæ fucum, et ludibrium omnium oculis exponemus, qui necessitatem simplicem ex Anselmi opinione dicit, non esse contrariam arbitrii libertati, dummodo coactio non sit, et violentia. Igitur Anselmus in capite XVII libri secundi, in quo disputat, *Cur Deus homo*, Deum probat « nulli subdi necessitati, aut impossibilitati; » probat autem sic : « Omnis quippe necessitas, et impossibilitas ejus subjacet voluntati. Illius autem voluntas nulli subditur necessitati, aut impossibilitati. Nil enim est necessarium, aut impossibile, nisi quia ipse ita vult; ipsum vero aut velle, aut nolle aliquid propter necessitatem, aut impossibilitatem, alienum est a veritate. Quare, quoniam omnia, quæ vult, et nonnisi quæ vult, facit; sicut nulla necessitas, sive impossibilitas præcedit ejus velle, aut nolle, ita nec ejus facere, aut non facere, quamvis multa velit immutabiliter, et faciat. Et sicut, cum Deus facit aliquid, postquam factum est, jam non potest non esse factum, sed semper verum est factum esse, nec tamen recte dicitur impossibile Deo esse, ut faciat, quod præteritum est non esse præteritum. Nihil enim ibi operatur necessitas non faciendi, aut impossibilitas faciendi, sed Dei sola voluntas, quæ veritatem semper, quia ipse veritas est, immutabilem, sicut est, esse vult. » Manifestum est iis ex verbis, necessitatem illam, quam cum libertate cohærere posse docet Anselmus, non aliam esse, quam consequentem, et, ut loquuntur, *hypotheticam*, non autem absolutam, et antecedentem. Est enim necessitas ejusmodi, quæ oritur ex actione Dei libera, qua definita, determinataque ejus est voluntas; quæ ideo mutari non potest, quoniam immutabilis est Deus, et actio illa, sive qua *immanens* dicitur, abesse ab ipso non potest, sive qua procreandum in tempore respicit effectum, in quo libertatis ejus notio consistit, ab eo divelli amplius nequit; siquidem Deus hoc absolute decrevit facere, quamvis, si aliter illi placuisset, non esse poterat. Sed, si velle ponatur, non potest non facere, quod ὑποθετικῶς duntaxat intelligi perspicuum est.

Hypothetice.

VII. Ex hoc vero ludificationes et præstigiæ novi dogmatistæ satis apparent, dum Anselmum in suam trahit sententiam, ex eoque confirmare studet, necessitatem simplicem non repugnare liberæ voluntatis actioni. Etenim novi dogmatis, quod ab Calvino, Bucero, aliisque similibus invectum est, ea ratio est, necessitatem simplicem, quæ voluntatis motionem liberam præcedit, non adimere libertatem, sed eamdem posse *volitionem* et esse liberam, et necessitate quadam antegressa definitam. De consequente porro necessitate, et ὑποθετικῇ, nulla fuit unquam quæstio; neque vel Catholicus quispiam, vel primis elementis philosophiæ leviter imbutus negavit, talem cum libero arbitrio necessitatem consistere. Ideo recte Anselmus, cogi idcirco non posse Deum, neque vim ejus inferri voluntati asserit, quod nulla istiusmodi coactio voluntate ipsius anterior est, sed eam consequitur. Etenim homines, et Angeli quoties velle aliquid coguntur, aut facere, quod alioqui nollent, antecedens est illa necessitas, quæ vim affert, eaque, quod ad interiorem voluntatis motum attinet, non potest absolute cogere, sed efficere hoc solum, ut non sponte velit. At in Deo nihil simile potest accidere, quia necessitatem omnem cogentem, et prementem sub se habet, et in potestate sua continet. Ergo neque fingi necessitas ulla potest, quæ hoc efficiat, uti Deus nolens aliquid velit, quod ei commune est cum omnibus libere agentibus, etiam creatis; neque ut non sponte velit, aut faciat aliquid. tanquam aliter expedire se nequeat, quod soli ipsi competit, *cujus in ditione cuncta sunt posita, et non est, qui possit resistere ejus voluntati* [1].

Hypothetica.

VIII. Levissimum perinde est, quod ex eodem Anselmo ab adversariis opponitur : « Angelos ab eo dici etiam nunc libere servare justitiam, hoc est bonam voluntatem suam, qua justitiam æternam, hoc est Deum diligunt; » unde argumentantur, liberæ voluntati non obstare necessitatem simplicem, qua certe Angeli justitiam servant, et Deum diligunt. Hæc illi; quæ profecto nunquam objicerent, si Anselmum paulo attentius legere vel, quæ mens illius sit, intelligere curassent. Nullus est enim locus, qui istorum novis commentis acrius obsistat.

Anselmus novis dogmatistis contrarius.

Hæsitabat Boso, quicum Anselmus in capite illo decimo libri secundi *Cur Deus homo*, disputantem se facit, quomodo laudandus sit Angelus ob justitiam suam, cum peccare nequeat, ac proinde necessario sit justus; quod ipsum de Deo multo magis convenit dicere? Huic Anselmus primum de Angelis ita respondet : « Angeli non sunt laudandi de justitia sua,

1 *Esth.* VIII, 9.

quia peccare potuerunt; sed quia per hoc quodammodo a se habent, quod peccare nequeunt. In quo aliquatenus similes sunt Deo, qui a se habet quidquid habet. Dicitur enim dare aliquid, quod non aufert, quando potest, et facere esse aliquid, qui, cum possit idipsum facere esse, non facit. Sic itaque, cum Angelus potuit auferre sibi justitiam, et non abstulit, et facere, se non esse justum, et non fecit, recte asseritur ipse sibi dedisse justitiam, et seipsum justum fecisse. » Quæ Anselmi verba ab novo dogmatista prætérita sunt, quod ejus, id est Calvini, Bezæ, ac Buceri ante ipsum hæresi, ut eam S. Thomas nominat, lethalem plagam inferunt. Nam ex iis colliguntur duo, quibus, velut totidem arietibus, tota illa falsæ moles opinionis perfringitur.

For. qui.

IX. Horum id primum est : stirpem laudis et radicem, adeoque meriti, et liberæ actionis, in potestate ad utrumvis eligendum esse positam. In quo Anselmus illud *Ecclesiastici* præ oculis habuisse videtur, ac declarare voluisse : *Erit*, inquit[1], *illi gloria æterna*, nempe beato diviti, *qui inventus est sine macula*. Cur autem ? *Qui potuit transgredi*, ait, *et non est transgressus, facere mala, et non fecit. Ideo stabilita sunt bona illius in Domino*, etc. Nimirum ob id gloria dignus æterna, et laudandus dicitur, quia, cum peccare velle posset, noluit, et maluit benefacere. Simillimum hoc est, quod de Angelo scribit Anselmus, propterea laudandum esse, quia libere, ac sponte justitiam tenuit, deserentibus aliis, et in officio mansit, cum itidem, ut illi, a Deo posset deficere. Quamvis igitur in eo justitiæ retinendæ proposito necessario nunc defixus hæreat, postquam in suscepta bonitate, atque gratia constantiam, et immobilem firmitatem præmii loco est adeptus ; non ob id præcise laudem meretur, quod in eo statu sponte perseverat, sed quod libere, cum posset, eum alteri prætulit, quem cum cæteris vitio suo depravatis optare potuisset. Est enim laudis, ac vituperationis causa propria, et unica, libera utriusvis eligendi, et amplectendi potestas, quatenus τὸ ἑκούσιον, id est *spontaneum* habet adjunctum, in bonis quidem absolute. Si enim prorsus invite fit, laudem non meretur, et eo majorem meretur, quo fit libentius. In malis autem auget peccati gravitatem voluntatis ipsius cum libertate propensio ; minuit autem vis, et extrinsecus adhibita coactio non tollit omnino ; de quo supra jam diximus.

X. Alterum, quod Anselmus significat, non minus Calvini asseclis contrarium est, dum ita scribit : non ideo laudandos esse Angelos, « quia peccare potuerunt ; sed quia per hoc quodammodo a se habent, quod peccare nequeunt. » Quorum verborum iste est sensus : Cum sit in libero arbitrio utriusvis amplectendi potestas, boni, vel mali, non ob id præcise, quod malum eligere, ac peccare potest, laude esse dignum ; sed eo ipso, quod, ut Scriptura loquitur, *cum posset transgredi, non est transgressus*, hoc est, cum peccare posset, maluit bene agere, et idcirco *a se*, id est sponte, non invite, et cogente aliquo justitiam amplexus est. Illud est enim *a se*, nimirum ex interiore motu, et impulsu, et, ut Græci loquuntur, αὐθαιρέτως. Et, quoniam libere se meliori parti semel addixit, ideo jam compos ejus factus, et ad eam immutabilis, ac necessariæ charitatis vinculis alligatus, laudem ex eo, quod libere, cum potuit, illum statum elegit, promeritam, ac partam constanter obtinet, non continuatione ipsa mereri, et in infinitum exaggerare pergit.

Libera electione.

Ita enim Augustinus, et complures alii veterum, Angelos dicunt liberi arbitrii, eoque adscitæ virtutis merito id assecutos, ut peccare amplius non possent, nimirum statum quemdam immutabilem, et indivulsam cum Deo conjunctionem. De quo ita Joannes Damascenus : « Diabolus, inquit, propterea quod incorruptibilis est, postquam ex electione lapsus est, pœnitentiæ expertem, et immutabilem in malo firmitatem habuit. Quemadmodum e contrario Angeli, postquam ex libero arbitrio virtutem elegerunt, immobilem in bono stabilitatem gratia consecuti sunt [a]. » Vide quæ in libro primo *de Angelis* de hac re fusius disputata sunt[2]; ubi inter alia Anselmi locum posuimus, qui et malo Angelo reditum ad bonum interclusum esse ait, tanquam peccati pœnam, et bono perpetuam in justitia datam constantiam, ob meritum vo-

a Damasc. lib. II, cap. xxx. Ἐκεῖνος γὰρ διὰ τὸ ἄφθαρτον, μετὰ τὴν ἐκ προαιρέσεως ἔκπτωσιν, τὴν ἐν τῷ κακῷ ἀμεταμέλητον ἔσχε, καὶ ἄτρεπτον παγιότητα· ὥσπερ αὖ πάλιν καὶ οἱ ἄγγελοι μετὰ τὴν ἐκ προαιρέσεως τῆς ἀρετῆς ἐκλογὴν, τὴν ἐν τῷ καλῷ διὰ τῆς χάριτος ἀμετακίνητον ἵδρυσιν.

1 *Eccl.* xxxi, 19. — 2 Cap. xi.

luntatis prioris, qua libere illam amplexus est. Inde ergo laudis, vituperationisque seges est repetenda, ut et capite XII libri antecedentis ostendimus.

CAPUT IV.

Quatenus potestas peccandi ad libertatem pertineat. De laude accuratius agitur. Eam solis actionibus, vel propter eas tribui, nec nisi libera ex voluntate profectis, quæ utriusvis eligendi potestate prædita sit. Fucus, et inscitia novorum dogmatistarum. Quomodo, et quibus de rebus laus Deo conveniat. Nempe ob ea duntaxat, quæ extra se libere facit. De Christi libertate obiter, deque ejus ἀναμαρτησία; *quanam ratione libere hæc illi competat. Unde nova opinio de libertatis natura validissime convincitur.*

Impeccabilitate.

I. Versatur autem hoc in loco novorum δογματιστῶν jocularis quædam calumnia, qui potestatem eligendi mali, sive peccandi negant ad libertatem ullo modo pertinere, eo quod defectus potius sit, et imbecillitas, quam potentia. Verum, uti creatarum rerum substantia, sive exstantia, quod est τὸ εἶναι, defectum aliquem habet adjunctum, velut οὐσιώδη, et insitum, ut possit non esse, et in nihilum dilabi; sic earum potentia, et agendi vis perinde mancum aliquid, ac defectum habet, ut aberrare possit, quod proprie est ἁμαρτεῖν. Hæc enim primaria, et originalis ratio est, cur creatum omne sit ἁμαρτητὸν, quod, ut e nihilo productum, in nihilum redire potest, sic in agendo deficere, et exerrare. Quare voluntati humanæ, et Angelicæ, cum creaturæ conditione, illa quoque deficiendi est ingenita facultas, non ut malum, qua malum est, asciscere possit, sed ut minus bonum anteponere meliori, eaque *naturalis* quædam bonitas est, et perfectio. Nam quæ moralis dicitur, ex qua proprie laus sequitur, non in agendi potestate, sed in actione ipsa cernitur. Nemo enim ob id laudandus, aut vituperandus est, quod honeste, vel turpiter potest agere; sed et ex recte facto commendationem, et ex male facto dedecus, ac pœnam meretur. Est tamen libertatis humanæ pars male agendi potestas, sive, ut universe loquar, non agendi perinde, atque agendi; quoniam liberi arbitrii, et electionis natura hæc est, ut inter opposita versetur.

Dogmatistarum.

Quatenus peccandi potestas ad libertatem pertineat.

Essentiale.

Peccati capax.

II. Hinc recte Procopii *Eclogæ in Genesim*, contra illos, qui Deum aiebant nonnisi bonum, ac bonos creare debuisse, negat id verum fuisse, « ne mancum, et quasi claudum esset, arbitrium nostrum liberum, alterius amputata facultate. » Subjicit eruditam hujus rei rationem : « Substantivum, inquit, bonum solum est divinum, quod et solum est æternum. Quod si immobile illud est, oportebat, bonum nostrum fieri mobile, ut hoc particeps sit, illud participetur; et quod participabilis est particeps, volens participet. Ubi autem voluntas est participationis, ibi est magis, et minus, ut dictum est. Ergo inest et nolle. Quod si e medio tolleretur propensio in deterius, tolleretur una et in melius propensio. Est enim propensio inclinatio ab uno in alterum, adeoque ab eo, quod non tale est, in id, quod est tale. Itaque si, quod tale dicitur, est bonum, oportebat, etiam illud esse, a quo desciscit; videlicet, quod reliquit, et, cum posset in illud transire, non transivit[a]. » Quæ Procopii disputatio præclara est, et notatione digna; ex qua intelligimus, non posse constare liberi arbitrii potestatem, ejusque notionem, sine facultate propendendi in utrumvis sive contrariorum, sive oppositorum. Idem porro, qua creatum est, tam in malum vergere potest, quam in bonum, eo quod non est bonum οὐσιωδῶς, id est *substantive*, sed mutari potest ab uno in alterum; quæ est ῥοπὴ, sive *inclinatio*, qua suspensa, et in medio velut librata, voluntas suopte nutu et arbitrio in id, quod libitum est, inclinat. Hinc Titus Bostrensis vetus auctor[1], et gravis in secundo *contra Manichæos*, « Necessarium esse

a Procop. Οὐδὲ χωλὸν εἶναι τὸ ἐφ' ἡμῖν περικοπείσης τῆς θατέρου δυνάμεως. οὐσιῶδες γὰρ ἀγαθὸν μόνον τὸ θεῖον, ὃ καὶ μόνον ἀΐδιον. εἰ δὲ ἀκίνητον ἐκεῖνο, τὸ ἡμέτερον ἀγαθὸν ἐχρῆν γενέσθαι κινούμενον, ἵνα καὶ τὸ μὲν μετέχῃ, τὸ μετέχηται, καὶ μετέχῃ θέλον τοῦ μεθεκτοῦ τὸ μετέχον. ὅπου δὲ θέλησις μετοχῆς, καὶ τὸ μᾶλλον, καὶ ἧττον, ὡς εἴρηται. οὐκοῦν καὶ μὴ θέλησις. εἰ δὲ ἀναίρεσις ἦν τῆς ἐπὶ τὸ χεῖρον ῥοπῆς, καὶ τῆς ἐπὶ τὸ χεῖρον* ἐγίνετο. ῥοπὴ γὰρ κλίσις ἀπό τινος εἴς τι. οὐκοῦν ἀπὸ μὴ τοιοῦδε εἰς τοιόνδε. εἰ δὲ τὸ τοιόνδε ἀγαθὸν, ἔδει εἶναι καὶ τὸ ἐξ οὗ μεθίσταται· ἦγουν ὅπερ ἀφῆκεν, ἐξὸν εἰς αὐτὸ μεταστῆναι, μὴ μεταστάν.

1 Tom. IV *Biblioth. Patr.* col. 909. — * *Leg.* βελτίον.

dicit, homines posse peccare, id quod est causa, ut possint ex virtute vivere. »

Quibus actionibus debeatur laus.

III. Igitur neque male agere laudabile est, nequo posse male agere. posse autem bene agere, ne ipsum quidem laude dignum est, sed tantum bene agere, non simpliciter, verum cum eo, ut vel male posset, si vellet, agere, cum agit bene, vel quod bonum agit, posset non agere, cum agit; nam, utrovis adempto, non est boni faciendi libera potestas. Ideo neque laus recte ita facto debetur, quia et virtutis actioni soli tribuitur, et ei, quæ ex libera electione proficiscitur, ut Aristoteles docuit : « Laus, inquit, ex actione oritur ; porro viri probi proprium illud est, quod secundum electionem fit[a]. » Et alibi : « Laus virtutis est, eo quod ex illa ad honeste agendum propensi sunt[b]. » Verum laus plerumque laxius, ac generalius usurpatur, ut ad ea quoque pertineat, quæ in potestate non sunt hominis, neque honesta sunt ex sese. Sic enim auctor *Rhetoricorum* ad Herennium, cum de demonstrativo genere agit, quod in laude, aut vituperatione versatur. « Laus, inquit, potest esse rerum externarum et corporis, et animi. » Itaque ex rhetorum præceptis ducuntur ab natalibus laudes, aut à patria, parentibus, educatione, forma, corporis viribus, opulentia, cæteris denique, quæ aut in arbitrio nostro minime sunt, aut malis perinde, ac bonis eveniunt ; sed est vocis quædam abusio, ut laus pro quacumque prædicatione, et commendatione sumatur.

IV. In quo Græci sane minus angusti sunt, qui ad utrumque distinguendum genus habent vocabula diversa, μακαρισμὸν, et ἔπαινον ; de quibus ita Synesius in oratione *de Regno* : « Est, inquit, non eadem natura, sed utrumque diversum, *laus*, et *beatitatis* prædicatio. Beatus enim aliquis ob ea etiam, quæ externa sunt, prædicatur ; laus nonnisi internis convenit, in quibus felicitas stabilitur[c]. » Verum

Beatitatem.

Aristoteles τὸν μακαρισμὸν latius extendit[1], nec ad sola ea bona, quæ et externa sunt, nec in potestate nostra sita, pertinere putat ; ac duo ista secernit invicem, *laudabilia*, et *honoranda*, quæ ille nominat ἐπαινετὰ καὶ τίμια. Nam *laudabile* id est, quod certo modo affectum, id est ad actionem aliquam, et opus eximium præstandum bene comparatum est ; ad actionem enim, ut jam dixi, laus omnis refertur[d]. At vero quæ sunt τίμια, et summa quadam excellentia prædita, non ea laudantur, sed illa qui obtinent, felices ac fortunati habentur. Ita Deos ait, et divinos homines non tam laudari, quam beatos prædicari. Sic igitur laude dignos esse proprie illos dicimus, qui honeste aliquid agunt, et quatenus agunt. Ob illa vero, quæ vel a natura consecuti sunt, vel nulla sua industria, et labore pepererunt, vel quæ cum honestate conjuncta non sunt, non laudari, sed beatos judicari ; quod est εὐδαιμονίζεσθαι, et μακαριζεσθαι.

Quomodo laus Deo conveniat.

Utrumque suo modo, et ut fert captus intelligentiæ nostræ, accommodare Deo possumus. Nam et laus ei proprie dicta convenit, propter illa, quæ extra se libere, ac pro arbitrio facit, et in res creatas perpetua liberalitate profundit ; et μακαρισμὸς, hoc est, ut Scripturarum utar vocabulo, *beatificatio*, sive εὐδαιμονισμὸς, ob illa bona, quæ naturaliter ei competunt, cujusmodi sunt ea, quæ *attributa* dicimus, qua sunt οὐσιώδεις proprietates ; tum

Essentiales

etiam propter æternas processiones personarum, et alia, quæ non pendent ex libera voluntatis actione, sed existendi necessitatem habent. Quanquam, ut dixi, sæpe idem utrique bonorum generi vocabulum *laudis* in Scripturis attribuitur. Sed etsi commune sit nomen ; distinguenda tamen est potestatis, ac notionis varietas, uti, translata rebus ab nostris similitudine prædicationis, intelligamus, quatenus in Deo quidque commendetur, ac celebretur.

Anselmus a fuco novorum dogmatistarum vindicatus.

V. Ex his Anselmi reliqua, quibus novi dogmatis vindices abutuntur, dextre interpretanda sunt ; et isti ipsi redarguendi, qui specie verborum fallunt imperitos, ac juxta secum sapere docent, hoc est nihil omnino sapere. Asserunt enim, ex Anselmi sententia[2], « Deum voluntate, non necessitate esse justum, etsi peccare non possit, et inde laudandum esse, quia istud a seipso habet, non ab alio. » Sic enim Anselmus scribit[3] : « Qua-

a Arist. I *Rhet.* vi, 9. Ἐπεὶ δὲ ἐκ τῶν πράξεων ὁ ἔπαινος, ἴδιον δὲ τοῦ σπουδαίου τὸ κατὰ προαίρεσιν.

b Id. lib. I *Mor. Nicom.* cap. xii. Ὁ μὲν γὰρ ἔπαινος τῆς ἀρετῆς. πρακτικαὶ γὰρ τῶν καλῶν ἀπὸ ταύτης.

c Synes. Ἔστι δὲ οὐ μία φύσις, ἀλλ' ἕτερον ἑκάτερον, μακαρισμὸς, καὶ ἔπαινος. μακαρίζεται μὲν γὰρ ἐπὶ τοῖς ἔξωθεν. ἐπαινεῖται δὲ ἐπὶ τοῖς ἔνδοθεν, ἐφ' ὧν ἡ εὐδαιμονία τὴν ἰσχὺν ἔχει.

d Arist. Φαίνεται δὴ πᾶν τὸ ἐπαινετὸν τῷ ποιόν τι εἶναι καὶ πρός τί πως ἔχειν, ἐπαινεῖσθαι. τὸν γὰρ δίκαιον, καὶ τὸν ἀνδρεῖον, καὶ ὅλως τὸν ἀγαθὸν, καὶ τὴν ἀρετὴν ἐπαινοῦμεν διὰ τὰ ἔργα, καὶ τὰς πράξεις.

1 Lib. I *Nicom.* cap. xii.— 2 Lib. XVI, cap. xvi.— 3 Ansel. lib. II *Cur Deus homo* c. x.

propter, quoniam Deus perfecte habet a se, quidquid habet, ille maxime laudandus est de bonis, quæ habet, et servat non ulla necessitate, sed, sicut supra dixi, propria, et æterna immutabilitate. » Quod adversarii « non tantum esse verum contendunt, respectu operum temporalium, sed etiam respectu voluntatis istius, qua suam veritatem diligit. » Atqui de bonis illis, quæ habet Deus, eatenus Anselmus ista dicit, qua ad externum usum, atque commodum rerum creatarum applicantur. Sic enim Aristoteles paulo ante citatus indicat, non solum virtutis actiones laude affici, sed ipsas quoque virtutes, et habitus, ac bene agendi facultates, prout actuosæ sunt, et σχέσιν, hoc est *habitudinem* continent ad præclara, et laudabilia facta. « Justum, inquit, et fortem, et omnino bonum virum, necnon virtutem laudamus propter opera, et actiones. Sic etiam robustum, et ad cursum celerem, et aliorum unumquemque eo laudamus, quod quodammodo est affectus, et certo modo se habet ad bonum aliquod, et studio dignum [a]. »

Igitur et substantiæ, et facultates, et ipsi habitus per sese minime laudantur, sed ita duntaxat, ad ut opera, et actiones referuntur. Hæc enim est natura τῶν ἐπαινετῶν, id est *laudabilium* ; quod recte Eustratius *Nicomacheorum* interpres ad illum locum Aristotelis exponit.

VI. Quæ cum ita sint, divinorum bonorum ea proprie sola laudantur, quæ ad usum aliquem conditarum rerum, et emolumentum pertinent, ut sunt beneficæ omnes facultates, et quæ virtutum instar summæ illi majestati affinguntur a nobis. Sunt enim omnia illa σχετικὰ, id est *habitudinem*, et comparationem habent ad fructuosas aliquas, et conducibiles actiones, atque opera extra Deum effusa, quam quidem τῶν ἐπαινετῶν conditionem præfinit Aristoteles. Hanc ipsam σχέσιν divinorum nominum, et iis subjectarum proprietatum, ac totam adeo præsentem sermonem illustrat eleganti, et aptissima disputatione Synesius in oratione *de Regno* ; in qua nomina omnia, quæ de Deo dicuntur, absolutam, et ab usu et efficientia disjunctam negat habere significantiam ; sed « habere quasdam habitudines ad res conditas [b]. » Tum, quod caput est, idipsum illis in vocibus ostendit, quæ instar ἕξεων, id est *habituum* et ποιοτήτων, hoc est *qualitatum*, efferuntur a nobis, et intelliguntur, quales sunt bonitas, justitia, et cætera id genus : « Nec enim boni nomen, ait, absolutum quippiam auribus sonat ; sed illis bonum, quorum est efficiens, quæque eo frui possunt [c]. »

Laudabilium. Relationem.

Hinc videlicet manifestum illud est, quod dixi, laudari proprie Deum ob ista bona, quæ in creaturas profundendi sui vim habent, et quorum idcirco libera est ad earum commodum applicatio, et efficientiam quam ἀποῤῥοὴ vocat Dionysius. Atque hoc sensu scriptum est ab Anselmo, Deum « de bonis iis laudandum esse, quæ habet, et servat, non ulla necessitate, sed propria, et æterna immutabilitate, quæ et habere dicit a seipso. » Siquidem voluntatem bene de humano genere merendi, ac juste, clementerque cum eo agendi, capit ex seipso Deus, quod est bonum, justum, et misericordem a seipso esse, sive sponte, non cogente ulla necessitate ; atque hanc voluntatis actionem ab æterno habet immutabilem atque fixam, secundum illa, quæ de libera Dei voluntate alias exposita sunt [1]. Ac licet nonnisi sancte, et honeste queat agere, nec in malum inclinari voluntas divina possit ; potest tamen ex pluribus bonis inter se comparatis, et oppositis quodammodo, unum pro arbitrio suo deligere ; et quod Petro, verbi gratia, post peccatum ejus, benigne uti voluit potius, quam Juda proditore, fecit non necessitate coactus aliqua, sed a seipso, et sponte, ac *motu*, ut vulgo loquuntur, *impulsuque proprio*, cum illum in suscepta culpa relinquere potuisset.

De quibus proprie laudetur Deus.

Effluxionem.

VII. At etiam, ut novi dogmatistæ prædicant, « respectu voluntatis istius, qua suam veritatem diligit, et non tantum respectu operum temporalium, » illud habere Deus ab Anselmo dicitur, ut et libere illam amet, et tamen necessario. Hic vero ille locus est, in quo manifeste illorum oscitantia, cæcitas-

Juxta prædicta mens Anselmi constituitur

a Arist. I *Nicomach.* cap. xii. Τὸν γὰρ δίκαιον, καὶ τὸν ἀνδρεῖον, καὶ ὅλως τὸν ἀγαθὸν, καὶ τὴν ἀρετὴν ἐπαινοῦμεν διὰ τὰ ἔργα, καὶ τὰς πράξεις, καὶ τὸν ἰσχυρὸν, καὶ τὸν δρομικὸν, καὶ τῶν ἄλλων ἕκαστον τῷ ποιόν τινα πεφυκέναι, καὶ ἔχειν πως πρὸς ἀγαθόν τι, καὶ σπουδαῖον.

b Synes. Ταῦτα πάντα σχέσεις εἰσὶν αὐτοῦ πρὸς τὰ παρ' αὐτοῦ.

c Synes. Οὐ γὰρ ἀπολυτὸν εἰς ἀκοὴν ἔρχεται τἀγαθὸν, ἀλλ' ἐκείνοις ἀγαθὸν, ὧν ἐστι πρακτικὸν, καὶ οἷς ἐστιν ἀπολαυστόν.

1 Tom. I, lib. I, cap. xiii.

que convincitur. Anselmi modo verba proferantur, quæ isti citant. Ea sunt in capite XVII libri ejusdem secundi, *Cur Deus homo* ; in quo demonstrat, nullam in Deo *necessitatem*, id est *coactionem*, nec *impossibilitatem* esse sive in volendo, nolendove, sive in faciendo, vel non faciendo, eo quod « nihil est necessarium, aut impossibile, nisi quia ipse ita vult. Quare, quoniam omnia, quæ vult, et nonnisi, quæ vult, facit ; sicut nulla necessitas, sive impossibilitas præcedit ejus velle, aut nolle, ita nec ejus facere, aut non facere, quamvis multa velit immutabiliter, et faciat. » Cum autem huic obsistere videatur, quod, ex quo semel aliquid decrevit, ac voluntate proposuit, non potest aliter velle, ac proinde necesse sit fieri, et impossibile sit non fieri ; Anselmus illud ita diluit, ut hanc necessitatem non aliam, quam consequentem esse doceat : « Sicut, inquit, cum Deus facit aliquid, postquam factum est, jam non potest non esse factum, sed semper verum est factum esse ; nec tamen recte dicitur, impossibile Deo esse, ut faciat, quod præteritum est non esse præteritum. Nihil enim ibi operatur necessitas non faciendi, aut impossibilitas faciendi, sed Dei sola voluntas, quæ veritatem semper, quia ipse veritas est, immutabilem, sicut est, esse vult. » Igitur, cum Deus ex duobus, quæ sibi proposuerat, ut quod mallet ex iis eligeret, unum aliquod definite, determinateque constituit facere, necesse est quidem fieri, et impossibile est non fieri, sed utrumque consequens est voluntatem illius, non antecedens, quia hoc ipso necesse dicitur, quia vult facere ; quemadmodum cum vult Socrates ambulare, eo ipso, quo vult, necesse est, velle, non enim potest velle simul, et non velle.

Differentia actionis divinæ et humanæ.

VIII. Interest vero Deum inter et hominem, quod hujus actio non perpetua sit, sed alteri altera succedat, sive contraria, sive specie eadem, Deus autem una, eademque, ac simplici voluntatis liberæ motione, quæ mallet, omnibus ex rebus elegit ; estque fixa et immutabilis actio illa, qua voluntatem suam ab omni æternitate determinavit. Hinc Hippolytus martyr in sermone *de Theologia*[1], id est *deitate*. « Velle, inquit, habet Deus ; non enim non velle, quoniam hoc vertibilis est, et eligentis. Sed sempiternam voluntatem Dei sequuntur, quæ fiunt, cui et facta manent soluta. » Est enim ipsa divinitatis substantia, quatenus ad hanc rem potius, quam illam procreandam in tempore comparatur, ut alibi diximus. Itaque perinde loqui debemus de sempiterna, et per æternitatem omnem continuata Dei voluntate, sive *volitione*, ac de singulari aliqua, et præsenti creatæ voluntatis actione, ut, quia utraque jam esse ponitur, et ideo quia ponitur necessario sit, neque possit non esse. Idcirco veritas illa immutabilis dicitur, non ex se, naturaque sua, sed conditionate, quatenus videlicet ita vult Deus. Sed est aliud ut necessitatis, et immutabilitatis, sic veritatis genus absolutum, nec ex libera pendens electione, cujusmodi est natura ipsa Dei, et exstantia, necnon proprietates illius omnes, ut in se ipsæ considerantur. De quibus nemo ita loquatur : Deus ideo est æternus, immortalis, omnipotens, quia vult se immortalem, æternum, omnipotentem esse ; aut ita : Si vult, est æternus, immortalis, etc. Qui enim sic dixerit, jure impius, ac profanus habeatur. Quid ita ? Quoniam, cum de Deo, quæ dicimus, eatenus dicamus, qua intelligimus, et mente percipimus ; prius autem intelligamus, Deum esse quidquid est, quam agere, ac velle libere ; non potest id, quod ratione, cogitationeque nostra posterius est, causa dici prioris. Accedit, quod, ut supra observatum esse memini, in enuntiatis istis : *Ideo hoc est*, *quia volo esse*, vel, *Si volo*, erit *hoc*, nec alia voluntas exprimitur, quam libera, quæ et non velle posset, nec aliter existens ac producta res, quam ut non esse posset, si sic voluntas fuisset.

Quapropter versuta est, et captiosa novi dogmatistæ ratio, qui, quod Anselmus de veritate contingente ex sese, et sola libera Dei voluntate constituta dixit, id ad naturalem, et necessariam divinæ essentiæ veritatem transtulit. Quam quidem non libere vult Deus, nec eligit, aut esse vult, antecedenti voluntatis suæ motione, quæ ad solas creaturas extenditur.

De Christi libertate et impeccantia

IX. Ejusdemmodi est ad illa responsio, quæ de Christi libertate eodem ex Anselmo adversarii proferunt : « Sic ergo homo ille, ait Anselmus[2] qui idem ipse Deus erit, quoniam omne bonum, quod ipse habebit, a se habebit, non necessitate, sed voluntate, et libertate, et a seipso justus, et idcirco laudandus erit. Quamvis enim humana natura a divina habeat, quod habebit, idem tamen a seipso

1 In Syn. Later. sub. Martin. I Secret. IV, tom. IV Conc.— 2 Anselm. c. X.

(quoniam duæ naturæ una persona erunt) habebit; » Christum ait ob id laudandum esse, quod a seipso, id est sponte, et nullo cogente, justus est, hoc est justitiam in omnibus, ac rectam rationem tenet. Nam, etsi libera ejus voluntas injusti aliquid velle nequit, nec sub eodem genere in contrarias boni, ac mali inclinare species; potest tamen ex duobus propositis creatis bonis alterutrum optare, ac vel agere, vel non agere. Sed illam voluntatis immutabilitatem, qua sola bonitatis specie circumscripta, determinataque est, quamvis, ut homo est, hoc est ab humana conditione, non habeat, (quoniam unius est propria divinitatis ἀναμαρτησία) a seipso tamen eatenus habet, quod cum Deo una est, eademque persona. Siquidem, et propter proprietatum communionem, quæ naturæ unius propria sunt, alteri tribuuntur et quod in se, ac formaliter, ut sic loquar, habet humana Verbi natura, propter quod est ἀναμάρτητος, totum id hypostasi divinæ, cui est conjuncta, refert acceptum. Hæc Anselmi mens est. De ἀναμαρτησία hominis Christi plenius alibi dicendum erit.

Impeccabilitas.

Impeccabilis

Impeccabilitate.

X. Meminisse hic oportet, quod supra monuimus, Anselmum sic accipere, quod ait, *a seipso habere justitiam*, ut sit libera sponte, non necessitate cogente, vel persequi, vel habere, ac sibi causam adeptæ illius esse. Angeli porro dupliciter a seipsis habent justitiam, hoc est juste vivunt, et in eo perseverant. Est enim justitia duplex: una quam *actualem* nominare possis, cum nulla, nisi honestati, et justitiæ consentanea existit actio: altera in statu, et quasi habitu cernitur. Harum primam Angeli a seipsis, id est sponte, et libero arbitrio voluntatis exprimunt, quoties recti, et honesti aliquid faciunt, quod iis integrum esset omittere, aut alterum in eodem honestatis genere suscipere. Posteriorem vero, ut ad recte agendum parato semper animo sint, nec nisi honeste se gerere possint, ac nunquam ab justitia desciscant, habent non ex præsenti liberæ voluntatis usu, quoniam hoc illis liberum non est, sed necessarium, verum ex eo, quod cum *in via* ut scholæ loquuntur, adhuc essent, in ea gratia, et justitia, quacum creati sunt, libere manere decreverunt, cum ab illa possent deficere, si vellent. Hinc a seipsis justitiam habere illos ait Anselmus, eo modo, quo creatæ mentes posse a se dicuntur illam habere; quandoquidem absolute, atque ex propria conditione possent abjicere justitiam.

Quatenus impeccantia Christo libere competat.

Sed nunc minime hoc possunt, non οὐσιωδῶς, sed ex accidenti. Itaque libertatis notio, qua status iste liber dicitur, ad antecedentem, et nondum determinatam Angelorum voluntatem refertur, non ad præsentem ejusdem affectionem, quæ illos felici quadam necessitate cum summo bono, ac fine ultimo colligatos, et constrictos tenet.

Essentialiter.

XI. Christus vero tum in actione consistentem, tum in habitu justitiam libere obtinet; priorem quidem eodem, atque Angeli, beatique homines modo, quia non sponte solum, sed etiam libere honesta multa fecit, et etiamnum facit, quæ, si vellet, non faceret; posteriorem autem justitiam, quæ in eo sita est, ut nonnisi recte justeque possit agere, nec ab ejus regula deflectat unquam, non itidem, ut Angeli, ex antegressa liberæ voluntatis electione consecutus est, tanquam aliquando secus facere, aut ab justitia recedere potuerit. Est enim οὐσιωδῶς, et secundum substantiam, personamque suam ἀναμάρτητος, ut peccare nunquam potuerit. Sed, ut ait Anselmus, a divina natura id habet homo Christus, ut a seipso justitiam quodammodo naturalem, et *habitualem* possideat. A seipso, inquam, hoc est non sponte solum, sed etiam libere; non eo sensu, quem novorum dogmatistarum natio inscite sibi, ac perperam finxit, quasi libero nihil obstet necessarium, verum abstruso quodam ac recondito, cujus ignoratio densissimas illorum mentibus tenebras offudit, et ab Anselmi vera. et genuina sententia longius abduxit. Ecquis igitur ille modus est, quo Christus homo justitiæ, ac sanctitatis immutabilitatem a seipso, id est libere, dicitur habere? Nimirum quod Deus libere hominem assumpsit, cum posset homo non fieri. Unde quidquid ex illa conjunctione velut necessario connexum nactus est Christus, hoc a seipso, id est libere habet, non ex humanæ voluntatis electione, sed divinæ. Quamobrem, quod Christo secundum humanum appetitum, et voluntatem necessarium est, ut aliter evenire nunquam potuerit, id secundum divinam naturam, atque personam, non modo spontaneum, sed etiam liberum dicitur; idque habet a seipso, hoc est libero suo arbitrio non humano, sed divino: « Quamvis enim, ait Anselmus, humana natura a divina habeat, quod habebit, idem tamen a seipso, (quoniam duæ naturæ una persona erunt) habebit. »

Essentialiter. Impeccabilis

XII. Quæ verba si attentius legerent adversarii, nunquam sui fautorem erroris illum

nominarent; nullius enim contra istos plus habet roboris, ac momenti testimonium. Nam quid aliud postremis istis voluit, nisi statum illum τῆς ἀναμαρτησίας humanæ in Christo naturæ, non *a seipsa*, id est sponte ipsius et electione libera convenire, sed eatenus, quod divina persona, quacum una est, a seipsa, id est libere sibi eam adjunxit, ac talem esse voluit? Christus enim quatenus Deus, hoc est Verbum, *a seipso*, id est sponte, ac libere voluit esse ἀνάμαρτητος, qua homo est, quoniam homo esse voluit.

Impeccabilitatis.

Impeccabilis

Quod si Anselmus in eadem cum Calvino, Bucero opinione, sive, ut eam S. Thomas appellat, hæresi fuisset, ut libertati arbitrii solam opponi coactionem arbitraretur, non autem necessitatem simplicem, ac si liberum nihil ab spontaneo differre putasset; cur Angelum firmam, et immobilem non peccandi voluntatem habere *a seipso* diceret, hoc est, ut ibidem ait, « non necessitate, sed voluntate, et libertate, et a seipso justum, et laudandum esse? » cur, inquam, illam non peccandi firmitatem, ac necessitatem, liberam et voluntariam esse diceret, propter antecedentem illum libertatis usum, « quo, cum potuisset auferre sibi justitiam, non abstulit? » Quid ambagibus istis opus erat, ut causam liberæ in præsenti statu voluntatis explicaret, cum tanto brevior et expeditior illi ratio constaret, si a seipso, si libere, si nulla necessitate, id est vi, et coactione, justum illum esse, nec nisi juste, et honeste agere scripsisset, quod sponte sit ejusmodi, et in perpetuum sit futurus?

Cur Angelos laudandos asserat Anselmus.

XIII. Respondeant mihi novelli dogmatistæ, cur Anselmus *laudandos de justitia sua Angelos* asseveret, non præcise, « quia peccare potuerunt, sed quia per hoc, quod peccare potuerunt, quodammodo a se habent, quod peccare nequeunt. » Nempe laus omnis, quæ virtuti creaturæ, et justitiæ proprie tribuitur, non aliter, auctore Anselmo, convenit, nisi ex ea voluntate profecta sit, quæ posset agere vel non agere, et, si de universa boni et justi specie loquimur, quæ sic ascita sit, ut ejus contraria pravitas eligi posset. Etenim de statu ipso, habituque justitiæ fixo et immutabili loquitur Anselmus, cui non aliud oppositum est, quam hujus ipsius privatio, id est peccati habitus; ut propterea non aliter libere, et voluntaria electione, id est a seipsis, laudabilem statum istum Angeli habere potuerint, quam si contrarium ejus peccatum in illorum potestate, ac libertate fuerit, ut, quod idem ait, *justitiam auferre sibi*, cum possent, noluerint, et idcirco *a seipsis* illam habere, libereque dicantur. Non habent igitur justitiam *a seipsis*, hoc est non ideo status ille immutabilis justitiæ voluntarius et laudabilis est in Angelis, quia sponte, ac citra coactionem modo illum retinent. Non enim invitos, puto, et coactos nunc Angelos esse justos, sed ultro, plenoque mentis affectu in id esse propensos. Et tamen voluntarii, et laudabilis in illo τῆς ἀναμαρτησίας, obtinendo statu rationem Anselmus ad istum non refert spontaneum, et ideo liberum, ut nova theologia sciscit, animi motum, sed ad priorem, cum peccare adhuc poterant, et in contraria voluntates inclinare suas. Evigilent itaque falsi, absurdique dogmatis architecti; ac tum specie verborum fucum auribus facere desinant, tum nihil laudabile, id est ἐπαινετὸν proprie esse discant, nisi quod tali ab voluntate prodierit, quæ in opposita suopte nutu, et arbitrio flecti potuerit. « Non enim consisteret peccatum, ait Ambrosius[1], si interdictio non fuisset. Non consistente autem peccato, non solum malitia, sed etiam virtus fortasse non esset, quæ, nisi aliqua malitiæ fuissent semina, vel subsistere, vel eminere non posset. » De virtute autem vel *morali*, et studio parta loquitur, vel cujus possessio libera ex voluntate pendet; quæ nisi contrario proposito, et sponte repudiato vitio, laudem non meretur, neque virtutis nomen assequitur.

Impeccantia

XIV. Sic incassum illud ex Anselmo[2] nobis intentant adversarii, quod Christum ait ita « mentiendi potestatem habuisse, ut a seipso haberet non posse velle mentiri, et idcirco de sua justitia, qua veritatem servavit, esse eum laudandum; » ac « similiter semper habuisse potestatem servandi vitam suam, quamvis nequiverit velle servare, ut nunquam moreretur. Et quoniam hoc a seipso habuit, ut scilicet velle non posset; non necessitate, sed libera potestate animam suam posuit. » Hæc Anselmus. « In quibus, ait dogmatistes novus, nihil ad libertatem Christi requirit, quam, quia a seipso habet, quod velle non potest, hoc est quia immutabiliter amat veritatem, justitiam, præceptum Patris, a quorum non potest dilectione deficere. » Sed ex antecedentibus plane liquet, aliam Anselmi mentem fuisse, quam isti non intellexerunt, qui, quid

1 Lib. *de Parad.* c. VIII.— 2 Anselm. l. II *Cur Deus homo* c. XVI.

sit *a seipso habere* Christum, *non posse velle*, quod paternæ voluntati contrarium sit, funditus ignorarunt. Est autem hoc, ut supra dictum est, idem ac libere, et cum potestate deligendi oppositi. Cujusmodi potestatem eligendæ, ac sibi tribuendæ τῆς ἀναμαρτησίας, qui eam libere indulsit homini, Christus habuit, non ut homo erat, sed ut Deus. Nam, qua homo est, non habuit a seipso, ut non posset velle mentiri, vel contra præceptum paternum aliquid facere, cum ad hoc ipsum volendum et exequendum necessitate definitus, ac determinatus fuerit. Superest igitur, ut propter unitatem personæ, ac naturarum diversitatem, *a seipso*, qua Deus est, et libere ἀναμαρτησίαν elegerit, non divinæ naturæ suæ, sed humanæ, quatenus libere se fecit hominem, cum posset non facere. Cujusmodi enim voluntate homini dedit, ut Deus esset, eadem, quæ ex illo statu sequuntur, indulsit, et inter hæc, ut peccare omnino velle non posset.

Impeccantiæ

Impeccantiam.

Sed de Christi libertate plura suo loco depromenda erunt; hic obiter et paucis illa perstringenda fuere, uti novi dogmatis auctoribus temere, et inscienter usurpatum Anselmi patrocinium excuteremus.

CAPUT V.

De Bernardi sententia; quem fautorem erroris sui novi dogmatistæ falso sibi vendicant. Explicantur illius loca, quibus isti male utuntur. Cur ab eo necessitas cogens opponatur libero arbitrio. Id eo facere ipsum, quod sit determinans ad unum. Et agitur ea occasione paululum de violento, et coacto; idque, quale sit in rebus moralibus, exponitur; quinam appetitus voluntatem cogere dicatur, ex Scriptura, et Bernardo declaratur.

Bernardus falso in consortium novi erroris impositus.

Etiamne Bernardus in consortium novæ, et absurdæ opinionis imponitur? Imo et præcipuum ex ejus auctoritate robur illam capere tam audacter, quam falso prædicant. Atqui nemo isti novitati vehementius intercedit, nemo vi majore sententiarum, ac pondere illam obruit, nemo caliginem istam, nebulas istas tenebricosi dogmatis clariori veritatis luce discussit. Quod eo diligentius hoc loco demonstrandum est, quo major ab illis conatus adhibetur, ut obliquis, et captiosis interpretationibus ad mentem suam illius dicta contorqueant. Verum, si et æquus, et paululum diligens ad ea cognoscenda lector accedat, spero, me disputatione hoc effecturum mea, ut inanes ac ludicras illorum præstigias, et pueriles vocum calumnias et intelligant omnes, et intellectas irrideant, atque proculcent.

Scripsit de gratia et libero arbitrio librum Bernardus, in quo utriusque consensum explicat, admirabili quadam facilitate, et divina potius, quam humana sapientia, nemo ut hoc in argumento tractando anteponendus illi videatur; adeo et breviter, et accurate, et illustribus verbis, ac sententiis rem unam sane difficillimam exponit, nihil ut amplius desiderare possit pudens quilibet, ac sapiens, sed, ex Apostoli cautione, *ad sobrietatem sapiens*. In hoc igitur asserendo sibi, et in partes suas trahendo, multum operæ ac studii collocant nuperi dogmatistæ; quos insigniter aberrare, vehementerque falli, pari contentione, sed successu, uti spero, meliore, ac veritate suffragante, monstrabimus, quatenus de libero arbitrio agitur. Nam de gratiæ cum eo concordia neque propositi hoc loco est dicere, neque citra sedis Apostolicæ voluntatem, quæ mihi sanctissimæ legis instar est, de ea quæstione disputabimus. Sed, quod integrum nobis est, in asseveranda libertatis, arbitriique liberi natura, prorsus ab nova opinione dissentire Bernardum, tam puto esse clarum, quam est iste sol, cujus luce, ac radiis ad hæc scribenda collustramur.

Quidnam necessitatis genus ex Bernardo libertati contrarium.

II. Omnis de Bernardo nuperi dogmatistæ in id conatus intenditur[1], ut ab illo probet libero hominis arbitrio solum hoc oppositum esse necessitatis genus, quod vim et coactionem, seu violentiam adhibet; quæcumque autem est ejusmodi necessitas, ut quod ex ea fit, tamen sponte fiat, eam non esse libertati contrariam. Velut cum beati Deum amant, etsi non aliter facere possunt, quia sponte ac volentes faciunt, facere liberrime. Nos ex adverso contendimus, Bernardum, qualemcumque tandem necessitatem, et quacumque notione sumptam, eo præcise adversari velle libero arbitrio, quod adimit eligendi utriusque potestatem, et ad unum e duobus arctat, et definit liberam hominis voluntatem. Utri melius judicent, ex ipsa disputatione Bernardi,

1 Tom. III, lib. VI, c. XVII.

et argumento licet cognoscere. Est enim de gratia et libero arbitrio, cujus occasionem sibi natam ait ex quodam sermone, quem de gratia instituerat, cum « scilicet ab ipsa se in bono et præventum agnosceret, et provehi sentiret, et speraret perficiendum. » Quod audiens quidam, « Quid tu ergo operaris, dixit, aut quid mercedis speras, vel præmii, si totum facit Deus? » At Bernardus et boni suscipiendi voluntatem, et exequendi potestatem a Dei esse gratia; a nobis vero nihil, nisi consensum, eadem adjuvante esse gratia, demonstrat toto illo libro. Quem consensum voluntarium esse debere, non expressum necessitate, id est coactum, et invitum asserit. « Est enim habitus animi liber sui; siquidem non cogitur, non extorquetur. Est quippe voluntatis, non necessitatis; nec negat se, nec præbet cuiquam, nisi ex voluntate. Alioqui, si compelli valet, violentus est, non voluntarius. Ubi autem voluntas non est, nec consensus. Non est enim consensus, nisi voluntarius. Ubi ergo consensus, ibi voluntas. Porro ubi voluntas, ibi libertas. Et hoc est, quod dici puto liberum arbitrium. »

De qua libertate disputat Bernardus.

III. Disputat ergo Bernardus de libertate, quatenus consentit gratiæ, et *in genere moris*, quod aiunt, spectatur, ac bene agendi principium est. Tale autem non modo liberum, sed etiam voluntarium, sive *spontaneum* oportet esse; non enim συνεργεῖ, id est *cooperatur* gratiæ, si coacte, et ingratiis agat, etsi libere alioqui faciat. Siquidem laudabilis, honestaque actio nulla censetur, nisi sponte suscepta sit, quod *voluntarium* Latini, Græci ἑκούσιον nominant; de quo relegenda prorsus illa sunt, quæ supra ad Anselmi sententiam interpretandam attulimus. Eadem enim est causa, cur et Anselmus, et Bernardus, et plerique omnes antiqui, cum de libero arbitrio disserunt, idque necessitate ulla negant opprimi posse, vim et coactionem, ac violentiam nominant. Nimirum hoc ideo faciunt, quod necessitas simplex, quæ ita tollit eligendi facultatem, ut tamen *spontaneum* relinquat, ad morum tractationem, et honesti ac turpis discrimen, et judicium minime pertineat, sed ea sola necessitas, quæ extrinsecus admota, non aufert arbitrii libertatem, verum τὸ ἑκούσιον, et *spontaneum* vel omnino detrahit, vel certe minuit; ex quo laudabilis et honestæ actionis dignitas, æstimatioque petitur, quod ibi plenius expositum est.

Cur ab eo necessitas cogens opponatur libero arbitrio,

Quamobrem generalis hæc adversus novi propugnatores dogmatis de Bernardo est exceptio: hanc ab eo necessitatem, quæ cogens, vimque inferens est, opponi arbitrio libero; non quod sola ipsi contraria sit, sed quod ad genus illud, quod *morale* vocant, et ad gratiæ, cooperationisque negotium præcipue spectet. Quamquam non ad solam cogentem necessitatem, ac violentiam pertinet illa Bernardi disputatio, verum ad omnem penitus, quæ tollit liberam ad utrumque potestatem, et voluntatem uno aliquo circumscribit, adeoque simplicem necessitatem, et cum *spontaneo* cohærentem una complectitur, ut paulo post dicam. Neque vim, et coactionem alia de causa libero arbitrio, et consensui repugnare vult, quam quod integra, et ad utrumvis expedita eligendi facultas eriperetur, si illa partes suas ageret; imo vero coactionem, et violentiam interdum accipi sic, ut necessitatem significet simplicem supra monuimus[1]; quatenus id solum consideratur, quo voluntati deliberandi, consultandi, et unum e pluribus optandi potestas adimitur, et uno aliquo definitur.

IV. Hoc sensu, et ea de causa Bernardum libero arbitrio, et consensui necessitatem velut contrariam, et repugnantem opponere, quod utriusvis potestatem, et electionem detrahat, ex ipso primum libri argumento, et ejus universa doctrina colligitur. Propositum enim id habet illo in libro demonstrare, quomodo cum Dei gratia consensus voluntarius hominis conveniat. Quod si voluntarius non aliud sit, quam *spontaneus*, hoc est *minime violentus*, otiosa est et inepta quæstio, vel nulla potius. Nam quis adeo plumbeus est, ut in eo possit hærere, nec statim expediat, quomodo eadem res et sponte appeti possit, et necessario, impellente scilicet ac movente Deo? Siquidem et bestias ipsas rapi sic videmus, ac sponte attrahi simul, et necessitate, quarum in potestate non sunt *appetitiones*, et *impetus*, quas Græci ὁρμὰς vocant. Aliud itaque, quam τὸ ἑκούσιον, id est *spontaneum* præcise, et non violentum, Bernardus intelligi vult, cum *voluntarium consensum* nominat, ac tanto studio, et contentione disputandi cum gratia componit, ne propemodum ridicula sit, et supervacanea tanti viri tam subtilis et laboriosa jactatio in re minime difficili, et cuivis obvia.

V. Atque hoc insuper quibusdam ex illius

1 Vide c. VI libri superioris et seq.

locis particulatim cognoscitur; etenim initio libri, naturalem appetitum, quem communem habemus cum pecoribus, a voluntario nostro consensu ita sejungit: « Enimvero, inquit[1], aliud est voluntarius consensus, aliud naturalis appetitus. Posterior quippe nobis communis est cum irrationalibus; nec valet consentire spiritui, carnis irretitus illecebris, etc. Hunc ergo, ut dixi, communem habentes cum bestiis consensus voluntarius nos discernit. Est enim habitus animi, liber sui, » etc. quæ paulo ante descripsi. In quibus rationem reddit, cur voluntarius consensus noster, quod est liberum arbitrium, gratiæ, ac vocationi Dei sese accommodans « salvetur, dum jubenti Deo acquiescit, et placide obtemperat, » quod naturalis appetitus in nobis neutiquam facit. Cujus eam solam rationem explicat, quod « carnis irretitus illecebris, *legi Dei subjectus non est, nec enim potest*[2], » ut ex Apostolo refert. Nam appetitum illum homini naturalem ipsammet esse *carnis sapientiam* arbitratur, de qua illa dicta sunt ab Apostolo. Quare non est consensus iste *naturalis appetitus*, sive *sapientiæ carnis*, *voluntarius*, ac *liber sui*, quia necessitatis est, non voluntatis. *Voluntatem* enim, a qua *voluntarium* denominatur; non universe pro *spontaneo* accipit, sed pro eo genere spontanei quod simul liberum est. Huic ergo coactionem, et necessitatem opponit, non utique solam eam, quæ vim affert, sed quæ efficit, ut consensus non sit *liber sui*.

Quid sit juxta Bernardum, *liberum sui* et *coactum*.

VI. Quæ duo quemadmodum interpretanda sint, *liberum sui*, et *coactum*, sive *necessarium*, et quo sensu invicem ea Bernardus opponat, ex hujus oratione perspicuum est. Etenim consensum, qua et voluntarius, et *liber sui* dicitur, confert cum appetitu naturali, quatenus *est carnis irretitus illecebris*, quem, quia sic *irretitus est*, *cogi* asserit, *extorqueri*, *compelli invitum*. Ut sit duplex ista ex adverso constituta, proprietatibusque distincta series:

Voluntas, sive *liberum arbitrium*, sive *consensus voluntarius*.	*Appetitus naturalis hominis*, qui *et sapientia carnis* dicitur.
Liber sui.	*Irretitus illecebris carnis*.
Non violentus.	*Qui cogitur, et violentus est*.
Non necessarius.	*Est invitus, et necessarius, ideoque non voluntarius*.

Manifestum est hæc sic opponi mutuo apud Bernardum. Siquidem *consensum voluntarium appetitui naturali* in hoc esse contrarium scribit, quod ille sit *liber sui*, *non cogitur*, *non extorquetur; est voluntarius*, *non est necessarius*; *appetitum autem naturalem*, *quem communem habet homo cum bestiis*, adversum illi esse docet. Cur? Est enim *habitus*, inquit, *animi*, *liber sui*. Quare autem est *liber sui?* Respondet ita Bernardus: *Siquidem non cogitur*, *non extorquetur*. Quid ita? *Est quippe*, ait idem, *voluntatis*, *non necessitatis*. Proinde naturalis iste hominis appetitus, qui *liber sui* non est, vim illam, et coactionem, ac necessitatem patitur. Atqui non potest his omnibus vocabulis significari necessitas illa violenta, quæ *spontaneo* repugnat; nam appetitus naturalis, qui irretiri, cogi, ac necessario moveri dicitur, sponte *carnis illecebras* expetit, et in eas summa aviditate rapitur, et idcirco maxime est *spontaneus* illius impulsus. Igitur necessitas illa, et coactio, nihil aliud est, quam determinatio, et ad unum illigatio, quæ velut retibus implicatam et obstrictam tenet appetendi facultatem, et unius potestate facta, plurium optionem adimit.

Necessitas quæ ex appetitu inferiori provenit non est absoluta

VII. Ea vero necessitas, quæ dulcedinem, ac suavitatem habet, et non invitam appetitionem, sed sponte, cupideque sequentem trahit, a Bernardo, itidemque ab aliis coactio, vis, ac violentia nominatur; non ut naturalem, et inferiorem, ac cum pecoribus communem appetitum hominis respicit, sed ut cum homine ipso toto, vel ejus rationali parte, sive consensu voluntario, et libero arbitrio comparatur. Etenim appetitus inferior, *carnis*[3], sive *legis peccati*[4], aut *sapientiæ carnis*[5], imo vero *peccati* vocabulis censetur ab Apostolo[6]; e contrario vero *ratio*, et qui ab ea *rationalis* dicitur *appetitus*, ac *voluntarius consensus* Bernardi vocatur *spiritus*[7], et *lex mentis*[8]. Hæc autem duo pugnant invicem, et quod uni gratum, et optabile est, id alteri molestum, invisumque accidit, *Caro enim concupiscit adversus spiritum; spiritus autem adversus carnem. Hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcumque vultis, illa faciatis*[9]. Hic ille conflictus est, ac luctatio contrariorum invicem

1 Bernard. col. 905.— 2 *Rom.* VIII.— 3 *Gal.* V. 17.— 4 *Rom.* VII. 23 et 25.— 5 *Rom* VIII, 7.— 6 *Rom.* VII, 18.— 8 *Gal.* V, 17— 8 *Rom.* VII. 23.— 9 *Gal.* V, 16.

appetituum, quam graphice idem Apostolus describit in capite VII epistolæ *ad Romanos*; cujus hæc præsertim notanda sunt: *Condelector enim legi secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Quamobrem illa concupiscentiæ illecebra, quæ necessitatem affert appetitui naturali, cogere, et extorquere, ac violenter rapere dicitur, non appetitum ipsum, sed hominem secundum potiorem partem, sive *rationalem consensum, et voluntatem liberam;* quam plerumque nolentem, et invitam, ac resistentem blanditiis suis frangit, et enervat. Quæ tamen coactio non illa rigida est et absoluta, quæ omnem usum libertatis intercipit, sed, ea integra manente, *spontaneum* duntaxat perimit, aut certe minuit, ac necessitas, et vis *moralis* vulgo dicitur, cujusmodi nimirum in mores hominum, et usum communem incidit.

Unde stulte Bernardum aliosque Patres novi dogmatistæ interpretantur.

VIII. Ac stulte, meo judicio, faciunt, et communem sermonis humani consuetudinem ignorant, qui ex eo, quod apud Bernardum, aliosque Patres nomina hæc, *invitum*, *coactum*, *violentum*, *compulsum*, *extortum*, et hujus generis alia legunt, opponique vident *libero* ac *voluntario consensui*, vel *arbitrio libero*, statim ad absolutam illam, et peremptricem libertatis omnis necessitatem, ac violentiam animo recurrunt, quæ nec unquam fuit, nec erit in natura rerum. Ridicule, inquam, et satis proterve solam istam necessitatem commemorari, opponique libertati asserunt. Non enim quod invitos nos, et coactos facere, aut violenter extorqueri a nobis dicimus, id statim intelligi volumus, nullo libertatis impulsu agere, ut ille apud Poetam [1]:

« Invitus, Regina, tuo de littore cessi. »

Non utique nisi volens, et libere, cum manere utique posset, solvit ex Africa, sed hoc non sponte ait fecisse, ut ipse alibi dicit [2], « Italiam non sponte sequor. » Ergo et libere profectus est, quia manere poterat; et tamen non sponte, quia coactus, et impulsus abiit. Distant igitur hæc duo *libere* aliquid velle, et *sponte* velle; neque quidquid sponte fit, id libere fit, aut vicissim ut absurdissime novi dogmatistæ prædicant. Quos in superioribus quidem capitibus passim, abundeque confutavimus super iis locutionum formulis; atque ex Scripturis ostendimus, nunquam genus illud necessitatis, ac coactionis accommodari posse ad ea loca, in quibus vi aliquid extortum, ac contra voluntatem factum legitur. Sed nec apud Patres, aut alios etiam profanos scriptores; ac denique inauditum, stupidum, et ab usu hominum, et communis more sermonis alienum id esse commentum, cum voluntati quasi contrarium usurpatur violentum, et coactum, ibi locum non esse libertati, sed vim ac necessitatem intelligi debere; quæ libero arbitrio sola sic adversetur, ut ejus motum omnem funditus extinguat.

IX. Utrum enim, obsecro, cum Galaaditis ad se confugientibus ita Jephthe dicebat [3]: *Et nunc venistis ad me necessitate compulsi*, ea mens illius erat, non istos libera sua voluntate ad se venisse, sed vi penitus abreptos, absque ullo motu, consensuque voluntatis suæ? Aut cum divini a se violati mandati crimen excusans Saul, *Necessitate*, ait [4], *compulsus obtuli holocaustum*, num sine nisu, et impulsu aliquo liberi sui arbitrii, ita se contra fas egisse significat? Atqui, si vera, et sobria est novæ illius opinionis ratio, prorsus eodem sensu accipienda erunt hæc, quæ nonnisi stolide, absurdeque sic intelligi possunt, atque illa Bernardi, Anselmi, Augustini quoque, ac cæterorum Patrum, quæ ad rigidam, et cum omni motu libertatis pugnantem necessitatem obtorto illi collo, ac per vim omnino rapere conantur.

Sane Bernardus de illa necessitate loqui se indicat, quæ revera homini accidit, et ejus voluntatem afficit, ac retardat, quominus in potestate sit vocantis, et aspirantis ipsi Dei; quando intestinum illud agitur bellum, ac velut civilis, et domestica seditio, pugnantibus invicem contrariis partibus. Quippe propositum illi est usitatum hunc castigare hominum errorem, et ignaviam, qui se invitos abduci, cogique dicunt ad malum, et quamdam sibi impositam necessitatem esse peccandi, eo quod furenti libidini, et concupiscentiæ resistere nequeunt; præsertim cum ea se consuetudine ipsa corroboravit. Ex quo etiam Apostoli querela ista nascitur [5]: *Nam velle adjacet mihi; perficere autem bonum, non invenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago.* »

X. Contra inertes illas, et languidas pec-

1 *Æn.* VI.— 2 *Æn.* IV.— 3 *Jud.* XI, 7.— 4 I *Reg.* XIII, 12.— 5 *Rom.* VII, 18.

catorum tergiversationes præscribens Bernardus, de natura liberi arbitrii accurate disserit; ut hoc ostendat, nullam esse tantam vim, ac necessitatem, quæ voluntati, ac libero arbitrio utrius volet asciscendi potestatem, ac libertatem adimat. Proinde necessitatis, et coactionis genus illud proponit, quod extrinsecus voluntatem pulsat; nec eam libertate sua penitus exuit, sed blande solum allicit, et vim, ac vigorem illius infringit, cum tamen Dei adjuta præsidio resistere, ac rebellem frænare, et domare, si velit, possit appetitum. Ex quo efficitur, frigidum esse novi dogmatis inventum, nec in Bernardi, cæterorumque Patrum dictis, quibus libertati necessitas opponitur, latebram se, quam putant, ac receptum invenire, quo communis naturæ voce, et publico quodam humani generis convicio victi, fatigatique confugiant. Non enim vis et necessitas illa, quam affert concupiscentia voluntati, quamlibet diuturna peccandi assiduitate durata, ejusmodi est, quam illi quærunt, et qua opus habent ad tuendam opinionem suam. Talem enim tum oppositam esse voluntati, et quidem solam arbitrantur, tum ex Bernardo colligere student, « qua fit, inquiunt[1], ut homo cogatur velle, et consentire, hoc est ut invitus velit. Quod cum implicet contradictionem, implicat similiter, voluntatem sua spoliari libertate. » Atqui necessitas illa, qua vim facit voluntati concupiscentia, « contradictionem non implicat, nec eam libertate spoliat. » Nihil ergo Bernardus illos adjuvat, sed eorum potius novitatem, ac licentiam frænat, et reprimit.

CAPUT VI.

Bernardi mens accuratius illius ex dictis exprimitur super arbitrii libertate. In hac duo ab eo spectari: alterum proprium intellectus, quod est arbitrium: alterum voluntatis, quod est liberum. Quinam necessitas libertati contraria sit. Naturalem necessitatem nullo modo dici violentam; nec hujusmodi a Bernardo intellectam fuisse. Quo sensu libertas inamissibilis *ab eodem dicta sit. Varia ejus dicta de libertate voluntatis.*

Ut autem Bernardi mens certius a nobis investigari possit, summatim ejus exponenda sententia est, quam de liberi arbitrii natura illo in libro tradidit. De qua quidem obiter ac paucis alibi diximus[2], nunc paulo exquisitiorem illius tractationem res ipsa postulat. Duo in *consensu voluntario*, sive in *arbitrio libero*, necessaria esse docet Bernardus: quorum alterum ratio confert: alterum rationalis appetitus. Est enim « voluntas motus rationalis, ut idem definit. « Est vero ratio data voluntati, ut instruat illam, non destruat. Destrueret autem, si necessitatem ei ullam imponeret, quominus libere pro arbitrio sese volveret, sive in malum consentiens appetitui, aut nequam spiritui, ut sit animalis[3], et non percipiens, vel certe et persequens ea, quæ sunt spiritus Dei, sive ad bonum, gratiam sequens, et fiat spiritualis, quæ omnia dijudicans ipsa minime judicetur. Si, inquam, horum quodlibet, prohibente ratione, voluntas non posset, voluntas jam non esset. Ubi quippe necessitas, jam non voluntas. » Videt profecto, qui qualescumque mentis oculos habet, in iis Bernardi verbis, quæ sit et natura, conditioque libertatis humanæ, et huic adversa necessitas. Nam libertatem eam esse vult, quæ *libere pro arbitrio se volvit*, hoc est ex duobus contrariis a ratione sibi propositis potest alterutrum eligere, etiam illa dissuadente. Quod si non posset, sed unum tantummodo, quod videlicet, tenendum esse ratio præscriberet, integrum illi esset persequi, *voluntas jam non esset*, nimirum libera, vel arbitrium liberum. De hac enim voluntate ibi disputat. Necessitas porro huic inimica libertati, non alia est, quam quæ liberam illam tollit eligendi facultatem, et ad unum alligat, et adstringit. Hanc enim talem esse demonstrat, quæ efficit, ut *horum quodlibet*, quæ illi ratio proponit, eadem *prohibente ratione non possit*.

II. Pergit Benardus, et, « Is ergo talis consensus, ait, ob voluntatis inamissibilem libertatem, et rationis, quod semper secum portat et ubique, indeclinabile judicium, non incongrue dicitur, ut arbitror, liberum arbitrium, ipse liber sui, propter voluntatem, ipse judex sui, propter rationem. » Vocat autem *liberum sui*, quod in utrumlibet inclinari ex sese potest, ac suopte nutu, sine aliqua necessitate, quæ ad unum determinate illud applicet. Etenim necessitatem opponit ei, quod est liberum sui, cum sic scribit: « Cæterum, quod sui liberum non esse cognoscitur, quo pacto

Summa doctrinæ Bernardi de libero arbitrio.

Quid sit liberum si ex D. Bernardo

1 Tom. III, lib. VI, c. XVII.— 2 Tom. I, lib. V, cap. II, § 5.— 3 I *Cor.* II.

vel bonum ei, vel malum imputatur? Excusat nempe utrumque necessitas. Porro ubi necessitas, ibi libertas non est; ubi libertas non est, nec meritum, ac per hoc nec judicium. » Quocirca *libero sui* respondet ex opposita parte *necessarium*. Id autem non esse præcise *coactum*, ac *violentum*, sed uno aliquo circumscriptum, ac definitum, quantumvis *voluntarium* sit, id est ἑκούσιον, sive *spontaneum*, non solum evidens est inde, quod *meritum*, atque ob recte, secusve factum pœna, vel præmium ex solo *sui libero* consequitur, ut ibi Bernardus docet; hoc autem non aliunde proficiscitur, quam ex liberi arbitrii electione, non modo vi non expressa, sed neque ad unum affixa, ut in superioribus ostendimus, verum ex sequenti Bernardi oratione liquet : « De cætero, inquit[1], quidquid hanc non habet voluntarii consensus libertatem, procul dubio et merito caret, et judicio. » Meritum, ait, et judicium, quo se homo ipse bene, vel male fecisse judicat, annexum esse voluntario consensui, ac libero sui, cui necessitas est adversa.

Item cujusmodi necessitas libertati adversa.

III. Jam necessitas ista cujusmodi sit, subinde aperit. « Proinde universa, quæ sunt hominis, præter solam voluntatem, ab utroque libera sunt, quia sui libera non sunt. Vita, sensus, appetitus, memoria, ingenium, et si qua talia sunt, eo ipso subjacent necessitati, quo non plane subdita sunt voluntati. Ipsam vero quia inpossibile est de seipsa sibi non obedire, (nemo quippe aut non vult, quod vult, aut vult, quod non vult,) etiam impossibile est sua privari libertate. » Quod ait « vitam, sensum, appetitum, etc. subjacere necessitati, quia non plane subdita sunt voluntati, » paulo post explicat, et duobus modis intelligi demonstrat. Altero, « quia hæc necessarie, ac præter voluntatem posse provenire probantur; » non enim in potestate est nostra quale volumus ingenium habere, vel memoriam; sed cujusmodi a natura, vel Deo accepimus, necesse est, ea nobis inesse. Ideo nec tardum ingenium, nec labilis memoria, nec inquietus appetitus, nec sensus obtusus, nec vita languens reum per se statuunt hominem, sicut nec contraria innocentem. » Altero modo, ut ea, quod ad usum et actiones attinet, non sint in jure et arbitrio liberæ voluntatis. Nam nec appetitum, sive concupiscentiam cohibere omnino potest, quin ea, repugnante ipsa, et frustra nitente, peccatum ac malum operetur, ut ait Apostolus[2]; imo *captivam ducat ipsam in lege peccati*[3]; neque sensibus, aut memoria pro arbitrio utimur. Utroque ergo sensu necessitas quædam oritur libertati contraria, non vim inferens, ac violentiam, quæ *contradictionem implicet, et voluntatem sua spoliet libertate;* quam et solam huic oppositam esse, et a Bernardo significari, novi dogmatistæ prædicant, errore, quod quivis agnoscet, minime tolerando.

Tardi ingenii in exponendo D. Bernardo arguuntur novi dogmatistæ.

IV. Volo enim mihi respondeant, priore illo, quem dixi, modo, quæ vis et coactio in voluntatem redundet, quod *tardum ingenium*, vel *labilem memoriam*, vel *inquietum appetitum* a natura quis acceperit? Fit enim hoc agente ipsa natura, et naturalibus ex causis, ac Deo moderante, et ordinante, ut hunc, vel illum corporis sortiamur habitum; ac tam hæc, quam cætera omnia, citra voluntatem liberam, necessitate illa constant, quam fatalem veteres ethnici nominarunt; nec abnuit Augustinus, dummodo fati nomine Dei voluntas, vel ei subjuncta necessariarum causarum certa series intelligatur. Hic vero quem tandem locum habet premens illa, cogensque necessitas? An ista per vim et ingratiis, nolentibus ac resistentibus hominibus ingeruntur? At nondum existunt, aut certe sui compotes sunt, ut in utramvis partem velle possint. Agedum ergo, si possunt, explicent, qua ratione, quo probabili, et homine digno sensu verba illa Bernardi extricare sic poterunt, ut in iis suam illam reperiant prementem, ac cogentem, violentamque necessitatem. Habeat homo sensum hebetem, fluxam memoriam, appetitum in res suaves, et voluptuarias rapidum, ac præcipitem. Hæc illi, quia natura constant necessitatis eo genere, quod libertati oppositum est, inesse Bernardus asserit. Hanc necessitatem novi theologi non simplicem esse volunt, sed cogentem, et violentam; hanc enim solam a Bernardo constitui putant libertati contrariam. Quænam igitur vis, quæ coactio ab auctore naturæ Deo illata parvulis est, cum iis *tardi ingenii* semina nondum natis, ac ne conceptis quidem maternis in visceribus insevit? hoc est cum eas causas formandis illis, procreandisque disposuit, unde et hebetes nascerentur, et vasto, agrestique ingenio, et parum firma memoria, et corporis imbecilla valetudine, ac multis obnoxii morbis, quam *vitam languentem* Bernardus appellat; ob quam, uti et propter

1 Bern. ib.— 2 *Rom.* xvii, xix, xx.— 3 Ibid. vers. 23.

cætera, quæ percensui, « reum per se statui hominem negat, quia necessarie, ac præter voluntatem ista proveniunt? » Quæ postrema verba declarant, mentem hanc illius fuisse, ut necessitas ea, quæ in illis rebus inest libertatis inimica, non in usu earum, et actione, sed in habitione, et acceptione consistat.

V. Quo sunt ridiculi magis, et impediti novi dogmatistæ. Nec enim comminisci unquam poterunt, quæ sit, et quando allata sit illa vis, et violenta necessitas, quæ libertatem, quæ nulla tunc erat, nec esse poterat, excluderet. Est enim violentum, ut supra ex communi theologorum, philosophorumque decreto monstravimus, quod ab externa causa oritur, naturali propensioni contrarium, nihil eo contribuente, quod patitur. Quare, cum neque homo adhuc esset, neque propensionem haberet ullam, qui fuit illa causarum, unde postea nata ista sunt, violenta dispositio? Violentam dico? Imo naturalis e contrario fuit affectio qualiscumque illa corporis, et habitus instrumentorum animæ, si hujus hominis, et individui proprietatem consideres; idque duplici de causa. Vel quia naturale id dicitur, quod in ipsa productione, generationeque insitum est; nam et φύσις ab Aristotele appellatur ipsa *generatio* [1], id enim φύεσθαι dicitur, unde et φύσις nomen accepit, et materia ipsa, ex qua res existit, φύσις etiam vocatur. Sunt autem humores, et ejusmodi cætera, ex quibus affectiones illæ ortum habent, materia singulorum corporum; ideo etiam in naturæ parte numerantur. Deinde τὰ ἄτομα, id est *individua*, proprietatum illarum, et qualitatum complexione constant, in eaque sita est illorum propria ratio, atque definitio, si Porphyrio [2], et antiquis plerisque credimus. Vel certe signa sunt illæ interioris ac latentis, ut vocant, *quidditatis*, quam felicius Hebræi vocant מהות, ut alibi pluribus exponimus [3]. Utcumque vero habent, profecto naturales sunt individuis; violentæ vero non sunt, adeoque necessitas earum habendarum, vis et coactio non est, ut a Bernardo censeri, appellarique novi dogmatistæ asserunt. Itane judicio istorum desipit summus ille vir, ut vi, et contra voluntatem suam coactum esse censeat hominem quemlibet, ut hebes, obtusus, causarius, aut vitio aliquo corporis, animive notabilis prodiret in lucem? Quis hoc vigilans, vel sobrius, ac sui compos usurpet? Atqui prorsus ita Bernardum dicere, ac sentire necesse est, si

Generari.

est illorum opinio, interpretatioque vera. Nam *necessarie, ac præter voluntatem ista provenire* Bernardus ait; et idcirco non esse libera, nec *reum hominem facere. Necessarium* autem, ac *præter voluntatem*, et oppositum *libero*, nihil nisi *violentum* et *coactum* neque revera esse docent illi, neque a Bernardo nominari. Igitur quod *necessarie provenire* affectiones illas scripsit Bernardus, idipsum est, *per vim*, et *coactionem* insitas esse; et inesse porro iis, qui sic a natura ficti, comparatique sunt.

VI. Restat, ut in usu affectionum illarum, et actionibus, quæ ab iis proficiscuntur, violentam a Bernardo necessitatem poni suspicentur. Quod nec ejus verbis, ac toti illius sententiæ congruit, et non minus priore isto falsum, et inextricabile videtur. Nam si naturales sunt proprietates illæ singulis hominibus, non possunt earum functiones non esse naturales. Naturali autem contrarium est coactum. Deinde necessitas illi opposita libertati, quæ *ex tardo ingenio, labili memoria, inquieto appetitu*, reliquisque nasci a Bernardo dicitur, reipsa in homine reperitur; quia sic inest ipsi, ut *nec reum per se statuat hominem, nec innocentem*. Existit ergo in rerum natura necessitas ejusmodi. Et vero necessitas ea, quam adversarii solam esse contrariam libertati putant, et a Bernardo significari, talis est, ut ne absoluta quidem potestate Dei possit esse, quia nihil est, et ad contradictionem implicatur. Audiamus, quid illi de hac necessitate, et Bernardi sententia scribant: « Tertio illam se removere declarat, inquiunt [4] quæ faceret, ut duo contradictoria se non perimerent, sed simul in sua veritate consisterent, videlicet, ut homo simul vellet, et nollet, consentiret, et non consentiret. Hoc autem certissimum est, non esse necessitatem illam, (si tamen necessitas dici debet) qua dicitur voluntas velle necessario, sed solam necessitatem coactionis quæ semper invitum, et nolentem esse supponit. » Hinc evidens est, non posse hanc, quam illi solam libertati adversari volunt, necessitatem in rebus existere. Quidquid enim illud est, quo posito *duo contradictoria simul consisterent*, impossibile est, ac tam esse non potest, quam quod ex eo consequens foret. Cum igitur necessitas illa, de qua Bernardus loquitur, reipsa eveniat, non est ea, quam novi dogmatistæ somniant.

VII. Etenim sumamus, exempli causa,

1 II *Physic.* cap. I, tex. XIX et IV *Met.* c. IV.— 2 *Isag.* c. II.— 3 Tom. II, lib. IV, c. VII, § 8.— 4 Tom. III, lib. VI, c. VII.

unum aliquod ex iis, in quibus, et ex quibus ea necessitas emergit, ac sit *inquietus appetitus*. Hic est procul dubio, quem Apostolus capite VII epistolæ *ad Romanos* indicat, ejusque pugnam, ac violentiam describit. Hæc, inquam, necessitas libertati opposita a Bernardo constituitur, de qua multum Paulus queritur [1], cum se ait, *videre aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, et captivantem se in lege peccati*. Propter quam *non se*, ait, *quod vult, bonum facere, sed, quod non vult, malum hoc agere*. Hæc enim *captivitas*, hæc *repugnantia*, hæc violentia, qua *quod non vult, facere cogitur*, fructus est *inquieti appetitus*, ac necessitatis illius effectus. Existit ergo, neque nihil est, ut sunt, quæ contradicentia duo vera esse faciunt. Quare diversa necessitas est Bernardi ab ea, quam adversarii illius verbis subjiciunt, cogentem, violentam, libertatis peremptricem, merum, ut ipsimet fatentur, commentum, qualis est tragelaphus, aut chimæra. Sane, cum quidquid potest, agit, *inquietus hominis appetitus*, ac turbulentos motus, et tempestates ciet, nullam per se libero arbitrio vim affert, sed extrinsecus pulsat, et blandimentis atque illecebris demulcet; nec est ejus ulla tanta vis, ut non ei, si velit, Dei adjuta gratia voluntas possit obsistere. Quemadmodum, qui illa vere de seipso prædicat Apostolus, qui se captivum abripi, cogique ait in servitutem, nihilominus concupiscentiæ resistebat ejusque retundebat impetum; ut quod aliis præcipiebat, ageret ipse, et *quia Christi erat, carnem suam crucifigeret cum vitiis, et concupiscentiis suis* [2]. *Non ergo regnet peccatum*, ait alio loco [3], *in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus*, etc. *Peccatum enim vobis non dominabitur*. Quocirca non erat tam valida, et imperiosa necessitas illa, quam in capite septimo epistolæ *ad Romanos* opponit liberæ voluntati, ut eam cogeret, imo destrueret, et invitam opprimeret, eique dominaretur, ac regnaret. Non est ergo cogens illa et violenta, quam Calvinus, Bucerus, et qui hos sequuntur, adversariam esse solam libertatis clamitant, et a Bernardo designari putant. Vere dicam, bene de se merebuntur novæ libertatis inventores; si quid sibi velint cum sua illa cogente, violentaque necessitate, humano sensu, ac sermone declarare poterunt. Quod enim hactenus dicunt, id ne ipsi quidem intelligunt; adeo nihil, præter sonitum inest, strepitumque verborum, non tantum bonæ ac sanæ mentis expertem, sed etiam a seipso dissentientem, secumque discordem.

Pergitur in enucleanda Bernardi sententia.

VIII. Pergam in Bernardi enucleanda sententia. Quem quidem necessitatis nomine, non eam intellexisse, quam excogitarunt adversarii, quæ voluntatem cogat, et ei libertatem funditus eripiat, nec in rerum natura esse possit, unum illud ostendit. Etenim postquam illa scripsit, quæ paulo ante posui [4], docuitque impossibile esse, sua *privari libertate* voluntatem hominis, statim ista pertexit: « Potest quidem mutari voluntas, sed nonnisi in aliam voluntatem, ut nunquam amittat libertatem. Tam ergo non potest privari illa, quam nec seipsa. Si poterit homo aliquando aut nihil omnino velle, aut velle aliquid, et non voluntate, poterit et carere libertate. » His ex verbis concludit novæ sectæ coryphæus, Bernardum existimare, solam libertati contrariam esse coactionem; quæ quia nulla voluntati potest afferri, ideo non eam *posse carere libertate*, quia *nec seipsa carere potest*. Et hactenus ex Bernardo descripsit, omissis proxime sequentibus, ex quibus errorem suum, ac falsitatem redargui videbat. Statim enim necessitatis istius exemplum subjicit: « Hinc est, inquit, quod insanis, vel infantibus, itemque dormientibus, nihil, quod faciunt, vel bonum, vel malum imputatur; quia nimirum sicut suæ non sunt compotes rationis, sic nec usum retinent propriæ voluntatis, ac per hoc nec judicium libertatis. » Ecce necessitatem Bernardus unicam, et capitalem libertatis hostem demonstrat in *insanis*, et *infantibus*, ac *dormientibus*. Agunt igitur aliquid ex ea necessitate, de qua loqui volunt Bernardum novi theologi, cogente videlicet, et voluntati vim inferente. Atqui hæc illa necessitas erat coactionis, « quæ faceret, ut duo contradictoria sese non perimerent, sed simul in sua veritate consisterent, » hoc est, quæ ne absoluta quidem Dei potestate potest existere. Utrumnam igitur tam nullus insanus est, aut infans, aut dormiens, quam nihil esse potest, quod *contradictionem implicat*, ut vulgo loquuntur? Expergiscantur ad hoc monstrum, et evigilent; ac, quid dicant, tandem intelligant nuperi isti dogmatistæ, quos in dormientibus malo numerare, cum talia jactitant, quam in insanis, et infantibus. Faciunt igitur omnes isti plu-

1 *Rom.* VII, 23.— 2 *Gal.* V, 24.— 3 *Rom.* VI, 15.— 4 Hoc. cap. § 3.

rima, ut sponte, et voluntate sua, ita sine libertate; ac necessitate illa coacti faciunt, quam Bernardus libero opponit arbitrio. Si est hæc violenta necessitas, proprieque dicta coactio, non est ergo *impossibilis* illa necessitas, neque voluntatem perimit; quia res eadem et fit voluntate amentis, aut parvuli, et necessitate ista cogente; neque postremo quidquid voluntate, aut sponte agitur, id fit libere.

Ex D. Bernardo penitus obteritur novum dogma.

IX. Atque, ut pressius cum illa opinionis novitate confligam, et ex isto ipso Bernardi loco eam penitus obteram, dicant, obsecro, cum sit in infantibus et insanis humana voluntas, cur non eadem libera sit? Hic, qui paulo ante, quam in amentiam incideret, liber ac sui juris erat, et arbitrii; subinde ex morbo, vel alio casu quopiam liber esse desiit. Unde tandem libertatem is amisit? non alia re profecto quam quæ libertati est contraria. Nam a quo aliquid extinguitur, id ei contrarium sit oportet. Nihil autem libertati contrarium est, nisi vis et coactio, vel violenta necessitas. Talis ergo illi necessitas evenit, qua libertas ejus oppressa est, et extincta. Porro non potest hujusmodi esse necessitas, quin id, quod sibi proprium est faciat. Hoc vero est, *facere*, *ut duo contradictoria sese non perimant*, id est ut sint simul, et ut voluntas nolens velit. Nam, si hoc non accidit, non est cogens necessitas, quia hæc *semper invitum et nolentem esse supponit*. Quamobrem eo tandem acutos homines vis ac subtilitas ingenii perduxit, ut duo contradicentia invicem simul esse vera faterentur, et, ut eumdem hominem libere velle dicerent, id, quod voluntate vult sua, et non velle libere, quia, ut velit, necessitate cogitur.

X. Cæterum in illa Bernardi disputatione animadvertendum est, eum, cum hominem ait non posse carere voluntate, adeoque libertate, de homine loqui sano, et incolumi, ac naturali integritate, usuque rationis prædito, et ex eadem agente. Sic etiam voluntatis nomine, non quamlibet intelligere, sed liberam; cujusmodi inest in homine recte, ac secundum naturam affecto. De hujusmodi et homine, et hominis voluntate Bernardus ista dicit, quæ paulo antea retuli, « nec hominem posse nihil omnino velle, nec velle aliquid, et non voluntate; sed neque carere libertate posse voluntatem. » Etenim perspicuum est, si universe, absoluteque loquimur, hominem et velle aliquid posse, idque voluntate sua, quia nonnisi voluntate sua vult, ut ibidem Bernardus ait; et tamen non velle libere; quod statim in insanis et infantibus declarat. Hos enim dicit libere non velle, quia necessitate ducuntur. Voluntate igitur homines quædam volunt, non libere. Nam et amentes homines sunt, et multa volunt, quæ nonnisi ratione comprehendi, et sola rationali voluntate appeti possunt. Superest itaque, ne secum, et cum humano sensu tantus vir fœdissime pugnare videatur, ut hominem illum significet, qui sui juris sit, ac rationis compos; et voluntatem duntaxat eam, quæ libera sit, agatque libere. Itaque, cum amentes, vel infantes ait non habere *usum propriæ voluntatis, ac per hoc nec judicium libertatis*, observanda vox *usus*, qua idipsum continetur, quod dixi, nempe libertas cum potestate agendi, vel non agendi, hoc enim est, quod appellamus *usum propriæ voluntatis*, nempe jus utendi ea, prout libitum est. Huc attinet, quod Joannes Climacus in *Scala* IV simplicitatem, et stultitiam aliam vocat ἑκουσιόγνωμον et ἑκουσίαν, id est *spontaneam*, *vel libera voluntate susceptam*, quæ in laude ponitur, et in sanctis quibusdam Monachis ab eo fuisse perhibetur; aliam nominat ἄλογον, et ἄσοφον, *ratione carentem, et sapientia*, qualis in senibus deliris cernitur; ubi *spontaneum* non absoluta notione sumitur, sed pro eo, quod una liberum est.

XI. Sed Bernardi mentem, et constitutam ab eo libertatis naturam maxime demonstrant ea, quæ de libero arbitrio scribit, et a nobis in libro quinto *de Deo* commemorata sunt [1]. Nam duo reperiri ait in libera voluntate, quæ totidem comprehensa sunt vocabulis, *liberi*, et *arbitrii*. Arbitrium vocat *rationis judicium*; est autem judicium, et arbitrium omnino de duobus invicem oppositis, et inter duo; siquidem δικαστὴς, qui est *judex*, quasi διχαστὴς, id est *bipartitor*, et δίκαιον ab eo, quod est δίχα, id est *bifariam partitum*, dicitur, ut docet Aristoteles [2]. Et justitia, ad quam *judicii* actio refertur, ad alterum, eodem auctore, comparatur; quocirca stirps, et radix libertatis a philosophis in ratione collocari solet. Nam ideo libera est hominis voluntas, et, quod vult, eligit, quia non unum aliquod definitum ac determinatum sua illi ratio proponit, sed opposita duo propriis notata judiciis. Non enim otiosa est, et in sola contemplatione sistens illa mentis cognitio, qua voluntati rerum

1 Tom. I, lib. V, c. II, § 6.— 2 Lib. V *Eth.* c. VII.

agendarum discrimen objicitur, sed actuosa, et ut vulgo loquuntur, πρακτικὴ non θεωρητική. Quæ tam hoc optare, quam illud in potestate esse demonstrat, et habere utrumque certas causas, propter quas appeti possit; sed unum alteri præponendum. Ac plura sunt semper de iis, quæ diversa, vel contraria proponuntur, eligendis judicia rationis, ex quibus, quod malit, sequi integrum sit voluntati, quod in omni deliberatione, et consultatione usuvenit. Ubi enim una tantummodo res, et singulari tractanda modo, voluntati est objecta ita, ut et non agere nequeat, et non plus uno possit agere : omnis est sublata cunctatio ac deliberatio, neque vel consilium capere, vel eligere dicitur, ut in tertio libro satis est probatum. Unde perspicuum est eæ Bernardi sententia, liberum arbitrium cessare, ubi necessitas simplex arctat ipsum, et ad unum alligat, ut, quanquam sponte, ac magno affectu eo rapiatur, non tamen libertate in hoc utatur sua : quod in beatis Deum amantibus accidit.

XII. Rursus idem Bernardus libertatis naturam evidenter aperit in illa divisione libertatis, qua triplicem eam facit. Aliam enim *libertatem a necessitate* nominat : aliam *a peccato :* aliam *a miseria.* Libertatem a necessitate naturalem vocat [1], et in prima « naturæ conditione collatam, qua præstamus cæteris animantibus. » Libertatem a peccato, « qua reformamur in innocentiam nova in Christo creatura, » cui contraria est peccati servitus [2], « quæ nos captivat in legem peccati. » Libertatem a miseria, qua eximimur a pœna peccati, hoc est a morte, cæterisque incommodis, quæ ex peccati stirpe pullularunt. Prima libertas est id, quod *liberum arbitrium* proprie dicitur [3]; quæ quidem libertas « æque, et indifferenter Deo, universeque tam malæ quam bonæ rationali convenit creaturæ. Nec peccato, nec miseria amittitur, vel minuitur; nec major in justo est, quam in peccatore; nec plenior in Angelo, quam in homine, » etc. « Manet ergo libertas voluntatis, ubi etiam fit captivitas mentis, tam plena quidem in malis, quam et in bonis, sed in bonis ordinatior. » Tum libertatis hujus, et arbitrii liberi naturam propius attingens, « Ex hac ergo tantum, ait, libertate, qua liberum est voluntati seipsam judicare, vel bonam, si bono, vel malam, si malo consenserit; quippe quæ in neutro, nisi certe volendo, consentire se sentit, liberum arbitrium credimus nominari, etc. Arbitrium quippe judicium est. Sicut vere judicii est discernere, quod liceat, vel quod non liceat,» etc. ita judicium circa duo versari dicit, quorum alterum ab altero secernitur, dum ei præponitur, ut hoc præ altero voluntas eligat.

Egregium et illud est eodem in libro Bernardi, et ad libertatis humanæ proprietatem declarandam aptissimum, quod *posse peccare*, sive *peccandi possibilitatem*, partem esse dicit liberi arbitrii, contra quam nova theologia sciscit. « Soli, inquit, inter animantia datum est homini posse peccare, ob prærogativam liberi arbitrii. Datum autem, non ut proinde peccaret, sed ut gloriosior inde appareret, si non peccaret, cum peccare posset. Quid namque gloriosius ei esse poterat, quam si de ipso diceretur, quod Scriptura perhibet dicens : *Quis est hic, et laudabimus eum* [4] ? Unde ita laudandus ? *Fecit enim mirabilia in vita sua.* Quæ ? *Qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala, et non fecit.* »

Liberum arbitrium possibilitatem peccandi includit.

Hoc vero istud est, quod supra adversus Dogmatistas nuperos exposuimus, *possibilitatem peccandi* ad libertatem voluntatis, et nativam ejus vim, ac facultatem pertinere, ut, quamdiu in hac vita consistimus, ea nobis integrum sit uti. Eamdemque nobis esse propterea concessam, non ut peccaremus, sed ut cum laude ac merito bene ageremus, hoc est non determinati necessitate aliqua, et alligati ad bonum, sed ita, ut, cum in malum declinare possemus, libere ac sponte, quod honestum est, mallemus persequi. Pergit enim Bernardus, et scribit sic : « Peccavit autem, quia liberum ei fuit. Nec aliunde profecto liberum, nisi ex libertate arbitrii, de qua utique inerat ei possibilitas peccandi. Nec tamen fuit culpa dantis, sed abutentis, qui ipsam videlicet facultatem convertit in usum peccandi, quam acceperat ad gloriam non peccandi. Nam, etsi peccavit ex posse, quod accepit, non tamen quia potuit, sed quia voluit. Nec enim, prævaricante Diabolo, et Angelis ejus, etiam alii prævaricati sunt, non quia non potuerunt, sed quia noluerunt. Peccantis igitur lapsus, non dono ascribendus est potestatis, sed vitio voluntatis. » Quocirca liberi arbitrii creati duntaxat, et humani, vel Angelici natura hoc postulat, ut ex se, et citra omnipotentem Dei gratiam, peccare possit, et, cum boni aliquid facit, ita faciat, ut, si velit, contrarium possit

1 Bern. lib. *de Grat. et lib. arb.* col. 906.— 2 *Rom.* VII, 23.— 3 Bern. ib. col. 907.— 4 *Eccl.* XXXI.

facere. Quam in meris, ac simplicibus creaturis stirpem, causamque meriti, ac laudis Bernardus agnoscit; ejus nimirum laudis, quæ ἔπαινος a Græcis proprie vocatur, de qua superius dixi. Atque hic Bernardi locus securis est quædam novi dogmatis, quatenus et possibilitatem peccandi a Deo ipsa tributam ait, tanquam donum quoddam et libertatis, ac nativæ facultatis partem οὐσιώδη; et eamdam ad hoc valere, ut laudem ac meritum habeat boni operis electio. Quod et Marius Victor in præfatione confirmat his versibus,

Essentialem

« Nam quis fructus inest genitis, nisi libera [mens est ?
Libera mens nulli est, nisi fas est et pe- [reundi.
Fas hoc esse datum, nisi peccans nemo pro- [basset. »

Et,

« Nec tamen arbitrii natura in utrumque [valentis
Accusanda venit nobis. Namque inde perire
Posse datum est cunctis, ut vivere dulcius [esset;
Mutuaque alterni compar mensura pericli
Cederet ad meritum.

Tum illud Bernardi plane divinum est, quod idem asserit : « Ad liberum arbitrium[1], quantum in se est, non pertinere, aut aliquando pertinuisse, posse, vel sapere, sed tantum velle; nec potentem facere creaturam, nec sapientem, sed tantum volentem. » Ex quo illud efficit, « manere etiam post peccatum liberum arbitrium, etsi miserum, tamen integrum. » Quod adversus Calvinum, ac cæteros fidei hostes aptissimum est; qui peccato primi parentis ideo liberum arbitrium amissum esse dicunt, quod vim omnem boni agendi, hoc est, ut contra Pelagianos loquitur Augustinus, possibilitatem amiserit. Quamvis ergo debilitatum, attenuatumque sit ita, ut nihil veri, solidique boni per se, ac sine Christi gratia facere possit, non tamen extinctum est, ac periit omnino; quia non hoc natura sua tribuit, ut, ut possimus, sed ut velimus.

1 Bern. ib.

CAPUT VII.

Proponuntur, atque explicantur argumenta omnia, quæ ex Bernandi sententiis novi dogmatis antistites objiciunt. Quatenus in Angelis liberum sit arbitrium. Rursus de necessitate cogente, et violentia. Adstruitur ex eodem Bernardo vera et communis libertatis notio. De triplici ab eo constituta libertate, a peccato, a miseria, a necessitate. Non in eo, quod possit, sed quod velit, positam esse libertatem voluntatis; expenduntur corollaria ex Bernardo perperam collecta ab novis theologis.

I. His de Bernardi sententia accurata, et subtili ratione constitutis, labor jam nullus erit fucum adversariæ partis, et malitiosas verborum interpretationes eludere ut falsa se illusos specie non minus agnoscant, quam qui parum oculis, animoque compotes videbant

« et solem geminum, et duplices se ostendere [Thebas. »

Ex illis vero Bernardi sententiis, et argumentis, quæ inde fabricantur isti, pleraque jam nominatim in superioribus capitibus explicavi; quæ hic omittam, vel certe leviter attingam, ut usus eorum appareat, quæ illic uberrime tractata sunt.

Solvuntur argumenta quæ ex Bernardi sententiis colligunt novi dogmatis antistites.

Primum illud opponunt, necessitatem, quam in illo libro Bernardus nominat, cum *liberum a necessitate* vocat, non posse intelligi simplicem, quoniam hæc voluntario non est adversa, utpote quæ in Deo ac beatis inest, qui necessario bonum volunt, et tamen libere. Responsum a nobis est, eam necessitatem opponere libero arbitrio Bernardum, quæ tollit arbitrii, et electionis usum, et utriusvis optandi facultatem. Cujusmodi est non sola, quæ vocatur simplex necessitas, sed etiam absoluta coactio, quæ fingi animo potest, reipsa autem sic existere, ut sit in ipsa voluntate, non potest. Jam vero libertas huic opposita in homine, Angeloque, priusquam ultimam felicitatem sunt adepti, potest in bonum malumve suopte nutu, ac propensione ferri. Postquam autem summi boni certa in possessione constiterunt, ut peccare amplius

nequeant, usum tamen retinent libertatis illius in bonorum delectu, circa quæ libere versantur.

Quo sensu necessitas a Bernardo usurpatur.

II. Nam quod necessitatem libertati contrariam persæpe Bernardus vim, et coactionem nominare videtur, non eam solam intelligit, quæ est absoluta, et ad contradictionem implicata, et ideo impossibilis ; sed illam maxime quæ quadamtenus cogens, et violenta dicitur, quæque solum extrinsecus pulsat, et voluntati vim affert, cum nihilominus ea libera, et in potestate habens utrumque maneat. Quæ quidem sic in superioribus capitibus enodata sunt, ut omnem scrupulum ac dubitationem eripere possint candidis ingeniis, ac veritatis magis, quam opinionis suæ, judiciique fautoribus. Vel illa protinus oculis, atque animo lustrentur, quæ in tertio libro, contra necessitatem illam, et coactionem explicavimus. Inde enim per sese patebit, frustra illos tendere, ut solam liberæ voluntati repugnare probent coactionem, et violentiam, cum hæc ipsa qualiscumque cogens necessitas, non aliter cogens, violentaque sit, quam ut vel nihil sit, nec agat quidquam, vel nonnisi contra nitente libertate, ac libere agente, faciat, quod potest facere. Quorum prius tum accidit, cum in ipsa voluntate, et actionibus ejus *elicitis* necessitas illa ponitur. Cum enim impossibile id sit, nusquam est in rerum natura necessitas hujusmodi, et ideo libertati nihil officit. Posterius vero tunc existit, quando contra voluntatem externa vis ingruit, quam propulsare non possumus. Ut si quis invitus trahatur a valentiore, et, quo non vult, ire cogatur. Hæc autem necessitas libertatem illam, quæ est in voluntate, non perimit; sed tum potius est violenta, cum agit illa contra, et renititur, idque nonnisi libere facit.

III. Recte ergo Bernardus consensum omnem liberæ voluntatis voluntarium esse dicit, ideoque minime necessarium, hoc est coactum eo modo, quo compelluntur, coguntur-que pecudes. Nam de illis ibi loquitur, et eas cum homine confert ; atque hoc interesse dicit, quod illæ appetitu solo naturali ducuntur, homo vero rationali, et voluntario consensu. Porro bestiarum appetitus violenta necessitate cogi non potest *, ut sæpius ostendimus. Quare, cum eo ipso differre naturalem brutorum appetitum a voluntario consensu hominis ait Bernardus, quod hic compelli non potest invitus, potest autem brutorum; perspicuum est, illum de vi et coactione proprie dicta non loqui, qualem illius sententiis, ac verbis adversarii subjiciunt, sed de ea, quæ inferri potest naturali illorum appetitui, et rationis experti. Cujusmodi est illecebra aliqua, vel extrinsecus adhibita vis, ac terror, quo illorum movetur, ac determinatur appetitus ita, ut in eorum potestate non sit niti in contrariam partem, et violentæ motioni resistere. Quamobrem in necessitatis, et coactionis, ac violentiæ usurpandis vocibus hoc præcipue Bernardus intuetur, quod ab libera, soluta, et ad utrumlibet sequendum indifferenter habente potestate appetitum avocat, et ad unum certum, ac definitum alligat. Quod in homine proprie, ac præcise sola facit simplex necessitas; vera autem coactio nunquam in voluntate illius efficit. Hæc illa est necessitas, quam a libertate removet, dum primam ejus speciem nominat *libertatem a necessitate*.

* *Videtur potest suppresso non.*

IV. Nam, quod ita scribit : « Sicut cœlestis Angelus [1], aut etiam Deus ipse permanet bonus, propria videlicet voluntate, non aliqua extrinseca necessitate ; sic profecto Diabolus æque libere in malum corruit, et persistit, suo utique voluntario nutu, non alieno impulsu, » nihil hoc dogmati novo gratificatur. Eodem enim sensu capienda ista sunt, ac similia quædam ex Anselmo sumpta ante a nobis exposita fuerunt. Nam Diabolus sponte ac libere, nullo neque cogente, neque necessario determinante peccavit. Quam malæ voluntatis actionem deinceps retinet, in eaque libere persistit, tametsi mutare nequeat. Etenim, si natura hæc est Angelorum, ut, quod eligendo semel arripuerint, ab eo se dimovere non possint, sed immobiles in eo, constantesque maneant, uti summis theologis videtur, de quo in libro primo *de Angelis* diximus [2] ; profecto mirum non est, eamdem in illis libertatis motionem et esse liberam, et tamen immutabilem. Non enim libertas ejus, aut necessitas ex præsente statu dijudicanda est, sed ex antecedente, in quo integrum illis fuit alterutrum eligere, et amplecti. Quod etiam in humana voluntate accidit, quæ tum libere agit, cum ex duobus sibi propositis alterum optat ; cum autem sese ipsa determinavit, et eligendi actionem edit, eadem et necessaria est, quamdiu existit, actio; et ob antegressam motionem nihilominus libera; sed illa necessitas *in sensu composito* vulgo esse dicitur.

1 Bern. col. 907.— 2 Cap. XI.

Quatenus liberum in Angelis arbitrium.

V. « Liberum arbitrium Angeli, ait sanc. Thomas [1], est flexibile ad utrumque oppositum ante electionem, sed non post. » Nec refert; an ex naturali proprietate Angelicæ libertatis hoc Dæmones habeant, ut ab suscepta semel pravitate deduci nequeant, an id externa fiat ex causa; velut quod necessaria illis ad mutandas voluntates, et in melius revocandas, gratiæ præsidia subtrahit Deus; quemadmodum homini post obitum eadem illa negantur auxilia, eaque de causa nunquam resipiscunt ii, quos in peccato suprema dies occupavit. Etenim, quod hominibus est mors, hoc Angelis vel peccatum, vel certus ille terminus fuit, quem illis ad promerendum alterutrum statum voluntas divina præfixit, ut ex Nemesio alibi diximus. Ita fit, ut obfirmatio illa dæmonum in peccato, quæ in necessitatem transiit, libera sit propter antegressam electionem, non ut modo se habet. Quod ipsum proportione quadam etiam in Dei voluntatem convenit, qui libere extra se, quæcumque vult, facit, et quod semel decrevit, nunquam mutat omnino. Unde libera illius actio quacumque tandem ratione libera dicitur; de quo alio in loco disputavimus [2], posita semel in necessitatem vertitur, sed consequentem, et complexam, quam *in sensu composito* vocant, non antecedentem, et absolutam. Ea porro libertati nihil obstat, sed ex ea pendet et oritur.

Rursus de necessitate et coactione agitur.

VI. Meminisse vero debet imprimis lector, ac crebro illa revolvere, quæ de violenta necessitate, et coactione, quam adversarii passim obstrudunt, antecedente scripsi capite, nec non in tertio *Disputationis* hujus libro, capite IV. Nam qui apud se diligenter ea tractaverit, quæ ibi sunt exposita, incredibilem novi dogmatistæ cæcitatem, ac stuporem animadvertet, qui nihil nisi verborum speciem consectatus, solam violentiam et coactionem, libertatis hostem et extinctricem esse voluit; neque id quomodo fieri, vel intelligi posset, attendit. Quod si faceret, quantum nugarum, et absurditatum brevi illi dicto, et sententiæ rei ipsius natura subjiciat, forte perspiceret. Nam, ut hoc velut everriculo rationes omnes illorum, et malitias colligam, quas in Bernardi locis, ac verbis inconsiderate moliuntur; demus, quod illi a nobis impetrare cupiunt, Bernardum asserere, libertati voluntatis nullam aliam opponi necessitatem, nisi violentam; tum ea consequentur inepta, et ridicula, quæ capite præsertim proxime superiori perstrinximus. Dicet Bernardus, vim afferri voluntati, cogique, quod *tardum ingenium*, *aut labilis memoria*, *aut vita languens* a Deo, sive a natura concessa est homini; vel quod eorum usus, et efficientia violentum quiddam habet. Utrumque vero tum est falsum, tum fuse antea confutatum est. Itaque non est dubium, vim illam qualemcumque, et violentam necessitatem eatenus liberam non esse, sed libertati oppositam, quod libertas potestatem exigit asciscendi, habendique alterutrius, hoc est unius e pluribus sibi oblatis. At illa, quæ in exemplum asseruntur a Bernardo, jam natura ipsa determinata sunt, et uniusmodi; nec ulla voluntatis electione, quæ iis contraria sunt, obtineri possunt. Sola ergo determinatio, quæ electionem, et consultationem eripit, libertati est adversa; eaque non proprie, sed abusione quadam, coactionis et violentiæ vocabulis afficitur.

Vera et communis libertatis notio ex Bernardo adstruitur.

VII. Hinc idem Bernardus, « Hac, inquit [3], dignitatis prærogativa rationalem singulariter creaturam conditor insignivit, quod, quemadmodum ipse sui juris erat, suæque ipsius voluntatis, non necessitatis erat, quod bonus erat; ita et illa quoque sui quodammodo juris in hac parte existeret, quatenus nonnisi sua voluntate aut mala fieret, et juste damnaretur, aut bona maneret, et merito salvaretur.» His verbis ancipitem, et in alterutrum liberam voluntatis propensionem describit, dum Angelum et hominem cum bonitate ac justitia conditos a Deo, juris ac potestatis suæ ait fuisse, ut vel in accepta justitia manerent, vel eam amitterent. Nam eorum libero arbitrio nulla obsistebat necessitas, quæ aut alterutrius optionem impediret, sicut in obtuso ingenio, vel languente vita corporis, aut inquieto appetitu accidit; neque vis quædam major extrinsecus admovebatur, quæ, etsi non auferret libertatem, *spontaneum* tamen detraheret, sine quo boni meriti, ac virtutis ratio non constat.

Hujusmodi vim, necessitatemque cogentem animadvertere potes in omnibus Bernardi locis, quæ ex libro illo *de gratia et libero arbitrio* descripta sunt ab novo dogmatista; in quibus si id accurate spectes; in quo sita sit cogens illa vis, quæ cum libertate pugnat, non aliam reperies, quam quæ eligendi, et unius duobus obtinendi potestatem tollit, et ad unum coarctat. Nullum autem vestigium

1 In 1 p. q. LXIV, art. 2.— 2 Tom. I, lib. V, cap. IV.— 3 Bern. ib. col. 905.

enectæ, et extinctæ penitus libertatis occurret, imo vero contra nitentis, et eluctantis, ac, quod unicum potest, interiore motu, consensuque resistentis.

VIII. Jam, quæ ibidem subjiciuntur a Bernardo, eximia sunt ad libertatis vindicandam in utrumvis inclinandi potestatem : « Nunc igitur ex eo potius, ait, liberum arbitrium dicitur, quod sive in bono, sive in malo, æque liberam facit voluntatem, cum nec bonus quispiam, nec item malus dici debeat, aut esse valeat, nisi volens. » Quemadmodum autem se habeat voluntas, ut ad utrumque libere se moveat, sic exponit : « Tali jam ratione non incongrue dicetur ad bonum se, et ad malum habere æqualiter; quod utrobique videlicet par sit ei, non quidem in electione facilitas, sed in voluntate libertas. » Voluntatem nihilominus liberam esse dicit, etsi non pari facilitate ferri possit in bonum, quo in malum rapitur. Nam propter peccatum, a quo nondum libertatem habet, prona est in deterius. Verum quoniam libertatem a necessitate habet natura insitam, ideo potest *æqualiter* velle bonum, aut malum. Porro vox *æqualiter* opponitur ei, quod est determinatum, et necessarium. Itaque voluntas hominis, post communem generis labem, *non æqualiter se habet* ad id, ut possit bonum, vel malum facere, quia non habet *libertatem a peccato*, hoc est ab concupiscentia, et carnis illecebris, sive *lege peccati*, quæ nolentem et renitentem, id est captivam trahit, ut Apostolus loquitur [1]. Ex eo igitur, quod nativa corruptela, velut quodam pondere depressa, aut vinculis obligata, determinatur ad peccatum; idcirco non æqualiter in bonum ac malum impelli dicitur ita, ut utrumvis ex æquo possit amplecti reipsa, et facere. Sed hanc illi *possibilitatem*, ut adversus Pelagianos loquitur Augustinus, Christi gratia suppeditat.

Triplex a Bernardo constituitur libertas a peccato, a miseria, a necessitate.

IX. Atque, ut universe Bernardi doctrina, et ab eo posita *æqualitas* illa liberæ propensionis, quam *indifferentiam* in scholis nominant, intelligi possit, sciendum est, *æqualitatem* pari cum libertate gradu, et ratione apud illum procedere, ut in quorum usu, et tractatione libera est voluntas, in iis et ad ea se *æqualiter* habeat. Est autem triplex ab eo constituta libertas, ut supra monuimus: una est a peccato : altera a miseria : tertia ab necessitate. Prima est status animi nulla peccati lege, et affectione depravatus; cujusmodi in Adamo fuit, qui libere alterutrum facere poterat, bonum aut malum, nec ullo concupiscentiæ visco ad peccatum adhærebat. Æqualitas proinde fuit in illo potestatis, ut tam bonum facere posset, quam malum; adeoque libertas faciendi, aut non faciendi quia nullo voluntas per se, uti bonum facere posset, indigebat auxilio *gratiæ medicinalis*, ut ab Augustino significatur. Secunda libertas a miseria *pœnam peccati* respicit, uti sunt morbi, calamitates, corporis interitus, ac cætera, quæ nullam ex se habent illecebram peccati, neque ad hoc invitos licet, ac reluctantes pertrahunt, sed cruciatum duntaxat, et molestiam afferunt. Ab hac miseria primus erat immunis parens, ac liber; et eatenus æqualitatem illius comitem libertatis obtinebat, quod in ejus arbitrio situm erat carere his ærumnis et miseriis in perpetuum, aut eas experiri. Hinc illud ab Nemesio, et antiquis aliis de Adamo proditum est; hunc neque mortalem neque immortalem a Deo esse conditum, sed in statu quodam inter utrumque medio, ut posset, quem ex ambobus mallet, eligere. De qua opinione supra dictum est [2]; atque hæc τὸ ἀδιάφορον, id est *æqualitatem* illam, ut vocat Bernardus, ut nostri, *indifferentiam* hujus secundæ libertatis peculiarem exprimit. Tertia libertas a necessitate naturalem facultatem significat e duobus eligendi unius, cum potestate, si malit, contrarii, vel oppositi præferendi; sed ita, ut omnibus ad agendum necessariis præsidiis instructa sit, inter quæ præcipuum locum obtinet gratia, sine qua neque bonum velle, aut efficere potest, quod ad æternam salutem spectet, et ea concessa, adjuvanteque, vel, ut cum Scriptura, et Augustino loquar, cooperante, jam natura suas partes exequitur, et libertate utitur sua, quæ in eo posita est, ut, quod Tridentina synodus sciscit [3], sic « excitanti gratiæ consentiat, ut possit dissentire, si velit. » Quæ synodi verba graphice delineant *indifferentiam* illam, vel *æqualitatem* utriusvis amplectendi.

X. Verum, uti magis intremus in rem, et Bernardi quasi totidem mittamus jacula contra Calvini, ac novorum theologorum commentum, volo plenius totum illum expendere locum, ut abuti tanti Patris auctoritate, et ista potissimum, quam modo tractamus, sententia desinant adversarii. « Nemo proinde putet [4], ait Bernardus, ideo dictum liberum,

1 *Rom.* VII, 23.— 2 Lib. II *de Opif.* c. VI, § 9.— 3 Sess. VI, can. IV.— 4 Bern. *de Grat. et lib. arb.*

quod æqua inter bonum et malum potestate, aut facultate versetur, cum cadere quidem per se potuerit, non autem resurgere, nisi per Domini spiritum. Alioquin nec Deus, nec Angeli sancti, cum ita sint boni, ut non possint esse et mali, nec prævaricatores item Angeli, cum ita sint mali, ut jam non valeant esse boni, liberi arbitrii esse dicuntur. Sed et nos illud post resurrectionem amissuri sumus, quando utique inseparabiliter alii bonis, aliis malis, admixti fuerimus. »

Non in eo sita libera arbitrii natura ut æqualiter in utrumque propendeat.

Hic verissime dictum est a Bernardo, non in eo positam esse naturam, et essentiam liberi arbitrii, ut æqualiter in malum, bonumve possit impelli ; hoc enim Dei arbitrio libero non convenit. Itaque, si genus ipsum consideres libertatis, non est necesse, ut in ea male insit agendi potestas. At liberum creaturæ arbitrium per se, ac secluso altiori quodam gratiæ statu, postulat, ut in utrumlibet suopte nutu moveri possit, cum ea conditione, quam attigi supra, ut omnia ad agendum necessaria suppetant. Sed pergit Bernardus: « Cæterum nec Deus, inquit, caret libero arbitrio, nec diabolus, quoniam, quod ille esse non potest malus, non infirma facit necessitas, sed firma in bono voluntas, et voluntaria firmitas; quodque is non valet in bonum respirare, non aliena facit violenta oppressio sed sua ipsius in malo obstinata voluntas, ac voluntaria obstinatio. »

XI. In hoc Bernardi loco frustra triumphat, et sibi plaudit novus dogmatistes, tanquam suum illud in eo repererit, de sola violenta necessitate opposita libertati, cum nec aliter facere possint Deus, aut diabolus, quam ut ille bonus, malus iste sit, et nihilominus libere id, quod est, sit uterque. Atqui nihil ex eo fit illorum vendibilior opinio ; et sunt ea revocanda in memoriam, quæ ad Anselmum supra disputavimus; cogitandumque illud est primo, bonum istud, de quo Bernardus loquitur in Deo non hoc esse, quod ei οὐσιῶδες, ac prorsus necessarium est, sed quod extra se agendo, communicandoque diffundit; quod sane libere facit, hoc est ita, ut non facere posset, si ita visum esset. Nam, quod revocare amplius non potest, postquam semel ita constituit, non hoc de libertate detrahit, sed addit consilii, ac propositi immutabilitatem, et constantiam, quæ consequentem solummodo necessitatem parit, non antecedentem. Quod ipsum de diaboli quoque obstinata in malum voluntate dicendum est, ut paulo ante meminimus[1], ac docet Maximus Martyr, dum Angelos refert ex Gregorio Nazianzeno, difficile in oppositum ejus, quod elegerint, flexibiles esse : « Quare dæmones, ait, non natura, sed quadam liberæ voluntatis qualitate, quam in malum obfirmarunt, immobiles manere in sua defectione[a]. »

Substantiale.

Quod autem solam indidem violentam necessitatem hostem esse libertatis colligunt, præter Bernardi mentem faciunt. Non ille solam adversari cogentem necessitatem, sed adversari significat; et quod libro tertio dixi[2], ista ipsa cogens necessitas, non qua cogens est præcise libertatem aufert, sed qua electionem eripit, et unius tantum asciscendi facultatem permittit. Cur autem necessitatis non absolutæ, sed infirmæ, et opprimentis, ac violentæ potius mentionem faciat Bernardus, ea causa est, quam alias ostendimus, quod necessitas hujusmodi, quæ coactio, et violentia dicitur, magis ad mores hominum, et eorum æstimationem attinet, quam absoluta, simplexque necessitas; ideoque *moralis* prior illa vocari consuevit, quæ non tollit arbitrii libertatem, sed ei vim facit, ut, etsi possit aliud velle, tamen extrinsecus, urgente vehementi quadam impressione, libere illi, sed non sponte succumbat. Sed videnda sunt illa, quæ supra, maxime ad Anselmi testimonia, disseruimus.

XII. Cum itaque liberum arbitrium non eo liberum dicatur, quod ex æquo bonum, aut malum possit facere, « ex eo potius, ait idem Bernardus[3], liberum arbitrium dicitur, quod sive in bono, sive in malo æque liberam facit voluntatem. » Quod eo sensu scripsit, quoniam liberum arbitrium necessario ad agendum auxilio præditum, potest æqualiter in bonum, aut malum movere se, in quo *libertas a necessitate*, sive *arbitrii* consistit. Hanc libertatem nulla vis præripere potest, ut idem docet; qui cujusmodi vim et cogentem necessitatem intelligat, plane ac perspicue significat, sed non ad mentem novi dogmatistæ. Nam talem indicat, quæ voluntatem

a Maxim. *in Scholiis ad Joan. Climacum.* Gradu 4, annot. 40. Τοίνυν οὐ κατ' οὐσίαν, ἀλλὰ κατὰ προαιρετικὴν ποιότητα, ἣν οἱ δαίμονες ἐπὶ κακῷ στερεώσαντες ἔμειναν διὰ τὸ ἀνεπίστροφον ἐν τῇ ἀποστασίᾳ.

1 arag. 4.— 2 Cap. XIII.— 3 Ibid.

extrinsecus lacessit, aut allicit, dum ea sui juris interim ac libera permanet, nedum perimitur, aut ab ea sic, tanquam hoste capitali, funditus deletur. Disputans ergo Bernardus de eo[1], quod Scriptura non raro *trahi, compellique* homines ait, « nihil hoc impedire» dicit : « Hoc quippe intendit, cum terret, inquit, aut percutit, ut faciat voluntarios, id est ἑκόντας et *spontaneos*, non salvet invitos, quatenus, dum de malo mutat voluntatem, in bonum transferat, non auferat libertatem.» Mox necessitatis illius prementis exempla ponit, concupiscentiæ motus[2], et impetus, ac *legem*[3], *quæ in membris repugnat legi mentis*, et id genus alia. Tum, « Hæc, inquit, omnia putari possunt cogere voluntatem, et præripere voluntatem. At vero quantislibet quis intus, forisve tentationibus urgeatur, libera profecto semper, quantum ad arbitrium spectat, voluntas erit. » Quem Bernardi locum si, cum describebat, attentius consideraret novi antesignanus dogmatis, desiisset de illa necessitate, ac violentia cogitare, quæ sic est inimica libertati, ut usum ejus quietum, ac pacatum impediat, non ut amputet, et extinguat. Atqui, cum ista ipsa concupiscentiæ vis, et necessitas contra voluntatem facit, quod potest, non eam proprie cogit, nec invitam, sive nolentem velle compellit; quin sæpe volentem, et spontaneam reddit ex invita, estque communis, et usitatus intestini illius certaminis exitus, et victoriæ fructus, quam de prostrata libertate concupiscentia tulerit. Nam quamdiu voluntas invicta persistit, et domestici hostis impetus propulsat, non facit in ea, quod potest, illa necessitas, quia non rationi voluntatique dominatur, sed in illo, in quo tyrannidem exercet suam, *appetitu naturali*, sive carnis, ac membris externis. Quamobrem inconsiderate prorsus ex hoc, et similibus Bernardi locis, et exemplis ita novus dogmatistes colligit : « In his tot, et tam evidentibus testimoniis, quibus totus ille liber plenus est, accuratissime, satiatissimeque declarat sanctus Bernardus, quam necessitatem excludat a libertate; nempe vim, violentiam, compulsionem, coactionem eam, qua quis invitus est, qua non vult, qua non est voluntarius. » Quod hactenus plene, copioseque confutavimus.

XIII. Sed præ omnibus absurda sunt illa corollaria, quæ ex Bernardo ibidem pertexit; e quibus explodenda maxime ista sunt: « Etenim, si talis est libertas voluntatis, ait, ut tam non possit privari illa, sicut Bernardus loquitur, quam nec seipsa, quia quidquid voluerit semper erit, cum aliqua voluntate, ideoque cum libertate; manifestum profecto erit, talem libertatem ex hoc ipso nasci, quo creatura rationalis est : Esse liberum omnem voluntatis rationalis motum, hoc ipso, quo voluntarius : Amitti a voluntate non posse libertatem. » Quæ quidem ab omni ratione destituta sunt; nec unquam Bernardo in animum venerunt. Quanta enim, et quam immania portenta inde nascuntur! Etenim libertatem cum nominat, non eam interpretari debet, quæ est volendi facultas, et potentia; sed quam *actualem* in scholis vocant, videlicet *volitionem* ipsam, quam necesse est omnem esse liberam, si omnis voluntatis motio libera est. Nam de potentia ipsa nemo cum illo litigat, quam certum est amitti non posse, quamdiu homo est, rationisque particeps. Itaque liberam actionem voluntatis, ac libertatis intelligat, oportet. Hoc autem quis non perspicue falsum, et abhorrens a communi esse sensu videt? Quippe fatui, amentes, et furiosi, quos velle aliquid, ac voluntate uti sua, fatuus sit ipse, qui neget, jam libere agere omnes incipient; ac laude, aut vituperatione, pœna item digni, aut præmio factorum. Cui tum innata humano generi ratio, tum Bernardus ipse reclamat, ut superius adnotavimus. Sane, si et furiosus *creatura rationalis est*, et *amitti non potest libertas*, non solum quæ potentia est, (alioqui novi nihil afferret; neque velut mysticum quiddam, et præter communem opinionem tanto id labore, quod nemo diffitetur, ex Bernardo colligeret) sed ea maxime, quæ *actualis* dicitur; evidens est, quod indidem sequitur, ne furiosos quidem, et amentes libertatis usu destitui.

Expendun-tur corollaria quæ perperam ex Bernardo pertexunt adversarii.

XIV. Quod et paulo post confirmat : « Sexto, inquit de consectariis doctrinæ Bernardi agens, libertatem voluntatis prorsus esse inamissibilem, cum fieri non possit, quin voluntas semper velit, si velit; ipsum autem velle hoc ipso est liberum, quo est velle voluntatis. » Ergo, cum ex eo quisque liberum habeat usum voluntatis, quo *rationalis est creatura*; neque hoc amitti ulla injuria possit, ut voluntas agat, ac velit, nihil autem velit, nisi libere; omnino necesse fit, nunquam non libere agere voluntatem, ac proinde laudem aut vituperium, pœnam aut præmium ob

1 Cap. XIII.— 2 *Jacob.* I.— 3 *Rom.* VII.

illud ipsum, quod facit, mereri ; quod diserte negat initio libri sui Bernardus. Quapropter, cum *velle*, ac *voluntatem* nominat Bernardus, eam non aliter, vel ipso præeunte, possumus accipere, quam ut libere agat, hoc est sic, ut posset non agere, et ex qua homo, ut homo est, agere dicitur. Hanc amitti non posse cum dicit, non præcise, absoluteque loqui se, demonstrat ipse, cum parvulos, et insanos excipit, quos « usum non habere propriæ voluntatis » asserit. Habent enim voluntatis usum, id est appetitus rationalis, sed non liberæ ; quemadmodum et rationis judicium, id est notitiam habent, non tamen expeditam et opposita inter se suis momentis, ponderibusque librantem ; quam stirpem, et radicem libertatis esse, cum Bernardo, imo cum veteribus Christianis perinde, ac profanis philosophis scholæ omnes hodie profitentur. Hujusmodi voluntatem, ac libertatem, docet Bernardus, eripi non posse homini ; absolute quidem, quod ad naturalem ipsam facultatem et potentiam spectat, quamdiu homo est ; quod ad usum vero, et actum pertinet, sic est interpretandus, ut, quoad sanus est, suique compos, ac citra casum aliquem, et vim majorem, qua obrutus humano agere more desinat, et quodammodo *actu homo* esse, sit *inamissibilis*. In quo pulchre ista sibi respondent, ut, quemadmodum qua homo est, id est essentiam habet, hominis, ei voluntas, sive libere volendi potentia detrahi nequit : sic quatenus, ut homo agere potest, nonnisi libere agat, et sic, ut integrum habeat agere vel non agere, atque hoc vel illud asciscere. Sed de Bernardo hactenus.

CAPUT VIII.

De Hugone S. Victoris ad Lutetiam Cœnobita, cujus testimonio perperam utitur novi propugnator dogmatis. Contra quem primo constituitur ratio libertatis, et actionis liberæ, necnon necessitatis et violentiæ. Tum Hugonis loca declarantur ; atque ex iisdem, aliisque communis et vera confirmatur opinio.

Qui post Bernardum de liberi arbitrii natura commentati sunt, illius fere mentem ac sententiam, quidam etiam verba ipsa scriptis commendarunt suis. Quamobrem ad eorum interpretationem, et novi dogmatistæ diluendas calumnias, quibus illorum testimonia detorquet, satis ea poterant esse, quæ de Bernardo, istius rei gratia, fusius, et enucleatius exposita sunt. Verum, quod in illorum sententiis proprium quiddam inest, ex cujus tractatione plus aliquid lucis antecedenti disputationi, totique adeo doctrinæ nostræ possit afferri, non pigebit operam istam sumere, ut singillatim ac præcipue de quatuor agamus civitatis olim hujus incolis, qui inter theologorum principes ætate sua sunt habiti. Sunt autem ii Hugo, Richardus, Magister sententiarum, et Guillelmus Parisiensis.

Summaria exceptio adversus argumenta, quæ ex veterum dictis colligunt adversarii.

Ac potest argumentorum omnium, quæ ex illorum dictis conficiuntur, eo vis ac summa revocari, id quod ad reliquos etiam, quos auctores adversarii citant, antiquos pertinet, quod ab illis libero arbitrio, ac voluntati contraria ex adverso violentia, coactioque ponitur. Sed huic obviam eundum erit exceptione illa coactionis, ac necessitatis, quam sæpius, quam vellemus, inculcare cogimur. Quod non pluribus tamen locis facimus, quam isti violentam suam, cogentemque necessitatem prædicant, quâ vim naturæ, communique humanitatis sensui, ac judicio faciunt. Ut igitur summatim, et facilitate, quam hactenus fecimus, majore, ac methodo, rationem necessitatis illius explicemus, rem altius repetitam hoc modo constituimus.

Liberæ actionis ratio constituitur

II. Omnis actio, quæ circa appetitum, id est inclinationem rei cujuslibet, considerari potest, aut naturaliter existit, aut violenter. Naturale id voco, quod ab interno naturæ principio, et secundum illius propensionem oritur ; violentum, quod ab externo agente fit, contra nutum, et inclinationem patientis. Jam quod naturale est, vel ex antecedente notitia proficiscitur, vel citra cognitionem. Hujus posterioris exemplum est in rebus inanimis, velut gravia deorsum feruntur, levia sursum ; quæ autem ex præcedente fiunt notitia, vel ex sola phantasia ducuntur, vel ex ratione et intelligentia. Phantasia sola moventur ad appetendum brutæ animantes ; quæ autem ex intellectu agunt, aut ex simplici cognitione agunt, ac determinata, quia cognosci res aliter nequit ; sive natura sua, sive vitio agentis et perturbatione ; quorum prius in beatis accidit, quorum voluntati natura Dei et essentia sub una perfectissimi boni ratione contemplanda, et appetenda proponitur ; posterius autem in amentibus ac phreneticis ; aut ex deliberativa, et consultatrice notitia feruntur, unde electio nascitur. Rursus quæ ex electione appetuntur, vel ex

se, suoque nutu et inclinatione voluntas ad illa trahitur ; vel externo aliquo movente.

Jam vero violenter aliquid fit aut absolute, ac simpliciter, aut quadamtenus. Violentum absolute dicitur, quo appetitui ipsi vis quædam interior inferri ponitur, cujusmodi violentia impossibilis est, eo quod ex aiente et negante conflatur, quod *ad contradictionem implicari* dicitur. Nam quatenus appetitus agit, ab interno principio movetur ; ut autem violentum fingitur, non agit ex interno principio. Agit ergo simul et non agit. Violentum, quod *secundum quid* vocant, est vis extrinsecus oblata, qua appetitus ad ejus, in quod alioqui moveretur, contrarium impellitur.

III. His animadversis, quod naturaliter appetitur, spontaneum dicitur, maxime cum ex antegressa cognitione in id appetitio movetur, Græci τὸ ἑκούσιον appellant ; idque tam in brutis animantibus cernitur, quam in ratione præditis. Hoc autem si antecedente notitia vel solius phantasiæ fiat, vel intellectus quidem ; sed qui ad unum determinatus sit, nec opposita inter se comparet, ac deliberet, necessaria est appetitio ; sin illa cognitio deliberatione conjuncta sit, ex ea nascitur electio, quæ est appetitio libera, utpote liberi arbitrii propria functio. Cæterum necessarium illud est, ut ex S. Thoma supra memoravimus[1], *quod immobiliter ad unum determinatum est.* Id autem vel naturale est, vel coactum et violentum, nam utrumque determinatum est. De naturali præclara est illa Nemesii ratio alio a nobis loco citata[2] ; qui brutas animantes, etsi simile aliquid rationis habere videntur, non tamen rationales esse probat, quoniam eodem ac determinato modo semper agunt. Etenim lepores omnes iisdem ad eludendos venatores artificiis utuntur ; lupi eadem feritate, et ad insidiandum calliditate ; simii eodem modo omnes imitantur. At in hominibus, propter arbitrii libertatem, innumerabilis est, neque certo genere circumscripta varietas actionum. Quæ res arguit id esse definitum ac determinatum, quod naturaliter fit ; varium autem ac multiplex, quod libere agitur. Sed quod naturale est, a seipso, et ex interiore causa determinatur ; violentum autem ab externa causa, est enim determinatum et ipsum. Quod enim cogitur, ad id determinatur, ad quod vi compellitur. Verum hoc interest, quod naturalis necessitas absolutam, ac simplicem in appetitu determinationem efficit ; violenta vero nunquam absolute determinat, præsertim appetitui rationabili, hoc est voluntati adhibita, quia semper in potestate hujus est quamlibet vehementi illius impressioni resistere. Hinc, ut sæpius dictum est, quæ ex libera voluntate fiunt, vel eo, quod liberum arbitrium vocatur, nunquam fiunt necessario, quia determinata esse nequeunt ad unum neque naturali necessitate, neque violenta. Utrobique enim nulla esse potest electio, quæ est propria, et οὐσιώδης liberi arbitrii, sive creatæ voluntatis actio. Fieri tamen potest, ut eadem voluntatis actio et libera sit, hoc est sit electio, et tamen coacta, violentaque sit, quia vi extorta est duntaxat extrinsecus illata. Quare non erit ἑκούσιος, id est *voluntaria*, sive *spontanea*, quando non ex se, proprioque nutu, sed ab exteriore causa, contra naturalem propensionem voluntas ad appetendum, et eligendum aliquid impellitur.

Spontaneum.

IV. Quæ omnis doctrina ex illis philosophiæ, theologiæque hausta fontibus est, quos in tertio et quarto capite libri tertii reclusimus ; ac deinceps passim, et sicubi opportunum fuit, ad antiquorum Patrum illustrandas, explicandasque sententias, ad eosdem digitum intendimus. Quod postremo hoc in loco diligentius inculcandum duximus, quoniam ad illa tempora, et eos scriptores pervenimus, a quibus pressius, ac subtilius disputando res enucleari, et ad vivum resecari cœperunt, quando et divinarum rerum tractationi insinuandæ, implicandæque philosophiæ initium est factum. Quapropter, iis velut fundamentis positis, ac liberi, et necessarii constituta ratione, plana erunt et explicatu facilia, quæ ex posterioribus illis scriptoribus adversæ partis signifer objecit. In quibus præterea non minus, quam in superioribus citandis pro se testibus cæcum illum, ac præcipitem fuisse constabit, cum eorum ipsorum, quos adduxit, voce ac testimonio refellatur.

Etenim, quem ex Hugone locum primum omnium posuit, is liberæ voluntatis naturam in utriusvis eligendi potestate perspicue statuit : « Liberum arbitrium, ait Hugo[3], est habilitas rationalis voluntatis, qua potest, vel, adjuvante gratia, ad bonum, quod non habet, proficere, vel, sinente gratia, a bono, quod

Mens Hugonis expenditur.

1 Lib. III, cap. IV ex qu. XXII *de Volunt. Dei.* a. 6. — 2 Lib. VIII, cap. III, parag. 8. exc. II libri *de Nat. hom.* edit. Plant. — 2 *Erud. Theol. Misc.* lib. I, cap. CLXXIV.

vel habet, vel habere debet, per semetipsum deficere. » Quibus in verbis τό ἀόριστον, ut Nemesius appellat, hoc est *indefinita*, et *indeterminata liberi arbitrii facultas* continetur eligendi utriuslibet, ut vel proficere, si vult, possit, aspirante gratia, vel, si mavult, ex semetipso deficere.

V. His dictis, quæ ab adversario sunt omissa, mox Hugo ista subjungit, quæ sola iste descripsit : « Item liberum arbitrium est in rationali voluntate spontaneus appetitus boni, qui nec coacto dari, nec invito auferri potest. » Quæ verba nihil ad recentem calumniam opinionis faciunt ; nam loquitur de libera boni appetitione, sive liberi arbitrii actione, qua laudabiliter bonum eligit ; quæ quidem non solum libera, sed etiam voluntaria, id est spontanea sit, oportet. Nam, ut supra diximus, qui bonam honestamque rem agit, sed prorsus invitus, ac non sponte, is neque laude, neque mercede dignus est.

At novus dogmatistes illa ipsa verba Hugonis expendens, quidquid de libertate hactenus docuerat imprudens labefactat : « Quod voluntatem rationalem, inquit[1], nominat, intelligere videtur voluntatem, quæ cum pleno judicio rationis operatur, ut motus indeliberati ab actibus liberis secernantur. Vides ergo, nihil ad actum liberum requiri, nisi ut sit actus voluntatis cum ratione deliberata agentis spontaneus, non coactus. » Hæc sunt, ut dixi, contraria novo illi de libertate decreto ; nam, si nulla est libera voluntatis actio sine judicio rationis, ac deliberatione, non potest necessitas, ac determinatio, qua ad unum adstringitur, cum libertate consistere. Etenim deliberatio sine conflictione aliqua, et oppositione contrariorum intelligi non potest, nec judicium de re appetenda sine potestate utriusvis asciscendi.

In quo sita deliberationis ratio.

VI. Siquidem deliberatio idem est, ac βούλευσις, id est *consultatio*, sive σκέψις, ut a Nemesio, Joanne Damasceno, aliisque Græcis appellatur ; qui hanc ita definiunt[2], ut sit *inquisitio de iis, quæ cuique sunt agenda*. Et addunt, ea contingentia esse debere, quæ videlicet fieri, aut non fieri possunt, propterea quod de necessariis, ac determinatis nulla potest esse deliberatio ; « Inciditur enim omnis jam deliberatio, ut ait Cicero, si intelligitur non posse fieri, aut si necessitas affertur[3]. » Sed neque κρίσις, id est *judicium*, quod circa res agendas versatur, et πρακτικὸν dicitur, sine diversarum rerum comparatione inter se proprie fit. Quemadmodum in foro, ac judiciis, post contentionem ac certamen pugnantium invicem partium, ab judice sententia profertur, quæ judicium dicitur, hoc est disceptatio litis ; de qua re vide, quæ in libro tertio, capite v scripsimus. Quare vel ex adversarii confessione perspicuum est, nullum actum voluntatis liberum dici, qui non ex utriuslibet eligendi potestate prodierit, ac falsissimum esse, quod sæpe idem docuit, omnem voluntatis motum esse liberum, imo *implicare contradictionem*, ut sit ulla *volitio* non libera. Quod si verum esset, quandoquidem sine judicio, ac deliberatione potest aliqua esse voluntatis actio : ut sunt, quos minime deliberatos actus nominant ; essent omnes sine ullo discrimine liberi. Ut ex eo planum sit auctorem novi dogmatis a seipso turpissime dissidere, et contraria invicem, ac pugnantia decernere. *Practicum.*

VII. Cætera, quæ ex Hugone producuntur, ex antecedentibus elucescunt, nec habent peculiarem quæstionem. Habent vero longe maximam vim, ac præsentissimam contra venena novi erroris, cui conciliando temere quæsita fuerant, ut non tam illius adstruendi gratia, quam dedocendi, ab auctore allata videantur.

Horum locorum unus ille est, in quo de libero arbitrio quærit, quid sit, atque ita definit[4] : « Liberum arbitrium est habilitas rationalis voluntatis, qua bonum eligitur, gratia cooperante, vel malum, ea deserente. » Ibi vides et electionem, et contraria duo, circa quæ versatur electio. Sequitur accuratior liberi arbitrii delineatio ex Bernardo sumpta, et ejus fere verbis exposita : « Consistit, inquit, in duobus, in voluntate, et ratione. Liberum namque dicitur, quantum ad voluntatem, arbitrium, quantum ad rationem. Rationis est videre, quid sit eligendum, vel non ; voluntatis est appetere. Et ita ratio, tanquam pedissequa, monstrat viam, consulendo illud, quod videt faciendum, dissuadendo contrarium. Voluntas tanquam domina ducit secum rationem ad quodcumque fuerit inclinata. Non enim trahitur voluntas a ratione ; sed solummodo monstrat ratio, quod

Ex Hugone vera liberi arbitrii ratio constituitur ejusque varia loca declarantur

1 Tom. III, lib. VI, cap. XVIII — 2 Nemes. cap. XXXII Βούλευσις μὲν γάρ, ἐστι ζήτησις περὶ τῶν αὐτῷ πρακτέων. — 3 Lib. I *de Or.* — 4 Tract. III *Sum. Sent.* c. VIII.

appetere debeat voluntas. Ratio vero trahitur a voluntate etiam in iis, quæ sunt contra rationem. Naturaliter namque ratio contradicit, hoc est, non illud esse faciendum judicat, et tamen vincitur et consentit. » Hæc ab auctore novi dogmatis comiter dissimulata sunt, quod in illis commentum suum argui, refelliqueque videret. Obsecro enim, quid expressius, firmius, ac valentius excogitari potest adversus ementitam illam libertatis speciem, quam præpostera licentia, et novitas inducit, quam est tota hæc Hugonis oratio? Arbitrii esse dicit, ac rationis, duo quædam ad eligendum opposita inter se voluntati proponere; et utrum melius sit, ac præferendum alteri, deliberare. Tum, ubi ratio pronuntiavit, ac judicavit, non statim, aut necessario sequi voluntatem, et illius arbitrio ac judicio stare, sed quasi, dominam optare, quod libitum fuerit, ac nonnunquam, eo rejecto, quod ratio suadebat, alterum anteponere, ad idque, quod amplexa est, ducem ipsam, et magistram rationem trahere.

VIII. Quis, nisi rationis egens, non ex illis omnibus agnoscit, liberam, ac sui juris, hoc est dominam ideo esse voluntatem, quod ex duobus sibi oblatis, alterutrum sequi, et eligere potest, nulla necessitate ad unum aliquod impulsa? Pulsat illam quidem hujusmodi necessitas, et cogit, et violenta propterea dicitur; sed non vincit ac subjicit sibi nisi volentem, ac libere cedentem. Itaque non est talis quam fingit adversaria factio, quæ libertatem præfocet, eique capitaliter inimica sit. Sit sane *vis*, *violentia*, *coactio*, dum maneat integra libertas, et externa illa sit tantum, quæ membris imperet, et in ea vim ac tyrannidem suam exerceat, ac denique libertati eatenus contraria dicatur, quod eam, quantum in se est, ac potest, ad unum eligendum determinet, cum ne hoc quidem possit facere nisi volenti.

Hujus generis vim, et coactionem deinceps Hugo Bernardum imitatus aperit, ejusque fere verbis explicat, quæ sola novus dogmatistes excerpsit. «Cum habeamus, inquit, cum pecoribus communem sensum, et appetitum, liberum arbitrium nos ab eis discernit, penes quod omne meritum consistit. Cum enim nulla vi, nulla necessitate cogatur, non immerito beatitudinem, seu miseriam promeretur, » etc. Subjicit mox *de tardo ingenio*, *memoria labili*, ac cætera ex Bernardo petita, quæ supra pluribus enarravimus. Quidnam igitur est, quod vis illa et coactio potest, conaturque facere? aut quid ei contrarium ab Hugone, ac Bernardo statuitur? Nihil aliud efficere illa contendit, nisi voluntatis *infinitam*, et ἀόριστον potestatem definire, ad seque vel invitam trahere. Cui hoc contrarium est, quod proxime ante Hugo posuit, cum voluntatem docuit adversus determinantem, et vim quodammodo inferentem, certe *contradicentem* rationem obfirmare se, et eam potius inclinare, quo vult, et cogere. Etenim non minus in bonis suadenti, et ad ea cogenti rationi liberum resistit arbitrium, quando concupiscentia, vel consuetudo mala captivum illud cepit, quam ad malum incitanti, Dei armata, corroborataque præsidio, atque usu firmata virtutis obsistit. Sed ea vis, et coactio neutram in partem est absoluta, et a nobis ultro etiam admittitur et ad novæ opinionis fidem adstruendam plane inepta est, et inutilis.

IX. Rursus in capite sequenti majorem, et altiorem insulsæ novitati plagam imprimit Hugo, ut omnino talpa cæcior, qui illius testimonio capitis usus est, dogmatistes fuerit. Sic enim scribit: «Præterea sciendum est, quod liberum arbitrium solummodo ad futura se habet.» Cur ita? aut quid ex eo consequens sit? Hoc sane, quod novum dogma ad incitas redigit: « Quod in præsenti est, inquit, non est in potestate nostra, ut tunc sit, vel non sit; sed utrum in futuro ita se habeat, vel non, in potestate liberi arbitrii est. Nec ad omnia futura se habet, sed ad ea tantum, quæ possunt fieri, et non fieri. » Post hæc mutire qui tandem malesana novitas audebit? Liberum arbitrium, ait Hugo ad præsentia non pertinere, quod ea in ejus potestate non amplius sint. Ecquid vero causæ est, cur amplius non sint? An quia coactionis inest aliquid ipsis, ac violentiæ, ex quo præterita esse cœperunt? Nemo sic perdite insanit, ut hæc dicat. Ergo ideo extra potestatem voluntatis exierunt, quod determinata sunt, quod necessaria simpliciter, quod aliter habere nequeunt. Liberi autem arbitrii materia, subjectaque res debet esse contingens, et quæ fieri, aut non fieri possit. Itaque libero proprie, ac præcipue id opponitur, quod est determinatum, et necessarium. Declarat hoc Hugo in cap. XXII partis V libri I *de Sacramentis*; ubi eadem fere repetit, ac docet, « Liberum arbitrium ad præsens tempus non referri, sed ad ea, quæ futura sunt postea in contingenti. Omne enim, quod est, determinatum est; nec potest aliud esse, quam est dum ipsum est. » Deinde « liberum

arbitrium spectare semper ad futuros eventus ait, et solum qui in contingenti consistunt. Futura quippe, quæ ex necessitate futura sunt, liberum arbitrium non sequuntur, sed constant immobiliter ad unum tantum, nec recipiunt utrumlibet contingentis, » Nonne quidquid pro communi, et Catholica de libertate sententia contra inscitam novitatem obtendimus, totum illis in Hugonis verbis, et ab eo tradita libertatis definitione continetur ?

X. Nam quod ex eodem opponitur Hugone[1], « Liberum arbitrium ex eo dici, quia est voluntarium. » Tum, bonos Angelos non posse esse malos, neque malos posse esse bonos, non necessitate, vel coactione ; sed illos *confirmata per gratiam*, istos *obstinota in malo voluntate* ; supra huic est responsum, cum Anselmi similis est explicatus locus. Nimirum liberum arbitrium, quod ad mores attinet, maxime ut spontaneum est, consideratur ; quia dum cogitur, invitumque penitus in bonum impellitur, laude ac merito caret; malum autem, quia cogi per sese ipsum non potest, nonnisi libere amplectitur. Dæmones porro atque damnati, etsi necessario, quod ad mali speciem ipsam attinet, ad malum determinati sint, hoc tamen, vel illud malum libere admittunt et eligunt. Atque hæc ipsa cujusquemodi mali necessitas non illis modo voluntaria, sed etiam libera censetur, non propter præsentem usum liberi arbitrii, sed propter præteritum. Quod idem valet in bonis Angelis, qui ad illud, quod libere semel ascivere bonum, et honestum, immobili proposito, et constanter adhærescunt. Sed vide quæ illic ea de re disputata sunt.

Verum miris præstigiis illusus est novi propugnator dogmatis, cum ex Hugonis libro primo *de Sacramentis* quartum genus testimoniorum citavit ; tanquam ille sentiret, nihil aliud « ad essentiam liberi motus pertinere, quam ut per se suo motu, non alieno impulsu, vel coactu moveatur. » Sic enim Hugo de Angelorum creatione, ac prima voluntatis eorum motione, meritoque disserens, scribit id, quod primum in illis est creatum, non fuisse *velle*, *aut facere*, id est motum ipsum, sed potentiam movendi se, et substantiam. « In illis autem, ait[2], quod erat primum incipere, velle non erat, aut facere, qui ad volendum tantum facti erant, non volentes aut facientes. Velle enim, aut facere motum habet, et de hoc in illud et successum, et moram; quod incipientis principii esse non potest. » Tum ista subjicit, quæ et adversarius profert : « Ex quo autem voluntas movebatur, velle erat ; et a voluntate erat, quæ libere movebatur ; quia per se movebatur, non impulsu alieno. Et hoc ipsum meritum erat, vocabatur bonum, vel malum, quia liberum erat, et ex se erat. » Quæ quidem, ut et reliqua ejusdem sententiæ, nihil ad novum commentum pertinent. Non enim eo solo liberum arbitrium in voluntate esse dicit, quod « per se, suoque motu agitur, non alieno impulsu, et coactu ; » quippe brutorum etiam appetitus animantium eo modo impellitur ex sese, non alieno motu, aut coactu ; sed illud insuper accedit, quod in fine capitis ab Hugone scriptum omisit adversarius : « Propter hoc erat arbitrium liberum in illis, quoniam in illis erat voluntas potens moveri, et ferri suo appetitu in utrumque. » Cui sunt consentanea, quæ sequenti capite pertexit : « Sed et ipsa potestas, et habilitas voluntatis est libertas, qua movetur ad utrumque, et liberum arbitrium dicitur voluntatis. Voluntarie autem moveri, et ferri spontaneo appetitu, hoc est libere eligere, et libertate judicare, in quo constat liberum arbitrium. Et propter hoc facti sunt liberi arbitrii, ut voluntario appetitu moverentur, sed secundum electionem voluntatis, et inclinationem desiderii sui sine coactione. »

CAPUT IX.

De Richardi Victorini sententia, et dictis, quibus novo dogmati suffragari videtur. Demonstratur falsos eos esse, qui in partes suas invitum illum pertrahunt, utpote qui de libero arbitrio sane, ac recte senserit. Illustrantur ejus verba. De Magistro Sententiarum, cujus loca quædam explicantur. Recte illum, atque ex communi sensu de libertate statuisse.

I. In eodem S. Victoris cœnobio, cujus alumnus Hugo fuit, æqualis hujus Richardus exstitit. Quem pro se testimonium dicere inter alios jubet novæ patronus opinionis [3], et quædam ex eo loca describit. Sed quidquid

1 Ex *Sum. Sent.* tract. VIII, c. IX.— 2 Hugo lib. I *de Sacram*, par. V, c. XX.— 3 Tom. III, lib. VI, cap. XIX.

in illis roboris, ac momenti esse potest ad falsi dogmatis fidem, id excussum, enervatumque est in antecedentibus capitibus, maxime postremis, quibus Anselmi, Bernardi, et Hugonis sententias expendimus. Ad hoc enim summa redit argumentationis totius, quod ibi plenissime tractatum est : « In hoc sitam auctore esse Richardo libertatem arbitrii, quod nulla vi, aut potestate cogi potest. » Responsum est autem ad id sæpius, libero arbitrio, qua liberum est, proprie opponi determinationem, qua uno aliquo necessario circumscribitur. Eam vero determinationem interdum violentam esse, ac naturali inclinationi repugnantem, cujusmodi spectari præsertim solet in iis, quæ ad mores attinent. Tum hanc ipsam inferri voluntati præcisam, absolutamque non posse, sed prementem, et arctantem, non tamen opprimentem. Itaque arbitrium hominis liberum esse Richardus affirmat[1], « quia libertate sua nulla vi, nulla potestate privari potest. » Merito id quidem. Cum enim pravitati suæ, ac delictis homines soleant vim, ac necessitatem prætendere, ut invitos se, et necessitate coactos dicant, in culpam incidisse, ad eos arguendos utile est, et frequenter usurpatur illud : nullam esse tantam vim, ac necessitatem, quæ illos cogat, et liberi arbitrii consensum extorqueat. Quæ vox id tacite continet, in quo robur illius omne positum est, nunquam sic ad unum alligari, adstringi determinarique liberam voluntatem, ut non integram alterius potestatem habeat.

Summaria responsio ad objecta e Richardo Victorino petita.

II. Duo sunt enim, in quibus tunc liberi usus arbitrii cernitur : alterum est, incumbenti, et urgenti violentiæ cedere, atque ita peccare : alterum, e contrario reniti, et in officio manere. Ob id ergo voluntas libera est, quia nulla est tanta vis, ac potestas, quæ alterutrius eligendi facultatem ei possit auferre, hoc est facere, ut sic unum velit, ut nolle nequeat, quamdiu quidem humano more, modoque agit, id est omnibus necessariis ad agendum præsidiis instructa est. Hæc enim libertatis est nativa, propriaque conditio. E quibus agendi præsidiis unum istud est, ut rationis usum, et arbitrii, sive judicii expeditum habeat, ac bene affecti sint sensus, et intelligendi administræ facultates incorruptæ, nulloque vitio depravatæ ; quemadmodum in furiosis, ebriis, et infantibus usuvenit, qui voluntate utuntur, et sponte appetunt multa, sed non libere, propter instrumentorum sentiendi vitium, et intemperiem, qua necessaria functio rationis, et arbitrii ac judicii in utramvis partem facultas intercipitur. Ut qui stylum vel calamum male paratum ad scribendum adhibet, quantumvis pingendarum litterarum sit peritus, nonnisi vitiose scribit, nec habet industriæ suæ, atque artis effectum. Hæc si attente animo tenemus, nihil ab Richardo, cæterisve, quorum supra meminimus, vitatis ab novo dogmatista scriptoribus metuendum erit.

III. De Richardo vero, qui nunc præ oculis est, nominatim asseverare hoc possumus, dici ab illo plurima iis etiam in locis, quæ iste pro se attulit, quibus commentitia ejus libertas eliditur, ejusque propensio in utramque partem adstruitur ; ut cum in tractatu primo *de Statu interioris hominis*, capite secundo sic scribit : « Liberum arbitrium præsidet omni actioni, imo et appetitui ; quia etiam cum male egerit, cum jam foribus peccatum affuerit, *subter te tamen erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius*[2]. Quid est, erit *subter te*, nisi sub arbitrio tuo, eo quod quivis appetitus in actum non prodeat sine nutu spontaneo, et consensu voluntario ? » Quis non istis in verbis potestatem in utrumque liberam, et indifferentem voluntatis agnoscit, ac determinationis inimicam, quæ nutu spontaneo constat, et consensu voluntario ? Hinc sequenti capite mox agit de consilio Richardus, ex quo electio oritur. Neutrum autem ibi esse potest, ubi determinata est, et uni addicta necessario vel ratio, vel voluntas. Vide caput sextum, in quo moderari dicit liberum arbitrium humanis actionibus et concupiscentiæ motibus, quatenus consentire ipsis in illius est potestate, tanquam dominæ, ac reginæ.

Exper m Rich non ejus rantu

Sed et capite XIII et sequentibus, Bernardum secutus, duo hæc in libero arbitrio discernit, posse facere, et velle, vel consentire. « Non autem arbitrium hominis, ait, idcirco liberum dicimus, quia promptum habeat bonum, vel malum facere ; sed quia liberum habet bono, vel malo non consentire. Posse quidem facere malum, est infirmitatis ; posse facere bonum est potestatis ; neutrum autem libertatis. Libertatis vero est, quod consensus ejus extorqueri, vel cohiberi non potest ; potest enim consentire, vel non consentire aspirationi divinæ, similiter et suggestioni diabolicæ. Utrumque

1 Richard. tract. *de Statu inter. hom.* c. XXII.— 2 *Gen.* IV.

quidem ex libertate, neutrum autem oportet ex necessitate. Aliud itaque est habere libertatem, et aliud est habere potestatem. Libertatis est, quod ad aliquid volendum cogi non potest. Privatio autem potestatis, quod ad aliquid boni faciendum sufficiens non est. Potestatem itaque promerendi peccando amittere potuit; libertatem vero arbitrii sicut nunquam non habuit, sic nunquam non habebit; quia nunquam (ut superius jam dictum est) qualicumque peccato, vel pœna amitti, vel minui poterit. » Quo in loco libertatem arbitrii a potestate faciendi secernit, et illius nativam proprietatem in eo ponit, quod *liberum habet bono*, vel *malo consentire*, sive *consentire*, vel *non consentire*, plane ex concilii Tridentini formula; ita ut nulla necessitate cogatur, hoc est ad unum adstringatur, et ex amplitudine illa potestatis in arctum redigatur.

IV. Duo sunt autem in illa Richardi sententia præ oculis habenda. Alterum est, potestatem, quam cum libertate componit, non esse *volendi potestatem*, ut novus dogmatistes interpretari videtur, sed *faciendi*. Nam *potestas volendi* est ipsa *libertas*, a qua diversam constituit *potestatem faciendi;* quippe velle est consentire. Igitur *potestas volendi est potestas consentiendi*. At libertatem eo ipso Richardus definit, « quod potest consentire, vel non consentire aspirationi divinæ. » Quare *potestas faciendi* est potestas exequendi, et perficiendi, quod voluntate decreveris. Etenim, quod ait Apostolus[1]. *Velle adjacet mihi; perficere autem bonum, non invenio. Non enim, quod volo bonum, hoc facio, sed, quod nolo malum, hoc ago.* Ac persæpe conantem grandia *vires deficiunt, animique.* Adeo cupiditatibus, et voluptatibus fracti debilitatique languescunt, vel e contrario metu, et asperitate rerum perferendarum a proposito deficiunt. Accedit membrorum, et internorum sensuum, atque carnis assidua cum mente luctatio; tum eorum, quæ extra nos posita sunt, et necessaria sunt adminicula boni perficiendi, morosa, difficilisque tractatio. Quorum omnium plena homini potestas fuit ante peccatum, hoc vero admisso, prorsus est erepta. Hujusmodi potestatem intelligi in *faciendi potestate*, Richardus ipse docet[2], qui hanc potestatem declarat sic in sequentibus : « Hic omnia sibi subjecta ante prævaricationem habuit; et omnino in sibi subjectis nihil contradictionis invenit, quamdiu se superiori sponte subjecit; sed debitam obedientiam, quam suo superiori exhibuit, ab inferioribus accepit. Nihil, quod in homine erat, ejus imperio contradicebat. Omnia gubernabat, omnia disponebat, omnibus imperabat. Nihil movebatur contra ejus voluntatem, nihil præter ejus voluntatem. Omnis motus corporeus, omnis sensus, omnis appetitus, omnis affectus, omnis cogitatus ad ejus nutum movebatur, dirigebatur, refrenabatur, reprimebatur. » Addit bestiarum, volucrum, ac piscium, reliquorum denique omnium obsequia. Hæc est ergo potestas illa faciendi, id est exequendi, quod τελεσιουργεῖν Græci nominant. *Perficere.*

V. Alterum, quod apud Richardum observari debet, est, *velle* sic ab eo voluntati liberæ, tanquam proprium attribui, ut tamen in bonum non sine adjutorio gratiæ nitatur. Verum, quoniam dato, positoque hoc auxilio, per sese, id est nullis externis indigens adminiculis, vult et consentit; idcirco consentire vel non consentire, velut peculiare libertati tribuitur, non autem *facere*, id est *perficere*, quod nulla vi insita, et naturali potestate plene consequitur, sed sola Dei largitate, ac providentia, quæ efficit, ut *omnia cooperentur in bonum*[3], et ut *cum lapidibus regionum pactum tuum sit*[4], *et bestiæ terræ pacificæ sint tibi. Et scias, quod pacem habeat tabernaculum tuum.* Huic postati post Adami lapsum successit in posteris *necessitas* illa, seu *vis*, et *coactio*, quam libertati Patres opponere solent; non quod propriam ejus actionem, hoc est *consensum*, sive *volitionem* auferat, sed quod illius imperio resistat, et executionem, effectionemque ejus, quod propositum erat, impediat. De qua re alibi dicam.

VI. De Magistro Sententiarum idem est, ac de prioribus tribus judicium, quibuscum eodem ille sæculo floruit; ac verbis interdum iisdem utitur, præsertim Hugonis, ut alias observavimus. Quare quidquid in superiores illos dictum est a nobis; hoc in Magistro valere debet; maxime autem quod de coactione, ac violentia disputatum est, quam solam libertati esse contrariam dici ab illo adversarii jactitant[5]. Item Magistri sententiarum.

Atqui nihil hoc esse tum paulo ante hoc in capite, tum in antecedentibus puto esse satis ostensum; nec est necesse de coactione, quæ illic exposita sunt, hic denuo repetere. Magistri quidem consentientem cum vera, et

1 *Rom.* VII, 18.— 2 Tract. I *de Statu inter hom.* c. XIV et XV.— 3 *Rom.* VIII, 28.— 4 *Job.* V, 23.— 5 Tom. III, lib. VI, c. XX.

recepta vulgo esse sententiam, qui illum accurate legerit, ambigere non poterit. « Liberum arbitrium, ait ille [1], est facultas rationis, et voluntatis, qua bonum eligitur, gratia assistente, vel malum, eadem desistente. Et dicitur liberum, quantum ad voluntatem ; quia ad utrumlibet flecti potest. Arbitrium vero, quantum ad rationem, cujus est facultas, vel potentia illa, cujus etiam est discernere inter bonum, et malum. Et aliquando quidem discretionem habens boni, et mali, quod malum est, eligit ; aliquando vero quod bonum est. Sed, quod bonum est, nisi gratia adjuta, non eligit; malum vero per se eligit. » Et subinde : « Illa ergo rationalis animæ potentia, qua bonum, vel malum potest velle, utrumque discernens, liberum arbitrium nuncupatur. » Hic, nisi ratione funditus caremus, verba ipsa, *eligere bonum. vel malum*, sive, ut universe loquar, hoc vel illud eligere, idque ex arbitrio facere rationis plura inter se comparantis, et unum præferentis alteri, indeque liberi natum esse vocabulum : docent esse hanc naturam, conditionemque libertatis, ut ex multis, quod libitum est, eligat, nec uni necessario sit adstricta. Idem postea « liberum arbitrium ait esse habilitatem voluntatis [2], et rationis, liberam ad utrumlibet ; quia libere potest moveri ad hoc, vel illud. » Item [3] : « Liberum arbitrium ad præsens, vel præteritum non referri, sed ad futura contingentia, » iisdem, quibus Hugo, verbis hunc locum explicans, Ubi nominatim idcirco « non esse liberum, nec in potestate nostra id, quod præsens est asserit, quia determinatum est. »

VII. Ac subinde [4] « aliter liberum arbitrium in creatore, quam in creaturis accipi » docet. Tum ex his aliter earum, quæ beatitudinis compotes sunt, habere se liberum arbitrium; aliter earum, quæ nondum eam sunt adeptæ. In eo statu, quem *viatorum* vocant, tale esse, « ut in potestate sit eligere bonum, vel malum, et utrumlibet secundum electionem facere, vel dimittere. » In Deo, ac beatis, in peccatum amplius non posse ferri, et tamen liberum in his arbitrium esse, imo liberius, quam quod peccare potest; nimirum « quia sine coactione, et necessitate, valet appetere, vel eligere, quod ex ratione decreverit. » Quibus in verbis non est, quod novi theologi sibi placeant, aut cum determinante necessitate liberi usum arbitrii constare indidem adstruant. Primum enim de coactione quod supra diximus, ad illos retundendos sufficit, cum in illa solam determinationem spectari ab iis ostendimus, qui eam opponunt libertati. Deinde vox ipsa *eligendi*, *quod ex ratione decreverit*. procul istam arcet suspicionem, cum electio sine utriusvis stare potestate nequeat; et ibi nulla sit, ubi uno aliquo circumscripta est appetitio. Denique quod liberius esse, cum peccare non potest, arbitrium liberum asserit, quam cum peccato est obnoxium, jamdudum exposuimus. Et consentit cum ratione nostra quod hoc loco Magister subjicit. Nam ideo liberius est, quia nulla prægravante cupiditate, et in contrarium illiciente, adeoque determinante, tam rationis arbitrium, quam electio voluntatis urgetur, et inflectitur. Qua necessitate sublata, liquidius, et incorruptius de utrovis eligendo, ac faciendo bono judicium fert ratio, et, quod ea decreverit, voluntas sine mora, et perturbatione sequitur. Ex quo non modo nihil de libertatis indifferentia decerpitur, sed fit ea quodammodo plenior, et sincerior. Ut cum judex nullo neque oratorum artificio deceptus, neque metu territus, neque gratia et ambitione corruptus, in utrumque ex æquo propensum affert animum, et in hoc tantum flexibilem, quod æquitas, et cogitata multum, ac deliberata ratio persuaserit. Hic eo liberius judicat, quo neutram in partem determinatus est, sed indifferenter ad utrumvis est affectus. Hinc illa ex instituto Solonis apud Athenienses judicandi formula, « ut aures ex æquo darent utrique parti, hoc est ut nihil præjudicati, ac prædamnati domo afferrent, sed parem in ambos voluntatem haberent [a]. » Quod quidem iis hominibus, qui perturbatione aliqua, aut cupiditate, velut morbo sunt affecti, difficile est factu. Quæ si paulo est vehementior, omnem aliam cogitationem eripit, et ex toto mentem occupatam tenet, ut (quod recte scriptum est a Columella [5]) « non aliud quidquam possit cogitare, quam quod diligit. Nam vitiis ejusmodi pellectus animus, nec præmium jucundius, quam fructum libidinis, nec supplicium gravius, quam frustrationem cupiditatis existimat. »

Atque hæc judicii, voluntatisque suspensio,

a Demost. init. orat. *de Cor.* Τὸ ὁμοίως ἀμφοῖν, ἀκροᾶσθαι. τοῦτο δέ ἐστιν, οὐ μόνον τὸ μὴ προκατεγνωκέναι μηδὲν, οὐδὲ τὸ τὴν εὔνοιαν ἴσην ἀμφοτέροις ἀποδοῦναι.

1 In II, dist. xxiv.— 2 Dist. xxv.— 3 In lit. B.— 4 Ibid lit. C et D.— 5 Colum. lib. XII, c. 1.

Indeterminatum.

et τὸ ἀόριστον ut vocat Nemesius, suo quodam, et congruenti modo, ac proportione ad Deum, beatasque mentes accommodari debet. De quo minime nunc agitur; hoc enim satis in præsentia nobis est, quod et Magister sententiarum, et Patres omnes, ac theologi significant, ibi neque libertatem esse arbitrii, neque electionem, ubi totum necessitas occupavit; cum videlicet unius tantum amplectendi, ac faciendi vis, et potestas voluntati permittitur. Nam de spontaneo videnda, quæ ad Anselmi, ac Bernardi sententiam attulimus.

VIII. Neque vero multum adversarios sublevat, quod ex eodem Magistro proferunt[1]: Angelos bonos, malosque libero arbitrio præditos esse; « quia et boni non aliqua cogente necessitate, sed propria ac spontanea voluntate, per gratiam quidem adjuti bonum eligunt, et malum respuunt; et mali similiter spontanea voluntate a gratia destituti bonum vitant, et malum sequuntur. » Quo ex loco perperam concludunt, Angelos bonos ob id libere in bonum ferri, quia toto ad hoc voluntatis impetu rapiuntur, etsi in contrarium malum moveri nequeunt. Verum duo sunt in bono consideranda, in quod Angelorum voluntas inclinat. Alterum est genus ipsum bonitatis, ad quod determinati sunt. Alterum, particulare quidvis bonum, hoc est honestum, et Deo acceptum. Ac quemadmodum voluntas omnis necessario, determinateque bonum expetit; cujusquemodi tandem illud est, neque malum, qua est malum, appetere potest, in eoque libera non est. Non enim dicimus, voluntas si vult, bonum appetit, si vult, malum; quam libertatis exprimendæ formulam, ex Augustino novi dogmatistæ constituunt; sed particulatim hoc vel illud bonum eligere potest, ac vel agere pro arbitrio, vel non agere, in iis duntaxat, ad quæ libertas illius pertinet. Sic beatorum hominum, et Angelorum voluntas determinante quadam necessitate in bonum trahitur, non qualecumque, aut infinite sumptum, sed honestum, ac legi divinæ consentaneum. Sub quo genere summa est amplitudo particularium bonorum, et appetitionum, quæ illis integra sunt. Non enim voluntas libera circa omnia libertate utitur sua, sed ad quædam necessarias habet impulsiones. Ut cum summum, et ultimum bonum perfecte, et ut est in sese cognitum, amplectitur; de quo in libro tertio ex S. Thoma satis multa diximus. Atque hæc ipsa tamen necesssitas, ac determinatio, qua beatæ illæ mentes nonnisi bonum eligere possunt, etiam alia ratione libera est ipsis, quatenus antecedentem ad statum, et usum voluntatis refertur, quo, cum bonum, malumve persequi possent, præ hoc illud elegerunt. In cujus deinde certa, et immutabili possessione, liberæ illius electionis merito, ac remunerantis gratiæ largitate firmati sunt, ut neque vellent amplius peccare, nec possent; quod a nobis latius disputatum est supra, cum Anselmi sententiam exposuimus. Eadem enim et ad Magistri locum illum, ac similes aliorum accommodari possunt.

CAPUT X.

De Guillelmo Parisiensi. Ostenditur communem ab eo defendi notionem libertatis arbitrii, et quidem Philososophis ethnicis consentaneam. Tum loca omnia ex illo sumpta declarantur. Necessitas cujusmodi ab illo constituta est, quæ cum libertate consistit. Absurda novorum dogmatistarum argumentatio ex divina voluntate petita. De fatali necessitate, quatenus ab libertate dissidet, aut cum ea conciliari potest.

Expenditur mens Guillelmi Parisiensis et adversariis opposita demonstratur.

I. Nihilo majoris erit operæ propulsare ab hoc pio, et erudito scriptore novi dogmatistæ calumniam, quam ab cæteris fuit, quos recentiori ortos ætate priscis Patribus adscripsimus, damnatores novitatis inscitæ, veritatisque fautores. Etenim, ut summatim idem ille dogmatistes principio capitis proponit, vis omnis eorum locorum, ac testimoniorum, quæ pro se ex Guillelmo Parisiensi proferunt, ad hanc summam redigitur[2]: « quod libertatem arbitrii nostri tractans, non aliud ad eam postulat, quam ut aliquid nostra voluntate fieri possit, non prohibente naturæ impossibilitate, cum volumus, neque rapiente violentia, cum nolumus. » Quæ præscriptio vel sola opinionem illius, qui Guillelmi testimoniis utitur, evertit. Siquidem duobus iis, ad quæ revocat omnia, capitibus determinatio, ac necessitas partim naturalis, partim violenta continetur. Ac primus quidem locus ex libro Guillelmi *de Pœnitentia* c. II, allatus hoc docet, « Hominem libertate arbitrii sibi ipsi præditum esse. » Qualis autem intelliga-

1 Mag. in II, dist. VII.— 2 Tom. III, lib. VI, c. XXII.

tur ab eo libertas arbitrii, et quam non consentanea novo dogmati, statim initio declaratur. « Hoc, inquit, ex ethnicorum, et mundanorum philosophorum, qui de moribus scribere attentaverunt, testimoniis elucescit. » Ergo hujusmodi libertas arbitrii ab Guillelmo constituitur, quam *ethnici, et mundani philosophi*, qui de moribus scripsere, cognorunt, scriptisque prodiderunt, inter quos principatum obtinent Plato, et Aristoteles, tum qui ab iis propagati sunt academici, et peripatetici, nec non phythagorici. At hi omnes constanti et unanimi voce, non aliam, quam quæ a nobis defenditur, libertatem, et liberi arbitrii naturam, rationemque prædicant; novam illam vero, et commentitiam damnant, ac repudiant, quod multorum productis auctoritatibus, ac testimoniis [1] alibi comprobavimus. Ubinam est ergo, quod contra gentiles philosophos, et ipsum præ cæteris Aristotelem novus dogmatistes solet excipere? Cur in illos inimico animo est, et infenso? Cur aliam libertatis humanæ apud exteros philosophos notionem, aliam apud christianos esse clamitat? Aut cur libertatem hanc, quam propugnamus, philosophicam, Aristoteleam, gentilem, tantum non impiam, ac sacrilegam appellat, velut abhorrentem ab vera, catholica, et ab christianis Patribus, theologisque tradita? Nonne prævaricari hoc est in causa sua, eum citare testem contra philosophicam libertatem, qui hanc ipsam, uti a philosophis est accepta, tueri se, et asserere profitetur?

Communem liberi arbitrii notionem defendit, et ethnicis philosophis consentaneam.

II. Quid porro deinceps? Neque naturæ necessitate, neque vi quapiam invicta cogi libertatem hominis dicit; alioqui « nec bene, nec male quidquam fieri posset ab homine. Supervacui etiam essent magistratus, et magisteria morum. Non enim agendum esset cum hominibus de morum suorum emendatione, sicut cum brutis animalibus, aut lapidibus, cum (per) eos aut impossibilitas naturæ premeret, aut violentia raperet ad agendum. » Hæccine sunt affinia recentioribus illis de libertate placitis, an ea potius arguunt, et infirmant? Nempe nisi, antequam agit voluntas, determinationis, ac necessitatis sit omnis expers, ut libera et soluta in alterutrum suis momentis impelli possit, perit omne vitii, virtutisque discrimen; frustra cohortationes, et consilia, necnon leges, pœnæque ostenduntur ac præmia.

Ejus loca ab adversariis citata declarantur

Hujus autem necessitatis duo sunt genera, quæ ab Guillelmo comprehenduntur, cum et spontanea motio determinata, et violenta ponitur. De quibus nihil ad ea, quæ supra diximus, addi necesse est.

Sequuntur illa, quæ nescio qua fronte commento suo probando illigavit adversarius, cum τὸ ἀδιάφορον, et utriusvis sine determinatione potestatem libero arbitrio naturalem esse persuadeant. « Interrogans se ipsam, inquit, anima rationalis, utrum liberum sit ei facere bene vel male; vel utrum voluntarie operetur, et voluntarie declinet opera; respondebit, etiam, etc. Num igitur extra teipsum, an tui juris, et tuæ voluntatis sis; an tibi subditus sit tuæ voluntatis consensus, ut illud, quod te stimulat, ipse declinare possis, si velis, aut ab eodem te avertere, si volueris? » Et hæc alternantem pro arbitrio, neque necessitate circumscriptum voluntatis liberæ consensum indicant. Nam *voluntarii* nomen non tantum *spontaneum*, sed hoc etiam, quod una *liberum* sit, designare jam antea monstravimus. Sic quod ibidem Guillelmus addit, « Hominem ipsa libertate voluntatis præditum, esse rectorem, aut ducem sui ipsius. » Ubi enim determinante necessitate voluntas occupatur, seipsam non *regit*, nec *ducit*, sed a potiore, valentioreque ducitur. Nec alio referendum, quod deinde scribit, « Judicem sui ipsius hominem esse divina auctoritate; » nimirum quod se accusat ipse, vel absolvit ex conscientiæ testimonio. Tum quod Deum ait velut in judicio cum homine contendere, « imo paratum esse stare judicio ejus, » quod ex Scripturis adstruit, ac cætera ejusmodi, quid aliud præ se ferunt, nisi expeditam antecedenti necessitate libertatem hominis, et in utrumvis pro arbitrio mobilem?

Indifferens.

III. Jam quæ ex capite nono libri *de Virtutibus* novus dogmatistes accumulat, generis sunt ejusdem. Nihil aliud ibi Guillelmus, nisi cogi non posse voluntatem liberam, asserit, quod sane verissimum. Verum non ideo libertatem accidit violenta illa necessitas, quod violenta sit, sed quod determinet, et in angustum cogat, et electionem impediat unius e pluribus; quam esse nullam, nisi e multis comparatis invicem, naturæ vox ipsa clamat; cui quidem imperite, ne dicam impie ac scelerate, certe frustra temeraria illa novitas obstrepit. Etenim cujusmodi necessitatem ab

1 Tom. I, lib. V, c. 1.

libertate voluntatis repellat, in iis, quæ proxime sequuntur, ostendit. In quibus eam agnoscimus proprie, quæ definit uno, ac determinat, et sponte sequentem etiam voluntatem movet; non eam vero solam, quam adversarii somniant, violenter instantem, atque cogentem.

Quippe ab ea necessitate liberam voluntatem eximit, cui *intellectum*, viresque cæteras animæ subesse dicit : « Scio, inquit, quia cæteras vires movet, et impellit necessitas tam in nobis, quam in brutis animalibus; et hoc est videre per singula. Vis enim nostra intellectiva necesse habet consentire primis impressionibus, et primis principiis, et omnibus propositionibus, quæ vocantur communes animorum conceptiones, et dignitates. Similiter et consequentiis syllogismorum, et etiam conclusionibus eorum, postquam consenserit propositionibus eorum; non enim est contradicere ad interius rationem, sicut dicit Aristoteles. Quia igitur in talibus non est liberum virtuti nostræ intellectivæ consentire, vel dissentire, similiter neque in oppositis eorum; manifestum est, eam esse necessitati subditam, et obnoxiam in parte ista. »

IV. Quid ad hæc vel mutire poterunt illi, qui Guillelmo Parisiensi advocationem injunxerunt causæ profligatæ, ac perditæ? Ecce necessitas illa, de qua quæritur, utrum ei voluntas libera subjecta esse possit, hujusmodi est, quæ hoc adimit, ut consentiri vel dissentiri possit. Quinam porro intelligi hoc oportet? Utrumnam sic, quomodo novi dogmatistæ prædicant, ut propter mutabilitatem, ab eo, cui necessario, ac determinate consenserat, postea desciscere, et in oppositum moveri queat? Non est ita. Nam si hoc esset, non utique « necessitati subdita esset, et obnoxia virtus intellectiva, » quod affirmat Guillelmus; sed libera etiam ipsa foret, quoniam, etsi necessario sic assentit, ut dissentire nequeat, potest tamen post paulo mutari, et ei assentire, quod rejecerat. Ergo liberum, de quo disputamus, et in cujus possessionem, ex Guillelmi interdicto unde vi, voluntatem mittere volumus, tale oportet esse, ut nulla antegressa necessitas, ac determinatio utriusvis arctet electionem, et in unum compellat, hoc est ut, posita qualicumque adventitia re propensionem voluntatis ad sese vocante, possit cum ea nihilominus dissensio consistere, nec sit, ut in scholis vulgo loquuntur, *incompossibilis nolitio;* quod et Tridentina regula præscribit.

Hæc omnino forma tum necessitatis, tum huic oppositæ libertatis ab Guillelmo statuitur; quam et proxime sequentia magis illustrant. Etenim liberam in quibusdam esse intelligendi vim subinde asserit, et cujusmodi libertatis notione talis esse possit, ita tradit : « In quibusdam tamen, inquit, sicut in tractatu de fide diximus, liberum est ei consentire, vel dissentire, credere, vel discredere; et propter hoc circa illam imminet et bonitas, vel malitia, laus et vituperium, meritum et demeritum, atque tandem pœna et præmium. » Hanc normam dignoscendæ libertatis Guillelmus præscribit, quam dixi, et qua carere mox ait, inferiores facultates, quarum propria cognitio est, ut sunt sensus. « Non enim liberum est visui judicare album alterius modi esse, quam album, neque tactui de frigido, vel calido, aut de quocumque aliorum sensatorum suorum aliter judicare, quam prout ab eo recipit, aut patitur. » Itaque tum libera facultas aliqua dicitur, cum sine determinatione in hanc vel illam partem suopte nutu inclinari potest. Necessitas autem eidem inest, cum nonnisi uno modo potest agere. Atque hæc necessitas libertati repugnans nullam affert violentiam. Non enim intelligendi vis ad assentiendum invita, reluctansque cogitur, quia solam in appetitionem cadere ista possunt, ut sponte, aut ingratiis operetur.

V. Eadem in sequentibus ab Guillelmo disputantur; ubi explicat, quomodo pecudes libertate careant : « Quia non est in eis virtus, vel vis aliqua, qua passiones repellant, et consentaneas affectiones, cum viderint delectabilia; vel terribilia sibi. » Quod secus in hominibus accidit, qui impetus, impulsionesque, quas Græci vocant ὁρμὰς, moderari, ac suspendere possunt; qui consilio utuntur, et jure, arbitrioque suo res appetunt, vel fugiunt : « Propter hanc causam, inquit idem, ridentur, et merito ridendi sunt, qui de his, quæ præcise, et immutabiliter volunt, consiliantur. Non enim qui præcise vult aliquid, juxta consilium mutare paratus est voluntatem. Alioquin non quærit consilium, sed consensum. » Atque hoc regis, aut imperatoris exemplo declarare pergit. Cujus instar est voluntas, « quæ est usquequaque libera, et plene dominans in eo toto, quod sumus, aut nobis subest. Intellectus vero sicut consiliarius est; ratio sicut judex; media probationum, sicut testes. Cum ergo in agendis suis sequitur consilium intellectus, prudenter administrat regnum suum voluntas. Cum

secundum rationem judicat, facit judicium, et justitiam in toto regno suo, et est rex sedens in solio judicis, qui intuitu suo dissipat omne malum, sicut legitur *Proverbiorum* XX. Cum autem dat se consiliis servorum, hoc est interiorum virium, et sensuum, dat se in servitutem servorum. » Mox illud *Geneseos* IV. *Subter te erit appetitus tuus, et tu dominaberis illius*, in argumentum citat « libertatis, dominationisque voluntatis. » Quæ tam enucleata libertatis, arbitriique liberi descriptio nuperos illos παραχαραχτὰς imaginis Dei absterrere debuit, ut ne testimonium denuntiarent Parisiensi illi episcopo, quem apprime dissentientem, et adversarium in causa sua essent habituri.

Falsos cusores.

VI. Rursus in libro *de vitiis, et peccatis*, e quo novi dogmatistæ auctoritatem sumunt, in capite decimo, quadruplicem necessitatem distinguit idem Guillelmus : Primam *violentiæ*, quæ infertur ab alio, ex qua quidquid agitur non agenti, sed vim afferenti tribuitur; ut cum molam aquarii pistrini undæ decurrentis impetus versat : Secundam *stabilitatis*, et *immutabilitatis;* « qualem dicimus esse Dei necessitatem, qua immutabiliter bonus est et quidquid est hac necessitate, necesse est : ipsum bene agere semper, et contrarium impossibile. Et ista necessitas non aufert libertatem, sed perficit : » Tertiam *extraneam, sive forinsecam, quæ et per accidens a nonnullis dicitur*. Cujusmodi necessitas in iis est, quæ jam præterierunt, quæ impossibile est non fuisse : Quartam constituit eam, « quam Aristoteles, inquit, determinatam vocat, ut Socratem sedere, dum sedet; » sed hanc necessitatem in tertiam refert merito Guillelmus. Quibus positis, affirmat « necessitatem, qua necesse est Deum semper bene agere, et impossibilitatem, qua impossibile est, ipsum male agere, in nullo prohibere, vel impedire, quominus bene et laudabiliter agat utrumque. Et hoc est, quia nec violenter ipsum impellunt ad bene agendum, nec violenter ipsum impediunt, aut avertunt tunc a male agendo. » Addit et fatalis exemplum necessitatis, quæ si humanas moveret animas, ut quidam arbitrati sunt, nihilominus voluntatis constaret libertas, quia voluntaria, et ex consequenti libera esset illius impulsio.

Quadruplicem necessitatem statuit Guillelmus.

Hunc Guillelmi locum pro se intentant adversarii; sed nihil promovent. Etenim ex quadruplici, sive triplici illo genere necessitatis, primum omnino extra voluntatem est, nec interiorem ejus actionem occupat, verum in sensibus, ac membris duntaxat corporis vim suam exercet; itaque potest cum eo libere voluntas agere. Quod si quid in voluntatem redundat, quo ejus libertas irretitur, ut explicare se nequeat; determinatione fit hoc, et velut alligatione, non violentia, et coactione, ut supra demonstravimus.

VII. Secunda necessitas universe tantum, et in genere voluntatem definit; quemadmodum facultas omnis ab eo, quod *objectum* vocant, determinari dicitur, et quadam necessitate contineri, ut intellectus necessario circa verum, appetitus circa bonum versatur; tum voluntas beatorum, et ipsius Dei, necessario in bonum inclinat summæ, id est æternæ rationi, ac regulæ consentaneum. Neque propterea de libertate, et indifferenti statu minuitur aliquid, hoc est integra, et soluta utriusvis eligendi potestate, quæ circa ultimum finem minime spectatur; neque circa ea, quæ necessario ad finem comparata sunt; sed in iis tantum, quæ fieri, aut non fieri possunt, ut ex Græcis Latinisque Patribus, et S. Thoma, in tertio libro docuimus. Quippe libera voluntatis electio, quæ propria est actio liberi arbitrii, in particularibus, et individuis actionibus, rebusque cernitur, non in universa aliqua specie. Dei porro libertas, qua causa est efficiens, et liberæ illius voluntatis proprie dicitur, nonnisi creatis in rebus, et extra ipsum positis, et contingentibus vim, et functionem suam exercet. Quare nihil mirum est, et est verissimum, quod ait Guillelmus, necessitatem illam stabilem, et immutabilem, qua Deus nonnisi bonum agere potest, nihil libertati ejusdem adimere. Nam perinde illud est, ac si quis, quod paulo ante dixi, libertatem voluntatis asserat non eo detrahi, quod illa nonnisi circa bonum versari potest, eoque determinata est. Non enim ex generali, et infinita objectæ rei amplitudine libertas æstimanda est, sed ex particularibus, in quibus actio consistit.

Absurda novorum dogmatistarum argumentatio ex divina voluntate petita.

VIII. Equidem non satis intelligo, quid simili argumentandi genere sibi velint, quidve animo intendant novi isti theologi, cum sic disputant : Ideo non videri libertatem voluntatis, et arbitrii in eo sitam, ut utriusvis eligendi de pluribus potestatem habeat, citra necessitatem ac determinationem antecedentem; quod Deus libere agat, et sit tamen determinatus bene agendi necessitate, nec possit male unquam agere. Etenim, si hanc necessitatem generatim tantummodo concipiunt, ut quidquid molitur, id rectum hone-

stumque sit, nec secus habere possit; nihil dicunt, quod ad rem faciat, ut ex antecedentibus patet. Non enim libertas in eo, quod est generale, considerari debet. Quare necesse est, sic eam necessitatem ab illis accipi, ut quidquid extra se operatur Deus, id necessario agat, nec possit non agere, vel, ut ex Guillelmo nobis objiciunt, impossibile sit, non ab illo fieri. Ita enim *necessitas agendi*, sive *non agendi impossibilitas* cum libertate, et ejus actione comparabitur.

At ex eo profanum quiddam consequens est, et impium, quod ne ipsi quidem dici ab alio, nedum a se dictum existimari patiantur. Nimirum, creatas res omnes a Deo necessario esse conditas adeo, ut non esse nequiverint, vel ut impossibile fuerit, non illas procreari a Deo, et existere. Nam si libera divinæ voluntatis actio nonnisi circa res creatas, et extraneas versatur, de quibus illa formula libertatis ab adversariis posita usurpari potest: Si vult Deus, illud est; si non vult, non est; in iis autem necessitate quadam movetur Deus, et impossibilitate non agendi; plane id, quod dixi, sequitur: Deum necessario mundum procreasse, neque ab creando temperare potuisse, non ea necessitate, quæ *extrinseca*, vel *forinseca*, vel *per accidens* a Guillelmo vocatur, quæ est consequens, et nihil ad rem pertinet, sed antecedenti, et proprie dicta, cujusmodi est ea, qua dicitur Pater necessario genuisse Filium, aut cum hoc produxisse Spiritum sanctum. Quod si nefarium dictu, ut est, sic illis videtur, ac detestandum; desinant talibus argumentorum calumniis, ac spectris ludificari simpliciorum animos, et in veterum Patrum theologorumque testimoniis conquirendis, vocum tantummodum sonitum, et inanem speciem persequi.

IX. Quamobrem nihil inconsultæ novitati commodat Guillelmi Parisiensis illa disputatio; neque communem notionem libertatis eripit, quam in *indifferentia* necessitatis ac determinationis experte, vel agendi, aut non agendi potestate non remota solum, sed etiam proxima, cæterorum more statuit. Ac, ne quid dissimulem, aut omittam eorum, quæ momenti aliquid videntur habere pro adversariorum libertate commentitia; proponam id, quod ex omnibus Guillelmi dictis, maxime ad illam pertinere videtur, et ab antesignano partium istarum, cum sit longissimum, positum est integrum; neque tamen verba omnia describam, sed eorum nonnisi necessaria.

Scribit in eodem illo decimo capite Guillelmus, « Necessitatem virtutis cœlestis, aut fati, quam secundum aliquos impossibile est averti, vel impediri, et quæ etiam movent animas humanas, ut ipsi opinantur, movent, inquam, ad cogitationes, et affectiones, quæ in eis sunt, et per illas ad operationes, et operum declinationes, quoniam non movent eas violenter, imo voluntarie, non excusare animas humanas a peccatis, et a culpis; et hoc est, quoniam a quocumque principio sit opus voluntarium, dummodo voluntarium sit, id est volitum quocumque trium modorum, quos diximus, id est affectatum, vel toleratum, vel neglectum, semper imputandum est voluntati, et agenti per voluntatem. Nec sequitur, si non potest aliud agere, vel etiam velle, quod propter hoc excusatus fuit, qui nec vult aliud posse, vel agere, nec aliud velle. » Tum ita concludit: « Quare necessitas, vel impossibilitas, quæ non aufert operi, quin sit voluntarium hoc est ex voluntate, quam impossibile est non esse liberam, nec culpam aufert, nec meritum eidem operi.» Non est apud Guillelmum, nec apud alium, opinor, quempiam locus ullus in speciem pro nova libertate disertior. Ita omnia complecti videtur, quæ ab hujus patronis dici possunt, ac solent, ut cum absoluta necessitate libertatem concilient.

De fatali necessitate et quatenus cum libertate concilietur.

X. Verum nihil admodum habent ista, præter speciem, ambiguitatemque verborum, quod ab illis faciat; reipsa vero non discrepat ab communi, veraque sententia, utcumque scripsit illa Guillelmus. Ibi enim contra fatalis necessitatis defensores disputans, sumit id, quod certissimum est, quidquid in sideribus, ac cœlestibus corporibus, unde fatalis series nectitur, efficientiæ inest ac virtutis, quod in animos ac voluntates nostras redundet, non illis afferre vim, ac violenter movere, hoc est ad unum aliquod necessaria determinatione flectere sic, ut in oppositum ferri nequeant; quod tum fieret, si in animam ipsam insinuare se, et hujus interiora penetrare posset. At non potest; sed omnis causarum externarum actio, ac motionis necessitas hæret in corpore, membraque, ac sensus afficit, nec ad intimas voluntates ullus ei patet aditus. Itaque manet integra, et illibata per sese voluntatis consensio, et electio. Tametsi tanta vis extrinsecus afferri potest, et ita premere corpus, ut voluntas sui juris alioquin, ac potestatis, illius impetu victa, et debilitata succumbat adeo quidem, ut quod

in scholis dici consuevit, *moraliter loquendo* resistere nequeat, si sibi relinquatur uni, nec valentiore divinæ gratiæ præsidio roboretur. Hoc quale sit, videre est in eo exemplo, quod jam, puto, commemoravimus, cruciatuum, ac tormentorum, quæ ad obstinatas voluntates pervincendas adhibentur. Hæc enim tam gravia esse possunt, et intolerabilia, ut humanas vires superent; nec tamen voluntatis proprie libertas ita illis cogitur, ut non, si velit, consensum suum retinere possit. Quod in sanctis Martyribus experimento probatum est: qui « non cesserunt suppliciis, sed ipsis potius supplicia cesserunt, ut ait Cyprianus[1]. Steterunt enim torti torquentibus fortiores, et pulsantes, ac laniantes ungulas pulsata, ac laniata membra vicerunt. Inexpugnabilem fidem superare non potuit sæviens diu plaga repetita; quamvis rupta compage membrorum, torquerentur in servis Dei jam non membra, sed vulnera. » Ostensum in illis est, quantum possit humana libertas Dei ope, Christique adjuta gratia. Quanquam in aliis sola per sese, ac sine gratia, voluntas quid posset, ac quam esset libera, monstravit. Permulti enim nefarii, ac perditi homines immanissimum totius corporis laniatum et horrenda supplicia forti, et obstinato animo pertulerunt; nec ad scelerum confessionem; aut eam, quam palam profitebantur, ejurandam perfidiam ullo doloris sensu cogi potuerunt.

XI. Hoc sensu Guillelmus affirmat, quantacumque vis fati ac necessitas incumbat, liberam nihilominus manere voluntatem. Siquidem determinatio illa, et necessitas, quæ ex fato oritur, non est absoluta, sed ad summum ejusmodi est, quam *moralem*, *et infallibilem* vocant. cum omnino cessura, et obsecutura est ei voluntas; quamvis potest, si velit, resistere, præsertim extraordinario aliquo refecta naturæ, vel gratiæ robore. Nam et plerique longa vitiorum consuetudine sic obdurati sunt, et occaluerunt, ut, occasione data, prope pecudum more, et quadam insuperabili necessitate rapiantur, quoquo eos impetus, ac libido tulerit. Nec tamen excussa illis penitus arbitrii libertas; nec alia est ista, quam *moralis* necessitas, cui licet absolute reluctari possint, et in contrarium niti, si velint, non tamen hoc facturi sunt. Quod in dæmonibus, ac damnatis multo evenit magis, qui et libere peccant, ut, quæ faciunt, possint non facere, nec tamen facturi non sunt, nec usuri liberæ potestatis arbitrio. Ad eum modum intelligendum est, quod ait Guillelmus, « Nec sequitur, si non potest agere, vel etiam velle, quod propter hoc excusatus fuit, » etc. Hæc, inquam, ἀδυναμία. quam, si liceat, *impotentiam* appellem, et scio vocari sic in scholis, cum apud Latinos alia sit nominis istius notio. Sed ille potestatis defectus non est absolute, præciseque capiendus, verum, ut jam dixi, *moraliter*, ut *non posse agere* id, sit nunquam velle movere se ad agendum, quamvis absolute queat.

Præterea de ea necessitate loquitur Guillelmus, quæ est consequens, et in causa sua voluntaria. Ut cum aliquis in præceps se sponte committit, etsi, postquam se semel ex alto jecit, deinceps necessario labitur, nec retinere se potest; tamen is libere non modo prosiluisse, sed porro etiam cadere, provolvique dicitur. Nam tribus modis asserit, id, quod necessarium est, et impossibile, ut non fiat, posse esse voluntarium, « id est volitum, cum vel affectatum, procuratumque est, ut qui, cum esset vocatus in jus, fregit pontes, per quos necesse habebat venire, quo vocabatur, vel cum toleratum est, vel cum neglectum. » Atqui, quod his tribus modis necessarium dicitur, id ex antecedente libertatis usu voluntarium est, ac liberum. Quippe *voluntarium* illic pro *libero* Guillelmus accipit, ut etiam Augustinus, et alii; quod supra monuimus. Ac nos hactenus plura de hac necessitate sparsim injecimus, quæ propter argumenti similitudinem ad explicandam Guillelmi sententiam accommodari possunt.

Fatis inducta necessitas non absoluta.

XII. Ad extremum vero sciri hoc volumus, Guillelmum, cum de hac fatali necessitate loquitur, paululum dissentire ab antiquorum plerisque, qui adversus illam disputantes, meram, absolutamque necessitatem ex ea sequi dixerunt, et capitalem libertatis hostem, quod nihil arbitrii liberi juri, ac potestati relinqueret, quemadmodum capite septimo libri tertii hujus operis exposui. Quod prudenter, et ut oportuit, ab illis est factum. Hujusmodi enim illorum, contra quos certabant, decretum fuit: fatali motione voluntatem ipsam occupari, et interius affici; ex quo determinatio quædam oritur antecedens, quæ invicta necessitate omnem vim liberæ electionis absumit. Alii vero nullam fatalibus ex causis efficientiam in voluntatem ipsam

1 Cypr. ep. IX.

cadere putaverunt; nec ita necessario cieri, et attrahi, ut non abnuere, ac resistere posset, cum sit omnis externa, et corpore definita, atque sensibus, illarum impressio: Itaque prudentia, et provisione animi declinari, eludique posse fatorum violentiam, et ad eam frangendam etiam preces adhiberi, quibus opem divinitatis accersimus. Agnovit hoc inter cæteros Julius Firmicus illius artis, quæ circa fatorum experimenta versatur, haud ignobilis scriptor; qui in primo libro argumenta diluens, quæ vulgo adversus hanc scientiam objici solent, præsertim ex liberis hominum voluntatibus, ac legibus, institutisque vitæ, quibus fatorum adversari videtur illa necessitas, sic de ea scribit. « Invocemus suppliciter Deos[1], et religiose promissa numinibus vota reddamus, ut confirmati animi nostri divinitate, ex aliqua parte stellarum violentis decretorum potestatibus resistamus. Hoc debere nos facere, vir divinæ sapientiæ Socrates docuit, Nam, cum quidam ei de moribus suis, cupiditatibusque dixisset, quas ille simili ratione collegerat; sunt, inquit, ut dicis; agnosco, confiteor. Sed hæc, inquit, omnia a me prudentia, ac virtutum auctoritate superata sunt; et quidquid vitii ex prava concretione corpus habuerat, animi bene sibi conscia divinitas temperavit. Hinc intelligi datur, stellarum quidem esse, quod patimur, et quod nos incentivis quibusdam stimulat ignibus; Divinitatis vero esse animi, quod repugnamus. »

XIII. Præter auctores illos, quorum sententias enucleavimus, complures alios de schola theologos appellat novus dogmatistes, et pro se testimonium jubet dicere; quos duabus de causis missos facio. Imprimis quod spinas illas, et tricas recentiorum disputatorum, ut non penitus improbo, sic ab instituto meo, et opere suscepto prorsus alienas esse judico. Quamobrem parcissime eas attigi, sicubi expedire visum est, ad antiquorum illustranda dogmata; et unius propemodum sanc. Thomæ auctoritate sum usus. Nam magistrum sententiarum, cujus librum posteri in scholis elegerunt, cui velut stamini subtilitatum suarum ac disputationum subtemen intertexerent, nondum inter scholasticos, et quæstionarios numerandum existimo. Deinde quod omnes illi fere, ut Alexander Halensis, Henricus Gandavensis, Scotus, Bonaventura, et cæteri, imo Thomas ipse Aquinas in quæstionibus ad libros *sententiarum*, cum de liberi arbitrii natura disserunt, Magistrum secuti, ex uno pendent Bernardi libro de gratia, et libero arbitrio, ejusque triplici illa libertate *a necessitate*, *a peccato*, *a miseria*; quam illius doctrinam varie pro captu quisque suo, et obscurius alii aliis exponunt. Quare, cum de Bernardi, ut et Anselmi, ac Magistri sententiarum, placitis, et opinione tam multa superius a me dicta sint, supervacaneum arbitror, postquam fontes ipsos ab cœno præposterarum interpretationum repurgavimus, in rivulis et scatebris morari; qui deinceps in origine sua curati, ab eodem limo sinceri, ac pellucidi fluent.

CAPUT XI.

De indifferentia *voluntatis*, *in qua libertas posita dicitur. Ea duplex constituitur*: *una quæ essentiam illius continet*, *et* electionis *vocatur*: *altera* propensionis. *Determinatio itidem duplex. Ex quibus novorum dogmatistarum calumniæ diluuntur. De libertate* contrarietatis. *Indifferentiam non pertinere ad libertatem*, *falso ab novi patronis dogmatis argumento colligi.*

Quod in hac tota de libertate disputatione mihi proposueram, id me plane assecutum esse confido, cum ita demonstratum est, nihil in veterum auctoritate perfugii patere novæ opinioni, ac sectæ, quam ab hæreticis institutam nuper e catholicis quidam adamare cœperunt. Ac nihil arbitror superesse pro illa dictum ab ejus patronis, cui non obviam itum sit in hoc, et superioribus libris duobus, aut ex eorum certe doctrina, et jactis ibi principiis, ac seminibus facilis sit ad unumquodque responsio.

Sed quoniam nuperi istius coryphæus dogmatis, post antiquorum allata pro eo testimonia, quædam et sibi objecta dissolvit, et contra communem, et catholicam objecit ipse sententiam; paululum in ea conflictione operæ ac studii ponere statui, ut ad ea, quæ pro se illi firmissima putant, certe in omni, qui habetur hac de re, privato publicoque sermone præ se ferunt, parata sint, quæ ex adverso dicantur, ex omni superiore doctrina per partes, articulatimque digesta. Ac primum

1 Firm. lib. I, cap. III.

illud, in quo jactare se potissimum, et insistere solent, explicandum est, quid *indifferentia* sit illa, quam in libertatis definitione ponimus; *Lege cum.* cum liberum dicimus arbitrium *indifferens* ad agendum esse, vel non agendum, ad hoc item, vel illud eligendum. Est enim anceps istius vocabuli significatio, et in hac ambiguitate latebra quædam est insidiosæ calumniæ; quam in apertum proferri, ac notari, interest Catholicæ veritatis, ac fidei.

Indifferentiæ notio vera statuitur. II. Sic igitur habendum est, *Indifferentiæ* nomini proprie subjectam esse notionem hanc, uti medium quemdam statum, et interjectum inter duo significet, quorum ad neutrum necessario determinatur. Ita enim in iis, quæ ad mores spectant, indifferens dicitur, quod nec bonum est, nec malum. Et stoici « Officium, medium quoddam esse dicebant[1], quod neque in bonis ponatur, neque in contrariis, » ἀδιάφορον appellari testatur Cicero. Et Aristoteles apud eumdem[2], « nihil esse bonum putabat, nisi virtutem; neque malum, nisi quod virtuti esset contrarium. » Idem « summum bonum, definiebat esse, in his rebus, quæ mediæ sunt, neutram in partem moveri, quæ ἀδιαφορία ab ipso dicitur, » hoc est neque assentire, neque dissentire. Sic Ambrosius in libro *de Noe*, capite secundo, tria constituit, *bonum*, *malum*, *et indifferens*, quod neque bonum est, neque malum. Hoc sensu indifferens voluntas libera dicitur, cum inter hanc rem, et illam media est, ut ad neutram eligendam, aut rejiciendam sese ipsa determinat. Hoc autem duobus fit modis, et est *indifferentia* duplex. Una est a natura insita, et οὐσιώδης, in qua libertatis essentia posita est: altera est adventitia, et quædam prioris absolutio. Sic enim *accidentia* complementa veluti naturæ, perfectionesque dicuntur, quod illi proferendæ, et exercendæ sui facultatem, et facilitatem tribuunt. Quemadmodum *rationale* dupliciter sonat; et alterum est *Essentiale.* οὐσιώδες homini, nec ab eo separari potest; (est enim differentia naturam hominis constituens) alterum est accidens, et quædam naturæ perfectio, ut est ratiocinandi vis, et facultas, quæ nondum est in infantibus, in amentibus est læsa. Naturalis indifferentia libertatis in eo consistit, ut tam unum, quam huic oppositum eligere possit; sive, ut cum arbitrio rationis unum illi præferendum alteri proponitur, ad utrumvis inclinare se possit, nec ad unum necessitate ulla determinante trahatur. Quod eo sensu intelligi volumus, quo Tridentini Patres decreverunt[3], « sic assentiri liberum hominis arbitrium, ut possit dissentire, si velit. » Nec enim præjudicium de alterutra parte facimus illius controversiæ, quæ jamdudum magna, et acuta ingenia, salva catholica veritate, in scholis exercet.

Altera est indifferentia, cum sic habet voluntas utriusvis optandi potestatem, ut neutram in partem sit affecta, sed paribus momentis, in utrumque propendeat, quam ἰσορροπίαν Græci, Latini *æquilibrium* nominant; ut cum duplici via, et æque commoda eo, quo intendimus, pervenire possumus non magis, in unam, quam alteram tenendam propensi sumus, sed absoluta est ad eligendum voluntatis optio.

III. Hæc autem indifferentia vel adimi ex toto potest, vel ab ea plus, minusve recedi, integra manente priori, quæ est libertatis essentia. Nam et naturales affectus ab ortu ipso inditi, et habitus usu, et actionum assiduitate roborati, et morbi, ac perturbationes sæpe voluntates impellunt, ac velut pondere quodam alteram in partem deprimunt. Meminerit itaque lector eruditus, indifferentiam aliam esse nativam, et insitam, quæ *electionis indifferentia* nominetur: aliam accidentem, *Duplex indifferentia electionis et propensionis.* et adventitiam, quæ *indifferentia propensionis*, *vel affectus* dici poterit. Sic *determinatio*, sive necessitas, quæ *indifferentiæ* illi respondet, similiter duplex est. Una est absoluta, quæ naturalem, et οὐσιώδη tollit indifferentiam, cujusmodi est absoluta necessitas tam simplex, quam violenta, tametsi hæc intimam voluntatem nunquam afficit ac proinde nunquam libertatem eripit, sed fictione sola, et ὑποθετικῶς *Hypothetice.* siquidem esse posset in rerum natura, adversari, et illa perimere dicitur. Altera est κατά τι, et *quadamtenus*, vel, ut vulgo scholæ nuncupant, *secundum quid*, ad quam vis omnis et necessitas extrinsecus cogens, ac violenter impellens referri debet, ut sunt dolores, cruciatusque corporis, metus ingruentis mali, ac proposita pericula, vehementes concupiscentiæ motus, et quæ *passiones* vocantur, et innumera id genus alia, quæ constantes animos sæpe labefactant, nec tamen eligendi libertatem ex toto detrahunt, neque liberum arbitrium absolute determinant. Quo et servilis ille status animi, ac voluntatis attinet, veræ ac laudabili oppositus libertati, cum homo vitiis irretitus, sub peccati ac diaboli

1 Cic. lib. III *de Fin.*— 2 Idem, in I, 4. *Acad.*— 3 Sess. VI, can. IV.

servitutem trahitur, et intestinum illud sentit, ac domesticum prælium, quod in se magnus experiebatur, ac lugebat Apostolus capite septimo *ad Romanos*. Hæc enim omnia, etsi magna vi, et impetu libertatem quatiunt, et in præceps abripiunt; non tamen invitam dimovent, nec *indifferentiam*; hoc est utriuslibet amplectendi jus, ac potestatem auferunt.

Libertas alia contrarietatis, alia contradictionis.

Est etiam illud ad eludendas adversæ factionis cavillationes utile, quod jam antea memoravimus, cum vulgo libertas voluntatis bifariam dividatur, ut sit altera *contrarietatis*, altera *contradictionis*. Priori specie non eam solum contineri, quæ est inter opposita natura, proprieque dicta contraria, ut sunt bonum, et malum, virtus, et vitium; sed omnia illa respicere, quæ quoquomodo inter se comparantur, et eatenus opposita sunt, quod in deliberationem ita veniant, ut utrum utri præferendum sit, anceps sit judicium. Velut cum deliberat homo, an fortunis omnibus sese abdicet, quo liberius Deo serviat, ut olim Apostoli; an eas potius retineat, ut privatim, publiceque prodesse quam plurimis possit. Hæc enim duo non sunt ex se, proprieque contraria; neque, ut honesta, vel turpis actio, opposita sunt invicem, sed contraria dicuntur, quoniam e regione, atque ex adverso posita spectantur.

Adversariorum objecta diluuntur.

IV. Hæc quanto a nobis operæ pretio animadversa, notataque fuerint, sciet, qui præcipua contrariæ factionis argumenta in hoc uno verti cardine cognoverit, ut *indifferentiam* eximant e natura, definitioneque libertatis. Ac sunt absurda quatuor, quæ adversus illam dogmatistes novus opponit, tanquam consectaria communis opinionis, quæ ex duplici constituta a nobis indifferentia facillime diluuntur. Nec est necesse dividi, ac singillatim illa proponi; est enim vis eadem omnium, et una responsione solvuntur.

Igitur[1], si indifferentia liberi arbitrii natura ponitur, sequi ex eo dicit, omnia illa, quibus alterutram in partem voluntas trahitur, « repugnare arbitrii libertati; quoniam illam extrahunt ab indifferentia agendi, eamque determinate faciunt agere, vel non agere, velle aut non velle. » Tales sunt « concupiscentiæ motus; omnes item habitus, et consuetudines animi sive bonæ, sive malæ, quæ directe repugnant æquabilitati istius indifferentiæ. » Vel puero facile est, quam hæc cassa sint, et ludicra, discere. Non enim quæcumque voluntatis indifferentia vel ad essentiam pertinet libertatis, vel istis rebus violatur, ac minuitur; sed sola illa, quæ accidens est liberæ voluntatis perfectio. Nam prior, et naturalis nec ulla fit accessione major, nec decessione minor; sed in individuo posita, id unum postulat, nulla uti determinante necessitate *sic uni consentiat, ut dissentire possit, si velit*; hoc est ut in utrumlibet ferri, ac movere se possit. Quamobrem uno hoc ictu brevissimæ responsionis totum illud genus labat argumenti, quod ex loco isto moliuntur, et magnis clamoribus intentant.

V. Ex iisdem fontibus illa quoque adversariorum propulsanda ratio est[2]: « Libertatem, seu potius indifferentiam contrarietatis adesse, et abesse posse sine ullo libertatis præjudicio. Quippe in Angelis, et Adamo fuisse in innocentiæ statu, in nobis post peccatum imperfectius. Abesse autem penitus ab inferis, et superis, illæsa in utriusque permanente arbitrii libertate, in illis ad malum, in his ad bonum.» Addunt, « indifferentiam ad utrumlibet, testimonium quidem esse libertatis, quia sine liberi arbitrii usu neutrum exerceri potest; non tamen ad libertatem ullo modo esse necessariam. Oriri enim non ex natura, neque ex robore libertatis, sed ex infirmitate ejus, qua fit, ut animus imbecille, solubiliter, et inconstanter dilectis rebus adhæreat. » Hæc nunquam objiceret, qui vel antiquos Patres attente legisset, non obiter, et ad occasionem sermonis alterius, sed ex professo, proprieque de libertatis natura disputantes; cujusmodi sunt, quos in tertio hujus operis libro auctores adhibuimus, Nemesius, Maximus Martyr, Joannes Damascenus, Anastasius, S. Thomas. Qui omnes uno ore, consensuque negant, sine potestate ad utrumvis oppositorum liberum constare hominis arbitrium; quæ est vera, et nativa libertatis *indifferentia*, sive ἀοριστία, quam *indeterminationem* scholæ nuncupant. Hanc ad bonum, malumve habet ex sese creaturæ libertas omnis eo ipso, quod ex nihilo facta est. Hinc Hieronymus libro primo *contra Pelagianos*, « Si ideo non peccat, inquit, quia peccare non potest, liberum tolletur arbitrium; et nequaquam nostrum fiet, sed naturæ bonum, quæ peccata non capiet.» Verum ubi felicitatis æternæ compos summo bono inhærere cœpit, frenatur, et supprimitur illa voluntatis in malum proclivitas, et lapsio; nec tamen, quod isti putant, *contrarietatis*

1 Tom. I, lib. VII, cap. XIV.—2 Ibid. cap. XIII.

ex toto libertas vacat ut supra declaravimus [1].

VI. Suavis est autem dogmatistæ novi, ejusque fautorum ista præscriptio, *Indifferentiam* voluntatis ad bonum, vel malum, quam *contrarietatis* solam putant esse libertatem, idcirco non pertinere ad libertatis essentiam, quoniam non ex natura, neque ex robore libertatis, sed ex infirmitate ejus oritur. « Nam, etsi ad naturam libertatis, qua est libertas, præcise, ac secundum genus minime pertinet; (est enim libertas in Deo vera et propria, sine mali amplectendi potestate) tamen, qua creaturæ libertas est, non minus ad essentiam spectat, quam ἁμαρτησία, hoc est *peccabilitas*. Utraque enim ex infirmitate oritur, sed quæ cum creatæ rei notione implicata est; quoniam quidquid est creatum, eo ipso mutabile est, hoc est minime firmum; quod quid aliud est, quam infirmum? cæterum *indifferentia contrarietatis*, ut vocant, sive *libertas ad contraria*, tam est communis, et naturalis omni libertati, quam quæ *contradictionis* dicitur, ac Deo ipsi convenit eo, quem supra demonstravimus, intellecta modo : nisi determinatum sic esse volumus Deum ad hoc potius, quam illud creandum; tum insuper ad creandi actionem ipsam, ut nec aliud, quam quod reipsa molitus est, facere, nec ab actione temperare potuerit. Quæ duo falsa, ridicula, et ad hæresim implicata videntur.

VII. Quid autem sibi vult recens ille dogmatistes, cum sic argumentatur? Non spectare ad libertatis naturam indifferentiam ad bonum, vel malum, hoc est imbecillitatem illam; quod alioqui « fatendum sit, eamdem imbecillitatem etiam ad naturam charitatis pertinere. Nam in Augustini, ac discipulorum ejus lucubrationibus, ac documentis, nulla est alia libertas ad bonum, nisi charitas; quia illa est sanitas animæ rationalis, » Quantæ in hoc argumento ruinæ sunt judicii, ac rationis! Etiamne charitas sola est libertas illa, de qua quærimus, et cui *indifferentiam* tribuimus tam *contrariorum*, quam aientis, ac *negantis* more pugnantium? Ut, quam absurde loquantur, quivis intelligat, age dicant, obsecro, sitne cuiquam homini, vel Angelo, vel creaturæ, naturalis, et οὐσιώδης charitas. Hujusmodi si esset aliqua, Deus esset, *Est enim Deus charitas :* proinde creatura non esset. At libertas, de qua agimus, insita est, et οὐσιώδης cuilibet intelligenti naturæ, ac ratione præditæ, ut antiqui omnes, ac recentes theologi docent, et christiani pariter, ac gentiles philosophi, excepto nemine. Distat itaque plurimum naturæ facultas, quæ est libere volendi principium, ab virtutis habitu, quo in alteram contrariorum partem fit illa propensior, ac determinatior. Cæterum ne ipse quidem charitatis habitus ita genere boni, et honesti circumscriptus est, ut non sub eodem genere amplam habeat copiam, varietatemque bonorum, in quibus seligendis utrumque libertatis genus voluntas exerceat. Quod si sic natura sua definita charitas esset, ut ad unum eligendum eorum, quæ *media* dicuntur, voluntatem necessario determinaret adeo, ut ne ab agendo quidem circa illud unum cessare pateretur; non esset charitatis usus liber, sed necessarius, quantumvis voluntarius esset, hoc est toto ex affectu, et impetu voluntatis erumperet. Cur autem libertatem Augustinus charitate definiat, et quæ sit libertas ista, in quarto libro pluribus exposui [2]. *Essential*

VIII. Nam, quod errorem Pelagianum nominat eam opinionem [3], « quæ requirit ad libertatem indifferentiam ad bonum, et malum, » dupliciter fallitur. Primum non eo præcise Pelagius ac tota illa secta peccavit, quod *indifferentiam ad bonum et malum* in eo statu, quem *viatorum* nominant, requiri in libertate dixerit; sed quod utriusque possibilitatem sic inesse voluntati humanæ defenderet, ut sine auxilio gratiæ Christi, ac solis naturæ viribus sibi ad bonum eligendum, faciendumque sufficeret. De quo, eodem in quarto libro tam multa scripsi, nihil ut hic novi ad illa possit adjici. Ex iis autem validissimum illud est, et præ cæteris notandum, de liberæ voluntatis natura, et notione, qua est homini insita, et naturalis agendi facultas, nunquam ab Augustino reprehensum esse Pelagium, neque Julianum, sed cum illis consentientem, ac concordem fuisse : cum, si novam istam, inauditamque priscis omnibus libertatem arbitrii probasset, mille adversus illos disputanti inculcandæ ejus occasiones oblatæ sint, et hac unica præscriptione, quæ ab illis erant objecta, posset eludere. At nusquam hoc fecit Augustinus, sed longa, operosa, et anxia disputatione respondit, id unum persuadere satagens, illam eamdem libertatem arbitrii,

1 Parag. III.— 2 Vide c. VII et VIII. — 3 Lib. VII, cap. XI et tom. I lib. II, cap. I.

quam Pelagiani in homine constituebant, Christi egere gratia, ut bene ageret, cum per se ad id, quod deterius est, ac sponte moveretur. Sed relegenda sunt ea, quæ in quarto libro super hac Pelagii opinione disserui [1].

CAPUT XII.

Quæ contra novum commentum libertatis pro Catholica sententia objici solent, ea perperam eludi ab adversariis. Mira repugnantia dictorum novi dogmatistæ, et ut suam ipse sententiam evertat, dum ait, libertatem Viatorum cum indifferentia ad utrumvis agere. Multiplex ejusdem cavillatio. Quomodo liber sit, et indifferens Deus. De indifferentia, et quid ea sit. Fucus novi dogmatistæ in eadem constituenda.

Qua ratione eludat adversarius ea quæ pro catholica liberi arbitrii notione afferuntur.

I. Nunc quibus modis ea dogmatistes nuperus explicet, quæ adversum se facere animadvertit, et opponi solere pro communi et Catholica sententia, paucis expediam. Nam, ne pluribus sit opus, superioribus in libris, maxime in tertio, et quarto, perfectum arbitror.

Valent autem ad comprobandam libertatis ἀοριστίαν, id est *indifferentiam*, imprimis illa Scripturæ loca, quibus integrum esse significatur hominis arbitrio, quam volet in partem se flectere. Qualia sunt hæc [2], *Deus reliquit hominem in manu consilii sui; adjecit mandata, et præcepta, etc. Apposuit tibi ignem et aquam. Ante hominem vita, et mors, bonum et malum; quod placuerit, dabitur illi*, et hujusmodi alia, quæ in tertio libro commemoravimus [3]. Quibus etiam consentanea sunt quamplurima de libero arbitrio dicta veterum, quæ antea retuli.

Ad hæc omnia respondet adversarius [4], « Scripturas istas, ac similes, de viatorum hominum libertate loqui. Illi quippe sunt, quibus præcipitur bonum, ac vetatur malum; illi sunt, quibus ignis, et aqua, vita, et mors apposita sunt; illi sunt, qui parem in utramque partem habent voluntatis motum; illi denique, qui possunt præcepta facere, et non facere, servare vel transgredi. » Verum sine hac indifferentia constare posse liberum arbitrium demonstrat ex eo, quod in Deo, et Angelis, beatisque cæteris non est ejusmodi libertas; ubi tamen est vera, et proprie dicta : « Hominum igitur viatorum, ait, non solum coactionis expertem esse libertatem, sed etiam necessitatis immutabilis voluntariæ, hoc est eam ad utrumque indifferentem esse, cum Scripturis, Augustino, et Patribus, et Catholica fide fatemur perlibenter. Sed in illa indifferentia sitam esse generaliter humani arbitrii libertatem, iidem Patres pernegarent. » Negaturos autem ideo asserit, quod nemo ita desipiat, ut vel beatos carere dicat arbitrii libertate : vel eum *viatorem*, qui tanta charitate donatus esset, « ut in hac vita constitutus, amplius jam peccare non posset. »

Ejusdem mira dictorum repugnantia

II. Bene quod in hac vita saltem, et præsente statu *viatorum* indifferentiam illam libertati hominis assignat; eique non coactionem opponi tantummodo putat, sed etiam necessitatem simplicem, et ad unum determinantem, idque Scriptura teste, et Augustino, ac Patribus adstipulantibus, ac denique Catholica docente fide, certum esse confitetur. Multum istud est [5], « quod de illo veritas clamat, » ut cum Augustino loquar, hoc est [6], « quod in his verbis confirmatum est a nesciente, quod loqueretur, liberum arbitrium. » Hac enim vi veritatis extorta confessione, magna pars novi commenti, opinionisque falsæ delabitur : ac pleraque concidunt eorum, quæ aliis in locis ab eo sunt scripta. Etenim communi et ordinaria lege vitæ hujus, statusque *viatorum*, liberum arbitrium ad utrumque est indifferens, hoc vel illud eligendum, agendum hoc item, vel non agendum. Igitur, excepto miraculo, qui nondum æterna felicitate perfruitur, sine hac indifferente agendi potestate, libero arbitrio non utitur : nec externa re ulla, et adventitia determinari sic potest, ut ad unum alligetur sponte etiam appetendum : sed ut libere hoc eligat, debet posse, si velit, non eligere. Quocirca, cum idem sit esse in potestate nostra, atque in libero esse voluntatis arbitrio, vel idem ac posse, cum volumus facere, ut sæpe adversarius inculcat [7] : idem esse debet, in potestate esse, et in libero arbitrio, *viatoris* ordinario modo, et sine miraculo libertatem exercentis suam, atque *indifferenter*, quod vult amplecti, et unum sic eligere, ut, si

1 Cap. II et seq. — 2 *Eccl.* XV. — 3 Cap. II. — 4 Tom. III, lib. VI, cap. XXXIV. — 5 Aug. lib. III *de liber. arbitr.* cap. III. — 6 Idem lib. II *de Act. cum Fel.* c. V. — 7 Ut tom. III, lib. VI, c. XIV.

vellet, aut alterum optare posset, aut actionem supprimere. Quod si sic moveri, et agere dicatur voluntas, ut, etsi minime cogatur, tamen immutabili necessitate quippiam velit, non ex libero aget, ac volet arbitrio : quandoquidem « hominum viatorum non solum coactionis expertem esse libertatem, sed etiam necessitatis immutabilis voluntariæ, » Scripturæ, Patrum, et catholicæ fidei auctoritate constat.

III. Et, ut plenius intelligatur, quos se in laqueos doctor ille conjecerit, et quantam dogmati suo perniciem intulerit, ita mecum lector eruditus rationem ineat. Qui ad probandam liberi indifferentiam arbitrii, Scripturæ, Patrumque sententias istas objiciunt, et quos ille sibi adversarios ad certamen designat, ac denique quos toto in opere suo erroris arguendos, refutandosque suscepit; ii libertatem voluntatis in quadam indifferentia statuunt. Hoc ut refellat novus dogmatistes, e contrario demonstrare studet, non esse in indifferentia libertatis naturam, et essentiam positam. Licet enim alioqui cum libertate conjuncta sit indifferentia, posse tamen absque illa consistere, et revera in quibusdam inesse. Ex hoc conflictu status ille quæstionis existit, utrum libertatis essentia in indifferentia sita sit. Porro qui affirmantibus contrariæ partis theologis, negare instituit, et eos falsi convincere, *indifferentiæ* nomen eodem sensu, ac significatione debet sumere, quo ab illis usurpatur, quos contra disputat. Nam, si alteram quamdam notionem subjiciat eidem vocabulo, stulta est, et inanis de voce contentio. Jam, quemadmodum indifferentiam accipiant ii, adversus quos agit, dictum a nobis est antea sæpe, præsertimque proxime superiori capite. Sed et novorum dogmatistarum signifer passim commemorat [1], qui hoc affirmat, adversarios suos, quique libertatem indifferentia metiuntur, prorsus idem sentire cum Pelagio. Itaque cujusmodi a Pelagio, ejusque discipulis constituta est indifferentia *naturalis*, et οὐσιώδης arbitrii liberi, talem et asserere illos oportet, quos novus dogmatistes oppugnat, et ab hoc ipso negari esse necessariam, ut sine ea libertas constare nequeat.

In hoc tota quæstio vertitur an in indifferentia essentia libertatis posita sit.

IV. Igitur Pelagius, ut idem dogmatistes refert [2], liberum arbitrium « possibilitatem quamdam esse dicebat, quo non tam potestas passiva, a qua res aliqua possibilis dicitur, cui non repugnat, ut fiat, sed activa potius significari solet, per quam causa dicitur posse aliquid facere. » Hanc ergo possibilitatem agendi potestate definiebat, quæ utrumvis pro arbitrio possit eligere. Ita Pelagius ipse in epistola *ad Demetriadem*, et Julianus apud Augustinum. Ille quidem cum scribit sic : « Volens Deus rationabilem creaturam voluntarii boni munere, et liberi arbitrii potestate donare, ut utriusque partis possibilitatem homini inserendo, proprium ejus fecit esse, quod velit, ut boni ac mali capax, utrumque posset; et ad alterutrum voluntatem deflecteret. » Ad quod probandum Scripturæ loca illa contulit, quæ sibi dogmatis novi primicerius objecit, Cur autem talem Deus homini possibilitatem indiderit, rationem ita reddit Pelagius : « Neque enim aliter spontaneum habere poterat bonum, nisi æque etiam malum habere potuisset. Utrumque nos posse voluit optimus creator; sed unum facere, bonum scilicet, quod et imperavit; malique facultatem ad hoc tantum dedit, ut voluntatem ejus ex nostra voluntate faceremus. » Tum, « licet nobis, inquit, eligere, refutare, probare, respuere. »

Rursus apud Augustinum liberi arbitrii naturam ad eumdem describit modum [3], « et exemplis, ait Augustinus, vel similitudinibus, quid dicat, illustrat. Ut puta, inquit, loqui possum. Quod loqui possum, meum non est; quod loquor, meum est, id est propriæ voluntatis. Et, quia quod loquor, meum est, utrumque facere possum, id est et loqui, et non loqui. »

Julianus vero [4], « Libertas arbitrii, inquit, qua emancipatus homo est, in admittendi peccati, et abstinendi a peccato possibilitate consistit. » Item, « Factum est enim animal rationale, mortale, capax virtutis, et vitii, quod posset ex concessa sibi possibilitate vel servare mandata, vel transgredi, vel magisterio naturali conservare jus humanæ societatis, liberumque haberet alterutrum velle, vel partem, in quo peccati, et justitiæ summa est. » Et nos in antecedente libro [5], hæretici utriusque sententias, ac descriptiones arbitrii liberi posuimus.

V. Quæ omnia declarant, libertatis in eo constitutam ab illis esse naturam, ut in

1 Tom. III, lib. I, cap. I et libr. VII, c. XI et alibi passim.— 2 Tom. I, lib. II, cap. I.— 3 Lib *de Nat. et Grat.* cap. XLV.— 4 Apud Aug. in oper. imperf. c. LXXIX.— 5 Cap. II et III.

utramlibet partem movere se possit, hoc est, ut, propositis voluntati pluribus ad eligendum, quodcumque volet ex illis amplecti queat, seque ipsa determinare, et addicere uni potius, quam alteri. In eamdem libertatis notionem conspirant philosophi omnes ethnici, maxime Peripatetici, auctorem imitati sectæ principem Aristotelem, nec non recentiores tam philosophi, quam theologi christiani. Nec alia libertatis significatio, ac definitio hactenus in scholis est audita, donec prodiret incomparabilis iste doctor,

« E tenebris tantis tam clarum tollere lumen
Qui primus potuit, inlustrans commoda [vitæ. »

Qui Calvini, Buceri, hæreticorumque cæterorum novum de libertate decretum catholicas in scholas inferret. Hic ille est, qui *indifferentiæ*, qualem exposui, defensores, non modo Aristoteleos, et Peripateticos theologos potius, quam Christianos, sed etiam Pelagianos appellare non est veritus ; et ita nominandi auctor fuit iis, qui ipsius sectam, ac dogma profitentur. Quæ illorum exprobratio satis indicat, nec istos, nec horum nescisse principem, cujusmodi indifferentiam vocarent, et intelligerent ii, quos Peripateticis, ac Pelagianis annumerarunt ob idipsum, quod perinde, ut illi, libertatem in indifferentia ponerent. Quapropter qui illos sibi ad oppugnandum destinasset Pelagii, et Aristotelis opinioni deditos, et contra *indifferentiam* istam disputare vellet; eodem, quo ab illis ponebatur, sensu *indifferentiæ* vocem accipere oportuit, non alio quopiam, ac diverso.

Suam ipse sententiam evertit novus dogmatistes.

VI. Hoc vero concesso, jam omnia fere, quæ de libertate disseruit novæ sectæ coryphæus, et argumenta, quibus eam fulcire hactenus est visus, pro non dictis, et inanibus habenda sunt. Sic est profecto, sic est, et incredibile, ac monstri, portentique simile est, tantam vim rationum, quas ad faciendam opinionis novæ fidem totis libris congesserat, tot argumentationum genera, tantam molem, apparatumque testimoniorum, et auctoritatum, quas e Scripturis, eque Patribus Græcis, ac Latinis ambitiose comparaverat, totam illam denique pompam, ab isto ipso, qui eam instruxerat, repente esse profligatam, ac disjectam.

Quid enim tot illis citatis testibus, et allatis veterum, ac præsertim Augustini sententiis toto sexto libro tomi tertii, moliri, et efficere voluit, nisi hoc probare : Libertatem arbitrii non ab illis constitui in indifferentia quadam ad utrumvis oppositorum, sed in sola voluntatis actione, quamvis immutabili necessitate teneatur, dummodo vis absit, et coactio, quæ sane afferri voluntati nulla potest? Prorsus eo machinæ illius omnes, et consilia spectant, ut receptam in scholis philosophorum, ac theologorum, libertatis naturam, ac definitionem oblitteret, ac novam antehac, inauditamque pro illa substituat. Quo uno jacto fundamento, cætera superstruxit de conspiratione, et concordia gratiæ cum arbitrio libero. Quam etiam instituit sic, ut, etsi determinetur hoc ab illa, et quadam necessitate contineatur, ut non sit indifferens ; nihilominus libere agat eo ipso, quod illius voluntaria sit, et spontanea, non vi extorta, neque coacta consensio.

VII. Nunc eum sibi conciliandi modum, et quidquid de actione libera voluntatis impulsu excitata gratiæ dixerat, ac mediam illam, interjectamque duas inter contrarias scholasticorum partes opinionem, quam ex Augustino post Calvinum, Bucerum, ac cæteros hæreticos invexerat, interclusit sibi, ac nova sententia revocavit. Jam enim nulla re distat ab iis, quos ex ambabus oppositis sectis, aberrasse a veritate, maxime judicat, et in quos vehementius excandescit, proque Pelagianis, et inimicis gratiæ, hostilem insectatur in modum, et exagitat. Cur enim iniquior in illos fuit, nisi quod liberum hominis arbitrium nunquam sic moveri, pulsarique volunt ad assentiendum, ut non possit dissentire, si velit? Quod profecto novo ex ejusdem illius effato directe sequitur. Nam, si « hominum viatorum, non solum coactionis expertem esse libertatem oportet, sed etiam necessitatis immutabilis voluntariæ, » si eam, fides catholica docet, « ad utramque indifferentem esse, » nunquam, nisi hoc agens modo, consensura est libera voluntas hoc in vitæ mortalis statu ; adeoque vicit illa causa, quam iste privata auctoritate, contra Romanorum pontificum interdicta damnare est ausus, et de ea controversia, cujus arbitrium sibi illa sedes reservavit, non præjudicium, sed plane judicium facere. Cujus equidem imitari nolo temeritatem, nec quæ obiter pro eo, ac necesse est, attigi, ad alterius invidiam pertinere volo. Utra sit ambarum adversantium invicem verior, non est meum dicere. Hoc unum defendo : interventorem illum mediam inter ambas viam tenentem,

et ab utrisque discedentem; nescire quid dicat, nec tam ab illis, quos oppugnat, quam a seipso dissidere, tum eumdem omnia auctoritatis abjudicare præsidia, et a se veteres omnes alienare; Augustinum, e quo totus pendere videri vult, ac Latinos cum Græcis reliquos.

VIII. Etenim cum [1], exempli gratia, novam libertatis rationem probare ex Augustino studet, ejusque verbis istis [2], « Id in nostra esse potestate, quod, cum volumus, facimus, » Vel, « quod, si vult, facit aliquis, si non vult, non facit, » cumque inde persuadere nititur, quod nos sponte volumus, tametsi necessario sic volumus, ut nolle, aut non velle non possimus, nihilominus velle libere; pessime id ex Augustino colligit, si in quarto illo, et tricesimo capite *indifferentiam* libertatis eo sensu, quo debet, accepit. Augustinus enim de libero ibi arbitrio loquitur, quatenus in hac vita, et in *statu viatorum* eo utimur, et aliquid volumus; non de beatorum necessaria, et ad unum determinata voluntatis actione. Vana item, et irrita sunt argumenta cætera, quibus ostendit, tam Augustinum, quam Patres alios, cum de libero agunt arbitrio, ei solam opponere cogentem, violentamque necessitatem. Nam omnia testimonia, quæ ex illis exscripsit, et quibus id quod vult efficere conatur, ad arbitrium liberum spectant, non absolute, infiniteque sumptum, neque divinum, aut ut Christi est, vel Angelorum, beatorumque proprium, sed ut homini mortali, et, ut vocant, *viatori*, convenit; nempe quatenus circa bonum, malumque virtutes, ac vitia versatur, atque ut morum ex eo regula, æstimatioque petitur, ac meritorum utrimque discrimen. Hoc vero modo necessitate nulla coerceri potest; nec sine *indifferentia*, et libera potestate utriusvis agit, ut novo dogmatistæ placet in eo, quod citavi, capite. Expendat impiger lector omnia veterum testimonia, quæ pro sua ille opinione commemorat in sexto illo libro, et quemadmodum inde ratiocinetur; plane ita rem habere, ut dixi, comperiet, ac cæcitatem hominis obstupescet suis irretiti placitis, ac decretis, et contraria secum oratione pugnantis.

IX. Sed enim *indifferentiæ* nomen interdum alio sensu interpretatur, nec illis contra quos agit, usitato; ex quo in illud absurdum incidit, quod supra notavi, ut adversariorum sententiam refellere aggressus, non tam ei, quam figmento suo bellum indicat. *Indifferentiam* enim pro *mutabilitate* voluntatis sumit in illo capite XXXIV libri sexti; qua fit, ut ad unum aliquid, quod semel arripuit, et jam obtinet, non constanter adhæreat, sed, ut fastidiosa est, ac volatica, ab uno ad alterum desciscat. Sic, cum virtuti se, officioque dedidit, post ad vitium, ac voluptatem applicat. Cui quidem mutabilitati, sive, ut vocat, *indifferentiæ*, opponit stabilem, et in bono fixum, ac determinatum statum, qui est in Deo, ac beatis omnibus : Unde ita concludit, non illum esse libertati naturalem nec οὐσιώδη, cum et absit a plerisque, quibus tamen liberum convenit arbitrium, et sine hujus detrimento possit auferri. Verum ludicra et veteratoria est ista tergiversatio. Non enim *indifferentiam* qui in libertatis definitione reponunt, eo modo intelligunt, ut idem sit cum mobilitate, ac levitate illa versatili, qua modo erga hoc, modo erga illud afficimur; qua ratione brutis etiam animantibus *indifferentia* convenit, quorum appetitiones suas habent vicissitudines, nec in eadem re perpetuo consistunt; sed indifferentiam vocant potentiam agendi, vel non agendi, hoc item, aut illud eligendi ex iis, quæ voluntati ratio præscripserit, sine ulla non modo cogente, sed neque determinante necessitate. Hoc indifferentiæ genus in omni arbitrio libero inesse sentiunt, quantumvis in bono vel natura sua, vel dote quadam adventitia defixum, obfirmatumque sit, ut in Angelis, ac beatis hominibus evenit.

X. Ac si quis majorem partem locorum illorum prudenter consideret, quæ ex sacris litteris, aut ex antiquis Patribus antistes nuperæ sectæ capitibus aliquot selegit, præsertim in sexto libro tomi tertii, animadvertet in omnibus haud aliam indifferentiæ formam exprimi, quam quæ liberam voluntatis inclinationem, ac determinationem antecedit, hoc est quæ ad alterutrum eligendum neutiquam definita, et quasi circumscripta sit ita, ut omnibus ad agendum necessariis prædita voluntas velle possit aut nolle.

Hoc imprimis omnia illa Scripturæ testimonia prædicant, quæ novus dogmatistes libavit; velut hoc *Ecclesiastici* : *Apposuit tibi ignem, et aquam. Ad quod volueris, porrigis manum tuam. Ante hominem vita et mors; bonum et malum; quod placuerit, dabitur illi* [3].

1 Tom. III, lib. VI, c. IV. — 2 Aug. lib. III *de lib. arb.* cap. III. — 3 *Eccl* XV.

Hæc, inquam, et similia, quæ in Scripturis innumerabilia sunt, quibus *indifferentiam* significari fatetur ille, non hanc declarant ejusmodi, qua ab uno, quod jam ascivimus, mutari, et transitum facere in aliud possumus, propter insitam mutabilitatem, sed talem profecto, qua nondum devincti, et irretiti, aut determinati uno quopiam ex duobus, utrumque judicio, arbitrioque nostro perpendimus, et ad quod volumus voluntatem nostram adjungere possumus. Non enim ita nos hortatur. « Ab igne transire ad aquam potes, vel a vita mortem, vel a bono ad malum, aut e contrario ab his ad illa mutari; » sed amborum alterum eligere, tanquam in medio positus, nec uni affixus amborum. Item, ne longum faciam, experiri potes in omnibus Græcorum, Latinorumque sententiis, quas tribus istis libris comprehendimus hactenus.

Itaque, quocumque se vertet nuperi architectus dogmatis, implicatus hærebit, ac suapte oratione convictus, ut aut ea retractet, ac damnet, quæ tanto molimine conatus est statuere, aut frigida et inepta cavillatione statum controversiæ ac quæstionis eludat; neque hoc ipsum, quod ab adversariis ponitur, sed quod ipse sibi simulando, an errando proposuit, ac finxit, oppugnet.

XI. Est igitur, ut jam dixi, quædam generalis notio libertatis per universam fusa naturam, quæ est rationis, intelligentiæque particeps, adeoque communis Deo cum ejusmodi cæteris; cujus definitio non aliunde a nobis petitur, quam ex ipsis partis adversæ decretis, et hac ab illis constituta formula, quam paulo ante retuli, ut hoc liberum sit, et in nostra potestate, *quod fit, cum volumus, et non fit, cum nolumus;* vel, *quod si volumus, facimus, si nolumus, non facimus.* Nihil enim hujuscemodi est, nisi quod electioni subest, et quod e duobus electione secernitur; quæ est actio propria liberi arbitrii. Ubi autem non nisi unum aliquod ac determinatum voluntati proponitur, non modo præter quod nullum aliud asciscere potest, sed etiam circa quod non potest non agere; ibi nullus arbitrii liberi est usus, nulla voluntatis libera motio. Qua in re duplex est adversariorum vel inscitia, vel calumniosa malitia. Primum quod, ut invidiam comparent communi, receptæque sententiæ, quædam ex ea consectaria colligi dicunt, quæ absurdi specie aures feriant auditorum : Deum, exempli gratia, non fore liberum in agendo, neque Christum, neque Angelos, ac beatos prædicant, si est libertas posita in boni, malique delectu. Sed huic jam occurrimus, in antecedenti præsertim capite, cum ita diximus : libertatem, quam *contrarietatis* nominant, non tantum boni, ac mali facere discrimen, verum inter alia quoque discernere, quæ utcumque comparantur invicem, et in disceptationem vocantur. Hujusmodi in Deo, ac beatis inveniri, quos constat multa velle, et eligere facienda de pluribus, quæ, si vellent, voluissentve, poterant omittere, et his alia præferre. Cur enim Socratem potius, quam alium ex infinita multitudine hominum, qui nunquam existent procrearit Deus, ne fingi quidem ratio altera potest, nisi quod Socratem maluerit, quam istum, ex nihilo detrahere, in lucemque proferre, cum si vellet, hunc creare posset, Socrate relicto.

Altera exploditur novi dogmatistæ calumnia.

XII. Altera est calumnia, quæ plus etiam ignorationis habet, et in theologo minus excusari potest, quod ut libertatem ostendat non consistere in agendi, vel non agendi indifferente potentia, Deum inter cætera nobis objicit, « qui ab eligendo bono, quod sibi ab æterno præfixit, nulla mutatione desistere potest, ne vel imprudens videatur id eligendo, quod postea propter alias non prævisas rationes mutandum esse judicaret, vel certe inconstans, ac levis, sine nova ratione respuendo, quod semel prudenter elegisset. » Qui sic argumentatur, vix prima tenet rudimenta theologiæ. Ita enim disserit, tanquam Dei electio identidem fiat, atque in tempore; et hominum more, pro eo, ac res tulerit, modo hoc, modo illud eligat. Vel quasi electio externa rei sit effectio. Nec meminit, *electionem* Dei, cum sit ipsa Dei substantia, qua hanc, aut illam infert creaturam, ad eamque terminatur, ex omni æternitate factam esse, quomodi fieri illam intelligimus; atque idcirco determinatum ab æterno esse Deum, eumdemque liberum, et indifferentem. Qui duo status sola, ut Græci Patres loquuntur, ἐπινοίᾳ, id est *cogitatione*, distant invicem : ut autem Latini theologi dicunt, *ratione*, et *rationis instantibus*, aut *signis*, id est *momentis*. Quamobrem sic a nobis cogitanda est libera Dei electio, uti hominis, vel Angeli; et hujus præsertim, si est vera sanc. Thomæ sententia, ubi semel quidpiam elegerit, ab eo non amplius illum posse deduci. Hujus ergo libertas in eo potissimum momento exerceri dicitur, quo, consideratis, et æstimatis omnibus, in quibus versari potest electio, unum aliquod anteponit alteri, cum hoc illi,

si vellet, anteferré posset. Deinceps autem actione, electioneque libere facta, a seipso determinatus manet; indidemque oritur quædam necessitas consequens, et complexa, qua etiam contingentes res, quatenus sunt, necesse est esse. Ad eumdem modum Deus primum *indifferenter* se habens, et quasi deliberans humana cogitatione depingitur. Quam, ne contemnendam, ac repudiandam existimes, etiam sacræ litteræ auctoritate sua comprobant, dum cunctantem, et, quid facto sit opus, consultantem sæpe Deum exhibent. Post vero quam e pluribus unum aliquod constituit sequi, fixum manet voluntatis, et immutabile decretum. Sed hæc passim antea pro eo, ac necesse fuit [1], inculcasse meminimus.

XIII. Rursus aliud opponit sibi dogmatistes novus [2], eique postea respondet. Nam « actus illius voluntatis, qui sola libertate a coactione liber fuerit, non videmur esse domini, nec eum habere in nostra potestate ; quod ad actum liberum omnino necessarium est. Quo enim pacto intellligi potest, quod illum actum in notra potestate habeamus, et ejus domini simus, a quo propter volendi necessitatem abstinere non possumus? Illius quippe domini videmur duntaxat esse, quod facimus, et non facimus, quando lubet. Accedit, quod in hujusmodi actu potius agi, quam agere videamur. Hoc autem repugnare libertati arbitrii, extra controversiam est. » Ex hac duplici objectionis parte « primam nonnullis antiquioribus Scholasticis hallucinandi causam fuisse respondet, qui Augustini locum illum citaverunt : Nihil tam in nostra potestate [3], quam ipsa voluntas sita est : » posteriorem « illis qui magis Aristotelis philosophiæ dediti sunt, fraudi fuisse. »

Sic igitur dissolvere ista conatur. Quod ad priorem attinet partem « imaginationis imbecillitate fieri dicit, ut homines in percipienda voluntariorum actuum libertate fallantur. » Nam « intuentes omnes actiones hominum, quas imperatas dicimus, et magis notæ sunt, nullam earum omnino liberam esse vident, nisi quam possumus facere, et non facere, quando volumus. » Hanc enim liberi esse notionem omnibus insitam, quod fit, cum volumus, non fit, cum nolumus, « ita ut regula omnis libertatis, quæ in actionibus quarumcumque facultatum reperitur, sit ipsum velle; cui nisi mox adsit actio cujuscumque potentiæ, vel cessatio actionis, mox etiam actio illa, vel non actio cancellos libertatis egreditur. » Porro theologi, cum in imperatis actionibus potestatem illam agendi, vel non agendi perspicue deprehendissent, « perrexerunt, inquit, ad ipsum cubile libertatis, voluntatem sive volitionem; et ibi similem indifferentiam semper et ubique necessariam esse judicarunt respectu cujuscumque motus liberi. Cum enim hoc habeat definitio actus liberi, ut eum agamus, et non agamus quandocumque voluerimus, ita ut cum indifferentia contradictionis operemur; (nam indifferentia contrarietatis judicio quoque Scholasticorum parvi momenti est, et in solis viatoribus, propter alias causas, quam libertatis, locum habet) fieri non posse censuerunt, ut id, quod libertati essentiale est, ab ullo actu libero separetur. » Verum in eo scholasticos aberrasse dicit, quod idem in actibus quos *elicitos* vocant, quæsierunt, quod in imperatis invenerant, ut quemadmodum ad hos exprimendos nutus voluntatis præcedit, qui eos pro arbitrio laxat, vel cohibet, in quo est *indifferentia*; sic in illis aliam quodammodo voluntatis actionem, sive volitionem cogitarent, « ratione cujus hæc postrema sit libera. » Atqui « voluntas, inquit, hoc est volitio deliberata seipsa libera est, et contradictionem implicat, non esse liberam, quia fit, cum volumus, non fit, cum nolumus, non alia volitione, sed seipsa. » Hæc ille.

XIV. Atqui somnium istud est, et inane figmentum, quod ex ingenio, ac pro libidine sua commentus est. Sive enim interiores, et ab ipsa voluntate manantes actiones, hoc est *elicitas* spectes, sive externas, et *imperatas*; una eademque radix est, ac forma libertatis, quam ab adversariis ipsis accipimus; uti, cum volumus, fiat; non fiat, cum nolumus, quodcumque libere fieri dicitur. Nam, si naturam ipsam ac rationem, et usum loquendi communem consulant, discent, ea sola fieri ad illum modum, quæ antequam reipsa, determinateque fierent, cum ratione præeunte voluntas electura jam unum e duobus esset, poterant non fieri, ut vel ageret omnino, velletque nihil, vel ejus, quod voluit, et ascivit, contrarium velle posset, et amplecti. Absurdum vero, et a publica consuetudine sermonis abhorrens esse, *hoc fieri, si volumus*, aut, quod intolerabilius est, addito hoc insuper, et *si nolumus*, *non fieri*, quod nonnisi uno,

1 Vide præsertim c. III hujus libri.— 2 Cap. XXXV libri ejusdem.— 3 Aug. lib. III *de lib. arb.* c. III et I *Retr.* c. IX.

ac definito modo fieri potest, quamvis ob voluntatis inconstantiam, et mutabilitatem, spreto hoc, quod elegerat, in aliud movere se possit. Quamobrem non minus in *elicito*, quam in *imperato* voluntatis *actu* reperiri debet illa in utrumvis liberi arbitrii potestas, necessitatis, ac determinationis expers, quæ electionem, et *actum* ipsum præcedit, ab eoque determinatur, id est a semetipsa per *actum* illum, qui eo solo *liber* dicitur, quia contingens est, hoc est ita productus est, ut produci non posset, si sic producenti voluntati libuisset. Quod ipsum, ut jam sæpe dixi, Græci vocant ἐπ' ἐξουσίας, Latini *in potestate* esse. Cujus præter innumera, quæ allata supra sunt, exempla, unum referam, quod ista commentanti mihi apud Cyrillum incidit. « An si quis, ait, aureo poculo helleborum infundat, alteri vero non aureo quidem, sed vel ex vilissima materia mel ab apibus elaboratum infundat; deinde pro potestate arbitrii, utrum libebit, sorbere jubeat, cui ita sit imperatum, in materiam solam intentus deteriora præponet [a] ? » Nimirum cui ita præcipitur, ut *pro potestate*, quod malit ebibat, debet utrum volet, posse bibere; alioqui neque potestas ei faciendi, quod volet, permittitur, neque libera est opinio.

XV. Etenim voluntatis actio ipsa, sive volitio, non est, cum volumus, et cum nolumus non est, si est expressa necessitate aliqua; nec potest non esse, quia necessarium contingenti est oppositum; est autem liberum omne contingens, ut in libro tertio ex Latinis, Græcisque theologis ostendimus. Quin et sibi ipse repugnat Adversarius, dum eam *volitionem*, de qua inter nos agimus, deliberatam vocat. Est enim *deliberatio* idem, ac *consultatio*, id est tractatio et inquisitio de eo, quid facto sit opus. Hinc Glossarium vetus sic habet : *Deliberare* διασκέψασθαι. *Deliberat* Βουλεύεται, διαφόρως σκέπτεται ; quibus significatur pendens, et in utrumque procliyis voluntatis potestas. Cujusmodi non est, si ad unum necessario trahitur, ut non possit non sequi; « Inciditur enim omnis jam deliberatio, ut ait Cicero [1], si intelligitur non posse fieri, aut si necessitas affertur. » Quo illa spectant, quæ de libertatis natura, deque consilio, ac cæteris ejusdemmodi in libro tertio diximus ex sanc. Nemesio, Joanne Damasceno, Thoma Aquinate, ac plerisque aliis. Itaque seipsum jugulat novus dogmatistes, dum liberam *volitionem* eam appellat, quæ est deliberata, hoc est ex consilio, et deliberatione profecta. Nemo enim deliberat de eo, quod non potest aliter fieri; nec eligere dicitur, quod neque non velle potest, neque præter hoc aliud potest. Non igitur, quod ipse sibi objecerat, ullo modo dissolvit; neque rationem affert probabilem, qua id explicet, quomodo in potestate sit *actus* ille voluntatis interior, aut ejus domini simus, quem necessario facimus, ut non facere non possimus.

XVI. Quocirca, si quod scripsit, intelligenter, considerateque scripsit, ad tentandam eruditi, ac prudentis lectoris patientiam, credo illud ab eo sæpius ingestum: « Id revera liberum dici, quod facimus, cum volumus; » aut cum ita dicit [2], Tridentinæ synodi verbis istis, quibus decernit, « voluntatem ita consentire, ut possit dissentire, si velit, significari humani arbitrii libertatem. » Sic eamdem indicari, cum dicitur « voluntas posse velle, si velit, posse non velle, si velit. » Tum sic colligit: « Si ergo phrases istæ infallibiliter demonstrant humani libertatem arbitrii, profecto liberum erit arbitrium, etiamsi immutabiliter velit, aut immutabiliter nolit. Facit enim illa, si vult, eodem modo, sicut consentit, si vult. Siquidem omnis voluntatis deliberatæ motus essentialiter quoque talem indifferentiam contradictionis quodam sensu secum trahit. » Quæ verba ambigue, insidioseque concepta sunt; nam *immutabiliter velle* dupliciter intelligitur. Primum quod, antequam vellet, eligeretque, libera voluntas non velle potuit, etsi post electionem immutabiliter velit, libere in eo perseverat; uti Deus mundum libere creasse, et etiamnum creare dicitur, tametsi quod semel decrevit, in eo constanter manet; necnon Angeli, multorum ex opinione, ubi aliquid velle cœperunt, ab eo dimoveri nequeunt, et tamen libere hoc dicuntur agere; quæ libertas non ex præsenti affectu voluntatis, sed ex antecedenti æstimari debet, ut jam supra memoravimus. Alio modo velle immutabiliter aliquid volun-

In quibus Deus liber sit, in quibus non.

a Cyril. lib. VII *in Jul.* Ἆρα γὰρ εἴ τις κοτύλῃ χρυσῇ τὸν ἑλλέβορον ἐγχέας, ἑτέρᾳ γε μὴν οὐ τοιαύτῃ, μᾶλλον δὲ καὶ εὐτελεστάτῃ τὴν ὕλην τὸν τῶν μελισσῶν ἐνετίθει πόνον, εἶτα ῥοφεῖν ἐκέλευεν ἐπ' ἐξουσίας τὸ δοκοῦν· ἆρα ταῖς ὕλαις ἐνορῶν τὴν ἀμείνω ψῆφον ἐδίδου τοῖς χείροσιν, etc.

1 Lib. II *de Or.*— 2 Cap. xxv ejus libri.

tas potest, non consequenti solum, sed etiam antecedenti necessitate ; quæ eadem est, atque immutabilitas; ut cum Deus seipsum vult, aut Spiritum sanctum, vel beati Deum amant. Quæ immutabilitas, quia deliberationem, et electionem funditus excludit, liberi usum aufert arbitrii. Nisi forte de productione Spiritus sancti, quæ infinita propensione, maximeque voluntaria divinæ voluntatis existit, dici hoc potest : « Si vult, vel cum vult, producitur Spiritus sanctus; non producitur si non vult, et cum non vult. »

Indifferentia quid sit juxta novum dogmatistam.

XVII. Ejusdem generis etiam ista sunt[1] : « Si voluntas præsto est, cum volumus, et non præsto est, cum nolumus, ergo libera est nobis. Si vero perpetuo, et stabiliter velit, perpetuo, et stabiliter præsto est, perpetuo, et stabiliter libera est, tantoque liberior, quo magis inseparabiliter præsto est, cum volueris, divinæque, et geminæ voluntatis libertati consimilior. » Ad quæ similis est responsio. Etenim immutabilitas electione, et indifferentia liberæ voluntatis posterior, eamque consequens, libertati non repugnat. Sed antecedens duntaxat usum voluntatis, et electionem, indifferentiamque perimens. Meminisse porro semper illud oportet, *indifferentiam* ab auctore novi dogmatis veteratorie, callideque detorqueri in sensum ab eo diversum, quem statuunt ii, quos contra pugnare vult, nec nisi umbras, ac spectra persequi. Nam quod ab Augustino dicitur, « præsto esse nobis voluntatem, cum volumus, » et ideo in potestate maxime esse nostra, quia fit, cum volumus; ridicule insciteque ad propositum suum trahit illaudati dogmatis patronus. Non enim præsto est, cum volumus id, quod necessario volumus, nec nisi velle possumus; sed quod in potestate est nostra, ut præsto sit, aut non sit, et ut fiat, aut non fiat. Omnino formulæ istæ dicendi, *cum volumus*, et, *si volumus*, non certam, determinatamque necessario rei exstantiam significant, sed contingentem, et quæ pro arbitrio nostro vel esse potest, vel non esse. Nemo id negare poterit, qui communem usum, sensumque consulet; qui autem negat, is non, quod verum judicat, sed quod dicere cogitur, repugnante sua sibi mente, ac ratione dicit, si quam tamen adhuc, quam adhibeat, mentem ac rationem retinet.

XVIII. Observetur et in sequentibus idem ille fucus, ac ludus dogmatistæ nuperi, quem paulo ante patefecimus; qui ut libertatis *indifferentiam* elevet, ejus omissa propria notione, quæ nihil aliud est, quam alterutrius eligendi potestas nulla determinata necessitate, solam nobis intentat « desultoriam volendi inconstantiam, » qua, cum aliquid voluimus, et elegimus, ab eo transimus ad alterum. Hanc enim « perfectioni liberæ voluntatis nihil quidquam conferre dicit; cum sit non libertatis, sed ægritudinis animi certissimum argumentum. » Oriri « quippe ex imperitia rationum, et circumstantiarum omnium, propter quas aliquid prudenter amplectendum est, vel ex inconstantia non perseverandi in eo, quod prudenter amplexi sumus. » Quæ duo vitia procul absunt a Deo, ac beatis, in quibus liberrimum est arbitrium.

Vera indifferentiæ noti

Atqui non est *indifferentia*, de qua hic agimus, in tali sita mutabilitate, et inconstantia volendi. Sed hæc illius est affectio quædam, et conditio, quæ nonnisi hac in mortali, fragilique vitæ sorte in illam cadit. Itaque mutabilitas, ut consilii, sic appetitionis, utriusvis potestatem, et *indifferentiam* arguit; eaque velut fundamento nititur; non tamen indifferentia est illa, quam libertati insitam, et οὐσιώδη esse volumus.

Essential

Nam, quod non solum a bono excidere, quod jam est amplexa, sed etiam, antequam eligat, ei malum anteferre potest voluntas hominis, nonnulla ejus est perfectio, si per se consideretur. Sin autem cum Dei voluntate comparetur, tam nulla perfectio est, quam nihil, id est non ens, creatura est omnis, si cum creatore confertur. Atque hæc velut differentia est εἰδική, id est *specifica* liberæ voluntatis creatæ, posse deficere; *generalis* autem libertatis *ratio*, sive γενικὸς λόγος, divinæ creatæque communis est, ita unum aliquod velle, ac facere posse, ut ejus contrarium velle itidem possit, ac facere.

XIX. Quamvis enim προαίρεσις, et *electio* proprie non est in libero Dei arbitrio, neque βουλή, id est *consilium*, ac deliberatio, ut ex SS. Joanne Damasceno, ac Thoma dixi plus semel, eo quod *omnia nuda et aperta sunt oculis ejus*[2], nec illi obscurum est aliquid ac dubium; inest tamen plena in eo potestas utriusque, quia, quid boni sit in utroque, novit; et rationes omnes intelligentia sua perspicit, ob quas alterutrum posset amplecti. Itaque libere ad unum potius determinat se, quam alterum. Quocirca liberi ratio

1 Ibid.— 2 *Heb.* IV, 13.

in usu, actuque liberæ voluntatis unum quodpiam eligentis, alterum oppositum ex obliquo respicit, quatenus poterat esse, et ideo non est, quia non vult. Quod in iis, quæ necessario voluntas appetit, longe et secus. Cum enim vult, exempli gratia, Spiritum sanctum, non ita vult ut hæc voluntatis operatio, quæ trito nomine *volitio* dicitur, ἀνυπαρξίαν, hoc est *non extantiam* Spiritus sancti respiciat, sive *non productionem* ejus, tanquam δυνατὴν, καὶ θελητὴν, hoc est *possibilem*, et *appetibilem*, sive, ut barbarissantes, dicerent, *volibilem*, non tamen *volitam*; ac tanquam pronuntiari sic possit : Ideo producere Spiritum sanctum, quia vult, cum posset non velle. Etenim terminus oppositus Spiritui sancto, ejusque productioni, quatenus ad Dei voluntatem refertur, non est ullo modo θελητὸς, nec in hoc ferri voluntas illa potest, quia in ejus objecto minime censetur, nec est ulla boni specie perfusum. Itaque antecedenti necessitate determinatur, non solum ad volendum Spiritum sanctum, sed etiam ad nolendum oppositum. Quæ necessariæ voluntatis, sive *volitionis* regula cumprimis notari debet, ut tum necessario voluntas aliquid velle dicatur, cum absolute determinata est, non modo ad volendum illud, sed ad nolendum etiam contrarium, si circa illud agat. Quod quidem per omnia currenti, quæ utcumque necessario dicuntur appeti, verissimum esse constabit. Sic enim, exempli gratia, voluntas quælibet necessario bonum appetit, quia non tantum determinata ad illud est, ut bonum velit, sed ad hoc etiam, ut malum fugiat, et oderit, hoc est, ut, quemadmodum circa bonum in genere, non nisi volendo potest agere; ita neque circa malum aliter, quam nolendo. Sic Angeli, et beati omnes amant necessario Deum, et actu amant, quia non solum amant, verum etiam oppositum ejus, id est *non esse Dei*, oderunt necessario, nec amare possunt. Tantum quippe bonum est Deus, ut nonnisi *actu* amare possit, qui illum perfecte, ut in se est, intuetur, nec possit velle non amare. Quare hoc amore, ac dilectione definita, et circumscripta est illorum voluntas.

Appetibilis.

Angeli et beati Deum necessario amant non libere.

XX. At vero cæteris in rebus, circa quas liberum exercent arbitrium, necessitate nulla determinati sunt; tametsi perfecte sint illis, penitusque cognitæ, et quantum naturaliter cognosci queunt. Exemplo sit Angelorum inter se conflictus ille, qui *Danielis* decimo capite describitur; quos sane de bonorum fuisse numero, plerique veterum existimant, quorum est opinio probabilior[1]. Unus igitur illorum, qui Persis præerat, Judæos in Perside adhuc detineri volebat, dimitti autem et in patriam reverti nolebat; neutrum horum necessario, eo quod quacumque tandem causa movebatur, ut eos moras illic agere vellet, non ea necessario determinabat illius voluntatem sic, ut ei oppositam, qua Angelus alter cum Michaele, ut abire vellet, impellebatur, nonnisi detestari et odisse posset. Sciebat enim, non eam absolute malam esse, sed aliquam in ea inesse boni rationem, propter quam a collegis suis merito posset expeti, quos utique noverat non male agere, neque malam rem cupere. Itaque, cur e duobus bonis, alterum isti, alterum sibi ille potius elegerit, nulla, quod ad voluntatem attinet, causa fuit necessario determinans, sed sola libera voluntas, quam et princeps Persarum subinde mutavit; et id, quod aversabatur antea, ultro amplexus est, postquam id esse Deo gratius, ac proinde melius intellexit. Sic ergo « ineffabili modo de actibus suis æternam veritatem tanquam legem incommutabilem consulunt, » ut ait Augustinus[2].

In cæteris liberum exercent arbitrium.

XXI. Atenim beatorum affectum illum, ac voluntatis impulsionem, qua in amorem Dei rapiuntur, non ideo liberam non esse dogmatistes novus asserit, quod ab eo cessare, ac desistere nequeunt, tanquam « nescio quo pondere libertatem eorum præpediente, » ac velut naturali necessitate trahantur; hoc enim duplici responsione dissolvit. Prima est, « abruptionem, seu cessationem illius voluntatis esse in potestate, quia fit, cum volunt. Sed si non velint, defectus oritur ex voluntate, non potestate. » Verum inepta est, et frigida hæc falsitatis apertæ defensio; non enim in potestate id est alicujus, quod non potest facere. Beati porro voluntas, quandiu summo bono, ac fine ultimo fruitur, nunquam ab amando cessare potest; quippe non potest id facere, cujus faciendi causam nullam habere potest. Non potest autem ulla esse desistendi causa, quia ubi ratio nulla boni est, ibi voluntas agere nequit. Nulla autem in cessatione ab amando Deo causa potest esse; siquidem nolle Deum amare clare, et ut est in sese cognitum, extra voluntatis est objectum, sicut non bonum, aut malum. Pessime itaque dicitur,

Dogmatistæ inepta exceptio.

1 Vide lib. *de Ang.* II, c. VII.— 2 Aug. in *Psal.* LXXVII sub. fin.

abruptionem, ac *cessationem* ab amore Dei fieri, cum volunt beati; nunquam enim velle possunt, ideoque facere nequeunt; ac perinde faciunt, qui sic loquuntur, ac si dicerent, voluntatem posse malum, qua est malum, appetere, quia, cum vult, appetit. Quod si instares: Atqui non potest velle; responderent: Et ideo non posse appetere, quia non vult. Ut enim sophistice cavillaretur, qui sic diceret; ita nostri, qui, quod velle nullo modo possunt beati, id, cum volunt, dicunt illos facere.

XXII. Altera est responsio: Omnem voluntatis motionem « ex aliqua delectatione proficisci, sine qua præeunte esse non potest; » atque ita « stabilitatem voluntatis ex eadem delectatione nasci. Quo enim vinculo voluntas primo in objectum amandum figitur, illo eodem nectitur, et ita alligatur, ut neque ad momentum abrumpi, aut diverti velit. Hoc autem non impedit, inquit, sed provocat, et efficit arbitrii libertatem. Non enim est impetus voluntatis extraneus, sed ejus naturæ consentaneus. » Sed in eo errat antistes præposteri dogmatis quod ita ratiocinatur, tanquam omnis adhæsio voluntatis ad rem amatam, quæ summa cum delectatione fit, libera sit eo ipso, quo est voluntaria. Quod non ita se habet; nam, nisi prima illius appulsio ad rem expetitam ex electione fit, non est libera, neque in potestate sita voluntatis, quæ deinceps sequitur, hujus cum illa copulatio. Atque, ut est dogmatistæ ratio, oporteret, initium amoris in beatis ex judicio, ac delectu ortum habere. At hoc fieri nequit; siquidem electio nonnisi eorum est, quæ sunt ad finem, et *media* vocantur, ut ex Aristotele Christiani omnes docent philosophi pariter, ac theologi, quod in tertio libro monstravimus. Amor autem beatorum, cum in summum bonum, ac finem ultimum feratur perfecte, et cujusmodi in se est cognitum, non ex electione oritur, adeoque nec a libero arbitrio, cujus propria est electio.

CAPUT XIII.

De novis dogmatibus tam super arbitrii libertate, quam cæteris, facultatis theologicæ Parisiensis judicium.

Habes, erudite lector, tribus libris explicatam disputationem de arbitrio libero, quæ huic opposita parti est nuperæ doctrinæ, quam ex Luthero, Calvino, et similibus haustam, interpolare modo Catholici quidam, et in usum revocare christianæ theologiæ conati sunt. Superest, ut ad eam velut obsignandam lucubrationem nostram, gravissimum adjungamus theologicæ facultatis Parisinæ judicium, quod de iisdem illis dogmatibus fecit, ante annos tres et octoginta, cum ea Lovanii primum audiri cœpissent, tam videlicet de humani arbitrii libertate, quam de cæteris, quæ suo loco reservamus. Quæ cum omnia *falsa*, *hæretica*, *erronea*, *perniciosa* celeberrimus toto orbe doctorum conventus ille pronuntiarit, mirum est, per certos homines in ejusdem Parisiensis Academiæ sinum, et gremium importari modo damnatos ab ea, ac tanta infamia notatos opinionum errores, sic tanquam peregrina merces pestilenti afflatas halitu, imo vero eosdem propugnari publice, ac doceri. Hujus ego *Censuræ*, ut vocant, apographum nactus, posteaquam cum actis, quæ in ejusdem facultatis tabulario servantur, diligenter conferri curavi, exhibere hic tibi operæ pretium duxi, eadem, qua in actis illis exstat, formula, iisdemque verbis.

Anno Domini 1560 die 27 Junii, die Jovis. Facultas Theologiæ Parisiensis edidit censuram sequentem ad instantiam fratrum Petri de Quercu, et Ægidii de Querceto conventus Nivellensis, et Athiensis respective Gardianorum.

Censura in Propositiones quasdam Joannis de Lavanio, alias Hessels, et Michaelis Baii.

Propositio I. « Liberum arbitrium hominis non habet potentiam ad opposita, nec ei convenit ea potestas ex ipsius intrinseca et naturali ratione. »

Censura. Prima pars hujus propositionis est hæretica; secunda falsa, et morali philosophiæ adversa.

II. « Libertas et necessitas eidem conveniunt respectu ejusdem, et sola violentia repugnat libertati naturali hominis. »

Censura. Hujus propositionis prima pars includit contradictionem, et est hæretica; secunda est falsa.

III. « Liberum arbitrium sua ratione intrinseca non habet, ut ex se, aut a se efficiat actum liberum. »

Censura. Hæc propositio falsa est, erronea, et perniciosa.

IV. « Liberum arbitrium non potest ex se nisi peccare, et omne opus liberi arbitrii sibi dimissi est peccatum mortale, aut veniale. »

Censura. Hæc propositio pro utraque parte est hæretica.

V. « Homo faciendo, quod in se est, peccat, et non potest non peccare faciendo, quod in se est. »

Censura. Tota hæc propositio est hæretica.

VI. « Posse peccare non est de ratione liberi arbitrii hominis, nec hujusmodi potentia peccandi homini a Deo data est. »

Censura. Hujus propositionis prima pars est falsa, secunda hæretica.

VII. « Liberum arbitrium hominis non potest absque speciali gratia vitare peccatum; hinc fit, ut omne opus hominis pure infidelis sit peccatum. »

Censura. Hujus propositionis secunda pars et falsa, et male infertur ex præcedenti.

VIII. « Liberum arbitrium libere vult, quidquid sponte, sive voluntarie vult, ita ut, quod necessario vult, idem libere velit. »

Censura. Hujus propositionis secunda pars implicat contradictionem, et est hæretica.

IX. « Hæreticus, schismaticus, et homo non pure infidelis, meretur quandoque de condigno vitam æternam. »

Censura. Hæc propositio plane est hæretica.

X. « Homo existens in peccato mortali, sive ejus reatu ad æternam mortem, habet in se charitatem. »

Censura. Hæc propositio plane est hæretica.

XI. « Per contritionem, non adhibito realiter Sacramento Baptismi, aut Pœnitentiæ, non dimittitur peccatum extra casum martyrii, aut necessitatis. »

Censura. Hæc est hæretica.

XII. « Peccator si facit, quod mandatur, per contritionem, et confessionem factam sacerdoti, non illi remittitur peccatum, nisi sacerdos absolvat, etiamsi per malitiam sine ratione illi deneget absolutionem. »

Censura. Hæc propositio est hæretica.

XIII. « Non sine Pelagiano errore admitti potest, ante primam justificationem in homine, liberi arbitrii bonus usus; et qui se ad eam præparat, peccat, ut is, qui pessime abutitur suis bonis naturalibus. Nam ante eam omnia sunt peccata damnatione digna. »

Censura. Hæc propositio pro omnibus partibus est hæretica.

XIV. « Non datur gratia nisi reluctanti; nec proinde prima justificatio, quæ justificatio est ipsa fides; fides enim est, quando ex impio fit quis justus. »

Censura. Propositionis hujus duæ priores partes sunt hæreticæ, tertia est falsa.

XV. « Homo necessario peccat, etiam damnabiliter in aliqua specie peccati; et actus, ad quem necessario fertur, est illi peccatum; quare, ut libere feratur in actum, non est conditio necessaria ad peccatum. »

Censura. Hæc propositio pro omnibus partibus est hæretica. »

XVI. « Nemo, præter Christum, est absque peccato origali; hinc B. Virgo mortua est propter peccatum, quod contraxerat ex Adamo; omnesque illius in hac vita afflictiones, sicut et aliorum justorum, ultiones sunt peccati originalis vel actualis. Unde et Job passus est, et martyres propter sua peccata. »

Censura. Hæc propositio pro omnibus partibus est hæretica, et B. Mariæ Virgini Dei genitrici, et sanctis injuriosa.

XVII. « Omnia in gloriam Dei facite, et dico vobis non resistere malo, sunt simpliciter ut præcepta accipienda. »

Censura. Hujus propositionis posterior pars, ut jacet, est falsa.

XVIII. « Omne opus bonum est meritorium vitæ æternæ quod si aliquod remuneretur temporaliter tantum, non dignum vita æterna, illud malum est quia nullum est opus meritorium nisi vitæ æternæ. »

Censura. Hæc tota propositio repugnat sacræ Scripturæ.

In his capitulis omnia illa dogmata continentur, quæ ab novo dogmatista nuper instaurata, et ab incuriosis hominibus majore, quam cautos, ac pudentes decet, excepta studio, ac vulgata sunt. Quæ cum hæretici erroris nota ejusdem decreto Academiæ pridem inusta sint, spero illos, qui intermortua ista, et enecta revocare ab inferis ausi sunt, non dissimilem propediem habituros sui

conatus exitum ; necdum enim celeberrimam illam Academiam decreti sui, ac judicii pœnitere, præsertim cum aliquot ante sæculis illa ipsa de libertate opinio erroris ab hac eadem Academia damnata sit sub Stephano episcopo. De quo vide articulos Parisienses, qui tomo IV *Bibliothecæ Patrum* leguntur, et in calce Magistri Sententiarum, capitulo tertio, quod est de voluntate, sive libero arbitrio. *

* Multi post Petavium insignes viri in hoc argumento, quod ille tribus superioribus libris doctissime persecutus est, sunt cum laude versati, ut Tournely, Cameracensis archiepiscopus, de Champs in egregio opere *de hæresi Janseniana*, et Maffeius in *Historia Theologica*. Utinam tam certa, tam explorata, tam inconcussa de libertate indifferentiæ doctrina acerrimum non invenisset paucis ab hinc annis adversarium P. Migliavaccam! Non ille libertatis monstrum Italis obtrusisset non sine horrore a catholico homine conspiciendum. Verum satius est, pro eo scriptore Deum optimum orare, quam illum fusiore calamo refellere. Abunde ejus paradoxa, ne quid gravius dicam, confutavit Marchio Maffeius. Z.

APPENDIX

AD LIBRUM II

DE OPIFICIO SEX DIERUM

SEU

R. P. ANTONII CASINI

E SOCIETATE JESU

CONTROVERSIA DE STATU PURÆ NATURÆ.

MONITUM.

Controversiam de statu puræ naturæ, nisi mors intercessisset, tractaturus procul dubio erat Petavius in libris *de Gratia*, quos quum non perscripserit, rem gratam facturum me lectoribus puto, si eruditissimas, atque oppido raras P. Casini de hoc argumento disputationes hic iterum excudendas curavero. Locus hic certe illis peropportunus est, postquam de eximiis protoparentis nostri dotibus egit noster Petavius. Eo autem libentius illas exprimi rursus typis volo, quod in Petavii elogio dixi, P. Casinium de continuando Petaviano opere cogitasse. Id enim erit veluti specimen ingenii, atque eruditionis, quam ad id operis collaturus erat vir doctus. Disputationes istæ Emin. Cardinali Melchiori de Polignac inscriptæ prodierunt primum Romæ 1724, 4 ad linguarum Hebraicæ, et Græcæ exercitationem adhibendæ.

F. A. ZACHARIAS.

DE STATU PURÆ NATURÆ

CONTROVERSIA.

Duo sunt, omnium sententia, quibus puræ naturæ status comprehenditur, et continetur. Negans est alterum: siquidem natura *pura* ea dici non potest, quæ supra id omne, quod exigit, et suo sibi quasi jure vendicat, aliud fert quidpiam, sive isthuc bonum sit, sive malum : sive gratia, sive peccatum. Alterum vero est affirmans : natura enim pura quæ esset, esset eadem ab omnibus suis proprietatibus, et facultatibus rite parata, et instructa. Ex utroque igitur aptam rei hujusce notionem informo : eamque dico naturam puram, quæ id habet et omne, et solum, quod sibi debetur. Quo facile agnosces, statum puræ naturæ medium esse inter statum originariæ justitiæ, in quo est conditus, et statum peccati, in quem lapsus est homo : medium, inquam, esse, remotis utrimque extremis : ita ut, in eo statu si foret, neque illam sanctitatem haberet, qua præditus erat in primo ;

neque reatum illum, quo obstringitur in secundo.

Medium hunc naturæ statum possibilem negant hæretici, ut scribit Bellarminus lib. *de Gratia primi hominis* cap. v. Ducit agmen Lutherus, qui in cap. III. *Genes.* « non solum in hominis natura, sed etiam in diabolo naturalia mansisse integra, » et falsum putat, *et Scholasticorum delirium* dicit. Ille quidem more suo : qui, quod adversus ipsius errores docet ecclesia Catholica; id omne Scholasticos delirasse clamitat. Subeunt deinde Calvinus lib. I. *Inst.* c. XV, §. 1 et 4. Chamierus tom. III, l. X, c. XVII. Maresius, in suo *Cathechismo* q. III aliique complures ejusdem sectæ, et sacramenti.

Hanc heterodoxorum opinionem primus in catholicas scholas invexit Michael Baius doctor Lovaniensis, sacrarum litterarum, ac theologiæ professor regius, idemque Lovanii, in ecclesia S. Petri decanus, vir ipso, etiam Romanorum Pontificum testimonio, spectatæ probitatis, et doctrinæ : nunquam tamen Christianæ cum sapientiæ, tum pietatis laude major habendus : quam, cum Romano pontifici, ut par erat, obsequentem se præbuit, erroresque suos, Francisci Toleti opera, sibi detrahi passus est, imo et palam ipse damnavit.

Verum præsto fuit Cornelius Jansenius Iprensis episcopus, qui, quos Baius abjecit errores, avidissime statim arripuit : atque hunc nominatim, de quo nobis est sermo : quem tribus etiam integris libris, quantum facere, enitique potuit, acerrime propugnavit. Subscripsere Jansenio, atque hanc præcipue opinionem defendunt Macharius Havermans tract. II, *Tyrocin.* c. VII. §. unico n. 50 Laurentius Neessen *de actib. human.* tract. XVI dub. 3. Egydius Gabrielis in *moral. Christ.* §. 72, aliique non pauci aut Jansenii asseclæ aperti, aut ejus doctrinæ, catholico homini quantum jam non licet, addicti.

Adversus hos omnes instituta mihi præsens est controversia de statu puræ naturæ : quæ quoniam in eo tota vertitur, ut statuatur, quænam sint hominis, ut homo est, propriæ opes, et facultates; eam, pro duabus iis partibus, quibus puræ naturæ statum initio distinxi, altera quidem negante, altera vero affirmante, in duas itidem quæstiones divido : quarum prima removeat ab homine, quæ ipsi, supra propriam ejus conditionem adversarii tribuerunt : contra vero secunda restituat, quæ eidem sunt ab iisdem violenter detracta.

Et primæ quidem quæstionis erunt articuli septem : quæritur enim

I. Utrum homini, ut homo est, sejuncta gratia, et peccato, bona illa generatim, atque universe debeantur, quibus, delicto primi parentis, excidimus.

II. Idem quæritur particulatim de Immortalitate.

III. De vacuitate doloris.

IV. De Ἀπαθείᾳ, hoc est, ut vertit Hieronymus, *de Imperturbatione.*

V. De perfecta juris naturalis notitia.

VI. De sanctitate, aliisque bonis ei proxime adnexis.

VII. De cœlesti beatitudine.

ARTICULUS I.

Utrum homini, ut homo est, amota gratia, et peccato, bona illa generaliter debeantur, quæ Adæ culpa perdidimus.

DISPUTATIO AB AUCTORITATE.

§. I.

Augustino duce, ii se pugnare gloriantur, qui hæc aiunt homini, ut homo est, universa deberi : ex eoque potissimum proferunt quod cap. XXVII *de Sp. et lit.* n. 47, scripsit in hæc verba : « hoc agit Spiritus gratiæ, ut imaginem Dei, in qua naturaliter facti sumus, instauret in nobis. »

Secundo nobis objiciunt Leonem, et Prosperum : quorum primus serm. I *De jejun.* imaginem Dei primo homini impressam, « naturalem vocat nostri generis dignitatem : » Alter in *Collat.* « Naturaliter Adam percepisse » dicit, quæ deinde sunt, ipsius culpa deperdita.

Tertio D. Thomam, qui I p. qu. LXII art. VI gratiam docet Angelis collatam, pro gradu, modoque naturæ.

§. II.

Ego vero contra hos primum statuo quod est *Gen.* I, 26. נעשה אדם בצלמנו כדמותנו, hoc est, ut vertit vulg. interpres, *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram.* Patrum enim plerique tum Græci, tum Latini magnum inter צלם *imaginem*, et דמות *similitudinem*, discrimen agnoscunt, et vim subjici aiunt iis vocibus plane diversam : sic

nempe : ut homo ex iis, quæ naturalia, ipsiusque propria sunt, dicatur ad imaginem Dei: ex iis vero, quæ supra ipsius naturam sunt, eique non debentur, dicatur ad similitudinem. Hi legendi præcipue, atque iis in locis, quorum sola initia libelli angustiis exclusus exhibeo. Methodius in *Conv.* « Indigebat enim secundum imaginem Dei factus, quod secundum illius similitudinem erat accipere. Idque cum perficere, absolvereque missum esset Verbum in mundum prius formam nostram... Ut nos, ob quos ipse nostram induit, divinam rursus capere possemus, » Paulinus ep. II *ad Sev,* « ut vere ad originalem gloriam reformemur, si divinam similitudinem Christi imitatione capiamus : nam in Adam solam nobis imaginem remansisse. » etc. Anastasius Sinaita l. VI *Anag. contempl.* « Id quidem, quod est ad imaginem Trinitatis in essentia animæ nostræ omnes homines habemus similiter : id autem, quod est ad similitudinem, ii soli habent, qui gratia, » etc. Maximus cent. III, n. 25. « Secundum imaginem quidem Dei est omnis natura rationalis, secundum similitudinem vero tantum boni, et sapientes : illud secundum naturam, hoc ex gratia, » etc. Rupertus l. II. *de Trinit.* c. III. « Dum dicitur ad imaginem, et similitudinem nostram ; ad imaginem videlicet, ut sit rationalis ; ad similitudinem nostram, ut rectus sit sectando justitiam Dei. Horum altero, scilicet rationalitate, carere non potest : alterum id est, divinæ rectitudinis, vel justitiæ similitudinem, nisi per gratiam assequi non potest. » Bernardus serm. I *de Annunt.* « Ad imaginem nempe, et similitudinem Dei factus est homo; in imagine arbitrii libertatem, virtutes habens in similitudine. Et similitudo quidem periit, verumtamen in imagine pertransit homo. » etc. Nobis præterea militare dico quod est *Job.* VII, 17 et *Psalm.* VIII, 5, מה־אנוש. *Quid est homo*, etc. Quodque *Eccl.* XVII, 1 et 2. *Deus creavit de terra hominem, et secundum se vestivit illum virtute.* Atque ex Nov. Test. quod est *Luc.* X, 30 *homo quidam*, etc. *incidit in latrones, qui etiam dispoliaverunt eum*, etc. Quo in loco sermonem esse de indumento gratiæ, quod Adam supra naturæ suæ conditionem acceperat, diserte testantur Patres omnes : præcipue vero Ambrosius *Com.* l. VII. « Qui sunt isti latrones, nisi Angeli noctis, atque tenebrarum... Hi autem despoliant quæ accepimus indumenta gratiæ, » etc. et lib. *de El. et jejun.* « opertus erat Adam virtutum velamine, » etc. Chrysostomus hom. XVI *in Gen.* « Gloria, quæ superne venérat, vestiti, » etc. hom. XVII « nudati supernæ gratiæ amictu, » etc. Augustinus *de civ.* l. III c. XIII. « Postea quam præcepti transgressio facta est, confestim gratia deserente divina, etc. et l. IV *cont. Jul.* c. ult. n. 12. « peccato nudatum quod gratia contegebat, » etc. Denique Cyrillus l. I *de ador.* « Formata illa massa ineffabili virtute animata fuit ; et evestigio Spiritus Sancti munere decorata, » etc. l. I *in Jo.* c. IX « participatione luminis splendet supra naturam suam glorificantis Dei gratia, et variis donorum ornamentis ascendens... Misericors enim Dominus est, qui creaturam parvam, atque abjectam secundum naturam, magnam, atque mirabilem sua effecit bonitate, » etc. XIV, « humilitatem naturæ suæ deposuerunt, et honorantis Christi gratia, quasi splendida induti purpura ad supernaturalem dignitatem ascendunt, » etc. Itemque alii plurimi, qui indumento comparant dona gratiæ, quibus ornatus est primus homo : ut est apud *Esai.* LXI, 10 : *induit me vestimento salutis, et indumento justitiæ* בגרי־ישע מעיל צדקה. Quem in locum vide Bernard. serm. I *de Annunt.*

A nobis itidem esse aio Roman. pontifices Pium V, Gregorium XIII, Urbanum VIII, a quibus omnibus confixa est Baii thesis illa, « Deus non potuisset ab initio talem hominem condere, qualis nunc nascitur : » et Clementem XI a quo confixa est alia Quesnelli ; « Gratia Adami est sequela creationis, et erat debita naturæ sanæ, atque integræ. »

Denique doctrinam nostram, quam Jansenius in Ecclesiam recens invectam criminatur, sæculorum omnium suffragio, assensuque comprobo. Legendi præcipue hi Patres, quos hic adteximus, atque iis saltem in locis, quorum notamus initia. Dionysius Areopagita cap. IV *de div. Nom.* « Neque dicimus Angelicas dotes fuisse unquam immutatas, » etc. Tum super his Marsilius Ficin. in com. et D. Thom. p. I, q. XCV, a. 1 *de resur. Mor.* « Hominem ex anima immortali, » etc. Origin. hom. IV *in Lev.* ex iis, quæ inter opera S. Cyrilli circumferuntur. « Et vis videre majus aliud depositum, » etc. Athanasius disput. I *cont. Gent.* « Sed possidens donatoris sui gratiam, » etc. et disp. II « ex negligentia tantæ ipsis impensæ gratiæ, » etc. Basil. Magn. serm. *de Instit. Mon.* « Homo ad imaginem et similitudinem, » etc. Greg. Naz. or. XL. « Secundum lumen est Angelus, » etc. et orat XXXIV. « robore non modo naturali, sed etiam adventitio, » etc. Macarius sen. hom. XII,

« Adam transgressus, » etc. » et hom. XXIX, « tam secundum gratiam, et donum cœleste Spiritus, quam secundum naturalem, » etc. Gregor. Nyss. *de Beat.* cap. III, « Boni hujus, quod comprehendi,» etc. et cap. VI « tale bonum statim ita naturæ nostræ, » etc. Ambrosius *Hexaem.* l. VI, c. VII, « Illa est plena sapientiæ, » etc. *de Parad.* c. XIV « Adam ubi es, » etc. *De Noe, et Arca* cap. XXX. « Nec Adam in Paradiso, » etc. S. Epiphanius hær. LXIV, « Dona per gratiam homini data, etc. non secundum naturam, » etc. et hær. LXX, « Qui per gratiam largitus est homini, » etc. Philo Carpat. ep. *in Gen.* « Creatus est homo, » etc. Joh. Chrysost. in c. XVII *Gen.* hom. XXXIX, « Dominus naturæ opifex potens dare ea etiam, quæ supra naturam, » etc. Hieronymus l. I *in Esa.* « Nec naturæ tantum bonum,» etc. et in cap. III Oseæ « Dæmones nihil antiquæ gratiæ possidentes, » etc.

Augustinus gratiæ nomine significari negat, « in ullis legitimis, propheticis, evangelicis, apostolicis libris, sive naturam, sive aliquid ipsi adnexum : cujusmodi est vivere, sentire, intelligere, » etc. vide epist. CLXXVII *ad Innocen.* n. 7 et 8, « et si quadam non improbanda ratione, » etc. epist. CXCIV *ad Sixtum* n. 8. Abjiciatur « a Christianorum cordibus ista fallacia, nam omnino non istam gratiam,» etc. et lib. *de Gratia, et lib. Arb.* cap. XIII, n. 25. « Pelagiani ausi sunt dicere gratiam esse naturam, » etc. Ipse autem Augustinus *gratia* ditatos primos homines dicit pluribus in locis, imo, et *magna gratia* lib. IV *con. Julian.* cap. X, n. 81, consequens est igitur, s. doctoris sententia, aliquid superadditum fuisse primis hominibus, quod naturæ, ac beneficio creationis adnexum non esset. Quid cum in Angelis naturam a gratia tam aperte distinxit ? sic enim ait lib. XII, *de Civ.* c. IX. n. 2, « simul eis, et condens naturam, et largiens gratiam.» Quid, quod addit ? « aut minorem acceperunt divini amoris gratiam quam illi, qui in eadem perstiterunt. » Et illud, « confitendum est igitur cum debita laude Creatoris non ad solos sanctos homines pertinere, verum etiam de sanctis Angelis, » qui nunquam fuerunt in statu naturæ lapsæ, « posse dici, quod charitas Dei diffusa sit in eis per Spiritum s. qui datus est eis. » *Confess.* quoque l. XIII. c. II, n. 2. actionem distinguit qua creatura intelligens condita est, ab ea, qua gratiæ donis ornata est : de ipsa quoque dicit cap. III, n. 4. « sicut non te promeruerat, ut esset talis vita, quæ illuminari posset, ita nec, cum jam esset, promeruit te, ut illuminaretur. » Quo in loco non excluditur meritum duntaxat ortum ex libera quapiam actione laudabili ; sed etiam exigentia, ut aiunt, atque jus omne naturæ. Non solum enim ad istiusmodi jura, desideria, appetitionesque naturæ meriti nomen traducit aliquando Augustinus ; sed ita etiam usurpat meram aptitudinem, habitudinemque subjecti ad formam aliquam recipiendam. Sic lib. III, *de lib. Arb.* c. XXIV, num. 27, « rationalis natura tanquam meritum est præcepti accipiendi, » etc. sic lib. IV, *c. Jul.* c. III, num. 15, « neque enim gratia Dei, etc. lapidibus, aut lignis, pecoribusque præstatur ; sed quia imago Dei, meretur hanc gratiam. » Quodque Jansenianos maxime ferit cont. II, epist. *Pelag.* l, II. c. II, n. 3. « meritum naturæ bonæ a merito voluntatis bonæ » distinguit : et alterutrum qui propugnent, ab iis dicit, « mercedem non imputari secundum gratiam, sed secundum debitum. » Uti etiam rationem omnem gratiæ tolli ait c. VIII *de dono Pers.* n. 19. si *duæ* statuantur *naturæ*, quarum alteri perseverantiæ donum debeatur. Sed de his alibi : ad rem præsentem ultimo affero quod est lib. VIII *de Gen. ad lit.* ubi duplicem circa hominem quoque Dei actionem, atque curam distinguit, et qua factus est homo, et qua factus est pius, et sapiens: legantur cap. X, XI, XII.

Post Augustinum Claudius Victor : « jam tum largitio pura, non merces, » etc. Hesychius cent. I, « Non potest anima præferre imaginem Dei, nisi gratuita. » etc. Cyrillus Alexand. *Thes.* IV, I : « Non potuit homo ad imaginem esse Creatoris, nisi Spiritu sancto participaret ; » Similiter lib. *de ador. in Spir.* « dono Spiritus statim ornabatur : non enim aliter divinæ imaginis capaces sumus. » Item « At ubi Deo conditore, » etc. lib. II. *con. Jul.* « ridet audax ille, et parvi pendit, » etc. Theodoretus orat. X *de Prov.* « Tanta primi illius exemplaris, » etc. Arnobius Junior lib. II. « Hominem nobilissimam Dei fabricam, » etc. S. Leo serm. III *de Nat.* « Qui in forma Dei fecit hominem, » etc. Claudianus Mamercus lib. III *de statu An.* c. VI. « Diabolus postquam hydrope, » etc. Gelasius Cyzicenus p. 2 *act. Conc. Nic.* c. XVI, n. 101. « Illud ad imaginem o philosophe » etc. Julianus Pomerius lib. II *de Vit. contemplat.* c. XVIII. « Quod si primus homo voluisset, » etc. Fulgentius *de Trinit,* c. VIII. « Excellentiorem, ac primam in Creaturis, » etc. lib. III *de verit Præd. et Grat.* c. XVII. « Minorem habuit gratiam, »

etc. serm. II *de dupl. Nat. Chr.* « Perdidimus gratiam priorem, » etc. Junilius *in Gen.* I 26. « et adhærens gratiæ sui Conditoris » etc. Greg. Mag. lib. XXXII in *Jobi* cap. XII, n. 39. « Dei eo ipso similitudinem perdidit, » etc. Isidorus Hispalensis lib. I, *sent.* c. XII. « Prævaricatores Angeli, » etc. Beda tom. VIII *de templ.* c. XIII. « Naturam eorum conditor, » etc. Joh. Damascenus lib. II *de Fid.* c. III « luminis, Gratiæque participes, » etc. cap. XI « cujus gratia circumvestitus, » etc. cap. XXX « divinam ei gratiam impertiens, » etc. Paschasius Ratbertus lib. III *in Math.* « non ex proprietate sui, sed ex gratia, » etc. Anselmus cant. *de conc. Præsc.* q. I, c. VI. « Non est naturalis, sed fuit separabilis, » etc. *de casu diab.* c. I « non solum homini, sed et Angelo, » etc. *de pec. Orig.* « in tanta gratiæ altitudine positus, » etc. hom. VIII in *Luc.* n. 6 « per gratiam, quam postea peccando, » etc. Rupertus *in Gen.* c. VI « perdiderat illius similitudinis gloriam, » etc. Bernardus lib. V *de consid.* c. V « hæc omnia contulit eis, » etc. serm. I *in Annunt.* n. 7. « Similitudo quidem periit, » etc.

In hac sententia sunt scholastici omnes, S. Thomas *quod* l. 1, a. 8. « Possibile fuit Deo, ut hominem faceret in puris naturalibus, » in I dist. XXXI, 9, 1, a. 2, ad. 3. « Poterat Deus a principio, » etc. Sed D. Thomæ, ac reliquorum scholasticorum loca recenset accuratissime Joh. Ripalda tom. III disput. VIII, sect. 1, illum adi.

§. III.

Itaque, ad primum respondeo, Augustinum Dei imaginem, ad quam factus dicitur homo, ponere *in mente ipsa, et ratione, qua antecellimus.* Constat id ex iis quæ scribit l. V *de Gen. ad lit.* c. XII, lib. XII *de civit.* c. XXIII, lib. XXIV *cont. Faust. Man.* c. II, lib. XV *de Trin.* c. III *in Ps.* XXIX, etc. præterea eumdem sanc. doctorem imaginis hujus perfectionem atque excellentiam ponere in aliquo superaddito, atque « in Spiritu mentis impresso, quod Adam perdidit per peccatum. » Constat id ex iis præcipue, quæ scribit *Retract.* l. I, c. XXVI, l. I *de Gen. con. Manich.* c. XVIII, n. 29, l. VI *de Gen. ad lit.* c. XXIV, c. XXVI, c. XXVII *in Psalm.* IV, 7 *in Psalm.* LXVI, 2 hoc autem superadditum, quod perdidit Adam, ab eodem S. doctore sæpissime appellari, *Gratiam*, notissimum est : præcipue vero ex lib. XIII *de civit.* cap. XIII, lib. XI *de Gen. ad lit.* cap. XXXI et XXXII, lib. IV *con. Jul.* cap. ult. lib. *de Cor. et gratia* cap. XI. Ex quibus omnibus clare apparet, quod ait loco nobis objecto, « Spiritum Gratiæ instaurare imaginem Dei, in qua naturaliter facti sumus, » nihil nobis officere; qui tametsi dona illa, quæ nobis reddit Spiritus gratiæ, homini, ut homo est, non deberi contendimus; ea tamen esse dicimus, quæ naturales hominis facultates maxime perficiant, atque eas præcipue, quibus in se ipso exprimit imaginem Dei. Quod si velis adverbium illud, *naturaliter* non supra mentem, cæterasque naturales facultates, quæ perficiuntur gratiæ donis; sed supra id ipsum cadere quod nobis reddit Spiritus gratiæ, atque hic vocari imaginem, quod Augustinus alibi significat tanquam perfectionem imaginis; illud idem hic respondeo, quod

Ad secundum, nempe ab aliquibus Patribus dona gratiæ primo homini collata, *naturalia* nuncupari aliquando : non quod gratuita tunc quoque, non quod plane supra hominem non essent; sed quod homini ab initio, et a primo humani generis ortu, una cum natura, attributa forent, unaque cum eadem natura, ac fere ad modum naturæ forent in posteros propaganda. Deinde quod eadem ex sese naturæ sunt maxime consentanea, eamque apprime juvant, atque perficiunt. Postremo quod aliena non penitus sunt a natura rationis participe, ut a natura brutorum. Illa enim ex sese Divinorum est capax : iisque ditatur supra quidem, quam petat, non vero supra quam ferat ipsius conditio : ut enim habet Augustinus *de Præd. sanct.* c. VI, n. 10 « posse habere fidem, sicut posse habere charitatem naturæ est hominum. » Cæterum si Patres hos aliter interpreteris, non magis nobis, quam sibi ipsis feceris inimicos.

Ad tertium respondeo D. Thomam loco nobis objecto pro nobis aperte pugnare : ibi enim disertissime dicit, « Angelos indiguisse gratia, ad hoc quod converterentur in Deum, prout est objectum beatitudinis supernaturalis... Angelos in gratia creatos, et hanc sententiam sanctorum dictis magis consonam, ac præcipue Augustini, » cujus testimonium exhibet ex cap. IX, lib. XII *de civit.* Atque ibi quidem docet, Angelos gratiæ donis instructos ad mensuram naturalis perfectionis; verum ipsorum naturæ jus ad ea bona adeo nullum concedit, ut potius liquido neget, sic enim habet. « Ad primum ergo dicendum, quod

sicut gratia est ex mera Dei voluntate, ita etiam et natura Angeli. Et sicut naturam Dei voluntas ordinavit ad gratiam, ita et gradus naturæ ad gradus gratiæ, » nullo scilicet compulsus debito, sed liberali, ac benefica voluntate distribuit Angelis, prout voluit, gratiæ bona; quæ gratia, si fuissent ex debito, non recte dicerentur.

DISPUTATIO A RATIONE.

§. IV.

Baius quidem quod ad hunc articulum attinet, ea se ratione præcipue tuebatur; modo quidem supra naturam hominis esse bona illa, quibus excidimus, quia nempe culpa nos fecit indignos. Cæterum pœnas quæ *Gen.* III recensentur, *in dolore paries*, etc. *in laboribus comedes*, etc. *in sudore vultus tui*, etc. in jactura bonorum naturalium positas esse omnes, atque intra naturæ fines contineri.

Jansenius vero eo potissimum nititur; bona illa, etsi deberentur homini, ut homo est, recte tamen dici potuisse *et supernaturalia*, quod scilicet naturæ vires superarent :

Et *gratiæ dona*, propterea quod ratio doni gratuiti excludit quidem morale debitum operum, seu meritorum, non vero physicum naturalis appetitus, atque exigentiæ.

§. V.

Sententiæ nostræ, quoniam sacra auctoritas eam plane indubitabilem facit, rationes hic tres duntaxat afferimus. Primum : Non ita Deus, quæ præsens est ejus providentiæ ratio, cum hominibus agit, ut, qui graviter deliquerint, iis continuo linguæ, aut oculorum usum eripiat, aut aliam adimat naturalem facultatem. Spoliantur ii quidem illico gratia sanctificante, virtutumque habitibus eidem gratiæ annexis : quæ vero propria hominis sunt, naturæque humanæ per se debentur, ea retinent omnia. Cum constet igitur Adæ crimine, quod, etsi nos omnes singulatim afficiat, et unicuique proprium insit; minus tamen ad nos pertinet, quam ea, quæ nos ipsi patramus; cum constet, inquam, sublatam nobis immortalitatem, imperturbationem, ac bona cætera, de quibus est quæstio præsens; consequens est ea omnia peculiari quodam Dei beneficio nobis attributa fuisse ab initio, ac penitus supra hominem esse.

Deinde, jus ad ea bona ecquod attulit Adam ? Morale ne, an physicum? Physicum, inquiunt, atque in natura ipsa positum. Perseverat igitur : physica enim istiusmodi jura, desideria, appetitionesque naturæ culpa non adimit. Si autem jus istud manet adhuc in natura, violentum ipsi est iis bonis carere : in statuque, ut aiunt, violento, sibique plane indebito fuit jam inde usque ab Adæ peccato. At enim iis bonis indignum se fecit : sic enim ait Baius. Quid tum ? Si Deus Adamum, ut certe meritus erat, cæcitate, aut dementia mulctasset; utque ex illo mortales, ac doloribus obnoxii; sic etiam mente, atque oculis capti nasceremur omnes : numquid idhumanæ naturæ violentum propterea non esset, quod quibus facultatibus ac bonis careret iis facta esset indigna primi hominis vitio ? His autem illud etiam accedit : quoniam naturæ hominum, iis bonis ademptis, eadem vis, et violentia est adhibita, quæ soli adhiberetur, aut igni, si luce, et calore, aliisque id genus qualitatibus, quas ipsorum natura exigit, privarentur; æquum fore, deleta per baptismum culpa, nos omnes immortalitati, bonisque pristinis restitui; quandoquidem sublata culpa, ea pariter nobis indignitas aufertur, propter quam justum, sanctumque fuerat, Deum naturali exigentiæ nostræ deesse, et plane resistere. Imo vero, ubi nullum amplius contra nos morale jus exstet, maneat autem jus physicum; quidquid supernorum bonorum post justificationis, aut reconciliationis donum percipimus, id omne dici vere ac proprie possit naturale, atque omnino datum ex debito. Gloriari certe, atque efferri merito posset hominis natura : quippe quæ jus quiddam ad ea bona, aut certe plus aliquid afferret, quam meram, ut aiunt, obedientialem potentiam : quod contra tamen ex Scripturis, et Patribus theologi docent.

Ultimo tandem : etiam secluso peccato, dona quædam conferri homini, quæ naturalem ipsius conditionem superent, possibile est. Neque enim ita circumscribenda est, et contrahenda summa Dei potestas, ut naturam rationis participem eo pacto ditare, et perficere nequeat, ac supra ipsius sortem, et conditionem evehere. Quod si qua esse possunt ejus generis beneficia, atque dona, non est cur negemus talia reipsa fuisse quæ collata sunt primo homini quorum est tanta dignitas, atque excellentia; tam splendidæ, tamque magnificæ Patrum testificationes; ut ea omnia necesse sit in solam Dei

liberalitatem, ac munificentiam referri, qui, ut ait Cyrillus loco cit. « Creaturam parvam, atque abjectam natura, magnam, atque mirabilem sua effecerit bonitate. »

§. VI.

Itaque ad primum respondeo, non continuo, si quæ tertio *Gen.* numerantur, bona sunt naturalia, ejusdem modi esse reliqua omnia, quibus spoliati sumus, quæque ibi non recensentur. Præterea ipsa illa, de quibus ibi fit mentio, sin minus quoad substantiam, ut aiunt, quoad modum certe quidem supra hominem esse : eique non solum, ut primi sceleris reus est, sed etiam ut homo est, non deberi : censendaque supernaturalia, et gratuita fuisse, ante etiam quam culpa nos indignos efficeret : ut de omnibus generatim probatum est nuper, atque in aliis deinceps articulis planum fiet de singulis.

Ad secundum, idcirco deberi nego naturæ innocenti hujusmodi bona, quia nempe supernaturalia, quod quidem jam sanxit Ecclesia, si deberentur, dici non possent. Nihil enim, quod ita naturam supervolet, ut tamen intra ejus jura contineatur, supra naturam proprie dicitur. Sic creari hominis animam, conservarique Angelum, ac rerum speciebus statim ditari, atque instrui ad intelligendum, quamvis hæc omnia naturæ vires excedant, supra naturam tamen proprie nec sunt, nec dicuntur, quoniam ejus sunt juris, atque ditionis. Nam et anima corpori rite apto, paratoque, et immortali, atque intelligenti naturæ Angeli sua conservatio debetur, speciesque, ac similitudines rerum. Quod autem aliqui doctores catholici supernaturale definiant, quod naturæ vires exuperat, id ita intelligendum est, ut a re supernaturali vinci velint, non eas duntaxat naturæ vires, quibus pollet ipsa per sese ; sed eas etiam, quas ex suamet conditione sibi advocat, atque adjungit extrinsecus : quæ quoniam ipsi denegari jure non possunt, eique militant, et inserviunt ; naturæ vires hæ quoque dici cum veritate possunt. Quare, si quid eas tantummodo vires supergreditur, quas affert natura, quasi de suo, non vero eas etiam quas exigit, et suo sibi jure vendicat, atque adsciscit ab alio ; id inter supernaturalia numerandum proprie ac vere non est. Nam quidquid adnexum est naturæ, ipsique ita devinctum, atque obligatum, ut a Deo quidem duntaxat ortum habeat, sed maxime postulante, atque exigente natura, id naturæ res est, ejusdemque conditionis, atque ordinis, ac res illæ, quæ naturales apud omnes certo, atque extra omnem controversiam, habentur : ut ex allatis nuper exemplis Angeli, et animæ hominis liquido constat. Atque id ita persuasum est omnibus, ut quoties theologis propositum est rei cujuspiam supernaturalitatem ostendere, id ferme non aliter probent, quam quod Patrum, Conciliorumque testimonio certum sit, rem illam alligatam non esse naturæ, nec ipsi deberi : sed prorsus liberali, et gratuita largitione donari. Quod Baius ipse vidit : cum enim « naturæ humanæ sublimationem in consortium divinæ, primæ conditionis integritati debitam fuisse » affirmasset, statim subjunxit : « ac proinde naturalis dicenda est, non supernaturalis. »

Ad tertium respondeo opera antecedentia, seu merita, propterea excludere gratiam, quod inducunt debitum : Sic enim ait Apostolus *ad Rom.* IV *ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Et ex ipso Augustinus cum alibi sæpissime, tum lib. I *de Grat. Christi* c. XXXI n. 34. « Isti autem libero arbitrio sic applicant fidem, ut fidei videlicet reddi videatur, non gratuita, sed debita gratia : ac per hoc jam non sit gratia, quia, nisi gratuita, non est gratia. » Consequens igitur esse, ut si debitum non minus indicat naturalis exigentia, quam opera antecedentia, illa non minus, quam hæc, gratiam excludat Atque hoc illud est, quod ait Augustinus lib. II *cont. duas Epis. Pel.* loco supra cit. non minus Manichæos, quam Pelagianos gratiæ Dei inimicos : sed primos eam destruere conatos, « meritis naturæ bonæ : » alteros vero « meritis voluntatis bonæ. » Ambos, « quia apud ipsos merces non imputabatur, secundum gratiam, sed secundum debitum. » Porro *meritum naturæ bonæ*, ut *a merito voluntatis bonæ* distinguitur, meram affert, nudamque naturam, seclusis vitiis, atque virtutibus : nam si voluntarium aliquid, ac liberum afferret, præter ipsam naturam ; vel istud esset opus malum, vel opus bonum : si malum dici non posset, *meritum naturæ bonæ* ; si vero bonum, dici posset, *meritum voluntatis bonæ.* Id ipsum probat, quod supra retulimus ex lib. *de dono Persev.* Ibi enim duo proponuntur naturæ, in quarum altera sit ratio, propter quam oporteat perseverantiæ donum ipsi concedi : in altera vero contra ratio sit, cur oporteat donum idem ipsi negari. His autem ita pro-

positis, Augustinus illud respondet, « si duæ naturæ essent, gratia ulla non esset, nulli enim daretur gratuita liberatio, si naturæ debita redderetur. » Etsi debitum istud non morale, sed physicum foret, si tamen esset debita, jam gratia non esset gratia. Imo vero, quoniam hic rationi præcipue insistimus; arctius, strictiusque est multo, quam morale, debitum physicum. Si quidem meritum non solum congruum, sed etiam condignum, nullo præmio remunerari, nisi si promissio, aut pactum aliquod intercesserit, Deo solutissimum est: quin ullam propterea homini faciat injuriam. Ut est enim supremus Dominus, potest eo nomine opus aliquod servo imperare, nec illi quidquam præmii constituere. Contra vero, si neget, aut adimat naturæ, quod est proprium ipsius, ei vim aliquam afferat, ut adversarii concedunt. Multo magis igitur gratiæ, et favori adversatur debitum physicum, quod est ex naturali conditione, atque exigentia; quam debitum morale ex opere ortum, atque ex antecedenti aliquo merito. Sic, quod is regnum accipiat, cui debitum est jure sanguinis, et familiæ, negarique sine magna injuria, et violentia non potest; minus habet gratiæ, et favoris, quam quod gentes aliquæ, ac populi eum sibi Regem constituant, qui pro iis aliquid fortiter gesserit. Quamvis enim quod primo datur, naturæ quodammodo, et conditioni tribuatur, sanguini scilicet, ac generi; quod vero alteri datur, tribuatur operibus, si tamen natura, et conditio majus debitum, et quamdam quasi necessitatem efficiunt; ejus electio, ut magis debita, ac necessaria, minus quoque gratuita est: favorisque, et gratiæ, vel nihil, vel minimum habet. Quid igitur in re nostra, ubi, quæ bona adversarius usurpat nomine gratiæ; eadem naturæ hominum obligata, atque devincta esse dicit eo debiti genere, quod Deo ipsi necessitatem plane insuperabilem afferat, ab eoque infringi, ac violari non possit? At enim Deo liberum fuit ea bona, vel sic naturæ annexa, hominibus non dare: potuit enim ipsos non condere: hoc vero nihil plane ad rem nostram: quibus de gratia sermo est non philosophica, sed theologica, speciali, et a beneficio creationis distincta: de qua locutus Apostolus: de qua demum contra Pelagium studiis acerrimis pugnatum est. Cujus gratiæ rationem habere, nomenque mereri negamus quidquid sive operibus, sive naturæ debitum sit.

ARTICULUS II.

Utrum homini, ut homo est, remota gratia, et peccato, debeatur Immortalitas.

DISPUTATIO AB AUCTORITATE.

§. I.

Deberi qui putant, auctoritate nituntur primo Conc. Arausicani, in quo *Can.* II sancitum est, « Injustitiam Deo dare, qui censent Adamum moriturum fuisse, etiam si non peccasset. » Immortalitas ergo homini innocenti, inquiunt, ex justitia debebatur: non ergo gratiæ donum erat, sed ipsius naturalis proprietas.

Secundo Augustini, qui l. XIII *de civit.* c. XV asserit, « corporis mortem non lege naturæ, sed merito inflictam esse peccati. » Solo igitur, aiunt, peccati merito potest homini mors infligi, non vero lege naturæ.

§. II.

Ego vero contra hos primum profero illud *Gen.* III 19. עפר אתה ואל עפר תשוב *pulvis es, et in pulverem reverteris.* Quod quam nobis faveat, infra constabit, interpretatione ac testimonio Patrum omnium. Deinde illud *Psal.* LXXXI et 7. *Ego dixi dii estis, et filii Excelsi omnes: vos autem, sicut homines moriemini* אכן כאדם תמותון, » quod Justinus M. in dial. *cum Tryph.* et Irenæus lib. III *adversus hæres.* cap. XXXI ita interpretantur; ut primam partem quidem, « benignum gratiæ munus » esse dicant; alterum vero « naturalem hominis infirmitatem, conditionemque. « Postremo illud Apostoli *ad Rom.* VIII 10. *Corpus quidem mortuum est propter peccatum, Spiritus vero,* etc. de quo ita August. lib. VI *de Genesi ad lit.* c. XXV n. 30. « Non ait apostolus: corpus quidem mortale, propter peccatum, sed *corpus mortuum propter peccatum.* Illud quippe ante peccatum, et mortale secundum aliam, et immortale secundum aliam causam dici poterat; id est mortale quia poterat mori; immortale, quia poterat non mori, etc. quod ei præstabatur de ligno vitæ, non de constitutione naturæ, etc. Mortalis ergo erat homo conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio conditoris. Si enim corpus animale, utique mortale. »

Præterea inter Baii theses a tribus summis pontificibus proscriptas, illa etiam est nu-

mero 78. « Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis ejus conditio. »

Quod contra senserunt etiam, scripseruntque omnes Ecclesiæ Patres, Dionysius c. VIII *de div. Nom.* ab iis verbis. «Qui divinam justitiam cavillantur, aiunt mortalibus deberi immortalitatem, » etc. *Eccl. hierarch.* c. III. « Ad interitum origini suæ consentaneum, » etc. Irenæus l. V c. II « corruptibili incorruptelam gratuito donat, » etc. Cyprianus serm. III *de bono pat.* « in mortem cecidit, nec acceptam divinitus gratiam, » etc. et tract. *de Zelo, et liv.* « homini gratiam datæ immortalitatis eripit. » etc. Lactantius Firm. l. VII *div. Inst.* c. V. « Immortalitas non sequela naturæ, sed merces, præmiumque virtutis, » etc. Athanasius lib. *de Inc. Verbi* : « cognoscerent se per mortem, pro ipsorum natura, corruptionem subituros, etc. secundum naturam corruptibiles, gratuita tamen communione Verbi, vitium illud naturæ evasuri fuissent, etc. Basilius M. Epist. CXLI *Apolog.* « Omnis homo temporarius, et mortalis natura, » etc. Item lib. V *adver. Eunom.* « Spiritus S. in corpus hominis adveniens dedit immortalitatem, » etc. Gregorius Nyssenus *de Beat.* c. VII. « Excedit homo suam ipsius naturam immortalis, ex mortali, » etc. Nemesius Philos. l. *de Nat. hominis* c. I. « Nihil quod immortale est, corporeum alimentum desiderat, » etc. Ambrosius enar. *de arb. interdicta* c. IV. Præmium immortalitatis amisit, etc. et lib. III *de fide* c. II « alia immortalitas, quæ donatur, » etc. Joh. Chrysostomus in cap. VI epist. I *ad Corinth.* hom. XVII. » Ab initio Deus voluit te facere immortalem, » etc. et in c. V epis. XI hom. X. « Non enim corpus de cœlo ad nos delabitur,» etc. Denique homil. XI habita in Sedit. Antioch. die IV lunæ apud Tillemon. in *hist Imperat.* tom. V. « Gentilium, et hæreticorum multi indignum Dei creatione esse putant sudores, et lacrymas, » etc. Severianus Gabalit. orat. I *de nocte, et somno.* « Disce homo quis es : Mortalis es : somno servus, et addictus, » etc. et orat. V « lignum vitæ, tanquam præmium,» etc. Hieronymus lib. IX *in Ezech.* c. XXVIII «edoctus interitu hominem te esse cognosces,» etc, Et in epist. *ad Cypri.* « cui cum immineat ista conditio, ut ortus intereat, etc. »

Augustinus vero omnium maxime catholico dogmati patrocinatur : primum toto lib. V *de Gen. ad lit.* deinde libr. XIII *de Civit.* c. XX. « Qui status eis mirabilis Dei gratia præstabatur, » etc. et cap. XXIII. « Ideo corpus ejus, quod cibo, ac potu egebat, » etc. Postremo, aliis multis locis omissis, lib. I *de peccatorum mer. et rem.* c. III n. 3. « Si Deus Israelitarum vestimentis, et calceamentis præstitit, quod per tot annos non sunt obtrita, quid mirum si obedienti homini ejusdem potentia præstaretur, ut animale, et mortale habens corpus, etc. Talem puto beatitudinem adhuc in corpore animali, atque mortali, etiam illis, qui sine morte hinc translati sunt, fuisse concessam, neque enim Enoch, » etc. et cap. IV n. 5. « Ipsum mortale non factum est mortuum, nisi propter peccatum, » etc.

Post Augustinum, Claudius Mar. Victor. lib. I *in Gen.* ab iis verbis. « Namque et in hoc est magna Dei indulgentia, » etc. Cyrillus Alex. lib. I *in Joh.* c. XV « immortalitatis bonum super naturam suam consecutus est,» etc. lib. VIII *con. Jul.* « Morte condemnatus est primus homo, et quis secundum naturam sit, redargutus, » etc. *Glaph.* l. I. « Ut propriæ naturæ rationem superaret, » etc. Proclus Arch. Const. orat. II *de inc.* « Protoplasto Adam.... Immortalitas per gratiam, » etc. Petrus Chrysologus serm. LXXXIX. « Quæris homo, cur non mortem, » etc. Eucherius senior Lugd. Ep. *de q. vet. T. Interrog.* « Si Deus hominem immortalem fecerit, » etc. Basilius Seleuc. orat. VI *in Noem.* « Mortalibus itaque corporibus cibum dedit, » etc. Theodoretus *in Gen.* inter. XXVI. « Lignum vitæ, veluti quoddam præmium, » etc. inter. XXXVII. « Immortalis natura cibo non indiget, » etc. In epist. *ad Rom.* VIII 20 « omnis, quæ videtur creatura, mortalem naturam, » etc. Maximus Taur. hom. *in solem. S. Mich.* « Adam immortalitatis splendore vestitus, » etc. Procopius Gazenus Theoph. « Sensum habentia ea mortalia, » etc. Gelasius I epist. V *ad Episc. Piceni* « Semetipsos passibiles, et corruptibiles reddiderunt conditionis divinæ dona violantes, » etc. Julianus Pomerius lib. II *de vera cont.* « quod arbor vitæ mysticum cibum, sui creatoris munere, » etc. Procopius Gaz. in c. II. *Gen.* « spoliati immortalitatis beneficio,» etc. in cap. III « ex sese quidem homo non erat immortalis, » etc. Sev. Boethius I IV *de* II *nat.* « Adam talis fuit, ut manducaret, ac biberet, » etc. Fulgentius l. III *ad Tras.* c. XX quæ substantia passibilis, et mortalis fuerit,» etc. Junilius *in Gen.* I, 29 « inditæ sibi immortalitatis dona,» etc. Gregorius M. t. I, l. XIX. *Mor.* c. I, num. 2 « immortalitatis munera, »

etc. t. III, l. III, *dial.* c. III « homo, sicut in medio creatus est, » etc. Beda Augustini sententiam iisdem verbis transcripsit in sua com. *Gen.* c. II, n. 7. Idemque fecit apud ipsum fortasse Florus diacon. in c. XV, epist. I *ad Cor.* et in c. IV ep. I *ad Thes.* Damascenus l. II *de fide*, c. IV « pro virtutis præmio immortalitatem, » etc. in *Paral.* ex codice Rupefucald. lit. a. tit. III « divino munere immortalis a Deo effectus, » etc. Nicetas David orat. in l. I *Aud.* « sensibus objectum, ac corruptioni obnoxium, » etc. Moses Barcepha in toto opere *de Paral.* præcipue vero p. III, c. V quod ita concludit, « ex omnibus efficitur Adamum mortali conditione procreatum esse: interim fatemur immortalitate donatum fuisse, non quidem naturali, sed gratuita, » et cap. VIII. « Fuerat Adamus natura quidem mortalis genitus, conservabatur tamen in immortalitate perfectoris sui benignitate, et gratia : sed ubi legem violasset, atque deliquisset, removit ab ipso Deus suam immortalitatis gratiam : atque tum ille mansit, qualis alioqui natura fuerat, hoc est mortalis. »

Ex scholasticis, S. Thomas in II, d. XIX. « Ex suis naturalibus esse incorruptibile, atque perpetuum non competebat homini, » etc. Scotus in II, d. XXVIII, q. un. « Neutrum istorum, nempe obedientia appetitus, et immortalitas, ex puris naturatibus potest haberi, » etc. reliquos vide apud theologos pariter de schola.

§. III.

Itaque ad primum respondeo, *Injustitiam Deo dare*, qui putat Adamum moriturum fuisse, etiam si non peccasset, non quod hominis quæ sunt propria jura violasset Deus, si mortem ab innocente non prohibuisset; sed quod promissis non stetisset, et conditionibus suis : quas quidem tulisse summæ cujusdam benignitatis, ac beneficentiæ fuit; in his autem manere, et constitutum homini præmium, persolvere erat justitiæ; justitiæ, inquam, aut *potestativæ* tantum, ut aiunt, aut etiam *subjectivæ*, si ejus justitiæ nomine homini Deus obligare se potest; quod definire, neque ad nos pertinet, neque est necessarium.

Ad secundum respondeo, vere utique dictum ab Augustino, « mortem nobis non inflictam a Deo lege naturæ, » etc. non quod hominis naturalis conditio ex se mortem non ferat, sed quod, cum eam Deus vinceret munere suo; istud nobis subtractum est *peccati merito* tantum. Satis vero est primum legere Augustini locum supra relatum, ut quod hic objectum est, statim concidat.

DISPUTATIO A RATIONE.

§. IV.

Idem nobis objiciunt, Animam, quæ pars hominis est nobilior, esse immortalem : naturam animæ potius, quam corporis, hominem sequi debere.

Deinde, homini beatitudinem saltem naturalem deberi : vita autem, « si non est æterna, nec est beata, » ut est apud August. tom. V, serm. CCCVI *in natal. Mart. Mas. cand.* n. 6 et alibi sæpe.

§. V.

Sententia nostra hac etiam ex parte se optime tuetur : primum rationibus physicis. Mortis enim causæ omnes sunt in duplici genere. Morimur, aut intestino malo, aut illata extrinsecus vi. Quod ad primum attinet mortis genus; cum dico natura mortalem, cujus vita cibo, ac potione tenetur : talem autem esse hominem interior ipsa ejus fabricatio, et structura, stomachus, alvus, et partes reliquæ fere omnes, quibus continetur, manifeste testantur; est igitur homo natura mortalis. Nam profecto qui ejusmodi est, ut duobus hisce præsidiis ad sustinendam vitam indigeat, is tandiu vivet, quandiu suppetet illi calor, qui cibum concoquat, in eumque succum convertat, qui ipsi sit alimento. Quoniam vero, ut est philosophis in proverbio, *Omne agens agendo repatitur;* calor ille, qui cibum conficit, eo resistente, sensim minuitur : idque omne, cujus est illa functio, atque labor, paulatim atteritur, hebescit, torpet, languet, unde naturalis quædam virium, ac totius corporis inclinatio, senectus, ac demum animalis interitus. Neque vero alimenti, quod in omnes corporis partes dividitur, potest esse perfectio tanta, ut quidquid animali quotidie decedit, ac deperit, id prorsus omne ex toto reparet, atque redintegret. Alimentum enim cibi naturam maxime refert : atque is, si calori contumacius repugnet, quam ut ab eo vinci, et subigi queat, par alendo non est : sin vero is est, ut esse debet, quem calor facile mutet : sicut eumdem et tenuem esse, et modicum, temperatumque

necesse est; sic alimentum, quod ex eo conficitur, animal non plene reficit, atque in totum: neque caloris, quantum deperditum est, tantumdem reponit, ad eamque vim, atque virtutem, qua primo indutus est a natura. Itaque de primo homine sapienter pronuntiatum ab Aug. loco cit. « Mortalis erat conditione corporis animalis, immortalis beneficio conditoris. » Mortalis erat Adam conditione corporis animalis, quia nempe cibo indigebat: quo, licet optimo, saluberrimoque uteretur, « præcepitque eis dicens, ex omni ligno Paradisi comede. » *Gen.* II, 10 diu tamen in eodem virium, ac vitæ statu consistere non poterat. Idem vero immortalis erat, beneficio conditoris, quia, præter alia omnia Paradisi ligna, præsto illi aderat *lignum vitæ*, quo se identidem renovaret, « ne ipsum senecta dissolveret, sed in eodem semper juventutis flore teneretur. » August. *de Civit.* l. XIII, c. XXIII, n. 1. Quod ei supra ipsiusmet conditionem præstitum fuisse, dono plane gratuito nec hominum naturæ deberi, ipsa ejus ligni virtus, atque efficientia probat: de qua ita Augustinus, primum tom. III, l. VIII *de Gen. ad lit.* c. V, n. 11. Illud quoque addo, quanquam corporalem cibum, talem tamen illam arborem præstitisse, quo corpus hominis sanitate stabili firmaretur, non sicut ex alio cibo, sed nonnulla inspiratione salubritatis occulta. » Tum ea rei hujus exempla subjicit ex III, *Reg.* XVII, 16, XIX, 8, quibus ejus arboris fructus supra naturalem omnem cibi modum, ipsorum vero effectus plane in miraculis sint habendi. Quod ipsum docet l. XI, c. XXXII, n. 42 et c. XL, n. 54. Deinde tom. VII, l. XIII *de Civit.* c. XX « alimentis, ut homines utebantur, nondum spiritualia, sed adhuc animalia corpora terrena gestantes. Quæ, licet senio non veterascerent, ut necessitate perducerentur ad mortem (qui status eis de ligno vitæ mirabili Dei gratia præstabatur) tamen et alios sumebant cibos, etc. Alebantur ergo aliis, quæ sumebant, ne animalia corpora molestiæ aliquid esuriendo, ac sitiendo sentirent: de ligno autem vitæ propterea gustabatur, ne mors, etc. tanquam cætera essent alimento, illud sacramento. » Ita rem concludo: Duabus his de causis refrigeratur, atque extinguitur calor; et quod ei cibus desit, et quod ei plus justo resistat. Esto cibus animanti debitus sit, qui novum semper humoris pabulum, quamvis non ita perfectum, ut primo erat, calori sufficiat: at cibus non est certe debitus, qui calori non resistat, et tamen tantæ virtutis sit; ut ipsum longa ciborum confectione jam debilitatum, atque imminutum reficiat, atque in integrum plane restituat.

Verum et alia est intra hominem mortis causa, humorum, elementorumque, quibus est concretus, discordia: quæ tandem ad ultimam ipsius perniciem erumpat, atque effervescat tam est necesse, quam fieri non potest, ut oris aditus ea diligentia, et fidelitate custodiatur, qua opus est, ne furto, vel etiam aperte cibus illuc aliquis illabatur, ac penetret, ut ita dicam, factiosus, qui totus in unius humoris partes transeat, cum eoque conspiret: atque ita demum, soluta corporis temperatione, nec suus jam amplius animali vigor, nec vita constet. Quod sane homines difficilius cavent: in iisque escarum delectus, hac ipsa de causa securus est minus, quia liber. Intelligentis enim appetitus, etiam si non obtemperet gulæ, sed a ratione se regi sinat, sæpe tamen est electio noxia. Naturæ nunquam: mens enim, et ratio, qua movetur, gubernaturque natura, Deus est: falli non potest.

Hæc hactenus: attingendæ jam causæ mortis externæ: quo magis appareat, quam supra hominem sit, quod ipsi datum est ab initio, posse non mori. Si quidem illum ea circumsistunt, ac premunt undique, quorum semper aut declinare congressum, aut vim retundere omnino supra hominem sit. Quod utrumque sic breviter ostendo. Primo enim a Deo ita cautum, provisumque esse hominibus, ut ne quis eorum ullo unquam sæculorum cursu sibimet, aut imprudens, aut etiam sciens, et volens mortem consciscat; nec inferat alteri; atque id nulla libertatis parte ipsis adempta; præterea, ne quis unquam aut fortuito aliquo involvatur incendio, aut naufragium faciat; ne cui aut fulmen incidat, aut subita incumbat ruina, aut pes saltem in lubrico peccet; ita, inquam, consultum hominibus esse, ne in eorum quipiam incurrant, quæ mortem afferant, cum inter hujusmodi mala semper, ac necessario versentur, id utique donum esset plane gratuitum, et providentiæ modus quidam liberalissimus, nec sane homini debitus. Præterea, quod alterum mihi modo proposui; si Deus ita hominem obarmet, ac roboret, vel ipsi ita semper præsto adsit; ut hæc pericula tuto adire, ac morti, tanquam inermi, ac dentibus captæ impune passim illudere, atque insultare

queat; si flamma correptus non amburatur; si aquis haustus non suffocetur; fulmine percussus non conflagret; telo, aut saxo impetitus, atque ictus vulnus nullum accipiat; si levis eidem sit omnis ruina, lapsus quique mollissimi, id enim vero longe admirabilius foret, supraque hominis jus, conditionemque multo altius assurgeret. Quoniam remissa, ac temperata in eo naturaliter sunt illa omnia, quæ summa sunt plerumque in externis hisce hostibus : calor, frigus, durities, et aliæ qualitates ejusdem modi : quæ totidem veluti arma rerum naturis attributa sunt, ut iis inter se digladientur, et sibi mutuo resistant. Quæ cum verissime disputentur, in aperto jam sunt illa duo, quæ declaranda susceperam, iis rebus obsideri hominum vitam, cum quibus, aut nullo unquam tempore congredi, aut eas semper vincere, supra hominem sit.

Sed hactenus in physicis immorati sumus, ad theologica veniamus. Immortalitas, ut est apud veteres Patres, præcipue Augustinum l. XIII *de civ.* loc. cit. primo homini a Deo constituta est obedientiæ præmium : propria igitur hominis non est immortalitas, et ad ejus naturalem conditionem non pertinet. Etenim Deus non tam parce, tamque restricte, ac dure homines habet : imo nec rex ullus aut imperator ita, vel injuste, vel illiberaliter agit cum populis sibi subjectis, sibique apprime charis, ut quod alicui debitum est jure sanguinis, et familiæ, quod proprium ipsius est, ipsique alio nomine, arcte devinctum; id ei præclaræ cujuspiam actionis, reique gerendæ præmium constituat. Quod etiam majorem vim obtineret, si quod adversarii contendunt, ita propria hominis esset immortalitas, ut jus istud nullo pacto violari possit a Deo. Quia enim Deo licet, solutumque est ignem condere sine calore, hoc ipsum quod igni benigne annuat, caloremque concedat ipsi debitum, fingi potest alicui a Deo recte facti præmium esse propositum. Secus vero, si sine calore ignis esse plane non possit. Non absimili ratione, si debeatur quidem immortalitas homini, non ita tamen, ut liberum non fuerit Deo hominem condere mortalem, qualis nunc nascitur; potuisset Deus, quamvis reipsa alia omnino fuerit divinæ ejus providentiæ lex; potuisset tamen immortalitatem cum homine ita quodammodo pacisci. Etsi naturæ tuæ debetur immortalitas, quia tamen ita debetur, ut postquam etiam es conditus, integrum mihi sit, et plane liberum facere, ne sis, tibique, nulla tua culpa, quam dedi, vitam eripere; hoc ipsum, quod hac potestate, et libertate non utar; hoc, inquam, quod meum duntaxat est, ut, qua ratione fieri potest, tuum fiat; age, quid exhibes? Quid das, ut tibi me arctius obligem, quam me obligarim sola donatione naturæ, in qua licet jus immortalitatis aliquod sit, violabile tamen id est? Quid, inquam, das, ut integrum tibi semper, inviolatumque constet? Nolo tibi id obveniat otioso : laboranti, ac recte agenti præmium hoc tibi decerno, non gratis sicut datum est, ut sis, constare tibi pariter debet, ut perpetuo sis. Ita forte, qui noster est intelligendi mos, opinari liberet, si naturæ hominis adnexa quidem immortalitas foret, sed adeo laxe, ut ea disjungere, vel homine non peccante, Deo expeditissimum esset. Secus vero sentiendum omnino est, si, quod adversarii pugnant, bonum istud naturæ hominis est ita proprium; ut hominem quidem non condere potuerit Deus : mortalem autem condere non potuerit. Profecto, istorum sententia, præmii rationem habere nequit. Nam, præter quam quod præmium, ac merces, ut est apud theologos, causas utrimque liberas habent, nimirum arbitrium dantis, et meritum accipientis; id hac etiam ratione concludo : homo prius est id, quod est natura, quam quod est opere, ac merito : ergo prius id est, quod est conditione sua, quam quod est alterius remuneratione; et, quod consequens est, immortalis non est remuneratione, si est conditione : quod enim nihil quidpiam alicui confert, supra id, quod ex se prius habebat, remuneratio non est. Quoniam remuneratio, præmium, merces, ut ex ipsa hujusmodi rerum natura perspicuum est, cum merito retribuantur, ei; qui hæc accipit, in majus aliquod ipsius bonum cedant oportet. Video sane, quæ hic esse possit adversariorum responsio : nec iniquum esse, nec novum, eum, qui in summa potestate, imperioque sit, legem aliquam ferre, cui, qui non obtemperent, eos aut capitis damnet, aut agris, pecuniaque multet : rebusque aliis, quas vel hæreditario jure, vel alio quopiam nomine legitime possideant. Quamvis enim ista omnia innocentibus eripi non possint; nec fas id Regi, nec liberum sit; eripi tamen possunt indignis. Ac propterea possunt in pactum quodammodo, atque conditionem adduci, qua qui non maneat, iis bonis continuo excidat. Ego vero id non nego : neque enim hoc aio; qui non potuit condi mortalis; non

potuit, si Dei obedientiam abjiceret, morte mulctari. Illud unum affirmo; homini, si condi mortalis non potuit, immortalitas præmio, ac mercedi non fuisset : quod tamen Patres diserte tradunt. Hoc autem cum rationibus efficitur modo propositis; tum ipsa illa similitudine declaratur, qua utuntur adversarii. Nam, si rex aliquis, cui nec fas, nec etiam liberum sit ullo modo innocentem capite plectere, aliquid suis civibus imperet, aut interdicat ea lege, et conditione, ut, qui paruerit, caput retineat, quod scilicet innocenti auferri non potest : qui vero non paruerit, caput illico amittat, quod auferri potest reo; si rex, inquam, aliquis ita cum suis civibus agat, recte quidem dici poterit, iis pœnam criminis constituisse, præmium recte facti constituisse dici proprie non poterit. Atque hoc insuper addo, id nec iniquum esse, nec novum in hominibus, quorum interdicta, qui violant, aliqua semper pœna tenentur. Secus vero, etsi non injustum, extraordinarium certe esset in Deo, a quo sic statutum, decretumque esse scimus, nihil, quod quisque laudabiliter gerat, nec si pro ipso minimum laboris suscipiat nec si capillum sibi unum velli patienter ferat, sine remuneratione futurum. Nec vero ita, ut pro una re bene gesta, illud idem retribuatur, quod alio etiam nomine debitum foret : sed, ut bonis quibusque operibus suum peculiare præmium sigillatim respondeat : et quantum ex omni recte facto accedit hominis merito, tantum ipsi quoque accrescat mercedis, et coronæ. Quæ cum ita se habeant, atque immortalitas cum aliis rationibus supra expositis; tum etiam quod præmii rationem habuerit, supra naturalem hominis conditionem ponenda sit.

§ VI.

Ad primum respondeo, quidquid nec simplex est, nec uniusmodi, sed constat ex partibus, iisque inter se valde diversis, partis unius naturam non plus sequi debere, quam quantum ferat consortium partis alterius, atque ipse etiam compositionis modus, partiumque inter se colligatio, atque habitudo. Hæc autem in homine quid petant, aut ferant; quam ipsum morti non eximant, iis quæ proxime dedimus ex Physica, satis, utputo, declaratum est. At enim corpus pars est deterior, atque ignobilior. Quid tum? æque est necessaria : ex eaque non minus, quam ex anima, componitur homo : qui si animæ naturam ita non sequitur, ut cibo, et potione non indigeat ad sui conservationem, nec ita sequitur, ut sit immortalis.

Ad secundum respondeo, quæstionem hanc a consideratione physica, ad considerationem ethicam non recte traduci. Non quærimus hic, quænam esse possit in homine naturalis exigentia, atque jus meritorum : sed quæ sit exigentia physica, et naturale jus creationis. Et quid debeat Deus, non remunerator, sed conditor, disputamus : meritumque non *voluntatis bonæ*, sed *naturæ bonæ*, in præsens excutimus. Aio tamen homini, si recte agat, naturalem beatitatem deberi : non quidem in hac vita : ea enim, quæ propria est animalis conditio, doloribus, ac morti subjecta est, et ad tempus pertinet, ut aiunt, viæ, ac meriti, cujus meriti pars magna esse potest ipse doloris, ac mortis contemptus : quo se fortitudo, aliæque hominis virtutes præcipue probant. Beatitudinem ipsi deberi dico in altera vita, et immortali, et ab omnibus doloribus, ac perturbationibus vacua. Etsi enim immortalitas, ac dolorum, perturbationumque vacuitas homini non debeantur, *merito naturæ bonæ* eidem tamen illa omnia possunt deberi, *merito voluntatis bonæ*. Nam quod hominis naturalis conditio non est, naturale præmium tamen, aut præmii pars esse potest; imo præmium non esset, si proprietas esset. Quod si existere corpus, postquam plane interierit, eique animam, vitamque reddi, quid majus esse putas, atque altius, quam quo naturæ non solum vires, sed etiam jura, nec jura tantum physica, sed et moralia omnia pertingere queant, idque supergredi dicis naturalem omnem providentiæ modum, Dei non solum creantis, sed etiam remunerantis; vitam hanc alteram, pro qua naturalem hominis beatitudinem statuo, quamque non solum æternam, sed ab omnibus etiam doloribus, ac perturbationibus liberam volo; vitam esse dicam animæ solius, sejunctæ a corpore : in anima enim proprie, ac vere beatitas est.

ARTICULUS III.

Utrum homini, ut homo est, sejuncta Gratia, et peccato, debeatur doloris vacuitas.

DISPUTATIO AB AUCTORITATE.

§ I.

Qui aiunt deberi, pervicaciæ suæ Augustini auctoritatem de more prætendunt: quem dicunt, primo quidem a Dei clementia prorsus alienum judicasse, torqueri hominem innocentem : eaque citant ex disp. I et II, *contra Fortunatum*, in quibus « crudelitatis fore scripsit, si Deus hujus vitæ ærumnis animas nullius peccati reas addiceret, »

Secundo, non minus alienum judicasse ab justitia ; idque præcipue in parvulis : de quibus eum multis in locis in hanc sententiam multa disputat, tum præcipue in utroque opere *contra Julianum*, ubi tam sæpe concludit, « injustum fore Deum, si tam gravi jugo premeret parvulos plane innocentes. »

Tertio alienum pariter ab ejus providentia ac recta mundi administratione, atque ordine, nam ita scripsit lib. IX *de civit.* c. XXIV, « quia providentia summi Dei, non fortuita temeritate regitur mundus, nunquam esset istorum æterna miseria ; nisi esset magna malitia : » et lib. XXII, c. XXIV, n. 3, « ipso cuncta, quæ fecit, administrante, nunquam profecto in has miserias decidisset, nisi nimis grande peccatum in homine primo, de quo cæteri exorti sunt, præcessisset. » Denique lib. III, *de lib. arb.* « Si peccatis animarum detractis, miseria perseverat, aut etiam peccata præcedit, recte deformari dicitur ordo, atque administratio universitatis. »

§ II.

Ego vero primum istis oppono quod *Esai*, XLV, 9, etc. הוי רב את יצרו, *Væ, qui contradicit victori suo, testa de samiis terræ. Numquid dicit lutum figulo suo, quid facis?* et *opus tuum absque manibus est?* » Quibus consonat, quod scriptum est *Jerem.*, XVIII, 2. *Surge et descende in domum figuli, et* 6. *Numquid sicut figulus iste*, etc. » Tum quod *Sapientiæ* XV, 7, *sed et figulus mollem terram premens, etc. et de eodem luto fingit, quæ munda sunt in usum vasa, et similiter quæ his sunt contraria. Horum autem vasorum quis sit usus, judex est figulus* τούτων δὲ ἑκατέρου τίς ἑκάστου ἐστὶν ἡ χρῆσις, κριτὴς ὁ πηλουργὸς : denique quod epist. *ad Rom.* XI, *et* 20. » *Numquid dicit figmentum ei qui se finxit : quid fecisti me sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* ἢ οὐκ ἔχει ἐξουσίαν ὁ κεραμεὺς τοῦ πηλοῦ. Similitudo ista figuli locum habet non solum in statu naturæ lapsæ, sed in statu etiam naturæ puræ : atque ex his utriusque Scripturæ testimoniis ducta illa sunt, et quod apud Macarium Sen. hom. XV. « Deus sui juris est, et quod vult facit ; ita ut, si velit, pro potestate, et jure suo mittere possit justos in gehennam, ac peccatores in regnum, » et quod apud Chrysostomum lib. II *de Compunct. cord.*, « si te agentem quod tibi præceptum est, conjici jubeat Dominus tuus in gehennam, aliqua tibi datur contradicendi potestas? » Huc etiam spectasse videtur Augustinus, cum scripsit serm. I, enarrat. *in Psalm.* LXX, n. 1. « Quis enim diceret ei, *Quid fecisti*, si damnaret justum? Quanta ergo misericordia ejus, ut justificet injustum? » Hic Jansenius, ut telum istud nobis excutiat e manibus, cujus ictum declinare, aut repellere se posse diffidit, locum Augustini corruptum esse queritur, atque ita legendum : « Quis enim diceret ei, quid fecisti, si damnaret injustum? Quanta ergo, etc. » Quæ lectio et aures offendit ; nam si priori loco scriptum erat, *injustum*, non debuit posteriore loco repeti, et ipsam sententiam non utcumque mutat, sed ita enervat, et infringit, ut in ea, neque vis, aut efficacitas, neque impetus, aut ictus sit ullus. Antithesis enim illa *justi* cum *injusto*, et speciem quamdam habet, et ratiocinationem, atque argumentum exprimit, ut aiunt, a minori ad majus ; quo certe Dei misericordia magis emicet, atque explendescat. Nec vero Jansenius codicem ullum profert, quo lectioni suæ fidem, et auctoritatem conciliet : ut in ipsum per quam apte quadret, quod Augustinus exprobrat Manichæis lib. XI *cont. Faust.*, cap, II, « ubi sic manifesta veritate isti præfocantur, ut obsessi dilucidis verbis Sanctarum Scripturarum, exitum in eis fallaciæ suæ reperire non possint, id testimonium, quod prolatum est, falsum esse respondent. O vocem a veritate fugacem, in amentia pertinacem? Usque adeo invicta sunt, quæ adversus vos de divinis codicibus proferuntur, ut non sit aliud quod dicatis, nisi eos esse falsatos? etc. Ubi,

cum ex adverso audieris, proba; non confugias ad exemplaria veriora, vel plurium codicum, vel antiquorum : sed dicas. Inde probo, hoc illius esse, quia hoc pro me sonat, illud contra me. Tu es ergo regula veritatis. » At enim rationes aliquot excogitavit, cur eo modo legendum judicaret : oppido leves, ac futiles, quasque nullo negotio refellit Franciscus Annatus tom. II, lib. V, cap. IX, § 2, ut mirari satis non queam homines clarissimos, atque eruditissimos, qui Augustini opera novissime ediderunt, Jansenii non modo lectionem, sed et rationes secutos. Quid igitur, Jansenii ne sunt rationes illæ, quas afferunt tom. IV? ductæ sunt ex cap. XVI, libro III *de statu puræ naturæ*, atque iisdem fere verbis expressæ. Quare autem Jansenium ipsum non citant? ejus nomen cur non adscribunt? id quidem nescio : fortasse, in odium auctoris. Quid quod ibi addunt de codice Corbeiensi? Id vero non ipsi Jansenio, sed ipsis Jansenius debet. Ipsorum studio, et industria hoc tandem ille est assecutus, ut nobis, non quidem minus tutum, sed certe minus promptum, atque expeditum sit eo Augustini testimonio contra ipsum pugnare. Quanquam, ut aliquid nobis negotii foret, aut moræ ab isto codice Corbeiensi, alterutrum nobis probare debuissent, aut eum ex iis unum non esse, qui conscripti sunt nono sæculo a Monachis Corbeiensibus, quos constat Gothescalco favisse, et, quæ quisque illi magis efficere putabat, alios alia Patrum loca vitiasse; aut certe inter Jansenii, et Gothescalchi doctrinam non parum interesse, neque alterius ab altero excitatos, atque instauratos errores. Nunc vero, cum hi neutrum probent; imo, quod ad primum attinet, multa, et gravissima in contrariam partem afferat Bartholomæus Germon. e nostra Societate lib. II, p. 3, cap. II, et pag. 548, et isti M. S. ex ipsa ejus ætate fidem abroget; quod autem attinet ad secundum, contradicat Jansenius ipse, qui lib. VIII, *de hæres. Pelag.* cap. XXIII, queritur in Gotheschalco fidem Catholicam fuisse damnatam; in isto codice hac in re tam suspecto nobis hærendum non est : neque in eo laborandum, ut ostendamus, a probatissima, receptissimaque lectione, nequaquam nobis esse, ipsius auctoritate, discedendum. Hi vero doctissimi viri, quod præ uno valde suspecto, reliqua omnia tum manuscripta Augustini exemplaria post putarunt; et tanti doctoris testimonium clarissimum, quantum in ipsis fuit, catholicis abstulerunt; cum in hoc ipsorum prudentiam, æquitatem, religionem desidero; tum illud maxime vereor, ne quod tam præclaræ editioni ex hac Corbeiensi fæce insperserunt, suspicionem ei aliquid allinat quo in eumdem odorem et suspicionem trahatur : atque illa demum opinio apud omnes invaleat, ne sit plane quod intersit, aut differat a Gotheschalco Jansenius, in hoc etiam maxime convenire, ut, quemadmodum illi, manuscriptis suis, opitulati quidam sunt magni nominis monachi; ita huic etiam monachi non sane minus illustres auxilio sint, atque allaborent editionibus suis. Sed hac de re plura, quam constitueram : affero tandem in hanc ipsam sententiam locum insignem ex lib. *de Prædest. et Grat.* quem Jac. Sirmundus, Theophilus Raynaudus, aliique hos secuti tribuunt Fulgentio. Sic igitur ibi cap. XVI. « Si humanum genus, quod creatum primitus constat ex nihilo, non cum debita mortis, et peccati origine nasceretur, et tamen ex eis Creator Omnipotens in æternum nonnullos damnare vellet interitum; quis omnipotenti creatori diceret; quare fecisti sic? Qui enim, cum non essent, esse donaverat, quo fine essent habuit potestatem. » Qui librum istum a Fulgentio abjudicant, aiunt locum citatum a Fulgentii doctrina omnino alienum videri. Ego vero, nisi me retraheret styli dissimilitudo, eaque, quæ de libero arbitrio disputantur, cap. IX et XI tum de Pharaone, et Nabuchodonosor cap. XV in aliorum sententiam plane concederem. Nam sicubi Fulgentius, et Augustinus ipse contrarium docere videntur, ad legem Dei ordinariam spectant jam semel latam, et in Scripturis expressam, qua Deus ultro recepit, se neminem ullo cruciatu affecturum, in quo culpa vel ipsius, vel aliena inventa non sit. Contra vero in locis a nobis citatis modo, id tantum spectant, quod Deus, ut est rerum omnium supremus Dominus, *de potentia, ut aiunt absoluta*, atque extraordinaria facere potest. Nec vero Deum sic agentem posse homines justos æternis ignibus addicere contendo : hoc enim non indiget catholicum dogma, quod modo defendo. Ideo tantum ad ea Scripturæ loca, quæ supra retuli, paulo asperiorem, acerbioremque Patrum explanationem adhibui; ut appareret, quam ea non faveant Baio, et Jansenio, qui negant potuisse summum opificem ita ab initio hominem condere, ut ei nonnunquam, ad breve aliquot tempus, pedes, aut dentes dolerent. Contra

quos illud præterea affero, quod est itidem apud *Isaiam* XLV, 7. *Ego Dominus, et non aliter formans lucem, et creans tenebras, faciens pacem, et creans malum* ובורא חשך ובורא רע. Cujus persimile est illud *Eccles.* II, 14. *Bona et mala, vita, et mors, paupertas, et honestas a Deo sunt*, imo et illa *Job.* I, 21 *Hierem.* XVIII, 11 *Amos* III, 6 *Mich.* I, 12 hæc autem Patres ita interpretantur, ut ea, quæ hic significantur, nec vere sint mala, et a Deo sint, non semper ultore, ac scelerum vindice: inesse scilicet ex æquo in hujus vitæ miseriis, et quod vexet improbos, et quod innocentes probet, atque confirmet : ipsaque eadem amaritie virtutes ali, qua vitia torquentur. Loca hæc ita interpretati Justinus in expl. q. 46. « Neque in eo, quod salubre est, aliquid inest mali, » etc, Basil. hom. IX « a Sapientissimo, et optimo domino ad utilitatem inducuntur morbi, plagæ, egestas, » etc. Ex Basilio ipso Anastasius Nicæn. q. *in sanc. Scr.* « alia autem mala objiciuntur, tanquam certamina ad ostendendam animi magnitudinem, » etc. Cyrillus Hier. *Cat.* VIII. « Quos dilexit, ut vincentes coronentur, permittit luctari, » etc. Et *Cat.* XVIII. « Injustitiam Dei arguis ? verum, qui certat coronatur, » Nemesius cap. XLIV et XLV, Ambros. lib. I *Hex.* c. VIII Chrys. hom. VIII in c. XIV *ad Tim.* Hieronym. Com. in hæc ipsa loca, Augus. epist. CCX *de malis toler.* n. 1 l. *de Agon. Chri.* c. VII lib. LXXXIII *quæst.* q. LXXXII lib. III *de lib. arb.* c. IX n. 28. Ex ipso Prosper sent. XCXVII, CCXIII, CCXXXI Theodoretus lib. V c. XII *de Prov.* aliique omnes, qui hæc attigerunt. Legatur præcipue interpretatio Damasceni lib. IV *de Fid.* c. XX et dial. *cont. Manich.* Quæ omnia quamvis, pro statu naturæ lapsæ dicantur, ea tamen sunt, quibus facile statim evincas inesse morbis, atque cruciatibus, cur eos homo etiam innocens in bonis poneret, in votisque haberet, miserum esse.

Ipsis deinde objicio auctoritatem Rom. Ecclesiæ, a qua duæ illæ Baii theses toties proscriptæ : LV « Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur,» et LXXII. « Omnes omnino justorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum : unde Job, et martyres, quæ passi sunt, propter sua peccata passi sunt. »

Postremo sacrorum omnium scriptorum, qui, ut videre est in iis locis, quorum hic initia notavimus, docent laborem, dolorem, cæteraque incommoda, atque ærumnas, quibus homines conflictantur, nihil habere, quo necessario arcenda forent ab homine innocente. Cum et vere mala non sint, et plures, easque eximias utilitates afferant: ac denique quidquid sunt, humanæ sint conditionis, et in naturæ ipsius modum, constitutionemque referenda. Dionysius c. IV *de div. nom*, « apud Deum malorum causæ virtutes sunt beneficæ, » etc. et cap. VIII « dici potest divinæ justitiæ magis congruere, » etc. Irenæus l. V c. II « ex illius magnitudine, non ex nostra natura. » etc. Cyrillus Hier. *cat.* VIII. « Quos dilexit, cum his Diabolum luctari, » etc. et cat. XVIII « injustitiam ne Dei arguis ? » Hilarius *de Trin.* l. X. « ea est natura corporum. » Athanasius disp. II *con. Gent.* « si gratiam illam conservarent, sine dolore, sine » etc. Basilius M. cum multis in locis, tum præcipue tota hom. « *Quod Deus non est auctor mali*, pro nobis pugnat. Macarius senior hom. XV. « Deus sui juris est, etc. Nyssenus l. *de creat. hom.* c. V. « Impassibilitas, malique totius aversio, per quæ imprimitur similitudo divina, » etc. Ambrosius l. *de Noe, et Arca*, c. II. « Naturæ bonum hominibus inest, » etc. Joha. Chrysostomus hom. VIII in c. IV *ad Timoth.* « Quæ nam sint bona, quæ mala, quæ media disce, » etc. item hom. XVII in c. VI, I *ad Cor.* hom. X in c. V, II *ad Cor.* Denique tota hom. XI *ad pop. Ant.* Gaudentius in *Præf. ad Ben.* « doloris triplex est ratio, correctionis, purgationis, probationis, » etc. Synesius epist. LVII. « Divinæ Sapientiæ, et virtutis est non modo bonum facere, » etc. Hieronymus in epist. *ad Galat.* l. III c. VI ubi affert illud *Mat.* VII, 11 *si ergo vos cum mali sitis*, etc. lib. XV cap. LV *in Isai.* « Perspicuum est divitias et egestatem, sanitatem, et languorem, etc. nec bona esse, nec mala, » etc. in c. IX *Eccl.* « utrum ad probationem sustineant, » etc. item l. XII in c. IV *Isai* l. IV in c. XVIII *Jerem.* lib. I *in Amos* cap. III lib. I *in Abach.* c. I l. II *in Ezech.* c. III l. *in Ose.* c. II denique in epist. *ad Cypr.* ad illa verba : *lætati sumus, pro diebus, quibus nos humiliasti*, etc.

Augustinus dolorem, et quidquid perpessu difficile, atque asperum est, et in veris malis non esse et contra sane, quam adversarii volunt, persæpe non pœnæ sed beneficii rationem, atque pondus habere, et, quod consequens est, incuti posse innocentibus, docet his in locis præcipue tom. I *retr.* l. I c. XXVI. « Malorum pœna malum est malis, » etc. l. III *de lib. arb.* c. XXII n. 64 « difficultas si

naturalis est, » etc. quod et *retr.* l. c. IX n. 6 confirmat. tom. II epist. XCIX « tribulatio patientiam operatur, » etc. ep. CXXXI « si fallacis prosperitatis, » etc. ep. CLV n. 4 « hoc piorum præmium est, » etc. ep. CCIII « rarius inter prospera, » ep. CCX « etiam tribulatio beneficium est, » etc. etc. tom. III, 1 p. l. 1 *de doct. Chr.* c. XVIII n. 15 exercet hoc tempore, etc. lib. III *de Gen. ad lit*, c. V n. 24 « exercendæ, ac perficiendæ virtuti, » etc. *Annot. in Job.* c. XXXV « patiuntur, ut Deum quærant, » etc. c. III « pati dura, et amara Dei servos, » etc. et II p. III t. lib. II *de Conc. Evang.* c. IV n. 8. « Reguntur enim boni, » etc. *in Joh. ev.* c. I tr. VII n. 7 « erudimur, » etc. Alia ejusdem modi apud Augustinum in reliquis omnibus ipsius operibus ubique passim occurrunt. Instar est omnium quod est tom. X l. II *de pec. mer. et rem.* c. XXIII n. 53. « Non intelligunt, quomodo res, quarum reatum, ne post hanc vitam obsint, Deus solvit, tamen eas ad certamen fidei sinit manere, ut per illas erudiantur, et exerceantur proficientes in agone justitiæ... Si propter peccatum dixit Deus homini, in sudore vultus tui, etc. quare et post remissionem labor hic permanet ?... Respondemus dicentes, ante remissionem esse illa supplicia peccatorum, post remissionem autem certamina, exercitationesque justorum. » Ex Augustino illæ etiam excerptæ a Prospero in hanc ipsam rem præclaræ sententiæ 97, 99, 158, 186, 225, 231, 270, 275, etc. Præterea credibile non est Augustino visum fuisse alienum a Dei providentia, et justitia fieri hominem ab initio obnoxium calori, et frigori, aut id genus incommoda, atque impressiones ab eo non arceri, ac propulsari divinitus ; qui tam sæpe Dei providentiam ideo maxime commendat, ad eaque mundum sanctissime, ac sapientissime regi docet, quod hominum malefacta esse sinat ; atque illa etiam, quibus ab iniquis exagitantur homines justi, propter ingentia scilicet bona, atque commoda, quæ ex ea re consequuntur. In hanc sententiam scripta sunt ab Augustino tom. II ep. XL n. 4 « bene utitur etiam malis, » etc. ep. CLXVI n. 16 « multa bona Deum facere etiam de nostris malis, nostrisque peccatis, » ep. CLC n. 10 « eorum malitiam ad exercendos bonos accommodans » tom. III tract. CXVI *in Joh.* n. 5. « de malis iisdem bona, » etc. t. IV ser. I *in Ps.* XXXVI « Peccatore utitur Deus ad probandum justum etc. » *in Ps.* LIV n. 4 « vivit, ut per illum bonus exerceatur : » *In Ps.* XCIII n. 28 « de ipso immanissimo scelere Judæ, » etc. et n. 29 *in Ps.* CIV, 17 « mirabilis Dei bonitas, qua bene utitur, » etc. t. V serm. XV c. V et c. IX n. 9. serm. XVII c. IV n. 4 serm. CCXIV n. 3 serm. CCCI c. V n. 4 tom. VI, LXXXIII *quæst.* IX, 79 n. 5 Euch. *de fide*, etc. c. X. n. 3. « Neque enim Deus omnipotens, cum summe bonus sit, ullo modo sineret mali aliquid esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens, et bonus, ut bene faceret, et de malo, » et n. 8 c. XXVII. « Melius judicavit de malis benefacere, quam mala nulla esse permittere. » Quorum similia in hoc ipso tomo, tum etiam tom. VII in lib. *de Civit.* præcipue l. XXII c. I n. 2 et in tribus reliquis tomis, etc. alia quam plurima invenias : ut dubitandum plane non sit, quin Deus, cui tum sanctum, et laudabile fuit a mundo non penitus arcere, atque excludere peccata, et scelera etiam immanissima ; potuisset idem initio recte pariter, et laudabiliter aditum non penitus obstruere dolori, labori, atque aliis id genus adversis rebus, quas ex se ipsa fert hominum conditio et natura, quæque omni scelere, et culpa vacant. Quoniam vero hac in re Jansenius et discedit a Baio, et sibi ipsi non satis consistit ; quique malum statuit nullum unquam esse posse, quod aut peccatum, aut pœna peccati non sit ; idem ipse decreti hujusce sui statim oblitus, quod modo Augustini auctoritate contendebam, de adultæ ætatis hominibus, mihi facile concedit ; de infantibus ipsis, atque puerulis ecqua fuerit Augustini doctrina, quam brevissime videamus. Primum Augustinus ; testimonio etiam Ludov. Vives ipsius interpretis ad III, XIII *civit.* « Non satis constitutum habuit, quales hominibus, si nihil commisissent, nati fuissent liberi : parvuli ne, et cum hac totius corporis imbecillitate ; an vero robusti, sensuque, et mente præditi, dubiumque, ut invenit, illic reliquit. » Lege præterea cap. XXXVII et XXXVIII libri I *de pec. mer. et rem.* Et, hæc quidem in statu gratiæ, atque originariæ justitiæ ; quid, remota gratia, ubi nihil supra se afferret humana natura ? Quæ pro eo statu mens sanc. doctoris ? Profecto in III *de lib. arb.* ut et ibi statim apparet facile, et Augustinus ipse cap. XI et XII *de dono Persev.* disertissime profitetur ; « ita de parvulis disputavit, ut etiam si non supplicia, sed primordia naturæ solent, difficultates illæ, » et incommoda, quibus omnes obnoxii nascimur ; vincerentur tamen Manichæi. Id unum scilicet eo libro spectabat, « ut sive pœna esset peccati originalis in parvulis, quod veritas habet, sive non esset,

quod nonnulli errantes opinantur, nullo modo tamen, quam Manichæorum error inducit, duarum naturarum, boni scilicet, et mali permixtio crederetur. » His autem potissimum rationibus in eo libro impiam obterit Manichæorum calumniam, Deumque eximit ab omni inclementiæ, atque injustitiæ nota. Primo, quia parvuli extra doloris ictum, nec virtutis merito sunt, nec conditione naturæ, quæ natura *inordinate*, nec jure ullo sibi vendicaret, aut immortalitatem, aut vacuitatem doloris. « Nec vero ideo mala dici debet, aut ejus auctor vituperandus, quia illa est melior, quæ hisce malis subjecta non est. Iniquissime de rebus æstimant, quia talia volunt esse omnia, quale est summum bonum. » Secundo, quia, « Parvulorum cruciatibus duritia majorum contunditur, aut exercetur fides, aut misericordia probatur. » Tertio, quia parvulis ipsis per quam utile fortasse fuerit ita cruciari : « nam quis novit, quid ipsis in secreto judiciorum suorum bonæ compensationis reservet Deus, qui quanquam nihil recte fecerint; tamen nec peccantes aliquid ista perpessi sunt : non enim frustra etiam infantes illos, qui, cum Dominus Jesus Christus necandus ab Herode quæreretur, occisi sunt, in honorem Martyrum receptos commendat Ecclesia. » Quarto denique, quia dolor naturam sentientem mire commendat : quæ tunc maxime, cum dolet, unitatis, atque integritatis amantem, retinentemque se probat : ut etiam apparet in pecoribus, quæ quamvis nihil male merita sint, multa tamen, et dura patiuntur : « ne, si ex ipsorum dolore non appareat appetitus ille unitatis; minus, quam opus sit, admoneamur ab illa summa, et sublimi, et ineffabili unitate creatoris esse omnia ista constituta. » Hic Jansenius, qui, præ uno Augustino, alios omnes Ecclesiæ Patres, atque adeo Ecclesiam ipsam vix non contemnit, ac desipere putat; lib. II *de statu puræ nat. c.* VIX Augustinum ipsum hæc omnia, quæ sibi videt manifeste adversari, « incautius, atque ex levissima suspicione fudisse » ait : *hallucinari*, *somniare*, honoris causa, dicit : et quod ferre plane non possis, *infirmitati doctrinæ* lapsum hunc tribuit : cum tamen Augustinus, ut constat ex I *retract.* IX, 1 lib. II et III *de lib. arb.* absolverit jam *Presbyter ordinatus*. At enim hæc, quæ ibi tradiderat, postea revocavit, seque ipse correxit. Ubi nam? cedo locum. Num forte in libro *retract.*? nam, si uspiam, ibi certe animadvertenda, et castiganda ista fuerant. Ibi vero, ut videre est lib. I c. IX n. 6 adeo nihil istorum damnat, ut omnia potius approbet, atque confirmet. Quod ipsum ab eo factum video cap. XI n. 27 et cap. XII n. 29 et 30 *de dono Persev.* quem librum post *Retractationes* ipsas, jam senex, non utique *infirmæ doctrinæ*, conscripsit. Improbat ista, inquit, et minus valida, ac firma esse dicit cap. VII n. 19 epist. XVIII *ad Hieron. de animæ origine* quæ nunc mutato ordine est 166. Quid igitur, quod iis rationibus contra Manichæos confecerat, minus ne valide, firmiterque confectum putat? Atqui in hac eadem epistola, hoc ipso eodem capite, ac numero « invictum persistere ait, quod tunc agebat. » Illud ergo est : in eo libro ita *contra Munichæos*, pro Dei sanctitate, et justitia pugnat; ut, quoniam ii testamentum vetus, quodque ad originale peccatum attinet, novum quoque repudiant; nec certam aliquam de animarum origine sententiam statuere laboret, qui eas appareat Adæ culpa jure teneri, et obstringi; nec plane contendat, quæ mala nos multa, et gravissima, in ipso vitæ limine, statim excipiunt, supplicia esse, ut revera sunt, non vero primordia naturæ. Rationibus ibi utitur validissimis iis quidem, atque firmissimis; sed et a sacris litteris, et a præsenti rerum statu, atque ordine omnino solutis, et abstractis, nec tam id ibi curat, aut sequitur, quod est reipsa, quam quod esse potuit. Potuit autem Deus, quis neget? eos, qui a parvulis plura subiissent incommoda, aut adulta ætate, aut etiam hac vita functos pluribus bonis cumulare; ut non culpandus, sed laudandus ab iis esset, quos durius habuisset : neque id illi, aut injustitiæ, aut immanitati, sed bonitati, ac beneficentiæ tribuendum foret. Contra vero Augustinus idem in hac epistola nihil probat, quod ex sacris litteris, atque ex ea, quam sacræ ipsæ litteræ modo esse docent, divinæ providentiæ ratione, institutoque nexum, suspensumque non sit. Cumque, ut res modo se habent, malum omne, et quidquid durum, ac triste quisque patitur, supplicium sit, et in peccatum ultimo tandem referri debeat; rationem, non qua parvuli juste; sed qua crutientur, cruciatibus juste puniantur, quærit hic Augustinus. Eaque omnis propterea ipsi modo visa est minus *valida*, *et firma* divinæ justitiæ defensio, qua non probetur in pueris aliquid pœna dignum inesse; quod tam multa ferat illa ætas, quæ licet alias causas habere potuissent; ex peccato tamen nata esse omnia certo constat, et supplicii rationem habere. Eademque de causa, eam, quæ Hieronymo, et sibi

cæteroquin etiam probabatur, sententiam de animæ hominis origine, amplecti cunctatur, quod in ea sibi non satis liquido appareat, « qua justitia animæ, si novæ creantur, ac nullo suo præcedente peccato, sed voluntate creatoris singulæ singulis nascentibus adhærent; ita peccato obligentur alieno, cum exinde propagatis membris mortalibus inseruntur: ut tantis deinde afflictionibus pœnas luant, » quantas ibi sanc. doctor enumerat: quæ omnes quidem ipsum primo sollicitum atque anxium habent; deinde vero « iis omissis, et contemptis, quæ brevi tempore patiuntur, nec transacta revocantur, earum damnatione » se maxime angi significat, « quæ sine baptismo ex hac vita emigrant. » Hac in re præcipue, iis rationum præsidiis, ac propugnaculis diffidere videtur, quæ ipsum adversus Manichæos, *securissimum*, ut ipse, fatetur, præstiterant. Atque illud hic in primis rejicit, quod ibi *firmissimum* expertus fuerat Deum videlicet, « in secreto judiciorum suorum parvulis, aliquid bonæ compensationis fortasse reservare : » quæ defensio hic sane locum non habet : nam « circa eos, qui post gravissimos cruciatus sine sacramento Christianæ societatis expirant quæ compensatio cogitanda est, quibus insuper, et damnatio præparata est ? » Non igitur, ut ex his clarissime apparet, quæ alibi dixerat Augustinus, in hac epistola retexit, ac revocat, ut velit Jansenius : sed contra alios hostes aliis armis sibi pugnandum existimat : atque disputandum cum Pelagianis, qui « quod utraque Scriptura docet, accipere se profitentur, » uti præsens fert rerum ordo, et providentiæ, qua regimur, lex, et ratio postulat. » Hæc Augustinus.

Horum autem similia reliqui sacri scriptores, cum illorum temporumæqu ales; tum qui deinde sunt consequuti. Paulinus epist. XXXVIII *ad Jovi.* « utiliter exercemur, » etc. Claudius Mar. Victor. l. I *in Gen.* « largitio pura, non merces, » etc. Cyrillus Alex. *Glaphyr.* l. I *de Jacob.* « Gaudent potius, » etc. Joh. Cassianus col. VI *de nece Sanct.* « Tria sunt, Bonum, Malum, Medium, » etc. Petrus Chrysol. serm. LXXXIX *de S. Joh. Bapt.* « Media sic habentur, » etc. Eucherius sen. epist, parænet. *ad Val.* « in eamdem utilitatem bona, et mala, » etc. Basilius Seleuc. orat. VIII *in Joseph.* « virtutis mercaturam, » etc. Prosper in resp. ad cap. XIII *Gal.* « gloriosa olerantia, » etc. Sententias supra citavimus. Theodoretus l. V *hæret. fabu.* cap. X. « Pauperias, servitus, morbus mediam quamdam sortem, » etc. tota orat. XI et IX *de provid.* item serm. III, VI, XI *de curan. Græc. affect.* Denique in auctar. epist. ad ep. *Antiochiæ*, et epist. *ad Dioscor.* Æneas Gazæus in *Theoph.* « Nec pauperiem, nec morbum mala esse, » etc. Procopius Gaz. in c. III *Gen.* « nec inter bona, nec inter mala, » etc. Fulgentius epist. I *ad Gal.* n. 15 « nec miseros homines possunt facere, » etc. et serm. X *de verb. Mich.* n. 5. « Malum autem dico, » etc. tum, si ei adjudicandus est liber *de præd. et Grat.* ibi cap. XVI, « Si humanum genus, » etc. Primasius in omnes ep. Pauli, ubique passim : itemque Gregorius M. apud quem illa præcipua, ac perillustria sunt tom. I, *Præf. in l. Job.* n. 6. « sicut unguenta, » etc. lib. II, cap, XLV, n. 70. « Deus non nisi benigne, » etc. lib. III, cap. VII, n. 11, « eo premis in infimis, » etc. lib. VII, cap. IV, n. 29. « Nec proprietas, » etc. lib. VIII, cap. X, n. 20. « Electus igitur quisque, » etc. sed super hac re nimis multa: idem scribit Gregorius aliis in locis quam pluribus : idem alii omnes Ecclesiæ scriptores ad nostra hæc usque tempora, quorum testimoniis in hanc etiam catholici dogmatis partem a me olim laboriosissime collectis, ne similitudo, et copia fastidium creet, hic supersedeo.

§. III.

Et jam tandem ad primum respondeo, crudele merito reputari ab Augustino, quod ibi scribitur; primum, quia inter eas miserias peccatum Manichæi ponebant, ejusque non liberum hominis arbitrium, sed Deum auctorem faciebant. Quare apud ipsum disp. I *cont. Fortun.* n. 27, ita cum Deo expostulat hominis anima. « Non est mihi servatum liberum arbitrium : tu nosti necessitatem, qua pressa sum : cur mihi vulnera imputas, quæ suscepi? quare me cogis ad pœnitentiam, cum tu sis causa vulnerum meorum, cum tu scias quæ passa sum, gentem tenebrarum in me fecisse, te auctore, » etc. et l, XXII, c. XXII *cont. Faustum.* « Quis ferat, inquit, etc. cum Deus, quem fingitis, membra sua, quæ coactus coegit ire in fauces peccāti, postea damnet in globo? etc. membra sua Deum, et in peccati voraginem tradere, et pœnæ sempiternæ colligatione damnare. » Deinde, quia quodcumque animæ coactæ peccarunt, non hujusmodi vitæ miseriis plecti dicebant, sed æternis quoque suppliciis, ut constat ex loco proxime

citato. Quæ sane summe distant ab iis molestiis, et incommodis, quibus hominem subjici posse contendimus in statu puræ naturæ. Denique, quia hæc omnia non in ullam animarum ipsarum utilitatem, non in Dei gloriam, et honorem ; sed in vanum quemdam ipsius metum , seu potius, sæviendi libidinem referebant. Sic enim Fortunatum urget Augustinus disp. II, n. 25 et 26 » si Deo noceri non poterat, quare nos huc misit? » atque ita concludit num. 28. « Cui noceri nihil poterat, crudelis voluntas fuit, » etc.

Ad secundum respondeo, ea nos attulisse ex Augustino, quibus perspicuum atque evidens sit, non accusandam sed maxime laudandam Dei justitiam, etiamsi hominem ita condidisset, ut jam inde usque a prima ætate, quantumvis innocens, atque extra omnem culpam, multis tamen, gravibusque subjaceret incommodis. Quare quod habet contra Julianum, « Deum fore injustum, si tam gravi jugo premeret parvulos innocentes; » dictum intelligi debet, pro præsenti rerum statu, ac providentia, in qua ejusmodi mala pœna sunt, non conditio naturæ. Quod si pœna sunt, aut culpam arguunt in hominibus, aut injustitiam in Deo. « Omnis enim pœna, si justa est, pœna peccati est, et supplicium nominatur, » ait August. l. III *de lib. arb.* c. XVIII, n. 51. Nec vero hic mihi rursus opponi potest, id ipsum negatum fuisse ab Juliano, vitæ scilicet hujus ærumnas supplicii rationem habere : hunc enim fuisse primum Pelagianorum errorem, etiam si Adam non peccasset, ipsum tamen, ejusque posteros, et morituros fuisse, et reliqua omnia passuros, quæ mortalem conditionem sequuntur. Vitiosum porro esse concludendi genus, ut quidpiam evincas, id assumere, quod æque sit controversum : principioque, ut aiunt, atque hypothesi aliqua niti, de qua cum adversariis non tibi conveniat. Id, inquam, objici mihi non potest. Etenim Augustinus, ut primi criminis reos esse parvulos omnes evinceret, sumpsit quidem, et habuit interdum etiam pro concesso, et probato, mala illa, sine quibus nullus hominum nascitur, supplicia esse; non primordia naturæ, sed recte id, atque jure sumpsit : probarat enim jam , atque obtinuerat utriusque Scripturæ præsertim, et Patrum, qui ante ipsum floruerant, testimoniis luculentissimis : quæ plurima protulit contra Julianum, quæque non eo pleraque directo spectant, ut probent, pertinere ad posteros Adæ peccatum ; verum illud primo efficiunt, eas esse præsentis providentiæ leges, seu, ut Augustinus ait, « hujus sæculi dispositionem, » ut iis bonis, quibus ab initio ditatus est homo, nemo excidat, atque ejiciatur, qui reus non sit : nec mors, dolor, calamitas, malum denique sit nullum, quod idem pœna non sit : ex quo deinde nascitur illa conclusio : « Deum fore injustum ,si tam gravi jugo premeret innocentes. »

Ad tertium respondeo, sejungendam esse æternam miseriam, de qua sermo est in iis tribus locis, quæ nobis objecta sunt, ab iis molestiis ac difficultatibus, de quibus præsens est controversia. De illa quidem, pro ut res tulit, quæ fuerit Augustini mens, et sententia, sub ipsum secundi paragraphi initium declaravi; de his vero sic statuo, iis tunc deformari, pervertique rectum rerum ordinem, Augustini sententia, cum pœnæ rationem habeant, ut reapse nunc habent, et tamen culpam antecedant, premantque innocentes: secus vero, ubi sint conditio naturæ, atque experimentum, exercitatioque virtutis. Quod ipsum diserte testatur Augustinus in eo ipso loco, qui contra nos citatur ex lib. III, cap. IX *de lib. arb.* « Si bonum, inquit, n. 28 et magnum aliquem virum, hortante honestatis officio, videamus ignibus, quantum ad corpus attinet, concremari, non hoc vocamus pœnam peccati, sed fortitudinis, et patientiæ documentum, etc. At vero crudelissimi latronis membra cum tali supplicio confici adspicimus, approbamus ordinem legum. Ornant ergo ambo illa tormenta (non perturbant, aut pervertunt rectam Reipublicæ administrationem,) sed ille merito virtutis, iste peccati. »

DISPUTATIO A RATIONE.

§. IV.

Idem, omnibus innatum, et in animo quasi insculptum dicunt a natura, non posse, qui innocens sit, re adversa ulla cruciari. Primo, quod antiqui philosophi in eo plurimum laborarint, ut malorum, quibus urgemur, causam aliquam invenirent, quæ Deum injustitiæ, et crudelitatis absolveret : et alii quidem in ante actæ vitæ facinora, alii in Dæmonem ipsum, alii in naturæ bonæ, et malæ mixtionem ea omnia retulerint, alii in alios errores abierint.

Secundo quod Augustinus ipse, contra Pelagianos etiam naturalem rationem sibi in præsidium advocet, præcipue lib. V *cont. Jul.*

cap. ult. n. 65 et 66 et lib. VI, cap. XXI, n. 67, quibus in locis, ab iis, qui negant Adæ culpam ad ejus posteros pertinere ; alterutrum concedendum putant, aut Deum esse injustum ; aut eam naturæ bonæ, et malæ permixtionem esse factam, quam commenti sunt Manichæi.

§. V.

Sententiam nostram ratio quoque probe confirmat. Et primo quidem ad reliqua mala, quæ infestam habent hominum vitam, validum est argumentum. Si enim Adam, sine ulla sævitiæ, aut injustitiæ nota, a Deo condi potuit morti obnoxius, quæ omnium terribilium ultimum est ; cur non etiam subjectus cæteris malis, quæ cum multo leviora sunt, tum gravius nihil habent, ac tristius, quam quod indicia futuræ mortis quædam, atque adeo initia, et causæ sunt? Præterea illa ipsa, quibus hominem ostendimus natura mortalem, reliquis malis subjectum comprobant, quibus, post grave admissum, conflictari cœpit. Quas enim, intra hominem mortis causas esse diximus, eædem et plurimos afferunt morbos, atque ipsam in primis senectutem efficiunt, quæ tot habet incommoda, ut dubium esse non possit, quin homo innocens ita condi queat, ut in miseria, atque ærumna aliquando sit, si ita condi potest, ut consenescat ; cum miser, atque ærumnosus hoc ipso sit, quod se futurum cogitet aliquando senem. Quid quæ sunt extra hominem? Deberi ne aliquid ipsi putas, cujus ope non id solum propulset, quod si juxta sit, fodiat, laceret, interficiat ; sed id etiam quod sensum aliquem doloris asperum cieat, quod cutim pervellat, quod leviter pungat? Quod si homini innocenti, nihil tale debetur, numquid igni, si propius ad illum accedat, si attrectet, in eum hominem, vis nulla esse debet? Atqui nobis tactus ideo datus, totoque corpore æqualiter fusus est, ut omnes ictus ac nimios ipsos frigoris, et caloris appulsus sentire possemus. Nec vero tactus duntaxat, sed ipsum plane admirabile aliorum etiam sensuum artificium ; totaque humani corporis constructio satis ostendunt ; ab iis, quæ nobis extrinsecus objiciuntur, nihil unquam pati asperum, triste, durum, penitus supra naturam hominis esse.

Venio jam ad theologica : atque illud primum statuo, malorum genera esse duo : in altero quod est, vere, et proprie malum esse : culpam enim semper aliquam, et turpitudinem habet. Quæ vero alterius generis sunt, ea vix in malis ponenda esse : quippe quæ vitio vacant, et sicut a culpa, sic etiam absunt a vituperatione, ac reprehensione sapientium. Primi quidem generis mala semper ex mala causa : nam culpa bonam voluntatem habere non potest. Horum vero, quæ vix in malis esse diximus, sæpe sunt causæ laudabiles, eademque honeste eligi, atque expeti, Deumque ipsum auctorem habere queunt. Hic autem contra me statim insurgunt adversarii : et hæc quoque mala, a mala causa profecta esse clamitant : miserias nimirum, ærumnasque omnes terris invectas primi hominis culpa. Quasi vero id negem : aut, si non peccasset Adam, tale aliquid nos passuros fuisse dicam. Hæc omnia, fateor, terris intulit culpa : sed distinguendum, ac sejungendum dico id, quod re ipsa fuit, ab eo, quod esse duntaxat potuit. Supplicii ista quidem nomen, et rationem habent : eaque, veluti laxatis habenis, in nos immisit, et quasi incitavit divina ipsa justitia, scelerum ultrix, ac vindex. Quæro autem, immitti et poterant etiam in innocentes? Non poterant, inquis ; nam ita, Deum inter, hominesque convenerat ; eos, quamdiu in Dei obedientia persisterent, tamdiu malorum id genus expertes fore. Quid si ita non convenisset? tamen immitti non poterant : crudelitatis enim atque injustitiæ fuisset, exagitare, atque excruciare hominem, sine ulla causa. Ergo, si id non sine causa fieret, liceret. At, quæ causa esse potest torquendi innocentem? Bonum ipsius aliquod majus, ac præstabilius, quam illa ipsa doloris omnis amotio, quam deberi vis innocenti. Quid enim, non licuerit Deo malis hisce, quæ vitio carent, primos homines subjicere, ea saltem ratione, qua malorum genus aliud, in quibus est culpa, licuit non impedire? Quod Deus non impedierit, ut sane poterat, quo minus primus homo peccaret ; ultionis certe non fuit ; nec, si ultionis non fuit, crudelitatis continuo fuit, atque injustitiæ. Bonum scilicet aliquod illinc eliciendum sibi proposuit, quod ipsi quidem gloriæ, nobis vero utilitati maxime cederet. Potuit igitur eodem consilio, atque proposito non penitus summovere ab innocentibus frigus, calorem, res alias, quarum est appulsus, morsusque paulo acrior : nec potuit id ipsi vitio verti, atque exprobari. Neque enim dubitandum est, quid corporis cruciatibus efficere potuisset,

qui ex veris animi malis, peccatoque ipso tot bona exprimere, atque extundere potuit, ut melius fuerit, eum « de malis bona facere, quam mala nulla esse permittere. » Longum vero esset utilitates omnes, et commoda recensere, quibus homini etiam innocenti satius foret aliquid objici adversum, cum quo molesta, et dura quædam interdum ipsi luctatio esset, quam rebus prosperis semper uti, et ad voluntatem fluentibus. Sic enim in omni virtutum genere se exercet, in eoque christiana humilitas, patientia, fides, spes, charitas intenditur, atque augescit. His autem accedit, ipsi, quo pluribus hic molestiis, et angoribus implicatus sit; eo majorem, cumulatioremque, vel apud superos, vel alio in loco paratam fore mercedem. Quod unum bonum, qui sibi proponeret, etsi is quidem nil pœna dignum admisisset, non video tamen ei quid dolendum foret, aut expostulandum cum Deo de dolore, de paupertate, de charorum interitu, de morbo, de debilitate, de cæcitate, tum si qui sunt alii casus, in quibus, nescio quomodo, nomen positum est calamitatis, et mali.

Insto præterea, atque urgeo : licet Deo non impedire peccatum, quod sui ipsius cognitio, quod pœnitentia, quod aliud quidpiam consequatur, aut homini salutare, aut honorificum Deo : si bona igitur illa ipsa eadem adjuncta esse videat cuipiam corporis morbo, aut vulneri; ista non impedire multo magis liceat. At enim, esse peccatum cum permittit, hominem facultate libera, qua præditus est, uti sinit. Perinde quasi non æque facile, ac promptum ipsi foret, impedire peccatum, etiam incolumi libertate. Age vero : quoniam potestate, ac libertate, qua pollet, hominem ad arbitrium suum uti permisit; si tantumdem boni conficere poterat, ut vere poterat, hominis cruciatu aliquo, atque morbo; dubitandum non est, quin illis fas esset id ipsum frigori, et calori permittere : uterentur scilicet viribus suis, easque, ut casus, et rerum natura ferret, in hominem sine impedimento explicarent. Nam profecto, si homo, quoniam ei libertas attributa est a natura, is est conditione sua, in quem cadere culpa possit; cum ei sensus a natura dati pariter sint, is est etiam, in quem cadere possit et dolor. Quemadmodum igitur Deus, quamvis is homo esset, qui ad peccatum illici, et inflecti non difficile posset; imo quamvis certo sciret, fore ut in bono non persisteret, si tentaretur a dæmone; tentari tamen illum, rectoque averti permisit; « quia usque adeo est omnipotens, ut de malo illo facere possit bene; » sic etiam permittere potuit, eumdem tentari frigore, et calore, tentari morbo aliquo : cum ipsi, qui omnipotens est, et sapientissimus, ex his etiam malis, quæ vere, et proprie mala non sunt, bonum aliquod extrahere, nec minus facile, nec minus conveniens foret.

Ratio hæc aliam ducit ipsi valde conjunctam. Indignum Dei nec æquitate, nec bonitate fuit, hominem innocentem obnoxium esse sollicitationibus, ac tentationibus dæmonis; nec igitur indignum fuisset, eumdem subjectum esse morbis, et doloribus. Ecquid mali est, dicent, in tentationibus? homini tentatio non nocet, nisi ipse velit. At turbat, angit, excruciat, etiam si non velit. Certe homini probo multo gravius, durius, odiosius est oppugnari a Dæmone, quam pedibus, aut stomacho laborare : hinc enim vita, illinc innocentia, quæ vita ipsa homini potior esse debet, in discrimen adducitur. At enim id homini non debebatur, nullam esse extra ipsum peccandi illecebram, quæ illum aliquando invitaret, atque allectaret. Idem prorsus a nobis ostensum est de alio malorum genere, non eum esse hominem natura sua, quem nullus unquam attingat dolor, aut morbus, cui nihil durum, ac triste accidat. At tentatio, et si malum aliquod sit, magnum tamen continet hominis bonum : in eaque seges, et materies est ampla gloriæ. Neque insidiis, atque oppugnationibus Dæmonis ideo est expositus Adam, ut vinceretur : sed, ut vinceret : atque ex eo certamine, ejus et fides, et constantia enitet. Ego vero id ipsum confirmo de paupertate, de orbitate, de morbis, de cruciatibus, ac de omni malorum turba, quæ, propter ipsorum utilitatem, qui recte de rebus æstimet, non tam pœnæ deputet, quam beneficio. Et profecto id etiam tentationis genus est aliquod, sed omni plane malitia, et fraude vacuum, honestum, laudabile. Quod si absurdum non est, a Dæmone, cui propositum est verum hominis malum, attentari, sollicitariquefidem ipsius, etiam innocentis, absurdum qui sit, eamdem probari a Deo? a quo quæ est, est eadem honesta, et sancta tentatio : *nam Deus intentator malorum est*. At in hac tentatione est aliquis sensus doloris. Quid tum? In illa est, quod innocentem acrius pungat, ipsique magis displiceat, atque odio sit; scilicet insidiæ, captiones, præstigia, incitamentum, lenociniumque peccati. Non equidem intelligo, si sevitiæ non fuit, ut certe non fuit, hominem dæmoni objicere, eumdem objicere dolori,

cujus sævitiæ fuisset. Nempe oppugnatio doloris acerba est, et aspera sensibus ; dæmonis animo.His præsidiis munitus, et instructus est Adam a Deo, quibus Dæmonem facile vinceret. Armari pariter ita poterat adversus dolorem, ut ne succumberet, animoque concideret. Objectus est dæmoni, ut vinceret, victoriæque suæ præmium amplissimum ferret. Objici potuit dolori, itidem ut vinceret, ac demum tolerantiæ suæ eximios fructus perciperet. Illud vere inter utrumque interest : tentatio altera tota est in insidiis, in spe vana, atque mendaci, falsisque pollicitationibus : quæ omnia cum per se mala sint, et culpam spectent, eoque tendant, ut hominem capiant, a Deoque abducant, a Deo ipso esse, et adhiberi non possunt. Tentatio vero altera posita est in rebus duris, adversis, toleratu difficilibus, quæ, cum non sint mala per sese, a Deo injici possunt, atque ipsum auctorem habere. Porro hoc ipsum harum tentationum discrimen sententiam nostram confirmat : etenim si Deum non dedecet, eum condere hominem, qui a dæmone tentari per insidias possit, Deum qui dedecet talem condere, ut a Deo ipso tentari, seu verius probari, ac perfici queat doloribus, atque cruciatibus ? Mirum oppido est, quem Deus non eximit iis tentationibus, quæ positæ sunt in malo, et malum spectant ex sese ; ab eo illas omnino removere debuisse, quæ virtutem acuunt, probantque : nec fraudem, nec improbitatem, nec malitiam, nec culpam, nec turpitudinem habent. Sed et aliud est tentationis utriusque dissimile, quod altera est altera periculosius. Difficilius enim est homini cum dæmone quam cum dolore luctari. Quam multos antiquus hostis a virtutis proposito avertit, eorumque voluntates id genus illecebris huc illuc flectit, ac torquet ; quibus ærumna ne vultum quidem mutaret ! Et forte primos parentes, quos ille tam facile dejecit, dolor non inflexisset. Quare hinc etiam ita concludo : exponi potuit homo innocens majori periculo : potuit ergo idem exponi et minori. Et si Deus, quanquam nec homini infensus, nec ullius sceleris ultor ; ipsum tamen objecit hosti callidissimo, a quo subito circumventus, captusque est : quid ni, bono pariter hominis aliquo sibi proposito, ipsum posset cum eo hoste componere, de quo vel utrumque, vel alterum saltem certo sciret, aut ab homine vincendum reapse, aut vinci posse quidem certe facilius. Sane, si cui potestas, atque optio fiat, utrum adversarium sibi dari malit dæmonem, an dolorem ? si is saluti suæ consultum optime velit, continuo petat dolorem : de eoque, tanquam de præstanti aliquo bono ad se divinitus delato, et sibi ipsi gratuletur, et Deo, tanti muneris auctori, gratias quam maximas agat.

§. VI.

Quæ cum ita se habeant, ad primum respondeo, a nobis quidem facile dari in hominum animo penitus affixum, atque insitum esse a natura, nihil adversi pati quemquam sine causa, hoc autem dato, contra nos nihil plane concludi qui non sine causa sed sine culpa, pati hominem posse volumus, causasque plures afferimus, easque honestissimas, atque justissimas, cur is etiam, qui in culpa non sit, in doloribus sit tamen animi, et corporis : quodque ita se habeat, agi secum a Deo liberalissime, ac beneficentissime putet. Quod autem in has causas mortalium ærumnas non revocent veteres quidam philosophi, qui hac super re multa stulte, atque impie fabulati sunt ; de hoc enim vero non multum laboro : cum enim mihi præsto adsint, et suffragentur ad unum omnes sacri Ecclesiæ scriptores, non est, quod Pythagoreorum, et Manichæorum suffragia magnopere ambiam : adstipulatores, patrocinatoresque istos adversariis libens remitto.

Ad secundum respondeo, Augustinum, ut ex libris ipsis ab adversario citatis facile apparet ; tum demum naturæ lumen, rationemque ipsam Pelagianis objicere, postquam constituit mala ista, quibus afflictamur, non primordia, sed supplicia esse naturæ. Id nisi sumat, et habeat ibi jam pro probato ; videri possit naturali lumini, et rationi nimium sane tribuere : qua vel sola detegi posse confidat non solum originale peccatum, sed etiam adventum, et gratiam servatoris, et alia fidei nostræ mysteria, quæ omnia pariter colligit ex miseriis parvulorum.

ARTICULUS IV.

Utrum eidem debeatur Ἀπάθεια, *hoc est, ut vertit Hieronymus, Imperturbatio.*

DISPUTATIO AB AUCTORITATE.

§. I.

Aiunt Baius, et Jansenius : qui quæ ab auctoritate fuse, et late disputant, ad hanc

summam omnia tandem referunt : si homini, ut homo est, non deberetur *Imperturbatio*, naturalem ipsius proprietatem, et conditionem fore *Concupiscentiam* : hoc autem dici non posse, primo quod eam Apost. *ad Rom.* VII, 9, 23 *peccatum appellat*, *legemque peccati*.

Secundo, quod eam ex sese malam, pudendamque esse multis in locis Augustinus probat cont. Julianum, multisque rationibus : quin etiam illum reprehendit, quod eam *naturalem* dicere auderet.

§. II.

Ego vero contra hos ea primum veluti in aciem educo, quæ sunt *Gen.* II, 25 *erat autem uterque nudus, Adam scilicet, et uxor ejus, et non erubescebant*. Et III, 7 ותפקחנה עיני שניהם et *aperti sunt oculi amborum : cumque cognovissent se esse nudos* etc. tum ver. 11. *Timui, quod nudus essem, et abscondi me : cui dixit, quis enim indicavit tibi, quod nudus esses*, etc. Hæc enim mutationem illam significant, quæ intrinsecus etiam facta est in homine : atque eorum præcipue habituum jacturam, quorum ope, nec caro pugnabat adversus spiritum, nec appetitus adversus rationem. Hæc sane Patrum interpretatio : Chrysostomus hic « aperti sunt, inquit, oculi amborum, quia, postquam mandata transgressi sunt, Deus sentire eos illa fecit, quæ ante, ob singularem illius in se benevolentiam, non sentiebant, etc. auferrique gloriam illam, quæ, quovis vestimento, honestius eos tegebat. » Augustinus lib. XI *de Gen. ad lit.* cap. XXXII, num. 42. « Ibi enim sensit, qua prius gratia vestiretur, quando in sua nuditate nihil indecens patiebatur. Ibi completum est, *Domine, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem.* » In voluntate tua, id est omnino libere, et gratuito. *Avertisti autem faciem tuam a me, et factus sum conturbatus.* Quæ postrema *Psalmi* XXIX, verba ita explanat in lib. *de Nat. et grat.* c. XXVIII, n. 32. « Descrit aliquantum Deus unde superbis, ut scias non tuum, sed ejus esse, et discas superbus non esse. » Plura de hoc ex Patribus suis in locis.

Secundo ipsis objicio Romanos pontifices, a quibus hæ theses damnatæ : XXVI « Integritas primæ conditionis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio. » XXIX. « Falsa est doctorum sententia : primum hominem potuisse a Deo creari sine justitia naturali. » LV. « Deus non potuisset ab initio talem hominem condere, qualis nunc nascitur. » Quibus thesibus, appetitum natura sua rationi plane ad nutum obedientem intelligi voluit Baius, ut ipse fatebur lib. I *De prima hominum cond.* cap. III.

Postremo sacros omnes omnium sæculorum scriptores, qui ἀπάθειαν supra hominis conditionem evehunt, et imperium duntaxat politicum in appetitum rationi concedunt : Apud hos vero, quæ præcipue legenda sunt fuerit hic indicasse satis. Dionysius Areopagita cap. IV *de div. Nom.* §. 19 ab iis verbis, « a ratione dissident perturbatione, » etc. §. 20 « concupiscentiam irrationalem » §. 23. « Ipsa vero affectio animalis naturam » etc. §. 25. « Si concupiscentiam, cæteraque, quæ dicuntur, sed non sunt simpliciter mala » etc. Clemens Alexandr. l. IV *Strom.* « hominis virtus, cum sit sua essentia perturbationibus obnoxius » etc. et *Pædag.* l. I c. II. « Christum Dominun Patri simillimum dicit, » quod ἀναμάρτητον, et ἀπαθῆ « Omnino ab humanis perturbationibus liberum » etc. Hilarius Pict. toto libro X *de Trinit.* de quo tamen libro consulendus Lanfrancus Cantuar. Archiep. contra Bereng. in epist. quam refert Baron. tom. II *Annal.* ad an. MLXXVIII Athanasius tom. III lib. *De commun. similis essent. trium Personarum* §. ult. « Naturalis affectionum motus ei insitus est » etc. Basil. Magn. tom. I lib. *de vera Virgin.* « vi naturalis instinctus » etc. Gregorius Nazianz. orat. XXVI *de Moderat.* « Anima per corpus affectuum particeps sit. Timor eam constringit, » etc. Macarius senior tota ferme homil. XVII imo et XXXVIII ut plane demirer Apathiam, quam Evagrius Ponticus accepit ex Stoicis, a Gennadio in Macarium referri catal. cap. X. Sed illud fortasse est, homo a Pelagianis non plane alienus Apathiæ, quæ unus erat ex tribus præcipuis ipsorum erroribus, Macarii patrocinium, in suo illo catalogo accersere voluit. Consule indicem expurgat. Gregorius Nys. disp. *de Anim. et resur.* πάθη, id est, « affectus, passiones, perturbationes, neque nobis attribui in malum ; neque illinc peccatorum existere causas necessarias, ac propterea peccata referri non posse in Deum humanæ naturæ auctorem » etc. Quo dici nihil aptius potest, pro nostra sententia. Nemesius philos. lib. *de Nat. hom.* cap. I. « Homo non modo rationis particeps, sed etiam animal est, et necessarii vitæ usus animalis, motusque turbidi persæpe rationem attentant, » etc. Ambrosius *de Noe, et arca* c. XXIV. Omnis affectus, qui est, præter deformis delectationis illecebram, passio quidem est,

sed bona passio, etc. et cap. XXV. In carne delectatio, et passio est : non mens, et ratiocinatio, etc. denique integris capit. XXI et XXII, lib. I *de Officiis*. Joh. Chrysostomus hom. XVI in cap. II, *Gen.* « ablata est gloria, quæ illos circumdabat, quia se indignos tali honore fecerant, etc. Nudati propter peccatum supernæ gratiæ amictu, et sensibilis suæ spoliationis sensum acceperunt, etc. veste illa nova, et admirabili gloriæ, ac supernæ benevolentiæ expoliatos Deus sentire fecit, quæ ante, ob singulorum illius in se benevolentiam, non sentiebant, » etc. Apertius autem, et sine ulla metaphora hom. XIX, ex iis XXII quæ habitæ sunt in sedit. Antioch. anno Christi 387. « Concupiscentiæ radix habet a natura principium : concupiscere enim naturale est. » Hieronymus tota epist. *ad Ctesiphontem*, in qua Pelagianam quidem *Apathiam* insectatur : ita tamen, ut Baium etiam, et Jansenium feriat, eosque omnes, qui hominem, ex suamet naturali conditione ἀπαθῆ esse docent : a quibus eorum philosophorum errorem instaurari dolet, qui hominem Deo non modo similem, sed etiam æqualem faciebant ; sive quod *Apathiam* directo propugnarent, ut Zeno, sive quod aliquid docerent, ex quo necessario illa sequitur, ut Pythagoras, qui, ut est apud Ciceronem lib. I *de Nat. Deor.* n. 27 ac *de Senect.* n. 78 hominum animos e divina ipsa natura, et substantia delibatos esse aiebat, atque defectos, ac propterea ἰσοθέους, et ἀντιθέους. Legenda præterea quæ scripsit Hieronymus idem præf. l. IV *in Jerem.* lib. ipso IV commen. cap. XXII prolog. dialog. et lib. II *adversus Pelag.* epist. CXLIII *ad Julianum.* lib. *de Grat. Christi* c. XXII et sequent.

Deo æquales et Deos.

Ex Augustino primum illud expediam, quod mihi sane suppeditabat Hieronymus quoque. Ab utroque enim Pelagiani impugnati, cum aliis de causis, tum etiam, quod *Apathiam* inducerent, atque in hominis potestate esse contenderent, cupiditates vel nullas, vel rationi plane obsequentes habere. Quæro autem, in cujus hominis potestate situm id esse dicerent. Innocentis ne, et originariæ labis expertis? Ita plane : in hoc enim etiam erravit Pelagius, quod naturam humanam adhuc incolumem, atque innocentem putaret : neque ad posteros pertinere ullo modo primi parentis delictum. De homine igitur innocente id affirmabat : et tamen impugnatus est ab Augustino, et Hieronymo, neque id tantum ipsi crimini datum, quod hominem nasci innocentem putaret ; sed etiam, quod in hominis, quem innocentem putabat, potestate esse diceret, eo quietis, et tranquillitatis pervenire, ubi perturbationibus animi prorsus omnibus, commotionibusque vacaret. Quod si id deberetur hominum naturæ innocenti, ut ait Baius, et Jansenius, nequaquam fuisset de opinione illa Pelagius damnatus, neque Patres, qui ipsius errores recensent, ac notant, hunc seorsum ab aliis ponerent, quasi numerum, ac seriem, gravitatemque augeret errorum. Exemplo uti libet : fac Sortem in gravem aliquem morbum incidisse : constet autem me secus existimare, eoque errore ductum de Sorte ipso id pronuntiare. « Sortes modo iter mille passuum pedibus conficere potest. » Prudenter hic mihi nemo duplicem objiciat errorem : et quod Sortem ægrotare non putem, et quod iter illud pedibus posse putem contendere. Transferantur hæc ad rem nostram. Adæ culpa vitiata est humana natura, et sceleris primi contagio ad posteros omnes manavit. Negat id Pelagius, et hominem, quem adhuc integrum, atque incolumen judicat, nullaque affectum peccati macula, posse ait propriis opibus, et facultatibus, « legem, justitiamque omnem implere, et perficere : » ut sine omni prorsus peccato sit, non solum *formali*, quod aiunt, sed etiam *materiali* : nec ἀναμάρτητος tantum, sed et ἀπαθὴς proprie, ac vere dicatur. Reclamant Patres, in concilia coeunt, seorsim utrumque culpant, atque damnant : et quod hominem faciat innocentem, et quod innocenti longe plus justo tribuat. Profecto, si persuasum fuisset Hieronymo, et Augustino Ἀπάθειαν hoc est, ut ipsi vertunt, *impassibilitatem*, *et imperturbationem*, non transilire fines, et jura naturæ innocentis ; non erat, cur tantopere succenserent Pelagio, quod hominem, quem omni culpa vacuum existimabat, id assequi posse diceret naturæ viribus, ut peccato careret, eo etiam, quod ita vocatur, « quia et peccato factum est, et peccatum, si vicerit, facit, » l. I *de nupt. et concup.* c. XXIII, n. 25 nec bonum duntaxat faceret, sed etiam perficeret ; licet « hæc sit perfectio boni, ut nec ipsa concupiscentia peccati sit in homine, » etc. l. I *Retract.* c. XV n. 2 « et hoc sit perficere bonum, ut nec concupiscat homo. Imperfectum autem est bonum, quando concupiscit, etiamsi concupiscentiæ non consentit ad malum, » l. I *cont.* II *epist. Pel.* c. X, n. 19. « Proinde, cum caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, ut

non ea, quæ volumus, faciamus ; nec carnis perficiuntur concupiscentiæ, quamvis fiant ; nec nostra perficiuntur bona opera, quamvis fiant. Sicut enim tunc perficitur carnis concupiscentia, cum consentit ei spiritus ad opera mala, ut non concupiscat adversus illam, sed cum illa ; sic et bona opera nostra tunc perficiuntur, quando ita spiritui caro consenserit, ut adversus eum etiam ipsa non concupiscat,» l. IV *Cont. Jul.* c. ult. n. 36. At enim falso judicabat Pelagius hominem esse innocentem. Quamvis falso judicaret, si tamen judicabat; consequens erat, ut reliqua omnia ipsi tribueret ; quoniam ea negari innocenti nefas esse vos quoque censetis. Quid enim? etiamsi falso putem Sortem recte valere, si tamen puto, ac persuasum habeo ; eumne dicam non posse longulum illud iter pedibus petere? Si vera est vestra sententia, nihil sane plus justo Pelagius dedisset naturæ, quam quod eam culpæ eximeret : nihil enim plus illi dabat, quam quantum eidem, si innocens foret, deberi velint Baius, et Jansenius. Quapropter is unus Pelagii error fuisset : hoc totius hæresis caput, et summa, hominis innocentia. Quod contra tamen visum est Patribus, qui certe Pelagianum dogma trifariam distinguere, ac dividere solebant : ejusque errores ad tria potissimum capita revocare : quæ semper eadem, licet non eodem semper ordine, proponebant. « Primum autem erat ; nihil mali parvulos habere nascendo. Alterum ; Gratiam Dei secundum merita nostra dari. Tertium, hominem in hac vita posse nullum habere peccatum. » Ita Aug. l. III *Cont. Jul.* c. I, n. 2 et lib. *de Dono persev.* cap. II, n. 4. « Tria sunt, ut scitis quæ maxime adversus eos catholica defendit Eccl. quorum est unum, gratiam Dei non secundum merita nostra dari.... alterum est in quantacumque justitia sine qualibuscumque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere : tertium est, obnoxium nasci hominem peccato primi hominis. » Denique lib. *de Hæres. ad Quodvultdeum* n. 88. « Pelagianorum est hæresis, hoc tempore omnium recentissimo a Pelagio Monacho, etc. Hi.... Gratiam Dei, sine qua nihil boni possumus facere, non esse dicunt, nisi in libero arbitrio, quod nullis suis præcedentibus meritis, etc. In id etiam progrediuntur, ut dicant, vitam justorum in hoc sæculo nullum omnino habere peccatum : et ex his Ecclesiam, etc. Parvulos etiam negant, secundum Adam carnaliter natos, contagium mortis antiquæ prima nativitate contrahere. Sic enim eos ; sine ullo peccati originalis vinculo, etc. Objiciuntur eis, et alia nonnulla, sed ista sunt maxime, ex quibus intelliguntur etiam illa cuncta, vel pene cuncta pendere. » Cæteros omnes Pelagianorum errores, quod ex his tribus nexi pendent, reticet Augustinus: si igitur hominis innocentiæ consequens esse putaret, ipsi deberi eas opes, atque præsidia, quibus et salutariter operetur, qui est secundus Pelagii error ; et sine omni plane peccato sit cum formali, tum materiali, qui est error tertius; illam unam nominaret; unam certe persequeretur: in eaque totam Pelagii hæresim veluti in sua stirpe, et radice succideret. Itaque quibus in locis postrema duo Pelagiani dogmatis capita seorsim impugnat, ibi nobis etiam militat contra Baium, et Jansenium. Atque inde peti quidem innumera possint, atque in præsentem articulum transcribi; verum hac pauca brevitatis causa seligenda, ac perstringenda duxi l. I *Retract.* c. XV, n. 2 ab iis verbis, « Hoc enim peccatum usque adeo non est in voluntate, ut dicat quod nolo, hoc facio, » etc. epist. CLXXVII *ad Inn.* n. 16, 17, 18. « Quod dicunt, posse hominem esse sine peccato ... utrum in hac vita, quando caro concupiscit adversus spiritum, » etc. epist. CLXXXVI *ad Paulin.* c. XXII, n. 40 et 41. « Quamvis ei non consentias, » etc. ep. CXCIII *ad Mercat* n. 8. « Quomodo nemo hic vivit sine peccato, » etc. l. X *de Gen. ad lit.* c. XII n. 21. « In potestate non est, ne concupiscat, etc. Apostolus numquid, ait, non sit peccatum in vestro mortali corpore ? » etc. tract. XLI *in Joh. Evang.* c. XIII, n. 12 « non ait non sit, sed non regnet, » etc. tract. LVI in c. XIII, n. 4 « humani affectus, sine quibus in hac mortalitate non vivitur, » etc. tract. LVIII n. 5 « propter humanos, quibus in terris versamur, affectus, » etc. *Exposit. proposit. ex epist. ad Rom.* n. 17, 35, 36, 37. « Ita desideria de carnis mortalitate nascuntur, etc. morietur autem peccatum, cum reformatio corporis, » etc. *Exposit. epist. ad Galat.* cap. V, n. 46 « etiamsi existant desideria carnis de mortalitate corporis, » etc. serm. II *in Psalm.* CVIII, n. 2 et 3. « Non operantur peccatum, et tamen non sunt sine peccato, » serm. XXX *de verb. Psalm.* CVIII, cap. V, n. 6. « Quomodo enim in hac carne mortali, » etc. serm. CLI *de verb. Apost. Rom.* VII, n. 2, 3, 4, etc. « Plenitudo est ista virtutis perfectio justitiæ, » etc. serm. CLII, n. II « agit caro desideria sua, » et serm. CLIV, cap. III, n. 3

et 4. « Angeli justitiam, et perfectionem, » etc. serm. CLV, c. II, n. 2. « Tantum ergo valet mens : sic regit, cum regitur, » etc. et n. 7. « In carne peccati, et mors est, et peccatum, » etc. n. 15. « Resurgat corpus spirituale, videbis plenam, perfectamque concordiam, » etc. serm. CLXXXII, c. V, n. 5. « Quod conditione mortalitatis, » etc. lib. *de Continent.* cap. VIII, n. 10. « Boni perfectio non impletur; quod si in ista mortalitate sperandum putamus, fallimur, » etc. lib. XIV *de Civit.* cap. V, VI, VII, VIII, IX, X. « Quocirca illa, que ἀπάθεια græce dicitur.... optanda est : sed nec ipsa hujus est vitæ, » etc. lib. XX, cap. XXVII. « In hac conditione mortali, et corpore corruptibili.... non perfecte ratio vitiis imperat, » etc. lib. XXII, cap. XXI. « Homo spiritualis sic in hac vita dicitur, ut tamen corpore adhuc carnalis sit, » etc. lib. XIX *contr. Faust.* cap. VII. « Etiam sub gratia positis in hac mortali vita, » etc. lib. II *de peccat. merit. et Remis.* c. VII et VIII, n. 9 et 10. « Donec totum transeat in adoptionem, » etc. *De spir. et lit.* c. XXXVI, n. 66. « Inveniant isti si possunt, » etc. *De Nat. et Grat.* c. XXXVIII. n. 45 « ubi tota hominis absorbeatur infirmitas, » etc. c. XLII, n. 49. « Dum charitas Dei, quantum plenissime natura nostra, » etc. c. L, etc. n. 58, etc. « Ubi est possibilitas, quæ inseparabiliter insita probatur esse naturæ, » etc. c. LII, n. 72. « Facere, etc. perficere autem omnino adversarium non habere, » etc. Integer liber *de Perfectione justitiæ* lib. I *de Nupt. et concup.* cap. XVII, XVIII, XIX, etc. n. 30, 31, 32. « Non perficit, quia non implet, quod scriptum est, *ne concupiscas*, » etc. lib. III *de Controv.* II epi. Pelag. c. VII, n. 18. « Nondum esse æqualem Angelis Dei, et putare se jam posse habere justitiam æqualem Angelis Dei, » etc. et n. 22. « Si secundum hominis mortalis capacitatem perfecti sumus, » etc. l. II *contr. Jul.* c. VIII, n. 22 « cum et nostra corpora fuerint immortalitate renovata, » etc. l. IV, c. III, n. 28. « Quandiu vivimus in hac carne mortali, » etc. l. V, c. XV, n. 57. « Neque enim tantum potest justus homo esse, qui homo est, » etc. l. VI, c. XII, n. 40. « Tanquam in cœlo jam inter Angelos habitans immortaliter, » etc. c. XXIII, n. 74. « Tamen sunt, nec alienæ sunt, » etc. lib. I *Oper. imperf. cont. Jul.* n, 68, 69, 70, 71, etc. « Alia erat illa immortalitas, » etc. n. 101, 102, 103, etc, « adhuc in se ipso ingemiscit adoptionem expectans, redemptionem corporis sui, ubi sic habeat carnem, ut jam peccare non possit, etc. Si enim necessitas nulla peccandi est, quid patiebatur.... ut diceret : non quod volo, facio bonum, » etc. lib IV, n. 43, 44, 45, 46, 47, 48, etc. « Illius virtus hæc erat, eam non habere : nostra virtus est ei non consentire » etc. n. 91, 92, 93, 94, 95, 96, 97, etc. « Ille quoque sanctus, qui dixit Deo : signasti peccata mea in sacculo, et adnostasti si quid invitus admisi ; non utique habuit in voluntate peccatum, quod commisit invitus. Quid ille, qui dicit, non quod volo facio bonum » etc. l. V, XXVIII, XXIX, XXX, etc. « De libera voluntate facientis illud... peccatum, quod non est etiam pœna peccati » etc. n. 38. « Rationalis quippe creatura cum primum facta est, ita facta est, ut si peccare nollet, nulla necessitate urgeretur, ut vellet, aut etiam non volens, id est, invita peccaret, et non quod vellet, faceret bonum, sed malum, quod nollet, hoc ageret, ubi jam non peccatum illud, » quod peccatum simpliciter dicitur, sed etiam pœna peccati est, n. 40 « sicut aliud etiam peccatum in majore homine, propter quod dicit : non enim quod volo, facio bonum, sed quod nolo malum, hoc ago, nec tamen ista necessitas insanabilis est ei, cui dicitur, de necessitatibus meis erue me » etc. n. 49. « Ecce, et quod non agit bonum, et quod agit malum, non possibili, ut ipse constituis, sed ut ille patitur, et fatetur, necessario suo debet, » etc. n. 50. « Quod nolo malum, hoc ago necessario » etc. n. 61 « quando necessitate agitur malum, et sub necessario malo, clamat homo; miser ego sum » etc. n. 62. « Neque bonum, quod vult, non facere, et malum nolle, et tamen agere, necessitas non est; aut e contrario non erit nobis etiam virtutis necessitas felix, quando tanta gratia natura nostra replebitur » lib. VI n. 8. « Non est ergo hujus vitæ justitia, vitium non habere » ete. His omnibus in locis, aliisque ejusdemmodi quampluribus, tertiam Pelagiani dogmatis partem Augustinus seorsim persequitur, atque confutat. Sic tamen adversus ipsos contendit, hominem in hac mortali vita, non posse esse sine omni plane peccato; ut, licet alibi iis interdum objiciat levia quidem, ac venia digna, sed tamen vera, et formalia peccata; hic tamen, ut loca ipsa considerantibus facile statim apparebit, eos oppugnet peccatis materialibus, hoc est, pravis concupiscentiæ motibus, « qui quod ex peccato sunt, et ad peccatum inclinant, » a Trident. ses. V, peccata dicuntur. Duo enim hæc tertius Pelagianorum error

complexus est ἀναμαρτησίαν, atque ἀπαθείαν; quippe qui naturæ utrumque tribuerent, *impeccantiam*, atque *imperturbationem;* iisque duobus, si non Deo, ut ipsis exprobat Hieronymus, at quidem certe, ut ait Augustinus, Angelis aperte Deum contuentibus æqualem hominem facerent. Porro pravas has appetitiones, quas Julianus in primam, naturalemque hominis conditionem, Augustinus in hominis culpam refert, ac depravationem, corruptionemque naturæ : ita tamen, ut eas corporis, et animalis, et mortalis proprias esse doceat: de quibus duabus humani corporis conditionibus, quæ sit Augustini sententia, habes articulo 2 et 3 verum affero jam tandem loca quædam, quibus idem sanctus doctor diserte, atque expresse testatur, quod primis parentibus concessum est, « ut sine iis affectionibus viverent, quæ contra rationem accidunt, mentemque perturbant, gratiæ, et magnæ id quidem gratiæ fuisse assignandum, » l. I *retract.* c. XXIII, n. 1 ab illis verbis «a cujus concupiscentiæ dominatu» etc. l. II *de Gen. cont. Manich.*, c. XVI, n. 24. « Nudus enim erat a simulatione; sed vestiebatur luce divina,» etc. ep. CXLIII *ad Marcellin.* n. 6. « Quis omnia enarret carnalis infirmitatis incommoda? quæ utique non erunt, cum corruptibile hoc » etc. lib. VI *de Gen. ad lit.* a cap. XIX et n. 30 ad c. XXIX et n. 40 lib. IX, c. X, n. 16, 17, 18 « mutavitque illam qualitatem, qua corpori sic dominabantur, ut non dicerent, video aliam legem in membris meis, » etc. lib. XI, c. XXXI, n. 41. « Mox ut ergo præceptum transgressi sunt, intrinsecus, gratia deserente, omnino nudati » etc. c. XXXII, n. 24 « ibi enim sensit, qua prius gratia vestiretur, quando in sua nuditate nihil indecens, » etc. lib. *de Fid. et Symb.* c. VI, n. 13. « Spirituale corpus intelligitur, quod ita spiritui subditum est, » etc. *Enchirid. de Fid*, et cap. XCI, n. 23« propter quod, et spiritualia dicta sunt, cum procul dubio corpora sint futura, » etc. l. *de catechizand. Rud.* c. XVIII, n. 19. « Nec corruptibilia corpora tunc habebant, antequam eos mortalitas invaderet, » etc. l. XIII *de Civit.* c. XIII. « Nam posteaquam præcepti facta transgressio est, confestim, gratia deserente divina de corporum suorum nuditate confusi sunt. Unde..... a perturbatis, etc., » cap. XXIII, n. 1, 2, 3, « dono cœlesti jam tale erit, ut etiam cœlo incolendo, non amissa natura, sed mutata qualitate conveniat, etc., » cap. XXIV, n. 7, « libido membrorum inobedientium..... cum illos divina gratia deseruisset, exorta est, etc. » integra cap. IX, X et XI, cap. XVII, «ut cognoscerent, quod eis indumento gratiæ præstaretur, quando membra eorum voluntati repugnare nesciebant. Qua gratia remota, etc. nudati scilicet ea gratia, qua fiebat, ut nuditas corporis nulla eos lege peccati, etc. » c. XXVI, lib. XXII, c. XXI, « erit autem etiam corpore spiritualis, etc. » Disp. II, *cont. Fortun. Manich.* n. 22. « Cum autem gratia Dei amorem nobis, etc. propter autem gratiam Dei, etc. » lib. I *de peccat. mer. et rem.* c. XVI, n. 21. « Tunc ejus corpus, quamvis esset animale, ac mortale, gratiam perdidit, qua ejus animæ omni ex parte obediebat, etc. » lib. II, cap XXII, XXIII, XXIV. « Non enim abnuimus humanam naturam, etc. sed gratia, etc. » lib. IV *cont. Julian. perfect.* cap. XVI, n. 82. « Quid est, gustato cibo prohibito, nuditas indicata, nisi peccato nudatum, quod gratia contegebat? Gratia quippe Dei magna ibi erat, ubi terrenum, et animale corpus bestialem libidinem non habebat. Qui ergo vestitus gratia non habebat in suo corpore quod puderet, spoliatus gratia sensit, quod operire deberet, » lib. *de corrept. et Grat.* cap. XI, n. 29. « Adam non habuit Dei gratiam? imo vero habuit magnam..... nulla tali rixa a se ipso adversus se ipsum tentatus, atque turbatus, etc. « lib. I, *Oper imperf. cont Julian.* n. 69. « Mortali huic, terrenoque corpori nostro, etc. » lib. IV, n. 43. « Quemadmodum mors, atque corruptio belluinis, humanisque corporibus potuit non esse communis, quamvis communis eis esset terrena materies, ita potuit nec libido esse communis, etc. » lib. V, n. 8. « Ostendentes, etiam manente forma, in se aliquid esse mutatum, etc.» lib. VI, n. 40. « Duas quippe istas imagines, terrestris videlicet hominis unam, cœlestis autem alteram... illam scilicet animali corpori, hanc spirituali, etc. » Verum præcisis aliis omnibus, quibus ἀπάθειαν non minus clare supra naturam hominis evehit, non quidem ut est primo conditus, sed ut est in se ipso, spectatis ejus naturalibus facultatibus, terrenique, atque animalis corporis conditione; venio jam tandem ad illud, quod ab Augustino traditum prius lib. III *de lib. Arb.* cap. XXII, n. 64, confimatum deinde est lib. I *retract.* cap. IX, n. 6, his verbis. « Quam miseriam Pelagiani nolunt ex justa damnatione descendere, negantes originale peccatum : quamvis ignorantia, et difficultas etiamsi essent hominis primordia naturalia

nec sic culpandus Deus, sed laudandus esset, sicut in eodem tertio libro de libero arbitrio disputavimus. » Quæ ipsa verba iterum repetit in lib. *de dono Persev.* cap. XI, n, 27, ibique profitetur, se quidem nunquam concessisse Manichæis, et Pelagianis « hominis naturalia primordia revera fuisse ignorantiam, et difficultatem, » contendisse tantum, etiamsi hypothesis illa admittatur, nequaquam sequi tamen, quod Manichæi volebant, culpandum esse Deum : « ac duas propterea statuendas esse, boni scilicet, et mali coæternas naturas. » Locum hunc difficultatis plurimum habere fatetur Jansenius lib. III *de stat. puræ nat.* cap. XVIII, Deum tamen præsto sibi fore sperat, ad eam, ut ipse ait, *diffiandam*, sed ea respondet, quibus agnoscas, ad superbum, et plane stultum istiusmodi votum, præsto illi adfuisse, non luminum Patrem, sed cæcitatis, atque erroris auctorem. Ait hypothesim illam non afferre statum mere naturalem : primo, quod naturæ superaddat gratiam, cujus ope concupiscentiæ resistat, ac recte agendi difficultatem superet : Secundo, quod eidem superaddat peccatum, et una aliqua nitatur « quatuor illarum de animæ incarnatione sententiarum, quæ tum ferebantur. » Quod ad primum spectat, ego hic id unum contendo, hominem condi potuisse ab initio iis ferme obnoxium difficultatibus, quibus modo laborat. Id si conceditur, non est, quod ultra progrediar. Ut autem homo solis naturæ præsidiis, iisque opibus, atque auxiliis, quibus roborari posset a Deo, auctoritate naturæ, eas difficultates vincere, suasque cupiditates frangere, et quod honestum est, et rationi consentaneum, sequi valeat, demonstrabitur quæst. sequen. art. 1. Quod ad secundum, nego in illa hypothesi ullum involvi, atque includi peccatum : sic enim scripsit Augustinus : « etiamsi ignorantia et difficultas essent hominis primordia naturalia, etc. » primordium autem naturale nec essent, nec dici possent, si naturam sequerentur corruptam, atque damnatam. Aliud Jansenius molitur effugium : ait Augustinum confutasse Manichæos ex hypothesi falsa, atque impossibili. Itane vero ? Cur impossibilis hypothesis illa ? num, quod ea non sit Dei potestas, ut illud efficere, hominemque ignorantiæ, et difficultati subjicere possit ? Minime vero inquit lib, III *de stat. pur. nat.* cap. XXI et XXII, id « non superat potestatem Dei, nec excedit dominium ejus. » Quid igitur ? « Hypothesis illa, inquit, Dei et justitiam violat, et polluit sanctitatem : » impossibilis censenda est, quod Deum et iniquum faceret, et auctorem peccati : In ipsum quippe referri posset quidquid homo peccaret, si ignorantia, et difficultas ipsius forent naturalia primordia. At, quid est, quod etiamsi ejusmodi forent hominis primordia, nec sic tamen culpandum, sed laudandum fore Deum scribit Augustinus ? Numquidnam, non culpandus, sed laudandus, etiamsi iniquus ? non culpandus, sed laudandus, etiamsi auctor peccati ? Fatendum est igitur, quoniam ea hypothesis, Augustini sententia, divinæ nec justitiæ, nec sanctitati adversatur, ei visam esse possibilem. Testimonium hoc Augustini sapienter expendit, momentisque suis ponderat Franciscus Annatus tom II, lib. V, cap. VIII, libet hic ejus vestigiis paulisper insistere : ac præcipua quædam Janseniani hujus dogmatis capita cum hoc sanc. doctoris loco conferre, ut appareat quam penitus ab antiquo novus Augustinus ubique dissideat, atque discordet. Primo in ea rerum hypothesi, statuque naturæ, in quo hominis primordia forent ignorantia, et difficultas, novus Augustinus lib. II *de St. puræ naturæ* cap. X. In concupiscentia eamdem vim statuit, quam ipsi falso pariter attribuit in præsenti statu lapsæ naturæ : conjunctam videlicet ei tunc quoque fore, « carentiam indifferentiæ, et peccandi necessitatem perpetuam : » et, quod consequens est, Dei Sanctitatem nullam fore ait, quod talem naturam instituens perpetuam peccandi necessitatem induceret. Antiquus Augustinus si hujus sententiæ fuisset, Deumne scripsisset in ea hypothesi « non culpandum sed laudandum ? » Secundo novus Augustinus ait, non potuisse hominem condi ab initio, qualis nunc nascitur ignorantiæ, et difficultatibus obnoxius, « nisi in schola Manichæi : » opus istiusmodi deforme, ac turpe fore, « et mali Creatoris. » Antiquus Augustinus, si idem ei persuasum fuisset, Creatoremne, atque artificem operis hujus « non culpandum, sed laudandum » asseruisset ? Tertio, novus Augustinus « motus concupiscentiæ quædam esse desideria peccandi, turpes esse, illicitos, malos ; et Calvinum sapere, qui putat inferri a Deo posse creaturæ rationali, » docet in eodem lib. c. XIV, et, quod consequens est in ea hypothesi, quæ hoc malum involvat, Deum fore malorum, et turpitudinum Creatorem, inhonestum, scelestumque fore, « fore Calvini Deum. » Antiquus Augustinus Creato-

remne scripsisset, « nec de ipsâ quidem difficultate culpandum, sed laudandum, » si de illius difficultatis hypothesi tam male sensisset? Quarto novus Augustinus, « perspicuum esse dicit, inhonestatem illam, et turpitudinem concupiscendi non esse tribuendam creaturæ, sed veluti, per canalem, redire ad Deum. » Antiquus Augustinus, si ex illa hypothesi id sequi putasset, Deumne sic quoque « laudandum, non culpandum, » dixisset? Quinto, novus Augustinus « hanc carnis cum spiritu luctam, hanc libidinis cum virtute repugnantiam, hanc erubescendi de tanta fœditate necessitatem, ejusmodi esse affirmat c. XVIII, ut ea unquam Deo auctori tribuere sit irreligiosum, ac sine blasphema opinione sustineri non possit. » Quoniam igitur ea hypothesis, quam possibilem modo defendimus, hæc omnia secum advehit, ipsius sententia, in Deumque refert auctorem; qui illam admittit, id admittit, quod nonnisi « irreligiosa, et blasphema opinione » defendat. Antiquus Augustinus, si Deum, eam ob causam, potius *blasphemandum* censuisset; *laudandumne*, non vero culpandum prædicasset? Sexto, novus Augustinus libri ejusdem cap. XXI, concupiscentiam « tam magnum malum esse affirmat, tam fœdum, tam detestandum, veræque justitiæ inimicum, ut hoc solo, quod inest naturæ rationali, non possit eam non damnationis ream constituere, et ad mortis æternæ pœnas trahere. » Antiquus Augustinus, nisi de concupiscentia aliter judicasset, scriptumne reliquisset, etiamsi ea naturale primordium hominis foret, « nec sic culpandum, sed laudandum Deum? » Septimo : novus Augustinus lib. III, cap. XXII, qua ratione probatur « non posse a Deo infundi habitum malum, » eadem probari ait, ex tribus his nullum inseri potuisse ab initio primis hominibus, nimirum « fœdissimam illam, et pudendam concupiscentiam, profundissimam juris naturalis ignorantiam, et malitiam voluntatis. » Cum igitur, Jansenii etiam sententiam, ea ratio probet, infundi non posse habitum malum, quia scilicet nexus est cum actu malo, ex eoque non laudem, sed reprehensionem, ac vituperationem conditor ferret; Antiquus Augustinus si persuasum habuisset, quod alter ait, concupiscentiam magis etiam, quam habitus malus, « arctam cum peccato connexionem habere, » laudarine de ipsa quoque Conditorem præcepisset? ab omni culpa, atque nota exemisset? Octavo denique; novus Augustinus quod asserit lib. I, cap. XIX. In hypothesi Calvini quæcumque delinquerent homines, « materialiter scelera Creaturæ. vera tamen scelera, et peccata Dei fore; » transfert ad hypothesim puræ naturæ, cum in eodem lib. tum præcipue lib. II, cap. XIV, cum igitur hypothesis puræ naturæ contineatur ignorantia, et difficultate, antiquus Augustinus, qui Deum extra omnem culpam, imo, et laude dignum fore dixit, etiamsi homines duobus hisce malis principio implicuisset; itane loquutus esset, si quod in ea hypothesi committerent homines, « ipsorum quidem materialia dumtaxat, Dei autem vera scelera, et peccata fore » judicasset? Nihil igitur hac de re tota novus docet Augustinus, quo non aperte dissentiat ab antiquo : ut duos supra viginti ipsos annos, quos in veri Augustini lectione, ac meditatione a se positos jactat fatsus Augustinus, in eo elaborasse videatur, non ut illius doctrinam referret, sed ut simularet : nec aliud tanto tempore molitum dicas, quam quod a Trojanis factum II *Æneid*, finxit Virgilius, ut nimirum Pelagio Augustini spolia, et insignia accommodaret; iisque potissimum telis, atque armis *Apathiam* defenderet, quibus jam plane conciderat.

Augustini mentem hi vere sunt assequuti, doctrinamque fideliter reddiderunt : Nilus Abbas epis. CLXXI, ex iis, quas ex optimo codice Mediceæ bibliothecæ latinas fecit, atque edidit Petrus Possinus. « In Dei arbitrio dare nobis spirituales alas, etc, » epist. CLXXXVII, « in nobis perturbationes, etc. » Cyrillus Alexandrinus *Thes.* l. X, cap. III. « Et ita singulas passiones carnis fuisse in Christo, etc., » l. IV, dial. *de Trinit.* « Pax igitur Dei donum est, et cœleste, et solis divinis veniens nutibus, etc., » libro IX *de Ador in Spir.*, « homo quidem initio primum factus est, etc., lib. IV *in Evang. Johan.* c. LI. « Abjectio vero turbationis omnis majus quidem est, etc. » lib, IV *cont. Julian.* « Divina natura separata ab iis affectionibus, etc. » Vide præterea homil. VI *de fest Pasch.* XI, XXII. Proclus arch. Const. in *Epist. ad Armen.* « Naturam corpoream passiones necessario, etc. » Basilius Seleuc. orat. III *in Adam.* « Principi vero rationi corporis habenas, etc. » Prosper Aquit. sent. XV, « diversitas humanæ affectionis, etc. » Theodoretus tom III, in ep. *ad Rom.* cap. VI. « Regnum in hoc differt a tyrannide, etc. » et cap. VII, « corpus mortale effectum, animi motus, et affectiones,

etc. » tom IV *de curand. Græc. affect,* serm. V ex Haton. lib. *de Regib.* « Scimus hoc autem hujusmodi affectus, etc. » Auctar. dial. V *adversus Macedon.* « opus erat anima, ut dolere, ut contristari, etc. » epist. LXV. Zenon. Magist. milit. « Humanis perturbationibus affici naturæ est, etc. » Gelasius I, epist. V *ad Episc. Picen.* « ut nullis prorsus fragilitatis humanæ pulsetur affectibus, etc. » Julianus Pomerius lib. III *de vita contemplat.* cap. XXXI, « humanorum affectuum proprietas naturam indicat, etc. » Procopius Gaz. in cap. II *Gen.* « Aliud est spiraculum vitæ, quod hominem animalem efficit, aliud est spiritus vivificans, qui hominem spiritualem constituit, etc. » in cap. VI. « Passiones, affectionesque, etc, » In *Levit.* « Naturales affectiones, etc. » Fulgentius lib. III *de verit. Prædest. et Grat.* cap. XVI, n. 25. « Hæ necessitates non desinunt in corpore mortis, etc. ut agnoscant se illam gratiam sanctæ libertatis, et pacis primæ, » etc, Gregorius Magn. p. II, tom III, procem. in III *Psalm. pœnit.* si tamen is est hujus operis auctor, sicut, etc. « ita etiam omnem, quæ ex carne nascitur, ignorabat passionem, etc. » At tom I, in III *Joh.* cap. XVII, « cujus appetitus subter est, eique homo dominatur, si, etc. S. Maximus cent. II, cap. XX, affectionem autem ad naturam, etc. » cap. XXV. « tres sunt animæ facultates, etc. » cent. V, cap. XCIX. « Cum primus homo affectionibus per gratiam vacaret, etc. » Beda tom II lib. IV *de elem. phil.* n. 8. « Cum enim ad hoc sit homini anima data, etc. tom IV in *Expos. Gen.* cap. II, v. 25 « Nec pudebat illos, etc. gratia Dei nudati, etc. Vide præterea, quæ ex Augustino, aliisque Patribus scripsit ad c. II, v. 18, *Gen. in Psalm.* IX, XVI, *in Psalm.* XXV, XXIV, tom V *in Evang. Marc.* lib. II, cap. VIII, v. 12 *in Evang. Johan.* cap. XIII, v. 21, cap. XXI v. 18, tom VI in cap. VI, epist. *ad Rom.* v. 6, et cap. VII, v. 18, tom VIII in *quæst. super. Gen.* Joh. Damascenus tom. I, lib. II *de Fid.* cap. XI. « Arboris fructu necdum degustato, etc. » cap. XII, « pars altera rationem non audit, » etc. cap. XXII. « Passionum hæc est definitio, » lib. III, cap. XIV. « In hominibus denique, etc. » Super hoc videndus Jodocus Clichtoveus in suo *Comment.* Idem sanc. doctor c. XX. » Hæ passiones, et secundum naturam in Christo erant, et supra naturam. Etenim secundum naturam in illo ciebantur, cum naturam pati sineret, etc. Supra naturam autem, quia in Domino, quæ naturalia erant, voluntatem minime prævertebant, etc. » lib. *de duab volunt.* « Ira autem, et cupiditas; esuries, sitis, etc. » et infra n. 25. « Voluntas appetitio est tum animalis, tum rationalis, etc. tom II, in cap. VI et VII, epist. *ad Rom.* homil. in *ficum arefactam* n. 3, « corpore nudi erant, divina tamen gratia tegebantur, etc. » hom. in *Sab S.* n. 2, « ut nos passionibus, et ægritudinibus obnoxios earum immunitate vestiret, etc. » sic n. 9 et 10. In *Sacris Paral.* ex Nysseno lit. ω tit. X. « In vita corporea spiritualem, et sine perturbationibus vitam, etc. » Ex Chrysost. lit. δ tit. III. « Non ipsa natura commotionum per se mala est, etc. pulsantium imperitia instrumentum labefactat, etc. » Ex eod. lit. ε. tit. XX. « Ego Opifex figmento meo appetitum indidi, etc. » Vide propterea quæ lit. θ tit. VIII ex Nazianz. et tit. IX, ex Basil. Moses Barcepha par. III *de Parad.* cap. XXVIII, « qui amicti erant gloria, et quia nulla pudoris cogitatio, etc. « Anselmus *de Concept. Virg.* cap. IV. « Nec ipsi appetitus justi, vel injusti sunt, per se considerati, etc. » *De concord. Grat. et lib. Arbit.* cap. XIII. « Sic autem Deus ordinavit has duas voluntates, etc. » Bernardus *de Grat. et lib. arb.* cap. I, n. 2. Aliud est voluntarius consensus, aliud naturalis appetitus; posterior quippe nobis communis est cum irrationalibus, etc. » cap. II, n. 3. « Appetitus autem naturalis vis in animante, movendis avide sensibus attributa, etc. n, 5. Vita, sensus, appetitus, memoria, ingenium, et si qua talia sunt, eo ipso subjacent necessitati, quo non plene subdita sunt voluntati, etc. »

Ex scholasticis S. Thomas I, parte q. XCV, art. I. « Manifestum est autem, quod illa subjectio corporis ad animam, et inferiorum virium ad rationem non erat naturalis, etc. per gratiam in anima existentem inferiora ei subdebantur, » quæst. C, art. I. « Justitia autem originalis, etc. quoddam donum divinitus datum, etc. » p. II, q. XCV, art. V. « Deus, cui subjacet omnis natura, in ipsa institutione hominis supplevit defectum naturæ, et dono justitiæ originalis, etc. » Vide præterea quæst. XCIX, a III et quæst IV *de malo* art. II, ad. II et quæst V, art. I, ad 3 Scotus in II *Sent.* dist. XXIX, quæst. unic. n. 3, « illa rebellio esset in homine existente in puris naturalibus, etc. probat. Naturale est unicuique appetitui ferri in suum appetibile, etc. igitur cum appetitus sensitivus existens in puris naturalibus habeat proprium appe-

tibile, et delectabile, etc. esset rebellio, quia inclinatio potentiæ inferioris ad delectandum contra judicium rationis, et difficultas in refrænando, etc. » n. 6. « Ad primum argumentum dico, quod neutrum istorum ex puris naturalibus potest haberi. Cum probatur, quia opposita istorum sunt pœnæ. Dico, quod non, sed conditiones naturales, sicut non est pœnæ bovi mori, sed naturale, et quod appetitus ejus feratur in suum delectabile, etc. » eadem habet Gabriel dist. XXX, quæst I, art. II, concl, I. « Ad salvandam in primo parente tranquillitatem potentiarum, necesse est ponere donum voluntati supercadditum, quia rebellio virium inferior voluntati rectæ est naturalis id est, sequitur principia naturæ, etc. » Item concl. II et III. Verum scholastici referuntur etiam ab aliis.

§ III.

Itaque, his prætermissis, ad primum respondeo, duplex, a me distingui concupiscentiæ genus : *pœnale* alterum, cujusmodi nunc est, ac vere *rebelle*, quod jugum rationis sibi prius impositum excusserit, et contra quam prima hominis conditio, et constitutio ferret, rationis imperium neque expectet, neque audiat : alterum *primordiale*, nam ita voco, cujusmodi non est, sed esse potuit, quodque verius *immune*, *solutum* atque *exlex*, quam *rebelle* dixeris, quoniam quidem rationem anteverteret, ipsique identidem repugnaret, at non plusquam ferret, quæ tunc prima foret hominum conditio, et ratio corporis animalis, nullo supernaturali dono supra suos fines, naturalemque modum evecti. De primi generis concupiscentia loquitur Apostolus, eamque peccatum merito dixit, non quod vere, et proprie peccatum sit, sed, quod illius ea cum peccato necessitudo, et conjunctio, is respectus, atque habitudo, quæ supra notavimus; quibus hic illud etiam adjungimus ; eum, in quo sit hujusce generis concupiscentia, cum hæc in ipso nata sit ex culpa, indignum plane fore, cui Deus unquam subveniat, et opituletur, vel solis ipsis naturalibus auxiliis, atque suppetitiis, quæ si desint, nec appetitui satis resistat, nec peccato diu saltem abstineat, in statuque sit vere misero, desperationisque summæ, quem vocant et damnationis. Porro, quoniam mali ingentis hujus expers foret concupiscentiæ puræ naturæ, neque ortum ex culpa duceret, etiamsi daretur, fore, ut æquali pondere, atque impetu ferretur ad delectationem, quod quidem in altera quæstione articulo I falsum demonstrabimus; ab eo tamen infelicissimo statu, ac desperatione rerum. cujusmodi meminimus, longe abesset; nec peccatum diceretur, aut corruptio, perversioque naturæ, sed hominis, ut animal est, naturalis proprietas, et conditio.

Ad secundum respondeo, quod Augustinus contendit contra Julianum, concupiscentiam esse *malam*, et *pudendam*, intelligendum non de facultate ipsa appetendi, sed, ut ipse sanc. doctor sæpe declarat, de iis appetitionibus, quibus *caro concupiscit adversus spiritum*. Tom. IV, serm. VIII enar. *in Psalm.* CXVIII, n. 3 quando, nempe, id quod non licet, libet : tom. VI, lib. *de Contin.* cap. VIII, n. 20 et quoniam ab hujusmodi appetitionibus non penitus vacua, ac libera foret pura natura, in ea etiam fore concedo, in quo homines erubescerent; malamque fateor non solum *pœnalem*, sed etiam *primordialem* concupiscentiam, malam, inquam, *physica* et *materiali*, ut schola loquitur, non vero *morali* et *formali* malitia : Hanc unam enim excludere dicendi sunt Patres illi, qui hos animi motus malos esse negant : neque aut ita accipiendus Augustinus, qui malam esse dicit concupiscentiam, quasi velit eam esse moraliter malam, ac veram peccati rationem habere; « nam ipsa quidem concupiscentia non est peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non consentitur, » lib. I *de Nupt. et concup.* cap. XXIII, n. 25 aut ita accipiendus Julianus, qui contradicit, quasi eam velit esse *moraliter* bonam, eique vim recte facti, ac meriti tribuat : « ita vis intelligamus, libidinem bonam, sicut bona est creatura panis, ac vini, quamvis ea male utendo peccetur. l. III *cont. Julian. perfect.* c. XX, n. 41. Mala igitur esset primigenia quoque concupiscentia *physice*, et *materialiter* tantum : uti etiam *peccabilitas*, atque *mortalitas*. Malique hujus tunc quoque pudor, ac rubor esset aliquis : nec sane mirum : erubescimus enim non morum, atque animi solum, sed etiam corporis vitia, quæ a culpa sejungi potuisse jam ostendimus : ac rerum sane quamplurium ingenuum quemque suppudet, in quibus nec peccatum inest, nec fomes, aut illecebra ulla peccati. Hic vero, quo planius fiat, Deum esse posse naturæ illius, atque appetitus auctorem, in quo identidem existant hi motus, atque affectiones, quibus « caro concupiscit adversus Spiritum, ac libet id, quod non licet; » animadvertendum est, quam in istis mali

rationem, ac turpitudinem Augustinus agnoscit; utcumque concedatur de concupiscentia primordiali, ac primigenia; eam tamen longe magis, et potiori quodam jure convenire pœnali, ac rebelli, de qua loquutus est sanc. doctor. Hæc enim id habet pejus, ac turpius, quod nimirum est ex peccato, quod habet rationem pœnæ, et vindictæ : quod rebellio dici vere potest, ut supra notavimus, depravatio, distortio, perversio naturæ : quod effrænatior est, et rationi validius, ac contumacius resistit, ut manifestum fiet in altera quæstione artic. I. quod, ut ibidem explicabitur, ante baptisma, conjuncta est cum ejus peccati reatu, « quod origine unum est, et propagatione, non imitatione transfusum omnibus inest, unicuique proprium, » Trid. ses. V ; et hominem omni plane, non modo supernaturali, sed etiam naturali Dei auxilio indignum constituit, in eoque imbecillitatis, ac desperationis statu figit, ubi ne illam ipsam quidem beatitudinem assequi possit, quæ naturæ finibus continetur. Profecto, quæ tam mala, quæ tam pudenda est concupiscentia, naturalis dici non potest : meritoque ab Augustino Julianus reprehenditur, quod eam ita appellaret. At enim Julianus pœnalem esse negabat. Quid tum, si scripturarum, quas Pelagiani recipiunt, auctoritate ita convincitur, ac redarguitur ab Augustino, ut negare non posset? Ita enim sanc. doctor ratiocinabatur : Deus fecit hominem rectum : bona autem Dei sunt sine pœnitentia, quod igitur modo rectus non sit, peccati supplicium est. Præterea nec concupiscentia, quæ pœnalis non sit, naturalis dici tamen potest, si ea vox ad Juliani mentem explicetur : is enim illam non quoquomodo ad naturam, sed ad primam hominis conditionem referebat : nec *naturalem* tantummodo concupiscentiam, *sed naturale bonum* nuncupabat. « Naturalem esse libidinem, et ego dico, quia cum illa nascitur omnis homo, et tu multo amplius, qui dicis, quod cum illa sit conditus primus homo, etc. Cum igitur libidinem, et naturalem esse, et vinci posse ambo dicamus; utrum bonum vincamus an malum ; ipsa inter nos vertitur quæstio » l. V *cont. Jul. perfect.* c. VII, n. 27. Nos vero, quos Juliano penitus consentire criminantur adversarii nostri, cum aliis pluribus capitibus; tum his etiam duobus ab ipso maxime dissentimus : primo, quod concupiscentiam, etiamsi pœnalis non sit, naturale tamen malum esse dicamus, et physicam hominis imperfectionem, nec fas esse ipsi assentiri, aut sola sensuum delectatione, et voluptate duci, quod contra asseritur prop. VIII et IX proscripta ab Innocen. XI. Secundo, quod eam ipsam naturæ primordium, non reipsa fuisse, sed esse potuisse affirmemus; et ad hominis naturam, non ut primo condita, et gratiæ donis instructa, perfectaque est ; sed ut primo condi potuit, atque ut et est in se ipsa, ratione quidem, ac mente, sed prius sensibus utens.

DISPUTATIO A RATIONE.

§ IV.

Iidem sacrorum omnium scriptorum, ac Romanæ in primis Ecclesiæ auctoritati tres præcipue rationes objiciunt. Aiunt primo præsposterum, perversumque esse, et contra rectum naturæ ordinem, quæ pars est in homine inferior, ei repugnare, quæ supra est, carnemque adversari spiritui.

Secundo; Deum fore eorum omnium scelerum auctorem, quotquot homines, aut ira, aut cupiditate incitati patrarent. Imo vero ipsi tribuendos, ac vera ipsius peccata fore pravos omnes istiusmodi animi motus, etiamsi voluntatis assensus minime accederet, quo solo ab homine vere peccatur.

Tertio, hominem, non solum spoliatum gratuitis, sed etiam vulneratum in naturalibus : et, quod consequens est, pugnam hanc carnis adversus spiritum, non proprietatem, sed vulnus esse naturæ.

§. V.

Quæ duo, ut validius refutem, sententiam meam prius declaro, ejusque rationes omnes distincte, atque explicate propono. Ἀπαθῆ, hoc est, *perturbationibus* vacuum primum hominem dicimus, cupiditates non quod nullas, sed quod sibi plane obsequentes, ac minime turbulentas haberet; ut neque prius, neque contra, quam ipse vellet, in ejus appetitu motio, mutatioque esset ulla. Porro quid illud esset, quod inferiorem animi partem superiori tam perfecte subjiceret; num quid unum, ac simplex; an vero mixtum, et multiplex; inclusum ne, ac penitus insitum in ipso homine, an vero positum extra ipsum; supra naturamne, tantum *quoad modum ;* an vero, ut aiunt, etiam *quoad substantiam* ; scholastici, quibus vacat, sedulo, ac diligenter excutiunt; nos cuicuimodi isthuc foret,

omnino liberaliter, ac nullo prorsus debito, primo homini datum fuisse asserimus, atque ita defendimus. Quoniam nihil est cognoscens, quod idem, et appetens non sit; sicut est in homine vis cognoscendi duplex, sensus, et ratio; ita duo sunt appetitus: ita illi quidem inter se apti, et connexi; ut in alterum, qui sensum sequitur, alteri, qui ratione ducitur, potestas, imperiumque aliquod attributum sit a natura: sed, ut Aristoteles I *Polit.* III, aliique sapientes docent, dominationis genus id omne *politicum* sit, quo liberi, non *despoticum*, quo servi tenentur. Neque enim ex propria ipsius constitutione, et natura usque adeo appetitus inferior devinctus, mancipatusque est superiori; non ita ejus vi, nutuque tenetur; ut, quæ duo sunt propria servorum, neque ante, neque contra ipsius imperium moveri queat; et, postquam res est externis objecta sensibus, atque inde per interiores sibi rite proposita; eam, si bona est, prosequi, si vero mala, aversari per seipsum non valeat. Quod ne sola philosophorum auctoritate nixus affirmare videar; quæ duo mancipiorum propria esse dixi, ut ne quid agant sive contra, sive etiam ante, quam Dominus velit, invicem sejungo: ac de utroque seorsim ostendo, quam sit, et contra naturalem habitudinem, aptitudinemque appetitus sentientis ista servitus; et supra vim, atque efficacitatem appetitus rationalis dominatio tanta.

Primo quidem, non est in potestate hominis, quid in externos sensus semper incurrat. Tum, si quid quemque percusserit, impedire non potest, quo minus ipsius species illabatur animo, ad sensusque perveniat, qui intra hominem sunt. Horum autem cognitionem, et judicium, quodcumque illud sit, statim sequitur appetitus; qui, ne moveatur, utque ait Augustinus, *ne visis tangatur*, adeo prohiberi non potest; ut ante, quam pars animi sublimior quicquam deliberet, ante etiam, quam rem cognoscat, suamque de illa sententiam ferat; in ipso jam mutatio facta sit aliqua, turbatioque, et commotiuncula quædam semper exstiterit cupiditatis, aut mœroris. Quippe illa, quæ diximus, aliud ex alio, ita inter se nexa, et colligata sunt omnia; ut in homine situm non sit, ea disjungere; et, uno admisso, quæ consequentia sunt, repudiare. Horum quippe natura est ipsa necessarium principium: principium autem necessarium ita definiunt philosophi; « quod, positis omnibus ad agendum prærequisitis, non agere non potest. » Jam vero, postquam boni, vel mali species aliqua sensus extimos, intimosque pulsavit, nihil appetitui deesse, quominus in rem illam extemplo feratur, cum ipsa brutorum similitudine ostenditur, cum quibus nobis est facultas illa communis; tum iis etiam rationibus, quibus probatur, quidquid cognoscens est, appetens ipsum esse. Cum igitur humani animi pars inferior vi quadam prædita sit percipiendi res singulares, et materia concretas; et suus eidem inesse debuit modi ejusdem, atque ordinis appetitus, utque ei a superiore animi parte nihil est expectandum, quod si absit, sensus non plane valeant res sibi rite objectas, et admotas percipere; sic ei pariter nihil indidem expectandum, quod appetendi virtutem compleat: sed illi ex se ipsa apta, et parata esse omnia debent, quæ utrique muneri fungendo sunt necessaria.

Id ipsum conficio alia via. Sciscitor enim: postquam mali cujuspiam terribilis, jamque adventantis species sive aures, sive oculos pepulit; postea etiam, quam ad interiores ipsos sensus ea impressio manavit; tantum ne virtutis, ac vitium hominis appetitui naturaliter inesse putas; ut solorum sensuum judicio, et admonitu, ex se ipso extimescere valeat? an vero aliud quidpiam ad timorem adhuc requiris? si potest timere, atque in promptu jam sunt omnia, quare non timeat, cum causa isthæc sit necessaria? Quid ei expectandum dicis nutum, pulsumque partis alterius, quæ rationis particeps, et libera est? Quod si pertimescere nondum potest; dic, age, ecquid illi deest, quo minus possit? Deest, inquies, judicium rationis, atque imperium voluntatis; sic enim hic appellare necesse est altiorem hominis appetitum. Verum eodem recidis: itane inferior hominis appetitus, natura sua, mancus est, ac debilis; ut in eo tota, atque integra non sit extimescendi vis, et facultas? Ita prorsus, respondes: si naturam spectemus hominis, ut est in se ipsa, appetitui nostro non eam vim esse inditam reperiemus, ut, antequam res ad rationem deferatur, et voluntas annuat, aut etiam impellat; ex sola sensuum notitia, incitari, aut quoquam moveri possit. Atqui, inconsulta ratione, nec expectato voluntatis assensu, movetur tamen in hoc præsenti statu lapsæ naturæ: et, si quid mali jam fere adesse, atque impendere nuntiatur a sensibus, certe a superiore appetitu non præstolatur, aut accipit, quo expavescere, metuque contrahi valeat: imo vero persæpe ipso metuit

prorsus invito: ac repugnante. Quid igitur in hoc naturæ statu naturalem illum supplet virium defectum, quem in appetitu modo ponebas? Quid ipsi, et unde accedit, quare, ante etiam rationis sententiam, integrum, et undique aptum, completumque existat timoris, aliarumque affectionum principium? Expecto jam, dum dicas, appetitum nostrum, supra suammet naturalem conditionem, evehi a Deo, ut partis altioris motum prævertat, quem ex naturæ instituto subsequi deberet: vires illius suppleri, integrarique divinitus: eumque adeo rationi bellum indicere, gratia posse, natura non posse. Quæ cum absurdissime dicerentur, fatendum est, quoniam mali illius instantis imago, antequam mente exprimatur, exprimitur sensu; et appetitus, qui sensu trahitur, principium est timoris jam satis paratum, idemque necessarium; fatendum est, inquam, in hoc metum prius existere, quam appetitus rationalis quicquam de illo præcipiat, aut deliberet.

Hic vero illud est observandum: inferiori superiorem appetitum non ante imperare, quam mens intelligat: rem autem esse in mente, atque intelligi non posse, quin prius in sensibus sit: in sensibus vero cum est, jam inferiorem appetitum ejus præsentia moveri: ante igitur, quam superior appetitus imperet inferiori, esse hunc jam in motu. Profecto naturaliter duo ista simul efficit sensus: appetitum movet, rationemque excitat: ut igitur voluntatem ratio antecedit, ita et appetitus. Præterea, quemadmodum rationi non est voluntas expectanda, quoniam cum ex eo, quod habet per sese, tum ex eo quod accipit a sensibus, cognoscendo par est, ac probe sufficiens, eademque est suorum actuum causa necessaria; sic etiam neque est expectanda appetitui; postquam appetendi facultas plena, atque integra coaluit, cum ex ea virtute, qua præditus est ipsemet, tum ex impulsu sensuum: si qua tamen in hoc est efficientia: sed, et si efficientia non sit, vis utique est aliqua, cum causaque conspirat, ac timorem ipsum, cæterasque affectiones, si non efficit, proximitatem, ac necessitatem timoris, et affectionum reliquarum efficit quidem certe. Itaque, sicut contra mentis, et rationis naturalem habitudinem, atque aptitudinem fiat, si iis omnibus rite paratis, ipsa tamen nihil agere, aut intelligere unquam possit, nisi voluntatis consensus accedat; ita pariter appetitui contrarium foret, si, cum omnia præsto sunt, atque in promptu; ejus omnis motio, appetitioque distinenda, differendaque eatenus sit, quoad altior animi pars inquirat, consultet, decernat, quid agendum sit.

Ex quo illud etiam sequatur ipsi sane violentum necesse est: appetitui sæpe non modo cunctandum, sed omnino supersedendum: motumque illum, cujus omnes causæ præsto adsint, rite, atque ut opus est expeditæ, non modo differendum, prorogandumque ad aliquod tempus, sed plane omittendum. Fac enim aliquod horribile malum offerri sensibus: fac arcanum illum sensum, qui in ipso residet capitis vertice, atque æstimator dicitur, quia penes ipsum est boni, malique ad sensum pertinentis judicium; fac, inquam, sensum hunc, pro suo captu, atque modo, de malo illo ita judicare; rem esse a sensibus summe alienam, ac vitæ maxime noxiam; quæ tamen vitari, sine difficultate, ac pugna, non possit. His ita constitutis, en tibi paratissimam, et undique completam, atque perfectam timoris causam, non liberam quidem, sed necessariam; quæ nempe, his omnibus positis, non agere non potest. Non agit tamen, otiatur. Quorsum ita? Consulitur ratio. Age, quæ est rationis sententia? De re illa ipsi aliter omnino videtur, ac visum est sensibus? Quid voluntas? sequitur, ut par est, judicium rationis, appetitum metuere vetat. En igitur, si metus in appetitu inferiore antea exortus non sit, quam superior deliberet; effectum causæ necessariæ non modo positum in ancipiti, atque suspensum, sed jam plane sublatum.

Hoc autem, ut contra ipsam causam est maxime; sic naturalem vim, et efficacitatem voluntatis longe superat: quæ causæ necessariæ effectum, quando illi omnia suppetunt, quæ opus sunt, isque jam in proximo est, prohibere non valet. At enim voluntati subjectus est appetitus. Subjectus, esto, dicatur: sed eo fere modo, quo subjectum est ipsi cor, aut stomachus: sane minus multo, quam subjecta sit ipsi ratio: Hanc enim voluntas obedientem habet in multis, ut docet D. Thomas I, II, q. XVII, a. 6 eamque ipsa per se gubernat, et movet: secus vero appetitum, quem per se ipsam non regit, ac flectit, sed alienis ministeriis. Verum esto sit in potestate, ac voluntate libera hominis mens non magis, et ratio, quam appetitus: ac, sicuti mentem ab una re quapiam sæpe avocat, et abducit, ad aliamque convertit; ita et appetitum ab unius boni complexu abstrahere, atque avellere valeat, alioque traducere. At, quem-

admodum mentem potis non est in unius, ejusdemque rei cogitatione usque eo defigere, ac distinere, ut non passim subinde avolet, et oblatam sibi improviso veri speciem aliquam non illico arripiat: nec fieri potest, ut ipsam in omnibus ita semper præoccupet, et antevertat, ut nihil quicquam intelligat, nisi ex ipsius præscripto; sic etiam appetitum, vel si moveat ipsa per sese, non tamen ita cohibere, et constringere valeat; ut nunquam nisi immissus, aliquo excurrat: nec fieri pariter possit, eam ita omnia antecapere, et prævenire; sensuum foribus excubias tam fideles, tam diligentes apponere; ut, ne quid extrinsecus in inferiorem animi partem subito irrumpat, quo commotus appetitus, partis superioris injussu, non aut efferatur lætitia, aut mœrore concidat.

Sed, age, voluntatis nostræ propria sit ista vis: quod quidem longe abest a vero: sed fac ita esse; homini in appetitum suum ea potestas attributa sit a natura, ut omnes hujusmodi assultus, præcursiones, occupationesque subitas impedire possit, si velit. Quid autem, si non velit? Fac cylindrum, sphæramque aliquam deorsum protrudi, et impelli: tu sis quidem iis viribus; ut, si adsis in tempore, manumque admoveas, molem contineas, lapsumque prohibeas. Quid, si vel procul absis, vel nullo pacto adnitaris, ac, ne digitum quidem, extendas; stabit tamen ne moles illa? Quod si fiat, ut stet, receptoque impulsu, tamen hæsitet, et expectet quodammodo, quid tibi videatur, quid velis? Numquid tibi, tuisque viribus mora, cunctatioque illa assignabitur? Haud quaquam sane. Nam, dum nihil agis, ac ne tantillum quidem conaris; imo, dum nihil plane vis, moli illi perinde es, ac si procul abesses, atque adeo, si plane non esses: qui autem non est, is nec repugnat, aut contra nititur, cum igitur ei solum, qui contra nitatur, aut aliquo pacto repugnet, tribui possit, quod ea moles non ruat; tribui tibi non posse consequens est. Et quidem, cum nec tribui possit illi ipsi corpori, quod, quoniam figura est maxime volubili, atque insuper positum in proclivi, motui utique non repugnat; et adsit externa, ut ponimus, ac vehemens impulsio; sequitur, ut a superiore, et occulta quadam vi esse dicamus: quæ utique, si abesset, aut ita se haberet, ac si penitus abesset, omnibus vel motum cientibus, vel juvantibus, resistente nullo, procul dubio motus existeret. Jam vero transferantur hæc ad rem nostram. Hominis, ut est sensus acerrimus, ita est appetitus facile mobilis, et quasi positus in proclivi. Adsit igitur impulsus, ac motio vehemens ex aliquo bono, vel malo externo, quam aptissime proposito: movebiturne appetitus? Nisi voluntas prohibeat, movebitur, dices. Tantumne tribuis voluntati, ut in ea situm esse dicas, appetitum continere, tantæ mobilitatis, et proclivitatis, talibus rebus, tantisque, tam vivide objectis, tanta vi, et impressione motum cientibus? Sed plane, ut libet: esto, ita sit: eo bono, vel malo præsente, atque impellente, motus in appetitu prorsus nullus existet, si voluntas prohibeat: nisi prohibeat, existet. At motum illum a voluntate reipsa prohiberi, idem ne putas, ac prohiberi posse? Negas, et merito quidem negas. Esto enim, quoniam ita vis, voluntatis tanta sit efficacitas, atque virtus, qua si utatur, appetitum omnino contineat, at certe tanta non est, ut, vel si non utatur, nihilo tamen secius id ipsum præstet; sic quantum in quoque sit roboris, et nervorum; is tamen globum illum, in declivi, ac præcipiti loco positum, magnoque impetu deorsum propulsum non sane sustineat, si contra, ne digitum quidem, nedum nervos omnes, contendere, si nullo modo se ipsi objicere, atque opponere velit. Quapropter ad boni, malique, quantumvis licet sit vehemens, appulsum, stabit appetitus, prohibere motum voluntas non si tantum possit, sed si præterea velit: si nimirum imperet appetitui, si, ut opus est, adnitatur, si vim, potestatemque, quam ipsi tribuis, penitus otiosam esse non sinat. Atqui in eo temporis, ac rerum articulo, quo appetitus moveri proxime petit, ac bonum, malumve objectum sensibus, sibique certo in lumine oblatum amplecti, vel repudiare; voluntas nec quicquam agit, aut imperat, nec quicquam vult, quod appetitum inhibeat, atque contineat: imo nec agere, aut imperare, nec velle, nec suis, cujusquemodi illæ tandem sint, uti viribus potest. Ista vero qui probas? Eo, quod a me dictum est sæpe, nituntur omnia. Etenim, res uti sunt prius in sensibus, quam sint in mente; ita iisdem tangitur, pulsaturque prius inferior appetitus, quam superior, qui mentem sequitur, quicquam de illis præcipere, aut decernere valeat: appetitus autem inferior, simul atque iis rebus tunditur, et impellitur, extemplo et moveri petit, et nisi retineatur, ut tute fateris, reapse movebitur. Tunc igitur, cum appetitus idem moveri proxime postulat, moveturque primo; superior appetitus motum

illum nec velle, nec nolle, nec imperare, nec prohibere potis est adhuc. Neque vero, quando inferior appetitus est eo loci, ut ipsum et naturalis propensio, et res objecta sensibus urgeat; fieri potest, ut anceps ibi tamdiu pendeat, cuncteturque, dum voluntati expeditum sit, ea de re aliquid ipsi præscribere, lapsumque decreto, interdictoque suo, velut admota manu, inhibere. Nam quæ ipsum interea naturalis causa ita suspensum teneret? Quæ vis illum nativo pondere, atque impetu trahi, rapique non sineret? Numquid voluntas? at hæc, antequam promptum ipsi sit velle, vel nolle, ad rem illam perinde se habet, quasi non sit. Certe nihil agit: nihil agendo autem, potius permittit, quam prohibet. Numne ipse appetitus? at hic, præterquam quod operi suo ex se ipso impar non est, plenamque habet, atque integram actuum suorum efficientiam, ut ostensum est supra; ejus est tanta mobilitas, ut motui non magis repugnet, quam volubilitas eorum corporum, quorum similitudini insistimus. Adde ipsi etiam naturæ momenta occulta quædam, quibus ex sese eo semper inclinat, atque propendet, quo sensus agit et impellit: ut illi obsequi, tam sit ipsi proclive, quam lapidi pronum est ferri deorsum. Superest igitur, quoniam non est in natura, quod appetendi facultatem jam satis undique paratam, et instructam distineat, quominus in suum actum erumpat; ut id gratiæ dono ascribatur: concedaturque, tam contra appetitum, quam supra voluntatem fore, si quoquam verti ferrique nequaquam illi solutum, atque expeditum sit, ante hujus imperium. An vero, non ante solum, sed contra etiam ipsius præscriptum, is aliquid sequi, vel fugere naturaliter possit, quod erat secundo loco propositum, videamus.

Appetitum sentientem adversus appetitum rationalem nunquam moveri, et contra naturalem illius habitudinem, et supra naturalem hujus potestatem fore affirmavimus. Utrumque seorsim probandum. Primum ita: Tamdiu causa necessaria persistit in actu, quoad integra permanent, ipsique ea omnia constant, ac suppetunt, quibus in actum perducta est. Voluntas autem, non simul, ut appetitum moveri nolit, statim ipsi subducit, ac subtrahit aliquid eorum, quibus omnibus factum est, ut moveretur: non continuo igitur, si nolit voluntas appetitum moveri, is propterea ab actu, motuque suo cessabit, et absistet: sed contra etiam ipsius imperium movebitur. Nam quid est, quod facultas illa, quæ movendis, regendisque corporis membris, ministra et satelles, ut vulgo ferunt, voluntati data est a natura, ad ejusque nutum partes omnes tot modis flectit, contorquet, porrigit, contrahit; quid est, inquam, quod ea facultas, ipsam in motu esse voluntas si tantum nolit, subito cesset, ac dicto pareat? Illud est: motus causam, vel causæ partem tollit voluntas, imperium si tantum revocet suum: revocat autem, eam moveri si tantum nolit. Contra vero, si eadem stomachum, ac subinde alvum, quæ pars subjecta stomacho est, cibum illuc depulsum recipere vetet, aut mitificare, et concoquere; si sanguinem nolit aut in arterias a corde protrudi, aut in eas propulsum alendis, reficiendisque corporis partibus quaquaversus deferri, et distribui; ac tandem, quod sanguinis super est, minus coctum, perfectumque iterum in officinam cordis revocari, ac referri per venas; si hæc, inquam, omnia nolit; nolit autem tantum, et, quoniam, nec subito, nec per se solam auferre ista potest, cum stomacho, et alvo, tum cordi calorem, virtutemque suam relinquat, ac motum imprimis illum duplicem, quo hæc fere omnia peraguntur; procul dubio causæ eædem, iisdem adjumentis, in eadem materie, idem prorsus efficient. Id ipsum in appetitu continget, in quo si nihil decedat eorum, quibus omnibus primo effecta est cupiditas, vel metus, si eadem sit in appetitu mobilitas, et propensio, si a sensuum perceptione, seu verius a re ipsa, quæ percipitur sensibus, motio sit eadem; quantumlibet contra velit, atque imperet voluntas, eædem prorsus affectiones nihilominus manebunt: ac ne remittent quidem, aut languescent, nedum plane concidant, atque deficiant. Hæc quantum ad naturam, et aptitudinem appetitus: cui certe vis inferatur, si omnibus, quæ ipsi prius aderant, apud ipsum manentibus, ex iisdem non idem sequatur. Ut contra naturam, atque aptitudinem aurium foret, vel narium: si ipsis integris, nec iis rebus amotis, unde et idem tremor in aere, eademque effluvia, atque halitus essent; non idem tamen sive sonus, sive odor, ut ante perciperetur. At forte, post voluntatis interdictum, vis eadem in appetitu, atque efficientia non manet: sic, ut iisdem bonis, eodemque in lumine oblatis, aut incitari cupiditate, aut efferri gaudio nigil segnius queat. Novi equidem rerum causas, quæ integræ, et paratissimæ nuper erant, ubi Deus

effectum nolit, tam subito mutilas, debiles, et quodammodo imparatas atque infecundas fieri, ut, quamvis ipsis nihil ad speciem decedat, ac vere maneant cætera omnia ; eædem tamen jam plane nec sint, nec dici possint. Mihi vero cæterisque omnibus, qui ita sentiunt, sive illos auctoritas tantum, sive etiam ratio persuadeat, compertum pariter est, causas secundas, quas vocant, ex prima ita aptas, suspensasque necessario esse, ut ipsas, per se solas, quidquam præstare possibile non sit. Neque ipsis Dei nutum tantummodo, sed opem quoque expectari, ut quidquid efficiunt, una cum ipsis, atque conjunctim a Deo fiat : sic quidem, ut ipsarum actio, atque vis suppleri plerumque possit, Dei vero, nunquam. Non mirum est igitur, intacta etiam, et plane incolumi causa secunda, ex eadem idem interdum non posse existere : cum sit exploratum in ipsa totam gignendi effectus non esse virtutem : atque, ubi vel solam Dei voluntatem illam detraxeris, qua ipsi opem ferre statuat, eique vires suas adjungat ; ea licet nihil mutetur, maneantque cætera omnia, quæ causarum adjuvantia dicuntur ; non illi jam tamen amplius id omne constare, quo effectus in proximo sit. Itaque nobis ista nihil officiunt, qui et supra ostendimus, hominis appetitum natura sua non ita pendere ex voluntate, ut ejus nutum atque opem expectare necessario debeat ; et mox ostendemus, non eam esse vim, efficacitatem, potestatemque voluntatis, ut ad ejus interdictionem, velut exectis nervis, subito elanguecat, ac pene concidat appetitus. Ne multa.

Appetitui sentienti rationalem procul dubio natura præfecit : superior enim dicitur, et est : nec ordine tantum, sed vi, potestate, jurisdictione : quæ tamen dominationis potius politicæ, quam despoticæ similitudinem, et formam habet. Despotice quidem dominatur in eam facultatem, cujus est loco movere corporis membra ; quippe quam non aliena ope, et ministerio, sed ipse per se proxime gubernat, ac movet : eamque propterea obedientem habet ad nutum : et cum ipsam, tum ipsius opera, corporis partes, quo collibuerit, inflectit, agit, ac versat, secus vero appetitum sentientem, qui pariter non fertur in incognitum, ipse, qui cognoscens non est, per se non movet : sed per alias facultates, in quibus vis est cognoscendi : maxime vero, adnitente ratione ; quæ tamen nec ipsa per se, suamque intellectionem id ipsum præstat : rationis enim cognitio, cum sit altioris ordinis, ea duci appetitus sentiens non potest. Illum igitur voluntati obedientem efficit, sensus interioris operatione. Quamvis enim, ut dictum jam est, cognitio incipiat a sensu, plurimum tamen luminis in sensum ipsum ex mente refunditur. Atque hoc illud est, quod aiunt philosophi, sensus omnes hominum multo antecellere bestiarum sensibus. Hinc oculos in pictis, fictis, cælatisque formis tam subtiliter cernere : nec alia de causa in cantibus, atque in omni sonorum varietate, esse humanarum aurium delicatissimum sensum, et fastidiosum, ac superbum plane judicium. Adeo natura, cum in reliquas omnes facultates cognoscentes rationi dominatum dedit, dedit etiam, quo iis prodesset. Quæ enim ad ejus duntaxat, qui præest, commodum refertur, tyrannis est, non principatus. Juvare autem ratio potest quam maxime eam, quæ sibi magis affinis, et conjuncta est, facultatem cogitantem, ac boni, malique ad sensum pertinentis æstimatricem. Nam cum res altius ratio penetret, ac penitus introspiciat, ei persuadere, quasi aperiendo et commonstrando potest, in ea re, quæ ipsi est objecta, boni, vel mali, commodi, vel incommodi plus aliquid inesse, quam illa per se sola detegere, et assequi valuerit. Ea vero persuasione facultatis hujus judicium sæpe corrigitur : quod, quoniam sequitur appetitus, et ipse paulatim moderatior, ac voluntati obsequentior efficitur. Ita igitur inferiori appetitui alter imperitat : rationi mandat, ut, conquisitis hinc, et inde suasionibus, errorem sensui detrahat : ratio paret : sensum admonet, condocefacit, persuadet ; ac, postquam is de falsa æstimatione deductus est, rationique consensit, tum denique appetitus ab actu discedit, et voluntati acquiescit. Quæ si ita se habent, falsum est quod adversarii asserunt, in homine, ut homo est, sejuncta culpa, eam vim esse debere intelligentis appetitus, ut sentientem omnino in potestate habeat ; et quantumvis incitatum, statim reprimere, et coercere nutu solo, imperioque possit. Siquidem non eum ipse per se gubernat, moderatur, ac temperat : sed consiliario ad eam rem, et administro indiget ; non eum vi et potestate, sed arte quasi, et industria : non impellendo, atque adstringendo, cogendoque ; sed suadendo, et, quasi consilium præbendo, regit. Qui dominatus laxior est, et politico similis, quo a suis regibus liberi atque ingenui habentur.

Haud quaquam tamen, quoniam gubernatio politica in eorum, qui subjecti sunt,

libertate fundamentum habet : id perinde accipi velim, quasi putem in appetitu sentiente speciem, formamque esse ullam veræ, et propriæ libertatis. Fuit hæc opinio Cajetani, qui ad I, II, q. LXXIV, art. 4 docuit appetitum ex se ipso tantum libertatis habere, quæ ad peccatum, si minus lethale, ac certe veniale sufficiat. Quod cum a veritate, tum etiam a mente D. Thomæ, quem ipse ejus sententiæ magistrum, et auctorem sequi se dicit, sunt maxime aliena : ut evidenter probat Franciscus Suarez in tract. *de Anima* l. V, c. VI, n. 5. Nec modo D. Thomam Cajetanus, sed Patres, doctoresque universos contrarios habet : præcipue vero Augustinum, cujus illa sunt : « Solam voluntatem esse, qua et peccatur et recte vivitur. » I *retract.* c. IX, n. 4, et c. XV, n. 2 et 3 item lib. III *de lib. arb.* c. XVIII, n. 50 lib. *de duab. Anim.* c. X, n. 12 et 14 aliisque quam pluribus in locis. Quin imo Jansenius ipse, etsi liberum hominis arbitrium uni contrariorum semper affigat, cumque insuperabili necessitate libertatem componat; in appetitu tamen, quod consequens esse videretur, veram ullam, culpæ parem, aut merito, libertatem esse negat. Idemque Baii theses XL. « Quod voluntarie fit, etiam si necessario fiat, libere tamen fit; et LXVII sola violentia repugnat libertati naturali, » quæ ipsissima est Jansenii quoque doctrina, ut Ecclesiæ ictum declinet, ab ea proscriptas propterea dicit, non quod libertatem cum necessitate cunjungant; sed, quod ex mente auctoris, eo spectant, ut persuadeant, quod quidem abhorrere fatetur a vero, ac peculiare Baii dogma fuisse, « Concupiscentiæ motus vere liberos esse, ac lege prohibitos. » Nos igitur, quod appetitum a voluntate politice regi, administrarique diximus, sic intelligi volumus, non quidem, ut libertatis compos sit appetitus; sed ut in potestate voluntatis non sit penitus : non ut actuum suorum sit ipse dominus; sed, ut ne voluntati quidem sint plane liberi. Atque illud præcipue contendimus, si quando appetitus boni, vel mali notitia commotus subito effervescat, atque in actum exiliat, non posse a voluntate statim reprimi, et cohiberi; non quod liber ille sit, suique juris; sed quod eum voluntas non per se proxime regat, ac moveat : totque ipsi adhibendi sint adjutores, ut illum ab actu deducat, tam multa movenda, ac pertentanda, tanta mole laborandum, ut id nec semper quidem, nec facile, certe non statim obtineat.

Sed et alia causa subest, quamobrem ad coercendum appetitum minus etiam sit efficax voluntas et ratio, quæ pars est animi excelsior. Etenim appetitus non solum sequitur sensum, sed innatum quoque pondus, propensionem, inclinationemque, quibus unus alio magis ad tristitiam, ad metum, ad iram, ad libidinem trahitur. Et sensus quidem motio, et impulsio, adnitente ratione, frangi, atque infirmari potest aliquo pacto : proclivitas autem ista non sic; sane vincitur operosius : sita quippe est in iis humoribus, quibus concreti sumus. Horum autem admixtio temperatioque, cum sit a natura, non æque corrigi potest, ut falsa æstimatio sensus. Quid præterea, cum vel ex ipso motu appetitus, vel ante etiam commoventur, turbantur, utque aiunt philosophi, *alterantur* istiusmodi humores? Num sedari componique subito poterunt? Ad nutum ne voluntatis æstus, agitatioque illa actuum residet? Tumor omnis, elatioque concidet? Exemplum sit in ira, quam Damascenus l. II *Fid. orth.* c. XXVI. « Fervorem esse dicit ejus, qui circa cor est, sanguinis, ex fellis evaporatione : » si qua igitur hominem proclivem ad iram contumelia pupugit, aut alia pepulit insignis injuria, cum exardescit sanguis, cum tumet atque exæstuat bilis, magnum quiddam præstabit voluntas, si tantum se abripi ab ira non sinat, si resistat, si facultatem illam, quæ motat corporis membra, appetitu quantumlibet imperante vindictam, atque urgente, contineat in officio, neque ipsi obedire patiatur. Ardorem vero flammamque illam statim restinguere; motum iracundiæ omnem in felle, in sanguine illico sistere; hoc enim vero voluntatis naturalem vim, atque efficaciam longe superat : cum præsertim rationis consilio, atque opera tunc uti non admodum valeat. Ut enim ait Gregorius l. V, *Mor.* c. XXXI. « Ira intelligentiæ lucem subtrahit, cum mentem permovendo confundit. » Quod est etiam *in Psalm.* XXX, 10 his verbis *Conturbatus est ira oculus meus.* Atque hæc ratio valet in aliis etiam perturbationibus, quæ corporis humores vehementius commovent. Etsi enim mens proprios actus non exerceat organo aliquo, instrumentoque corporeo, quia tamen « ad ipsos indiget, ut ait D. Thomas I, II q. XLVIII, a. 3, quibusdam viribus sensitivis, quorum actus impediuntur corpore perturbato, necesse est, perturbationes corporales etiam judicium rationis impediant : sicut patet in ebrietate, et somno. » Ratio autem, cum in nubilo est, sensum col-

lustrare non potest : si tunc enim bonum a malo vix dijudicat, et distinguit, suum sensui errorem quomodo eripiat? Quod si is judicium non corrigat nec condocefiat, cum appetitus per se indocilis sit, voluntati contumaciter resistet, atque obluctabitur, ejusque imperia non audiet. Sed pro nostra sententia satis multa : vel plura potius, quam necesse fuit : nunc ea refellenda, quæ contra disputantur ab adversariis.

§. VI.

Itaque ad primum respondeo, præposterum perversumque fore, si caro ita adversaretur spiritui, ut is non posset resistere, nec, quod honestum est, sequi, et asciscere, eo repudiato, quod sensus tantum delectat. Quod autem ita adversetur, ut illum vincere, nisi ipse velit, non possit ; velle autem, et nolle eidem solutum ac liberum sit, ut alibi planum fiet ; id profecto non est præposterum, aut perversum, nec contra rectum illum naturæ ordinem, qui homini debetur, natura sua : quæ oppido est imperfecta, et ita rationis particeps, ut simul sit animalis : esto, sit contra ordinem illum, qui a Deo primitus est institutus, utique singulari quodam gratiæ beneficio : «Gratia quippe Dei magna ibi erat, ubi terrenum, et animale corpus bestialem libidinem non habebat» IV *cont. Jul. perfect.* c. XVI, n. 82.

Ad secundum duo respondeo : primum, in statu etiam puræ naturæ fore, ut Deo imputari non possent ii motus, quibus tunc quoque appetitus rationem sive anteverteret, sive oppugnaret : secundum, etiam si Deo tribui possent, nequaquam tamen ex eo consequens fore, quod hic adversarii nobis opponunt. Utrumque seorsim ostendo.

Quod ad primum attinet : Rerum naturæ cum non sint omnes æque perfectæ ; imo, quæ perfectiores habentur, quoniam omnes e nihilo ductæ sunt, ipsæ etiam a perfecto et optimo multifariam deficiant ; Deum propterea, qui illas condidit, rerum imperfectarum, et quarum, si præsertim cum ipso comparentur, sunt oppido multi, et varii defectus, auctorem dici non veto : imperfectionum vero, defectuumque ipsorum auctorem dici veto. Ista enim, ei, qui rem condidit, imputanda non sunt : nisi forte res illa iis deficitur, quæ ipsi debentur, iisque perfectionibus caret, suo sibi quas jure vendicat, atque exigit ipsius natura : sic, ut docet D. Thomas I, II, q. LXXXV, a. 6. « Quod gladius sit frangibilis, et rubiginem contrahens, quod ex naturali ferri dispositione consequitur, » artifici tribuendum non est : nec animali, quod animal gignat obnoxium morti et dolori, quoniam animalis naturæ ea est propria sors et conditio. Atque id maxime valet in Deo, qui se cum rebus, quantum cujusque natura petit, communicat atque participat : ut homo innocens etiam, quod immortalitatem imperturbationemque non accipiat, ut Angelus ; non Deo sed propriæ naturæ ascribere debeat, quæ corporeæ fæcis atque admixtionis expers non est, ut Angelica, breviorique inclusa et comprehensa perfectionis ambitu, atque gyro. Et Angelus ipse, si errare, si peccare possit, id non in Deum referre debeat, sed in propriæ naturæ modum, quæ, licet sit valde perfecta, e nihilo est tamen, ac certis limitibus definita et circumscripta. Adest mihi hic opportune ante oculos imago Moysis aquas ictu virgæ elicientis e silice : ex qua similitudo peti mihi potest ad rem hanc declarandam et comprobandam, satis apposita. Hic enim, ut aquas compotantium et convectantium turba est confertissima ; sic poculorum atque hydriarum est magna varietas : aliisque alii utuntur magis minusve capacibus. Porro qui vasculum attulerunt angustius, fonti ne ascribere poterunt, quod minus aquæ perceperint atque asportarint? Scatebramne venamque illam accusabunt, quod aliis quidem largam sui fecerit copiam ; ipsis vero se admodum restricte et avare impertiverit? se culpent ipsos, quibus amphora non est parata capacior. Aquæ defectum non fontis inopia, aut parcitas fecit, sed urnæ angustia. Huic est tribuendus : Aquæ quidquid habent est fontis, quidquid non habent est vasis. Jam vero ista traducantur ad Deum. Est ipse omnis excellentiæ et præstantiæ, ac totius esse inexhaustus quidam veluti fons. Quidquid oritur, ex hoc fonte haurit, et quantum haurit, tantum est : nec perfectionis plus habet, aut minus, quam quantum fontis hujus particeps fit : « nulla vena trahitur aliunde, quo esse, et vivere currat in nos : præter quam quod, tu facis nos, Domine, cui esse et vivere non aliud, atque aliud est, quia summe esse atque summe vivere, id ipsum es. » August, *Conf.* l. I, c. VI, n. 10. Apud hunc fontem igitur res illæ, naturæque omnes, quibus hæc universitas constat, e nihilo evocari mihi quodammodo videntur ab eo, *qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt.* Tum ad illam ipsam imaginem,

quam nuper descripsi, rem ita compono, ut ex hac vena vitæ ducant omnes id ipsum, quod sunt : perfectionemque suam inde hauriant, et quodammodo asportent : quæque tamen pro conditionis suæ mensura, et modo. Bibunt hoc ex fonte plantæ : sed non supra quam quantum exigit ipsarum natura. Et esse et vivere accipiunt : at rerum notitia, et appetitione carent : nec quod careant fontis est, sed propriæ ipsarum naturæ : cujus modum ea facultas excedit. Verum, quo plantæ carent, id bruta ferunt, sensum et appetitum: at non præterea mentem, consilium, liberam eligendi facultatem. Quare? Unde in brutis earum perfectionum defectus? numquid a fonte? Minime vero : ita est brutorum natura, ut nihil petat supra sensum, et appetitum : quorum altero conatus habet ad necessarios pastus capessendos, altero secernit pestifera a salutaribus. Age jam tandem, homines, fontis hujus ubertate completi, quid referant, videamus. Major in ipsis est, et latius patens naturalis capacitas, quo, quidquid brutorum conditionem, captumque supergreditur, tanquam in majus aliquod, diversæque figuræ atque habitudinis vas infundi potuerit. Bene est : habent id omne : ipsorum naturæ cumulatissime satisfactum. Quicquid beatissimæ copiæ, illapsusque purissimi in alias rerum naturas hoc ex fonte manavit, id fere omne, parte saltem aliqua, ad certamque mensuram congestum, conclusumque est in hominibus. Sunt, vivunt, volunt : ac multarum rerum, sicut in ipsis est plena efficientia et potestas, sic erectio est solutissima. At iidem nec immortales, nec doloribus et cupiditatibus liberi sunt. Angelorum propria sunt ista; quorum terrena, concretaque vasa non sunt, nec tam arcto loci, ac temporis ambitu, nec certis materiæ partibus proprietatibusque determinata, et finita. Quid Angeli ipsi, in quibus largior ac plenior quidam numinis haustus? ex summo illo et perfectissimo bono, quantulum est, quod referunt! sunt illi quidem materiæ, ac totius corporeæ concretionis expertes : multimodis tamen limitati ac definiti : eamque ob causam boni illius, quod exhauriri non potest, quantumcumque percipiant, nimimum est, perfectique particula valde imperfecta. Ab omnibus cupiditatibus soluti quidem sunt : at erroribus teneri possunt : immortales, at idem mutari, imo et graviter delinquere possunt. Verum nec Angelus, quod non sit *Impeccabilis* ἀναμάρτητος, nec homo, quod non sit *Impassibilis* ἀπαθῆς, si se inspicere, si se metiri velint, referre possunt in Deum. Perfectiones tantæ, perceptionesque summi boni brevi sextariolo contineri non poterant. Earum defectum naturæ humanæ, et angelicæ modus, non fontis illiberalitas fecit. Præstantiæ, atque excellentiæ quidquid habent, est fontis : quidquid non habent est vasculi. At enim, inquies, hominem supra ipsius naturæ modum ditare cum possit Deus, ut reipsa principio ditavit; si id non fecisset, si ei *Apathiam* denegasset; quod homo eo bono careret, id ipsi Deo imputari videtur potuisse. Esto enim, is est humanæ conditionis modulus, eæ sunt angustiæ; ut tantum hoc donum in homine naturaliter esse non possit, at potest supernaturaliter, Modico quidem gyro circumscripta est *naturalis* capacitas : at capacitas sive potentia, quam schola vocat *obedientialem*, cum quæ movendi atque efficiendi vim habet, tum quæ accipiendi et quasi patiendi; nullos satis certos ac fixos terminos habent. Hæc adversarii; qui imprudentes, ut puto, id ipsum mihi ultro concedunt, quod rationibus obtinere dudum laboro : bonum nempe illud, cujusquemodi tandem sit, cujus ope appetitus rationi semper obtemperet,, supra hominem esse : nec facultatis esse *naturalis*, sed *obedientialis*. Concedimus, inquiunt, neque enim id agitur modo : non quæritur in prima hac responsionis tuæ parte, naturalisne sit, an vero supra naturam ista perfectio : sed, cum profecto esse possit in hominibus, si ea caruissent ab initio, utrum Deo tribuendus fuisset is defectus, necne ? Atqui hoc illud est quod in præsens pugno : hac ipsa de causa, quod supra naturam hominis est illa perfectio, ejus defectum non Deo assignandum fore, sed limitationi, ac determinationi naturæ. Quid enim? ut exemplis utar, quod opifex et tabernarius aliquis quinque millia non habeat, Hispaniarum regi numquid istud attribues ? Quid ita, inquis, si pecuniam illam ipsi non debet ? At inopem ditare et quidem facillime posset. Posse quid refert ? si nomine prorsus ullo non debet, ejus paupertas regi non est imputanda. Quid cum aulæ munia et ministeria, pro cujusque conditione distribuit; qui est ex infima plebe atque fæce, actumne secum minus liberaliter putet, regique imputet, quod mensæ, quod cubiculo præfectus non sit, aut iis muneribus destinatus, quæ summo loco natis regnique primoribus duntaxat debentur ? Atqui etiam in homine isto dupliccm quodammodo facultatem distinguo : ut

est enim humili loco natus, non habet ex se ipso, natura et conditione sua, ut id muneris obtineat : obtinere tamen potest indulgentia ac beneficientia regis. Neque ei sua humilitas obstat, quo minus eo loci ac dignitatis evehi possit, beneficio regis; in quo alii locantur jure et commendatione familiæ. Nihil refert, inquis, quo evehi iste possit : nisi dignitas illa ei debeatur a rege, quod ipsa careat regi exprobrare non potest : nec quidquid incommodi necessario sequitur, ea præfectura, et procuratione sibi non demandata, in regem tanquam in auctorem transferre. Id ipsum tibi respondeo de homine, quem immortalem, indolentem, imperturbatum condi debuisse statuis. Optimatum, id est, Angelorum propria sunt ista bona : homo, qui loco natus est humili et abjecto, sumptusque ex fæce materiæ, si sibi ista non tradantur a rege, expostulare, et queri non potest : ac regem paupertatis : sordiumque suarum auctorem immerito dicat. Quantumvis enim duplicem potestatem, habitudinem, aptitudinemque distinxeris, *naturalem, et obedientialem ;* quousque tamen immortalitatis, indolentiæ, imperturbationis aliquo nomine debitorem Deum non probas; quod homo, innocens etiam, morti, dolori, perturbationibus obnoxius sit, Deo imputandum esse non probas. Quod si id non probas, voluntarii tum *directi*, tum *indirecti* regulam quamcumque statueris, multo minus probaveris, Deo ascribendam fore mortem ipsam hominis, dolorem, perturbationes motusque illos, quibus in statu etiam nudæ naturæ, appetitus adversaretur rationi. Manifestum est enim in artificem, in quem D. Thomæ sententia referri non potest, quod gladius *frangibilis sit, et rubiginem contrahens*, nec referri posse, quod reipsa frangatur, aut rubiginem trahat. At enim Deus, ut omnibus causis secundis generaliter præsto adest, motus hos adjuvat, ac, viribus suis, appetitui quodammodo asservit. Quid tum inde? Nonne concurrit cum voluntate, tum quoque, cum peccat, ipsique pariter quodammodo asservit, ut est apud *Isa.* XLIII, 24. Num ipsi propterea peccata hominum sunt imputanda? At dices, superiori appetitui deesse, aut eum constringere, honestoque illigare et affigere, contra ejusdem naturam foret : potestatem enim suorum actuum habere, ac liber esse debet, et ad honestum ferri suapte sponte atque nutu. Foret id ipsum contra naturam pariter inferioris appetitus, sed contrariam ob causam : nempe, quia liber non est, sed ita totus aptus ac nexus ex sensu, ut impulsione aliqua sibi illinc oblata, superioris imperium, assensumve expectare non possit. Neque illud dixeris, Deum hujusmodi motus rationi contrarios prohibere posse in appetitu sentiente, quin ipsi vim faciat, aut ullum frænum injiciat : si nempe causam motus ab eo removeat : ac procul a sensibus arceat ea omnia, quibus ita incitatur : posset enim pariter peccatum omne impedire, quin hominis voluntatem ulla compede obstringat : si nempe auxilia duntaxat efficacia decernat. Nam, cujusmodicumque ista efficacitas sit, et utcumque explicetur, profecto nec voluntati vim afferre, neque ei suorum actuum usum, administrationemque liberam adimere debet. Sed nimirum, utriusque providentiæ modus, gratuitus, liberalissimus, et plane supra naturam hominis foret. Ut igitur Deo licet non impedire peccatum, quin ipsi propterea sit imputandum ; ita pariter nec tristitiam, nec metum, nec perturnationes cæteras, quin propterea in ipsum possiut, tanquam in auctorem referri.

Nunc quod secundo loco probandum recepi, etiamsi perturbationes istæ tribui possent Deo, nequaquam tamen consequens fore, quod adversarii volunt. Primo enim : non ii sunt isti conatus atque impetus appetitus, ut voluntatem, non dico rapiant nolentem, ac renitentem ; sed neque premant, atque urgeant necessitate volendi, et consentiendi. Deus quidem, ut auctor est et conservator naturæ, sicubi res aliqua per sensum proponitur, appetitui sua ope non deest : motus hos esse sinit : ita tamen, ut in potestate, ac voluntate libera hominis esse voluerit iis annuere, aut repugnare : eamque in superiore appetitu vim, et firmitatem impresserit, qua contra niti, seque ab assensu sustinere queat. At enim adest, et, quoniam ita vultis, esto adsit a Deo in parte hominis inferiore, quod animam ad voluptatem inclinet. Adest pariter in altera lance, et certe quidem adest a Deo, quod pondus istud, quantumcumque est, omnino vincat ac deprimat : gravioribusque momentis, licet non ejusdem generis, inclinet ad honestatem. Quid illud est, si gratiæ dona, quæ supra naturam sunt, amoveas? Nonne data est homini ratio? ea, quam multa retegere, suadere, præscribere potest, quibus et elevetur voluntas, et magnum honestati pondus accedat : eaque duplici de causa *rectum*, *dulci* longe præponderet. Quid si Deus superingerat ex copiis, censuque naturæ

cogitationes affectionesque, quæ animum a voluptate avertant, et honestati concilient? Dubium esse non possit, ei etiam, qui rem hinc dumtaxat æstimet, et utramque inclinationem in Deum referat, quin a peccato quam maxime abhorreat, secus vero recte factum amet, pervelit, serioque, sincere, atque, ut de hominibus dici solet, vere et ex animo adjuvet. Animadvertendum deinde est, quod Deus appetitui id exigenti generali ope sua, communibusque subsidiis non desit, quid sibi proponat, quid spectet; nempe hominis bonum. Huc pertinet illud Bernardi *de Grat. et lib. arb.* c. VII n. 22. « Datum homini posse peccare, ut non proinde peccaret, sed ut gloriosior inde appareret, si non peccaret, cum peccare possit, etc. Neque fuit culpa dantis, sed abutentis, qui ipsam videlicet facultatem convertit in usum peccandi, quam acceperat ad gloriam non peccandi. » Esto igitur esset a Deo hæc hominis cum se ipso discordia, atque pugna; si tamen esset, ut ait P. Ripalda tom. III l. I disp. IX sect. VI. « Ex intentione non primaria, sed secundaria, nempe ordinata ad victoriam, » nihil ex ea re sequeretur, quod Deum dedeceat, ejusque sanctitatis alienum videatur. Datus scilicet homini esset adversarius, ut esset victoria: utque augeretur honestorum operum laus, addita esset difficultas. Quæ bona cum Deus sibi proponeret, in statu puræ naturæ: eoque referret, quod appetitum, ut animalis natura petit, solutum, aut laxe infrænatum relinquat; etsi propterea ad ipsum ejus motus, procursusque pertinerent aliquo modo: nulla certe ex parte in eum rejici posset hominis culpa: cui paulo contumacior appetitus eo consilio datus sit, ut eum cum laude regat: parsque animi inferior rationi non perfecte subjecta, ut homo sibi ipsi imperet gloriosius. Denique, quo penitus cadat, quod adversarii nobis ultimo opponunt, vera Dei peccata fore, quæ minus proprie hominum peccata dicuntur; illud tertio considerari velim, motus hos ac stimulos appetitus, non esse consilia, suasiones, cohortationes, pollicitationes, mandata, aut alia ejusdem modi, quibus qui aliquem ad peccandum sollicitat, etiamsi minimum moveat, ac ne moveat quidem; peccati, quod suadet, aut præcipit, reus est tamen. Cum igitur motiones illæ, et impulsus, quibus ab appetitu ad jucunditatem ferimur ac delectationem, non sint generis hujus; tametsi in auctorem naturæ ista ultimo revoces; si tamen ipse, quodcumque illud sit, propter quod non solum appetitus, sed ejus etiam actuum a te auctor dicitur; id omne cum præstat, hominis *agonem, et coronam* sibi proponit, Trid. ses. V eoque ista dirigit, ut illi ampla, semperque parata sit victoriarum, ac meritorum seges, ac per « has difficultates erudiatur, et exerceatur proficiens in agone justitiæ. » Augus. l. II *de peccat. mer. et rem.* c. XXXIII n. 53. Si ipsi præterea vires attribuit, quibus pravam illam inclinationem vincere queat; si inclinationi eidem judicium rationis opponit, aliaque naturalia momenta, et pondera, quæ in contrariam partem animum trahant; non est oppido, cur aut hominis peccatum velle, aut ei, minus quam, quantum ipsius sanctitas postulat, alienus et infensus judicetur. At appetitum hominibus daret, et illum in propriis ejus actibus, ut alias omnes causas, adjuvaret. Utrumque, quantum natura peteret, cujus est auctor, et conservator. Petat quantumlibet; appetitum daret et adjuvaret. Concedo. Appetitus autem iste identidem insurgeret, pugnaretque contra rationem. Concedo. Et hac ex pugna difficultas vitandi peccata, et exequendi mandata Dei. Concedo. Hujus igitur difficultatis auctor esset Deus. Id quidem non sequitur: sed esto, ita sit; quid jam ex eo? Ergo Deus esset auctor peccati. Hoc vero nego. Quid enim! Creet hominem Deus ex nihilo: et, quoniam ita fieri oportere contendis, ornet illum dono integritatis, dono sanctitatis, donis aliis omnibus, quibus principio cumulatus est Adam. Numquid eo consilio, ut ejus constantia, et amor in Deum probetur exerceaturque; ac fiat ipsi copia promerendi ingens aliquod bonum, imperari eidem non poterit opus aliquod durum, arduum, perdifficile, cujusmodi præscriptum olim fuit Abrahamo? Quod si imperetur, difficultatem parendi præcepto, Deo utique tribues: quippe quæ ex natura, præceptoque ipso sit tota, utriusque autem causa sit Deus. Non tamen, si homo ille, quod jussus est, non perficiat, id etiam Deo imputaris: nec, cui difficultatem adscripseris vitandi culpam, eumdem culpæ feceris auctorem. Superest igitur, ut, quemadmodum omnes catholici confitemur contra Manichæos Deum posuisse hominem, eique potestatem fecisse, optionemque liberam eligendi, quod vellet, bonum, aut malum; sic etiam nec absurdum, nec ab ejus sanctitate alienum dicamus, si, natura hominis id postulante, duas ipsi facultates attribuat: sic, ut duplex

ex iis subinde existat inclinatio, et impulsio : ad virtutem altera, altera ad vitium. Non uno tamen eodemque modo : sed ita, ut ad vitium quidem *physice* solum, et *materialiter*, ut loquuntur, inclinetur ; neque ea intentione, et proposito, ut ad vitium inflecti incurvarique se sinat : contra vero ad virtutem extimuletur, inciteturque *formaliter*, *intentionaliter*, quodam suasionis et cohortationis genere ; eaque mente, et consilio, ut virtutem optet atque amplectatur. Articulum hunc totum apte concludit, quod de primo homine August. *de Gen.* l. XI c. VI n. 8 ex eoque Beda l. sup. cit. scriptum reliquit in hæc verba : « Probatur, et exercetur virtus; et est palma gloriosior non consensisse tentatum, quam non potuisse tentari, etc. Concedimus meliorem esse naturam, quæ omnino peccare nollet : concedant, et ipsi non esse malam naturam, quæ sic facta est, ut posset non peccare, si nollet. » Concedimus meliorem esse naturam, quæ nullis cupiditatibus incitatur, ut est Angelica : concedant, et ipsi non esse malam, quæ cupiditatibus resistere, ac dominari possit, ut est humana, nuda etiam iis omnibus, quæ supra ipsam sunt, gratiæ donis, atque præsidiis, ut explicabitur q. II a. 1.

Ad tertium quod attinet, non tam refellendi adversarii, quam ii omnes theologi, quibus est persuasum natura lapsa nihilo robustiorem fore naturam puram, si hæc a Deo conderetur. Certum est enim, et, ut omittam rationes physicas, ac theologicas, tam multis, tamque disertis omnium sacrorum scriptorum testimoniis comprobatum, naturales hominis facultates, etiam post Adæ peccatum, in nobis integras permansisse ; ut, si hoc testium satis non est, nesciam quid satis sit : et cui nondum id est probatum, non videam, quid ei satis probari possit. Verum enim vero certum est æque, et totidem testimoniis probari posset, si opus sit, ut opus fuit contra Pelagium ; certum est, inquam, humanam naturam, culpa primi parentis, debilem, ægram, sauciam esse. Quid tum ? inquiunt hi : Numquid difficile tibi videtur, duo ista componere, et quod hominis natura nihil amiserit eorum, quæ ipsi debentur ; et quod saucia sit vere, et proprie ? Isthuc quidem nihil negotii est, aiunt, et nodum hunc ita expediunt : Vulnus, inquiunt, positum est in eorum, quæ juncta et continua sunt disjunctione : cum igitur, Adæ crimine, sublata sint ab homine gratiæ dona, quæ ipsi inhærebant, atque erant intime conjuncta ; ex ea separatione, et discidio recte dicitur vulnerata natura. Quod autem non solum vulnerata, sed vitiata, corruptaque dicitur, id est primo, propter peccati maculam, qua omnes infecti nascimur : tum deinde, quia nobis erepta sunt ea bona, quorum, tametsi ea naturæ hominis non debentur; ipsa tamen est maxime capax, ab iisque summe perficitur ; sic, ut per ea corpus animæ, animæ autem pars inferior superiori, superior Deo ipsi, miro et perfectissimo ordine subjiciatur. Recte quidem ista omnia dicuntur : vereor tamen, ut satis sint. Nam illud axioma percelebre, hominem non solum *Spoliatum gratuitis ;* sed etiam *vulneratum in naturalibus ;* quod adversarii nobis objiciunt, ita sane est explicandum, ut alterum alteri aliquid addat : si enim duo illa *spoliari gratuitis*, et *vulnerari in naturalibus*, re idem sint, plane non esset, cur vocibus ita distinguerentur. Quid tu ? visne, homini ea non solum adempta, quæ sunt supra hominem, sed ea etiam, quæ ipsi debentur : quod contra, totius antiquitatis testimonio, tanto labore, et contentione pugnasti ? Isthuc equidem nolo : sed tamen plus aliquid volo, quam quod duntaxat est, hominem spoliatum esse gratuitis. Detracta ipsi est gratia sanctificans, et habitus omnes virtutum ei divinitus injecti, et infusi, Id est spoliari gratuitis : date aliquid aliud. Frænum illud subductum, quo appetitum maxime docilem, et ad nutum obsequentem semper habebat. Spoliatus gratuitis. Remotum ab eo id omne, cujus ope morbos, dolores, senectam, mortem arcebat. Spoliatus gratuitis. Possum ne tandem aliquid audire, cur verum sit hominem non solum spoliatum gratuitis. At quoniam ex vobis non audio ; dicam ipse, quod sentio. Etsi naturæ creatæ aliæ aliis, suis quæque terminis circumscriptæ sint, et finitæ ; est tamen uniuscujusque is ambitus, atque modus ; intra quem magis, minusve perfici, nec supra, nec contra naturam dicendum sit. Sic in equis, alius est alio perfectior, quin propterea, perfectus qui minus est, in statu sit violento ; qui magis, supra equi naturam assurgat. Et in aliis quidem naturis eorum, quæ adesse et abesse naturaliter possunt, gyrus forte est paulo angustior : in hominis vero natura, quæ animo et corpore continetur tam late patet ; ut ille, cui negetur id omne, quod negari homini potest ; sine ulla vi, atque injuria ; et ille, qui contra cumulatissime accipiat, homini quidquid inesse natu-

raliter potest; vix in eadem specie, et natura positi esse videantur. Atque ita intelligi facile potest, quod modo non satis explicari dicebam; hominem, primi parentis crimine, non solum spoliatum gratuitis; sed mulctatum quoque et vulneratum in naturalibus: quem tamen, et auctoritate, et ratione certo constat, nihil eorum amisisse, quæ propria hominis sunt, ipsique innocenti debentur. Nempe in funestissimo illo naturæ nostræ excidio, non solum nobis erepta, atque avulsa gratiæ dona omnia, quod ipsum naturæ vulnus gravissimum acerbissimumque fuisse non nego; sed aio præterea, ea nos de causa aliis quam plurimis destitutos, quæ Deus ex ipso etiam patrimonio, ac sensu naturæ in hominem large erogasset; quæque supernaturalia ea solum de causa dici poterant, quod ad supernam hominis beatitudinem extrinsecus dirigerentur. At ista bona, licet naturalia, nonne tamen dici possent dona gratuita, etiam si non eo referrentur? Possent utique, si singularem aliquem hominem spectes: non vero si totam naturam cum universitatis hujus, cujus pars sunt illa bona; tum etiam hominum ipsorum: cui pleraque illorum, ut schola loquitur, saltem *disjunctive* debentur. Hæc enim, ut verius reor, in unoquoque singulari, atque individuo homine diversam quidem inesse petit collectionem, complexionemque accidentium, quæ propria sit ejus veluti nota, atque insigne; non ita tamen, ut certam quamdam definitam, et fixam, aut unam, præ alia in quoquam ex sese desideret. Unam quamlibet ex infinitis magis minusque perfectis exigit ex se natura: quo fit, ut cui melior impressa est accidentium nota, tam nihil supra humanam conditionem sortemque acceperit; quam nihil accipit contra, qui nota deteriore distinguitur. Naturæ scilicet, quæ alterutram postulabat, satisfactum ex æquo. Id vero non tantum de vultu intelligendum est, deque externa corporis specie, atque habitudine; sed etiam de interiore ipso totius hominis artificio, et structura: et, quod præcipuum est, de humorum temperatione, de indole, de naturalibus quibusdam propensionibus, affectionibus, studiis: de ipso quasi animi habitu. In quibus omnibus, sicut magna potest esse diversitas: sic nihil certi cuiquam est a natura definitum. Et tamen, si natura omni culpa vacaret, etiam si ad supernaturalem finem evecta non esset, Divinæ bonitati consentaneum foret, perfectiones illas, quæ esse in homine, et abesse naturaliter possunt, hominibus potius concedere, quam denegare: ac summum illum Opificem deceret quam maxime, cum possit humani corporis humores varie miscere ac temperare; animæque ad suos actus peragendos organa, atque instrumenta aptare valde diversa; deceret, inquam, quantum fieri potest, aliqua varietate servata, ea omnia omnibus attribuere, ad suos usus maxime idonea, atque perfecta. Quod contra videmus agi cum natura primi peccati rea, in qua tam multi male apti et affecti, tardi, hebetes, stupidi, debiles, manci, deformes, monstruosi nascuntur. In statu Innocentiæ infelices isti naturæ abortus aut nulli essent, etiam remoto supernaturali dono, aut admodum rari. Nempe, ut id paucis comprehendam, duos inter naturæ, status innocentis, ac reæ, universim hoc interest, quod, intra illos humanæ naturæ fines, quos dixi patere latissime, in hoc quidem statu homines infima teneant; in illo tenerent suprema: ut merito ex hoc etiam dicantur, ibi in naturalibus integri, hic in naturalibus vulnerati. In statu puræ naturæ nemo quidem mortis expers foret: quod enim mortem ab homine perpetuo arceat, id omnino est supra hominem. In eo autem a nobis differrent, quod, ut essent meliori corporis habitudine, vitam et felicius transigerent, et diutius producerent. Cæterum eos etiam tandem aliquando aut aliqua vis morbi, aut natura ipsa consumeret. Quod vero pertinet ad appetitum, de quo hic præcipue agimus, nec si natura innocens, atque omnis maculæ pura foret, homines, ubi gratiam amoveas, a cupiditatibus, ac perturbationibus plane liberi essent: in eo enim statu etiam res objectæ sensibus suum ictum haberent, quo animum pellerent. Verum, cum esse in homine possit temperatura corporis aut ardentior, aut magis quieta, et pacata; in eaque appetitus sit ipse etiam effervescentior, vehemens, modi, frænique minime patiens; in altera vero moveatur remissius, ac regi possit facilius; temperationem hanc potius, quam illam esse vellet in homine Deus: cum is esset naturæ status, in quo nec peccatum foret, quod naturali illo bono nos indignos efficeret; nec Gratia, quæ appetitum in officio contineret, si temperatio nobis inesset illa ardentior, atque commotior. Essent igitur homines in statu puræ naturæ, aut esse saltem possent, hoc enim ad rem meam satis est, perfectius illi quidem temperati; sed tamen eorum similes aliquo modo, quos nunc vulgo dicimus *sortitos ani-*

mam bonam; quibus nec tam gravis, nec tam assidua cum appetitu solet esse luctatio : qui sunt sane non ita multi. Appetitum haberent quidem, ut nos etiam habemus inferiorem superiori politice, non despotice subjectum. Verum, ut inter ingenuos, eosque, qui politice gubernantur, alii sunt contumaces, refractarii, turbulenti, seditiosi; alii contra faciles, et, quo libeat flecti, obsequentes, quieti, tranquilli ; sic quoque, cum corporis constitutio non sit in omnibus eadem ; nec pariter unius indolis est appetitus : sed alius alii in suis motibus, atque actibus aut lenis, sedatusque; aut violentus, ac præceps. Appetitus igitur iis plerumque foret hujus secundi generis : quem visa quidem pellerent, et commoverent; sic tamen, ut componi per rationem facile posset. Porro mansuetior iste, et ad rationis disciplinam magis docilis appetitus, donum Dei oppido esset, sed a natura hominis non plane distinctum : si quidem *disjunctive* saltem, ut dicebam, ipsi debitum foret : ut debita pariter foret humorum temperies perfectior, et qualitatum collectio notæ melioris. Adde his omnibus naturalis ordinis auxilia. Neque enim supra modum, et conditionem puræ naturæ donaret aliquid homini Deus si, præter hæc omnia, ipsi etiam cognitiones, affectionesque honestas adjiceret, copiasque alias, et subsidia promeret e naturæ thesauris, quibus humanæ virtutis, atque honestatis cultus, vel nihil, vel parum difficultatis haberet. Debet enim etiam in statu puræ naturæ esse aliquid, quod Deus homini jam a se condito donare possit, omnino liberaliter, quoque suam ipsi beneficentiam declaret, eumque in recte factis peculiari modo adjuvet, atque confirmet. En porro, quid sit, in naturalibus vulneratum fuisse hominem : nihil illi detractum, quod ipsum definite, et distincte natura hominis exigat : sed, sicubi illa unum aliquod, e multis indiscriminatim, et confuse postulat, datur plerumque imperfectius. Imminuta præterea, et magnam partem subducta naturalia præsidia, atque auxilia, quæ licet nulli certo homini debeantur, naturæ tamen ipsi, et statui naturæ cum integræ, tum etiam puræ, vel debeantur, vel donum certe sint, ejus status maxime proprium ; nec naturam universam sane supervolent,

Verum cum Augustini opus imperfectum *contra Julianum* attente legerem, alia mihi venit in mentem hujus effati explicatio : quam quidem hic non defendo, sed tantum propono : eam repudiare paratus, nisi probetur. Id igitur pono : tantum pravarum affectionum, et pronitatis ad malum superadditum naturæ, vitio primi parentis, quanta naturæ huic ipsi, quam sic depravatam accipimus, fit deinde pravitatis accessio, aut peccandi consuetudine, aut certe gravi aliquo, nefarioque flagitio. Quare quod pertinet ad contumaciam, pervicaciamque appetitus, eum tantum distare dico, qui sit in statu naturæ puræ, ab eo, in quo sit natura vitiata, et corrupta, solo primi parentis crimine; quantum ab hoc ipso distat, qui propria intemperantia, et incontinentia, naturam, quæ in omnibus est depravata, in se ipso fecerit deteriorem. Id autem, quod pono, videtur negari non posse : sic enim Augustinus memorati operis lib. I, n. 105, « Cur ergo non creditis tantum saltem valuisse illud primi hominis ineffabiliter grande peccatum, ut eo vitiaretur humana natura universa, quantum valet nunc in homine uno secunda natura : sic enim a doctis appellari consuetudinem nos commemorandos putasti. » Adæ peccatum fuit oppido gravissimum, et ad multa vitia pertinuit, ut docet idem sanc. doctor in *Enchir.* n. 13, c. XLV. « Quamvis et in illo peccato uno possunt intelligi plura peccata : nam et superbia est illic etc. et sacrilegium etc. et homicidium etc. et fornicatio spiritualis » etc. Itaque duo, quæ subsequuta esse dico, nempe peculiarem conversionem, atque impetum appetitus ad voluptatem ; peculiaremque aversionem, defectionemque a ratione ; commode possunt referri cum in ipsam peccati naturam, tum in Dei speciale decretum, quo primi homini tam graviter delinquenti pœna illa sit constituta. Præsertim cum Patres passim clament, factum esse justissime, ut, qui Dei obedientiam tam superbe abjecit, in eo appetitus animalis, qui natura servus est, invalesceret contra rationem, et quasi tyrannidem occuparet. His constitutis, sic breviter concludo. Quicumque se vitiis, ac voluptatibus dedidere, ii non solum statim exuti supernaturalium virtutum habitibus ; sed præterea, vel ex prima illa animi inductione ad malum, certe peccandi consuetudine, ipsis effecta est altera quasi natura appetitus, incitatior ad oblectamenta sensuum, et magis aversa a præscriptionibus rationis : atque hæc secunda natura longe distat a communi natura, et conditione humani appetitus, ut est etiam depravata per primum parentem : probatum

est autem, communem naturam, et conditionem humani appetitus, ut est depravata per primum parentem, eodem fere intervallo distare pura natura ; nam primus etiam parens Deum voluptati posthabuit, et a recta ratione, non per errorem, aut imbecillitatem, sed animi proposito, et voluntatis perversitate descivit : Ergo, sicut ea maxima difficultas moderandi appetitus, ac recte agendi quam habent homines incontinentes, ita est ex proprio ipsorum peccato; ut communis non sit aliis omnibus, qui lapsi sunt in Adamo, nec omnium nostrum naturalis conditio; sic etiam ea non parva difficultas regendi appetitus, colendæque virtutis, quam expertus est Adam, admissa culpa, ex eoque nos ejus posteri, ita est ex Adæ peccato ; ut communis non foret iis, quorum esset pura natura, nec eorum propria, et naturalis conditio. Atque ita demum, reprimendi cupiditates, honesteque vivendi difficultas est maxima in statu incontinentiæ, magna in statu naturæ collapsæ duntaxat in primo parente ; longe minor, ac fere minima esset in statu puræ naturæ. Quod ipsum proponi potest etiam hoc pacto : Peccatum, si præcipue gravius sit, non solum donis supernaturalibus hominem spoliat extemplo : sed in ipso præterea tot adeo pravas affectiones relinquit; ut qui appetitum hominis intemperantis cum appetitu comparet hominis frugi, qui nullo unquam se proprio flagitio inquinaverit; putet hos duos appetitus specie ipsa, et natura differre : ergo mirum non est, nec alienum aut a natura ipsa peccati, aut a communi præsentis hujus gubernationis, et providentiæ modo ; quod Adæ crimen gravissimum, et ex multiplici malitia, et perversitate conflatum, ipsum ita ab honestate, et ratione aversum reliquerit, propensumque ad ea bona, quæ sensibus cum suavitate blandiuntur; ut, ea tam prava affectione in posteros deinde transfusa, videri merito possit appetitus noster alterius esse speciei, et conditionis ab eo longe diversæ, qui foret in statu nudæ naturæ. Ipsius enim est rationem præcurrere, iisque omnibus tangi, quæ, cum jucunditate percipiuntur, sensusque hilarant atque permulcent : sed illuc fortasse majori quodam pondere, atque impetu fertur, quam, quod ipsi inditum sit, impressumque a natura. Ex suamet naturali conditione subjectus est rationi non sane plusquam politice ; sed addita ipsi forte est, atque ex primo peccato relicta major quædam aversio ab omni præscripto rationis, contumacia, pervicacia major, quam haberet, si, adempta tantummodo gratia, non præterea foret *in deterius mutata natura*. Nec solum hæc omnia leviora forent in appetitu sentiente, pro statu puræ naturæ; sed iis etiam multo minus afficeretur appetitus rationis particeps : hunc enim etiam ex primo illo peccato a recta ratione, et a Deo aversum pono : et ad bona sensuum prave inflexum, atque detortum. Quæ duo sunt hic seorsim paulo attentius consideranda. Quod enim ipse etiam inclinatus, incurvatusque sit ad ea, quæ sensum delectant; in eo præcipue sita est illa vis, quam contra superiorem, penes quem imperium saltem politicum natura esse deberet, cepit ex peccato famulus appetitus. In eo enim habet, non quod rationem præcurrat, hoc enim ei datum est a natura : sed quod præcursionibus suis appetitum rationalem maxime tangat, et plus quam servi rebus capi, delectarique dominum decet, afficiat. Atque hæc ipsa videtur esse illa servitus, et captivitas, de qua dolet Apostolus : nempe obediendi, non necessitas, sed propensio. Hæc illa attenuatio virium, de qua loquitur Tridentinum, et magna quædam imbecillitas in ipsomet superiore hominis appetitu, qui, etiam si cætera adessent, resistere cupiditatibus, ac dissentire, vel ex hoc ipso jam minus potest, quia minus libet. Hæc illa inclinatio liberi arbitrii, in quo relictum ex Adæ culpa vitiosæ affectionis pondus, quo motum est ex æquilibritate sua, et ad voluptatem propendet : non ut eam amplectatur necessario, sed ut respuat difficilius. Quod vero pertinet ad alterum vitium rationalis appetitus, quem, propter Adæ facinus, non utcumque conversum esse diximus ad voluptatem, sed aversum etiam a Deo ; id enim vero ita est ex peccato, ut a natura, et a Deo auctore naturæ, nec sit ullo modo, nec esse potuerit. In hac quippe aversione et quadam quasi alienatione, quæ cœpit esse in hominis voluntate ex peccato, quo Adam a Deo se primum avertit, ejusque obedientiam reliquit ; in hac, inquam, positum fortasse sit quidquid in homine ipso veram propriam originalis peccati rationem habet : quod, ex Tridentino, origine unum est, et propagatione, non imitatione transfusum omnibus inest, unicuique proprium. » Sicut enim aversio a Deo, si movens est, peccatum est movens; sic, si manens est, peccatum est manens. Quod si hæc ipsa aversio, aut alienatio manens, et

stans, hoc præterea habeat, ut non relicta sit ex proprio, et particulari cujusquam peccato, sed ex peccato primi parentis ; transfusaque in eos, qui naturali genitura, et propagatione ab ipso originem ducunt, iis omnibus inhæreat, unicuique propria ; jam ex his omnibus, hæc aversio recte dicitur originale peccatum: « veramque, et propriam peccati rationem habet, » manentis, et originarii : ac, quod consequens est, ejusdem Tridentini sententia, « per Jesu Christi domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, tollitur tota : » cum aliæ pravæ affectiones, atque habitudines, tum quæ in appetitu, tum quæ in voluntate, de quibus singulatim loquuti sumus, per baptisma non plane tollantur ; utque est in eodem concilii decreto, nobis ad *agonem relinquantur :* ita tamen, ut vinci possint facilius. In quibus enim est illa aversio manens, et stabilis voluntatis a Deo ; in iis sane concupiscentia plurimum potest. Voluntas quippe a summo et vero bono eo pacto alienata, et quasi abhorrens, cum appetitum boni non possit amittere, fit propensior ad alia bona creata, caduca, et corporea, iisque magis afficitur. Eo fere modo, quo illi, quorum stomachum, aut palatum qualitas vitiosa quæpiam insedit, melioris, atque electioris cibi gustu deperdito, vilissima quæque appetunt : et stirpibus quandoque ipsis, carbonibus, calci etiam inhiant quam avidissime, rebusque aliis, quæ alendis hominibus factæ non sunt a natura. Sed hæc hactenus : sententiam hanc meam clarius aperiam, ac diligentius expendam quæst. seq. artic. 1, tunc præcipue, cum quæram, quid sit, quod cum Patres tam multis in locis, et tam luculentis testificationibus, concedant Ethnicis aliquot actiones naturales honestas, pertinentes ad fortitudinem, ad justitiam, ad frugalitatem, et alias virtutes ejusdemmodi, nec unus quispiam eorum amorem Dei super omnia naturalem ipsis attribuat : cum tamen ipsi illi Patres distinctionem duplicis amoris agnoscant, naturalis, et supernaturalis : fateanturque apertissime, diligere Deum, supremum rerum omnium artificem, id esse hominis maxime proprium, eique a natura ipsa penitus insitum.

ARTICULUS V.

Utrum eidem debeatur perfecta juris naturalis notitia.

DISPUTATIO AB AUCTORITATE.

§ I.

Quibus visum est id etiam eidem deberi, in hanc item sententiam se dicunt Augustini potissimum auctoritate compulsos. Primo, quod grande, et turpe malum naturæ rationis participis esse judicarit, in hoc errare, et falli. Sic enim ait in *Enchirid.* cap. XIX, n. 6. « Ipse per se ipsum error, aut magnum in re magna, aut parvum in re parva, semper est malum. Quis enim, nisi errans, malum neget, approbare falsa pro veris, » etc.

Secundo, quod hinc etiam colligit originale peccatum. Nam l. III *de lib. arb.* c. XVIII, n. 52 « sunt, inquit, revera omni animæ peccanti duo ista pœnalia, ignorantia, et difficultas, etc. approbare falsa pro veris, etc. non est natura instituti hominis, sed pœna damnati, » et lib. *de Peccat. mer. et rem.* c. XXXVI, n. 66. « In illas igitur ignorantiæ densissimas tenebras, etc. quare, aut quando, aut unde contrusa est? si natura est hominis sic incipere, et non jam vitiosa est ista natura; cur non talis creatus est Adam? »

Tertio, consequens id esse putant ex eo, quod, « ut dogma Fidei, et rem in Ecclesia catholica extra omnem controversiam » l. II *de stat. nat. lap.* c. II, III, IV, V, VI et lib. III *de Hær. Pelag.* cap. XIII docet Jansenius, conciliique Palæstini decreto, atque Hieronymi, et Augustini præcipue testimonio, tribus veluti propugnaculis, « ac munimentis, contra Aristotelica argumenta, et argutias » tutatur, per ignorantiam scilicet, non quidem facti, vel juris, sive a Deo, sive ab hominibus positi, hanc enim excipit, sed juris naturalis tantummodo, hominem culpæ non eximi, licet ea vinci ac depelli nullo modo potuerit.

§ II.

Ego vero homini, ut homo est, eorum quidem notitiam deberi concedo, quæ prima sunt in naturali lege: cujusmodi est illud : « Quod tibi non vis, alteri ne feceris, » et alia ejusdem generis, quorum certa, atque

evidens notio ab ipsa natura in animis nostris insignita est, et impressa. Quæ autem ab his remotissima sunt, ac, non nisi post multas conclusiones, ex iis consequuntur; tenere probe omnia, ac certo scire, humani nec juris, nec laboris puto, Deique donum plane gratuitum esse dico, atque illud ipsum, de quo *Sapient.* IX, IV et X. *Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, etc. Mitte illam de Cœlis sanctis tuis, et a sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit, et mecum laboret, ut sciam, quid acceptum sit apud te*, etc. Qui sane loquendi modus nobis non parum favet: illud vero magis, quod est *Gen.* III, 1 *sed et serpens erat callidior cunctis animantibus* ערום » quod Aquila, et Theodotio πανοῦργον interpretati sunt, hoc est, *nequam* et *versipellem* et 13. *Quæ respondit, Serpens decepit me*, השיאני. Quod verbum cum puncto Jamin in littera ש *decipere* significat: sic Septuaginta ἠπάτησέν με *seduxit me*, et Paraphrasis Chald. אטעיני, *fefellit me*: quod ipsum habet textus Hebræo-Samaritanus, interpretationesque Syriaca, et Arabica. Porro in hunc *Genesis* locum ita scripsit Ambrosius: « hoc veniale Deo visum est, eo quod nosset, multas ad decipiendum vias esse serpentis, quia transfiguratur in Angelum lucis, et ministri ejus, sicut ministri justitiæ sunt, falsa imponentes rebus singulis nomina, ut temeritatem dicant esse virtutem, et avaritiæ nomen imponant industriæ, » etc. Augustinus vero l. XI *de Gen. ad lit.* c. XLII, n. 58. « An quia hoc credere ipse non posset, propterea mulier addita est, quæ parvi intellectus esset, et adhuc fortasse secundum sensum carnis, non secundum spiritum mentis viveret, et hoc est, quod ei Apostolus non tribuit imaginem Dei.... I *Cor* XI, 7. Non quod mens feminæ eamdem imaginem capere non possit, cum in illa gratia nos dicat, nec masculum esse, nec feminam: sed quod fortassis hoc illa nondum perceperat, quod fit in agnitione Dei, et, viro regente, ac dispensante, paulatim fuerat perceptura. » Deinde, quo sententiam hanc comprobet, affert illud Apostoli I *ad Timoth.* XI, 14. *Adam non est seductus: mulier autem seducta in prævaricatione fuit*, ἡ δὲ γυνὴ ἀπατηθεῖσα, etc. Quod si ita res habuit; si dæmon in ipso etiam innocentiæ statu, calliditate, et astu plurimum valuit, quæ sane contra eos, in quos ignorantia non cadit, nihil proficere possunt; si femina reipsa *deceptam*, cum ipsa se dicit, tum Paulus de ipsa testatur; si Augustinus eo propendet, ut credat, eam fuisse « parvi intellectus, et ambulasse adhuc, hoc est antequam esset peccatum, secundum sensum carnis, non secundum spiritum mentis; » dubitandum non est, quin possibile fuerit, ipsius sententia, ita hominem condi ab initio; ut eorum aliquid ignoraret, quæ ab juris naturæ principiis longissime distant: quorum cognitio certa, et non est necessaria, ignorantia autem. si vinci nequeat, ut procul ab omni culpa, sic etiam procul ab omni cum tuo, tum aliorum periculo sit.

Conciliorum, Romanæque Ecclesiæ sanctiones nullas quidem invenio, quibus assertionem hanc meam peculiariter, directoque propugnem. Multæ tamen sunt, quæ id penitus infringant, quod ab adversariis objectum ultimo est. Illud primo, quod sancitum est Trident. sess. VI, can. VI. « Si quis dixerit non esse in hominis potestate vias suas malas facere, anathema sit, » etc. Jansenius enim lib. VI *de grat. Chr.* c. XXXVI fatetur, id duntaxat esse *in potestate*, quod a voluntate fit *cum plena advertentia rationis*: quare non coactio tantummodo, ipsius sententia, sed etiam ignorantia, qua penitus aliquid latet, impedit, quo minus illud in potestate sit. Ex quo ita concludo: concilii Tridentini sanctione certum est, nullum esse, in hoc etiam præsenti statu, proprium cujusque peccatum, quod in ejus non sit potestate: cum igitur Jansenius concedat, ignorantiam invincibilem, qua aliquid penitus nescitur, efficere, ne illud sit in potestate; fateri pariter debet, eam impedire, quo minus, quod quisque ejus malitiam plane ignorans committit, peccatum sit. Illud secundo adversarios refellit, quod statutum est concilii ejusdem sess. VI, cap. II. « Deus impossibilia non jubet, » etc. qua de re vide Bartholomæum Medinam, qui in I, II, q. LXXVI, art. 2 docet idcirco, « ignorantiam invincibilem non imputari homini ad peccatum, quod nemo obligetur ad impossibile. » Et profecto, ut exemplo utar illo ipso, quod in hanc rem adhibetur a Stephano Dechamps l. II, d. V, c. I finge puerum aliquem Christianis natum parentibus, et sacro fonte tinctum, cum adhuc in cunis degit, rapi a Barbaris, et in remotissimas Americæ solitudines abduci, ubi ferinam cum illis vitam degens invincibiliter ignoret grave quidem aliquod legis naturæ præceptum, ex iis tamen, quæ prima non sunt, et homini ratione utenti omnino latere possibile est. Finge eumdem, non multo post adeptum rationis usum, emori, nullo alio contaminatum scelere, quam quod admisisse a Jansenianis dicitur,

cum ejusmodi præceptum, quod funditus ignorabat, non observavit. Si verum est, quod adversarii nobis opponunt, luere hic pœnas debet, et æternis suppliciis adjudicari. Ego vero contendo iniquum illud esse, et a Dei justitia, *quæ impossibilia non jubet* alienissimum. Quid enim huic homini objici potest, quod ipse legitima defensione non diluat? Mandatum aliquod legis naturæ non observavit? at illud penitus ignorabat. Debuit nosse? Non fuit in ejus potestate, siquidem ignorantia insuperabili laboravit. Vitio suo in hanc ignorantiam lapsus est? Qui istud dici potest, cum aliud nihil peccasse ponatur? Saltem in originalis peccati pœnam hæc est illi inflicta ignorantia? Verum id quidem, at, cum baptismum susceperit, originali caret macula, nec ex ea potest jam culpæ aliquid in ipsum refundi. Quod etiam certius constat, ea thesi proscripta ab Alex. VIII num. 1. « In statu naturæ lapsæ ad peccatum mortale, et demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, et voluntate Adami peccantis. » Nihil est igitur, quo peccati argui possit, nihil, quod violati possibilis alicujus mandati reum faciat: damnari igitur ab illo non potest, qui *impossibilia non jubet*. Adversarios tertio rejiciunt Romani illi pontifices, quorum confixa decretis hæc Baii pronuntiata XLVI. « Ad rationem, et definitionem peccati non pertinet voluntarium, nec definitionis quæstio est, sed causæ, et originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium. LXVII. Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit. LXVIII. Infidelitas pure negativa in iis, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est. » Quarto denique, et quidem apertissime, et directe Alexander VIII a quo cum aliis XXX damnata thesis hæc num. 2. « Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa, non excusat a peccato formali. » Verum ista diligentius conquirere, et suis quodque momentis expendere, erit secundæ controversiæ labor, in qua etiam quæstionem instituemus, utrum ignorantia invincibilis legis naturalis excuset a culpa. Nunc aliud quæritur, de quo, cum naturalis ipsa ratio perspicuum faciat, quid sit sentiendum, antiqui Ecclesiæ scriptores perpauca tradiderunt.

Clemens Alexand. *strom.* lib. V. « Qui nos essentia, et vita impertiit, dedit etiam verbum, seu rationem. » Quid autem his vocibus significare velit, statim explicat. « Verbum enim, inquit, Patris universorum non est hoc, quod profertur, sed sapientia, etc. Oportet autem mentem quoque habere sanam, et quæ nulla retardetur pœnitentia a venatione boni: ad quod quidem maxime divina opus habemus gratia, rectaque doctrina, etc. gratia autem cognitionis est, ab ipso per filium: de qua Salomon apertissime feret testimonium ita loquens: non est in me prudentia propria hominis, sed Deus sapientia me donat: scio autem sancta, » etc. Basilius Mag. *in Psal.* XLVIII, 13. « Insufflavit in faciem, hoc est, partem aliquam propriæ gratiæ apposuit homini, ut per hanc sibi impressam similitudinem, eum, cui similis est, agnosceret, » etc. Macarius sen. hom. XXIX. « Scientiam autem, et intellectum diverso modo intelligit, tam secundum gratiam, et donum cœleste spiritus, quam secundum naturalem progressum intellectus, discretionis, aut e scripturis divinis sumptæ eruditionis. » Intelligentiæ omnis, ac scientiæ naturalis sunt certi quidam veluti gradus, atque progressus: nulla, si naturaliter acquiritur, in suis est perfecta primordiis. Chrysostomus hom. XIII in c. I *Johan.* « Neque solum, quod facti sumus ex nihilo, sed quod facti, et facienda, et vitanda didicerimus, et horum naturalem legem acceperimus, et conscientiæ judicium incorruptum nobis ab opifice Deo tributum sit; hoc, inquam, maximæ fuit gratiæ; postquam, alia sequuta est, ut corruptam hanc legem, per legem scriptam recuperaremus, » etc. Divinorum beneficiorum seriem recenset in hac homilia: et illud in primis docet, quemadmodum Deus nullo debito, aut necessitate compulsus hominem e nihilo condidit, sic et conditi hominis mentem, superno lumine, omnino liberaliter, collustrasse, ut malum a bono, incorrupto judicio dijudicaret, atque distingueret. Et id quidem ait fuisse *maximæ gratiæ:* ut *gratiæ* pariter, *ac misericordiæ* deinde assignat, quod, hujusmodi judicio per peccatum corrupto, lex homini daretur, quæ ipsum regeret, et gubernaret. Hieronymus in *Prolog. adv. Pelag.* eos, tametsi naturam innocentem putarent, acriter tamen de hoc præsertim objurgat, atque insectatur, quod « humanam virtutem, et scientiam eo pervenire posse assererent, ubi ne ignorantia quidem peccaret. » Lege præterea, quæ scripsit cap. VIII et IX comment. in *Ecclesiastem* lib. I, cap. IV in *Zachar.* lib. II, c. III in epist. *ad Ephes.*

Augustinus alia nobis suppeditat, nec minoris sane firmitatis, ac roboris, quæ id præcipue convellant, quod ejus auctoritate statuere laborat Jansenius, lib. I *de st. pu. nat.* cap. II; necessarium videlicet esse « cum creatura rationali, et innocenti concreari » dona supernaturalia, quibus trahatur extra terminos puræ naturæ : nominatim autem, quoniam de hoc in præsens agimus, perfectam rerum omnium faciendarum, vitandarumque notitiam. Nam profecto sanc. doctor l. X *de Gen. ad lit.* c. XIV. n. 24 de ignorantia, qua premuntur animæ, cum « corporibus hominum novæ sigillatim dantur, ita scribit : Quæ si esset quodammodo indigestibilis, Creatori tribueretur : dum vero paulatim ab hujus oblivionis corpore anima resipiscens possit converti ad Deum suum, ejusque misericordiam, et veritatem primo ipsa pietate conversionis, deinde servandi præcepti ejus perseverantia, promereri, quid ei obest illo velut somno paululum immergi, unde paulatim evigilans in lucem intelligentiæ, propter quam rationalis anima facta est, potest per voluntatem bonam, » etc. Censet igitur Augustinus differri posse, utique ad aliquot annos, dona illa, quibus cæteroquin indigna non sit, ullo prorsus peccato, rationalis natura. Et illud quidem valde notandum est, quod dicit, tribuendam fore Creatori hanc ignorantiam, *si esset indigestibilis:* hoc enim manifeste ostendit, ipsum loqui de ignorantia, quæ non oriatur ex peccato : quia si inde ortum haberet, non Creatori utique tribueretur, sed homini ipsi peccanti. Id ipsum statuit l. III *de lib. arb.* c. XXII, n, 64 ubi in pueris, etiamsi nullam peccati maculam a primo parente trahant, docet tamen, ignorantiam usque eo posse permitti, dum ad ætatem perveniant idoneam disciplinæ : quam si tunc anima « propria voluntate negligat, juste in graviorem, quæ tunc pœnalis est ignorantiam, difficultatemque præcipitatur. » Interea vero subjungit num. 65 « non propterea malam creavit Deus, quia nondum tanta est, quanta, ut proficiendo esse posset, accepit : cum ejus exordio perfectiones omnes corporum longe inferiores sint, quas tamen in suo genere laudabiles esse judicat, quisquis de rebus sanctissime judicat. Quod ergo ignorat, quid sibi agendum sit, ex eo est, quod nondum accepit : sed hoc quoque accipiet, etc. Si enim arboris novellum, et rude virgultum nullo modo recte sterile dicimus, quamvis aliquot ætates sine fructibus trajiciat, donec opportuno tempore expromat feracitatem suam ; cur non auctor animæ debita pietate laudetur, si ei tale tribuit exordium, ut studendo, ac proficiendo ad frugem sapientiæ, justitiæque perveniat. » Hic etiam docet in rationali natura esse posse ignorantiam, quæ pœnalis non sit : seclusoque etiam sive naturali, sive supernaturali sapientiæ dono, vel in ipsa nuda natura satis bonitatis invenit, quamobrem a bono principio esse potuerit. Etenim, ut idem tradit l. II *de Gen. ad lit.* c. XV, n. 30. « Si aliquid Deus imperfectum fecisse diceretur, quod deinde ipse perficeret; quid reprehensionis haberet ista sententia ? jure autem displiceret, si id, quod ab illo inchoatum esset, ab alio diceretur esse perfectum. » Ex quo manifeste liquet, ne illam ipsam quidem perfectionem, quæ propria est naturæ cujuspiam, totam ipsi statim ab initio necessario tribuendam. Quid si ejus naturæ perfectio illa propria non sit, eamque longe superet, ut in altera disputatione magis perspicuum fiet? His adjungi potest, quod legitur l. III *de lib. arb.* c. XXIV, n. 71. « Si sapiens factus est primus homo, cur seductus est ? si autem stultus factus est, quomodo, » etc. Quibus ita respondet : « Quasi vero natura humana, præter stultitiam, et sapientiam nullam mediam recipiat affectionem, quæ nec stultitia, nec sapientia dici possit, » etc. En, primum ipsum hominem, medium quemdam inter sapientiam, et stultitiam naturæ statum tenere possibile fuit, Augustini sententia : hoc enim tertium quidpiam constituit, in quo possis ab ejus dilemmatis utroque cornu tutus consistere. Nec vero telum hoc hebetat, quod adversarii nobis objiciunt ex l. I *Retract.* Spectasse nimirum parvulos, cum hæc scripsit, sanc. doctorem. Spectavit utique parvulos, sed non eos tantum : neque enim solos parvulos medios esse voluit inter sapientes, et stultos : in ipsis quidem ejus rei exemplum posuit : sed quo colligeret, absurdum non fore, « etiam si quisquam *adultus* tali affectione animatus esset, qualem habent illi, qui per negligentiam sapientia carent : quem nemo stultum recte diceret, quoniam non vitio, sed natura talem videret. » His accedit, quod in omnibus Augustini codicibus, etiam novissime editis, solis exceptis Lovaniensibus, reperitur particula *etiam* lib. cit. *Retract.* c. XIV, n. 4 atque ita legitur : « Intuebar quippe etiam parvulos, quos licet confiteamur trahere originale peccatum, tamen nec sapientes, nec

stultos, » etc. Quo loco probatur, Augustinum respexisse quidem parvulos, sed non solos. Verum age, respexerit parvulos solos : ipsis vel solis adversarios oppugnamus : sic enim scriptum reliquit sanc. doctor l. VI *de Gen. ad lit.* c. XV, n. 26. « Quod homines producantur, vel parvuli in matris utero, vel in statu juvenili, positum id esse, non in conditione creaturæ, sed in placito Creatoris, cujus voluntas rerum necessitas est. » Quibus si addantur ea omnia quæ supra attulimus, qua ratione tueri, aut expedire se possint, non video. Verum illud eos plane conficit, et causam vel solum obtinet, quod, quoniam in superiore articulo non indiligenter expendimus, hic duntaxat repetere satis puto : nimirum, « Ignorantia, et difficultas etiam si essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus Deus, sed laudandus esset. » Super hæc omnia, alia quamplurima ex Augustino excerpsi, ad id repellendum, quod de ignorantia invincibili, contra nos ultimo adversarii movebant. His vero, quoniam, ut ante monui, hujus nec quæstionis, nec controversiæ sunt, in præsentia parcendum censui.

Ab Augustino non dissentit illius ætati suppar Isidorus Pelus. cujus illa sunt lib. II, epist. XXVII *ad Strateg. Monac.* « Quonam pacto, si hoc a natura insitum haberent, ut mala nossent, diceret Propheta, cum didiceritis mala? Animalis homo non percipit, quæ sunt spiritus, et percipere poterit, » etc. Lege, quæ his adtexit una cum epist. CCXVIII *ad Hermog. Episc.* Cyrillus Alex. l. I *in Joh.* c. IX. « Homo, sicut non natura, sed gratia id assequitur, ut sit filius Dei ; sic assequitur, ut sapiens sit, et prudens : Deo naturæ suæ communionem faciente et ineffabilis splendoris sui, quasi lucidos vapores eo modo, quem solus novit, in mentem hominis immittente. Ac propterea Adamus, ex dato sibi divinitus lumine, non tempore, quemadmodum nos, prudentiam didicit, sed statim. » Perlege integrum caput : sed et cap. VIII ab iis verbis, « non ignoramus, unde gratiam, largitionemque luminis, » etc. Item c. XXIV, l. II *in Isa.* ab iis verbis, « Deum quidem universorum dicimus ab initio hominem condidisse, et naturalem ei legem impressisse, quæ ad notitiam mali, ac boni pædagogia quadam perduceret, » etc. Valerianus Cemelenensis homil. XI. « Omnem profecto modum sacrilegæ superstitionis excessit, qui in laboribus justis partem Deo subtrahit, a quo sapientiæ spiritum accepimus, » etc. De hoc vide *Theolog. disquis.* Theoph. Raynaudi. Prosper Aquit. *in respons. ad object.* IX *Gallorum*, « Neque hæc dona ita ex Deo esse opinemur, ut, quia ipsa naturæ nostræ auctor est, per conditionem, jam hæc contulisse videatur, etc. de sursum est sapientia, etc. non sua, sed superna sapientia illustrati sunt : quoniam Dominus dat sapientiam, » etc. Idem docet c. XXI *cont. Collat.* ab iis verbis : « Scientiam boni tunc Adam habebat, » etc. Quid possit mens hominis viribus propriis, tradit ab iis verbis : « qui alieni a gratia Christiana, » etc. et in carm. *de Ingrat.* c. XLI ab eo versiculo : « si quid enim de principiis felicibus illi, » etc. Theodoretus *in Psalm.* XVIII ab iis verbis, « Tres species Divinarum legum, » etc. l. V *hæret. fabul.* c. XVII. Dum facimus, quæ pati nolumus, etc. In ep. *ad Rom.* I, 18. « Natura nos utrumque docuit, » etc. in I epist. *ad Cor.* I, 21. « Duas dicit Apostolus sapientias Dei, » etc. Gelasius Cyzicenus p. II act. conc. Nicæn. cap. XVIII, num. 110. « In homine Deus ab initio creatam sapientiam reposuit, ac sinceram sui charitatem impressit, » etc. Procopius Gazæus in cap. I *Gen.* « Nam impossibile est, ut intellectus noster gestet imaginem Dei, si non fuerit illuminatus Spiritu sancto, etc. purissimæ naturæ quasi radium emittens in Adæ vultum, » etc. Fulgentius *de Incarn. et Grat.* c. XXI, n. 45. « Lex, quam Deus scribit in cordibus eorum omnium, non per conditionem naturæ, sed per largitatem gratiæ, » etc. legendum caput integrum : imo, et cap. XXVI, a. n. 50. « Hæc autem scientia, » etc. et c. XXVII a. n. 54. Gregorius Magnus l. V in c. IV *Joh.* c. XXXIV, n. 61 ab iis verbis. « Humana quippe anima primorum hominum vitio a paradisi gaudiis expulsa lucem invisibilium perdidit, » etc. l. XI in c. XIII, cap. XLI, n. 58 et 59. « Exclusa mens a luce veritatis, » etc. Item l. III, in c. XXXVIII, cap. III, n. 10. « Supernæ sapientiæ gratiam quis infudit? » etc. Denique tom. III, p. II, in I *Psal. pœnit.* quisquis ille est hujus comment. auctor v. VII, n. 7. » Quia postea bonum a malo discernere noluit, volens postmodum, quid sibi sequendum, quidve fugiendum, » etc. Cujus persimile quod *in Psalm.* V, v. XII. Isidorus Hispal. in III *Gen.* « Ipsam veritatem contemplabiliter intuendo, operatur justitiam, ut ipsam intelligat, et sequatur, factus est tanquam lux homo in Paradiso, » etc. Maximus *Centur.* I, cap. LXXV ab iis verbis : « solius divinæ gratiæ proprium, » etc. Vide

et *Cent.* III, c. XXVIII super illud *Esdræ* III, 4. *Benedictus Deus, qui dedisti mihi sapientiam*, etc. Beda tom. VII homil. *Dom. in Quinq.* « Cæcus iste, per allegoriam, genus humanum significat, quod in parente primo a paradisi gaudiis expulsum, charitatem supernæ lucis ignorans, » etc. tom. VIII *dialog. super Gen. ex August.* « Cum æterna illa, et incommutabilis, quæ non est facta, sed genita sapientia in spiritualem, atque rationalem creaturam se transfert, in *Psalm.* XXIX, pag. 572. « Quando Adam prævaricavit, lucem gratiæ suæ ab eo Dominus abstulit, » etc, Damascenus tom. II *in Parallel.* tit. IX, lit. VI ex Didymo. « Posteaquam, velut ex Agyptia Agar, ancilla Saræ, quæ libera est, et ipsamet sapientia, » etc. Vide et tit. IV lit. a. locum ex Philone *in Exod.* XIX, 12. Anselmus l. *de volunt. Dei* c. II hanc homini insitam naturæ legem agnoscit, quæ traditur *Joh.* IV, 16. « Quod ab alio oderis fieri tibi, vide, ne tu aliquando alteri facias. » Bernardus serm. XLV *de ver. Trinit.* n. 2. « Rationis quoque triplex est casus. Siquidem ejus erat discernere inter bonum, et malum, verum, et falsum, commodum, et incommodum : in quibus discernendis tanta modo caligine cæcatur, etc. Nunquam vero in his falleretur, si nunquam lumine, a quo creata est, privaretur, » etc.

Ex scholasticis magister dist. XXIII. « Hanc autem scientiam homo peccando non perdidit, sicut nec illam, qua carnis necessaria providentur, etc. sed de scientia animæ, quam peccando amisit.... et ab exordio suæ conditionis divinitus perceperat. » Vide et quod dicit dist. XXI *de Eva.* S. Thomas tota quæst. CI, 1 p. quæ duobus articulis continetur, nobis militat. Scotus similiter quæst. unica dist. XXII, l. II. Denique Bonaventura super eumdem magistri locum : cæterique omnes, qui in hunc sent. lib. scripserunt : ut hac de re nefas sit dubitare.

§. III.

Itaque ad primum respondeo, primo quidem, Augustinum de omni errore id affirmasse : nec tamen errorem omnem, cujusquemodi sit, *facti quoque, vel juris humani, aut divini*, ut ipsi etiam adversarii fatentur, pœnalem continuo habendum. Secundo, malum id quidem semper aliquod esse, ut ait Augustinus, sed malum physicum, et quamdam naturæ nostræ quasi rubiginem, quæ ferro ipsi, ex quo conflatus est gladius, rebusque, quæ illum circumstant, non vero artifici, est imputanda : ut late disputatum est art. superiore §. 3, ubi quæ dicta sunt de humanis cupiditatibus, huc omnia revocari volo, et ad errorem, quoad utramque partem aptari : quod sane mali genus est multo levius, et magis innocuum, nec hominem ab honesto avocat, ut prava cupiditas : qua de causa cum vel a solo ipso Deo injici, atque inseri in hominum mentibus posse, plures, iique non sane ignobiles theologi docent. Id vero ego non dico, Deumque non erroris, sed naturæ, in quam cadit error, auctorem facio : quem errorem si gratuito sapientiæ dono ab ipsa non arceat ; ejusque mentem, supra ipsius conditionem non ditet, non errorem ipsum, sed ea bona sibi proponat, quæ sicut e morbis, e cruciatibus, quæque cum peccato majorem necessitudinem habent, ex pravis affectionibus, propensionibusque, atque adeo ex ipso peccato ; ita etiam ex errore possunt ab eo, qui omnipotens est, sapientissimus est, quam plurima extendi.

» Ad secundum respondeo, hoc item argumento, probari non legis naturalis duntaxat, sed aliarum etiam rerum homini, ut homo est, perfectam notitiam deberi : quoniam Augustinus ex omni prorsus errore, nullo habito tali discrimine, colligit originale peccatum. Quapropter, quod dictum est sæpe, hic etiam repetendum est, præsenti rerum statu, atque ordine niti sanc. doctoris ratiocinationem : neque id modo, quod affertur ex lib. I *de pec. mer. et rem.* sed id etiam, quod est ex III de lib. arb. in quo « secundum hunc etiam sensum Manichæis se restitisse testatur » in lib. *de dono Persev.* I, XII, n. 29.

Ad tertium, quoniam de hoc ago ex professo in secunda controversia, hic, pro re, paucis respondeo. Et primo quidem, etiamsi detur, quæ contra naturale jus, per insuperabilem hanc ignorantiam committimus, non omni culpa vacare ; ex hoc tamen homini, ut homo est, perfectam juris ejusdem notitiam deberi consequens esse nego. Ipsa enim adversariorum ratio aliud ab alio disjungit. Siquidem Jansenius, et ab eo qui sunt, ideo, per hanc ignorantiam, non posse docent rationem culpæ penitus omnem tolli, et abstergi, quia ex illo peccato manavit, quod in primo parente voluntarium omnibus fuit, quæ ratio suo loco valide a nobis refelletur : verum etiamsi homini, ut homo est, non deberetur legis

naturalis perfecta notitia, eamque primus homo perceperit ex dono, non ex debito; nihilominus tamen verum est, ignorantiam, qua modo obruimur, ea ex culpa fluxisse, qua obstricti singuli nascimur : quare, quod ignorantia hujusmodi nunquam nos satis excuset, ut sentit Jansenius, cum eo nexum non est, quod homini, ut homo est, deberetur tam perfecta notitia. Sed esto nexum sit : jam antecedens hoc ipsum aggredior : et adversariis statim oppono D. Thomam, Scotum, D. Bonaventuram, aliosque omnes theologos, qui cum Magistro, ex veterum Patrum sententia, summo studio, summoque consensu, ut alibi planum facio, contra hanc opinionem conspirarunt, quæ, ut « Fidei dogma, resque in Ecclesia catholica extra omnem controversiam, » ab Jansenio defenditur. Sed nimirum fidei dogma est, non catholicæ, sed Jansenianæ : ac tres præcipue, quod quidem ipsi concedo, propugnatores habet, ac vindices : non eos tamen, quos is nobis objicit, sed quos revera cum in hac, tum in aliis omnibus doctrinæ suæ partibus sequutus est magistros, ac duces. Primus est Lutherus, cujus illa sunt tom. VI, in c. XII *Gen.* fol. 153, edit. Wittemb. MDLX. « Falsa est illa celebris Scholasticorum sententia de ignorantia invincibili excusante, etc. Quisquis invincibilem ignorantiam excusationem mereri statuit, evertit Scripturam Sacram, et tollit e medio Christum, justitiæ solem etc. Scholastici invincibilem ignorantiam dixerunt excusabilem etc., tanta est cæcitas in Papæ scholis, et Ecclesiis. » Alter est Calvinus, qui in c. XII. *Lucæ*, catholicis ita illudit : « Quasi vero ad repellendum Dei judicium sufficiat ignorantiæ clypeus. » *Instit.* autem l. II, c. II, n. 26, ita concludit : « quare ut supra merito reprehensus est Plato, quod omnia peccata ignorantiæ imputarit; ita eorum est repudianda opinio, qui consultam malitiam, et pravitatem in omnibus peccatis intercedere tradunt. Nimium enim experimur, quoties labamur, cum bona nostra intentione. Tot obruitur hallucinationum formis nostra ratio, tot erroribus est obnoxia » etc. l. IV *de lib. arb.* non procul ad init. docet, hominem in eo peccare, quod « vitari non potest, aut quia, quod faciendum est, cæcitate non videt, aut infirmitate non implet. » Tertius denique est Hieronymus Zanchius, monstrum ex utroque conflatum, qui *theolog. tract.* l. I, c. XII, thes. 1, docet, ignorantiam invincibilem facti, vel juris aut a Deo, aut ab hominibus lati, excusare quidem a peccato; ignorantiam vero invincibilem juris naturalis non item. Utque ab ipso Jansenium non solum doctrinam accepisse, sed voces pene ipsas, et loquendi morem penitus combibisse videas; postquam hæc Augustini auctoritate satis probasse sibi visus est Zanchius, illud adjecit; « est igitur Augustinus Patrum omnium nomine Patronus noster in hac causa. » Quod quidem, ut Jansenio est perfamiliare, ita etiam frequenter est usurpatum a Calvino, Luthero, Johanne Hus, Wicleffo, aliisque superiorum ætatum hæreticis, jam inde usque a prædestinatis, qui omnium primi erroribus suis tanti doctoris auctoritatem prætendere conati sunt; ut notat Prosper *in Chronico*, et Baronius ad an. Christ. 490, num. 17. Tres igitur Jansenium causæ suæ patronos habere non nego : sed quos ipse non nominat : nam quorum patrocinio gloriatur, ii, ut ostendam suo loco, et ipsi nusquam favent, et plurimis in locis aperte adversantur. Rei hujus specimen hic aliquod sit in Augustino : quoniam is unus Jansenio instar est omnium. Primo, non favet ipsi Augustinus, quia, quod ex illo citat contra ignorantiam juris naturalis, ad ignorantiam facti solius, vel legis a Deo impositæ pertinet. Illud affert, ac sibi præ cæteris favere existimat, quod est l. III *de lib. arb.* c. XVIII, n. 51. « Etiam per ignorantiam facta quædam improbantur et corrigenda judicantur : » ea vero, quæ sequuntur callide reticet : « ait enim Apostolus, misericordiam consequutus sum, quia ignorans feci. » Apostolus quippe, cum Christum persequeretur, et in ejus discipulos acerbe sæviret, non ex juris naturalis ignorantia, sed facti tantum, aut legis positæ peccabat. Ad hæc igitur respondere Jansenius debet : quodque in nos telum intorsit, in ipsum redit. Secundo, non favet ipsi Augustinus, quia ad ignorantiam invincibilem transfert, quod de vincibili s. doctor affirmat. Liquet id cum ex loco proxime allato, tum ex eo, quod pro se citat Jansenius ex lib. *de gratia, et lib. arb.* in quo c. III, n. 5 id legitur : « sed et illa ignorantia, quæ non est eorum, qui scire nolunt, sed eorum, qui tanquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat : si propterea non credidit, quia non audivit, omnino quod crederet; sed fortassis, ut mitius ardeat : non enim sine causa dictum est : *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt*, » etc. Trahit hoc ipse ad juris naturalis insuperabilem ignorantiam, reclamantibus omnibus theologis, qui ex hoc ipso loco superabilis

illius ignorantiæ, quam *simplicem* vocant definitionem, nomenque ducunt. Nam sic Magister in II dist. XXII. « Est autem ignorantia triplex, et eorum scilicet, qui scire nolunt, cum possint : quæ non excusat, quia, et ipsa peccatum est. Et eorum, qui volunt, sed non possunt : quæ excusat, et est pœna peccati, non peccatum. Et eorum, qui quasi simpliciter nesciunt, non renuentes, vel proponentes scire : quæ neminem plane excusat : sed sic fortasse, ut minus puniatur. Unde Augustinus ad Valentinum lib. *de grat.* » etc. Nec vero desunt rationes, quæ hanc theologorum interpretationem comprobent. Nam primo, non ait s. doctor ignorantiam illam esse eorum, *qui simpliciter nesciunt*, sed, *qui tanquam simpliciter nesciunt*. Porro particula illa, *tanquam*, satis indicat sermonem non esse de ignorantia prorsus invincibili. Deinde statuit, hanc ignorantiam « neminem sic excusare, ut sempiterno igne non ardeat, sed fortassis, ut mitius ardeat. » Profecto, si de ignorantia plane insuperabili hoc intelligi voluisset, non adjecisset particulam illam *fortassis*. Nihil enim certius, vel de Jansenii ipsius sententia, quam illum mitius saltem puniendum, qui ex ignorantia plane invincibili lapsus est. Sed idcirco voculam illam apposuit, ut significaret id ipsum quod ex eodem loco theologi docent de ignorantia *simplici*, seu *neglecta* : quodque Ægidius in II, dist. XXII, q. II, a. 4 his verbis expressit. « Hæc ignorantia potest aliquando plus aggravare, quam excusare : aliquando e converso. Quia potest ibi esse tanta negligentia, quod ignorantia sic neglecta plus aggravet, quam excuset. Aliquando etiam negligentia potest esse tam modica, quod, si contingat ex illa aliquid male agere, poterit actus ille ex hoc plus excusari, quam aggravari. » Id demum probat exemplum illud servi nescientis voluntatem domini sui, quod adhibet ibi Augustinus verbis : « Dominus in Evangelio ait : *Servus, qui nescit voluntatem domini sui, et facit digna plagis, vapulabit paucis, Servus autem, qui scit voluntatem domini sui, et facit digna plagis, vapulabit multis.* Ecce ubi ostendit, gravius peccare hominem scientem, quam nescientem. Nec tamen ideo confugiendum est ad ignorantiæ tenebras, ut in eis quisque acquirat excusationem. Aliud est enim nescire, aliud scire noluisse. Voluntas quippe in eo arguitur, de quo dicitur, *noluit intelligere, ut bene ageret.* » Non punitur servus, quod domini voluntatem non impleverit, nisi cum eam ignorat negligentia sua : quod Jansenius ipse fatetur : et ante notarat Theodoretus, cujus verba exhibet D. Thomas in cap. XII *Lucæ*. « Merito punitur, qui sciens voluntatem domini sui non persequitur. Sed cur punitur ignorans? Quia cum ipse scire potuisset, noluit, sed pigritans ipse fuit ignorantiæ suæ causa. » Sed omittendum non est, quod animadvertit hic Bannes II II, q. x, a. 1. Ripalda I, d. x, sect. VI, n. 64 aliique plurimi, Augustinum loqui de ignorantia Evangelii : quod manifeste probant ea verba, « neminem sic excusare, ut sempiterno igne non ardeat, si propterea non credidit, quia non audivit omnino, quod crederet. » Locus hic igitur, si de ignorantia, quæ vinci nequit, est sermo, maxime ferit Jansenium, qui l. VI *de st. nat. lap.* c. V dum contendit ignorantiam juris divini invincibilem a peccato immunes homines reddere, exemplum statuit in infidelibus Christi Evangelium invincibiliter ignorantibus, atque ait, « non audisse Evangelium Christi, satis esse, ut excusationem habeant de sua infidelitate gentiles. » Quare suo ipsemet gladio conficitur. Tertio non favet ipsi Augustinus, quia in aliis pluribus, quæ ex illo deprompta, nulla certa ratione, atque ordine coacervat, vel ignorantiam confundit cum eo, quod ex ignorantia committitur ; et jam, *cum ejusmodi ignorantia*, ut idem ipse docet lib. II *de st. nat. lap.* c. VI « proprie peccatum non sit, » in eum se induit laqueum, quo nos implicare tantopere studuit, vel arbitratur veram, et propriam peccati rationem habere quidquid ab Augustino dicitur peccatum simul, et pœna peccati : cumque, ut evidentibus Augustini testimoniis suo loco constabit, ita nuncupentur a s. doctore plura, quæ Jansenii ipsius sententia, peccatum vere et proprie non sunt; adhærescit incauto fax illa, quam in alios conjicere parabat. Nunc, quod alterum affirmavi, ut ipsi s. doctor aperte adversetur, pauca ista documento sint : lib. III *de lib. arb.* c. XVIII, n. 50 ita scribit; « Quæcumque est ista causa voluntatis, si non ei potest resisti, sine peccato ei ceditur. Si autem potest, non ei cedatur, et non peccabitur. An forte fallit incautum? Ergo caveat, ne fallatur. An tanta fallacia est, ut caveri omnino non possit? Si ita est, nulla peccata sunt. Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest? » Eodem lib. *de lib. arb.* c. XXII, n. 64. « Non enim, inquit, quod naturaliter nescit, et naturaliter non potest, hoc animæ deputatur in reatum : sed quòd scire non studuit, et quod dignam facilitati

comparandæ ad recte faciendum, operam non dedit. Loqui enim non nosse, atque non posse infanti naturale est : quæ ignorantia, difficultasque sermonis, non modo inculpabilis, sed etiam, » etc. Luculentissimum vero illud est, quod scripsit c. XIX, n. 53 et 54 confirmavitque jam senex in libro *de Nat. et Grat.* c. LXVII, n. 8 et lib. I *Retract.* c. IX, n. 5 sic autem loquitur loco cit. ut hominum querelas compescat, qui de ignorantia, quam ex Adamo hæreditariam accepimus, expostulant : « Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras, etc. Ista tua propria peccata sunt, etc. Nam illud, quod ignorans quisque non recte facit, et quod recte volens facere non potest, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis originem ducunt. Illud enim præcedens meruit ista sequentia. Nam, sicut linguam dicimus non solum membrum, quod movemus in ore, dum loquimur, sed etiam illud, quod hujus membri motum consequitur, id est, formam, tenoremque verborum : secundum quem modum alia dicitur lingua Græca, alia Latina ; sic non solum peccatum illud dicimus, quod proprie vocatur peccatum, libera enim voluntate, et a sciente committitur ; sed etiam illud, quod jam de hujus supplicio consequatur necesse est. » Exemplum hoc linguæ, quo s. doctor utitur, rem plane conficit : nam omnino persuadet, sermonem hic esse de eo tantum, quod peccatum vere, et proprie non est. Quare l. I *de nupt. et concup.* c. XXIII et XXV eadem similitudine ostendit, concupiscentiam in renatis non esse proprie peccatum : « Vocatur peccatum, quia peccato facta est, cum jam in regeneratis non sit ipsa peccatum : sicut vocatur lingua loquutio, quam fecit lingua. » Itaque, sicut ex hoc posteriori loco manifeste refellitur Calvinus, qui III *inst.* c. III, §. 10, docet, concupiscentiam in renatis esse vere peccatum, licet minus proprie, quam primum Adæ peccatum, « Nos illud ipsum pro peccato habemus, quo aliqua omnino cupiditate contra legem Dei homo titillatur ; » sic ex superiori aperte confutatur Jansenius, qui loc. cit. quidquid ex ignorantia invincibili juris naturalis perperam committitur, esse vere peccatum contendit, quamvis minus proprie, quam primum Adæ peccatum : « peccata pullulantia ex ignorantia invincibi juris naturalis sunt vera peccata, et pœnis homines obnoxios constituunt. »

DISPUTATIO A RATION .

§. IV.

Adversariorum rationes omnino tres sunt : duas se petere dictitant ex theologia : atque ita primo argutantur : Christus Dominus naturam puram, id est, cum suis duntaxat naturalibus facultatibus assumere potuit : horret autem animus cogitare, potuisse ipsum aut rebellionem carnis adversus spiritum, aut juris naturalis ignorantiam assumere ; ergo de ratione, et modo puræ naturæ duo ista non sunt.

Secundo : Ignorantia juris naturalis supplicium est primi peccati, secus vero ignorantia juris positivi : non igitur homini, ut homo est, juris positivi absoluta, et perfecta cognitio, sed juris naturalis debetur.

Tertiam desumunt ex Ethica : Natura, inquiunt, rationis particeps, ex suamet conditione petit, ea posse amplecti, quæ ultimo fini sunt consentanea, declinare autem contraria : at neutrum præstare potest, si quid amplectendum, aut declinandum sit nesciat ; id vero si sciat, perfectam jam habet juris naturalis notitiam, quod nihil est aliud, quam recta quædam faciendorum, ac fugiendorum omnium ratio, ergo natura rationis particeps perfectam ex se petit juris naturalis notitiam.

§. V.

Sententiæ vero nostræ rationes plurimæ sunt : eædemque clarissimæ, atque firmissimæ : sed, quoniam brevis esse cogor, ex his omnibus, tres tantum, et multo quidem pressius, quam hactenus feci, propono. Primo, proprium est hominis, ipsique a natura tributum, et habitus adipisci per actus, et, quoniam menti nostræ, ex se nudæ prorsus, atque inopi, rerum species, atque imagines extrinsecus sunt expectandæ ; scientiam quoque omnem, ac disciplinam adipisci per sensus. Duobus his positis, quæ sane ab eo, qui naturalem hominis constitutionem rite perpendat, negari non possunt, consequens est, non quod aliquibus venit in mentem asserere, primos parentes reipsa fuisse ita conditos, ut ad legis naturalis, et aliarum etiam rerum scientiam paulatim, et gradatim, nec sine exercitatione et studio pervenirent ; contra est enim, quod de illis scriptum est *Eccles.* XVII. 5 et 6, *disciplina intellectus replevit illos. Creavit illis*

scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, et mala, et bona ostendit illis ect. Sed id tantum, quod in præsens defendimus, eos nimirum, etsi plane innocentes, ita tamen condi fuisse possibile ; quæque duo ipsis data sunt, ut nec habitus esset ex actibus, sed scientia manens scientiam moventem omnino antecederet ; nec menti rerum species, ad intelligendum necessariæ, emendicandæ essent a sensibus ; in ea duplici re proprium humanæ naturæ defectum a Deo peculiari quodam gratiæ dono fuisse suppletum. Quod si supra hominem fuit, sine ulla exercitatione et industria, et ab ipso statim vitæ exordio, juris naturalis scientiam habere ; eam habere plenam, atque perfectam, expletamque suis omnibus numeris et partibus, cujusmodi fuit ? Hæc profecto homini, ut homo est, adeo non debetur, ut ab ipso, naturæ viribus, ne paulatim quidem, nec magno adhibito studio atque cura, possit acquiri. Cum enim menti nostræ, ut diximus, ex se ipsa aptum, paratumque non sit, quidquid ad intelligendum est opus, ac propterea, ut philosophi docent, ad ipsam illam corpoream facultatem sese convertat, atque demittat, in qua imaginandi vis inest ; ibi rerum simulacra minus idonea reperit, quam ut ex illis eas possit species effingere, quas perfecta illorum cognitio requireret, quæ sensum effugiunt, et ab omni sunt concretione materiæ penitus remota et abstracta. Hujusmodi autem cum sit ratio justi et honesti, quæ certe in extima rerum specie, quæ sola sub sensum cadit, nullam sui satis aptam imaginem et similitudinem habet ; hanc semper et ubique illic etiam, ubi est maxime et implexa, et abstrusa, certo, atque evidenter deprehendere, humanæ opis atque virtutis non est.

Hoc autem et altera ratio magis confirmat : præterquam quod enim mens illa cujus cognitio a sensibus incipit, eorumque ministerio atque opera indiget, ex suamet conditione minus luminis habet, et hebetior est et obtusior, quam ut agendorum, fugiendorumque rationes prorsus omnes subtilissimas etiam, ac penitus abditas manifeste detegere ac distinguere valeat ; principia ipsa naturæ nota per sese ei tantum lucis non afferunt, ut dubitare prudenter non possit de aliis naturæ præscriptionibus ; quæ ex his nexæ quidem sunt, sed valde subtiliter, multisque interjectis atque intermediis, in quibus recti notæ et insignia sunt minus, et minus semper illustria, et perspicua, quo magis a primis receditur. Imo vero plurima sunt in toto jure naturæ, de quibus, ex duobus hujus disciplinæ principiis æque notis, et apud omnes receptis in utramque partem ita disseras ; ut non solum quidquam certi pro neutra appareat ; sed ne quid magis quidem probabile sit, occurrat ; ita sunt in illis centrariarum rationum paria momenta. Sed fac, quod quidem concedi non potest, quidquid in hac disciplina verum est in se ipso, magis etiam appareat, ac recti speciem, atque notas magis expressas, et insignes præ se ferat ; sic tamen, ut honestatis insigne non plane obscuret in altero, ipsumque rationibus suis non penitus exarmet, atque obterat : sed ei probabilitatis tantum relinquat, quantum sapientum etiam animos, vel ipso præsente, percutiat. In hoc rerum statu, ut legis naturalis ignoratio esset aliqua, sic error etiam esse posset : neque enim necesse est, ut lancem in libra deprimi, cui plus ponderis impositum sit, sic animum semper majori probabilitati cedere. Ubi enim res evidentes non sunt, ad inclinanda utrolibuerit hominum judicia, magni momenti, atque ponderis instar habet voluntatis imperium : ut docet D. Thomas I I quæst. XVII, art. 6 et tradidisse videtur Augustinus in epist. *ad Hieronym.* olim XIX, nunc LXXXII, cap. I, num. 3 qui locus transcriptus est in cap. *Ego solis* dist. IX. Deberi autem homini, si innocens sit, et quidem nulla adhibita cura, nullaque interposita mora, quo quidquid in hac disciplina verum est, idem evidens sit, et e contrario, quidquid est falsum, sit idem plane improbabile ; hoc enim vero nullo satis firmo fundamento nititur, ac temere astruitur ab adversariis : contra quos.

Tertio demum pugnat ipsa hujus disciplinæ ratio, atque habitudo : ea enim latissime patet, rerumque et circumstantiarum varietatem habet plane infinitam, quæ magnam oppido prudentiam, atque experientiam requirit : ac disquisitionibus, et ratiocinationibus plurimis indiget : hisque omnibus adhibitis, singula probe tenere, expensa, percepta, comprehensa, rata, fixa, firmaque habere, ut opus foret, ne locus esset errori, ignorantiæ, opinationi, suspicioni, et, uno nomine, iis omnibus, quæ sunt aliena firmæ, et constantis assensionis, plane supra hominem est.

§ VI.

Itaque ad primum respondeo, id esse ambiguum, atque ejus simile, quo quis affirma-

ret, puram naturam evehi posse ad eum finem, qui est supra naturam : quo si intelligi vellet, naturam, quæ ab omnibus supernaturalibus bonis nuda prius et vacua fuerat, posse ab eo statu in hanc longe meliorem sortem, supra propriam ipsiusmet conditionem transcribi, id utique ipsi concederem, quod sane evidentissimum est. Sin vero sit, ut velit, naturam ad eum finem evectam, postquam etiam de propria conditione migravit, puram esse, et dici posse, id oppido negem, et ad contradictionem implicare dicam. Siquidem ipsa illa naturæ hujus evectio, elatioque supernaturalis est, et bona secum trahit quamplurima, quæ naturam pariter superant. Id igitur ad rem præsentem traducito, ac sic habeto, ὑπόστασιν ἕνωσιν *Hypostaticam unitionem* supra naturam esse quam maxime, eaque secum advehere, quibus natura, quæ assumitur, rationem jam non habet nudæ naturæ, iisque defectibus careat, qui tametsi naturales sunt, et culpa vacant ; indigni tamen sunt homine Deo, ipsumque maxime dedecent : hujusmodi autem sunt concupiscentiæ motus pravi, et indociles : ac legis naturalis ignoratio.

Ad secundum respondeo, falsum et sine fundamento esse, quod ab ipsis assumitur, legis positivæ ignorantiam peccati pœnam non esse : neque enim sive Augustini, sive Hieronymi, seu cujuspiam sacri scriptoris testimonium ullum proferunt, quo nobis id approbent. Imo aperte repugnant sanctis iisdem doctoribus Augustino, et Hieronymo, qui, cum adversus Pelagianos contendunt ignorantiam malam esse, et peccatum, plurima ignorantiæ facti, et juris positivi exempla producunt. Quin, et secum ipsis pugnant : Jansenius enim l. III *de st. nat. puræ* c. x et xi nullam miseriam, malum nullum in homine reperiri docet, quod in peccati pœnam inflictum non sit. Ignorantia certe Evangelii in infidelibus magnum malum est, magnaque miseria : cum igitur, ut Jansenius ipse fatetur, l. VI *de sta. nat. lapsæ* c. v hæc sit ignorantia facti, et juris divini consequens est, ut facti etiam, et juris divini ignorantia peccati supplicium sit.

Ad tertium respondeo, naturam rationis participem ex se id quidem exigere, et suo sibi quasi jure vindicare, quo possit et ea adciscere, quæ sunt consentanea ultimo fini, et ea repudiare, quæ sunt contraria, id vero non utcumque, sed pro suæ conditionis mensura, et modo : et quantum ipsius ultimi finis ratio postulat. Eam porro esse hominis conditionem, ut sine perfecta juris naturalis notitia esse possit, et hac etiam in re interdum a vero aberrare nuper ostendimus : quod autem id etiam permittat ratio ultimi finis, negari non potest : ut enim supra probatum est satis, vel si finis supernaturalis sit, cujusmodi est cœlestis beatitas nobis modo proposita, ab eo non excluditur, qui juris naturalis ignorantia invincibili laborat : nec opus est, ut illum assequaris, quæ amplecteris, aut declinas, omnia vere in se ipsis esse honesta, aut his contraria : satis est, si tibi, nulla tua culpa, ita appareant, sic enim recte et laudabiliter agis : natura autem rationis particeps, nisi se a recto averterit, a suo ultimo fine non excidit.

ARTICULUS VI.

Utrum eidem debeatur Sanctitas, et alia dona huic proxime adnexa.

DISPUTATIO AB AUCTORITATE.

§. I.

Aiunt Baius, et Jansenius, et hac etiam in re Augustinum pro se stare putant : primo, quod vitium esse docet humanæ naturæ, Deo non adhærere per charitatem : quo illa spectare dicunt, quæ scripsit l. XXII *de civit.* c. I n. 2 in hæc verba : « Sicut cæcitas oculi vitium est, et idem ipsum indicat, ad lumen videndum oculum esse creatum, etc. ita natura, quæ fruebatur Deo, optimam se institutam docet etiam ipso vitio, quo ideo misera est, quia non fruitur Deo, etc. » quorum similia sunt l. XI c. XVII. « Non itaque esset vitium recedere a Deo, nisi naturæ, cujus id vitium est, potius competeret esse cum Deo. Quapropter etiam voluntas mala grande testimonium est naturæ bonæ. » Atque huc advocare potuissent illud Anselmi *Monol.* c. LXVIII. « Rationalem creaturam ad hoc esse factam, ut summam essentiam amet super omnia bona, » etc.

Secundo, quod adversus Pelagianos contendit, puerulos, si nulla culpa inquinati nascuntur, etiam si Baptismo non abluantur, iis tamen divinæ adoptionis, et sanctitatis bonum deberi : nec, sine ipso, posse quemquam illorum e vita decedere, quod aperte significasse dicunt, cum scripsit l. I *operis imperf. cont. Jul.* n. 35 « dic, qua justitia ille

parvulus adoptetur in baptismo, ille sine hac adoptione moriatur, cur non sit ambobus honor iste communis ? » etc. et num 49, « dic, si potes, cur ambos adoptare noluerit, qui certe ambos ad imaginem suam condidit, » etc.

§. II.

Ego vero, cum omnibus plane Catholicis doctoribus, nego : et primum sacras litteras iis oppono, quæ de hujusmodi donis tam splendide, et magnifice loquuntur, ut nefas sit dubitare, quin hominis naturam, et conditionem quam longissime superent. Sic enim *Psalm.* LXXX, 16. *Ego dixi, dii estis, et filii Excelsi omnes :* quem locum ita explanat Augustinus : « Manifestum est ergo, quia homines dixit Deos ex gratia sua deificatos, etc. si filii Dei facti sumus, et dii facti sumus : sed hoc est gratiæ adoptantis, non naturæ generantis, » etc. Eodemque pertinet, quod scripsit l. II *cont. Maximum* c. XV n. 2. « Homo ad Dei similitudinem factus non est verus filius... et, ideo fit gratia filius, quia non est natura : » et alia plurima, quæ suo loco sigillatim indicabimus. Illustris est etiam interpretatio Cyrilli : is enim l. I *in Joh.* c. XIII. « Ascendamus igitur, inquit, ad supernaturalem dignitatem per Christum : non tamen proprie sicut ille, sed, ut similitudine illius, per gratiam filii Dei simus. Verus enim ille filius Dei Patris est, nos vero misericordia ejus adoptati per gratiam audivimus. *Ego dixi, dii estis* : Creatura autem, cum serva sit, serva autem est, etiam si innocens sit, nutu solum, et voluntate patris ad supernaturalia vocatur, » etc. In eamdem sententiam tum duo hi Patres, tum reliqui omnes interpretati sunt hæc alia Scripturæ loca, *Johannis* I, 12 *dedit eis potestatem filios Dei fieri ;* Pauli *ad Rom.* V, 2. *Per quem habemus accessum per Fidem in gratiam istam, in qua stamus, et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei ;* VIII, 14. *Quicumque enim spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei ;* 15. *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, abba Pater* etc. super omnia vero illud epist. I *Joha.* III, 1 *videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, et simus.* Illuc spectavit Ambrosius, cum scripsit in ep. *ad Rom.* c. V. « Nihil enim ultra potuit donare credentibus, quam, ut Filii Dei dicantur...pro infinita enim hoc magnificentia sua Deus donavit diligentibus se. » Verum Patres suo loco : hic illud tantum animadverto, apud Patres Græcos, qui hæc interpretati sunt, θέσιν significare *adoptionem* : sic, ut ipsis idem sit υἱὸς θετὸς, sive κατὰ θέσιν, aut κατὰ χάριν *ac filius adoptivus.* Id habet glossarium vetus, id vocabularia Cyrilli, atque Hesychii : id Epiphanius, qui *Ancorato* §. 6. naturali filio θετὸν opponit : et filium θέσει ei, qui filius est ἀληθείᾳ : uti etiam §. 3. Idem usurpatum invenies ab Athanasio in locis infra citandis ex orat. III et IV *contra Arian.* et in lib. *de hum. nat. susc.* iisdem vocibus usus Basilius ad Eunom. lib. III pagin. 84 et 88. Itidemque Nyssenus, a quo orat. III advers. eumdem tom. II pagin. 523 filii hujusmodi, υἱοὶ vocantur προσηγορίᾳ ἐπισκευαστῇ, καὶ ἐπικτήτῳ *adjectitia, et adventitia appellatione.* Nec immerito sane hæc adoptio θέσις nuncupatur a Græcis Patribus, tanquam *positio :* et filius adoptivus, υἱὸς κατὰ θέσιν, καὶ χάριν ; siquidem non natura, aut hujus quasi necessitate constat : sed voluntate, et libera electione assumentis, et hujusmodi propinquitatis nexu se sponte adstringentis. Atque hoc illud esse reor, quod Jacobus Apostolus de hac ipsa adoptione ita scripsit *epist. can.* I, 18. *Voluntarie genuit nos verbo veritatis.* Vox enim illa βουληθεὶς *volens,* seu ut est apud vulgatum interpretem *voluntarie* significare videtur, ut notat etiam Cornelius a Lapide, gratuitam Dei εὐδοκίαν, id est, *beneplacitum*, ac *benevolentiam* qua nos ad tantum extulit dignitatem. Cujus est simile illud *Oseæ* XIV *diligam eos spontanee* אהבם נרבה. Non minus magnifice de sanctitatis, et justitiæ donis loquutus est Petrus in II Epist. I. 3 et 4. *Quomodo*, inquit, *omnia nobis divinæ virtutis suæ, quæ ad vitam, et pietatem donata sunt, per cognitionem ejus, qui vocavit nos, propria gloria, et virtute, per quem maxima, et pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.* Quid autem *donata*, et *promissa* ea bona tantopere prædicet, si homini, ut homo est, universa debentur ? Quid ea tantum commendet, tanquam peculiaria *divinæ virtutis opera*, si propria hominis sunt, atque intra fines naturæ ? Quid *maxima* quid *pretiosa* ferat, si ea supra hominis sortem, culpa extulit, non propria ipsorum dignitas, atque excellentia ? Sic enim per *illa efficimur divinæ consortes naturæ :* hæc nimirum « divina illa nativitas est, status ille divinus, cujus apud Areopagitam *de Eccl. Hier.* c. III est *ineffabilissima fabricatio.* Sed hoc etiam, quomodo interpretati sint Patres, mox planum fiet : illud hic omittendum non

Filius per adoptionem et graliam.

est : Patrum interpretatione, id etiam nobis militare, quod est in ep. I *ad Corinth.* IV, 7. *Quid habes, quod non accepisti ? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* quod contra Pelagium, quicumque afferunt, et generaliter loqui, et statum etiam innocentis naturæ complecti videntur. Afferunt autem præcipue synodus Arausic. c. II can. VI. et XXV Gelasius Pap. ep. *ad ep. August.* epist. *ad Jul.* antea CXLIII modo CLXXXVIII n. 7 *enar. in Psal.* XXV n. 11 et *in Psalm.* XCI n. 6. l. I *ad Simplic.* q. II n. 9 l. II *de peccat. mer. et rem.* c. XVIII n. 28 et 30 l. *de Spir. et litt.* c. XXXI n. 54 *de Prædest. Sanct.* c. V n. 9 et 10. Imo libri ejusdem cap. III n. 7 et c. IV n. 8 « eo se præcipue testimonio convictum fatetur, cum putaret, Fidem, qua in Deum credimus, non esse donum Dei, » atque in homine ipso salutis initium statueret. Item Prosper *adv. Collat.* c. XV, XXIX, XXX *ad Gal*, dub. IV, auctor l. *de Vocat. Gent.* c. XXV Fulgentius *de Incar. et Grat.* c. XVIII et XX l. I *ad Monim* c. XV. Denique Anselmus, qui non de natura tantum vitiata, et corrupta, sed de integra quoque, atque adeo de Angelica, Paulum esse loquutum, diserte nobis confirmat ; imo ; et valide, ac fuse probat lib. *de casu diab.* cap. I, cui propterea præfixit hunc titulum. *Quod etiam ad Angelos dicatur : quid habes, quod non accepisti ?* Similem, apud hos Patres, et alios complures, nec minus universalem interpretationem habent alia hæc Apostoli loca ; *Gratia enim salvati per fidem : et hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* Ephes. II, 8. *Deus est enim, qui operatur in nobis, et velle, et perficere. Philip.* II, 13. *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Rom.* IX, 16. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* II *Corinth.* III, 5. Maxime vero, quod est in ep. *ad Rom.* V, 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Quem in locum ita Augustinus l. XII *de Civit.* c. IX n. 2. « Confitendum est igitur, cum debita laude Creatoris, non ad solos sanctos homines pertinere, verum etiam de sanctis Angelis posse dici, quod charitas Dei diffusa sit in eis, per Spiritum sanctum, qui datus est eis. » Angeli certe in statu naturæ lapsæ non erant : quod igitur homo charitatem, sanctitatem, et alia hujusmodi dona non habeat, est quidem culpæ solius ; quod ipsi debita non sint, est etiam naturæ : hæc enim jus homini ad ea bona non dedit : illa etiam insuper fecit indignum : ut, et contra meritum foret, quod tantum supra meritum erat.

Secundo iis oppono, primo quidem concilium Francofordiense, in quo col. V hæc sancita : « Adoptivus dici non potest, nisi is, qui alienus est ab eo, a quo dicitur adoptatus, et gratis ei adoptio tribuitur, quoniam non ex debito, sed ex indulgentia tantummodo adoptio præstatur. » Deinde Romanos pontifices, a quibus tres hæ Baii theses fulminatæ XXI. « Humanæ naturæ sublimatio, et exaltatio in consortium divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, ac proinde naturalis dicenda est, non supernaturalis. XXIII. Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio, dono quodam supernaturali, et gratuito, supra conditionem naturæ, fuisse exaltatum, ut fide, spe, charitate Deum supernaturaliter coleret. XXIV. A vanis, et otiosis hominibus, secundum insipientiam philosophorum, excogitata est sententia : hominem ab initio sic constitutum ut, per dona naturæ superaddita, fuerit largitate Conditoris sublimatus, et in Dei filium adoptatus. »

Tertio Patres, qui ante Augustinum scripserunt, quorum, et aliorum omnium testimonia, quoniam nimis multa sunt, exhibitis eorum initiis, accurate notasse, ac, velut intento digito, commonstrasse sufficiat. Dionysius Areop. epist. II *ad Caium*, hominis sanctitatem « Deificum, et bonificum donum vocat, et inimitabilem imitationem, supra quam Dei, et supra quam boni secundum quam deificamur : » et *Eccl. Hier.* c. II. « Cum enim divinus hic status, divina quædam nativitas sit, » etc. Item c. II *de divin. nomin.* §. 8. « Hactenus omnis intellectus nostri studium eo tendit, ut intelligat, quomodo divina omnis paternitas, et filiatio, tam nobis, quam supracœlestibus virtutibus indulta sit, ex qua fit, ut etiam dii, deorumque filii, » etc. Justinus Mar. in dial. *cum Thriph.* ait, « Adamum, quem Deus finxit, domum fuisse divini Spiritus, » etc. et *in Psalm.* LXXXI « eo honore affectum, ut filius Dei vocaretur, » etc. et in *exposit. Fidei* : « in iis, quæ sunt, id vel natura non condita, vel condita, etc. quæ condita est, servilis est conditionis, etc. supra conditionem servilem » est a Domino adoptari pro filio. Irenæus l. III c. XXXVII. « Quoniam eam, quam habui a Spiritu sancto, sanctitatis stolam, per inobedientiam amisi, » etc. et l. IV c. XXXVII. « Hæc est enim, quæ nos per verbum ejus ducit ad Deum, » etc. Tertullia-

nus l. V *cont. Marc.* « Ut certum esset, nos filios Dei esse, etc. cujus gratia, nisi cujus, et promissio gratiæ, » etc. et in epist, *ad Eph.* II, 10. « Aliud est facere, aliud condere... quantum ad substantiam fecit, quantum ad gratiam condidit, » etc. Clemens Alexand. l. II *strom.* « Est in nos copiosa Dei misericordia, qui nihil ad eum attinemus, etc, vocat ad adoptionem, quæ est maximus omnium profectus, » et lib. V. « Fides, sive fundata sit a Charitate, sive etiam a timore, ut dicunt accusatores, divinum est aliquid, non est humanum studium, » etc. Origenes l. I *de Princip.* c. III. « Propter hoc consequenter adest etiam gratia Spiritus sancti, ut ea, quæ substantialiter sancta non sunt, participatione ipsius sancta efficiantur, etc. Est quædam inoperatio Dei Patris præcipua, præter illam, quam omnibus, ut essent, naturaliter præstitit, » etc. Cyprianus *de bon. pat.* « consummari nos cœlesti nativitate reparatos, si similitudo divina, quam peccato Adam perdiderat, » etc. Tum apud ipsum Firmilianus in epist. sanctitatem *Deificam* vocat. Gregorius Neocæsar. in orat. *paneg. et eucharist.* vocat ἀποθέωσιν *Deificationem* : quod nempe « virtutibus charitate informatis animus quodammodo Deo similis efficiatur : » ut recte exponit interpres Gerardus Vossius. Methodius *in Conv.* « Anima, secundum Unigeniti effigiem facta, ut pulchritudine plane immensa, » etc. Hilarius Pictav. « Ex adoptione filius est homo ; neque ei proprietas, sed nuncupatio est ; est enim ex electione tantum, et libera Dei voluntate » etc. Athanasius orat. I *cont. Arian.* « Disciplinæ quidem, et gratiæ ejus in nos collatæ magnæ sunt, et supra hominem etc. adoptio in filios, Patris, et Verbi cognitio donatio sanc. Spiritus » etc. orat. II « Filium istum verum natura, et genuinum Patris sui etc. alios autem, quibus dictum est, *Ego dixi, dii estis*, solummodo participatu Verbi, per Spiritum sanctum hanc gratiam a Patre obtinuisse etc. Qui ex virtute, et gratia nomen solummodo filiorum obtinent, et non natura, sed gratia ad jus liberorum nituntur etc. quod ad pejora se contulerunt, ablato spiritu, rejecti, abdicatique fuerunt ab eo, qui eis ab initio gratiam dederat » etc. Or. III docet quid intersit inter τὸ γέννημα καὶ τὸ ποίημα *genitum*, et *factum*, quæque sit in sacris litteris vocis utriusque vis, et notio : « Deus, inquit, non solum eos homines fecit, sed et filios dixit : est autem Dei benevolentia, quod, quorum sit conditor, horum postmodum per gratiam patrem se faciat etc. *Gignere* γεννᾶν filii ; *facere* autem ποιεῖν, operum significationem insinuat : eaque de causa nos non primum gignimur, sed creamur : siquidem scriptum est, *faciamus hominem*, postmodum, recepta Spiritus sancti gratia, dicimur et generari » etc. orat. IV. « Nos contra non natura, sed *adoptione*, *et gratia* θέσει, καὶ χάριτι, filii reddimur participatu ipsius Spiritus etc. Intercessu gratiæ, et dignitatis acceptæ etc. Nos contra, sine Spiritu, externi sumus, et longe sejuncti a Deo, sed tamen Spiritus participatu coaptamur divinitati etc. » Basilius Mag. lib. *de Sp.* I *ad Amphil.* cap. XVI. « Meræ, et intelligibiles, et ultramundanæ virtutes sanctæ tum sunt, tum nominantur, ex gratia per spiritum infusa sanctimoniam nactæ, etc. Sanctificatio non est absque Spiritu, neque enim natura sanctæ sunt cœlorum virtutes etc. Spiritus, et gratiæ opus sunt dispositiones, quæ factæ sunt circa hominem, et eæ, quæ circa Angelos, qui ab ipsa protinus creatione perfecti sunt » etc. et lib. III *cont. Anom.* « Principatus, et potestates, et omnis creatura.... non jure naturæ sanctæ dicuntur : appetentes enim bonum, secundum amoris, quem ad Deum habent, proportionem, sanctitatis mensuram participant etc. Qui enim gratia Divinus efficitur, mutabilis est naturæ » etc. Et in *Epist. apolog. ad Cæsar.* « Et homo Deus dicitur.... Et dæmon Deus dicitur. Sed illi quidem secundum gratiam, hi vero per mendacium dii nominantur. » Cyrillus Hieros. cat. III. « Non secundum naturam habes adoptionem : profectu accipis gratiam » etc. catech. VII « donum adoptionis est ex benigbenignitate.... ex servitute, paterna gratia, in adoptionem filiorum » etc. cat. XI. « Cum filium audis, non abusive dici filium putes, non ex servitute in adoptionis progressionem ascendentem... Efficimini et vos filii, sed adoptione per gratiam » etc. de Fide vero tota cat. V quam bifariam dividit, non quidem essentia, sed operatione, et effectu : quamvis in altera magis etiam specialem gratiam agnoscat. Gregorius Nazianzenus servilem hominis conditionem nobis describit orat. XXIV. « Duas summas in iis, quæ sunt, differentias invenio, dominationem nempe, et servitutem etc. Amphilochius homil. *de S. Deipara* : « bonus dominus dignatus est nos vocare fratres, propter virtutem secundum gratiam » etc. Didymus l. I *de Sp.* I. « Spiritus sanctus non solum sejunctis a se hominibus. sed et singulis quibusque Angelis inhabitator adsis-

tit » etc. Gregorius Nyssenus l. *de Beat.* c. VII. « Excedit homo suam ipsius naturam... nam dignus habitus, qui filius Dei fiat: O divitis Domini magnificam largitionem! O largam » etc. Ambrosius l. I *de Sp.* I, c. VII. « Intelligendum est, quod creatura quidem superior Angelorum sit, quæ plus recipit gratiæ spiritualis: ejusdem tamen et erga nos, et illos munus auctoris sit. Quanta autem gratia » etc. l. VIII *in Ev. Lucæ* « non te præferas, quia filius Dei diceris: agnoscenda gratia, sed non ignoranda natura » etc. l. V *de Fide* c. III « homines per filium adsciscit in gratiam filiorum: alius igitur naturæ amor sempiternus, alius gratiæ » etc. l. *de Incarn. myst.* c. VIII « Si negatur natura Deus esse, ergo per gratiam est, ut homines: aut certe falso creditur, ut dæmones » etc. nihil medium agnoscit: qui natura Deus est, is vel gratia Deus est, vel mendacio: quod accepit ex CXLII ep. Basilii: vide pariter lib. VI, XXXVIII et tract. *in Symb. Apost.* Quanquam opus istud ab ingenio, et stylo Ambrosii nimium deficit, ipsique suppositum videtur, uti etiam libri *de Sacram.* ex quibus citari posset l. VI, cap. I. « Qui Dei filius est per gratiam, ut homo » etc. Hilarius, quicumque ille sit. in *Quæst. mixtis ex utroque Test.* q. CXXIV. « Adam factus accepit spiritum, quem peccatis amisit: Spiritum autem sanctum habere ultra naturam, et perfectionem hominis est, ut possit quæ Dei sunt » etc. Vide et ea, quæ in c. VIII ep. *ad Rom.* quæque in c. IV et V, ep. II *ad Corinth.* et in c. IV ep. *ad Galat.* lat. Diadochus lib. *de Perf.* c. IX. « Alia est naturalis charitas animæ, et alia, quæ ex Spiritu sancto proficiscitur » etc. et c. LXXIV. « Charitas namque naturalis » etc. Epiphanius in *Ancor.* « Secundum gratiam ipsum filium vocari » etc. Joh. Chrysostomus in c. I *Joh.* hom. XIII. « Gratia Dei, quæ semper in beneficiis priores sibi partes vindicat,» etc. Hom. XXI *ad pop. Ant.* « anima illustratur, et splendidior fit a Spiritu sancto gratiam accipiens » etc. l. I *de Provid.* « Non autem his tantum illum honoravit... summa implevit sapientia, spiritualem illi gratiam adjiciens, » etc. l. II *de orat.* « fieri nullo modo potest, ut homo sine divini Spiritus ope etc. ingrediente in nos Spiritus sancti gratia » etc. in c. VIII ep. *ad Rom.* « Quod unigenitus natura fuit » etc. denique in cap. IV ep. *ad Galat.* « Haudquaquam potuissemus illum appellare Patrem » etc. Severianus Gabal. orat. III *de creat. mundi*, « aliud est naturæ similitudo, aliud gratiæ » etc. et orat. V. « Adam, antequam divinum præceptum transgrederetur, plenus Spiritu sancto, et gratia abundavit » etc. Chromatius Aquil. « Nobis tantæ gratiæ munus indulsit, ut licenter dominum, ac Deum nostrum servi Patrem dicere audeamus » etc. Gaudentius Brix. « Quia servilis humana conditio » etc. Hieronymus l. II *advers. Jovin.* « Inculcandum nos non secundum naturam, sed secundum gratiam, » etc. Comment. in c. I *Malach.* Voluntate, non necessitate in filium Dei vertitur, qui spiritum adoptionis » etc.

Quarto Augustinum ipsum : et, quoniam Jansenius lib. I *de Stat. puræ nat.* c. XIX hominem innocentem condi posse negat, sine *amore casto*, vel *voluntate ad amandum robusta*, ut præteream, quod sanct. doctor de puerulis etiam innocentibus tradit lib. X *de Gen. ad lit.* c. XIV, n. 24 quod alibi attigimus; illud affero, quod de Angelis ipsis scriptum reliquit, l. XII *de Civit.* cap. IX, n. 2. « Bonam voluntatem quis fecerat, nisi ille, qui eos cum bona voluntate, id est, cum amore casto, quo illi adhærent, creavit, simul in eis, et condens naturam, et largiens gratiam » etc. Quid quod inter bonos, et malos Angelos interfuisse dicit his verbis? « Isti autem, qui cum boni creati essent, tamen mali sunt, mala propria voluntate, aut minorem acceperunt divini amoris gratiam, quam illi, qui in eadem perstiterunt, aut, si utrique boni æqualiter creati sunt, istis mala voluntate cadentibus, illi amplius adjuti, ad eamdem beatitudinis plenitudinem, unde se nunquam casuros certissimi fierent, pervenerunt.... Confitendum est igitur, cum debita laude creatoris, non ad solos sanctos homines pertinere, verum etiam de sanctis Angelis posse dici, quod charitas Dei diffusa sit in eis, per Spiritum sanctum » etc. Idem significat quod est l. *de Cor. et Gra.* c. X, n. 27 « Hanc plenitudinem beatitudinis non habebant, ut, magna per Spiritum sanctum data abundantia charitatis Dei, cadere ulterius omnino, non possent: minore quidem, sed tamen beatitudine, sine ullo vitio, fruebantur. » Nobis etiam suffragatur, quod de iisdem Angelis l. I *de Gen. ad lit.* c. V, n. 10 « Creatura vero, quamquam spiritualis, et intellectualis potest habere informem vitam, quia, non sicut hoc ei esse, quod viveret, ita hoc vivere, quod sapienter, ac beate vivere, » etc. Cujus simile est, quod habet XIII *Confes.* in quo distinguit actionem, qua spiritualis natura condita est, ab ea, per quam charitate, sanctitate, et aliis gratiæ donis ditata,

perfectaque est; atque ita loquitur c. III, n. 4. « Quod autem in primis conditionibus dixisti, fiat lux, et facta est lux, non incongruenter hoc intelligo in creatura spirituali, quia erat jam qualiscumque vita quam illuminares. Sed, sicut te non promeruerat, ut esset talis vita, quæ illuminari posset, ita nec cum jam esset promeruit te, ut illuminaretur ... ut et quodcumque vivit, et quod beate vivit, non deberet, nisi gratiæ tuæ » etc. Et c. IV, n. 5. « Quid ergo tibi deesset ad bonum, quod tu tibi es, etiamsi ista, vel omnino nulla essent, vel informia remanerent » etc. et l. XI *de Civit.* c. XI. « Angeli, simul ut facti sunt, lux facti sunt : non tamen ita tantum creati, ut quoque modo essent, et quoquo modo viverent; sed etiam illuminati, ut sapienter, beateque viverent. » Eadem reperies c. IX, et serm. II enar. *in Ps.* LXX, n. 5, sed et duplicem hujusmodi actionem, ac duplex beneficium distinguit in homine l VIII *de Gen. ad lit.* c. X, n. 23. « Sicut operatur homo terram, non ut eam faciat esse terram, sed ut cultam, atque fructuosam; sic Deus hominem multo magis, quem ipse creavit, ut homo sit, eum ipse operatur, ut justus sit » etc. et paulo infra « Qua locutione dicitur homo operari terram, quæ jam terra erat, ut ornata, atque fecunda sit; ea locutione dicitur Deus, operari hominem, qui jam homo erat, ut pius sapiensque sit » etc. Secundam hanc autem actionem, operationemque novum esse, ac speciale beneficium, quæ his subjicio, præcipue probant : l. LXXXIII *quæst.* q. LXVII, n. 4. « Ipse homo, inquit, cum jam signaculo imaginis, propter peccatum amisso, remansit tantummodo creatura: et ipsa itaque creatura, id est, ipsa, quæ nondum vocatur filiorum forma perfecta, sed tantum vocatur creatura, liberabitur a servitute interitus. » Quem locum sanc. ipse doctor l. I *retract.* c. XXVI, « non ita accipiendum esse monet, quasi totum amiserit homo, quod habebat imaginis Dei. » Quid autem amiserit videamus; et an supra hominem sit. « Amisit perfectionem illam, qua factus est ad imaginem Dei, » inquit l. I *de Gen. cont. Manich.* c. XVIII, n. 29. hoc est, donum illud, quod rationem imaginis maxime perficiebat : cujus pars erat id, de quo epist. nunc CXL antea CXX *ad Honoratum* c. XXIII, n. 50, scripsit his verbis : « Creaturæ rationales ipsius creatoris fiunt participatione meliores, cum ei cohærent purissima, et sanctissima charitate : ipsa autem charitas, non per vires nostras, id est, humanas diffunditur in cordibus nostris, sed sicut dicit Apostolus, *per Spiritum sanctum* » etc. Tum ep. CCXVIII, olim vero CCVIII *ad Palatinum*, n. 2, recole quæ citavimus ex l. XII *de Civit.* c. IX. Sed in hoc insistamus, quod est amissum : « De limo enim factus, et amissa beatitudine in miseriam jure projectus est, » ait serm. XXXIII *in Psalm.* CXLIII. c. V, n. 4, luculentius autem l. VI *de Gen. ad lit.* c. XXXVII. « *Renovamini autem spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, eum, qui secundum Deum creatus est, in justitia, et sanctitate veritatis.* Ecce quod perdidit Adam per peccatum. In hoc ergo renovamur, secundum id, quod amisit Adam, id est, secundum spiritum mentis nostræ... Dicit item Apostolus, *expoliantes vos veterem hominem, cum actibus ejus, induite novum, qui renovatur in agnitionem Dei, secundum imaginem ejus, qui creavit eum.* Hanc imaginem in spiritu mentis impressam perdidit Adam per peccatum, quam recipimus per gratiam justitiæ. » Et rursus de hac perfectione imaginis deperdita l. III *de peccat. mer. et rem.* c. VII, n. 9. « Non enim advertunt eo quousque, fieri filios Dei, quo esse incipiunt in novitate spiritus, et renovari in interiorem hominem, secundum imaginem ejus, qui creavit eos, » l. *de spir. et lit.* c. XXVIII, n. 48. « Ipsa imago Dei renovatur in mente credentium, per testamentumn novum, quam non penitus impietas aboleverat : nam remanserat utique id, quod anima hominis nisi rationalis esse non potest... Nam et ipsi homines erant, et vis illa naturæ inerat eis, qua legitimum aliquid anima rationalis et sentit, et facit: sed pietas, quæ in aliam vitam transfert beatam, et æternam, legem habet immaculatam, convertentem animas, ut ex illo lumine renoventur, fiatque in eis, signatum est, super nos lumen vultus tui, Domine, » etc. vis, et facultas naturæ non deperdita est per peccatum, sed lumen superadditum: de quo, et de aliis omnibus, quibus perfectio divinæ imaginis, per peccatum amissa, continebatur, hoc ultimum habe ex lib. *de Præd. Sanct.* c. V, n. 10, super illud Apostoli, « *Quid autem habes, quod non accepisti* etc. In hac, inquit, Apostoli evidentissima intentione, quæ contra humanam superbiam loquitur, ne quisquam in homine, sed in domino glorietur, dona Dei naturalia suspicari, sive ipsam totam, perfectamque naturam, qualis in prima conditione donata est, sive vitiatæ naturæ qualescumque reliquias, nimis, quantum existimo, absurdum

est etc. sit gratia naturæ attributa, qua sumus animantia rationalia, discernimurque a pecoribus; sit etiam gratia naturæ adtributa, qua in ipsis hominibus a deformibus pulchri, vel ingeniosi discernuntur a tardis ac si quid ejusmodi est : sed non se ille, quem coercebat Apostolus, adversus pecus inflabat, nec adversus hominem alterum, de aliquo naturali munere, quod inesse posset, et pessimo; sed aliquod bonum. quod pertineret ad vitam bonam, sibi non Deo tribuens inflabatur etc. Ut enim sit naturæ, fidem posse habere, numquid et habere? Posse habere Fidem, sicut posse habere Caritatem, naturæ est hominum : habere autem Fidem, quemadmodum habere Caritatem, gratiæ est fidelium. » Hæc sane ita clare supra naturam, etiam innocentem, naturaliaque omnia bona fidem efferunt, caritatem, et quidquid ad cœlestem beatitudinem confert, ut explicatione non egeant.

Sed nec minus clare loquuti, qui post ipsum floruerunt. Cœlius Sedulius presbyt. *Op. Pasch.* l. III. « Et quod solus habet, » etc. quem locum soluta oratione exponit l. II, c. XI ab iis verbis. « Orandum docuit Patrem,» etc. Nilus Ab. orat. VII *de inani glor.* « Cur Dei gratia, tanquam propria possessione, te jactas, » etc. Cyrillus Alexandr. *Thes.* l. IV, c. I. « Angeli sancti quidem sunt participatione, et gratia, etc. De hominibus vero » operis ejusdem l. III, c. I. « Non ambiguum est, homines gratia, et dono, unum esse cum Deo, etc. non naturaliter Deo conjungimur, sed gratia, et charitate, » etc. cap. II, « si secundum vos, aliqua filius Dei de causa exaltatus, et oleo exultationis unctus est; si causa illa non fuisset, non esset quod est : et ita non esset natura Deus, sed per gratiam, nec natura filius, sed per gratiam, etc. Nulla igitur esset inter ipsum, et nos differentia, quippe, et dii, et filii Dei per gratiam vocamur, et oleo exultationis ungimur, » etc. l. V, c. VII. « Sicut Deus, quamvis creator noster sit, pater tamen etiam per gratiam fit, » etc. lib. VII, c. XV. « Creatura serva est, et Creator Dominus : sed creatura quoque Domino suo conjuncta a propria conditione liberatur, et in meliorem traducitur, etc. Servi nos Dei sumus secundum naturam, ipse Dominus... si ergo nos per gratiam dii, et filii Dei sumus; erit Verbum Dei, cujus gratia dii, et filii Dei facti sumus, re ipsa vere filius Dei. Non enim potuisset, si per gratiam ipse quoque Deus esset, ad similem gratiam nos exaltare. Non enim potest creatura, quod a se non habet, sed accepit a Deo, aliis, propria potestate, donare, » etc. Lib. IV *de Trinit.* « Descendit Filius Dei, ut hoc, quod natura est servile, et factum, hoc est nos, in gloriam, quæ sibi soli, et proprie inest, deduceret, filios Dei efficiens, etc. Nos ipse provehit ad dignitatem supra naturam. Nos, propter illum, super nos ipsos, gratia ejus, qui nos honorat, naturæ propriæ mensuram transilimus, etc. sortiti fraternitatem, et cognitionem ejus in naturalem, non substantialem, sed æternam, et secundum gratiam, etc. Nam, ut homo secundum naturam est rationalis, sed non jam dives accipit, ut externum, et adventitium, ditationem, » etc. lib. *in Evang. Joh.* c. IX. « Creatura vero non sic, sed accipit quod non habet : illuminatur ut tenebræ deforis gratiam acquirens : largitoris misericordia hujusmodi dignitatem consequitur, etc. c. XIII. Participes enim ipsius facti per Spiritum, et suo signati sigillo, ad similitudinem ejus, etc. c. XIV. Qui ad fidem Christi in adoptionem filiorum vocati sunt, humilitatem naturæ suæ deposuerunt, et honorantis Christi gratia, quasi splendida induti purpura, ad supernaturalem dignitatem ascendunt, etc. servis nobilitatem Domini ex charitate largitur, etc. Divinam participamus naturam : non solum quia gratia ad supernaturalem gloriam evolamus; verum etiam, quia Deum inhabitantem possidemus, » etc. Eadem, ac fere iisdem verbis docet l. II, c. III, XXIX, LXIX, LXXIII, CXXXIV, CXLI, lib. III, c. XX, XXIX, lib. IV, cap. I, denique liber est nullus in his commentariis. ex quo illustre aliquod testimonium in hanc rem proferri non possit : legendum vero præcipue libri X, c. XXIII, ab iis verbis. « Quid autem majus, quid clarius, quam Christi amicum et esse, et appellari? Excedit hæc certe dignitas naturæ humanæ terminos, etc. ad supernaturalem gloriam nos Dominus redigit, non servos, sed amicos appellans, etc. eos, qui servi natura sunt, ad liberam amicorum dignitatem perducit, « etc. Vide etiam l. XI, c. XVII, et lib. IV *de Trinit.* lib. VIII, et IX *cont. Julian*, l. IV *in Esai.* orat. II, l. VII *Thesaur.* c. IV, lib. VIII, c. I, lib. XIV, c. I. Denique lib. III, IV et VII *dialog. de Trinit.* Proclus Costant. in epist. *ad Armen.* ab iis verbis, *Apostolus multas quidem species virtutis*, etc. Petrus Chrysologus ser. CVIII ab iis verbis, « *Adoptatum se tunc stupuit in filium*, etc, serm. LXX, *servos dominum patrem*

vocare, etc. item serm. LXXI et LXXII. Eucherius senior in epist. paræn. *ad Valer.* ab iis verbis, *rerum dominus te in adoptionem vocat*, etc. Basilius Seleuc. orat. VI *in Noem.* « Dei filius vocatus est Angelorum nullus, » etc. Prosper Aquit. c. XXVI *cont. Collat.* « Naturæ, inquit, humanæ cujus Creator est Deus, etiam post prævaricationem, manet substantia, manet forma, manet vita, manet sensus, et ratio, cæteraque corporis, atque animi bona, quæ etiam malis, vitiosisque non desunt, sed non in illis veri boni perceptio est : quæ mortalem vitam honestare possunt, æternam conferre non possunt. » In hac eadem sententia vide, et c. XIX ab iis verbis, « Naturæ humanæ in illa universalis prævaricationis ruina, » etc. c. XXI. Si enim nec ad ista terrena ordinanda rationalis animi vigeret ingenium, non vitiata esset, sed extincta natura, » item carmine *de Ingratis* c. XXXXI. « Quæ, licet, etc. Non tamen ad veram possunt perducere vitam, » et præterea in respon. ad IX *object. Gallorum*, « Neque hæc dona, inquit, ita ex Deo esse opinemur, ut, quia ipse naturæ nostræ auctor est, per conditionem jam hæc contulisse videatur, » etc. loquitur de iis virtutibus, quæ ad cœlestem beatitudinem obtinendam conferunt. Nominatim autem fidem eximit ab omni jure naturæ in *respons. ad* III *prim. dub. Vicent.* ab iis verbis, *Qui Fidem ad Dei munera non putat pertinere*, etc. Charitatem c. XXX *cont. Collat.* ab iis verbis, *quæ in omnium est arce virtutum*, etc. Denique « de justitia, temperantia, continentia, benevolentia, non quæ temporalem habent de vana laude mercedem, sed quæ ad illam beatarum virtutum pertinent veritatem, » lege caput XXVIII. Eosdem exprimit sensus auctor librorum *de Vocat. Gent.* et epist. ad *Demetriadem*, quæ duo opera unum, eumdemque auctorem habere certius est, quam quis ille sit : lege libri I, c. II ab iis verbis. *Omni animæ humanæ*, etc. nec non c. III, IV, VII et in epist. « Quæ de thesauris sponsi, per sancti Spiritus pignus accepit, » etc. item, « Hujus igitur boni proprietas, » etc. Theodoretus de sanctitate, et justitia in epist. I *ad Timoth.* ad illa verba V, 2. *Tu autem, o homo Dei*, etc. in epist. *ad Ephes.* V. 13. *in quo et credentes signati estis* etc. lib. *de curand. Græc. affect.* serm. III *de Ang.* » Nos vero Spiritum sanctum, » etc. in *Auctor*, dialog. IV *adversus Macedonian.* « Sed dices, majus est igitur Filio Spiritus sanctus, » etc. dialog. VI *adv. Apollina.* « Unusquisque sanctorum eatenus templum factus est, » etc. Quantum vero ad adoptionem in *Psalm.* XVIII, V. 6 et 7. « Omnes quidem homines natura Dei sunt servi, » etc. orat. X *de Provid.* « eos in filios suos adoptavit, qui ne servire quidem, » etc. in epist. *ad Hebræ.* c. II, V. 2. « Unum habemus Patrem, et nos, » etc. in epist. *ad Galat.* c. VI, V. 28 *ad Ephes.* c. I, V. 5 *ad Rom.* c. VIII, V. 14 lib. *de curand. Græcorum affect.* serm. II *de Fine, et Judicio*, et alibi passim alia æque clara, et perspicua. Salonius dialog. *in para.*, *Salom.* « Sicut divisiones gratiarum Angelis, et hominibus, » etc. Leo Magn. serm. I *de Nativ.* « Agnosce, o Christiane, » etc. et serm. VII. « Omnia dona excedit hoc donum, » etc. Maximus Taurin. homil. habita in solemnit. S. Micha. « Angeli vestiti videntur esse, quod sancti sunt. » etc. Claudianus Mamercus lib. I *de stat. anim.* cap. XIV, « eodem dono bonus est homo, quo bonus est Angelus, » etc. Gelasius Cyzicenus par. II, act. Conc. Nic. cap. XVI n. 101. « Per prædictas res divinas, quas Deus in homine reposuit, dicens, *Faciamus*, » etc. at c. XVIII, n. 110. « In homine Deus ab initio creatam sapientiam reposuit, ac sinceram sui charitatem impressit, » etc. Gennadius ipse lib. *de Eccl. dogm.* cap. LVIII. « Angeli, qui in illa, qua creati sunt, beatitudine perseverant, non natura bonum possident, » etc. Gelasius I, epist. V *ad omnes Episc. per Picen.* « Angelus a divina, qua illustrabatur, gratia, et participatione delapsus, » etc. Procopius Gazæus in cap. II *Gen.* « Satis liquet hominis naturam primo fuisse justitia, et virtute insignem..... verum cum non solum necesse esset (ad salutem) ut ista inhærerent homini, sed et Spiritum sanctum accedere oporteret, quo homo responderet divinæ naturæ characteribus, merito ei inspiravit vitæ spiraculum. Sed illud nihil aliud vocaveris, quam Spiritum sanctum, per Filium rationali creaturæ infusum, etc. Sanctificatus est itaque homo per illam inspirationem, verum eam amisit, » etc. Alcimus Ecdicius epist. I. « Humanus spiritus creatione inchoatur, divinus autem benignitate conceditur, » etc. Fulgentius de scientia, et fide ep. II *ad Ferrand.* cap. III, n. 8. « Fides, quam non Spiritus divinus confundit, » etc. apud eumdem cp. XVI quæ est *Petr. diac.* c. VI. num. 18, « sine hac igitur gratia potest quidem cogitare, et desiderare humana, » etc. Fulgentius ipse lib. *de Inc. et Grat.* cap. X, num. 40. « Eodem spiritu, etc. cap. XXI,

n. 42. Nullus est, qui naturaliter possit credere, » etc. cap. XXII, n. 43 et 44. « Cum autem dicimus, neminem posse in Deum credere, nisi per gratiam Dei, » etc. « Ita fit, ut homo fidem habere possit, sed eam, nisi ex dono Dei habere non possit. Non enim consequens est, ut omnia, quæ habere non possumus, etiam a nobis habere possimus, » etc. De sanctitate autem, et justitia, de caritate salutari epist. VI *ad Theod, Senat.* c. VI n. 8. «Non hoc homini dat natura, sed gratia : non hoc ex qualitate conditionis humanæ habetur, » etc. l. I *de verit. Præd. et Grat.* c. XXI, n. 44. « Quemadmodum de continentia scriptum est, quia *nemo potest esse continens, nisi Deus det*, » etc. item n. 46. « Nec autem revelatio, » etc. et l. II. c. IX, n. 15. « Quoniam igitur Deum charitatem esse, » etc. lib. vero *de Fide ad Pet.* cap. III. num. 28. « Indefessa, et in quantum creaturæ Angelicæ gratis datum est, perfecta dilectione, « etc. Denique de divina adoptione l. III *ad Monim*, cap. VIII « Nos autem, quod dii, quod filii, quod geniti sumus, non natura, sed gratia sumus : quia cum in natura non haberemus, ut hoc esse possemus, gratis,» etc. lib. *cont. Arian.* in resp. ad object. IV. « Non ex gratia donationis possedit: quod enim nascitur, connexum est genere, quod vero adoptatur, sola provehitur largitate, » etc. Itidem l. *ad Trasim.* cap. IV. « Etenim in filii Dei, » etc. ep. XII *ad Fer.* cap. III, num. 9. « Isti ergo dii eam gratiam acceperunt,» etc. ep. XIV, num. 26 in resp. ad III quæst. « Sed hæc dicimus de sanctis Angelis, atque hominibus sanctis: quorum quilibet sic divinæ adoptionis gratuito munere, » etc. ep. XVII *ad Petrum. diac.* c. XVII, n. 15. « Christi Filii Dei prima nativitas » etc. Denique lib. *de Incarn. Filii Dei* n. 12. « Pater, et Filius ad dilectorem suum, » etc. Primasius in epist. *ad Rom.* c. V, v. 2, » in sola Dei virtute est, ut homo in filiorum Dei munere, » etc. Junilius comment. *in Gen.* c. I, v. 26. « Creatus est ergo Adam, ut esset justus, sanctus, et humiliter adhærens gratiæ sui Conditoris, » etc. Joannes Climacus *Scholio* IX ad gradum XXX « Alia est charitas animæ naturalis, et alia, quæ ex Spiritu sancto illi insinuatur,» etc. Item de aliis virtutibus *schol.* LIV et *scalæ gradu* XXVI, n. 54. Anastasius Sinaita l. VI *anag. contemp.* « Qui Deum habent in se inhabitantem, » et lib. X. « Adam lucidum, Deiformem, » etc. ex gratia,» etc. Gregorius Mag. de Fide, aliisque donis supernis, quibus ornata est primi hominis mens l. V in cap. IV. *Job.* cap. XXXIV, n. 61. « Humana quippe anima primorum hominum, »etc, l. XI, in. c. XIII, c. XXIV, n. 58 et cap. XLIII, n. 59. « Exclusa mens a luce veritatis, » etc. lib. CCC, in c. XXXVIII, c. III, n. 10. « Supernæ sapientiæ gratiam quis infundit, » etc. tom. II, l. III, *Dialog.* c. I. « Postquam de paradisi gaudiis,» etc. tom. III, par. II, in I *Psalm. pœnit.* si tamen eorum comment. est auctor, v. 7, n. 7. « Humana natura ad imaginem primitus, » etc. Item *in Psalm. pœnit.* III, v, 10 et *in Psal. pœnit.* V, v. 12. Idem de charitate salutari in Deum tom. I, l. VIII, in c. VII *Job.* c. X, n. 19. l. XVIII, in cap. XXVIII, *Job.* c. XXVI, n. 42. « Quisquis ab hac unitate, » etc. l. XXVIII, in cap. XXXVIII, c. XXII, n. 46. « Dominus per inspiratæ charitatis, » etc. libro II *in Ev.* hom. XXX, n. 1. « Ipse namque Spirit. sanct. amor est, » etc. hom. XXXVIII, n. 9. « Quid ergo debemus intelligere, » etc. de sanctitatis, et adoptionis dono l. VIII, in cap. VII *Job.* c. VIII, n. 13. « Deo unita per Spiritum, quasi hoc ipsum, quod creatura est, transisse, ac subegisse declaratur, » etc. lib. XXIV in c. XXXIII, c. VII, n. 13 ad illa verba ver. XXVI: *Et reddet homini justitiam suam*, etc. l. I in *Ezech.* hom. VI. « Quid enim hac potestate altius » etc. et par. II *Regul. Pastoral.* c. III. « De hac quippe nobilitate spiritus » etc. in VII *Psalm. pœn.* « Quid nobilius generatione divina? » l. I in I *Reg.* c. III, n. 6 ad illa verba v. 2. *Non est sanctus, ut est Dominus* etc. Isychius Presb. Hier. l. II *in Levit.* c. VIII, v. 10 in quo « de sanctificatione Angelorum : » item Georgius Pisides in opere sex dierum. Isidorus Hispal. l. I *sent.* cap. XII. « Distat conditio Angelica a conditione hominis » etc. l. II, c. V « confessionem hominis non esse humanæ virtutis » etc. l. VII Origin. c. III. « Spiritus sanctus proprie charitas » etc. Quod idem testatur de Angelis Sophronius Constant. orat. *in Christ. natal.* n. 2 et orat. *de Angelis* num. 1, 5, 8. Maximus Ab. et Conf. Cent. I, cap. LXXVI « solius divinæ gratiæ proprium » etc. in eamdemque sententiam pergit c. LXXVII et LXXVIII ac subinde XCIV, XCV, XCVI, XCVII Centuria II, cap. VIII. « Fides est habitudo effectrix supernaturalis etc. c. XX. Cum naturæ, et gratiæ non sit eadem, atque una ratio etc. c. XXVI. Naturam donata sibi scientia vacuam etc. c. XXVII. Deus, cum naturam humanam conderet etc. c. LXXII. Differentiam virtutum a natura manantium, et earum, quæ profi-

ciscuntur a Spiritu, quarum gratiam pro munere suscipimus » etc. centur. IV, cap. XII. « Nec divina gratia parit etc. c. XIII. Neque gratia sanctissimi Spiritus » etc. præterea cap. LXX, LXXXIV, LXXXVII, XCIV, XCV et cent. V, c. XIII, XIV, XVIII, XXIX, XXX, XXXI, XXXII, XLI, XLII, XCIX. Ildefonsus Tolet. in serm. *de perpetua Virgin. Item* Julianus Tolet. l. I ἀντικειμένων in resp. ad inter. XIV. In *Naum. Proph.* num. 13 et 48. Aldhelmus Saxon *de laud. Virginit.* c. V. Beda *de Fide* hæc habet : tom. V, cap. I *in Evang. Jo.* pag. 527. « Sancti non plenitudine » etc. tom. VI eadem ferme multis in locis, sed præcipue in ep. *ad Rom.* cap. XI, pag. 281 *ad Eph.* cap. III, pag. 786 in *Evang. Luc.* lib. V, cap. XVI et in *Evang. Jo.* c. I. Quorum similia *in Psalm.* XXX, pag. 582, 52, pag. 708, 79, pag. 867, 116, pag. 981, 113, pag. 998, 120 de charitate, aliisque virtutibus, quæ rationalem ditant hominis appetitum tom. II lib. *de rat. temp.* cap. XLVIII. « Sicut luna, et stellæ » etc. tom. IV, l. III *expos. in Job.* c. VI. « Ventum calidum a Meridie » etc. tom. V in ep. *Joh.* c. III. « Dubitandum non est Angelos » etc. tom. VI in ep. *ad Rom.* c. III. « Dicimus latere animæ originem » etc. *ad Galat.* cap. IV. « Neque enim absurde dicitur » etc. tom. VIII in *quæst. super Gen.* « Omnes sancti per eamdem gratiam » etc, in *templum Salomon.* c. XVIII. « Quoniam omnia virtutum dona » etc. Jo. Damascenus l. II *de Fide ortho.* c. III. « Per verbum igitur Angeli omnes creati sunt, et a sancto Spiritu per sanctificationem perfecti etc. aliunde, quam a sua naturæ sanctitatem habent, nimirum a Spiritu sancto. » Eadem *de primo homine* c. XI et XII. Distinctius *de Fide*, aliisque, quæ mentem perficiunt l. I *de Fid.* c. I. « Spiritus sanctus perinde novit, » etc. tom. II *in sacris Parallel.* tit. IX l. VI. « Postea quam, velut ex Agyptia Agar » etc. *In Eclog.* vero, seu in aliis *Parallel.* tit. IV lit. a. « Quæ ad voluntatem l. II *de Fid.* c. XXX « vitium non est aliud » etc. l. III, c. XIV. « Naturales virtutes sunt » etc. in *Sacris Paral.* lit. III, tit. I. « Homo, cum consummatur » etc. tit. IV, lit. a. « Caritas erga Deum » etc. Adrianus Papa I in ep. *ad Ep. Hisp.* in qua de divina adoptione ; et Paulinus Aquileiensis in sua pariter epist. de eadem adoptione : « adoptivus dicitur, cui nihil a patre adoptante debetur, sed gratis » etc. Freculphus *Lexovien. Chron.* tom. I, cap. III « inter imaginem, et similitudinem hoc distat » etc. Paschasius Ratbertus l. III *in Matth.* « Similis autem, vel perfectus, non ex proprietate sui, sed ex gratia divinæ largitatis » etc. Christianus Druthmarus *in Matth.* cap. XII. « Duobus modis est nobis pater Deus » etc. Angelomus Luxoviens. in lib. III *Reg.* c. VI. « Rex noster pacificus et Angelos, atque animas » etc. Remigius Antissiodorensis in *Psalm.* IV, v. 7. « Signatum, id est, sigillatum, et in ipso sigillo Spiritus sancti » etc. Leo sapiens imperat. orat. *in domin. Resur.* apud Combefisium VII apud Gretserum II. « Cecidit e cœlo Lucifer » etc. item epist. *ad Regem Sarac.* apud Baronium tom. X an. Christi 911 et prima earum XX orationum, quæ in Biblioth. Vaticana adhuc M. S. asservantur, hoc titulo inscripta, *In Spiritum sanctum, quod propria auctoritate adoptionem filiorum Dei hominibus largitus est.* Radulphus Flaviacensis in præfat. lib. XVI *in Levit.* et libro ipso XVI, cap. IV, lib. XII. c. I, lib. XX, cap. V. Odo Cluniac. lib. II *in Jol.* num. 6 Dei « filii electi Angeli » etc. l. XXVIII, n. 7. « Quia primi Angeli conditi sunt » etc. lib. IV, n. 13. Ad « hoc homo in Paradiso » etc. l. VIII, num. 17. « Hominem Deus magnificat, » etc. Anselmus lib. *de conc. grat. et lib. arb.* cap. VI, q. III probat hominis « voluntatem, non posse velle credere, nisi accepta rectitudine ex gratia. » Id ipsum tradit de charitate *Medit.* IX et XI, orat. LXVI. Clarius vero in lib. *de casu diab.* c. I, III, XIV, XVIII de justitia lib. *de conc. præsc. et lib. arb.* q. I, c. VI. « Justitia vero non est naturalis » etc. lib. *de pec. orig.* c. X. « Dedit illi Deus hanc gratiam, ut, sicut etc. gratiam, quam de se propagandis servare poterat perdidit » etc. Rupertus lib. I *Comment. in Gen.* c. XII, l. II, c. IV et VI Bernardus l. V *de Consid.* c. V, n. 11. « Hæc omnia contulit illis spiritibus ipso, qui condidit illos, unus, atque idem summus Spiritus, dividens singulis, prout voluit » etc. pergitque enumerando ea bona. Idem præclare ad rem præsentem de imagine, et similitudine Dei, quæ est in homine serm. I *Annunt.* n. 7 et lib. *de grat. et lib. arb.* c. IX et X præclare etiam de charitate ep. XI *ad Guic.* num. 4 et tract. *de dilig. Deo* c. XII, n. 31. Petrus Cellensis l. *myst. exp.* « Rupto fœdere societatis Angelicæ in alium se tendens venas gratiæ in se rupit. »

torum.

Theologi de schola a nobis sunt plane omnes, ut adversarii ipsi fatentur. Imo vero eorum non pauci, hominem, non ubi primum conditus est, sed post aliquanto sanctitatem,

justitiam, et alia gratiæ dona accepisse dicunt: de quo vide Suarium lib. III *de opere sex dierum* cap. XVII, a n. 5 qui eos omnes recenset, ac pro iis etiam affert Augustini testimonium ex lib. II *de Gent. cont. Manich.* cap. VIII, n. 10 « animalem nempe adhuc fuisse hominem, quando Deus in eum insufflavit spiraculum vitæ, factum autem spiritualem, cum in Paradiso, hoc est, in beata vita constitutus præceptum perfectionis accepit. » Quo quidem testimonio usus non sum, quod illi non multum tribuerem, cum sanc. ipsemet doctor Apostoli mentem eo in loco non se assequutum fateatur I *Retract.* cap. X, n. 3 et, ut assertionem meam sustinerem, necesse non esset, sanctitatem, aliaque superna bona primo homini collata, a creationis, et naturæ bono etiam tempore distinguere; alia autem mihi multa suppeterent tum apud Augustinum, tum apud omnes sacros scriptores, quibus in iis bonis rationem inesse beneficii specialis ac veræ et theologicæ gratiæ luculentissime ostenderem.

§. III.

Itaque ad primum respondeo, cum Augustinum, tum Anselmum, pro duplici naturæ statu, quem iis in locis spectasse potuerunt, dupliciter quoque esse accipiendos: ut vitium quidem sit naturæ rationalis in utroque statu Deo non adhærere per charitatem: ita tamen ut, si ad finem supernaturalem olim evecta sit; vitium ipsius sit, ea charitate carere, quæ illius est ordinis, ad eumque finem conducit; sin vero eo loci, ac dignitatis evecta non sit; vitio ipsi vertatur, si charitatem non habeat, quæ naturalis est ordinis, ac beatitudini itidem naturali promerendæ non impar. Porro sic esse explicandos hos Patres, aut, utcumque explicare libuerit, ita certe intelligendos, ut dubium non sit, quin sanctitatem, et charitatem, quibus ditatus est Adam, supra propriam, naturalemque hominis conditionem extulerint, manifeste illa probant, quæ supra ex ipsis citavimus: quibus ex Anselmo, quoniam quod *Monolog.* cap. LXVIII nobis objectum alicui fortasse plusculum negotii facessere possit; hæc etiam adjicimus, quæ scripta sunt *de concord. præsc. cum lib. arb.* q. III, c. III his verbis. « Sequitur itaque, quia nulla creatura rectitudinem habet, quam dixi voluntatis, nisi per gratiam.... si autem voluntas per liberum arbitrium, servando quod accepit, meretur aut augumentum acceptæ justitiæ, aut etiam potestatem pro bona voluntate, aut præmium aliquod; hæc omnia fructus sunt primæ gratiæ, et gratia pro gratia: et ideo totum imputandum est gratiæ, quia neque volentis est, quod vult etc. Omnibus enim, excepto solo Deo, dicitur: *quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti*» etc. Horum simillima leges c. IV et V.

Ad secundum respondeo Augustinum ita loquutum ex præsentis providentiæ legibus, quibus natura hominis, quæ rationis est particeps factaque ad imaginem Dei ad finem supernaturalem evocatur, ipsique divinæ sanctitatis, atque adoptionis bonum ea conditione promittitur, atque obligatur; ut ne quo teneatur, vel proprio, vel alieno peccato: propterea frequens est apud Augustinum illa sententia, « Peccata sola separant inter homines, et Deum. » Imo vero in his ipsis locis nobis objectis, non alias affert rationes, quam, quod « ambolus eadem est causa communis: » quod « cum impedimentum potestatis divinæ, non referatur ad meritum voluntatis humanæ, certe nulli eorum dicere potest, volui et noluisti: quod non condemnat Deus, nisi spretus, et in parvulis eum spretum non invenies, nisi eos invenias in Adam: quod hoc beneficium a se non prohibet voluntas contraria parvulorum: » quæ non rerum ipsarum natura, sed Dei decretis nituntur. Quod si velis Augustinum res ipsas, non decreta sequutum, et homini, ut homo est, seclusis his etiam divinæ providentiæ legibus, debitam putasse sanctitatem et adoptionem; jam acerrimum illum divinæ gratiæ propugnatorem, ac vindicem, quem omnis ecclesia, quem vos ipsi tantopere prædicatis, Pelagio ipso nequiorem facias: quippe qui gratiam multo vilius atque abjectius, quam Pelagius, habeat: contra vero de natura longe altius, et magnificentius sentiat. Nec vero naturæ humanæ jura, supra propriam duntaxat hominis conditionem, extollat; sed eo perducat, ubi id homini debeatur, quod Augustini ipsius, atque adeo Patrum omnium clarissimis testimoniis, ne Angelis quidem ipsis, aut ulli multo perfectiori atque excellentiori naturæ, quæ condi unquam possit, debitum est. Pugnat igitur ibi Augustinus non ex natura ipsa rei, sed ex præsentibus divinæ providentiæ decretis, nec nobis ullo pacto adversatur.

DISPUTATIO A RATIONE.

§. IV.

Idem de charitatis præsertim, et justitiæ donis, nec solum permanentibus, sed etiam transeuntibus, atque avolantibus, ita disputant: Homini, ut homo est, inquiunt, ista debentur, quia sine his opibus, ac præsidiis Deum auctorem suum diligere non potest: imo nec quidquam recte et laudabiliter agere: quod alterum probant.

Primo, quia omnis actio, quæ ex charitate non est, prava, inhonesta, turpis est.

Secundo, quia homo, sine charitate, cupiditatibus suis resistere nequit.

§. V.

Sententiæ nostræ, quæ quatuor sunt præcipuæ rationes, breviter ita perstringo. Primo, homo natura sua Dei servus est, et valde quidem humilis, et abjectus, ac prorsus infimæ sortis: potest igitur rex ac Dominus, sine ulla injustitiæ nota, eum non adoptare pro filio. Secundo, possibile est, Deum homini etiam innocenti conferre bonum aliquod, quod ipsi non debeatur, quoque illum, supra propriam ipsius conditionem, evehat; at, si quid hujusmodi possibile est, id certe est, ut sapiens quisque concedet, quod est *Psalm.* LXXXI, 6. *Ego dixi, dii estis, et filii Excelsi,* etc. Id igitur homini, nec innocenti, debetur, eoque supra propriam hominis conditionem adsurgit. Tertio, si supra hominem, ut homo est, ista non essent, nihil vere, et proprie doni supernaturalis, ac theologicæ gratiæ rationem haberet, nisi sola hypostatica unio: cum igitur id a communi catholicorum sensu abhorreat, et Scripturis, conciliis et Patribus contrarium sit, ut alibi liquido constabit, consequens est, ea plane supra hominem esse. Quarto e sanctitatis atque adoptionis dono nexa est cœlestis beatitudo, *nam si filii, et hæredes*: cum igitur perfecta illa felicitas vere sit gratia, et donum supra naturam, non hominum modo, sed etiam angelorum, et, si quid condi potest angelis ipsis præstantius, ut artic. seq. ostenditur; de sanctitate, et adoptione, id ipsum dici necesse est: imo de iis etiam divinæ gratiæ auxiliis, quæ nuper adversarii videbantur attingere, cæterisque adjumentis omnibus, quibus primo homin promptum, atque expeditum erat justitiam, ac Deum ipsum diligere: eumque fide, spe, charitate salutariter colere. Si enim homini non debetur Dei visio, neque id debetur, quo tradito, in ejus potestate sit illa visio: nam finis, et ea, quibus mediis, finis obtinetur, quantum ad hoc, sunt in eodem ordine: ac, si non essent ex ipsa rei natura, essent tamen adversariorum concessione; quippe apud ipsos meriti, ac præmii naturæ integræ est ratio eadem: et utrumque fundamentum habet in ipsa natura; cui ideo negari posse nolunt eas opes, et facultates, quæ ad visionem hanc obtinendam sunt necessariæ; quia ejusmodi esse naturæ ipsius conditionem putant; ut ei finis ille sit necessario propositus, neque ab illo, nisi culpa sua, excidere queat.

Id vero ita etiam constabilio et confirmo: certum est enim, et ab Ecclesia jampridem statutum, contra Pelagium, hominibus in præsenti statu naturæ lapsæ Dei gratia opus esse, non ideo tantum, ut, quod pertinet ad salutem, agere possint facilius, sed ut plane possint. Constat autem ex hactenus dictis, homini, ex primo peccato, laborem quidem additum, et difficultatem, non vero agendi virtutem, et facultatem ademptam, quæ propria quidem sit hominis: ergo, si modo non ex se ipsa, sed ex Jesu Christi gratia habet non solum, quo vincat hujusmodi difficultatem, sed quo plane possit salutariter operari; consequens est, id ipsum ex sese plane non potuisse ab initio, atque ita salutarium actionum virtutem, facultatemque gratiæ donum esse, non naturæ proprietatem.

§. VI.

Itaque adversariis respondeo, non posse quidem hominem solis naturæ opibus Deum, justitiamque diligere, sicut oportet, ut perfectam, et supernaturalem beatitudinem assequatur; posse tamen ita diligere, uti oporteret in alio rerum statu, atque ordine, ut beatitudinem aliam acquireret naturalem, atque imperfectam. Hujus autem secundi generis amorem in Deum, hunc honestatis, et justitiæ cultum hominis, ut homo est, proprium esse, et in ejus potestate situm, nec supernaturalibus auxiliis indigere, ita breviter ostendo: Homo, ut homo est, ex suamet inaturali conditione, liber est, suique juris, et potestatis. Id ei qui adimit, illud adimit, quo

maxime distat a brutis: animum consilii, rationisque participem, naturamque ipsam eripit: atque ex homine hominem tollit. Quod est adeo verum; ut quod est in sacris litteris, hominem factum esse ad imaginem Dei, quod naturam referri diximus art. 1, § 2 in eo positum velint antiqui Patres, quod Græci αὐτεξούσιον, nos *liberum arbitrium* nominare consuevimus. Porro libertas ista hominis, non jus est et potestas id eligendi duntaxat quod pravum sit: neque enim Dei imago recte dicatur, si malo tantum ac rebus turpibus vis ejus omnis circumscripta determinataque sit. Atque id ipsum evincunt rationes aliæ, quibus olim usi sunt Patres contra Valentinum, Manichæum, eosque omnes qui hominum genus non uniusmodi, sed longe dissimilis naturæ et conditionis esse dicebant: et alios per sese ac substantia bonos et electos, alios contra malos et reprobos. Quos omnes ita refellebant, ut dicerent, eum natura liberum esse qui is est natura, ut legibus teneri possit, in eumque recte cadant laudes, vituperationes, præmia, supplicia. Nam profecto, sicut injustum stultumque foret homini quidquam præcipere; pœnasve, aut præmia constituere, si in eo rei plane nullius sit optio libera; sic etiam injustitiæ, ac stultitiæ sit, ei honesta præscribere cujus electio deliberatioque illigata sit malo, certoque ac definito impetu rapiatur ad inhonesta. Quare solutum est homini natura sua, quod honestum est amare et amplecti: cumque lex naturalis, in qua certe injustitia, et stultitia non est, Dei et justitiæ amorem hominibus imperaret, in statu etiam puræ naturæ, quandoquidem ex sola natura, vel si nihil aliud nobis donetur, amandi Deum auctorem, servandæque justitiæ debitum atque obligatio consurgit; consequens est in nostra potestate tunc fore, nullo etiam superaddito supernaturalis gratiæ dono, Deum justitiamque diligere. Brevius id etiam ostendo ex ipsa hominis definitione: id enim est homo: animal rationis particeps: non ideo tantum rationis particeps quia quæ recta sunt potest cognoscere; sed ideo etiam quia potest appetere. Numquid enim ad id solum homini sit data ratio a natura, ut agnoscat semper se male agere? Solamne cognitionem rationis suus appetitus naturaliter sequi non potest? Aut hominis voluntas appetitus rationalis ideo tantum dicitur, quia rationi ex sese usque repugnat, ipsiusque leges ac præscriptiones proculcat? Sane, quemadmodum est absurdum, naturam cognitionis expertem appetitu innato et naturali non ferri in bonum sibi conveniens; naturam vero, quæ cognoscit per sensus, non ea prosequi appetitu animali, quæ sensibus ipsis congruunt et animanti naturæ; sic etiam absurdum, ac præter modum absonum sit, si natura, quæ ratione utitur et mente atque intelligentia prædita est, appetitu rationali eo moveri naturaliter nequeat, bonum ubi elucet naturæ rationali convenientissimum, cujusmodi est Deus ipse, et justitia? sed vide, quam plane abhorreas a communi hominum sensu. Naturam intelligentem, quæ bonum quidem sibi consentaneum agnoscere possit, amare autem, ac velle non possit, possibilem negant theologi, ac philosophi omnes. Tu contra, naturam rationis participem possibilem negas, quæ bonum sibi consentaneum, ut potest cognoscere, sic etiam possit amare, appetere, et prosequi quoquomodo. Atque ita hominis naturæ non solum aufers, et exculpis divinam imaginem, quæque cujusvis naturæ rationis participis propria sunt, eripis; sed eam rerum omnium abjectissimam, turpissimam, deterrimam, miserrimam facis. Reliquæ enim creatæ naturæ omnes, pro suo quæque modulo, aliquid conari atque agere possunt, quod aut ipsis, aut naturæ universæ conveniat. Homo vero suapte natura nihil posset, nisi tantum, quod et in ipsius perniciem cederet, naturamque universam ex se turbaret atque perverteret. Neque enim alia re ulla universitatis hujus pulchritudini utilitatique serviret, quam illa ipsa, cujus capaces non sunt naturæ rationis expertes, nempe peccato. Quo fiat, ut reliquæ res omnes Deo ipsarum auctori, quod *videat valde bonas*, complaceant: hominis vero natura ex se ipsa Deo, et honestati aversa vehementer displiceat: sitque hominis, ut homo est, sors, et conditio omnium postrema, vilissima, infelicissima. Verum hæc latius disputabimus quæst. seq. art. 1 et 2 et auctoritate sanciemus cum Patrum omnium, tum etiam Romanorum pontificum, per quos confixæ Baii theses XXXIV, XXXVI, XXXVIII quibus amor Dei naturalis negatur: item XXVII. « Liberum arbitrium, sine gratiæ Dei adjutorio, non nisi ad peccandum valet: » itemque XXVIII, XXIX, XXXVII, LXV et aliæ plures in eamdem sententiam: pro qua, quoniam duæ rationes ab adversariis nobis objectæ sunt:

Ad primam respondeo, primo in statu puræ naturæ posse hominum actiones ex charitate naturali proficisci, per eamque in Deum

referri. Secundo falsum esse, id omne in peccatis habendum, quod est a charitate sejunctum, nec refertur ad Deum. Certum est enim, ibi plures esse virtutes, ubi plures sunt ii respectus, atque rationes, quas *motiva* vulgo dicimus, et *formalia objecta*, virtutum. Ex iis quippe sua species, et forma actionibus hominum: ut si diversa sunt ista. necesse propterea sit eas quoque differre inter se. Id sane est perspicuum: at si negetur, nec ipsæ illæ actiones quas edimus, opitulante gratia, ad diversas virtutes referri jam possint: virtutumque ipsarum supernaturalium distinctio discretioque jam nulla sit, justitiæ et misericordiæ, temperantiæ et fortitudinis, obedientiæ ac religionis. Quod sane est absurdum: peccata enim ea certe, quæ cum his virtutibus per se directoque pugnant, et specie ipsa inter se distinguuntur; et in sacramento pœnitentiæ eorum propterea debet esse confessio distincta: quæ integra non sit, si, qui cujuspiam thorum violarit, is impudicitiam tantum suam, non etiam injustitiam aperiat. Stabilita distinctione virtutum, pro earum rationum distinctione, quas quæque respiciunt; jam facile ostendo plures esse honestates creatas, quas sua quæque peculiaris virtus spectare ac sequi valeat, a divina bonitate quæ charitatem movet, aliaque omni Dei perfectione ac præstantia distinctas. Cui enim, quantumvis barbaro ac rudi non sit persuasum, honestum esse et omnino ad virtutem pertinere miseris opem ferre ac benigne facere indigentibus, ea suadente, ac movente ratione; quod id nempe hominum consociatio petat, et vinculum illud rationalis naturæ quo invicem colligamur: quod consentaneum sit legi naturali et divinæ? Quis eum non putet recte facere qui debitum solvit, ea causa adductus, quod naturalis id æqnitas postulet, quæ omnium vult jura servari, et, quod suum est cuique tribui? Quis enim eum peccare qui aut legi obtemperat, quia superiori potestati ea obedientia debetur; aut Deum colit, quia is cultus accommodatus est excellentiæ divinæ? Actus hi omnes causas habent oppido honestas: atque iis moventur quæ a recti norma nihil aberrant, aut a prudentiæ regulis præscriptionibusque naturæ; sed homine, ut est rationis particeps, quæ vinculum est societatis humanæ; quaque hominis virtutes officiumque omne nititur, sunt procul dubio dignissima: qualia certe non sunt, quæ movent actus vitiosos et inhonestos. Atqui ista omnia a Deo, ejusque bonitate distincta sunt; convenientia enim illa et proportio cum natura rationali, cum jnre, cum potestate, domnioque alicujus, cum ipsamet excellentia Dei, posita est in ipsis actionibus, sicut in ipsis pariter foret defectio curvitas, distortio. In rebus igitur a Deo, ejusque bonitate distinctis varia, ac multiplex est honestas, qua duci ac permoveri rectum sit, laudabile et in virtute ponendum. Rem totam distinctius propono, et ad scholæ normam paulo exactius. Actus ille cui neque vitium est ab objecto materiali, neque ab objecto formali, neque ex modo ipso quo in alterum, propter alterum tendit, si præterea nulla lege vetitus sit; vitium plane non habet, sed est, adversariorum etiam sententia, undique honestus: esse autem hujusmodi potest, atque ita se habere actus aliquis, tunc etiam, cum Deum non respicimus, nec eum super omnia diligimus; virtutes igitur aliquæ sunt, actionesque probæ, et honestæ a charitate sejunctæ. Exemplum sit ejus actus in homine, qui stipem alicui porrigit, ut ejus inopiam sublevet, ac rem faciat naturæ rationali maxime congruam. Vitium hic non est ullum ex objecto materiali: siquidem erogatio illa pecuniæ, vel panis ex se mala non est: neque ex objecto formali: levatio enim alienæ miseriæ hominem decet quam maxime reliquis hominibus communione naturæ, et vitæ societate conjunctum: decentia autem ista, et convenientia cum rationali natura, ut est per se notum, vitio caret: et hominis actiones adeo vitiare non potest, ut hinc potius se probent, rectique, et honesti rationem exinde trahant. Sed neque in actu ipso, ejusque modo pravitas est ulla: in eo enim ponimus mediocritatem illam, qua sapientes volunt moderatam esse virtutem. At enim vitium est, inquiunt in actu illo, quia ita respicit bonum creatum, eoque ducitur; ut finem ultimum in ipso constituat: re fruatur qua solum uti deberet. Id vero liquido nego. At honestatem creatam diligit propter se. Qui tum? diligit: sed non ultimo; neque *in sensu*, ut aiunt, *exclusivo*, sic, ut amor ille in Deum referri, imperarique a charitate non possit. Imo ejusmodi est amor ille creatæ honestatis, ut et facillime possit cum Dei amore componi, et in hunc ipsum amorem natura sua plurimum conferat: ut certe ad amandum super omnia Deum plurimum confert rationis præscripta sequi, honestatique assuescere. At hic actus hæret, insistit, acquiescit in honestate: ex se nihil ultra progreditur. Ita plane: sed neque resistit ex

sese, si quis eum velit in Deum referre : ut certe resistunt affectus quique vitiosi : qui propterea a charitate imperari, referrique in Deum nec extrinsecus queunt. At unico bono creato ex se terminatur. Concedo. Id est ejus finis intrinsecus, et immediatus? prorsus isto modo : at non finis ultimus. Vide porro, quam nulla in eo pravitas sit : si actum illum imperet charitas, in Deumque extrinsecus dirigat, jam, tuo quoque judicio, actus ille sit plane bonus ac nulla parte vitiosus : per externum autem istud charitatis imperium, novamque relationem atque ordinem, actus hic, de quo est sermo, naturam certe non mutat, sed eodem prorsus modo finem suum immediatum, atque intrinsecum respicit; nulla igitur in actu ipso, ejusque natura et modo, intimoque creatæ honestatis respectu vitiositas est, nulla turpitudo. Superest, ut videamus, an lege aliqua prohibeatur, eamque ob rem illicitus, in vitio sit. Metu omni nos statim liberant adversarii : lex, inquiunt, nulla est, quæ nos honestatem prosequi vetet : est tamen, quæ hos ipsos affectus honestos in Deum referre nos jubeat. Bene est : honesti sunt igitur affectus hujusmodi : neque ex se ipsis intrinsecus mali : atque ubi charitas desit, quæ illos, ut dictum est, aptet atque ordinet; defectu quidem aliquo laborabunt, sed duntaxat extrinsecus. Siquidem intrinsecus mali qui sunt, et suapte natura vitiosi, ii ne coire et componi quidem possunt cum charitate, ne dum ab ea imperari, Deoque ipsi adjungi et transcribi. Cæterum legem nego esse ullam, quæ homini tale quidpiam præcipiat. Deum quidem jubemur diligere, at non singulis quibusque actibus, nec singulis plane momentis. Tales quidem actiones affectusque nostri esse usque debent, ut in Deum possint referri, non vero etiam præcipitur, ut reipsa ita semper referantur. Aliud hujusce rei argumentum peti posset ex eo Dei amore, qui concupicentiæ amor dicitur, et tametsi præmium spectet, atque utilitate moveatur, laudatur tamen, eumque suadent frequentissime Scripturæ, concilia, et Patres : in quam sententiam est illud *Psalm.* CXVIII, 112. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem*, etc. et illud Tridentini ses. VI, can. XXXI. « Si quis dixerit justificatum peccare, dum, intuitu æternæ mercedis bene operatur; anathema sit : » itemque cap. XI et XVI, tum deinde ex timore servili, quem tametsi non Dei bonitas, aut alius similis respectus; sed ipsius ira, et vindicta, supplicioque acerbitas facit; si tamen hominis animum a peccato vere avertat, atque sejungat; laudabilis est et honestus, eumque pariter Sacræ litteræ, concilia, et Patres magnopere commendant : ac de illo scriptum est in *Exod.* XX x. *Ut probaret vos, venit Deus, et ut terror illius esset in vobis, et non peccaretis.* Sancitumque a Trid. ses. VI, *can.* 8. « Si quis dixerit gehennæ metum, » etc. itidemque ses. XIV, cap. IV et can. 5; verum duo hæc quæst. seq. late tractabimus : nec ratio primo nobis objecta pluribus indiget.

Ad secundam vero quod attinet, id ab adversariis animadverti velim, quod in statu etiam lapsæ naturæ omnibus hominibus contingit : nisi forte ipsi de se aliud experiantur : scilicet, appetitum sentientem non semper furere ac tumultuari, seseque adversus rationem vel non semper vel non æque superbe atque insolenter efferre. Quid enim? ipsisne dies, ac noctes eædem inardescunt libidinum faces? stimulis iisdem usque fodiuntur? Quæ ista, malum! concupiscentia est furiosa, contumax, inexplebilis? sane, ut appetitus ex sensibus, sensus autem apti, junctique sint omnes e quadam quasi impulsione extrinsecus oblata, supra descripsimus art. 4, §. v. Sicut igitur non eadem semper est externarum rerum vis et impressio; sic motus in appetitu non idem semper existit : estque ut impulsus, sic etiam concitatio, atque impetus varius : modo quidem vehemens, modo vero remissus. Quare potis, esto, non sit pars animi excelsior suapte vi, atque nutu appetitum regere vehementius incitatum, et insolita quadam ferocitate exultantem : at id poterit, cum appetitus, placide, et sedate movetur : cum nulla est quasi in conspectu jucundioris boni species, nec voluptati ulli prope positæ adhinnit. Esto nullum justitiæ, aut temperantiæ propositum, nullum continentiæ studium, desiderium nullum honestum esse in homine naturaliter possit, cum pars animi inferior turbulentius, atque commotius insurgit : at, cum leniter tantum crispatur; imo, cum omnis plane resedit, ac concidit irarum, aut libidinum flatus; non video, cur in ea tranquillitate locus virtuti aliquis esse non possit : aut, cur audiri ratio nequeat, cum ne leviter quidem aut metus, aut cupiditas insusurrat. Quod si hæc in statu etiam naturæ lapsæ, quid in statu naturæ puræ? de hoc recole ea præcipue, quæ dicta sunt art. 4, §. 6 ad tertium.

ARTICULUS VII.

Utrum eidem debeatur perfecta beatitudo, seu regnum Cœlorum.

DISPUTATIO AB AUCTORITATE.

§. I.

Nos hic adversarii tribus potissimum oppugnant: eo primum, quod est apud Augustinum in lib. *de cor. et gra.* c. XI, n. 32, « quæ futura erat, et homini, sicut facta est Angelis sanctis, merces meriti : nunc autem, per peccatum perdito bono merito, in his, qui liberantur, factum est donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat. » In quam sententiam loquutus Augustinus cum toto eo num. tum lib. *de Præd. Sanct.* c. XV, n. 31, « humana hic merita conticescant, quæ perierunt per Adam, » etc. et alibi sæpe.

Secundo, eo, quod est apud eumdem serm. CCXLIX *de baptism. Parvul.* contra Pelagianos, qui eos peccato originali carere affirmabant, et tamen, sine baptismo morientes, regnum cœlorum ingredi negabant: sic autem ibi s. doctor c. VI, num. 6. « Quare patrimonium regni cœlorum abripis innocenti? A quo regnum cœlorum non acquiritur, profecto magno bono fraudatur. » Quæ est ista justitia ?

Tertio, eo quod est apud Cœlestinum in ep. *ad Episc. Gal.* c. IV. « In prævaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem perdidisse, » etc.

§. II.

Ego vero contra omnes adversariorum impetus propugnaculo utor firmissimo, quodque ex defensione catholici dogmatis dejici nunquam possit : eo nimirum, quod est in Epist, *ad Rom.* VI, 23. *Gratia autem Dei, vita æterna.* Id enim generaliter dictum, et adeo definiendum, et contrahendum non est unico statu lapsæ naturæ, ut hinc etiam theologis omnibus persuasissimum sit, nullam prorsus existere posse naturam, cui debeatur ejusmodi vita. *Hæc enim est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum. Johan.* XVII, 3, *videmus nunc per speculum in ænigmate : tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum.* I *ad Corinth.* VIII, 12, *Scimus, quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est,* Epist. *Joh.* III, 2. *Nemo autem novit filium, nisi Pater, neque Patrem novit quis nisi filius, et cui voluerit Dèus revelare. Matt.* XI, 27. *Rex* enim *sæculorum invisibilis,* I *ad Timoth.* I, 17. *Lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest* : ib. VI, 16. *Posuit tenebras latibulum suum. Psalm.* XVII, 12. Quibus omnibus duo illa edocemur ; primum, in eo sitam esse vitam æternam, ut Deum videamus, *facie ad faciem, sicuti est, sicut et cogniti sumus ;* alterum, Deum esse *invisibilem, nulli hominem visum unquam fuisse : imo nec potuisse, quippe qui lucem habitat inaccessibilem,* Atque hæc, in speciem contraria, ita mihi inter se conciliari posse videntur : si scilicet primum referas ad vires gratiæ, alterum vero ad vires naturæ. Scriptum est enim, *nemo novit Filium, nisi Pater,* etc. sed et illud additur, *et cui voluerit Deus revelare.* Qua de re optime Tertullianus *Apologet.* cap. XVII. « Invisibilis est, etsi videatur : incomprehensibilis, etsi per gratiam repræsentetur. » Eoque etiam spectare dico illud *Psalm.* XXXV, 10. *Apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen.* Non in lumine nostro, sed in lumine tuo, non ope naturæ, sed gratiæ : ita enim hunc locum explanat Origenes I in *Joh.* « Quid enim, inquit, aliud lumen Dei dicendum est, in quo quis videt lumen, nisi virtus Dei, per quam quis illuminatur. » Imo et Plotinus ipse *Enn.* V, lib. III, cap. XVII. « Hic verus est animæ finis, lumen illud attingere, et per ipsum, ipsum intueri. Non alterius, inquam, lumine contueri, sed per ipsummet, quod et videt. Per quod enim illuminata est, idipsum est, quod videre oportet. Neque enim solem per alienum lumen aspicimus, » etc. Quin etiam, non aliter intelligendos puto plures veteres Patres, qui negare visi sunt Deum clare, et perspicue, atque ut est in sese, conspici a beatis sive Angelis, sive hominibus : ea nempe utriusque Scripturæ testimonia sequuti, quæ proxime citavimus. Scio equidem a piis doctisque theologis tres plerumque tradi rationes eos excusandi, et ad verum, et catholicum sensum revocandi, quas lib. VI, annot, CLXXXII refert Sixtus Senensis : prima quidem, ut de oculorum contuitu id ab ipsis negatum intelligamus : secunda, ut ad præsentis vitæ statum eorum dicta referantur : tertia denique, ut neminem contendant, neque hic, neque in vita futura Deum tam perfecte posse cognoscere, quam se cognoscit ipse : qui fuit error

Anomœorum, quos eorum plerique insectabantur. Egomet vero sic existimo, si excipias Origenem lib. I περὶ ἀρχῶν, non hunc, ut modo extat depravatus a Ruffino, sed ut olim erat, testimonio Hieronymi, et Epiphanii; si rursus excipias Titum Bostrensem lib. I *cont. Manich.* Gennadium *de Eccl. dogm.* cap. II. Theodoretum dial. I qui Ἀτρεπτος inscribitur; Basilium Seleuc. orat. I, Anastasium Sinait. lib. I *in Hex.* et lib. qui inscribitur Ὁδηγὸς, Œcumenium com. in ep. I, *Joh.* Theophylactum, et Euthimium in *Job.* I, 18. Auctores præterea hom. *de Sanct. Deipara*, et dialog *de S. Trinit.* quæ Athanasii nomen præferunt, et Athanasii non esse certo constat; si hos, inquam, excipias, quorum vel nulla est, vel certe admodum difficilis defensio; reliquorum omnium, utcumque possint tribus iis modis excusari, aliam esse debere aliquibus præcipue in locis interpretationem : ut nimirum, quod ipsi dicunt, homines et Angelos non posse clare atque ut est in se ipso, Deum videre; accipiamus de potestate et facultate naturali, non vero de supernaturali. In eorum numero, qui clarum ac perspicuum Dei contuitum negare visi sunt, primum aliqui recensent Dionysium Areop. ex iis præcipue, quæ scripsit c. I *de div. nom.* sed ea nimirum de naturali, propriisque opibus, et facultatibus comparanda Dei notitia intelligenda puto : idem enim in eodem cap. « Mentes ipsas Angelicas, ait, constanter, et immobiliter ad illucessentem sibi radium attolli, et congruo permissarum sibi illuminationum amore, cum sacra quadam reverentia temperari, et sancte quibusdam, velut in altum, pennis sublevari. » Tum sicubi de visione Dei loquitur φωτὸς, et ἐλλάμψεως id est, *collustrationis*, et *illuminationis*, quæ creatis mentibus superne illabitur, passim meminit. Sic de beatis hominibus in eodem cap. ita scribit : « Intelligibilis vero ipsius illuminationis in passionis, et materiæ experte mente participes facti : nec non conjunctionis ejus, quæ mentem excedit, in splendidissimorum radiorum ignotis, ac beatis immissionibus, atque in diviniore quadam imitatione supercœlestium mentium, » etc. Secundus, ejusdem culpæ reus postulatur Irenæus, qui quo sensu sit accipiendus, ea satis declarant, quæ scripsit serm. I *de Fide* in illud *Exod.* XXXIII, 26. *Nemo videbit faciem meam et vivet.* « Secundum magnitudinem ejus, inquit, et mirabilem gloriam, nemo videbit Deum, et vivet. Incapabilis enim Pater. Secundum autem dilectionem, et humanitatem, et quod omnia possit, etiam hoc concedit his, qui se diligunt, id est, videre Deum. Quod et prophetabant prophetæ. Quoniam, quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia apud Deum. Homo etenim a se non videt Deum. Ille autem volens videtur ab hominibus, a quibus vult, et quando vult, et quemadmodum vult : potens est enim in omnibus Deus. » Tertius citatur Cyrillus Hieros. propter ea, quæ scripsit catech. VI, in illa verba *Joh*: *Deum nemo vidit unquam* : sed commode, atque e re nostra, defenditur, ex iis, quæ statim subjungit : prolato enim *Matth.* testimonio, *Neque patrem quisnovit, nisi filius, et cui voluerit Deus revelare;* Quoniam, inquit, Deitatis paternæ est particeps filius, tanquam Unigenitus... Angelis, secundum propriam virtutem, eum ignorantibus, revelat per Spiritum sanctum. » Quartus in eamdem suspicionem aliquibus venit Basilius magn. propter aliqua, quæ identidem jacit in libris *cont. Eunom.* præcipue vero in I; sed immerito sane : ibi enim hæc habet : « Qua ex re isti etiam terræ naturam, quam calcant, quænam sit, nescientes, in ipsam Dei universorum substantiam se gressum intulisse sibi arrogant, etc. ea quidem, quæ promissionibus nobis præparata sunt, omnem cognitionem excedunt humanam. » Et lib. *de Sp. Sanct.* cap. XVI. « Porro, ait, qui mysteria visionis viro desideriorum jussus erat annuntiare, unde nactus erat sapientiam, ut posset docere arcana, nisi per Spiritum S. cum patefactio mysteriorum peculiariter ad Spiritum S. pertineat, juxta id, quod scriptum est I *Cor.* I, 10. *Nobis revelavit Deus per Spiritum?* throni vero, et dominationes, principatus, et potestates, quomodo beatam illam traducerent vitam, nisi semper viderent vultum Patris, qui in cœlis est? At visio non est absque Spiritu. » Quintus in crimen vocatur Gregorius Nazian, quod omnino ἀθέατον, et ἀόρατον, *invisibilem*, et *inaspectabilem* esse Deum, et scripsit ipse, et illum in hac sententia revera fuisse diserte testantur ipsius interpretes Nicetas Serronius, et Elias Cretensis. Sed illum ab hujus suspicionis nota penitus eximunt cum ea, quæ scripsit orat. X *de Cæsario fratr.* pag. 170 quæque orat. XX *de S. Basilio* pag. 373 aliaque plura; tum, quæ habet plane in rem nostram orat. XXXIV. « Quid tandem, inquit, Deus natura sua, et essentia sit, nec hominum quisquam unquam invenit, nec invenire potest (naturæ viribus). An vero aliquando sit inventurus, quærat hoc, qui volet, ac perscrutetur. Mea quidem sententia,

tum demum hoc inveniet, cum Deiforme hoc atque Divinum, id est, mens nostra et ratio cum natura cognata conjuncta fuerit, et imago ad exemplar illud suum, cujus tunc desiderio tangitur, ascenderit... nempe nos aliquando tantum cognituros, quantum cogniti sumus. At in hac mortali vita... si quis Deum cognoscit, aut, Scriptura teste, cognovisse dicitur, eatenus cognovisse censendus est, quatenus uberioris splendoris particeps fuerit, quam qui minus luminis, divinitus (hoc est, supra naturam), accepit. » Sextus accusatur Gregorius Nyssen. propter illa etiam, quæ scripsit in *Enar. vitæ Mosis* : quæ quidem interpretatione nostra ad Catholicum sensum traduci debent. Sic enim scribit. « Quare, inquit, non poteris videre faciem meam, nec enim videbit homo faciem meam, et vivet : non quia causa mortis videntibus sit illa facies : nam quomodo vitæ facies causa appropinquantibus mortis esse poterit ? Verum etsi vivificat Deus natura, proprium tamen suum est, ut omnen cognitionem excedat : idcirco, qui eorum, quæ cognoscuntur, Deum esse opinatur, quasi deviasset ab eo, qui est, ad id, quod esse putatur; vitam non habet. Quare si hæc vivificans natura cognitionem omnem excedit » etc. Idem l. *de beatitud.* cap. III. «Verum, ne oratio nostra frustra laboret in rebus captum nostrum superantibus, supernorum quidem bonorum naturam inquirere desinamus... Quanto autem cognitione nostra altius illud esse natura bonum credimus, tanto magis luctum in nobis intendamus, quod tale, ac tantum sit bonum, a quo disjuncti sumus, ut ne cognitionem quidem ejus capere possimus. Verumtamen hujus boni, quod superat omnem vim comprehendendi, nos homines olim participes eramus : ac tantum erat in natura bonum illud, quod superat omnem cognitionem, et intellectum ; ut alterum illud humanum bonum esse videretur, exquisitissima plenissimaque assimilatione, atque imitatione ad imaginem primarii, et originalis exemplaris formatum. Nam, quæ nunc de illo per conjecturas speculamur et imaginamur, hæc omnia circa hominem quoque erant : incorruptibilitas simul, et beatitudo, etc. facultas item aperta simul ac pura mente, omni velamento detracto, bonum contuendi. » Septimus Ambrosius : sed is etiam immerito : sic enim loquutus in *Luc.* I. « Et si potestas non est videndi, est gratia promerendi, ut videre possimus. Multæ enim sunt impossibilitatum differentiæ, » ait idem lib. IV *de Fide* c. III « humanæ hoc impossibile naturæ, sed per Dei gratiam fit, » in idem c. I *Lucæ*. « In potestate nostra non est eum videre, sed in potestate illius est apparere.» Octavus Epiphanius, qui quidem hæres. LXXVI Deum ἀόρατον, et ἀκατάληπτον *invisibilem*, et *incomprehensibilem esse dicit* : sed eumdem rursus « posse quidquid velit facere. Natura igitur invisibilis est, inquit, et ejus comprehendi non potest gloria : verum, cum producto a se homini apparere voluerit, nihil ejus voluntati refragatur. Deum quidem videri, præsertim ab humana natura non posse fatemur, neque quod aspectabile est, id quod videri omnino non potest, intueri fas putamus. Sed id tamen invisibilis Deus, pro sua humanitate, ac potentia, imbecillam aciem ita virtute sua corroborare dignatur, ut, quod videri alioqui non potest, aspiciat. Porro cum invisibile illud, et infinitum aspicit, non, quatenus infinitum est, illud intuetur (id est, non perfecte, ac per κατάληψιν) sed quantum ejus, quod imbecillum est, natura capere potest, ejusmodi vi, ac virtute corroborata, ut ad potentis illius notitiam pertingere possit. » Addi autem his potest, quod Epiphanius idem statim subjicit num. 8. « Quemadmodum, inquit, si quis cœlum per angustum foramen transpiciat, ac cœlum videre se dicat; non utique mentiatur : videt enim revera cœlum : quod si quis prudenter ei dicat : non vides cœlum ; ne is quidem mentietur. Neuter, inquam, mentitur, neque qui vidisse se dicit, neque qui negat. Non enim extensionem cœli, ac latitudinem aspexit, » etc. concludit autem ad rem nostram : « Jam, si in creaturis ita sese res habet; quanto magis in gratuito illo beneficio, quod Deus prophetis, apostolisque concessit ? Ergo illi Deum existentem revera contuiti sunt, et simul non sunt contuiti : viderunt quidem, quatenus ipsorum natura sustinebat : idque, non naturali vi, et facultate, sed virtutis illius beneficio, quæ præpotens ille Deus, pro singulari suo erga hominem amore, illum afficere voluit. » Nonus Chrysostomus : quem qui accusant, producant ex ejus homil. XIV in *Jo.* ea, quibus interpretatur quod est I *Joh.* I, 18. *Deum nemo vidit unquam* : *Unigenitus Filius*, etc. Tum vero deinde quæ homil. eadem de eo scribit, quod est I *Tim.* III, 16, *Matth.* XVIII, 10 *Matth.* V, 8 et 27. Triumphant tandem in eo, quod habet hom. III *de incomprehensibili Dei natura*, sive orat. III *cont. Anom.*, quæ exstat tom. VI pag. 403.

Ibi enim, ne Angelos quidem Dei naturam videre posse dicit, aut emicantem ex ipsius solio ferre splendorem : Deumque vocat ἀνεξιχνίαστον, ἀνεξερεύνητον, ἀθέατον ἀκατανόητον, ἀόρατον ; id est, *impervestigabilem, inscrutabilem, invisibilem, imperceptibilem, non aspectabilem.* Contra vero, qui Chrysostomum defendunt, cum hæc satis commode explicant tum ea pro se afferunt, quæ ab adversariis pari felicitate explicata non video. Ejusmodi sunt homiliæ omnes *de Incomprehensibili Dei nat.* præcipue ad illud I ad *Cor.* XIII : *ex parte cognoscimus* etc. et *ego me non arbitror comprehendisse Philip.* III, 13, caput VII *paræn.* I *ad Theodorum lap.* ad illud *Mat.* XVII. *Bonum est nos hic esse* etc. Exposit. *Psal.* XLI ad ea verba : *Quando veniam, et apparebo* etc. *Psalm.* CXXXV ad ea verba *Domus Israel benedicite Domino* etc. h. XXXIV in I ep. *ad Cor.* XIII, 12. *Nunc cognosco ex parte, tunc* etc. Hom. X in II *ad Cor.* Homil III in ep. *ad Philip.* Denique orat. *de sanc. Philogono.* Porro meum non est theologis hisce inter se digladiantibus medium intervenire, et μεσίτην seu *sequestrem* agere : illud hic pugno, aliqua loca, quæ contra Chrysost. afferuntur interpretatione nostra ad catholicum sensum perduci, quam commodissime, sic homilia IV percelebri in cap. I *Jo.* scriptum est, quomodocumque hominibus, et angelis Deus sese videndum præbuit, id indulgentiæ cujusdam, et συγκαταβάσεως *condescensus* fuisse : cæterum « naturam, si modo creata est, quamvis innocens sit, nulla ratione eam, quæ creata non est, intueri posse, » et orat. III *de Incomp. Dei nat.* « Vides, inquit, tam hic, quam ibi Dei condescensum ? Attamen Virtutes ipsæ suis etiam pennis sæpe operiuntur, utpote quæ facie detecta nequeant contueri, quamquam sapientissimæ, et ad cognoscendum aptissimæ... Quemadmodum Angelorum pinnæ naturæ eminentiam referunt : sic in his, quoque, de quibus agitur, nihil pinnæ significant aliud, quam vires sublimes, atque excelsas naturæ. » Ait his pennis vires adumbrari sublimes atque excelsas naturæ : ut, cum deinde notat, eos his pennis ita obvelari, ut ne ipso quidem Dei *condescensu* aperte fruantur ; intelligas eos ad eam Dei visionem, quæcumque illa sit, non viribus naturæ subvectos, quantumvis excelsis, atque sublimibus, sed auxilio, et dono gratiæ. Clarius homil. *in Seraph.* « Hoc enim gloria est, honor, et securitas omnis, ut in circuitu throni illius appareant. Hoc et in Angelo cernere licet : nam et illos esse magnos volens Christus ostendere ; non eos Angelos esse dixit et tacuit : sed quia *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei.* Nam, quemadmodum illic Angelica dignitate majus est faciem Patris videre ; sic et dignitate Seraphim majus est in circuitu stare throni » etc. Decimus erroris ejusdem arguitur Hieronymus : sed eum egregie defendit sanc. Augustinus ep. olim III nunc CXLVIII *ad Fortunatianum* c. II num. 7 et 8. citatque ex comment. Hieronymi in *Isa*, I, sane ad rem nostram, « Homo igitur Dei faciem videre non potest. Angeli autem etiam minimorum in Ecclesia semper vident faciem Dei. Et nunc in speculo videmus, et in ænigmate : tunc autem facie ad faciem, quando de hominibus in Angelos profecerimus (utique supra naturam nostram), et potuerimus cum Apostolo dicere : *nos autem omnes revelata facie gloriam Dei speculantes in eamdem imaginem transformamur a gloria in gloriam, quasi a Domini spiritu.* Undecimus Cyrillus Alex. in eoque culpatur, quod scripsit *Thesaur.* l. XII cap. XIV atque ita Latine redditum est a vulgato interprete. « Non potest certe rationalium creaturarum mens divinam essentiam apprehendere : omnem enim mentem excedit pulchritudo substantiæ divinæ. » etc. Sed evanescit difficultas, si locus fidelius reddatur : sic enim legimus in Græco exemplari οὐ δυναμένης τῆς τῶν γενητῶν διανοίας περιδράττεσθαι τρόπον τινὰ τῆς θείας οὐσίας : *non potest rerum creatarum intelligentia divinam substantiam ullo modo circumplecti.* Probabilem vero facit nostram etiam interpretationem, primo, quod est *Thes.* ejusdem lib. IV cap. I. « Quomodo non aperte cum veritate, et cum omnibus Scripturis sacris vos pugnatis, qui dicere audetis, non videri Patrem a Filio ? cum ipse clamet, neminem videre Patrem, nisi eum, qui ex Deo est...? quomodo Filius Patrem non videt, cum etiam Angeli scribantur faciem Patris videre ? « Deinde, quod l. X *in Jo.* cap, I. « Manifestissime quidem tunc in nobis mysterium revelabitur, quando ad similitudinem ejus ? Verum, ne omnibus simpliciter tale munus contingere posse credamus, ostendit non aliis hanc gratiam esse repositam, nisi iis etc. Delicias autem spiritualiter intelligimus cognitionem Dei perfectam, et exquisitam mysteriorum Dei revelationem : non in speculo, et ænigmate, ut modo, sed aperte, et perfecte, et, ut ita dicam totaliter : evacuabitur enim quod ex parte est etc. non improbis futuram perfectæ cognitionis gratiam ostendere vellet » etc. Præterea quod in

hoc eodem cap. « Iis vero, qui divinitus diliguntur, fulgentissima præmia, et fulgentissimam coronam pollicetur. *Manifestabo*, inquit, *meipsum ei*. Mundis certe visio hæc summum præmium est, in quibus Christus per spiritum fulgebit, singula illuminans, et ineffabili splendore mentem eorum ad cognitionem erigens suam. » Tum cap. II præcipue vero cap. IX. « Illuminat igitur Filius, maxime cum sit ipse lux illa vera, creatura autem participatione cum luce illuminatur, et idcirco lux dicitur, et est, ad res supernaturales evecta glorificantis Dei gratia, et variis ipsam honoribus coronantis etc. Facit enim profecto misericordias Dominus, qui res parvas, atque abjectas, si naturæ cujusque ratio spectetur, magnas nos, atque mirabiles efficit sua erga ipsas bonitate. » Duodecimus Eucherius Lugdun. quem quidem satis vindicat quod ab eo scriptum est ad Salonium in l. *Quæst. vet. Test.* ab iis verbis: *Quomodo Jacob dicit : vidi Dominum facie ad faciem* etc. Addo ad rem nostram, sanc. doctorem lib. *de form. Spirit. intel.* ita Dei faciem interpretari : « Facies Dei, cognitio est Divinitatis ejus ad omnes : de qua coguitione in Psalmis scriptum est : *ostende nobis faciem tuam, et salvi erimus* ; hoc est, dona nobis cognitionem tuam, quam cognitionem per filium hominis hominibus innotuit : ipso dicente in Evangelio : *Nemo novit Patrem, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* » etc. et num 38. « Ostendere dicitur Deus faciem suam, cum respectu gratiæ suæ quibus vult, scilicet electis suis » etc. Tertius decimus Primasius : sed id ipsum, quod in crimen vocatur, eum defendit : sic enim habet in *Scholiis* c. XIII, 1 *Corinth. Tum cognoscam, sicut et cognitus sum* etc. « Cognoscam tunc Deum, et quæ sunt Dei : tamen in quantum potest de Deo mens humana cognoscere. Nam quis potest Deum, ut est scire ? » Profecto extra omnem erroris invidiam est iste locus : sic enim scribere debuit, ne quis, ob Apostoli verba illa, persuaderet sibi, tam perfectam Dei notitiam adepturos homines, quam habet hominum Deus ipse. Addo hic pariter ad rem nostram quod de cœlesti beatitudine tradit in epist. *ad Rom.* V, 2 « quod adeo magnum est, ut a multis pro ipsa magnitudine incredibile videatur : eo quod speramus gloriam filiorum Dei nos consequuturos. » Et in ep. *ad Eph.* III, 8. « Divitias futuræ hæreditatis investigabiles per se humano sensui, non revelationi divinæ. » Quartus decimus tandem Isidorus Hispal. qui potius in eo peccare videtur, quod ipsi animæ Christi tribuat Divinitatis κατάληψιν *Comprehensionem.* a quo errore non longe abesse videntur Fulgentius, Albinus Flacus, Hugo Victorinus, Magister ipse sententiarum, ac denique Eusebius ille, qui de morte Hieronymi fabulosum commentarium scripsit ad Damasum Papam, quod exstat tom. IV operum sanc. Hieron. col. 1079, et cui plus justo deferunt scholastici. Sed de hoc alibi : ad rem præsentem scribit Isidorus lib. I *sent.* c. VII, ab iis verbis : « Facies Dei in Scripturis sanctis non caro, sed divina cognitio intelligitur, » etc. et infra : « Vestigia Dei sunt, quibus nunc per speculum agoscitur : ad perfectum vero Omnipotens reperitur, dum in futuro facie ad faciem, » etc. et c. XII. « Gratia dicimus non natura esse incommutabiles Angelos ; nam, si natura incommutabiles essent, diabolus non utique cecidisset. Mutabilitatem itaque naturæ suffragatur in illis contemplatio Creatoris. » Vide item quod habet post aliquanto, et subinde medio ferme ipso capite. Venio jam ad alia Scripturæ loca, quæ cœlestem beatitudinem supra servilem hominis conditionem attollunt. *Matth.* XXV, 21. *Ait illi Dominus ejus, euge serve bone, et fidelis : quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium domini tui.* Et *Lucæ* XVII, 7 etc. *Quis autem vestrum habens servum arantem, aut pascentem, qui regresso de agro dicat illi, statim transi, recumbe : et non dicat ei, para quod cœnem, et præcinge te, et ministra mihi, donec manducem, et bibam, etc. Numquid gratiam habet servo illi, quia fecit, quæ ei imperaverat ? Non puto. Sic et vos, cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite : servi inutiles sumus : quod debuimus facere fecimus.* Natura omnis creata rationis particeps Dei serva est, ipsique arctiori servitutis nexu devincta, quam ullus unquam homini homo. Quodcumque igitur præmii ei Deus pro ipsius innocentia, ac recte factis rependat, id omne liberalitati, ac beneficentiæ est assignandum : ita autem in hunc locum scripsit Ambrosius : « Hoc ideo, ut nemo in operibus glorietur, quia jure domino debemus obsequium. Nam, si tu non dicis servo aranti, aut oves pascenti : transi, recumbe... Sed exigis ab eo aliud ministerium, et gratias ei non agis, ita nec in te patitur Dominus unius esse usum operis, aut laboris, quia dum vivimus, debemus semper operari. Ergo agnosce te esse servum plurimis obsequiis defœneratum. Non te præferas, quia filius Dei diceris :

agnoscenda est gratia, sed non ignoranda natura : » quæ, quantumvis innocens, serva est tamen : neque ipsi innocentia jus affert ullum, quo debeatur ipsi divina adoptio, ac subinde ampla illa, et magnifica hæreditas, quæ filiorum est propria tantummodo. In eamdem sententiam id ipsum exponit Cyrillus apud divum Thomam in cat. « Docet autem Dominus, inquit, quod jus potestatis dominicæ, quasi debitam subjectionem requirit a famulis : cum subdit, numquid gratiam habet servo illi, etc. Considera, quod, qui apud nos dominantur, non referunt gratias, cum aliqui subditorum statuta sibi prosequuntur obsequia: sed ex benevolentia sæpius suorum provocantes affectum, majorem eis appetitum serviendi aggerant. Sic, et Deus petit quidem a nobis famulatum jure servitutis : verum, quia clemens, et bonus est, honores laborantibus pollicetur, et supereminet sudoribus subjectorum benevolentiæ magnitudo. » Tum deinde apud Corderium Marcus archiep. quem illum esse censeo, cujus meminit Nicephorus lib. II cap. xxxv et lib. III c. xxv. « Magis autem, inquit, Dominus ostendere volens, omne præceptum esse debitum quoddam, adoptationem vero nostram proprio ipsius sanguine factam, hominibus esse donatam, ait, *cum feceritis omnia*, etc. Quamobrem regnum cœlorum non est merces operum » id Catholico sensu accipiendum, « sed gratia Dei fidelibus servis præparata. Neque servus petit libertatem, tanquam mercedem, sed tanquam debitor bene operatur, illa vero ex gratia conceditur, » Egregie autem Theophylactus. « Servo necessitas incumbit, ut faciat mandata domini, neque ut bonum opus sibi illud ascribere debet : quippe, si non operabitur dignus erit multis plagis : cum autem operatus fuerit, contentus sit, quod plagas effugerit. Proinde non oportet de hoc pretium, vel honorem necessario quærere. Liberalitatis enim domini fuerit dare ipsi, imo largiri quidpiam. Igitur, et qui servit Deo, etiam si mandata perficiat, non debet extolli... Beneficia enim sunt per misericordiam Dei illi concessa, non quod debeat ei aliquid Dominus : imo servus debet domino suo, ut faciat omnia ejus mandata. » Denique Bernardus sermon. 1 *de Annunt.* « Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam. nec si unus omnes sustineat. Neque enim talia sunt hominum merita, ut propterea vita æterna debeatur ex jure, aut Deus injuriam aliquam faceret, nisi eam donaret. Nam, ut taceam quod merita omnia dona Dei sunt, (etiam in statu innocentiæ), et ita homo magis propter ipsa debitor est, quam Deus homini, quid sunt merita omnia ad tantam gloriam? » Sapientisssime igitur Tridentini Patres « bene operantibus usque in finem, et in Deo sperantibus proponenda esse (statuerunt) vitam æternam, et tanquam gratiam filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissam, et tanquam mercedem ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus fideliter reddendam. » Seclusa enim gratuita ac liberali domini promissione, non ea est servi conditio, ut merito bonorum operum præmium aliquod a domino sibi certo promittere, et jure quodam repetere atque exigere possit. Et sane, ut promissio fere semper in Sacris litteris vita æterna proponitur. Sic *ad Eph.* 1, 14. *Signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ. Ad Tit.* 1, 2. *In spem vitæ æternæ, quam promisit, qui non mentitur, ante tempora sæcularia.* Voci *promisit* Græce respondet ἐπηγγείλατο, id est gratuita sua liberalitate, sua sponte, gratis, et ultro promisit. *Ad Hebræ.* x, 23. *Teneamus Spei nostræ confessionem indeclinabilem, fidelis enim est, qui repromisit. Jacob.* 1, 12. *Beatus vir, qui suffert tentationem : quoniam, cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromisit Dens diligentibus se*, et II, 5. *Hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se.* Quod autem hæ divinæ testificationes ita contrahi, et arctari non possint, ut hæc gratuita, liberalis atque antecedens promissio solum intelligatur pro statu naturæ lapsæ ; primum probat ratio ipsa : homo enim, quantumvis innocens, Dei servus est ipsique arctissime obstrictus ; deinde Patrum interpretatio qui omnes, cum æternam ac per beatam vitam in Dei munificentiam ac liberalissimam ipsius promissionem referunt, universaliter, ac pro omni statu loquuntur. Basilius in *Psalm.* CXIV, 7. « *Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi :* jam, inquit, quando plenum vitæ istis abunde explesti cursum, reliquum est, ut in requiem tuam convertaris, quoniam Dominus benefecit tibi. Manet autem requies sempiterna illos, qui in hac vita legitime certaverint, non tanquam debitum operibus redditum, sed ob munificentissimi Dei gratiam, in quem speraverunt, exhibita. » Universalius autem Ambrosius, seu verius Hilarius diaconus, qui comment. in c. II *ad Rom.* Deum esse homini debitorem, originem ducere ait ex ipsius Dei

promissione : nam ita scribit : « ideo autem justitia Dei dicta est, quæ videtur esse misericordia, quia de promissione originem habet : et cum promissum Dei redditur, justitia Dei dicitur. » Quid Chrysostomus, qui donum supernæ beatitudinis beneficentiam sequi dicit ejus, qui promisit, non vero ejus, qui recipit conditionem ? » Is, qui laboravit necessario coronas, et præmia consequitur : nam spes non pudefacit, quia Dei est promissio : et dona promissa sequuntur ejus ejus naturam, qui promisit, » Augustinus etiam *Enarrat. in Psalm.* LXXXIII n. 16. « Unde, inquit, debitor Deus ? Accepit aliquid ? Cui debet aliquid Deus ? Ecce videmus, quia tenet eum debitorem Panlus : consecutus est misericordiam, exigens veritatem : *reddet mihi,* inquit, *Dominus in illo die.* Quid tibi reddet, nisi quod tibi debet ? Unde tibi debet ? Quid ei dedisti ? *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei* ? Debitorem Dominus ipse se fecit, non accipiendo, sed promittendo : non ei dicitur redde, quod accepisti ; sed redde, quod promisisti. » Idem serm. CLVIII *de verb. Apost, Rom.* VIII et 30, 31 cap. II n. 2. « In his, quæ jam habemus, laudemus Deum largitorem, in his, quæ nondum habemus, tenemus debitorem. Debitor enim factus est non aliquid a nobis accipiendo, sed quod ei placuit, promittendo. Aliter enim dicimus homini, debes mihi, quæ dedi tibi, et aliter dicimus, debes mihi, quia promisisti mihi. Quando dicis, debes mihi, quia dedi tibi, a te processit beneficium, sed mutuatum, non donatum. Quando autem dicis, debes mihi, quia promisisti mihi, tu nihil dedisti, et tamen exigis. Bonitas enim ejus, qui promisit, dabit. » Item serm. CCLIV alias *de Temp.* 151 c. V n. 6. « Laudemus ergo, fratres Dominum, quia ejus fidelia promissa retinemus, nondum accepimus. Parum putatis, quia promissorem tenemus, ut jam debitorem exigamus ? Promissor Deus debitor factus est bonitate sua, non prærogativa nostra. » Augustini vestigiis insistunt auctor lib. *de voc. Gent.* l. I. « Non labori pretium solvens, sed divitias bonitatis suæ in eos, quos sine operibus eligit, effundens : ut etiam hi, qui in multo labore sudarunt, nec amplius, quam novissimi acceperunt, intelligant donum se gratiæ, non operum accepisse mercedem. » Fulgentius in præf. lib. *ad Monim.* « Ille auctor est debiti, qui auctor est doni. » Nam et se ipsum sua largitate dignatus est facere debitorem : non quia indigens ab aliquo accepit ; sed quoniam abundans largius tribuit. » Gregorius hom. XXXVII *in Ev.* « Eum, cui ipse debitor fuerat, ex promissione cœpit habere debitorem. » Locum hunc totum concludo illustri testimonio Bernardi ex lib. *de Grat. et lib. arb.* « Quo pacto, inquit, eam, quam sibi repositam præsumit, coronam vocat Paulus justitiæ ? An quoniam juste, jam, et ex debito requiritur quodcumque, vel gratis promittitur ? Denique ait, *scio cui credidi, et certus sum, quia potens est depositum meum servare.* Dei promissum, suum appellat depositum : et quia credidit promittenti, fidenter promissum repetit : promissum quidem ex misericordia, sed jam ex justitia persolvendum. Est ergo, quam Paulus expectat, corona justitiæ, sed justitiæ Dei, non suæ. Jussum quippe est, ut reddat, quod debet : debet autem, quod pollicitus est. »

Ut in hoc præcipue articulo cum antiquis hæreticis adversarii consentiunt ; ita contra ipsos, aliquot conciliorum sanctionibus, catholicum dogma, hac maxime ex parte, tutamur, Viennense concilium, quod, inter Œcumenica, decimumquintum numerari solet, a Clemente V Rom. pont. convocatum est, cum aliis tribus de causis, tum etiam ob errores Petri Joannis, Fraticellorum, Dulcinistarum, Beguardorum ac Beguinarum ; inter hos autem errores, qui omnes recensentur cap. *Ad nostrum de Hæreticis,* est num. quintus, ab eodemque concilio damnatus ; nempe, « Quælibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata : et anima non indiget lumine gloriæ, ipsam elevante ad Deum videndum, et eo beate fruendum. » Profecto veritas a concilio asserta, et sancita non staret, si anima hominis, quod adversarii docent, sine speciali gratia Dei, et a creationis dono distincta, apta esset ex sese, atque ex suamet conditione ad visionem Dei consequendam : posset enim suis viribus, et facultatibus assequi ea omnia, quæ ad videndum Deum sunt necessaria : atque ita supra vires suas *elevari,* atque evehi non indigeret. Præterea hic illud iterum animadverti volo, quod art. IV, §. 2 notavi : Pelagium, in hominis natura labem ac vitium nullum penitus agnovisse : damnatum tamen ab Ecclesia fuisse, non ideo tantum, quia naturam adhuc integram docuit, et originariæ labis expertem ; sed etiam, quia naturam, quam plane incolumem putabat, posse dixit ad cœlestem beatitudinem ex sese, atque ex suis naturalibus facultatibus pervenire : habitosque esse duos

errores plane diversos, naturam et quod integram faceret, et quod eamdem vellet ad cœlestia suis posse opibus niti. Jansenium igitur damnant, et plane confodiunt concilia omnia, quæ habita olim sunt contra Pelagium : imprimis vero Arauxicanum II in quo can. XIX ita decretum : « Natura humana, etiam si in illa integritate, qua est condita permaneret, nullo modo se ipsam, creatore suo non adjuvante, servaret. Unde, cum sine gratia Dei salutem non possit custodire, quam accepit, quomodo sine gratia poterit reparare quod perdidit? » Auxilia igitur ad salutem necessaria, vel in statu ipso innocentiæ gratuita, et quod consequens est, non debita erant : nam si ex debito, jam non ex gratia : alioquin gratia, non est gratia. Affero tandem etiam concilium Valentianum tertium an. DCCCLV sub Lothario imperatore, in quo, c. II id statuitur : « Fideliter tenemus, et placet teneri, Deum bonos præscisse omnino per gratiam suam bonos futuros, » præscivit autem etiam Angelos bonos futuros naturæ igitur vel Angelicæ datum gratis, quo salutariter ageret.

Id ipsum probant decreta Rom. pontificum, quibus condemnatæ Baii theses I « Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita recte vocantur gratia » III « et bonis Angelis, et primo homini, si in statu permansissent, usque ad ultimum vitæ, felicitas esset merces, et non gratia » IV « Vita æterna homini integro, et Angelo promissa fuit intuitu bonorum operum, et bona opera ex lege naturæ ad illam consequendam per se sufficiunt » VII « Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera, sed juxta modum loquendi Scripturæ sacræ, non recte vocantur gratia : quo fit ut tantum merita, et non gratia debeant nuncupari. » Item X et aliæ : quæ ideo fulminatæ sunt ab Ecclesia, quod homini innocenti debitas faciunt eas opes, atque auxilia, quibus æterna apud superos paratur felicitas.

Ex Patribus jam multa dedimus, quæ Scripturæ locis supra positis lucem afferrent : hic aliqua tantum perstringimus, ac de more sola ferme initia notamus. Dionysius c. I *de Eccl. Hier.* §. 3 et 4. « Hæc salus iis, qui salvantur, non nisi jam deificatis potest contingere. Est autem hæc deificatio Dei quædam, quoad fieri potest, assimilatio, unioque.... Sacræ veritatis visio ; scientiaque simplicis perfectionis ejus, qui summe simplex est, divina participatio, fruitio intuitionis, quæ omnem sui contemplationem spirituali modo reficit, deificatque. Dicimus itaque Dei principalem beatitudinem, quæ natura Deitas est, et principium deificationis, ex quo ii qui deificandi sunt, deificantur, divina bonitate,» etc. Irenæus l. IV, c. XXXVII. « Potens in omnibus Deus videbitur regno cœlorum paternaliter. Spiritu quidem præparante hominem in filium Dei : filio autem adducente ad patrem, patre autem incorruptelam donante in æternam vitam, quæ cuicumque evenit ex eo, quod videat Deum. Quemadmodum enim videntes lumen, intra lumen sunt, et claritatem ejus percipiunt ; sic, et qui vident Deum, intra Deum sunt percipientes ejus claritatem. Vivificat autem eos claritas,» etc. Clemens Alex. lib. V *Strom.* « Moses quoque dicit : ostende mihi te ipsum evidentissime, tacite innuens Deum, sola ea, quæ ab ipso proficiscitur posse potestate cognosci. » Julius Maternus Firmicus c. XXVI *de error. prophan. relig.* « Is per feminam deceptus, diaboli persuasionibus, promissæ sibi gloriæ perdidit dignitatem, etc. et infra : « lignum erat in Paradiso, quo promissorum a Deo præmiorum perdidit gratiam, » etc. Macarius sen. hom. XII. « Adam transgressus mandatum duobus modis periit : priore quidem modo, etc. altero modo, quoniam imaginem illam amisit, per quam promissionem acceperat totius hæreditatis cœlestis, » etc. Gregorius Nyssenus *de beat.* cap. V. « Et hic igitur aliarum alias excipientium beatitudinum altitudo efficit, ut ipsi Deo appropinquetur, qui vere beatus, et super omnem beatitudinem constitutus, et firmatus est : prorsus autem ut sapienti per sapientiam, et per puritatem puro appropinquemus ; ita beato quoque per viam beatitudinum conciliamur. Dei enim revera propria beatitudo est. » Ambrosius *in Isa.* « Quia humana natura sine divina ope imbecilla est ad merendum, Deum auxiliatorem requirit. » Idem l. I *de Spir.* I, c. VII. « Intelligendum est, quod creatura quidem superior Angelorum sit, quæ plus recipit gratiæ spiritualis : ejusdem tamen, et erga nos, et illos munus auctoris sit. Quanta autem gratia, quæ præmiis Angelorum, etiam inferiorem creaturam humanæ conditionis exæquet? Sicut Dominus ipse promisit dicens : *eritis, sicut Angeli in cœlo.* » Idem lib. med. orat. VII. « Creatura tua, cui est aliud vivere, aliud beate vivere, omne quod vivit, et quod beate vivit, non debet nisi gratiæ tuæ. » Item in ep. *ad*

Timoth. c. VI. « Deum solum beatum, et immortalem, et potentem, et regem regum, et Dominum pronuntiat. Solus est enim ipse, qui propriam, et a nullo habet acceptam beatitudinem, atque potentiam, dominatum,» etc. Hieronymus *ad Cyprian.* « Homo a principio conditionis suæ Deo utitur adjutore: et cum illius sit gratiæ, quod creatus est, illiusque misericordiæ, quod subsistit, et vivit, nihil boni operis agere potest, absque eo, qui ita concessit liberum arbitrium, ut suam per singula opera gratiam non negaret,» etc. vel in statu ipso innocentiæ necessaria fuisse ad salutem gratiæ dona testatur hic Hieronymus, et lib. IV *in Ezech.* c. XVI.

Augustinus vero epist. CLXXXVI *ad Paulin.* c. XI, num. 37. « Natura humana etiam si in illa integritate, in qua condita est permaneret, nullo modo se ipsam, creatore suo non adjuvante, servaret, cum igitur, sine gratia Dei salutem non possit custodire, quam accepit, » etc. is est can. XIX concilii Arauxic. 2 supra cit. Augustinus idem l. XI *de Gen. ad lit.* c. IV, n. 6. « Cum primus homo, et in natura posse, et in potestate haberet velle non consentire suadenti, adjuvante tamen illo, qui superbis resistit » etc. Item *Enchirid. de Fid.* etc. cap. CVI, n. 18. « Illam immortalitatem natura humana perdidit per liberum arbitrium, hanc est acceptura per gratiam, quam fuerat, si non peccasset, acceptura per meritum : quamvis sine gratia nec tunc ullum meritum esse potuisset. Quia, etsi peccatum in solo libero arbitrio erat constitutum, non tamen justitiæ retinendæ sufficiebat liberum arbitrium, nisi participatione incommutabilis boni divinum adjutorium præberetur.... Sed post illam ruinam major est misericordia Dei, quando et ipsum liberum arbitrium liberandum est a servitute.... Gratiæ vero, nisi gratis est, gratia non est. Intelligendum est igitur etiam ipsa hominis bona merita esse Dei munera, quibus cum vita æterna redditur, quid nisi gratia pro gratia redditur? Sic ergo factus est homo rectus, ut et manere in ea rectitudine posset, non sine adjutorio divino; et suo fieri perversus arbitrio » l. XIV *de Civit.* c. XXVII. Primus homo « sic erat institutus, ut si de adjutorio Dei fideret, bonus homo malum Angelum vinceret : si autem creatorem, atque adjutorem Deum superbe sibi placendo desereret, vinceretur; meritum bonum habens in adjuta divinitus voluntate recta, malum vero in deserente Deum voluntate perversa. Quia et ipsum fidere de adjutorio Dei, non quidem posset, sine adjutorio Dei ; nec tamen ideo ab his divinæ gratiæ beneficiis sibi placendo recedere non habebat in potestate? Nam, sicut in hac carne vivere sine adjumentis alimentorum in potestate non est, non autem in ea vivere in potestate est ; quod faciunt, qui se ipsos necant ; ita bene vivere sine adjutorio Dei, etiam in Paradiso non erat in potestate ; erat autem in potestate male vivere : sed beatitudine non permansura, et pœna justissima secutura. » Denique lib. *de cor. et grat.* c. XI, n. 31. « Nec ipsum ergo Deus esse voluit sine sua gratia, quam reliquit in ejus libero arbitrio. Quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem parum est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono, » etc. et num. 32. « Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem, in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum ; dederat, et adjutorium, sine quo, in ea non posset permanere, si vellet.... Posset ergo permanere, si vellet, quia non deerat adjutorium, per quod posset, et sine quo non posset perseveranter bonum tenere, quod vellet.... Si autem hoc adjutorium vel Angelo, vel homini, cum primum facti sunt, defuisset : quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manere, si vellet ; non utique sua culpa cecidissent : adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent.... ut autem in bono permaneret, egebat adjutorio gratiæ, sine quo id omnino non posset. » Eadem scribit c. XII, n. 37 et 38 et alibi persæpe : ut plane demirer novum Augustinum lib. *de Grat. primi homin. et Angel.* c. X ea scripsisse : « Nisi Augustinus omnia principia doctrinæ suæ retractare velit, cogitur merita status innocentiæ, non speciali dono Dei, sed arbitrio libertatis ascribere. » Imo et illud, ex Baii jam proscripta doctrina, de primo homine, et Angelis ibidem pronuntiasse : « Neque justa vita, neque perseverantia eis erant a Deo speciali donatione largienda : » idemque docuisse l. II *de Grat. Christi Salvat.* et alibi passim. Quod eo magis etiam miror, quod ipsum video non multo ante nempe c. X *de Grat. prim. hom. et Ang.* omnino aliter loquutum. Fatetur enim ibi, Pelagianos non in eo tantum errasse, et hæreticos habitos esse, quod in statu naturæ lapsæ, sed etiam, quod in statu naturæ integræ, et innocentis, supernaturalis gratiæ necessitatem negarent. Idque ait ad « Fidem catholicam pertinere, et testimonia pro gratiæ veritate, et in statu

innocentiæ necessitate, ita in operibus Augustini crebra esse; ut quicumque illam sibi vel labefactandam, vel negandam, vel etiam in dubium revocandam existimaret; ut a quibusdam factum fuit; eorum pondere, et multitudine, non minus, quam Ecclesiæ auctoritate, sit obruendus: hoc enim, tanquam fidei dogma, credidisse antiquitatem, et expresso canone credendum sanxisse. » Bene est: quoniam hic a se ipso tam plane discordat, non jam novo Augustino veterem, sed novum ipsum oppono, eumque propria ipsius confessione sic urgeo: in statu etiam innocentiæ ad cœlestem beatitudinem obtinendam necessaria erat gratia: ergo cœlestis beatitudo tunc quoque erat ex gratia: quod si ex gratia, jam non ex debito: alioquin gratia jam non est gratia, ut est manifestum per sese, ostensumque est supra art. 1 et §. 6 auctoritate Pauli, et Augustini. Sed ad sanc. doctorem revertamur, qui l. XIII *confess.* c. XIII, n. 4 duplex beneficium Angelis collatum, vitæ nimirum, et beatitudinis ita distinguit: « ut et quodcumque vivit, et quod beate vivit, non deberet, nisi gratiæ tuæ. » Idem in præs. lib. *de beata vita* n. 5 asserit se « nihil aliud videre; quod magis Dei donum vocandum sit. » Epist. autem CXLVII *ad Paulinam* c. VI, n. 18 citat illud Ambrosii super *Lucam* l. I, c. 1, 11. « Neque enim in potestate nostra est videre, sed in potestate illius apparere. Tametsi potestas non est videndi, est gratia promerendi, ut videre possimus, » etc. Epist. CLV *ad Maced.* n. 2. « Nemo enim potest veraciter amicus esse hominis, nisi fuerit ipsius primitus veritatis, quod si gratis non fiat, nullo fieri pacto potest. De qua re etiam philosophi multa dixerunt, sed... quia beatam vitam ipsi sibi quodammodo fabricare voluerunt, potiusque patrandam, quam impetrandam putaverunt, cum ejus dator non sit, nisi Deus. Neque enim facit beatum hominem, nisi qui fecit hominem. Nam qui tanta creaturæ sua bona bonis, malisque largitur, ut sint, ut homines sint, ut vigentes sensibus, valentes viribus, affluentes opibus sint; se ipsum bonis dabit, ut beati sint, quia ejus etiam munus est, ut boni sint. » Sic enim etiam ep. CXXX *ad Probam* c. II, n. 3. « Nam inde necesse est, ut fiat homo beatus, unde fit bonus.... Ille hoc in eis, et per eos agit, qui Spiritu suo bonos fecit. » Legenda quoque ep. CXCIV *ad Sixtum* c. V, n. 19 ab iis verbis: *Cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat, quam munera sua*, etc. item lib. X *de Civit.* c. II. « Sed non est nobis ullus, cum his excellentioribus philosophis in hac quæstione conflictus. Viderunt enim, suisque litteris multis modis copiosissime mandaverunt, hinc illos, unde et nos, fieri beatos, objecto quodam lumine intelligibili, quod Deus est illis, et aliud est, quam illi, a quo illustrantur, ut clareant, atque ejus participatione perfecti, beatique subsistant. » Nec non lib. XII, c. 1, n. 2. « Quamvis non omnis beata possit esse creatura, (neque enim hoc munus adipiscuntur aut capiunt feræ, ligna, saxa, et si quid ejusmodi est) ea tamen, quæ potest, non ex se ipsa potest, quia ex nihilo creata est; sed, ex illo, a quo creata est. » Quo in loco naturæ creatæ denegare videtur cum rationem ipsam boni perfecte beantis, tum etiam potestatem, atque virtutem ejus boni obtinendi, quoniam id, et *munus* vocat, eamque ex ipsa beatam fieri posse negat. Uti etiam lib. XIX, c. XXV in quo ita scripsit: « non est ab homine, sed super hominem, quod hominem facit beate vivere; nec solum hominem, sed etiam quamlibet potestatem, virtutemque cœlestem. » Favet nobis et illud, quod de visione Dei tradidit lib. XXII, c. XXXIX, n. 1 in hæc verba: « quantum est, aut quid est nostra intelligentia ad illam excellentiam? Ibi enim est pax Dei, quæ, sicut ait Apostolus *Philip.* IV, 7 *superat omnem intellectum*: quem nisi nostrum, aut fortasse etiam omnium sanctorum Angelorum? non enim et Dei. Si ergo sancti in Dei pace victuri sunt, profecto in ea pace victuri sunt, quæ superat omnem intellectum, » etc. De illa autem, quæ Dei visionem sequetur ἀναμαρτησίᾳ, *Impeccant* ita libri ejusdem cap. XXX, num. 3. « Verum hoc quoque Dei munere, non suæ possibilitate naturæ. » Denique illa omnia, si recte considerentur, quæ de *vita æterna* sapientissime scribit in lib. *de Grat. et lib. arb.* a num. 15, ad 22. Quamvis enim de statu naturæ lapsæ dicantur, generalia tamen sunt, et ad statum etiam naturæ innocentis accommodari facile possunt.

Augustini mentem non incleganter expressit Claudius Marius Victor. l. I *in Gen.* sic enim cecinit:

« Namque et in hoc est magna Dei indul-
[gentia summi.
Dum quod non meritis, sed tantum sponte
[benigna,
Largitur famulis, nostri cupit esse laboris:
Et se, quod donat, mavult debère videri. »

Legendi præterea Nilus Abbas ep. CCXII ab iis verbis : « Opus summi artificis Dei, sedulo ab eo, et quasi ambitiose elaboratum : etsi vero ornatum libero ad eligendum arbitrio ; tamen sine superno auxilio, » etc. Cyrillus Alexandr. l. I *in Jo.* cap. XVII. « Gloria Dei sanctos plenos neget nemo : gloriam tamen, et gratiam Filii longe sublimiorem, etc. non enim mensura sibi datur, ut cæteris, nec deforis accedit, etc. Sancti, veluti vernæ in domo sunt : Filius autem in domo sua versatur. » Item l. XI, c. XVII. « Petit ipse glorificari rursus a Patre, non adventitia quadam gloria, ut nobis petendum est : sed propria sua, et naturali. » Postremo *Thes.* l. XIV, c. I. « In futuro autem sæculo perfectissimam habituri sunt sancti viri participationem Deitatis : cujus participationis primitiæ Spiritus sanctus est, quia sanctis a Filio in hac etiam vita donatur. » Petrus Chrysologus serm. LXXI. Deus Pater homines dignatur hæredes : Deus Filius non dedignatur servulos cohæredes : Deus Spiritus, » etc. Basilius Seleuc. orat. II. « Ut possessionem adiret, cujus pars non erat, ne cognationi naturæ donum adscriberet, sed gratuitæ potius munificentiæ, » etc. Prosper. Aquit. sent. CXLIII. « Creaturæ rationalis, vel intellectualis bonum, quo beata sit, non est, nisi Deus : quod ei non ex se ipsa est : quia ex nihilo creata est : sed ex illo, a quo creata est. » Ex his autem intelligentiam habet, quod paulo ante citavimus ex Augustini l. XII *de Civit.*, c. I, n. 2. Illinc enim ista sententia. Vide præterea sent. CLXVII et CCLXVIII. Theodoretus in ep. *ad Rom.* VIII, a ver. 14. « Quoniam sæpe famulus etiam accipit aliquam a domino hæreditatem, non tamen Filii consors relinquitur ; necessario adjecit, *cohæredes autem Christi*, ut ejus inenarrabilem humanitatem patefaciat, » etc. vide etiam quæ in c. VI, v. 23 et *ad Eph.* c. I, v. 19. l. V *Hæret. Fabul.* c. XXI. « Promisit autem munificus donator, nihil caducum, etc. iis, qui digni erunt, et luce fruentur intellectuali et divina. » Lege etiam, quæ in *Psalm.* CIII, 1 in *Aggæum* III, 18, *Dialog.* I cui titulus *Incommutabilis* et II cui titulus, *Inconfusus* : denique orat. X *de Provid.* Salonius dialog. in *Parab. Salom.* « Omnes enim lapides sæculi, id est, sancti, et electi viri opera sunt Domini, quia nemo suo merito electus est a Domino, ut ædificationi esset aptus, sed sola gratia, et misericordia. » Gennadius ipse : « Angeli, qui in illa, qua creati sunt, beatitudine perseverant, non naturam bonum possident, etc. Gelasius I in opusc. *cont. Pelag.* « Spiritus ille, qui quod erat, nec sempiternum habebat omnino, nec summum, per rapinam maluit occupare, quam, per auctoris gratiam, perpetem consequi dignitatem : quemadmodum B. Angeli in divina gratia permanentes consequuti sunt sempiternæ beatitudinis firmitatem. » Jo. Maxentius in sua *Profess.* « Liberum autem naturale arbitrium ad nihil aliud valere credimus, nisi ad discernenda tantum, et desideranda, etc. ad ea vero, quæ ad vitam æternam pertinent, nec cogitare, nec velle, desiderare, nec perficere posse, nisi per infusionem, et inoperationem intrinsecus Spiritus sancti.... Non utique per donum naturæ, » etc. Fulgentius primum divinæ gratiæ auxilia Angelo, et homini in statu etiam innocentiæ, necessaria esse statuit ad salutem : lib. II *ad Tras.* c. III ab iis verbis : « Ipsa igitur etiam homini reparando fuit necessaria, quia non alia stantem Angelum a ruina potuit custodire, nisi illa, quæ lapsum hominem post ruinam potuit reparare. Una est in utroque gratia operata, » etc. Item in ep. *ad Probam* n. 5 ab iis verbis : *idcirco autem gratuita semper est Dei sancta largitio*, etc. epist. VI *ad Theodor. Senat.* n. 8 et 9. « Non hoc ex qualitate conditionis humanæ habetur, sed ex benignitate divinæ illuminationis acquiritur, » etc. Ep. XVII *ad Petr. Diac.* c. XII, n. 23. « Sic humano generi gratuitam gratiam divina bonitas contulit, » etc. et num. 24. « Primo homini, quem ad suam imaginem gratuita bonitate bonum fecit, si juvantem se gratiam Dei non desereret, præmium vitæ æternæ, » etc. et num. 25. « Primus homo accepit quidem gratiam, qua posset non peccare, si vellet : nondum tamen tantam acceperat gratiam, etc. Præterea ep. IV *ad Probam de orat.* nu. 4. « Nec Angelica potest, nec humana præstare natura, » etc. lib. *de Trinit.* c. IX « habebat liberum arbitrium, ut posset bonus esse, si vellet, non quidem sine gratia Dei, » etc. cap. XI. « Gratiam igitur, quam primus homo habebat ante peccatum, » etc. lib. III, c. XV, n. 24. « Liberum vero humanæ mentis arbitrium in primo homine rectum creatum est : non tamen sine adjutorio gratiæ, » etc. cap. XVII, n. 27 « virtus itaque hominis, quæ minorem habuit gratiam, » etc. lib. *de Fid. ad Pet.* c. III, n. 30. « Non est igitur natura, quæ in æternum possit.... Pars itaque Angelorum, quæ a suo Creatore Deo, quo solo dono beata fuit, » etc. num. 35. « Si possibile esset, ut humana natura.... multo

possibilius hoc natura haberet Angelica, » etc. cap. XXIII, n. 64. « Non est Angelis naturaliter insitum, sed postquam creati sunt, gratiæ divinæ largitate collatum, » etc. Denique l. I *de ver. Præd. et Grat.* c. I, n. 2. cap. XVII, n. 35, cap. XIX, n. 40. Deinde de ipsa beatitudine hæc apud ipsum legenda lib. I *ad Monim.* cap. X ab iis verbis *attendamus etiam vitam æternam, regnumque cœlorum etc.* Ep. XIV *ad Ferrand.* in respons. ad quæst. III, num. 31, « Spiritus ergo rationalis accepit a Deo, ut videat Deum : accepit utique per gratiam » etc. lib. *de Trinit.* c. VIII. « Rationalem Angelorum naturam de Dei sui dono beatam. » Ad hæc videnda præcipue lib. *de Fid. ad Pet.* c. XXIII, n. 64, c. XXVIII, n. 69, cap. XXIX, n. 70, cap. XXXV, n. 76, lib. III *de verit. Præd. et Gra.* cap. V, n. 8 ep. *ad Pet. Diac.* XVII cap. XXI, n. 42, lib. *de Fid. ad Pet.* cap. III, n. 28, 29, 30. Gregorius Magn. etiam de auxiliis divinæ gratiæ ad beatitudinem necessariis ita primo scribit lib. V in cap. IV *Job.* cap. XXXVIII, n. 88. « Quia ergo ipsa quoque natura Angelica est in semetipsa mutabilis » lib. XXV in cap. XXXIV, cap. VI, n. 9 et 9, 10, « Cum cuncti noverimus, quod et humana anima, Angelici Spiritus, » lib. XXVIII, cap. XIV, n. 34. « Electi Angeli etiam cum redemptis in mundi fine hominibus largitatem gratiæ, » Tum alia similia aliis in locis quam pluribus, quæ jam vel solum notare distædet. De beatitudine ipsa illud lectissimum est, quod scripsit lib. XVIII in cap. XXVIII *Job.* cap. XLIV, num. 92, ab iis verbis, *cum Apostolus hoc hominibus dixisset absconditum.* Isid. lib. I, s. XII. « Gratia dicimus, non natura esse incommutabiles Angelos, » etc. Maximus cent. V, cap. XIII. « Supernaturalis ratio, quæ absque ulla conversione transformat naturam in Divinitatem, » etc. item cap. XVIII Beda tom. VIII, lib. *var. quæst.* q. XIII *de lib. arb.* « bona natura rationalis creaturæ, cooperari quidem bonum, apposita gratia potest... Deus dicitur præscire cuncta, quæ fiunt per vim naturæ, vel per vim libertatis. Dicitur etiam scire ea, quæ fiunt bona, futura esse bona, per appositionem gratiæ. Dei igitur prædestinatio est divinæ gratiæ appositio... » Idem in *Psalm.* LXX, 18. « Ne putaremus gratiam ad solos hominines pertinere, cum etiam pertineat ad supercœlestes Spiritus : quia et hoc, quod sunt, et quod bene vivunt, id est, quod in veritate persistunt, est ex gratia. » Vide apud ipsum, et com. in cap. XIII, 1, *ad Cor.* locum ex ep, *ad Paulin.* « Si quæris unde videbimus, respondeo, unde Angeli vident, quibus tunc erimus æquales... Ipsi enim sunt oculi, de quibus Apostolus dicit : *illuminatos oculos cordis vestri*, etc. Si quæris, utrum etiam sicuti est, aliquando possit videri : respondeo, filiis hoc esse promissum, » et in cap. VI, ep. I *ad Timoth.* locum ex lib. I *de Trinit.* « Videri Divinitas humano visu nullo modo potest, sed eo visu videtur, quo jam qui viderint, non homines, sed ultra homines sunt » Necnon ex tractat. *super Psalm.* CXVIII, 33. Dictum est, *Deus habitat lucem inaccessibilem* : et audimus tamen : *accedite ad eum, et illuminamini.* Quæ utique solvitur quæstio : ut inaccessibilis sit viribus nostris : accedatur autem ad eum muneribus suis. » Joh. Damascenus lib. II *de Fid.* cap. III. « Angeli natura ita comparati sunt, ut ad malum ægre moveri. non tamen omnino non moveri possint : nunc vero... quod tamen non eorum naturæ, sed gratiæ, » etc. generaliter autem, et pro omni statu, divinæ gratiæ auxilia ad salutem necessaria docet his locis lib. II *de Fid.* cap. XII, XXIX, XXX, lib. *de duab. volunt.* num. 29, etc. De ipsa vero beatitudine lib. III *de Fid.* cap. XXVIII, ab iis verbis *ipsa denique sempiternorum bonorum possessio.* » etc. et *in paral.* lib. III, tit. I, ex Nysseno ab iis verbis : *præmium virtutis est, Deum fieri, et purissimo lumine collustrari,* etc. Anselmus toto cap. III *de casu diab.* et cap. XVII ab iis verbis : *sed modo multo minus ; tunc enim conditione naturæ non poterat habere ; nunc vero, merito quoque culpæ non debet habere.* Tum in orat. II. « Deus per Filium suum beatos Angelos a peccato servavit. » Denique integris capitibus II et III, quæst. III *de concord. Præsc. cum lib. arb*, Bernardus *de Grat. et lib. arb.* cap. XIII, n. 43. « Deus namque bona sua, quæ dedit homnibus, in merita divisit, et præmia : ut et præsentia per liberam possessionem nostra interim fierent merita, et futura per gratuitam sponsionem expectaremus, immo expeteremus, ut debita..... Dei sunt procul dubio munera tam nostra opera, quam ejus præmia : et qui se fecit debitorem in illis, fecit et nos promeritores ex his. » Quod non solum de hominibus, sed de Angelis quoque dicit, atque explicat num. 44, 45, etc. Quid quod serm. XXII in cant. n. 6. « Qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo, ne laberetur... et hac ratione fuit æque utrique redemptio, solvens illum, et servans istum. Liquet ergo sanctis Angelis

Dominum Christum fuisse redemptionem. sicut justitiam, sicut sapientiam, sicut sanctificationem, » etc.

Ex scholasticis satis sit audire D. Thomam. Is in I. II. q. CIX, art. 2. « Virtute, inquit, gratuita superaddita virtuti naturæ indiget homo in statu naturæ integræ, quantum ad operandum, et volendum bonum supernaturale. » Cum quo certe componi non potest, quod asserit Baius thesi XXIII. « Absurda est eorum sententia, qui dicunt, dono quodam supernaturali, et gratuito. » Idem vero sanc. doctor agens de lib. arb. art. VII. « Si creatura rationalis esset naturaliter impeccabilis, ex puris naturalibus, sine gratia, ad beatitudinem posset pervenire, quod Pelagianam hæresim sapere videtur » et q. IV *de Malo* : « carentia, inquit, divinæ visionis dupliciter convenit alicui : uno modo sic, quod non habeat ex se, unde possit ad divinam visionem pervenire : et sic carentia visionis divinæ competeret ei, qui in solis naturalibus esset, absque peccato. Sic enim carentia divinæ visionis non esset pœna, sed defectus consequens omnem naturam creatam. » Idem. I, p. q. XII a. 4. « Impossibile est, quod aliquis intellectus creatus per sua naturalia essentiam Dei videat. Cognitio enim contingit, secundum quod cognitum est in cognoscente : cognitum autem est in cognoscente, secundum modum cognoscentis » et q. XXIII, a. 1. « Finis, ad quem res creatæ ordinantur a Deo, est duplex : unus, qui excedit proportionem naturæ creatæ, et facultatem ; et hic finis est vita æterna, quæ in divina visione consistit : quæ est supra naturam cujuslibet creaturæ. » Denique q. LXII, a. 2. « Angeli indiguerunt gratia ad hoc, quod converterentur in Deum, prout est objectum beatitudinis... Nulla creatura rationalis potest habere motum voluntatis ordinatum ad illam beatitudinem, nisi mota supernaturali agente : et hoc dicimus auxilium gratiæ. » Idem sentit Scotus : sed aliis rationibus ducitur. Vide q. I, prolog. *Quodlibet*, XIV, II. D. III q. IX. Idem reliqui de schola theologi : Deique visionem efferunt supra omnem naturam, quæ Deus non sit.

§ III.

Itaque ad primum respondeo, etiam pro statu naturæ lapsæ, plusquam sexcentis in locis, et vitam æternam a sanc. doctore vocari mercedem, imo, et justitiæ coronam ; et bona opera, auxilio gratiæ ab hominibus edita, meriti nomine nuncupari. Sic lib. *de Grat. et l. arb.* cap. VIII, n. 20, « vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur... quoniam præmium ejus est, gratia est pro gratia, tanquam merces pro justitia ; » et in illud Pauli *ad Thimot.* IV, 8, *reposita est mihi corona justitiæ.* Ipse cap. VI n. 14, « cui redderet, inquit, coronam justus Judex, si non donasset gratiam misericors pater ? et, quomodo esset ista corona justitiæ, nisi præcederet gratia, quæ justificat impium, » et in ep. CXCIV *ad Sixtum*, cap. II, n. 6. « Nullane sunt merita justorum? sunt plane, quia justi sunt, sed, ut justi fierent, merita non fuerunt. » Quid est igitur, quod locis nobis objectis, « factum dicit Gratiæ donum, quæ merces meriti futura erat : » meritum autem *conticescere* jubet? Numquid in statu innocentiæ beatitudinem mereri poterat homo ex se ipso? Minime, inquit Augustinus cum aliis pluribus in locis supra citatis, tum *Enchir.* cap. CVI, n. XXVIII, « sine gratia nec tunc ullum meritum esse potuisset. » Quare igitur scribis, modo « naturam humanam accipere per gratiam, quod fuerat, si non peccasset, acceptura per meritum? » Respondet : « quia, post illam ruinam, major est misericordia Dei, » Nempe, quia nunc nulla esse possunt hominum merita, nisi ex specialissima Dei gratia, ac longe majori, quam quæ est ab initio primo homini data. Novum autem non est, imo in familiari etiam sermone usurpatur, cum duo simul comparantur, quod minus est, nullum dici : quem loquendi morem acceperunt Patres e sacris ipsis paginis : sic est *Ose* VI, 6. *Misericordiam volo et non sacrificium*, et *Luc.* XIX, 26, *omni habenti dabitur, et abundabit : ab eo autem, qui non habet. et quod habet, auferetur ab eo.* Denique ad *Rom.* XV, 10. *Non ego, sed gratia Dei mecum.* Gratiam autem status innocentiæ præsens gratia his præcipue excedit : hæc enim appetitum rationalem debilitatum, ac vulneratum primi hominis culpa peculiarem in modum adjuvare, confirmare, roborare debet : ut appetitui sentienti resistat. Secus vero illa : cum appetitus superior nihil difficultatis haberet ab inferiori : eumque nutu suo, plane ad arbitrium, regeret ac gubernaret. Præterea gratia præsens nobis non solum non datur ex debito ; sed datur male merentibus et plane indignis. Illa vero nihil quidem merenti collata fuit, sed non indigno. Imo, quamvis homini, ut homo est, non deberetur ;

eidem tamen debebatur, ut ad finem supernaturalem evecto : neque enim potuit Deus homini, quem ad eum finem extulerat, opes illas, atque auxilia denegare, sine quibus finem illum adipisci plane non potuisset. Quamvis igitur ea supra propriam hominis conditionem foret ; nequaquam tamen conditionem illam superabat, in qua positus est ab initio, singulari Dei beneficio : quæ conditio, cum ab Augustino *naturalis* dicatur, quod nempe in ea primum conditi sumus ; eaque omnia *naturalia* dicantur, quæ simul accepimus cum natura ; mirum non est, eumdem scribere, « naturam humanam, quæ ab illa conditione excidit, accipere per gratiam, quod fuerat, si non peccasset, acceptura per meritum : » non quod merita modo non sint, aut tunc gratia non fuerit ; sed, quod meritum modo est ex gratia longe majori, quæque adeo non debetur statui illi, et conditioni, in qua nascimur, et quam simul accipimus cum natura ; ut id potius cum natura trahamus, quod ea gratia nos indignissimos efficit, nempe peccatum : sumus enim *natura filii iræ*.

Ad secundum respondeo, sanc. doctorem in eo sermone Pelagianos aggressum dupliciter, et bipartito : auctoritate, et ratione. Auctoritate sic pugnat : plura profert Sacræ Scripturæ loca, quibus perspicuum est, hanc esse præsentis providentiæ legem, ut, qui peccato obstricti moriuntur, addicantur æterno supplicio ; qui vero innocentes e vita decedunt, regnum cœlorum obtineant : ita ut nullus sit locus iis quasi relictus, qui neque ad supplicium, neque ad regnum pertineant, « Venturus est, ait cap. III, num. 3. Dominus, et judicaturus de vivis, et mortuis, ut loquitur Evangelium : duas partes facturus est, dexteram, et sinistram ; illam regnum nominat, hanc cum diabolo damnationem. Nullus relictus est medius locus, ubi ponere queas infantes ; de vivis, et mortuis judicabitur ; alii erunt ad dexteram, alii ad sinistram ; non novi alium ; qui inducis medium, recede de medio. » Tum illud Apostoli I *ad Cor.* VI, 10. *Neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt*, ita expendit cap. IV n. 4, « non dixit, illi, et illi, tales, et tales igne æterno torquebuntur, sed regnum Dei non possidebunt ; substracta enim dextera, non remanebit nisi sinistra. » Ex his autem manifeste sequi dicit, parvulos sine ulla culpa morientes, et dexteram tenere, et regno cœlorum potiri. Quod cum Pelagiani negarent, in ipsos merito iis verbis invehitur : « Quare patrimonium regni cœlorum abripis innocenti ? » innocenti scilicet obligatum præsentis providentiæ legibus, quæ a dextera neminem nisi reum excludit. *Quæ est ista justitia* ? cum duæ statutæ sint hominibus sortes inter se maxime contrariæ, damnatio reis, innocentibus regnum ; promissis, pactionibusque non stare, eumque, « qui nullam habet culpam, nec suam, nec de parente tractam, regno prohibere, et sorte sanctorum ? » Rationem quoque, ut dixi, in pugnam hic advocat sanctus doctor : non eam vero, quam fingunt Baiani, et Jansenistæ ; ut nimirum naturæ humanæ innocenti apertam Dei visionem deberi contendat, idque naturali lumine probari posse putet : Pelagianis ipsis deterior sit, si ita judicet ; ab iisque, immo ipse a sese statim redargui possit. Quid tu ? Naturæ humanæ, quamtumvis conanti, suisque viribus, et facultatibus recte, atque honeste operanti regnum cœlorum deberi negas, atque eam gratiam, quo regno cœlorum dignum aliquid agat ; eidem vero in puerulis nihil adhuc operanti regnum illud deberi contendis ? Numquid minus est natura cum suis omnibus præclaris actionibus, atque promeritis, quam sola natura ? Dico igitur, Augustinum alia ratione Pelagianos aggressum : contraque ipsos *ad hominem*, ut aiunt, atque ex ipsorum opinione ac persuasione pugnasse. Si enim naturæ humanæ tantum tribuebant, ut eam suis duntaxat operibus, ac recte factis mereri dicerent regnum cœlorum, ut præmium, et coronam ; cur non etiam dicerent, eamdem naturam, si sit innocens, nec tempus merendi detur, regnum idem obtinere ut patrimonium, ac veluti hæreditatem conditoris sui ? Vim enim hanc iis verbis inesse puto, « cur patrimonium, abripis innocenti ? » Sicut enim, Pelagianorum confessione, puer per Baptismum obtinet regnum cœlorum, nulla adhuc edita actione laudabili ; cur etiam non illud obtineat, per naturæ innocentiam ? Sed ipsum sanc. doctorem præstat audire qui cap. V, n. 5. « Si aliquis, inquit, dicat parvulos merito innocentiæ, sicuti dicitis, non solum habituros salutem, et vitam æternam, sed et regnum cœlorum, unde apud vos definitum, certumque est, sine baptismo, regnum Dei non habituros ? Istum quomodo superabitis ? Quoniam vos aliquando contra evidentissimam auctoritatem, ratio humana delectat. Proferte ipsam regulam

rationis vestræ, istum vincite : ego sine præjudicio partes hujus parumper suscipio, et dicam quod ipse non sentio ; » ex vestra vos sententia oppugnabo : atque alia subjungit, quibus intelligas, sicubi sanc. doctor visus naturæ innocenti tribuere jus ad regnum cœlorum, non ex suo, sed ex Pelagianorum sensu loquutum.

Ad tertium respondeo id ipsum de Cœlestino, quod art. 1, § 3, dictum est de Leone, et Prospero, atque adeo de Augustino ipso, aliisque, qui naturalia vocant ea dona, quæ primus homo accepit simul cum natura. Ea omnia recole, atque insuper, sic habeto: Patres hos de natura hominis loquutos, ut ad præsentem pertinet providentiam. Ejus autem duo præcipue considerandi sunt status, gratiæ scilicet, et peccati; qui si comparentur inter se, ea verius, ac rectius natura dicatur, cui superaddita fuerunt gratiæ dona, quæ ipsam perficerent; quam, cui superadditum est peccatum, quod ipsam plane vitiat, atque inficit. Sic Augustinus lib. III *de lib. arb.* cap. XIX, n. 54. « Naturam aliter dicimus, cum proprie loquimur, naturam hominis, in qua primum in suo genere inculpabilis factus est : aliter istam, in qua, ex illius damnati pœna, et mortales, et ignari, et carni subditi nascimur, juxta quem modum, dicit Apostolus; *fuimus enim et nos naturaliter filii iræ.* » Item lib. I. *Retract*, cap. x, n. 3, « ipsa enim vere, ac proprie natura hominis dicitur : translato autem vocabulo utimur, ut naturam dicamus etiam qualis nascitur homo, » et cap. xv, n. 6, « proprie natura dicitur, in qua sine vitio creati sumus. » Quoniam igitur *possibilitas*, de quo Cœlestinus, et alia superna dona, de quibus alii loquuti sunt Ecclesiæ Patres, statum gratiæ sequuntur, et hominis primordia fuerunt : contra vero ejus possibilitatis amotio, successioque ignorantiæ, difficultatis, doloris, mortis, et aliorum omnium malorum, quibus urgemur; sequuntur statum peccati, et supplicii rationem habent, eam ob causam illa, non hæc a Patribus *naturalia* merito nuncupantur.

DISPUTATIO A RATIONE.

§ IV.

Idem nobis objiciunt, primo, proprium naturæ rationis participis finem positum esse in Dei contemplatione : nec qualicumque, sed, quæ plene hominis animum expleat, ipsumque perfecte beet.

Secundo, quod est simile hujus, Deus juste non potest rationalem naturam prorsus innocentem addicere æternæ miseriæ : homo autem regno cœlesti, et aperto Dei contuitu exclusus in æterna esset miseria : vel enim expeteret eam beatitudinem, vel non. Si non expeteret, esset miseria ipsa perversitas. Si expeteret, et non obtineret, esset miseria ipsa privatio. Qua ratione usum dicunt Augustinum serm. CCXCIV, cap. VI, n. 6.

§ V.

Sententiam profecto nostram ratio illa tuetur, qua vere usi sunt Patres : homo natura Dei servus est : non igitur ipsi debetur regnum cœlorum, quod veræ hæreditatis rationem habet, eoque nomine in Sacris litteris crebro usurpatur. Id ipsum probat, quod de clara Dei visione Patres omnes confirmant locis cit. art. 1, et 7, præcipue vero Dionysius, eam nimirum esse *ordinis Divini*. Etenim ordinis divini non sunt perfectiones illæ quæ hominibus etiam debentur, ut vivere, intelligere, velle, etc. sed quæ soli Deo debentur : quæ quidem sunt in duplici classe : aliæ enim ita soli Deo debentur, ut ab ipso participari non possint cum re ulla creata : cujusmodi est Deum ipsum intelligentia perfecte comprehendere : aliæ vero ita soli Deo debentur, ut ab eo communicari etiam possint cum angelis, et hominibus : cujusmodi est, Deum ut est in se ipso, clare, et aperte intueri. Nobis rationes tandem illæ militant, quibus hanc Dei visionem scholastici efferunt super omnem plane naturam creatam : quas recenset Suarez I, p. lib. II, cap. IX, atque illa præsertim, quam ex D. Thoma affert num. 7 his verbis. « Modus essendi Dei est altioris ordinis, et rationis ab omni esse, seu modo essendi omnis creaturæ possibilis, ergo intelligibilitas Dei est alterius rationis, et ordinis ab omni modo cognoscendi connaturali cuicumque creaturæ possibili, ergo a nulla videri potest per vires suæ naturæ.., Etenim modus cognoscendi est accommodatus modo essendi, et similiter cognoscibilitas, seu intelligibilitas Dei est proportionata perfectioni ejus in genere entis : ergo, quo res habet in suo esse altiorem modum essendi, eo est intelligibilis altiori modo, et e contrario, quo habet inferiorem modum essendi, eo est cognoscitiva, seu intellectiva minus perfecto

modo : ergo ex modo essendi diverso objecti intelligibilis, et naturæ intelligentis, recte colligitur eorum improportio, ut unum ab altero naturaliter cognosci non possit perfecte, et prout in se est. »

§ VI.

Itaque adversariis respondeo, quod utramque rationem nobis objectam simul refellat, proprium naturæ rationis participis finem, præmiumque honestarum actionum positum quidem esse in Dei contemplatione, et amore, sed ordinis naturalis. Id vero ita animum expleret, ut in eo non existeret desiderium ullum vehemens, acre, atque, ut aiunt, *absolutum, et efficax* boni majoris : quod ejus pacem, beatitudinemque turbaret. Sicuti modo beatos anxios, aut mœstos non habet desiderium perfectioris visionis, seu hypostaticæ unionis.

DE PELAGIANORUM

ET SEMIPELAGIANORUM

Dogmatum historia

LIBER UNUS

CAPUT PRIMUM.

Pelagii ortus, vitæ genus ; an Chrysostomo, et Isidoro Pelusiotæ cognitus. De Cœlestio ejus discipulo ; utriusque gesta, certamina, accusatio, damnatio. Diospolitana synodus, deque Pelagio judicium. Augustini cum ambobus contentio. De Orosio, ejusque Apologia. De Herote, et Lazaro Pelagii accusatoribus. De Africano concilio, in quo ad extremum damnatus est cum hæresi sua Pelagius. Zosimi Papæ res in causa illius hæresis gestæ. De Juliano, ejusque cum Augustino conflictu.

I. De Pelagio, ejusque hæresi sæpe hoc in opere mentionem cogimur facere ; præsertim vero cum de Prædestinatione, ac libera hominum voluntate disputamus ; quæ duo capita, nisi illa prius explicata et cognita, bene intelligi tractarique nequeunt. Ac proprius quidem ejus exponendæ locus ibi esse videtur, ubi de gratia disseritur, cujus operæ maxima pars in excutiendo, ac refutando sectæ istius errore consumitur. Sed, quoniam de gratia nonnisi longo post intervallo agere constitui, quod ei *Theologicorum dogmatum* parti prævertenda mihi esse aliqua decrevi, præter quæ vereor, ut ætatis jam devexæ, et ingravescentis spatia prorogari possint ; non abs re sum arbitratus fore, si de Pelagiana hic hæresi quædam velut in antecessum adnotarem, quæ usui futura lectoribus ad illa, quæ jam scripta sunt, capienda putavi. Ea vero ante complures annos meditata jam, et confecta tum habebam, cum de prædestinatione, quæ sunt edita, commentarer. Quo ex tempore complures de eodem argumento lucubrationes in lucem prodiere virorum doctorum, in quibus similia, ac nostra erant, observasse, edendoque occupasse illos animadvertimus. Quæ res non eo apud me valuit, ut eam partem, quæ Pelagii acta, et historiam complectitur, funditus omitterem ; sed uti tum hanc brevius, et quantum omitti non poterat, explicarem, tum alia quædam adjungerem, quæ lucis aliquid ab hac nostra disputatione capere posse non diffiderem. Nam et alioqui, « cum eadem multipliciter, varieque versantur, atque tractantur, ipsos quoque capaciore intelligentia præditos adjuvant et ad facilitatem sciendi, et ad copiam disserendi, » ut ait Augustinus [1].

Pelagii patria, ortus, vitæ genus.

II. Pelagio patria fuit insula Britannia, sive Scotus, sive Britannus fuerit ; nam utrumque traditur. Nec audiendus est Lambertus Danæus Genevensis minister, qui in *Scholiis* ad librum Augustini *de Hæresibus*, Pelagium in Aremoricis ortum esse scribit, maritima Galliæ regione, quæ jam tum Britannia vocata sit, translatis eo Britannis ex Albione insula. Sed nugari est hoc asserere ; nam Britannia nondum illa Galliarum nominabatur provincia, cum natus est Pelagius, quem Britonem [2], et Britannum veteres appellant [3] ; Scotum tamen nuncupasse videri potest Hieronymus [4]. Ea de causa factum est, ut in insula ista altiores hæresis illa radices egerit, ad quas evellendas hinc Gallia navigavit Germanus Antissiodorensis.

Fuit autem monachus Pelagius [5], ac Romæ diu vixit, ut indicat Augustinus [6], necnon in Oriente, ac Palæstina, ubi sanctitatis haud mediocri fama celebratus est. Certe Augustinus in libro tertio *de Peccatorum meritis, et remissione*, cap. I. honorifice de eo loquitur his verbis. « Verum post paucissimos dies legi Pelagii quædam scripta, viri, ut audio, sancti, et non parvo profectu Christiani. » Et cap. III, « bonum, ac prædicandum virum » appellat ;

1 Lib. II *de Bapt. con. Don.* c. I.— 2 Aug. ep. CVI.— 3 Prosp. carm. *de Ingr.*— 4 Præf. in *Jer.*— 5 Aug. *de Pær.* c. LXXXVIII et *de Gest. Pelag.* c. XXXV.— 6 Epist. XCV et lib. II *de Pec. orig.* c. VIII et XXI.

cujus elogii sui meminit in libro secundo *Retractationum*, cap. XXIII ubi « Pelagii ipsius nomen non sine laude aliqua posuisse dicit, quia vita ejus a multis prædicabatur. » Quo etiam ex loco constat, libros illos tres *de Peccatorum meritis, et remissione*, primum opus eorum fuisse, quæ contra Pelagianam hæresim scripsit, cum « Cœlestius discipulus ejus am propter tales assertiones apud Carthaginem in episcopali judicio excommunicationem meruisset. ».

III. Hic Augustini locus attente considerandus est, quatenus post damnationem Cœlestii tres illos libros elucubrasse se dicit, ex quo tempus indicat, quo eos edidit. Nam Cœlestius anno Christi 412 damnatus est, ut postea docebitur; itaque post hunc annum scripti sunt illi libri*. Hinc apparet, non valde esse probabile, quod plerique omnes arbitrati sunt, qui de Pelagio hoc, et superiori sæculo scripserunt, hunc esse Pelagium illum, cujus meminit Chrysostomus in epistola IV *ad Olympiadem*, ubi lapsum illius deplorat: « De Pelagio, inquit, monacho valde moleste tuli. Cogita igitur, quantis coronis digni sunt, qui fortiter steterunt, cum viri in tanta disciplinæ severitate transacta vita sic abrepti videantur[a]. » Hæc anno 405 scripta esse oportet, cum in exilio esset Chrysostomus. Atqui nondum tunc hæresis ullius suspectus erat Pelagius. De hac enim intelligendum esse Chrysostomum, rati sunt homines illi docti, qui ad hæresiarcham Pelagium epistolam istam pertinere putant. Quis autem persuadere sibi poterit, tanto ante compertam, et cognitam illam de gratia Christi hæresim Græcis, et Orientalibus fuisse, quam Latinis; cum ea jam detecta, et in clara luce posita, totque synodalibus decretis in occidente confossa, plerisque Græcorum vix bene perspecta fuerit? Certe Augustinus post Cœlestii damnationem, hoc est post annum Christi 413, Pelagium, ut vidimus, optima et laudabili fama commendatum fuisse testatur. Itaque nominis ejusdem monachus quispiam designatur a Chrysostomo.

Pelagius Chrysostomo incognitus.

IV. Sed nec illud facile concesserim, quod iisdem eruditis viris placuit, eumdem nostrum esse Pelagium Eremitam, ad quem scripsit Isidorus Pelusiotes acrem[1], et aculeatam epistolam, qua illum liguritorem, et cupediosum fuisse significat, cum jam senex esset, et canis adspersum caput haberet. Verum qua tandem illi conjectura ducuntur, nisi nominis quæ est levissima; cum Pelagii nomen commune multis fuisse constet? Utrum autem in Ægyptum pedem unquam posuerit hæresiarcha Pelagius, nemo pro certo affirmare potest. Quanquam quod ad delicias, et epularum, ac lautitiarum cupiditatem attinet, testis est Orosius *in Apologia*. Pelagium cuticulam suam curasse plus quam frugi monachum deceret. « Sed tibi specialis, inquit[2], inde portandi oneris fortasse fiducia est, quod balneis, epulisque nutritus latos humeros gestas, robustamque cervicem, præferens etiam in fronte pinguedinem. » Et paulo post: « Sed quid ego hæc a confessione tua exigo, cum conversationem tuam vulgus agnoscat? » Quinetiam antea μονόφθαλμον, id est *oculo altero captum* fuisse demonstrat: « Noster, inquit, hic mutilus, lævis in fronte, μονόφθαλμος, non necessarium sibi æstimat munimen in capite, qui possibilitatem sibi præsumit in carne. »

Necnon Isidoro Pelusiotæ.

V. Hunc Rufini discipulum fuisse, et ab eo semina erroris accepisse, indicat Hieronymus in præfatione ad commentarios *in Jeremiam*: ubi Grunium (ita enim Rufinum nominat) vocat præcursorem Pelagii, « quem stolidissimum, et Scotorum pultibus prægravatum appellat. » Et in præfatione ad librum tertium *commentariorum*, de eodem Rufino, « Habet, inquit, progeniem Scoticæ gentis, de Britannorum vicinia. » Quibus ex Hieronymi verbis colligunt aliqui, Scotum fuisse Pelagium. Scotorum porro nativa sedes olim non Britannia fuit, sed Hibernia. Nihilominus Britonem constat appellari vulgo, haberique Pelagium.

Roma profectus aliquando in Africam Pelagius, Hipponam adiit, absente Augustino, et ibi brevem moram egit, cum jam ante de ejus hæresi aliquid inaudisset Augustinus, ut

a Chrys. ep. IV. Σφόδρα ἤλγησα ὑπὲρ Πελαγίου τοῦ μονάζοντος. Ἐννόησον τοίνυν ὅσων ἄξιοι στεφάνων εἰσὶ γενναίως στάντες, ὅταν ἄνδρες ἐν τοσαύτῃ ἀσκήσει διαγαγόντες, καὶ καρτερίᾳ, οὕτω φανῶσιν ὑποσυρόμενοι.

* Confirmat hoc judicium Petavii Em. Card. Norisius, *hist. Pel.* lib. I, cap. III; ostenditque credibile non esse Pelagium petiisse orientem ante annum 411, cum epistola illa Chrysostomi sit data anno 405, cum in exilio esset Chrysostomus Arabissi in Armenia. Th. AL.

1 Lib. III, ep. CCCXIV.— 2 Oros. in Apol.

in capite XXII libri *de Gestis Pelagii* refert ipsemet. « Romæ, inquit, constituti Pelagii nomen cum magna ejus laude cognovi. Postea cœpit ad nos fama perferre, quod adversus Dei gratiam disputaret ; quod licet dolerem, et ab eis mihi diceretur, quibus crederem, ab ipso tamen tale aliquid, vel in ejus aliquo libro nosse cupiebam, ut, si inciperem redarguere, negare non posset. Postea vero quam in Africam venit, me absente, nostro, id est Hipponensi littore exceptus est, ubi omnino, sicut a nostris, nihil ab illo hujusmodi auditum est ; quia et citius, quam putabatur, inde profectus est. Postmodum ejus faciem Carthagini, quantum recolo, semel, vel iterum vidi, quando cura Collationis, quam cum hæreticis Donatistis habituri eramus, occupatissimus fui ; ille vero etiam ad transmarina properavit. » Collatio hæc habita cum Donatistis est anno Christi 411 altero ab Alarici irruptione, et clade Urbis ; e qua cum aliis plerisque Pelagium in Africam se recepisse, et inde in Palæstinam navigasse verisimile est. Paulo post ad Augustinum epistolam scripsit [1], et vicissim ab eo mutuam accepit [2] ; quam postea ad sui defensionem protulit.

Nostis.

Cælestius Pelagii discipulus, ejusque hæresis fautor acerrimus.

VI. Pelagii discipulus, et fautor illius hæresis, ac propugnator acerrimus fuit Cœlestius, quem nonnulli ex Hibernia oriundum asserunt [3], idque auctore, ut putant, Hieronymo in locis paulo ante citatis. Qui magistrum suum audacia superans, tergiversante ipso, et subdole ac diffidenter hæresim vulgante, palam, et pubice profiteri cœpit, præsertim in Africa. Ubi a Paulino diacono Carthaginensi accusatus, judicio synodali damnari, et excommunicari meruit anno 412, ut ex epistola synodica constat concilii Carthaginensis habiti anno 416, ubi ante quinquennium damnatus esse dicitur Cœlestius : et excommunicatus in libro secundo *Retractationum* capite XXXII. Hujus synodi Carthaginensis, et actiones Paulini contra Cœlestium, fragmenta quædam exstant apud Augustinum in secundo libro *de peccato Originali* [4]. Hunc eumdem Cœlestium, alibi scribit Augustinus [5], in Ecclesia Carthaginensi « ad Presbyterii honorem surrepere cœpisse, » quando judicio postulatus est.

De Cœlestio et Pelagio contraria Augustini et Hieronymi judicia.

De utroque, Cœlestio, et Pelagio contraria sunt judicia summorum duorum virorum, Augustini et Hieronymi. Hic enim illos imperitiæ, et elinguis infantiæ notat. Pelagium quidem, cum de eo sic scribit in proœmio *Dialogorum* contra ipsum, « Jovinianus, ait, cujus, o Pelagi, a te nunc hæresis suscitatur, Romanam fidem, me absente, turbavit, tam elinguis, et sermonis putidi, ut magis misericordia dignus fuerit, quam invidia. » Et in proœmio libri primi commentariorum *in Jeremiam*, vocat eum *indoctum calumniatorem*. Idemque sub finem libri secundi *Dialogorum adversus Pelagianos*, stylum illius ironice traducit. De Cœlestio vero Pelagii discipulo, in epistola *ad Ctesiphontem*, « Unus, inquit, discipulorum ejus, imo jam magister, et totius ductor exercitus, et contra Apostolum vas perditionis, per solœcismorum, et non, ut sui jactitant, syllogismorum spineta decurrens, » etc. Augustinus vero acuta illorum ingenia [6], et librorum ab ipsis scriptorum facundiam non uno in loco prædicat. Sane quæ exstant Pelagii, et Cœlestii monimenta, vel fragmenta, disertos eos fuisse, et Latine copiosos acutosque demonstrant, ut Pelagii epistola *ad Demetriadem*, quæ inter Hieronymi reicula posita est, et quæ passim apud Augustinum citantur illorum loca.

Nova hæresis notata et damnata.

VII. Post damnationem Cœlestii [7], primum adversus Pelagianos opus edidit Augustinus *de peccatorum meritis, et remissione ;* ubi et Pelagii nomen cum laude positum ab eo supra meminimus [8]. Exinde librum *de Spiritu et littera* [9] ; tum alterum *de Natura, et gratia*, adversus Pelagii quemdam librum. Cujus mentione facta capite XLII libri secundi *Retractationum*, subinde capite sequenti meminit Gothicæ irruptionis, et Romæ ab Alarico captæ. « Interea Roma, inquit, Gothorum irruptione agentium sub rege Alarico, atque impetu magnæ cladis eversa est. » etc. Ex quo falso credidit aliquis, superiores libros ante annum 412, quo est Urbs capta, scriptos esse. Sed non est ita ; nam nihil contra Pelagianos ante annum 412, quo Cœlestius damnatus est, elucubravit Augustinus. Verum, quoniam post Urbis direptionem, huc illucque dissipatis Romanæ urbis incolis, cœpere gentiles aliqui calumniari legem christianam, tanquam caput horum, causamque malorum, contra illos scribere est aggressus Augustinus ; unde Romani excidii meminit, quod inde commentandi operis *de Civitate Dei* aliquando post tempore nata esset occasio.

Sub idem tempus, quo in Africa contra

1 August. lib. *de Gestis*, cap. XXVI. — 2 Extat in eod. libr. cap. XXVIII. — 3 Usser. *in Antiqu. Eccl. Brit.* — 4 Cap. III et IV. — 5 Epist. LXXXIX. — 6 Ep. CVI et CXLIII lib. *de Nat. et Grat.* c. XXXV. — 7 Lib. II *Retr.* c. XXXIII. — 8 Ibid. — 9 Ibid. c. XLII.

grassantem hæresim Pelagii pugnare cœpit Augustinus, in Oriente, ac Palæstina, ubi tum Pelagius degebat, stylum movit Hieronymus, et a Ctesiphonte incitatus, epistolam contra hæresim illius ad eumdem Ctesiphontem scripsit. Ac rursus post Diospolitanam synodum, in qua Pelagius absolutus est, dialogos tres contra eumdem Pelagium edidit, Critobuli nomine, ipse sibi Attici imponens. Quorum in calce meminit Augustini, et librorum ab eo jam scriptorum contra hanc hæresim, nec non aliorum, quos ab eodem parari audierat.

Diospolitana Synodus.

VIII. Porro Diospolitana synodus illa celebrata est anno Christi 415, cum adversus Pelagium accusationem instituissent episcopi duo Gallicani, Heros, et Lazarus. Quorum ille S. Martini discipulus a Prospero vocatur *in Chronico*, et Arelatensis urbis episcopatu pulsus dicitur factione Patrocli, qui ejusdem urbis postea fuit episcopus, Constantii magistri militum familiaris; quod anno 412 factum notatur. Lazarus vero Aquensis episcopus fuisse videtur, qui a Zosimo postmodum exagitatus est [1]. Illi ergo [2], aliquot capitulis collectis ex Pelagii, et Cœlestii libris, Pelagium apud episcopos Palæstinæ, ubi tum erat ille, reum detulerunt; sed, cum ad prosequendam actionem eo profecti essent, altero eorum morbo implicito, adesse non potuerunt; quod præter Augustinum testatur historia illa, cujus meminit Photius codice LIV. Quare, absentibus accusatoribus, ex libello ab ipsis misso, citatus est Pelagius, et coacta synodo episcoporum XIV, causam dixit Diospoli in Palæstina anno 415. Quorum nomina hæc referuntur ab Augustino [3], 1. Eulogius Cæsariensis episcopus metropolitanus; 2. Joannes Hierosolymitanus; 3. Ammonianus, 4. Porphyrius Gazensis vir sanctissimus; 5. Eutonius Hierichuntinus; 6. Porphyrius alter; 7. Fidus; 8. Zosimus; 9. Zoboenus Eleutheropolitanus; 10 Nymphidius; 11. Chromatius; 12 Jovinus; 13 Eleutherius, 14 Clematius. Ab his interrogatus Pelagius ad singula capita subdole respondit, ac nonnulla damnare coactus est; atque ita Græcis hominibus Latinæ linguæ, et versutiarum illius ignaris imposuit, atque ab omni suspicione hæresis absolutus est. De actis illius synodi exstat liber Augustini, qui *de gestis Pelagii* inscribitur; ubi singula capita, et ad ea responsiones Pelagii referuntur.

Orosii Apologia.

IX. Editus est ante annos fere septuaginta [4], sub Orosii nomine, libellus cum hoc titulo, *Pauli Orosii Apologia de arbitrii libertate*, in quo narratio continetur eorum, quæ Hierosolymis gesta sunt in causa Pelagii, in conventu quodam episcoporum Hierosolymis habito, quod ante Diospolitanam synodum evenisse, si verum est, oportet. Nam de libro hoc, et ejus auctore quidam dubitant, rati suppositium hunc esse et falsa omnia, quæ in eo memorantur, atque ab aliquo declamationis causa esse conficta; præsertim cum extrema illius Apologiæ partim ex Augustini libro *de perfectione justitiæ*, partim ex eo, qui est *de natura et gratia*, concinnata sint*. Narrat ibi Orosius, Joannem Hierosolymitanum episcopum cum aliis episcopis de Pelagio conventum habuisse, eodemque se accitum venisse, et interrogatum quid de illa hæresi actum esset in Africa, respondisse, « Cœlestium jam ad honorem presbyterii subrepentem apud Carthaginem, plurimis episcopis judicantibus, proditum, auditum, convictum, confessum, detestatumque ab Ecclesia, ex Africa profugisse. » Augustinum vero contra Pelagii librum scribere, « Ad hæc Joannes episcopus, ut Pelagius coram intromitteretur, expetiit. Intromissum Pelagium unanimiter omnes interrogasse, an hæc, quibus Augustinus episcopus respondisset, se docuisse cognosceret. Illico illum respondisse: et quis est mihi Augustinus? Cumque universi acclamarent, blasphemantem in talem episcopum non solum a conventu illo, verum ab omni ecclesia pellendum, » Joannem illico « eum, hominem videlicet laicum, in consessu Presbyterorum reum hæreseos manifeste in medio catholicorum sedere præcepisse.» Exinde interrogatum Pelagium, an quod ei objiciebatur, « hominem posse esse sine peccato, et mandata Dei facile custodire, si velit, » asseveraret, respondisse, « hoc et dixisse se, et dicere. » Joannem omnibus modis egisse, ut Orosius cum aliis accusatorem seipso judice profiteretur. Id vero se detractasse, atque hoc tantum dixisse, se, quid episcopi Africani judicassent, in medium proferre. Tum Joannem, ut Pelagii dictum excusaret, adjecisse: sic illud intel-

* At hæ conjectationes nullius sunt roboris. Vide Garnerium *in Marium Mercatorem* dissert. VI, cap. III. Z.

1 Epist. VI Zos.— 2 August. II *Retr.* cap. XLVII et lib. *de Gest. Pelag.* cap. XXXV.— 3 Lib. I *contra Julianum* cap. V et VII.— 4 Excusus Colon. apud. Cholinum anno 1574.

ligendum, ut cum Dei adjutorio sine peccato posse esse diceretur. Se vero nihil aliud respondisse, nisi illud, damnatum hoc ab episcopis fuisse dogma: « Latinum esse hæreticum: nos Latinos: hæresim Latinis magis partibus notam Latinis judicibus disserendam. » Demum Joannem secundum id, quod de Latinis judicibus postulatum erat, « novissimam sententiam protulisse, ut ad beatum Innocentium Papam Romanum fratres, et epistolæ mitterentur, universos, quod ille decerneret, secuturos; et interim ut tam Pelagius, quam ipsi conticescerent. Verum post dies 47 cum primo Encæniorum die ad Joannem officii causa venisset, ab eo exprobratam sibi esse blasphemiam, quod dixisset, « nec cum Dei adjutorio posse esse hominem sine peccato. » Quod crimen leinceps Orosius refellit, et contra Pelagium multa disputat; quæ ex Augustini, ut jam dixi, libris magna ex parte describuntur.

erotes et azarus agii accusatores.

X. Hæc, nisi commentitia sunt, ut nonnullorum est suspicio, gesta fuisse necesse est ante Diospolitanam synodum, cujus contra nuper editum decretum celebrandæ, nec ad Innocentii Papæ judicium reservandæ causæ Pelagii, ratio intervenire illa potuit, quod interim Herotis, et Lazari accusatio ad Joannem, et alios episcopos pervenit, ex qua controversiam disceptari placuit. Sane Joannem Hierosolymitanum Pelagio favisse, quemadmodum et Ruffino, et Origeni, cujus hæresis insimulatur ab Hieronymo, ex actis Diospolitani concilii evidens est, nec non ex epistola Aug. CCLII quam ad ipsum scripsit Joannem, post Diospolitanam synodum, et absolutum in ea Pelagium. In qua sic loquitur : « Pelagium vero fratrem nostrum, filium tuum, quem audio, quod multum diligis, hanc ei suggero exhibeas dilectionem, ut homines, qui eum noverunt, et diligenter audierunt, non ab eo tuam sanctitatem existiment falli. » Tum narrat, sibi quosdam ex discipulis illius librum ipsius dedisse, in quo prava dogmata continebantur; cui se altero libro respondisse dicit, et utrumque se ad Joannem mittere. Est autem Augustini liber ille, qui *de natura et gratia* inscribitur, *ad Timasium et Jacobum* discipulos Pelagii, uti constat ex Pelagii verbis, quæ in epistola citat, et reperiuntur in capite XXXVII libri *de Natura et gratia*. Atque hic idem liber est, de quo in *Apologia* meminit Orosius, cum ait : « Contra librum vero Pelagii B. Augustinum discipulis ipsius Pelagii prodentibus, ac petentibus plenissime respondere. » In eadem *ad Joannem* epistola « petit, sibi transmitti Ecclesiastica gesta, quibus perhibetur esse purgatus » hoc est Diospolitanæ synodi, cujus acta nondum in Africam venerant.

XI. Cæterum ante Diospolitanum illud judicium Orosius in Africam reversus, litteras Herotis, et Lazari Africanis episcopis obtulit, quod concilii Carthaginensis ad Innocentium Papam epistola testatur [1], quæ est inter Augustinianas XC. Sed et Augustinus ipse significat, Orosium Diospolitanæ synodo non interfuisse, in libro *de gestis Pelagii*, cap. XVI. Quare discessisse videtur e Palæstina medio illo tempore, quod inter Hierosolymitanam, et Diospolitanam synodos intercessit. Post hoc Diospolitanum judicium, Pelagii fautores in Hieronymum, ejusque monasteria crudelissime grassati sunt; quod refert Augustinus in calce libri *de gestis Pelagianorum*, ubi « Dei servos, et ancillas ad curam sancti Hieronymi presbyteri pertinentes sceleratissima cæde affectos ait; diaconum occisum, ædificia monasteriorum incensa; vix ipsum ab hoc impetu, atque incursu impiorum in Dei misecordia turrem munitiorem esse tutatam; » de quo exstant Innocentii epistolæ ad Joannem Hierosolymitanum, et ad Hieronymum. In priore sanctas virgines Eustochium, et Paulam de injuriis illis, ac vexationibus apud se esse questas scribit; ubi Paulam non illam Eustochii matrem intellige, quæ pridem obierat, sed nepotem illius, Paulam juniorem, cujus in in epistola VII et LXXIX meminit Hieronymus. Qua etiam in posteriore epistola Diospolitanam synodum miserabilem vocat; et Pelagium refert omnia, quæ in hac synodo dixisse se denegaverat, confiteri. Hunc tamen vocat Annianum Celadensem, quem profecto Pelagium oportet esse. Nam nullus alter in Diospolitana synodo interrogatus est, ac negare, quod vulgarat dogma, compulsus.

Varia adversus Pelagium congregata concilia.

XII. Africani vero episcopi, acceptis illis ab Orosio Herotis, et Lazari litteris, nec non audito Diospolitani conventus exitu, cujus acta nondum viderant, provincialia duo concilia celebrarunt anno 416, ut paulo post ostendam. Alterum Carthagine ex provincia Carthaginensi, cui præsedit Aurelius hujus urbis episcopus, nec ei Augustinus interfuit.

1 Extat tom. I Conc.

Ex quo synodalem scripserunt epistolam Episcopi, qui in ea convenere LXVII, in qua Cœlestii meminerunt ante annos V in eadem urbe damnati, et concilii Diospolitani ; rogantque, uti hæretica illorum dogmata, sive correcti ambo sint, sive non sint, auctoritate sua condemnet. Quin et Cœlestium ipsum ad presbyterium dici pervenisse referunt, quod in Asia factum esse Milevitana synodica narrat [1]. Quæ quidem anno eodem data est, ex concilio Milevi habito provinciæ Numidiæ, cui Silvanus præfuit ; et Augustinus inter alios adfuit, et in totum LIV episcopi. In hujus synodica scribunt Patres, se Carthaginensis provinciæ imitatione convenisse ; et eadem fere de Pelagio, ac Cœlestio scribunt. Utrisque respondit Innocentius ; cujus prior ad Carthaginenses episcopos consules non habet [2], sed tantum, *Quinto Calendas ;* posterior ad Milevitanos Patres, data VI Cal. Februarias, adscriptos habet consules Honorium, et Constantium, qui in annum cadunt Christi 417. Ex quo annus synodorum duarum colligitur 416.

XIII. Qua in posteriore Pelagium [3], ac Cœlestium damnavit his verbis : « Quare Pelagium, Cœlestiumque, id est inventores vocum novarum, quæ, sicut dicit Apostolus [4], ædificationis nihilum, sed magis vanissimas consueverunt parere quæstiones, ecclesiastica communione privari, Apostolici vigoris auctoritate censemus. » Hoc itaque primum anno in Pelagium, ac Cœlestium, et amborum hæresim, ab Innocentio Papa dicta sententia est, antequam ulla in synodo nominatim damnati fuissent.

Postquam autem Diospolitanæ synodi acta in Africam allata sunt, scripsit Augustinus librum *de gestis Pelagii* [5]. Interea moritur Innocentius Papa anno 417 ; quinto Calendas Augusti, cui succedit Zosimus.

Eodem igitur anno Pelagius, ubi se ab Innocentio damnatum comperit, scripsit ad Innocentium, sed eo jam mortuo [6], Zosimus illas recepit. Cœlestius deinde Romam veniens libellum Romæ edidit [7], quo sese purgaret [8]. Verum instante Zosimo, ut ad ea responderet, quæ Paulinus diaconus objecerat, tum ut Innocentii litteris assentiretur, prius abnuit, Innocentii vero epistolæ non est ausus obsistere, imo « omnia, quæ sedes illa damnaret, se damnaturum esse promisit, atque ita velut phreneticus, ut requiesceret, tanquam leniter fotus, a vinculis tamen excommunicationis nondum est creditus esse solvendus ; » sed duorum mensium illi spatium ad resipiscendum datum est, donec ab Africanis episcopis rescriberetur.

XIV. Eodem tempore lectæ sunt Romæ Pelagii litteræ [9], cum fidei professione, quam callide, fraudulenterque conceptam, ad Innocentium, ut scripsi, miserat, una cum Praylii Hierosolymitani commendatitiis, (qui Joanni successerat.) Ita Cœlestii, ac Pelagii ficta confessio Zosimum adeo decipit, ut ad Africanos acerrimas, et increpatorias litteras daret, quibus utrumque valde commendat, et eorum accusatores, Erotem, ac Lazarum vehementer suggillat. Apparet tamen ex iis, quæ refert Augustinus, nondum excommunicatione solutos illos fuisse. Exstant Zosimi epistolæ cum Pelagii professione tom. I concil. e quibus posteriori, qua Pelagium laudat, subscriptus est dies 11 cal. oct. priori vero, quæ est de Cœlestio, Coss. Honorius Aug. XI et Flavius Constantius, qui est annus Christi 417. Videndus et August. libro secundo *contra duas epistolas Pelagianorum*, capite tertio, Professio vero fidei a Pelagio missa, quam Baronius ex Vaticano codice prompsit, ea est ipsa, quæ inter Hieronymi, reicula edita est cum hac inscriptione *Symboli explanatio ad Damasum.*

Africani Patres, Zosimi litteris acceptis, convenerunt, ineunte, ut est verisimile, anno 418, aut exitu præcedentis, indeque scripserunt ad Zosimum, admonentes, non satis esse generalem illam Cœlestii professionem, nisi ea damnaret, quæ in suo libello prava posuerat. Quibus acceptis litteris, rescripsit Zosimus, se non omnia probasse, quæ Cœlestius dixerat, et in pristino statu omnia reliquisse, nimirum uti duorum mensium spatium daretur, quo accusatores adesse possent. Exstat ea Zosimi epistola numero 10 inter ejus epistolas, data 12 cal. April. id est martii 21, Honorio Aug. 12, qui annus 418 accepta vero ponitur III Cal. Maias, id est Aprilis 29.

XV. Verum intervallo illo, quod inter 21 Martii, et Aprilis 29 fuit, Zosimus, detecta Cœlestii, ac Pelagii fraude, cum ad examen vocatus Cœlestius sese subtraxisset, utrumque damnavit, ut Augustinus testatur libro

1 Tom. I Conc. et epist. August. XCII. — 2 Est inter August. XCI.— 3 Inter August. XCIII, tom. I Conc.— 4 II *Timot.* II.— 5 Lib. II *Retr.* c. XLVII.— 6 Aug. l. II *de Pecc. orig.* c. XVII.— 7 Ib. c. V.— 8 Ib. c. VII.— 9 Zos. ep. IV, t. I Conc. et ep. V.

secundo *contra duas Epistol. Pelag.* c. III et IV, constatque ex Honorii edicto, quod eodem anno Prid. Cal. Maias adversus ambos edidit; quod a Baronio in *Annalibus* describitur ad ann. 418, testaturque Possidius in *Vita sanc. Augustini*. Accepto Zosimi decreto, Africani plenario Concilio Calend. Maii ejusdem anni Pelagianam hæresim anathemati subjecerunt [1]. Ad quod concilium pertinere puto canones VIII contra Pelagii doctrinam editos, qui perperam Milevitano secundo tribuuntur, cum ad alterum Africanum, quod universale vocatur, attineant, in quo iidem illi repetuntur. Non enim prius ab Africanis communi, ac peremptorio decreto confossa est Pelagiana hæresis, quam a Zosimo damnata est, ut testis est Prosper *in Chronico* ad an. 319 « Concilio apud Carthaginem habito 214 Episcoporum, ad Papam Zosimum synodalia decreta perlata; quibus prolatis, per totum mundum hæresis Pelagiana damnata est *. »

Cœlestinus Papa in epistola prima *ad episcopos Galliæ* citat canones Carthaginensis synodi contra Pelagianam hæresim tertium, quartum, et quintum, qui Milevitanæ synodo perperam attribuuntur. Gregorius item Papa apud Burchardum, canones eosdem citat concilii Carthaginensis nomine [2], non Milevitani.

XVI. Illud vero diligenter considerandum est, etsi constet, Diospolitanam synodum anno Christi 415 celebratam esse; Innocentii vero sententiam contra Pelagium, et Cœlestium, anno 417 missam in Africam, ut hæc synodo illa posterior fuerit; tamen Prosperum Palæstinam synodum post Innocentii decretum ponere, ut in carmine *de Ingratis* paulo post initium, his verbis :

« Pestem subeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri; quæ pastoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non possidet [armis,
Religione tenet. Non segnior inde Orientis
Rectorum cura emicuit, captumque nefandi
Dogmatis auctorem constrinxit lege benigna
Commentum damnare suum, nisi corpore [Christi
Abjungi, et sancto mallet grege dissociari.
Lene quidem hoc, nimiumque malos tolerasse [videtur
Judicium; sed sancta fides examine in illo
Vicit oborturam diro de semine prolem.
Prospectum namque est, divino et munere [cautum,
Ut licet instantem declinans bestia pœnam
Perfidiæ secum sensus tenuisset eosdem,
Ipsa tamen proprium germen damnando [necaret,
Ore malam extinguens sobolem, quam protu- [lit ore. »

Hunc totum locum describere volui, ut ex eo constaret, de Diospolitano concilio loqui Prosperum. De quo eadem hic dicit, quæ Augustinus in libro *de gestis Pelagianorum*, capite ultimo, et aliis in libris. Ac vides, ut *inde*, hoc est post damnatam Romæ, ab Innocentio utique, Pelagianam hæresim, orientales episcopos de Pelagio judicasse dicit. Nam de alia nulla, quam ab Innocentio edita damnatione Pelagii, et hujus hæresis, verba illa Prosperi possunt accipi. Minime profecto ad Zosimum referri debent, et ab eo dictam sententiam in Pelagium, ut falso Marcus Antonius Cappellus credidit [3].

XVII. Sed et Facundus Hermianensis testatur, ab Innocentio primo omnium damnatam esse Pelagianam hæresim. Cujus verba, quia nonnulla scitu digna continent, hic adscribam. « Invenient etiam, inquit, Pelagium hæresiarcham, a quo Pelagiani dicuntur, in judicio Palæstinorum episcoporum, quæ contra Christi gratiam sentiebat, operientem, pravasque sententias suas versutia interpretantem, per eamdem ignorantiam absolutum. Invenient postremo B. quoque Zosimum Apostolicæ sedis Antistitem, contra sanc. Innocentii decessoris sui sententiam, qui primus Pelagianam hæresim condemnavit, fidem ipsius Pelagii, ejusque complicis Cœlestii, quem in Ecclesia Carthaginensi convictum, atque appellentem Apostolicam sedem, et ipse gestis discusserat, tanquam veram, et catholicam laudantem; insuper etiam Africanos culpantem episcopos; quod ab illis hæretici credentur, cum necdum ipsi, Africanis episcopis dolos eorum multo manifestius detegentibus, memoratos Pelagium,

* De hisce conciliis præter Norisii historiam Pelagianam consule Dissertationem secundam eruditissimi Garnerii in *Marii Mercatoris Commonitorium*. Z.

1 Extat tom. I Conc. in *Collect. Afric.* Conc. Vide et August. epist. II *ad Valent.* præfixa libro *de Corrept. et Grat.*— 2 Lib. XX *Decret.* c. XVIII.— 3 Lib. *de Appellat.* c. II, § 38.

et Cœlestium putaret orthodoxos. Et tamen nec Athanasium, nec Damasum, nec illos Palæstinos episcopos, et Zosimum hæreticos credit Ecclesia, quia de hæreticis bene senserunt, sed potius pro merito suæ fidei catholicos judicat et honorat; quoniam non debet crimini deputari simplicium non intellecta versutia malignorum. »

Hic locus fidem epistolarum illarum adstruit, quas Zosimus ad Africanos scripsit, quibus Pelagium, ac Cœlestium pro catholicis habere se, dixit, non sine Africanorum reprehensione, quamvis Cappellus tenere supposititias illas [1], et a Pelagianis confictas existimet.

XVIII. Rursus Prosper in libro *contra Collatorem*[2], de condemnatione Pelagianæ hæresis scribens; prius ab Innocentio, quam a Palæstinis episcopis de Pelagio judicatum esse significat, « Quando, inquit, beatæ memoriæ Innocentius nefandi erroris capita Apostolico mucrone percussit; quando Pelagium ad proferendam in se, suosque sententiam Palæstinorum episcoporum synodus coarctavit, » etc. Ubi etiam « Cœlestium Papam, ait, Cœlestium, quasi non discusso negotio audientiam postulantem, totius Italiæ finibus extrudi jussisse. »

Diospolitanum concilium Pelagii ac Cœlestii damnationem antecessit.

Non est tamen dubitandum, quin Diospolitanum judicium Innocentii decretum, ac Pelagii, et Cœlestii damnationem antecesserit. Quod si quispiam adversari putet ei, quod dictum est, primam hæresis illius damnationem ab Romana sede profectam esse; quod quinto ante anno Cœlestina dogmata, quæ eadem erant, ac Pelagiana, Carthagine ab Africanis episcopis damnata sunt, et Cœlestius ipse excommunicatus, ut ex Augustino supra meminimus; primum illud occurrat, Prosperum, aliosque, qui ab Innocentio primo omnium damnatam esse Pelagianam hæresim scribunt, de propria loqui, et primaria hæresi Pelagii, quæ in eo versabatur, quod affirmabat, « gratiam ex merito dari liberi arbitrii, » ut paulo post dicemus. Nam de hac Prosper diserte loquitur, de Pelagio, inquam, ipso et illo hujus dogmate, quo asserebat,

« quemque mereri
Libertate sua, ut capiat promissa vocantis. »

At Cœlestius non ob hanc hæresim excommunicatus est, sed ob alia quædam, quæ ab eo vulgata fuerant, a Paulino accusatus et damnatus est, quæ ex Augustino colliguntur [3]; maxime quod diceret, parvulis non obfuisse peccatum Adami, nec eos ideo baptizari, ut a peccato liberentur.

Deinde quod, ut Facundus refert, Cœlestius post damnationem appellaverat sedem Apostolicam, ideo nondum pro damnato se gerebat; sed adhuc tanquam suspensum tenebatur de illo judicium.

XIX. Cæterum meminit Prosper aliorum conciliorum variis in provinciis celebratorum post Africanum illud [4], ac plenarium, in quibus uno censensu hæresis illa cum suis auctoribus damnata est; præsertim Constantinopolitani, Attico præsule, qui legatos ab illis missos rejecit, nec non Ephesini generalis, in quo damnatus est Nestorius, cujus hæresim a Pelagiana fluxisse testis est Cassianus libro primo *de Incarnatione*, capite tertio. Nimirum quod, cum Nestorius nihil supra hominem putaret esse Christum, ad id solum venisse hunc arbitratus est, ut exempla præberet homini virtutum, non ut redimeret. Quare, si Christus sine peccato fuit, etiam quemvis hominem posse esse dicebat, « quidquid ille homo solitarius sine consortio Dei esse potuisset. » Sed de his omnibus accurate alii disputarunt [5]; et nos pleniorem in illis explicandis operam alium in locum reservamus; nunc enim obiter ista tractasse satis habuimus.

Damnata jam hæresi, scripsit Augustinus libros duos [6], unum *de gratia Christi* alterum de *peccato Originali*. Tum duos alios *de Nuptiis et Concupiscentia*: quorum prior Pelagianorum mendaciis et calumniis opponitur, qui nuptias ab illo damnari mentiebantur. Quem cum Julianus Pelagianus vidisset, quatuor eum libris oppugnavit; ex quibus excerpta quædam nactus Augustinus, iis posteriore libro respondit. Deinde IV libros ad Bonifacium Papam *contra duas Epist. Pelag.* Hic anno 418 sedere cœpit. Postquam autem Juliani integri libri ad eum pervenerunt [7], sex contra illos libros edidit. Sequuntur libri *de gratia, et libero arbitrio*; necnon de *Corrept. et grat.* Hactenus in libris *Retractationum*.

Scribit Augustinus adversus Pelagianæ hæresis

XX. Post hoc vero a Prospero, et Hilario

1 Lib. *de Appellat.* cap. II, § 28 et seq.— 2 Cap. XLI.— 3 Lib. *de Gest. Pel.* cap. II et lib. *de Peccat. orig.* cap. III et seq. — 4 Carm. *de Ingr. et cont. Collat.*— 5 Voss. in *Hist. Pel.* Usser. in *Antiq. Brit.*— 6 Lib. II *Retr.* c. L.— 7 Ibid. c. LXI.

monitus de reliquiis Pelagianorum, hoc est Gallicanis quibusdam episcopis, aliisque viris eruditis, qui ipsius offensi scriptis, de gratia et prædestinatione quædam ab illo dicta carpebant, libros elucubravit duos, quorum prior *de Prædest. Sanct.* posterior *de Perseverantia.*

Denique paulo ante obitum, cum Julianus octo alios libros contra ipsius secundum *de Nuptiis, et concupiscentia* librum edidisset, acceptis quinque illorum prioribus, duos vicissim elaboravit, quos imperfectos reliquit. Hi libri anno 1616 in lucem exierunt Lutetiæ Parisiorum.

Fuit autem Julianus iste Memorii Capuani olim episcopi filius[1], et idem incertum cujus urbis episcopus in Campania. Quem initio tum patris Memorii, cui erat amicus, tum indolis ipsius commendatione, charum Augustinus habuit; sed postmodum fiducia sui, et ingenii, atque eloquentiæ, ut apparet, opibus inflatus, quibus mirifice pollebat, ut ex ejus scriptis apparet, ad illam hæresim, sic, tanquam ad Scyllæum scopulum, naufragium fecit. Ac post condemnatam illam sede sua pulsus frustra post annos plures in eam conatus est irrepere, ut auctor est Prosper, sanc. Leone tum diacono [2], qui postea pontifex Romanus fuit, illius conatibus obsistente.

Beda in præfatione *ad Cantica Canticorum* meminit libri ab eo *de Amore* scripti. Nec omittendus est insignis stupor Petri Molinæi[3], qui scribit, Julianum ab Innocentio damnatum ad Orientales episcopos provocasse, idque trahit ad Romanæ sedis injuriam. Cujus rei testem laudat Augustinum, sed absurde, insciteque prorsus hallucinatur. Nam Augustinus de Innocentii testimonio ex ejus scriptis allato [4], ut et Latinorum antiquiorum agit, non de juridica sententia. Et quoniam Græcorum Patrum auctoritate, hoc est libris, niti se Julianus aiebat, ad eorum scripta illum provocat; et subjicit Gregorii Nazianzeni, et aliorum testimonia, quibus peccatum adstruit originale. Falsissimum vero est, Julianum ab Innocentio fuisse damnatum.

CAPUT II.

De Pelagii dogmatibus. Quæ fuerit Primigenia illius hæresis. Sex genera gratiæ ab illo constituta, quorum primum natura est, et liberum arbitrium. Novorum Dogmatistarum astutia, qui inter Pelagiana decreta numerant liberi indifferentiam arbitrii. Quod illorum commentum arguitur, et obiter exponitur, in quo sita fuerit hæresis illa.

I. Pelagiana hæresis non simplex, et uniusmodi fuit, sed quasi multiceps monstrum, variis ex impietatis argumentis, opinionibusque contexta. Inter quas præcipua erat illa, quæ directo Christi gratiam oppugnabat; de qua ideo primo loco dicendum videtur, postea cæteras exponam.

Primigenia Pelagii hæresis.

Quæ fuerit igitur propria, et quasi primigenia Pelagii hæresis, ex iis veterum scriptis merito requirendum putamus, quæ initio, ac statim atque in publicum prodire cœpit, ab illis edita fuerunt. Ex quibus prima nobis occurrit epistola synodica concilii Carthaginensis ad Innocentium Papam, anno post missa, quam Pelagius in Palæstina judicio postulatus est, in qua hujusmodi proponitur illius dogma : « Isti autem asserunt, inquit[5], in eo Dei gratiam deputandam, quod talem hominis instituit, creavitque naturam, quæ per propriam voluntatem legem Dei possit implere, sive naturaliter in corde conscriptam, sive in litteris datam. » Et, ut paulo ante dicunt, « Id agebant isti damnabilibus disputationibus suis, ut non defendendo, sed potius in superbiam sacrilegam extollendo liberum arbitrium, nullum relinquerent locum gratiæ Dei, qua Christiani sumus. »

Ita Milevitani Patres ad eumdem Innocentium[6], « Isti dicunt, posse hominem in hac vita, præceptis Dei cognitis, ad tantam perfectionem justitiæ, sine adjutorio gratiæ Salvatoris, per solum liberum voluntatis arbitrium pervenire, ut ei non sit jam necessarium dicere, *Dimitte nobis debita nostra.* »

II. Hieronymus item[7], qui ante omnes contra illam hæresim decertavit, hanc illorum opinionem fuisse confirmat. « Ipsum,

1 Aug. ep. CXXXI *Gen.* Beda *in Cant.*— 2 Chron. ad ann. 439.— 3 In Res. *ad Card. Petr.* l. VI, c. IX.— 4 Lib. I *cont. Jul.* c. IV.— 5 Ep. XC apud. Aug.— 6 Ib. ep. XCII vid. et ep. XCV.— 7 Epist. *ad Ctesiph.*

inquit, liberum, ut diximus, arbitrium Dei nititur auxilio, illiusque per singula ope indiget. Quod vos non vultis, sed id vultis, ut, qui semel habet liberum arbitrium, Deo adjutore non egeat. » Quin apud eumdem in primo libro *contra Pelagianos* Critobulus, qui horum partes tuetur, idipsum asserit. Nam Dei gratiam nihil aliud esse significat, nisi liberum arbitrium. Cum enim Atticus catholicas partes agens ita dixisset, « Errat ergo, qui Dei gratiam tollit; » respondet Critobulus, « Errat. Quin potius arbitrandus est impius : cum Dei nutu omnia gubernentur, et hoc, quod sumus, et habemus appetitum propriæ voluntatis, Dei conditoris sit beneficium. Ut enim liberum possideamus arbitrium, et vel ad bonam, vel ad malam partem declinemus propria voluntate, ejus est gratiæ, qui nos ad imaginem, et similitudinem sui tales condidit. »

Quamobrem initio nullam aliam gratiam Pelagius, præter naturale illud Dei beneficium agnoscebat, qua nos arbitrii liberi condidit, ipsamque liberam voluntatem, quam naturæ nostræ indidit. Postea vero catholicorum conviciis exagitatus, plusculum addidit ad illum veluti gratiæ censum, et adventitia quædam auxilia cœpit eo nomine complecti, quæ et ipsa liberi arbitrii viribus, ac meritis comparari docuit. Hinc Pelagiani summam erroris, et caput hoc perbrevi dicto comprehendere solet Augustinus, aliique Patres; *Gratiam Dei secundum meritum hominum dari.* Quod et objectum esse Pelagio in Diospolitana synodo, testatur in libro *de gestis Pelagii*, ex ejus nempe scriptis inter alia decerptum : « Et iterum, inquit[1], Dei gratiam secundum merita nostra dari, quasi, si peccatoribus illam det, videatur esse iniquus. » Sed hoc ille tum anathematizare coactus est, ut tam ibi, quam in libro *de gratia et libero arbitrio* scribit Augustinus. Et in epistola CV, de parvulis agens. « Quid hic dicturi sunt, inquit, qui, ut gratia dari possit, nulla præcedere humana merita contendunt, ne sit personarum acceptor Deus? » Idem etiam et aliis in locis inculcat.

III. Memorabilis est de hac Pelagii sententia locus Prosperi in libro *de libero arbitrio ad Rufinum*, sub initium, ubi primum de isto ipso dogmate sic scribit : « Ex his tamen una est blasphemia, nequissimum, et subtilissimum germen aliarum, qua dicunt, gratiam Dei secundum merita hominum dari. » Postea de progressu, et incremento illius hæresis singulare quiddam refert. « Cum enim primum, ait, tantam naturæ humanæ vellent adstruere sanitatem, ut per solum liberum arbitrium posset assequi Dei regnum, eo quod tam plene ipso conditionis suæ præsidio juvaretur, ut habens naturaliter rationalem intellectum, facile bonum eligeret, malumque vitaret. Et ubi in utraque parte libera essent studia voluntatis, non facultatem his, qui mali sunt, ad bonum deesse, sed studium. Cum ergo, ut dixi, totam justitiam hominis ex naturali vellent rectitudine, ac possibilitate subsistere, atque hanc definitionem doctrina sana respueret; damnatum a catholicis sensum, et multis postea hæreticæ fraudis varietatibus coloratum, hoc apud se ingenio servaverunt, ut ad incipiendum, et ad proficiendum, et ad perseverandum in bono, necessariam homini gratiam profiterentur. » Ac subinde narrat, quam subdole alterum illud gratiæ genus, præter liberum arbitrium, usurpaverint; nec in eo quidquam aliud intellexerint, quam legem, cohortationem, terrorem, et alia id genus extrinsecus oblata. His gradibus hæresis Pelagiana processit ad confitendam gratiam Christi, qua liberum adjuvatur arbitrium; et in hac posteriore fucus illorum, ac versuta calliditas, ad insidiandum opportunam sibi latebram paravit.

IV. Ut autem quanta potero tum facilitate, tum brevitate Pelagianum dogma complectar, exponendum est, quot genera gratiæ a Pelagio constituta sunt. Hac enim via perveniemus ad interioris illius, et ad arcanæ doctrinæ notitiam, quæ in hoc capite tota fere consistit.

Sex omnino divinorum beneficiorum genera gratiæ vocabulo comprehensa sunt in illa hæresi. Primum est natura ipsa hominis, maximeque liberum arbitrium. Secundum est peccatorum remissio. Tertium, quidquid extrinsecus objicitur ad docendum, cohortandum, et impellendum hominem, veluti lex, et Christus ipse propositus ad imitandum; item doctrina, creaturæ ipsæ, miracula, terrificæ res, et hujus generis alia. Quarto gratiam appellabant interiorem mentis illustrationem, qua diaboli insidias retegit Deus, et cordis oculos aperit. Quintum genus est regeneratio, et adoptio, qua filii Dei per baptismum fiunt homines, ac status ille, in quo ad regnum

Sex genera gratiæ comprehendit hæresis Pelagiana

1 Lib. *de Gest. Pel.* c. XIV.

cœleste capessendum idonei sunt. Sextum postremumque est æterna ipsa vita. De his omnibus gratiæ generibus particulatim deinceps agam, et quid in unoquoque notandum sit, animadvertam. Multa enim in his haud satis explicata, et obscura sane continentur; quod ubi hæc nostra legerit, eruditus mecum lector fatebitur.

I Gratiæ genus Natura.

V. Primum, dixi, gratiæ genus esse naturam, et huic insitum in homine liberum arbitrium. De quo insignis est locus Augustini in libro *de Hæresibus ad Quodvultdeum*[1], ubi eadem fere de incrementis illius hæresis tradit, quæ ex Prospero paulo ante memoravi: Pelagianos « Dei gratiæ, qua prædestinati sumus in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, et qua eruimur de potestate tenebrarum, ut in eum credamus, atque in regnum ipsius transferamur, et qua diffunditur charitas in cordibus nostris, ut fides per dilectionem operetur, in tantum inimici sunt, ut sine hac posse hominem credant facere omnia divina mandata, etc. Denique Pelagius a fratribus increpatus, quod nihil tribueret adjutorio gratiæ Dei ad ejus mandata facienda, hactenus cessit, ut non eam libero arbitrio præponeret, sed infideli calliditate supponeret, dicens, ad hoc eam dari hominibus, ut, quæ facere per liberum jubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam. Dicendo utique, ut facilius possint, voluit credi, etiamsi difficilius, tamen posse homines sine gratia divina facere jussa divina. » Mox de libero arbitrio ista subjicit: « Illam vero gratiam Dei, sine qua nihil boni possumus facere, non esse dicunt, nisi in libero arbitrio, quod nullis suis præcedentibus meritis ab illo accepit nostra natura. » Ita præcipuam gratiam, maximeque necessariam aiebant esse liberam voluntatem. Idem docet in libro *de gratia Christi*, capite tertio, et sequentibus: et in libro *de spiritu, et littera*[2]. Et in libro *de gestis Pelagii*[3], hunc ait asseruisse, « hanc se dicere Dei gratiam, quod possibilitatem non peccandi natura nostra, cum conderetur, accepit, quoniam condita est cum libero arbitrio. » Tum in epist. XCV, CV et CVI. In CV præsertim, ubi ait, Pelagianos interrogatos, « quam gratiam, Pelagius cogitaret, sine ullis præcedentibus meritis dari: respondere sine ullis præcedentibus meritis gratiam ipsam humanam esse naturam, in qua conditi sumus. » Sed innumera passim loca sunt Augustini, in quibus hoc ipsum testatus est.

VI. Hinc verissime quidem illud colligitur, Pelagium libero arbitrio nimium tribuisse, et hanc ei potissimum causam errandi fuisse, quod sanam, integramque naturam hominis putaret esse nulla originali labe maculatam, ac debilitatam, quæ in potestate haberet tam bonum velle, et agere, quam malum; nec adventitiis egeret opibus, ac præsidiis, sed solo sibi naturali bono, hoc est insita voluntatis, et arbitrii libertate sufficeret.

Qua in re observanda simul, et cavenda est novi dogmatistæ fraus et malitia[4], qui in exponenda Pelagiana hæresi, ejusque dogmatibus enumerandis, cum ab eo cœpisset, quod est de libero arbitrio, hujus naturam, et proprietatem, cujusmodi Pelagiani eam definiebant, et explicabant, vafre ac subdole posuit, et inter hæretica decreta percensuit. « Sed in libertatis, inquit, explicandæ ratione, proprietatibus, potestate, in multos errores præcipitati sunt. Quod ut dilucide percipiatur, tota liberi arbitrii essentialis definitio, et uberior explicatio, ipsorum Pelagianorum verbis, maximeque Juliani, qui eam ex professo tradidit, atque acerrime contra Augustinum propugnavit, in medium proferenda est. » Tum affert Juliani definitionem[5], qui « libertatem arbitrii dicit in admittendi peccati, et abstinendi a peccato possibilitate consistere. » Quam *possibilitatem*, seu *potestatem liberi arbitrii*, *in quadam indifferentia ad plura* sitam esse docet. Ac plura ad hanc illustrandam indifferentiam colligit ex hæreticorum istorum scriptis, ut horum infamiam ad communis invidiam opinionis transferat, quæ liberi arbitrii naturam indifferenti, hoc est minime ad utrumvis determinata potestate metitur. Ita simplicitate, et inscitia incuriosi lectoris abutitur, ut quæ dici ab hæreticis, affirmarique audierit, falsis admista vera, ea perinde hæretica esse damnataque judicet.

Non omnia apud hæreticos falsa.

VII. Sed non valde astutum est captiunculæ istius inventum, imo hebes, et obtusum. Dissimulat enim, quod et ille ipse simili in re contra se præscribit. Qui, cum adversus suam sibi sententiam istud objecisset[6], Calvinum videri idem omnino sensisse, « Respondetur, inquit, non omnia, quæ hæretici docent, sunt hæretica. Mos enim solemnis omnium hæreticorum est, ut falsis vera misceant, miscen-

1 Cap. LXXXVIII.— 2 Cap. II.— 3 Cap. X.— 4 Tom. I, l. II. c. I et seq.— 5 Aug. l. I *con. Jul. op. imp.*— 6 Tom. III, l. VIII, c. XXI.

doque perturbent omnia, quo venenum quasi melle circumlitum ab incautis cum securitate hauriatur. » Dixit hoc idem præclare Cyrillus Alexandrinus in *Commonitorio:* « Non omnia, inquit, quæ dicunt hæretici, fugere, ac detrectare oportet. Multa enim asserunt, ex iis, quæ et nos ipsi profitemur[a]. » Gregorius item Papa[1], « Habent, inquit, hoc hæretici proprium, ut malis bona permisceant, quatenus facile sensui audientis illudant. Si enim semper prava dicerent, citius in sua pravitate cogniti, quod vellent, minime persuaderent. Rursum, si semper recta sentirent, profecto hæretici non fuissent. Sed dum fallendi arte ad utraque deserviunt, et ex malis bona inficiunt, et ex bonis mala, ut recipiantur, abscondunt; sicut qui veneni poculum porrigit, ora poculi dulcedine mellis tangit. » Qui locus morem et indolem hæreticorum oculis subjicit, præsertim verum Pelagianorum; quod genus tectum, et subdolum miris sese artibus, ac præstigiis occultabat, ac sedulo id agebat, quod universe studere omnes hæreticos idem ait Gregorius[2], « ut dictis suis recta quædam permisceant, ut animos audientium ex rectis sensibus trahant, ex perversis feriant. » Denique Augustinum citat novi magister dogmatis[3], qui sic scribit: « Nulla falsa doctrina est, quæ non aliqua vera intermisceat. »

VIII. Quocirca joculare, frigidumque illud est artificium, inter Pelagianas, et Ecclesiastico judicio proscriptas hæreses, illam de arbitrii liberi natura, et definitione annumerare doctrinam, quæ minime Pelagiana est, neque auctore, et inventore nata Pelagio, sed ab eo communi ex hominum arrepta sensu, quadamque naturæ disciplina, cui gentilium, Christianorumque pari consensu suffragata philosophia est. Quod nos supra tribus libris accurate demonstravimus, multis antiquorum Patrum auctoritatibus allatis, quibus libertatem arbitrii in eo constitutam a se esse significant, ut ad agendum, hoc est eligendum, necessariis omnibus armata voluntas, alterutrum sine ulla circumscribente necessitate possit amplecti; quod indifferentiæ nomine comprehendi diximus. De qua, præter illa, quæ adduxi, loca, unum hic adscribam, qui commentanti ista mihi forte apud Cyrillum occurrit, sane copiosus, et efficax. Hic in libro sexto *de adoratione in spiritu et veritate*, contra illos disserens, qui fatali necessitate agi res humanas existimant, liberum iis opponit arbitrium, quod, ea posita necessitate, jam nullum est. Ex quo mala plurima secutura dicit, « nisi voluntariis nutibus hac, vel illac imus, et properamus; sed quodammodo tenemur, et aliorum jugo subjicimur, qui res nostras agere, ac ferre valeant, quacumque voluerint[b]. Hinc leges, et cohortationes, ac bonorum præmia, malorumque pœnas nullum, ea necessitate posita, usum habere, quod nihil sit in nobis, ac potestate nostra constitutum. Quod cum est falsum, « tum in nostra est facultate, in utram velimus partem spectare, ad bonum, inquam, vel ad contrarium[c]. »

Non in liberi arbitrii definienda natura erravit Pelagius.

Quam liberæ voluntatis in utrumque potestatem, et indifferentiam ex Euripide probat, tanquam aliquo de scena philosopho. Nondum scilicet exstiterat, nec auditum Cyrillo erat discrimen illud libertatis humanæ ab nuperis doctoribus excogitatum, ut aliud christiana sit, aliud philosophica, quarum etiam sit ista Pelagiana, et hæretica, non catholica. Quod neque Cyrillus, ut dixi, adhuc didicerat, nec illi omnes Græci, Latinique Patres, quos in libris illis citavimus.

Deinde interjectis aliquot, « Potestatem habet, inquit, uniuscujusque arbitrium eorum, quæ in electione agenda versantur, et in nobis ipsis situm est eligere, quidquid visum est facere, sive bonum, sive malum[d]. » Quod in illis etiam locum habere mox ait, quæ ad fidem, et christianam virtutem attinent. Ubi « in electione situm esse dicit ea libere perficere, quæ quisque velit, ac potestatem omnibus inesse, cum facultate spirituali felicitate pollere[e]. »

IX. Verum, contempto hoc, irrisoque

a Cyril. in *Commonit.* in *Act. Eph.* Οὐ πάντα ὅσα λέγουσιν οἱ αἱρετικοὶ, φεύγειν καὶ παραιτεῖσθαι χρή· πολλὰ γὰρ ὁμολογοῦσιν, ὧν καὶ ἡμεῖς ὁμολογοῦμεν.

b Cyril. VI *de Adorat.* Εἰ μὴ ταῖς ἑαυτῶν ἐθελουσίοις ῥοπαῖς ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τὰν ἴμεν τε, καὶ διασπεύδομεν, κεκρατήμεθα δὲ ὥσπερ καὶ ὑπενηνέγμεθα τοῖς ἑτέρων ζυγοῖς ἄγειν τε καὶ φέρειν τὰ καθ' ἡμᾶς ἥπερ ἂν ἕλοιντο δυναμένοις.

c Ibid. Ἐφ' ἡμῖν γὰρ αὐτοῖς ἐστι τὰ ἐπ' ἄμφω βλέπειν, πρός τε τὸ ἀγαθὸν, φημὶ, καὶ τὸ ἐναντίον.

d Idem. Ἀλλ' ὅτι κυρία τῶν ἐν αἱρέσει πρακτέων ἡ ἑκάστου γνώμη· καὶ ἐφ' ἡμῖν αὐτοῖς τὸ ἑλέσθαι ὁρᾷν τὸ δοκοῦν εἴτ' ἀγαθὸν, εἴτε φαῦλον.

e Ibid. Εἰ δὲ ἐν αἱρέσει κειμένου τοῦ κατορθοῦν ἐλευθέρως ἃ ἂν βούλοιτό τις, καὶ ἐνὸν ἅπασι μετ' ἐξουσίας τὸ εὐημερεῖν ἑλέσθαι πνευματικῶς.

1 Greg. x *Mor.* c. x.— 2 Lib. XVIII *Mor.* c. xi.— 3 Lib. IV qu. *Evang.* c. xl.

figmento meminerimus, nihil eo verius esse, quod illic ostendi[1]; neque Pelagianos errasse in definienda libertatis, arbitriique liberi natura, et essentia; nec ab Augustino notatos eo nomine, vel pro hæreticis accusatos; quin potius allatam ab his illius notionem probasse, tanquam ab errore alienam; neque cætera istorum hæresi comprehensam, sed catholicæ regulæ consentaneam. Hinc illa Augustini ad eam sententiam expressissima[2], cum Juliano respondet, qui sic expostulaverat cum catholicis: « Si quis aut liberum in hominibus arbitrium, aut Deum esse nascentium conditorem dixerit, Cœlestianus, et Pelagianus vocatur. » Huic Augustinus occurrens, falso id illum causari dicit: « Liberum itaque in hominibus esse arbitrium, et Deum esse nascentium conditorem utrique dicimus. Non hinc estis Cœlestiani, et Pelagiani. » Atqui sciebat, quale isti *liberum arbitrium* constituerent, et quomodo definirent, et quam vocibus istis notionem subjicerent. Quam si hæreticam ac damnandam esse judicasset, ut nova secta criminatur; adeone stupidus erat, aut in tanti momenti re negligens, et somnolentus Augustinus, ut solo vocum sono contentus, ad cætera conniveret, nec, quid veneni sub communi, et ambiguo nomine lateret, prius excuteret, et in lucem proferret, quam de sola rei appellatione catholicam hac parte professionem illorum esse fateretur? Non ita simplex, et ad illudendum facilis homo acutus, et perspicax fuit. Quin idem, quod in *gratiæ* vocabulo toties fecit, fecisset, utique in *liberi arbitrii* nomine, hujus uti rationem, et significationem ab illis reposceret. Sed hic locus antea uberrime a nobis explicatus est.

Hujus definitioni consentiunt Hieronymus et Augustinus.

X. Quinetiam Hieronymus adversus eosdem hæreticos scribens, qui liberum arbitrium in omni sermone jactabant, nullum super eo negotium iis facessit, sed in hoc ipso tacite illis assentitur: « Frustra, inquit[3], blasphemas, et ignorantium auribus ingeris, nos liberum arbitrium condemnare. » Nec aliud intellexisse liberum arbitrium, quam quod isti ipsi, quibuscum certabat, hæretici esse credebant, tum ex iisdem libris contra Pelagianos editis constat, tum ex aliis locis, quorum alibi nonnullos attulimus[4]. Non est autem verisimile, tam hunc, quam Augustinum in tractanda ista quæstione aliud egisse adeo, ut de re significata nihil omnino curarent; sed Andabatarum more, ac velut in tenebris, de larva nominis, atque umbra dimicarent. Quamobrem, quod falsi propugnatores dogmatis, et veri calumniatores, ad ravim usque declamant, Pelagianos in omni disputatione liberi arbitrii statim mentionem injecisse, nec ullum finem illius commendandi fecisse, non eos lædis, quorum ad invidiam ista prædicant; sed vel ipsosmet mendacii, vel antiquos illos Patres prævaricationis reos facit. Aut enim falsum est, in liberi arbitrii definienda natura errasse Pelagianos; aut excusari isti non possunt, qui illius, quem impugnabant, erroris arcem, ac munimentum dissimulando præterierunt. Est autem justius opinor, et pudentius, falsos esse putare novos istos theologos, quam sanctissimos Patres, et adversus hæreticos catholicæ fidei defensores acerrimos, in fraudis, inertiæve suspicionem adducere.

XI. Ecquid igitur in libero arbitrio commemorando, ac jactando, quod Pelagiani tam libenter usurpabant, Augustino, Hieronymo, aliisque post eos catholicis displicuit? Dixi in libro quarto *de Opificio*[5], qui de libero arbitrio est secundus; et hic summatim perstringam. Hoc igitur non probavit Augustinus, quod in eodem, quem paulo ex eo ante retuli libro *de Nuptiis* secundo posuit[6]. Ubi, cum hæreticos illos non ob id censeri dixit, quod « liberum arbitrium in hominibus esse, ac Deum nascentium conditorem esse » crederent, quoniam « ista catholica fides dicit; » statim in quo eorum consistat hæresis exponit: « Sed, si quis ad colendum recte Deum, sine ipsius adjutorio dicit esse in hominibus liberum arbitrium; et quisquis ita dicit Deum nascentium conditorem, ut parvulorum neget a potestate diaboli redemptorem, ipse Cœlestianus, et Pelagianus vocatur. » Hic itaque Pelagianus, et hæreticus est, non qui liberum arbitrium tale esse definit, ut sit naturalis facultas, quæ ad utrum libuerit eligendum, et asciscendum liberam habet potestatem, nullis necessitatis nexibus obstrictam; sive, « motus animi liber ad faciendum, aut non faciendum[7]; » sive denique, « quæ sic cooperatur assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, ut possit dissentire, si velit. » Plane quisquis ita sapit, ac dicit, Pelagianus non est. Et « mentitur iniquitas sibi, » ac loquuntur « vanitates in idipsum, » quicumque Pela-

In quo consistat Pelagii hæresis juxta Augustinum.

1 Vide l. IV *de Hom. opif.* c. III.—2 Lib. II *de Nupt.* c. III.—3 In Ep. *ad Ctes.*—4 Tom. I. l. V, c, III et l. III *de Op.* c. II, § 6.—5 Cap. III.—6 Cap. III.—7 Aug. lib. *de duab. anim.* c. XII.

gianos, aut Semipelagianos illos vocant. Qui si propterea Pelagiani sunt, quod in indifferente illo statu, neque determinato naturam ponunt arbitrii liberi, Pelagiani sunt antiqui Patres omnes, ac theologi ; Pelagianæ synodi catholicæ, maximeque omnium postrema Tridentina ; Pelagianus et ipse Spiritus sanctus, qui non aliam libertatis notionem per prophetas suos, et Apostolos, scriptoresque canonicos cæteros, in sacris libris expressit.

XII. Ille vero Pelagianus est, qui libero isti arbitrio tantum arrogat, ut sine adjutorio Dei niti posse viribus suis ad Deum colendum existimet, hoc est ad recte agendum, vel ad christianam inchoandam, promovendam, perficiendamque justitiam. Sic Hieronymus, depulso eo, quod falso Pelagius objectabat, *condemnati arbitrii liberi* crimine, statim catholicæ professionis formulam, qua convicti Pelagiani tenebantur, his verbis concipit, quæ hujus capitis initio posui, sed hic necessario repetenda sunt, « Ipsum, inquit[1], liberum arbitrium Dei nititur auxilio, illiusque per singula ope indiget ; quod vos non vultis, sed id vultis, ut, qui semel habet liberum arbitrium, Deo adjutore non egeat. Liberum arbitrium dat liberam voluntatem, et non statim ex libero arbitrio homo facit, sed Domini auxilio, qui nullius ope indiget. » Numquis eorum, quos falso calumniaris, et pro Pelagianis, Semipelagianisque traducere conaris, o profana, et inverecunda novitas, tale aliquid de arbitrio libero scripsit, aut sensit, non egere ipsum adjutore Deo per singula, sed ad bonum amplectendum, sine ope, auxilioque gratiæ, propriis sibi viribus sufficere? Quisquamne dixit illorum, quod Hieronymus ab iisdem Pelagianis doceri scribit[2], in eoque potissimum eorum esse sitam hæresim ? « Quæro, inquit, hoc ipsum, quod Dei asseris gratiæ, utrum ad conditoris referas beneficium, an in singulis rebus putes esse, quas gerimus, ut scilicet illius in omnibus utamur auxilio ; an semel ab eo liberi arbitrii conditi, nostra voluntate, vel viribus agamus, quod volumus ? » Item illud : « Dormitat ergo Deus in operibus nostris[3], semel data liberi arbitrii potestate, nec orandus est, ut in singulis operibus nos juvet, cum voluntatis nostræ sit, et proprii arbitrii, vel facere, si volumus, vel non facere, si nolumus. » Vides, quemadmodum sanctus ille doctor proprium esse concedit, arbitrii liberi ita facere, si volumus, vel non facere, si nolumus, uti neutrum in iis, quæ ad christianam justitiam spectant, sine Dei auxilio præstare possit.

Audiatur denique Pelagianæ hæresis proprium dogma, ab Augustino comprehensum sub ipsa scribendi adversus illam, et ejus oppugnandæ primordia. « Nova quædam, ait[4], hæresis inimica gratiæ Christi contra Ecclesiam Christi conatur exurgere, sed nondum evidenter ab Ecclesia separata est, hominum scilicet, qui tantum audent infirmitati humanæ tribuere potestatis, ut hoc solum ad Dei gratiam pertinere, contendant, quod cum libero arbitrio, et non peccandi possibilitate creati sumus, et Dei mandata, quæ a nobis implerentur, accepimus. Cæterum ad eadem mandata servanda, et implenda nullo divino adjutorio nos egere. » Hanc possibilitatem Pelagius sic interpretatus est, ut plena, integra, sana, et vegeta, suisque contenta viribus agendi tam bene, quam male facultas esset. Quo sensu nemo illorum, quibus malevole obtrectare solent imperiti homines, intelligendam putavit indifferentiam arbitrii liberi. Cujusmodi sit autem, ex rei veritate, et ex Augustini mente diligenter enodatum est in quarto libro *de Opificio*. Itaque supervacaneum sit longiorem in eo declarando operam, ac moram insumere.

CAPUT III.

De secundo gratiæ genere a Pelagianis constituto, quæ est peccatorum remissio. Disputatur quo sensu Pelagius eam gratis, ac non secundum merita dari dixerit. Rejiciuntur interpretandi varii modi ab novo dogmatista propositi. Maxime quod ait, Pelagium putasse, arbitrii integritatem imminutam esse post antiqua, et Patriarchica tempora.

I. Secundum genus Pelagianæ gratiæ *peccatorum* est *remissio*, ut in plerisque locis testis est Augustinus, tum in iis fere omnibus, quæ superiori capite commemoravimus, ubi cum libero arbitrio peccatorum remissionem complectitur ; tum insigniter in libro de *gratia Christi* capite secundo, , ubi Pelagii verba refert : « Anathemo, qui vel sentit, vel dicit, gratiam Dei, qua Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, non solum

Secund grati genu remiss peccato

1 Hier. *ad Ctesiph.*— 2 Lib. I *cont. Pelag.*— 3 Ibid.— 4 Epist. XCIV.

per singulas horas, aut per singula momenta, sed etiam per singulos actus non esse necessariam; et qui hanc conantur auferre, pœnas sortiuntur æternas. » Augustinus vero istius gratiæ vocabulo callide significari dicit remissionem peccatorum. « quam per singulas horas, per singula momenta, et per singulos actus necessariam esse dicat, ut semper in memoria retinentes, et reminiscentes, dimissa nobis esse peccata, non peccemus ulterius, adjuti non aliqua subministratione virtutis, sed viribus propriæ voluntatis, quid sibi remissione peccatorum præstitum fuerit, per actus singulos recordantes. » Ita in ejusdem libri capite XXXVII et XXXVIII. Et in libro *de gratia et libero arbitrio*, capite VI. « Sed, cum dicunt Pelagiani, hanc esse solam non secundum merita nostra gratiam, qua homini peccata dimittuntur; illam véro, quæ datur in fine, id est æternam vitam, meritis nostris præcedentibus reddi; respondendum est eis, etc. » Et in capite XIII. « Dicunt etiam, gratiam Dei, quæ data est per fidem Jesu Christi, quæ neque est lex, neque natura, ad hoc tantum valere, ut peccata præterita dimittantur, non ut futura vitentur, vel repugnantia superentur. »

Ad hæc libro tertio *contra Julianum*, capite XXIII, « verum tu a vestro dogmate non recedis, inquit, quo putatis, gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum sic in sola peccatorum remissione versari, ut non adjuvet ad vitanda peccata, et desideria vincenda carnalia, diffundendo charitatem in cordibus nostris. » Et in libro *de natura, et gratia* [1], capite XXXIV. « Hanc iste misericordiam, et medicinale Salvatoris auxilium, tantum in hoc ponit, ut ignoscat præterita, non ut adjuvet ad futura vitanda. » Idipsum et Julianus ipse defendit apud Augustinum [2].

II. Hanc vero remissionem peccatorum non secundum merita nostra dari, sed gratis a Deo concedi, Pelagius arbitratus est, ut sæpe testatur Augustinus; ut in loco illo, quem citavimus, ex capite sexto libri *de gratia, et libero arbitrio*; et in epistola CV. « Possunt quidem, ait, dicere remissionem peccatorum esse gratiam, quæ nullis præcedentibus meritis datur. Quid enim habere boni meriti possunt peccatores? » Quo et illud referri potest Joannis Chrysostomi homilia XI, in epistolam *ad Romanos*, qui, « quod propria peccata sepulta sunt, divini esse muneris affirmat; quod autem secundum Baptismum mortui peccato perseveremus, nostri studii opus esse. » Quanquam, ut recte addit, « plurimum etiam ibi nos adjuvari a Deo cernimus [a]. »

Quo sensu Pelagius remissionem peccatorum gratis dari dixerit.

Ex quo sane difficilis ad explicandum quæstio nascitur: qui tandem Pelagius docuerit, remissionem peccatorum sine ullis dari meritis. Nam contrarium potius existimasse videtur. Primum quod universe ita pronuntiabat, *gratiam secundum merita dari*, in quo Pelagianæ hæresis caput, ac summa consistebat, ut antecedenti capite dixi; est autem singularis quædam gratia peccatorum remissio. Deinde nominatim peccatorum remissionem non gratis tribui, sed ex meritis affirmavit Pelagius [3]; quod in concilio Diospolitano ex ipsius libris objectum est illi ultimo, et duodecimo loco. « Duodecimo, inquit, et quod petentibus venia non detur secundum gratiam, et misericordiam Dei, sed secundum merita, et laborem eorum, qui per pœnitentiam digni fuerint misericordia. » Quanquam hoc a Pelagio recantatum, et anathemate damnatum est in eadem synodo. Neque vero mentiti sunt, aut falso illi istud objecerunt in libello suo Heros, et Lazarus; sed revera sensisse sic, ac scripsisse videtur, quod etiam illius hæresi, ac primario decreto magis congruit.

III. Etenim propterea gratiam non putavit sine merito aliquo, gratisque concedi, quod alioqui injustus, et personarum acceptor Deus haberetur. In libro *de gestis Pelagianorum*, capite XIV, Pelagio id objectum esse scribit Augustinus ex capitulis Cœlestianis, « Dei gratiam secundum merita nostra dari; quasi, si peccatoribus illam det, videatur esse iniquus. » Et in epist. CV, idem Augustinus; « quid hic dicturi sunt, inquit, qui, ut gratia dari possit, nonnulla præcedere merita humana contendunt, ne sit personarum acceptor Deus? » Denique in libro *de Hæresibus ad Quodvultdeum*, asserit, Pelagium [4], postquam hoc damnavit in concilio Diospolitano, quod dixerat, « gratiam Dei, qua liberamur ab impietate, secundum merita nostra dari, in

a CHRYS. Τὸ μὲν γὰρ ταφῆναι τὰ πρότερα ἁμαρτήματα τῆς αὐτοῦ γέγονε δωρεᾶς. τὸ δὲ μετὰ τὸ βάπτισμα μεῖναι νεκροὺς τῇ ἁμαρτίᾳ, τῆς ἡμετέρας δεῖ γενέσθαι ἔργον σπουδῆς· εἰ καὶ τὰ μάλιστα πολλὰ καὶ ἐνταῦθα τὸν θεὸν ὁρῶμεν βοηθοῦντα ἡμῖν.

1 Vide et c. XXXV.— 2 Lib. I Op. imp.— 3 Aug. ep. CVI et c. XXXV *de Gest. Pel.* et in Collect. Crescon.— 4 Cap. LXXVIII.

posterioribus suis scriptis hoc inveniri docere. » Quare utrumque sine dubio Pelagius asseveravit de remissione peccatorum, qua maxime *ab impietate liberamur;* et quæ nisi ex merito daretur, personarum acceptor videretur Deus, et indignis gratiam largiretur, quod illi passim jactitabant. Ac non est difficile conjicere, quo pacto remissionem peccatorum ex merito dari, decreverint, cum in potestate esse vellent, liberi arbitrii, et naturalibus ejus viribus credere, aut non credere, resipiscere aut non resipicere, sine novo alio Dei auxilio, præterquam eo, quod in lege, ac doctrina numeratur, cum ostensa Dei misericordia, et Evangelico verbo, unusquisque sola voluntate sua, et arbitrii viribus, absque interno motu aliquo gratiæ, vocanti se et invitanti extrinsecus assentitur, ac voluntatis istius merito peccatorum remissionem, ac reconciliationem assequitur. Hoc sensu Pelagiani remissionem peccatorum ex merito comparari, facile et consentanee dicere potuerunt.

IV. Verum in altero et contrario decreto, quo gratis, et sine meritis remissionem eamdem dari dixerunt, non est explicatu facile, qua id ratione defenderint. Non enim eo sensu hoc illos affirmasse putet quispiam, quod natura, et arbitrium liberum, aut etiam doctrina, et lex, ex quibus voluntatis libera inclinatio sequitur, nullis præcedentibus meritis imputantur. Siquidem tale meritum excludebant, cum hoc posterius assererent, quod in peccatoribus inesse non potest, ut in epistola cv scribit Augustinus; tum ejusmodi, quod in pœnitentia situm est. Quippe cum in Diospolitana synodo retractaverit idipsum, quod antea de merito gratiæ docuerat, hoc autem tale esse dixerit, quod « per pœnitentiam digni fiunt misericordia, » quando hoc ipsum anathematizavit, ut testis est Augustinus, etiam meritum illius gratiæ sustulisse videtur, quæ non in natura posita est, sed in motione voluntatis, et inclinatione ad pœnitentiam. Postremo cum, ut idem refert Augustinus[1], duplex gratiæ genus distingueret: unum, quod sine meritis tribuitur. quod remissionem peccatorum esse dicebant : alterum, quod meritis redditur, hoc est æternam vitam; justa suspicio est, merita eos intellexisse non ejusmodi, quæ naturam, et liberæ voluntatis exstantiam præcederent, verum quæ ab ipsa jam edita sponte, ac laudabiliter efficerentur. Siquidem ob eadem merita remissionem dari peccatorum negabant, quibus vitam æternam rependi fatebantur. Hæc autem posteriora ab voluntatis arbitrio proficisci putabant. Itaque non alia merita detrahere Pelagius debuit, cum sine meritis remitti peccata postea tradidit. Quod ipsum quemadmodum interpretatus sit, non est facile dictu; tum illud etiam, quid remissionis nomine significare voluerit, non satis perspicuum est; utrum scilicet nudam ipsam delictorum relaxationem, an sanctificantem gratiam, an congruentia quædam adjumenta gratiæ, quibus ad illam præparantur, et adducuntur, velut pœnitentiam, dolorem ob admissa crimina, et id genus alia. Non enim, sine aliqua præparatione animi condonari peccata Pelagius credidit.

V. Equidem in ista quæstione, ac similibus, quæ de Pelagiana hæresi moveri possunt, non tam esse facile arbitror inveniré, quid probes, quam quid, quave de causa improbes. Ac fortasse plus, quam res ipsa fert, diligentiæ in istis inquirendis adhibemus; et rationem, ac, quam Græci vocant, ἀκολουθίαν, id est *cohærentem sibi consequentiam sermonis* ibi quærimus, ubi nulla fuit, et ubi nihil tantopere auctor illius sectæ, ac dogmatis studuit, quam ut né intelligeretur, quod diceret, ut qui ad tempora sua, et judiciorum, publicæque cognitionis metus responsa sua, ac decreta moderatus est. Nihilominus quantum prudenti conjectura, ex Augustini, aliorumque monimentis, de hæretici illius sententia consequi possumus, quando id suscepimus, enarrare pergemus. Et, ut ab eo incipiam, quod primo loco proposui, mihi videtur Pelagius initio docuisse, peccatorum remissionem a peccatoribus non obtineri gratis, sed ex merito pœnitentiæ. Postea, cum animadverteret, non eam esse gratiam præcipuam, de quo cum Catholicis sibi controversia esset, sed de illa disputari potissimum, quæ eadem ad omnes actus necessaria, et a Deo gratis concessa dicitur; ne hanc ipsam gratiam in *actuali*, ut vocant, voluntatis impulsione positam esse, et quoties agimus, toties eam inspirari, cogeretur asserere, ad remissionem peccatorum libenter receptum habuit; quæ semel tantummodo concessa, deinceps non reipsa, novaque tribuitur, sed memoria solum repetitur, ut scribit Augustinus, libro *de gratia Christi*, cap. II. Sic enim volentem per

Pelagii sententi mutavi

1 Lib. *de grat. et lib. arb.* c. VI

sese neque divinæ opis, hoc est gratiæ, et adjutorii illius, quo velut imbecilla fulciretur, indignam voluntatem poterat defendere, si diceret gratiam illam ad omnes actus necessariam, esse peccatorum remissionem, quæ identidem memoria repetita nos adjuvet. Itaque necesse est credere, Pelagium hac in parte mutasse sententiam, et, quod de peccatorum remissione, ac venia aliquando pronuntiaverat, eam minime gratis, sed ex merito tribui, postea retractasse, ut gratis illam concedi putaret. Hoc vero, quo sensu demum usurpaverit, non satis apparere mihi dixi.

VI. An cum gratiam illam, quæ proprie gratia dicitur, in sola mentis illustratione, ac revelatione, et objectis per illam terroribus, vel propositis præmiis putaret consistere, nec præterea quicquam esse crederet, quo Deus voluntatem nostram ad agendum impelleret, peccatores gratis existimavit ac præter meritum illuminari a Deo, et iis præsidiis ad pœnitentiam adduci? An tale meritum excusit, cui ex justitia tribuitur, quod debetur; quemadmodum justis æterna salus rependitur? Ex quo affirmare potuit, per legem, et doctrinam extrinsecus oblatam (quam gratiam omnino gratuitam, et necessariam esse judicavit) admoneri peccatores, eosque liberi arbitrii viribus ad pœnitentiam excitare sese; sed eam pœnitentiam dignam non esse, cui Deus peccata condonet? Sane Augustinus epistola CV de hac ipsa peccatorum remissione disputans, quam Pelagius sine meritis dari volebat, demonstrare studet, eam nonnullis ex meritis a Deo conferri; quoniam fides illam impetrat, cujus utique nonnulla sunt merita. Quam fidem non ab humano arbitrio, sed ex gratia proficisci docet. Ex quibus efficitur, quoniam Pelagiani fidem humanis viribus ascribebant, et ejus merito nihilominus peccatorum gratiam fieri negabant, eos de tali merito locutos esse, cui tanquam condigna merces remissio illa concessa sit. Quinetiam Massilienses, ut in epistola *ad Augustinum* scribit Hilarius, non putabant, fidem, vel credendi voluntatem, in parte curationis ipsius aliqua censeri; et, cum illam naturalibus liberi arbitrii viribus imputarent, nihilo tamen secius asserebant gratiam sine ullis meritis conferri. Unde constat, nullum eos in ista fide meritum proprie dictum, et adæquatum, cujusmodi sola sunt operum merita, collocasse; sed imperfectum duntaxat, ac velut causam, cur huic potius, quam illi gratiam Deus impertiret.

VII. Prosper in epistola *de libero arbitrio ad Ruffinum*, Pelagianos errores explicans, et eum præsertim, quo gratiam dari ex meritis, ac secundum ea dicebant, ita rem enarrat, ut duplex veluti gratia ab illis constituta fuerit: una, quæ extrinsecus oblata menti, voluntatem illiciat: altera justificatio, quæ prioris voluntatis viribus admissæ præmium sit. Verba Prosperi. « Intellectum est enim, saluberrimeque perspectum, hoc tantum eos de gratia confiteri, quod quædam libero arbitrio sit magistra, seque per cohortationes, per legem, per doctrinam, per creaturam, per contemplationem, per miracula, perque terrores extrinsecus judicio ejus ostendat, quo unusquisque secundum voluntatis suæ motum, si quæsierit, inveniat, si petierit, accipiat, si pulsaverit, introeat. Quia scilicet gratiæ ipsius vocatio hoc primum circa nos agat, ut nostræ facultatis arbitrium admoneat; nec aliud sit gratia, quam lex, quam Propheta, quam doctor, cui circa omnes homines per universum mundum commune, et generale sit studium. (Hoc primum gratiæ genus est. Sequitur posterius.) Ut qui voluerint, credant, et qui crediderint, justificationem merito fidei, et bonæ voluntatis accipiant; atque hoc modo gratia non sit gratia, quia si meritis redditur, et non ipsa est bonorum creatrix, frustra gratia nominatur. » En alterum gratiæ genus, quod in justificatione, et peccatorum remissione statuit.

Probabilis propositæ quæstionis solutio.

VIII. Ut igitur de Pelagii dogmate, et quæstione ante posita dicam quid probabile esse sentiam, duplex illud gratiæ genus animadvertendum est; quorum unum gratuitum: alterum ex merito datum intelligitur. Nam prius illud, quod totum exterius est, sine ullis nostris meritis offertur: Lex enim, et Evangelium, et Prophetarum voces, et ejusdemmodi alia, gratis unicuique constant, et in commune proponuntur. Et quamvis uti singulis offerantur, atque ut, exempli gratia, Propheta, vel Apostolus, vel quilibet alius Evangelicus præco in illos incidat, et iis divinum verbum prædicet, meritis eorum tribui posse Pelagiani non dubitarent, idque Cornelii centurionis exemplo probarent[1]; nihilominus tum lex ipsa per se, et Evangelica doctrina nullo nostro merito divinitus est edita, tum quod ad usum cujusque, ac commodum

1 Act. x.

applicetur, sæpe nullis privatis illius, cui effertur, meritis evenit. Ideo genere ipso gratuitum illud beneficium habetur, quatenus ex se, conditionisque suæ proprietate, nullum necessario requirit meritum, cum altera, quæ est secundi generis, gratia, nonnisi proprio marte comparanda sit, id est solis propriis meritis rependatur. Hanc fuisse mentem Pelagii verisimile est, atque ejusmodi doctrinam, κρύψει illius, et *versutiæ* congruentem, et in utramque partem versatilem, sive gratiam ex merito dari, sive gratis, et sine merito concedi fateretur, prout res suæ postulabant. Quamobrem ex iis consentanea reddi ratio potest, cur et initio *gratiam secundum merita dari* dixerit, et postea, mutata velificatione, aliter pronuntiare visus sit. Quod in posteriori maxime licet experiri; nam in priori genere expedita res est. Gratiam igitur eam, quam in justificatione, ac peccatorum remissione collocabat, utroque modo, et ex meritis, et sine meritis obvenire docuit. Horum primum jam exposui, nec difficile est capere. Alterum, quod nos paulo magis commovebat, sic interpretandum est, ut, si proxima spectentur, ex quibus necessario pendet, meritis respondeat; sin ad prima, et remotiora referatur, gratuitum sit omne. Etenim remissio peccatorum per pœnitentiam, et mutationem animi, sive resipiscentiam obtinetur. Ad hanc vero capessendam, ex Pelagii sententia, tum naturalis est necessaria voluntatis facultas, et arbitrium liberum, quod gratuitum est Dei beneficium, tum vero lex ipsa divina, et doctrina fidei [1]. *Quomodo enim invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* »

IX. Sed illud præ omnibus, ac diligenter observandum est, in quo rei summa vertitur: Pelagium existimasse, post adventum Christi, neminem ad salutarem pœnitentiam, ac voluntatis conversionem, adeoque remissionem peccatorem pervenire posse, nisi per Christum, ejusque notitiam, ac fidem in ipsum. Quod diserte asserit in commentario ad epistolam *ad Ephesios* [2], (nam vulgo Pelagii esse creduntur commentarii illi ad epistolas Pauli, qui inter Hieronymi spuria censentur) his verbis : « Quando jam homines aliter salvari non poterunt, nisi Christi fide salventur. » Quod ne quis putet sic ab eo scriptum, tanquam vim ullam, et gratiam subministrari meritis illius existimarit, ad salutem consequendam necessariam, non est ita. Quippe ideo Christi fide salvari homines asseruit, eamque fidem necessariam esse, quod pars legis divinum sit illud, novumque præceptum, ut in Christum credatur. Sic enim idem ille Pelagius in epistolam *ad Romanos* [3]. « In hoc tempore, inquit, nemo perfecit legem sine Christo; quia et hoc legis est, ut ipsi credatur. » Vides ergo, uti gratiam ad salutem necessariam, præter naturam et liberum arbitrium, sola lege, ac doctrina definierit, et maxime quatenus Evangelium, ac fidem Christi continet. Et quoniam gratiæ genus hoc, id est Christi incarnatio, et hujus prædicatio, quod est Evangelium, nullis hominum meritis, sed gratis, ac liberaliter a Deo est indultum; idcirco pœnitentiam, et peccatorum remissionem sine meritis dari, subdole Pelagius interdum asseruit; siquidem qualiscumque liberi conatus arbitrii, et quantumvis plenus, ac vehemens, sine Christi notitia, et parte legis illa, quæ mandatum est in Christum credendi, remissionem peccatorum non impetrat. Hanc itaque latebram Pelagius reperit, qua imminentem a catholicis episcopis damnationem effugeret, ut salva impietate sua, profiteri posset, gratis, ac nullis nostris meritis, remissionem peccatorum a Deo tribui. non quod nulla eam præcedant liberi arbitrii merita, sed quod ista ipsa merita, si Christi notitia, fidesque desit, quam naturalibus homo viribus proposito sibi Evangelio præbet, remissionem illam assequi nequeant.

Verum Augustinus contra hæresim illius disputans, in hoc ipsum intentus, quod aperte Pelagius, ac verbis ipsis præ se ferebat, et quod in Diospolitana synodo palam, publiceque professus erat, damnato etiam, ac revocato contrario dogmate, id tanquam Pelagianum decretum ponere, et usurpare consuevit : *remissionem peccatorum non secundum merita nostra dari;* neque curiosius in sensum, ac sententiam illius dogmatis inquirere voluit, quod minime tum opus esset, neque ad institutum pertineret. Hoc tamen, quod de illius hæretici mente, ac simulatæ professionis intelligentia dixi hactenus, nemo probabile esse diffitebitur, qui illius mysteria, et arcana probe perspexerit,

X. At falsi interpolator dogmatis [4], qui, ut Pelagianum vitaret errorem, in contrarium, nihiloque tolerabiliorem incidit, aliter Pela-

1 *Rom.* x, 14.— 2 Ad cap. VI, 21.— 3 *Rom.* x, 16.— 4 Tom. I, lib. V, c. VII.

Varii interpretandi modi a novo dogmatista propositi rejiciuntur.

gii dictum illud exponit, quo *remissionem peccatorum secundum merita dari* negavit; ac triplicem ejus interpretationem affert. Prima est, « quod datur etiam gentibus illis, quæ nulla legis, hoc est cæremoniarum opera perfecerunt, sed tantummodo in Christum fide crediderunt.» Tum ex Pseudo hieronymi commentariis ostendit[1], justificari hominem non ex operibus legis, sed ex fide Christi, non *absque justitiæ operibus*. Verum non ob eam causam Pelagium arbitror peccatorum remissionem gratis affirmasse tribui, quod sine legis operibus daretur. Nam et vita æterna neutiquam ex operibus legis obtinetur : quam tamen meritis constare idem hæreticus docuit. Igitur, cum utramque gratiam, remissionem scilicet, et vitam æternam, reipsa crederet impetrari meritis; de iis tamen diverso modo pronuntiavit, quatenus inter ambas interest. Nam remissio peccatorum ita meritis acquiritur, ut ea nihil efficiant, nisi proposito Evangelio, ac Christi passione, quæ intelligentiæ objecta, proxime remissionem illam operatur. Ergo, quia inter gratuitum Dei beneficium, tanquam radicem, et peccatorem remissionem, qui est illius fructus, nihil interjectum est, idcirco remissionem solam esse gratuitam dixit gratiam. At vita æterna, inter Christi passionem, et remissionem ex ea natam, ac seipsam interpositam habet liberi arbitrii functionem, suis viribus nitentem, ut ille putabat. Ideo meritis hanc posteriorem gratiam provenire dixit non priorem.

Vere hoc a nobis conjici discrimen ex Pelagii sensu, argumento est Augustinus ipse, qui similiter æternam vitam, ac primam animi motionem, gratiam appellandam censuit, cum hac utriusque differentia, quod posterior gratia mere gratuita sit, quoniam proxime oritur ex solo Dei beneficio; vita autem æterna proxime ex merito comparatur, cujus tamen stirps, et origo est gratuita Dei beneficentia. « Vita, inquit[2], æterna, quæ bonæ vitæ redditur, Dei gratia est; et ipsa enim gratis datur, quia gratis data est illa, cui datur. Sed illa, cui datur, tantummodo gratia est; gratia est pro gratia, tanquam merces pro justitia. » Sic ergo Pelagius remissionem peccatorum solam putavit gratuitam esse gratiam, quoniam ἀμέσως ex mero Christi beneficio ortum habuit, cujus merita proxime in illam conferunt. At æternam vitam gratiam appellavit ille quidem; sed remotiorem ab illa prima gratia, et quasi matrice meritorum, quam in fidei doctrina collocabat, cujus efficientia proxime in remissionem peccatorum incurrit.

Immediate.

XI. Alteram causam explicat novus dogmatistes, cur a Pelagio remissio peccatorum gratis obtineri diceretur: quod « olim tempore legis naturæ, atque Moysi, non erat illa peccatorum remissio, quæ sola fide credentibus in Christum datur, necessaria; propterea quod homines poterant, propter naturæ, et liberi arbitrii integritatem, totam legem custodiendo, si vellent, omnem omnino implere justitiam. Nunc autem, quia peccandi nimia consuetudo prævaluit, non amplius tota potest servari lex; ideoque peccata, quæ per illam consuetudinis infirmitatem præcipitata voluntate perpetrata sunt, gratuita remissione per fidem Christi, quæ a cujuslibet nuda voluntate pendet, esse delenda.» Atqui mirum mihi videtur, hominem in Augustini libris, ac Pelagiana indaganda hæresi tanto studio versatum, tam male cohærentem istius placitis rationem excogitasse. Ita enim disserit, tanquam imminutæ sint naturalis arbitrii liberi vires, ac deteriores factæ, quam erant in lege veteri. Quod nunquam Pelagius admitteret; imo contraria omnia sæpe, multumque defendit. Cujus dogmatis caput illud est: Liberi arbitrii sanas, et integras ab ortu cuique vires inditas fuisse, nulla voluntatis alienæ culpa debilitatas et infractas. Etenim naturalem hanc esse dotem humani animi, quæ non magis eripi, quam natura ipsa possit, ut ex æquo bonum ac malum in potestate habeat, nec ad illud amplectendum alienis opibus indigeat, sed nativis propriisque contenta sit.

Pelagium audiamus ipsum, qui in epistola *ad Demetriadem*, virtutum, et Christianæ pietatis præcepta daturus, ab naturæ bono, ac liberi arbitrii commendatione sermonem ingreditur. « Volens, inquit, Deus rationabilem creaturam voluntarii boni munere, et liberi arbitrii potestate donare, utriusque partis possibilitatem homini inferendo, proprium ejus fecit esse, quod velit, ut boni ac mali capax, naturaliter utrumque posset, et ad alterutrum voluntatem deflecteret. » Tum illud : « Est enim, inquam, in animis nostris naturalis quædam, ut ita dixerim, sanctitas, quæ velut in arce animi præsidens, exercet

1 In cap. III *ad Rom.* n. 49.— 2 Aug. lib. *de Grat. et lib. arb.* c. VIII Vide lib. IX, tom. I, cap. I.

mali, bonique judicium ; et ut honestis, rectisque actibus favet, ita sinistra opera condemnat, » etc.

XII. Julianus Pelagianarum columen partium [1], « Libertas, inquit, arbitrii, qua a Deo emancipatus homo est, in admittendi peccati, et abstinendi a peccato possibilitate consistit. Factum est enim animal rationale, mortale, capax virtutis, et vitii, quod posset ex concessa sibi possibilitate vel servare mandata, vel transgredi, vel magisterio naturali conservare jus humanæ societatis, liberumque haberet alterutrum velle, vel partem, in quo peccati, et justitiæ summa est. »

Eodem pertinent illæ apud Augustinum Pelagii sententiæ de possibilitate boni ac mali ; quam a natura datam, ac necessitate quadam ita consertam, adhærentemque illi esse significat, ut auferri nequeat. « Dicimus, inquit [2], cujusque rei possibilitatem, non tam in arbitrii humani potestate, quam in naturæ necessitate consistere. » Ac deinde [3] : « Simile ergo modo de non peccandi possibilitate intelligendum est ; quod non peccare nostrum sit, posse vero non peccare non nostrum. » Quæ illius verba refellens Augustinus, « Miror, inquit, quo corde, etiam sine adjutorio medicinæ Salvatoris nostri, nostrum putat esse non peccare ; posse vero non peccare naturæ esse contendat ; quam sic videt esse vitiatam, ut hoc majoris vitii sit non videre. » Quocirca neutiquam aliena culpa vitiatam hominis naturam, ac voluntatem liberam esse Pelagius credidit, neque debilitatam, aut immutatam. Quod diserte ipse testatur in eodem Augustini libro, « Primo, inquit [4], de eo disputandum est, quod per peccatum debilitata dicitur, et immutata natura. » Quod deinde ex eo redarguit, quod peccatum substantia non sit. « Et si ita est, quomodo potuit humanam debilitare, vel mutare naturam, quod substantia caret ? » Ejusmodi sunt alia quamplurima utriusque loca, quæ novus dogmatistes selegit [5] ; ut in eo sitam esse persuaderet illorum hæresim, quod liberum arbitrium assererent in indifferentia, et utriusvis ex æquo possibilitate consistere ; in eoque esse sitam divinitatis imaginem, quæ naturaliter, ac necessario inest homini, nec ab eo separari potest.

XIII. Quibus omnibus repugnat id, quod postea cribit Pelagianos existimasse, « naturæ ac liberi arbitrii integritatem olim exstitisse tempore legis naturæ, atque Moysi ; ac propterea potuisse homines totam legem custodire, si vellent, et omnem omnino implere justitiam. Nunc autem, quia nimia consuetudo prævaluit non idem amplius posse ? » Ergone consuetudo illa peccandi, quæ in majoribus fuit, ac naturæ vitiositas ab illis propagata est in posteros ? Quid hoc aliud est, quam originalem a parentibus in posteros transire noxam ? Aut quid tam acriter de eo contra Catholicos Pelagiani contenderent, ac *Traducianos* illos per probrum, ac convicium nominarent, si et ipsi vitium, ægritudinemque naturæ *traduci* a majoribus in filios dicerent, quo pristina liberi arbitrii possibilitas esset erepta ? Multa nuperi sunt istius scriptoris errata, atque haud paulo perniciosiora, magisque cavenda, quam istud est ; sed nullum habes adeo, neque tam stupidum, aut ab omni ratione, ac judicio destitutum. Enimvero quidquid in illa *ad Demetriadem* epistola, et in aliis libris, quorum fragmenta apud Augustinum leguntur, de naturæ bono, deque sanitate, et integritate liberi arbitrii disputavit Pelagius, necnon Julianus, et si qui alii sunt, non eo conspirat, ut veterum tantummodo patriarcharum, ac prophetarum, qui olim exstiterunt, indolem, ac liberi in illis arbitrii salubritatem prædicent, quæ sit omnis in posteris amissa, mutata jam in deterius, post adventum Christi, natura mortalium. Sed eam naturam, eumque voluntatis, et arbitrii liberi commendant statum, qui in ætatis suæ hominibus inerat, quemque ob oculos illis ponere, et in memoriam reducere se velle profitebantur, ut eos ad omnia virtutum officia incitamento hoc alacriores redderent ; neve illi excusari se posse crederent infirmitate virium, et imbecillitate naturæ, quominus summa quæque, ac perfecta capesserent. Quod in illa *ad Demetriadem* epistola Pelagius longa et copiosa oratione persequitur.

XIV. Sequitur tertia et postrema causa, propter quam novus dogmatistes dixisse Pelagium existimat, « remissionem peccatorum non secundum merita nostra dari, quod a gentibus ad fidem conversis nulla laboriosa pœnitentiæ opera in baptismo postulantur ; » sed sola fide Christi remissionem illam assequi possunt. Verum nec ista ratio satis ad rem pertinet. Nam neque veteri in lege, ad solam peccatorum remissionem obtinendam, tanto

1 Apud Aug. l. I op. imp.— 2 Apud Aug. l. *de Nat. et Grat.*— 3 Ib.— 4 Cap. xix.— 5 Tom. I, lib. II, c. I et seq.

labore opus fuit; quippe momento plerique illam adepti sunt, uti David, Manasses, et complures alii. Interest autem inter remissionem peccatorum simplicem, et justitiam legis. Hæc enim ejusmodi est, qualem Apostolus describit, *Quoniam justitiam, quæ ex lege est, qui fecerit homo, vivet in ea*[1]. Quibus verbis indicat, justitiam legis propriam eatenus suppetere, si illius mandata omnia serventur. Nam justum proprie vocatur, quod legi consentaneum est, ut docet Aristoteles « Omnia quippe legitima quodammodo justa sunt. Siquidem ea, quæ sunt ab legumlatrice facultate definita, legitima sunt; et horum unumquodque justum esse dicimus : Porro leges de omnibus præscribunt [a]. » Quare justitia legis est quædam actionum humanarum, vel agentis hominis exæquatio cum lege, sive regula, ut indicat Augustinus in tractatu *ad Psalmum* LXI. Et, ut alibi scribit [2], « factores legis utique justi sunt, » nempe qui reipsa legi obtemperant, et quorum actiones omnes ad eam exactæ sunt. Hoc autem longum, ac molestum est, et in tanta naturæ depravatione, atque imbecillitate virium obtineri non potest. Itaque compendium quoddam nobis assequendæ justitiæ per fidem charitate formatam Christus attulit. Est *enim charitas bona voluntas* [3], vel *boni cupiditas* [4], ut definit Augustinus. Quo affectu vivæ fidei legem amamus Dei, et implere volumus [5]. «Quia et qui diligit Deum, consequens est, ut faciat,quod vult Deus : et in tantum diligit, in quantum facit, » ut idem scribit Augustinus. Idcirco per fidem charitate formatam, qua totam legem voto, ac desiderio complectimur, legi conformes, adæquatique sumus, adeoque justi.

XV. Ex quibus colligitur, justitam, quæ ex lege sit, actuosam, et laboriosam esse, non peccatorum remissionem. Ac non mediocriter hallucinari novi patronum dogmatis in Pelagiano illo interpretando decreto, dum ante Christum, « propter naturæ, et liberi arbitrii integritatem, totam legem custodire, atque omnem implere justitiam » homines potuisse dicit, postea vero non amplius potuisse. Nam nihil in naturæ viribus, ac possibilitate mutationis incidisse germanum est dogma Pelagii. Neque vero minus pravæ consuetudini veteri in lege mortales obnoxii fuere, quam posteriori tempore. Quare si de integritate liberi arbitrii decerpere aliquid peccandi, consuetudo potuit, non minus hoc antiquis illis fecit, ac patriarchicis sæculis, quam novissima ætate. Sane, si cujus priscis illis temporibus pater, avus, atavus impii, ac scelerum obdurati consuetudine fuissent, nihil hoc illi oberat, quominus, si vellet, sanctus esset ipse ; neque ex contaminata stirpe labes ulla, et contagio redundabat in illius animum, quæ *liberi ejus arbitrii integritatem* minueret, aut bene vivendi *possibilitatem* eriperet, quam majores illius habuissent. Quemadmodum Abraamus, etsi Tharæo patre natus est idolorum superstitioni dedito, quod Epiphanius [6], atque Hebræi ipsi litteris prodiderunt, imo vero, præter patrem, majores alios eadem peste inquinatos habuit in Chaldæa, ut est in libro *Judith*[7]; nulla tamen in ipsius indolem mores, ac voluntatem lues, et noxa derivata est, quæ libertatem, ac potestatem bene, aut male agendi deteriorem redderet.

Nullam in naturæ viribus mutationem incidisse est germanum Pelagii dogma.

XVI. Igitur neque consuetudo illa qualiscumque peccandi, ab iis, qui Christi tempus antecessere, majoribus contracta, posterorum satus infecit, ut, quod illi potuisse dicuntur, deinceps minime potuerint recte vivere, *liberi arbitrii integritate* violata. Eadem quippe vis liberæ potestatis in novissima ætate genitis inesse credita est a Pelagio, quæ in primo parente fuit ante peccatum, uti Prosper initio libri *de Ingratis* asserit his versibus.

Consuetudo peccandi a majoribus contracta non posterorum imminuit liberum arbitrium.

« Progenitos igitur nullum traxisse reatum
De patribus ; neque dissimiles nunc nascier [illo
Ortu primorum ; qui libertate male usi
Peccarunt, forma nocui, non semine proli.
Posse autem insontes omnes virtutis in arce
Vitam agere, et menti ingenitum servare [decorem,
Arbitrio quoniam subsistat recta volentis
Naturalis honos. »

Ac quibusdam interpositis Pelagianos inducit quidlibet fateri paratos, dummodo concedatur ipsis, liberi arbitrii integritatem nullo modo violatam, ac diminutam esse, sed talem inesse

a ARIST. V *Eth.* cap. III. Δῆλον ὅτι πάντα τὰ νομιμά ἐστί πως δίκαια. τά τε γὰρ ὡρισμένα ὑπὸ τῆς νομοθετικῆς νόμιμά ἐστι, καὶ ἕκαστων τούτων δίκαιον εἶναί φαμεν. οἱ δὲ νόμοι ἀγορεύουσι περὶ πάντων, etc.

1 *Rom.* x, 5.— 2 Lib. *de Spir. et lit.* c. XXVI.— 3 Aug. lib. *de Grat. Chr.* c. XXI et ep. CXLIII. — 4 Idem l. III *ad Bon.* cap. IX.— 5 Idem lib. VIII *de Trin.* c. VII.— 6 Init. *Pan.*— 7 Cap. V, 6.

nascentibus, qualis in primo parente fuit, quæ multo utique vegetior, et integrior, quam in posteris illius Patriarchis, ac prophetis fuit.

« Immortalem, inquit, hominem factum si
[creditis et nos
Credimus. Inciderit mortem peccando, suam-
[que
Progeniem culpa, et leto devinxerit omnem :
Nullus non egeat sacro baptismate Christi,
Infantesque etiam purgentur fonte lavacri :
Dum nostri decus arbitrii, lumenque crea-
[tum
Principio, quod sponte potest insistere rectis,
Manserit illæsum : nec viribus absit ab illis,
Quas condente Deo, generaliter omnis in
[Adam
Suscepit natura hominis, nec suppetat ulli
De non accepta arbitrii virtute querela. »

Et paulo post :

« Inter multa suis, quæ tradidit hæresiar-
[ches,
Quod cognoscis, ait, naturam, quæ bona
[facta est,
Nullis cum vitiis in quoquam omnino creari,
Nec cuiquam primi culpam nocuisse paren-
[tis ;
Et quoniam tales nascantur nunc quoque,
[qualis
Ille fuit nostri generis pater ante reatum,
[etc. »

Num igitur ante peccatum primus parens non integram habuit libertatem? Ergo talem habere quemque, et quacumque sub lege natum, affirmavit Pelagius. Idem in libro *contra Collatorem*, cap. IX, contra eosdem hæreticos disputans : « Nam si posteri, inquit, Adæ in illis virtutibus naturaliter agerent, in quibus Adam fuit ante peccatum, non essent natura filii iræ, non essent tenebræ, nec sub potestate tenebrarum. Salvatoris denique gratia non egerent ; quia non frustra boni essent, nec justitiæ præmio fraudarentur. » Julianus quoque Pelagianus apud Augustinum [1], « Nos dicimus, inquit, peccato hominis non naturæ statum mutari, sed meriti qualitatem, id est, et in peccante hanc esse liberi arbitrii naturam, per quam potest a peccato desinere, quæ fuit in eo, ut posset a justitia deviare. » Sed de absurditate interpretationis illius nimium fortasse multa ; nunc reliqua Pelagianæ gratiæ genera persequamur.

CAPUT IV.

De reliquis quatuor gratiæ generibus ex mente Pelagii, quæ sunt lex, sive prædicatio Christi, ejusdemque exemplum ; tum interior mentis illuminatio. Item adoptio, ac filiorum status baptismo comparatus ; ac postremo vita æterna. De tribus primis istorum, et duobus antecedentibus accurate disseritur ; quatenus necessaria illa esse Pelagius putaverit.

I. Tertium gratiæ genus, quod extrinsecus omnino adesse, et opitulari Pelagius asserebat, in lege, prædicatione, et exemplo Christi ad imitandum proposito consistit. De lege testis est Augustinus lib. I *de gratia Christi* cap. III. « Nam gratiam, inquit, Dei, et adjutorium, quo adjuvamur ad non peccandum, aut in natura, et libero ponit arbitrio, aut in lege, atque doctrina ; ut videlicet, cum adjuvat Deus hominem, ut declinet a malo, et faciat bonum, revelando, et ostendendo, quid fieri debeat, adjuvare credatur, non etiam cooperando, et dilectionem inspirando, ut id, quod faciendum esse cognoverit, faciat [2]. » Et alibi : « Sed aiunt, ideo ista sine ope divina non fieri, quia et hominem Deus creavit cum libero voluntatis arbitrio, et dando præcepta ipse docet, quemadmodum homini sit vivendum, et in eo utique adjuvat, quod docendo aufert ignorantiam, ut sciat homo in operibus, quid evitare, et quid appetere debeat, quo per liberum arbitrium naturaliter insitum viam demonstratam ingrediens, continenter, et juste, et pie vivendo, ad beatam, eamdemque æternam vitam pervenire mereatur. » Hanc vero gratiam ex illorum mente necessariam esse interpretatur Augustinus lib. I *de grat. Christ.* cap. XXXIII, ubi verba illa Pelagii refert : « Liberum sic confitemur arbitrium, ut dicamus nos indigere Dei semper auxilio ; » quæ Augustinus ambigua esse causatur, « quoniam potest respondere, legem se dicere, doctrinamve Christianam, » etc.

Tertium gratiæ genus, I prædicat exemplu Christi

De exemplo Christi, Augustinus libro

1 Lib. II, op. imp. c. XCIV.— 2 Lib. *de Spir. et lit.* c. II.

eodem I *de Gratia Christi*, cap. XXXVIII ait, Pelagianos gratiam collocare « in remissione peccatorum, et in exemplo Christi. » Tum a Pelagio in epist. *ad Demetriadem*, discerni naturam scribit a Dei gratia, « ut naturæ bonum intelligamus, quod, cum crearemur, accepimus ; gratiæ autem, cum Christi intuemur exemplum, tanquam peccatum non indultum fuerit eis, qui sub lege fuerunt, vel sunt, quia exemplum Christi sive non habuerunt, sive non credunt. » Item cap. XLI hanc ipsam proprie gratiam appellari docet a Pelagio ; quippe « adjutorium illud legis atque doctrinæ etiam propheticis fuisse temporibus ; adjutorium autem gratiæ, quæ proprie gratia nuncupatur, in Christi esse arbitratur exemplo. »

Quartum gratiæ genus, mentis illuminatio absque voluntatis notione.

II. Quartum gratiæ genus est interior mentis illuminatio, et revelatio, qua cordis oculos aperit Deus ; sed nihil in voluntate nostra efficit. Hanc gratiam ex Pelagio proponit et explicat Augustinus, ejusque verba recitat lib. I *de gratia Christi*, cap. VII. « Quam gratiam, inquit, nos non, ut tu putas, in lege tantummodo, sed et in Dei esse adjutorio confitemur. » Mox, qualem gratiam intelligat, exponit ita scribens : « Adjuvat enim nos Deus per doctrinam, et revelationem suam dum cordis nostri oculos aperit ; dum nobis, ne præsentibus occupemur, futura demonstrat ; dum diaboli pandit insidias ; dum nos multiformi, et ineffabili dono gratiæ cœlestis illuminat. Qui hæc dicit, gratiam tibi videtur negare ? An et liberum hominis arbitrium, et Dei gratiam confitetur ? » Et cap. X, eamdem gratiam a Pelagio commendari dicit, quam « Deus futuræ gloriæ magnitudine, et præmiorum pollicitatione succendit, dum revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem, dum nobis suadet omne, quod bonum est.

Quintum gratiæ genus, regenerationis adoptionis gratia per baptismum.

III. Quintum gratiæ genus, status est quidam novæ legis, Christianorumque proprius ; hoc est regenerationis, et adoptionis dignitas, quæ per Baptismum tribuitur. De qua insignis est Juliani Pelagiani locus, in quo tum superiores omnes gratias enumerat, tum hanc postremam regenerationis, et per baptismum adeptæ dignitatis. « Gratiam ergo Christi multiplicem confitemur, inquit [1]. Hoc primum munus ejus est, quod facti ex nihilo sumus ; secundum quod, ut viventibus sensu, ita sentientibus ratione præstamus, quæ impressa est animo, ut conditoris imago doceretur. Ad cujus æque respicit dignitatem arbitrii concessa libertas. Ipsi etiam gratiæ, beneficiorum, quæ nobis præstare non desinit, augmenta reputamus. Ipsa gratia legem in adjutorium misit ; quæ a Deo expectabat officium, ut rationis lumen, quod pravitatis exempla hebetabant, et consuetudo vitiorum, multimodis eruditionibus excitaret, atque invitatu suo foveret. At istius ergo gratiæ, id est, divinæ benevolentiæ, quæ rebus causam dedit, plenitudinem expectavit, ut Verbum caro fieret, » etc. Mox de Baptismo ista subjicit : « Hac ergo gratia, quæ in baptismate non solum peccata condonat ; sed cum hoc indulgentiæ beneficio et provehit, et adoptat, et consecrat ; hæc, inquam, gratia meritum mutat reorum, non liberum condit arbitrium. » Hinc Pelagius asserebat, parvulos per baptismum, non peccati ullius gratiam, ac remissionem consequi, sed sanctificari in Christo, et adoptari in filios, ac regni cœlestis hæredes fieri ; ut passim Augustinus significat. De qua opinione Pelagii dicemus postea. Quare ad insitum et nativum innocentiæ decus, novum quemdam ex baptismo Christi parvulis honorem accedere putabat, eamque Christi gratiam vocabat. Quod quidem Prosperi verbis explicare satius fuerit ; qui, postquam liberi arbitrii, ac legis insitæ cordibus meminit, in quibus communem omnibus gratiam constituebant hæretici illi, mox de peculiari Christianorum gratia ita scribit [2] :

Scrib. spectavit.

« Cui gratia Christi
Addita, perfugium lapsis generaliter in se
Condiderit, sacro si vellent fonte novari.
Ut sponte attractum venia solvente reatum,
Sponte sua in vires proprias natura rediret :
Quoque per errores esset spoliata vigore,
Hunc servare semel posset purgata receptum.
Tam dives vero hoc donum baptismatis [esset,
Et tam multa homini conferri fœdere in isto,
Ut parvis etiam, vitioque carentibus omni
Congruat, ut qui sunt geniti bene, sint me- [liores,
Naturæque bonum adjecto illustretur ho- [nore. »

Sextum gratiæ genus est æterna vita. Sic enim a Pelagianis appellatam hanc fuisse,

1 Jul. apud. Aug. l. I op. imp. c. XCII.— 2 Pros. init. lib. *de Ing.*

Sextum genus gratiæ, vita æterna.

tametsi meritis rependatur, scribit Augustinus in libro *de gratia, et libero arbitrio*, capite sexto, cujus verba supra descripsi [1].

IV. Et quoniam Pelagianorum ab catholicis dissensio non tam in gratia, quam in gratiæ necessitate vertebatur, neque ob id præcise pro hæreticis judicati, damnatique sunt, quod gratiam negarent, (nam et nonnullam adstruebant, et non diversam ab ea, quam eruditi quidam catholici hodieque solam asserunt) sed quod necessariam non esse dicerent, posseque, sine interiore gratia Christi, solis naturalibus bonis niti homines ad sanctitatem, et salutem, tametsi idem, aspirante gratia, facilius assequi possent; idcirco Pelagianam hæresim, et ejus intima dogmata nosse cupientibus, prima esse cura debet, ut sciant, quatenus isti genera illa gratiæ, quæ hactenus exposui, necessaria putaverint. Quæ res non erit notatu difficilis, si quæ ad singula genera dixi, accurate meminerimus. Ac primum quidem, postremumque extra quæstionem esse videtur. Manifestum est enim, nec illud proprie eam esse, de qua hic agimus, gratiam, sed naturale Creatoris beneficium, nec istud gratiam per se, absoluteque vocari, sed quatenus ad antecedentia, quibus æterna vita comparantur, adjumenta gratiæ refertur. Ex quo fit, ut cujusmodi gratiam Christi necessariam homini esse Pelagius existimavit, talis gratia sit, ex ejusdem mente, vita sempiterna, hoc est prope nulla. Verum de sexto illo, postremoque gratiæ genere dicetur capite sequenti; nam quiddam in eo est consideratione dignum.

Quatenus illa sex genera gratiarum necessaria Pelagiani æstimaverint.

V. Quod ad remissionem peccatorum attinet, perspicuum est, non omnibus necessariam ab illis creditam fuisse, sed iis solis, qui peccatum admisissent; itaque parvulis nihil hac opus gratia fuerit. Sed adultis, et delictorum consciis eo modo necessaria sit, quem capite superiori declaravimus; nimirum ut fidei nostræ Christus objiciatur, et extrinsecus tantummodo illius merita nos adjuvent, non autem ut vel præveniat nos efficiendo aliquid *in nobis sine nobis*, quod quidem necessarium habeatur, vel conversorum animos, voluntatesque sic moveat, ut sine hoc afflatu nihil agere viribus suis libertas possit arbitrii.

Eodem necessitatis modulo metiendum est gratiæ tertium genus, quod in lege, doctrinaque Christi, et exemplo positum est. Nam lex, et Christi merita, atque doctrina, (hoc est eorum omnium notitia, et fides) etsi non sunt absolute necessaria ad obtinendam salutem, tamen ad regnum cœleste perveniri absque illis non potest; duo hæc enim a Pelagio distinguebantur, uti paulo post dicam. Idemque judicium de quinto genere faciendum est; nam sine baptismo, et adoptione filiorum, posse vitam æternam adipisci homines naturali sola lege, et arbitrii liberi viribus fretos, Pelagiana est opinio; regnum vero cœlorum nonnisi baptizatis, adoptatisque tribui idem asseverabat.

VI. Quartum denique gratiæ genus, quod interiori mentis illuminatione definiebat, minime esse necessarium arbitrabatur; sed ad hoc dari, ut facilius assequeremur, quod alioqui per nos ipsi difficilius obtinere possemus. Pelagius ipse apud Augustinum libro I *de gratia Christi*, cap. VII, ait [2], Deum « illis, quibus imperavit, etiam gratiæ suæ auxilium subministrare, ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, facilius possent implere per gratiam. » Item capite XL ejusdem libri, « Subditi simus Deo, ait Pelagius ejusque faciendo voluntatem, divinam mereamur gratiam, et (ut) facilius nequam spiritui Spiritus sancti auxilio resistamus. » Hæc Pelagius: « In quibus ejus verbis, ait Augustinus, certe manifestum est, ita eum velle nos adjuvari gratia Spiritus sancti, non quia sine illo etiam per solam naturæ possibilitatem non possumus resistere tentatori, sed ut facilius resistamus: » Tum capite XLI scribit, Pelagium ipsum auxilium, quo possibilitas naturalis adjuvatur, in lege constituere, atque doctrina, quam nobis fatebatur etiam sancto Spiritu revelari; propter quod et orandum esse, « Ita ut ipsas quoque orationes ad nihil aliud adhibendas opinetur, nisi ut nobis doctrina etiam divina revelatione aperiatur. » Ergo, cum orationibus id petamus, quod nondum obtinuimus, quisquis autem orationes fundit, jam lege Christi, ac verbi prædicatione, exteriorique doctrina sit præditus; non potest divina revelatio, quam orationibus impetramus, aliud esse, quam inspiratio et illustratio mentis, quæ in sola cogitatione, intelligentiaque sistit, quam eodem loco et a Spiritu sancto revelari, et possibilitatem nostram adjuvare contendit. « Sed hoc, inquit Augustinus, adjutorium legis, atque doctrinæ etiam propheticis fuisse temporibus; adjutorium autem gratiæ, quæ proprie gratia nuncupatur, in Christi esse

1 Cap. III, § 1.— 2 Vide et c. XXVI, XXVII, XXVIII, XXIX et lib. *de Hæres.* c. LXXXVIII.

arbitratur exemplo. Quod nihilominus ad doctrinam pertinere perspicitis, quæ nobis Evangelica prædicatur, ut videlicet, tanquam via demonstrata, quam ambulare debeamus; jam viribus liberi arbitrii, adjutorio nullo alterius indigentes, sufficiamus nobis, ne deficiamus in via, quamvis et ipsam viam, contendat, etiam sola inveniri posse natura, sed facilius, si adjuvet gratia. »

Quid, juxta Pelagium, gratia homini conferat.

VII. Præterea docet Augustinus, eam Pelagii fuisse sententiam, gratiam ad id tantummodo conferre, ut naturalem hominis possibilitatem adjuvet, non autem ut velit, aut agat. « Nam cum tria constituat, atque distinguat, ait August. lib. I *de gratia Christi*, cap. III, quibus mandata divina dicit impleri, possibilitatem, voluntatem, et actionem; possibilitatem scilicet, qua homo potest esse justus, voluntatem, qua vult esse justus, actionem, qua justus est; horum trium primum, id est possibilitatem, datam confitetur a creatore naturæ, nec esse in nostra potestate, sed eam nos habere, etiamsi nolimus; duo vero reliqua, id est voluntatem, et actionem, nostra esse asserit, atque ita nobis tribuit, ut nonnisi a nobis esse contendat. Denique gratia Dei non ista duo, quæ nostra omnino vult esse, id est voluntatem, et actionem, sed illam, quæ in potestate nostra non est, et nobis ex Deo est, id est possibilitatem perhibet adjuvari. » Sequenti vero capite, Pelagii verba ipsa profert ex libro III *de libero arbitrio*, ubi tria illa sic exprimit, « primo loco posse statuimus, secundo velle, tertio esse. Posse in natura, velle in arbitrio, esse in effectu locamus. Primum illud; id est posse, ad Deum proprie pertinet, qui illud creaturæ suæ contulit; duo vero reliqua, hoc est velle, et esse, ad hominem referenda sunt, quia de arbitrii fonte descendunt. » Vide capita sequentia, IV et V, XXV, XLI. Porro quidquid gratiæ nomine Pelagiani comprehendebant, ad duo revocare fastigia solet Augustinus, naturam, et legem, sive doctrinam; ut in eodem libro I *de gratia Christi*, cap. VIII, IX, XXX, XXXI. Nam illuminatio, et interior revelatio, quæ ex omnibus gratiæ appellationem maxime meretur, quia voluntatem per se non afficit, sed mentem et intelligentiam, illi vero tantum extrinsecus objicitur, docentis partes, non impellentis, et cooperantis sustinet.

CAPUT V.

De sexto, et postremo gratiæ genere, quod est æterna vita. Quomodo Pelagius ab æterna salute cœlorum regnum distinxerit, et utrumque gratiam esse docuerit. De electione ad gloriam ex mente Pelagii, difficilis enodatur quæstio. Duplicem ab illo electionem adstrui; unam ad gratiam, alteram ad gloriam.

I. Vitam æternam gratiam quamdam a Pelagio nominari, quæ meritis præcedentibus redditur, superiori capite ex Augustino demonstravimus [1]. Id qua ratione ille dixerit, non otiosa est, nec inutilis quæstio. Ubi illud imprimis animadvertendum est, cum Pelagius catholicorum disputationibus exagitatus, et in angustias redactus, astute vitam æternam a cœlorum regno separasset, ac sine baptismo, Christique gratia posse docuisset hominem solis utentem arbitrii viribus, ac legis notitia, vitam, ac sempiternam assequi salutem; non tamen cœleste regnum, quod solis baptismo initiatis in Evangelio promittitur, in illo loco, ubi æternam vitam dixit esse gratiam, utrumvis intellexisse videri, sed potissimum cœlorum regnum, quo est simplici hoc salute multo præstantius. Etenim merito cujusque fieri, hæreticus iste sentiebat, ut vel vitam æternam, vel etiam cœlorum, si baptizatus esset, regnum adipisceretur. Quod etsi vel auditu ipso minime ferendum est, ut ab æterno regno vita æterna separetur; « quibus enim regnum adimitur, utique nec vita permittitur, quæ inest regno, » ut recte Tertullianus [2] scribit; hoc tamen Pelagius, Pelagianique docuerunt.

Leg. hac.

Ac catholici quidem, præeunte maxime Augustino, cum, futili hoc repudiato discrimine, unum idemque esse defenderent cœleste regnum, ac vitam æternam; hoc ipsum esse gratiam, et tamen reddi meritis asserebant longe dissimili, ac Pelagius instituto. Nam Augustinus vitam æternam aiebat esse gratiam, non quia per se gratis daretur, datur enim propter merita; sed quia id, propter quod illa datur, gratis conceditur, quæ sunt merita gratiæ, id est in nobis facta per gratiam, ut alibi ex eo demonstravimus [3]. Cum

1 Lib. *de Grat. et lib. arb.* c. VI.— 2 Tert. lib. *de Pudic.* c. X.— 3 Tom. II, lib. IX, c. I.

igitur prima illa gratia, quæ stirps est, et origo meritorum, æternique præmii, nihil nisi gratia sit, ac nullis antecedentibus meritis gratis oblata fuerit; ideo vita ipsa sempiterna, qua parte gratia est, vere, proprieque gratia dicitur, non tamen proxima notione, sed remota; quoniam interjecto aliquo, quod voluntas humana confert, cum illa gratiæ radice connectitur.

Distinguit Pelagius inter vitam æternam et regnum cœlorum.

II. At Pelagius ambo illa, vitam æternam, cœlorumque regnum eodem gratiæ vocabulo, non tamen eadem ratione complexus videtur, si, quod illius decretis consentaneum est, quærimus. Quippe vitam æternam eatenus gratiam esse docuit, quod ex arbitrii liberi viribus, ac lege saltem naturæ comparari debuit, etiam in nova lege; si tamen peccatum deesset, cui necessaria foret remissio, quæ sine Christi fide, ac notitia jam nulla tribuitur. At vero cœlorum regnum, quia per baptismum impetrari oportet, fidemque Christi, quæ gratuita sunt dona, etsi ad ea non sine meritis aliquando pervenitur, potiori jure gratiæ sibi nomen usurpant, auctore Pelagio. Ita nonnisi ex objecto gratiæ negotium in opinione ista peragitur, quoniam humanæ voluntati, et naturalibus arbitrii viribus liberale Dei munus, circa quod agant illæ suopte marte proponitur. Eodem modo statuendum est de sanctitate, et justitia, quam post adeptam peccatorum remissionem, in fidelibus excitari hæreticus iste dicebat, et propter hanc eligi a Deo, ac prædestinari. Hujusmodi enim sanctitatem meritis, et naturali hominum industria comparari docuit, eadem illa, quam *objectivam* appellare velim, data, et adjuvante gratia.

III. De quo egregius est, et apprime huic disputationi necessarius Augustini locus, descriptus a nobis[1], expositusque, cum de Prædestinatione scripsimus, ubi catholicum de electione dogma cum Pelagiano componit[2]. Cum enim utrique in eo consentiant, quomodo non impios, et immundos eligi putent, sed sanctos, et immaculatos: in eo tamen dissidere illos ait, quod catholici, præeunte Apostolo, dicant[3], *eligi nos, ut simus sancti, non quia futuri eramus, sed ut per gratiam ejus essemus;* Pelagius vero eligi sanctos putabat a se, et arbitrii sui liberis viribus factos. Verba Pelagii, prætermissis, quæ illic posita sunt, reliquis, abesse ab hoc loco nequeunt: « Præsciebat, inquit Pelagius, qui futuri essent sancti, et immaculati per liberæ voluntatis arbitrium: et ideo eos ante mundi constitutionem, in ipsa sua præscientia, quia tales futuros esse præscivit, elegit. Elegit ergo, inquit, antequam essent, prædestinans filios, quos futuros sanctos, immaculatosque præscivit; utique ipse non fecit, nec se facturum, sed illos futuros esse præscivit. » Hæc Augustinus ex Pelagio; quæ tamen non sic omnia ab illo scriptis expressa, conceptaque videntur. Neque enim tam diserte negaret, a Deo fieri sanctos, sed invidiæ causa declinandæ, more id suo callidius, et obscurius efferret; verum quid ex illius doctrina consequens esset, suis Augustinus verbis adtexuit. Cæterum Pelagius futuram illam, et a Deo prævisam sanctitatem, non prima, ut opinor, justificatione definire voluit, quæ cum remissione peccatorum conjungitur; sed progressum bonorum operum, et incrementa justitiæ significavit, ac quidquid, post condonata peccata, proprii viribus arbitrii quotidianis accessionibus adjungunt homines, nullo novo, quod quidem necessarium sit, Dei indigentes auxilio, sed naturali contenti bono. Ob hanc itaque bonæ, ac laudabilis vitæ constantiam, et perseverantiam, quam in liberi arbitrii potestate constituebat, electos a Deo, ac prædestinatos esse Pelagius arbitratus est ad vitam æternam, ac cœleste regnum.

IV. Ex quo alia rursus existit quæstio, alio a nobis loco pertractata[4], et hic delibanda paucis, quam ad rem eligi senserit eos Pelagius, quos per sese sanctos, et immaculatos prævidisse putavit Deum? Siquidem electio ista vel ad gloriam pertinet, vel ad gratiam aliquam. De sola gratia ne intellexisse credamus, obstat illud, quod præter remissionem peccatorum, in his tantummodo, qui voluntate peccaverant, nullam ad æternam salutem assequendam necessariam esse gratiam ratus est Pelagius. At electio illa, de qua ex eodem hæretico sermonem facit Augustinus, ad eam rem pertinere debet, sine qua salus obtineri non possit. Quippe reprobationi, sive damnationi est opposita, uti qui ab illa cognominantur electi, reprobis, ac damnatis ex adverso respondent. Quod si eligi dicas ad eam gratiam, sine qua sempiternæ, si velint, salutis esse compotes queant, non erit fixa reproborum ab illis secretio, ac proinde nec illorum electio. Est enim electio certorum, relictis aliis, ac repudiatis, assumptio. At cum Deus

Quid per *electionem* intellexerit Pelagius p obscurum

1 Tom. I, lib. IX, c. VI.— 2 Aug. lib. *de Prædestin. sanct.* c. XVIII et IX.— 3 *Eph.* I.— 4 Tom. I, lib. IX, cap. VI.

uni cuipiam minime necessarium adjumentum æternæ comparandæ salutis negare constituit, non eo ipso reprobare illum dicitur, si potest alia, quam quæ intercluditur, via ad eamdem salutem contendere.

V. Quod vero Pelagius electionem istam nequaquam ad gloriam retulerit, inde probari videtur, quod in capite XIX libri ejusdem, Augustinus Semipelagianorum dogma cum illo conferens, sic eos loquentes faciat, ut a Pelagianorum causa valde suam remotam, et alienam esse disputent. Nam, quæ Augustinus ex Apostolo collegerat de electione, ac prædestinatione, qua nos Deus sanctos, immaculatosque facit, non invenit; ea non contra se, sed contra Pelagianos valere dicebant; quippe per nos ipsos esse nos sanctos, immaculatosque Pelagius asseverabat, et quia tales fore nos prævideret Deus, ideo elegisse nos, ac prædestinasse. « Nos autem, aiebant Semipelagiani, dicimus, nostrum Deum non præscisse nisi fidem, qua credere incipimus; et ideo nos elegisse ante mundi constitutionem, ac prædestinasse, ut etiam sancti, et immaculati gratia, atque opere ejus essemus. » Hic non potest electio ad gloriam intelligi; non enim ex electione, vel prædestinatione, sive proposito tribuendæ salutis oriri sanctitatis, ac justitiæ dandæ voluntatem Semipelagiani putabant, sed ex eo, quod accepta propter fidem gratia, et justitia bene ad finem usuros esse quosdam prævidisset Deus, illos ad salutem elegisse, ut ex epistolis Prosperi, et Hilarii ad Augustinum colligitur. Quare de electione ad gratiam Semipelagiani loquebantur. Quod si verum est; sequitur, eadem de prædestinatione Pelagianos quoque superiora illa dixisse. Nisi enim de uno, eodemque genere prædestinationis agerent oppugnatores isti, de quo illi contra quos pugnabant, stulta propemodum esset, ac ridicula conflictio.

VI. Et, ut longius in ea quæstione progrediamur, videamus, an in Augustini scriptis genus aliquod inveniri gratiæ possit, ad quod eligi nos, ac prædestinari hæresiarcha iste crediderit.

Ac de parvulis quidem perspicuum est, quid ille statuerit. Scribit enim Augustinus epistola CV, Pelagianos sensisse, ex operum præsensione, quæ, si in vita mansissent, effecturi erant parvuli, ad baptismum eos admitti, vel ab illo rejici. Nam etsi nullum in infantibus originale esse peccatum crederent, nequaquam tamen ad regnum cœleste sine sacramento regenerationis pervenire dicebant, ut paulo post aperiam. Horum igitur electio ad baptismi gratiam, et adoptionem proprie spectat.

De grandioribus, et voluntate sua nitentibus, qui nondum Christianis sacris initiati fuerant, perspicuum est, Pelagianos putasse, meritis illorum, quæ propriis arbitrii viribus, adjuvante nonnunquam gratia, id est mentem illuminante compararetur, tribui regenerationem in Christo, velut quamdam mercedem; quod testatur Prosper in epistola *ad Ruffinum*, ubi Semipelagianos ait asseverasse, Cornelium centurionem, ante gratiæ perceptionem, eleemosynis, et jejuniis, et orationi spontaneo studio fuisse intentum, atque ob hoc divino testimonio laudatum, donum regenerationis accepisse. Quod multo magis Pelagiani arbitrati sunt. Augustinus libro primo *de gratia Christi* capite XXII et XXIII, Pelagii verba refert, quibus perobscure gratiam nescio quam exprimit, quam meritis assequamur. « Qui currit, inquiebat Pelagius, ad Deum, et a Deo se regi cupit, id est voluntatem suam ex ejus voluntate suspendit, qui ei adhærendo jugiter, unus, secundum Apostolum, cum eo fit spiritus; non hoc nisi de arbitrii efficit libertate, qua qui bene utitur, ita se totum tradit Deo, omnemque suam mortificat voluntatem, ut cum Apostolo possit dicere: *Vivo autem jam non ergo, vivit autem in me Christus*; ponitque cor suum in manu Dei ut illud, quo voluerit, Deus ipse declinet. » Quæ refellens Augustinus, ista subjicit: « Magnum projecto adjutorium divinæ gratiæ, ut cor nostrum quo voluerit Deus, ipse declinet. Sed hoc tam magnum adjutorium, sicut iste desipit, tunc meremur, cum sine ullo adjutorio, nonnisi de arbitrii libertate, ad Dominum currimus, ab eo nos regi cupimus, voluntatemque nostram ex ejus voluntate suspendimus, eique adhærendo jugiter, unus cum illo efficimur spiritus. » Ergo præcedentia merita in eo sita sunt, « quod ad Dominum currimus, eique nos totos tradimus, ac voluntatem nostram mortificamus; » quibus meritis id vicissim tribuit Deus « ut cor nostrum, quo velit, ipse declinet, » quod interiore doctrina, ac revelatione, sive sola mentis illustratione, sine commotione voluntatis fieri Pelagius asserebat, ut ibidem Augustinus exposuit.

Leg. comparentur.

VII. Eam porro gratiam non prorsus ad recte agendum, adeoque ad obtinendam salutem, esse necessariam arbitrabatur, sed ad illa facilius assequenda, ut ex ejusdem

Pelagii ad Demetriadem epistola, quæ hodie extat inter Hieronymi pseudepigrapha, constat, et in cap. XXVI et sequentibus libri *de gratia Christi* Augustinus observat. Præterea libro *de gratia, et libero arbitrio* c. V, scribit Pelagianos in illis Scripturæ verbis, *Convertimini ad me*, meritum humanæ voluntatis intelligere; in istis vero, et *ego convertar ad vos*, gratiam Dei, quæ secundum merita datur. Item, « meritum nostrum in eo esse, quod sumus cum Deo; ejus autem gratiam secundum hoc meritum dari, ut sit et ipse nobiscum. » Tum, « meritum nostrum in eo esse, quod quærimus eum, et secundum hoc meritum dari ejus gratiam, ut inveniamus eum. » Quæ omnia nullum aliud gratiæ genus ostendunt, quam quo mens a Deo luce quadam perfunditur, et intrinsecus docetur; quod nec ipsum tamen omnino necessarium sit, sed utile duntaxat, ut quod absolute per naturam possumus, facilius per gratiam assequamur.

VIII. Quo constituto, redit illa superior hæsitatio, quinam electos, ac prædestinatos ad illam gratiam fuisse Pelagiani senserint, quæ necessaria non esset, ut citra ipsam obtineri salus æterna posset; quod ab electionis, ac prædestinationis alienum notione videtur esse, cui non alia subjecta, propositaque gratia est, quam quæ est ejusmodi, ut ad gloriam nonnisi per ipsam aspirare possit electus, hoc est quæ ad illam comparandam non utilis modo sit, sed etiam necessaria. Etenim, cum efficacitatem gratiæ sola humana consensione metiretur Pelagius, et eamdem efficacitatem naturalibus præsidiis itidem, ut utili isti, et adventitiæ gratiæ tribueret, non minus prædestinati, et electi homines ad gratiam eo ipso dici merebuntur, quod libertatis compotes a Deo facti sunt, et naturalibus ad agendum viribus instructi, quam ex eo, quod minime necessarias illas opportunitates, sed tantum utiles conferre decreverit. Ita perdifficile est de illa Pelagii opinione statuere.

Auctoris sententia, duplicem electionem Pelagium agnovisse.

IX. Equidem Pelagium existimo duplicem electionem prædestinatorum hominum agnovisse: unam ad gratiam Christi, qualemcumque tandem constitueret Christi gratiam, hoc est Evangelii notitiam, baptismum, et illuminationem mentis, ac cætera, quæ supra posui: alteram ad gloriam. Priorem vero communem electis putasse cum reprobis; ex quo illud explicatur, quod difficile in Pelagiano esse dogmate dixi: quomodo ad hoc eligi homines crediderit, sine quo salvi esse poterant, si vellent. Nam hujusmodi destinatio non necessariorum auxiliorum optime cum illius opinione cohæret; quia, etsi sine validioribus illis gratiæ præsidiis, quæ ex Pelagio refert Augustinus[1], absolute pervenire potuerint ad regnum cœlorum, eo quod ad facilius assequendam beatitatem tantummodo conducerent; tamen divinæ electioni proposita fuerunt, qui supra id, quod simpliciter necesse est, emetiri multa de sua largitate, ac munificentia potuit, eaque prædestinare.

Augustinus porro, necnon Semipelagiani, in referenda illa Pelagianorum de prædestinatione sententia, primam electionem cum secunda miscuerunt. Neque vero Pelagius prædestinationem illam priorem qualiumcumque gratiæ præsidiorum talem esse credidit, qualem Augustinus asserebat, ut certum, et, ut loqui solent, *infallibilem*, ac determinatum haberet cum æterna felicitate nexum, sed pendere ex humano arbitrio, et, si homini aliter visum foret, frustrari divina de se consilia, nec per ea salutem obtinere. De quo legendus Faustus in libro primo *de libero arbitrio*, capite IV. Atque hanc esse causam suspicor, cur Augustinus Pelagianum illud dogma de electione, ac prædestinatione pertractans, hanc ad æternam gloriam accommodarit; nimirum istam ipsam, qua erat imbutus, sententiam in illius dicta transtulit, qua *media*, ut vocant, omnia, quæ divina prædestinatione continentur, ratum, et definitum habere ordinem, ac σχέσιν ultimum ad finem putavit. *Relationem*

1 Supra § 16.

CAPUT VI.

De reliquis Pelagianorum dogmatibus. Originale peccatum ab illis sublatum. Infantes cur baptizandos censuerint. Adamum, nisi peccasset,, moriturum fuisse iidem asserebant. Tum posse hominem, si velit, peccato omni carere. Qua ratione Pelagius hoc defenderit. Cœlestii decreta. De ἀναμαρτησίᾳ *ab utroque constituta. Hominem ita perfectum posse esse dicebant, ut nihil opus ei foret petere, dimitti sibi peccata. Supervacaneas orationes pro infidelium conversione quatenus esse docuerint. Eorumdem* ἀπάθεια. *Ecclesiam in hac vita sine macula et ruga esse voluerunt. Legem veterem commendabant. Regnum cœlorum in eadem promissum esse dicebant. Negabant divites posse salvari. Nec esse jurandum. Nestoriana hæresi infecti fuerunt.*

Peccatum originale sustulit Pelagius.

I. Nefario illi, ac virulento dogmati, quo gratiæ necessitatem elevabat Pelagius, connexum alterum est eidem familiare, et inter præcipua numerandum, quod peccatum originale sustulit. Hoc inter capita illa, de quibus in Carthaginensi synodo, præside Aurelio, interrogatus est Cœlestius, primum fuit, ut testis est Augustinus [1]. « Et Cœlestius quidem, inquit, in hoc exstitit errore liberior, ut neque in episcopali judicio apud Carthaginem damnare voluerit eos, qui dicunt, quod peccatum Adæ ipsum solum læserit, et non genus humanum; et quod infantes, qui nascuntur, in eo statu sint, in quo Adam fuit, ante prævaricationem; » de quo Carthaginensis deinde concilii [2], et judicii illius Acta citat [3]. Ideo traducem peccati negabat, idque se Romæ dicentem asserebat audisse Ruffinum [4]; quod et in Diospolitana synodo Pelagio est objectum. Ut autem eluderet illa testimonia Scripturæ, quibus Adami peccatum fraudi fuisse posteris dicitur, aiebat solo Adamum exemplo nocuisse, quo illos traheret ad imitandum. Quod auctor ille commentariorum in epistolas Pauli, qui inter Hieronymi opera editi sunt, tuetur, in cap. v epistolæ *ad Romanos* [5]. Qui auctor Pelagianus sine dubio fuit; non tamen istos ipsos commentarios esse puto, quos ad Pauli epistolas scripsisse Pelagium testatur Augustinus lib. III *de peccatorum meritis*, cap. II et I. Nam quædam ex commentario Pelagii ad cap. v *ad Romanos* citat illic Augustinus, quibus peccati traducem oppugnabat, quæ in Pseudo-Hieronymo non exstant. Itaque Pelagianum aliquem fuisse reor, qui ex illis Pelagii quædam transtulit, alia resecavit.

Addebant, nihilominus baptizandos esse parvulos, non ut aliqua in iis macula deleatur, sed variis de causis, quas Augustinus recenset [6]. « Parvulos etiam negant, ait, secundum Adam carnaliter natos, contagium mortis antiquæ prim nativitate contrahere. Sic enim eos sine ulio peccati originalis vinculo asserunt nasci, ut prorsus non sit, quod eis oporteat secunda nativitate dimitti. Sed eos propterea baptizari, ut regeneratione adoptati admittantur ad regnum Dei, de bono in melius translati, non ista renovatione ab aliquo malo obligationis veteris absoluti. Nam, etiamsi non baptizentur, promittunt eis extra regnum quidem Dei, sed tamen æternam, et beatam quamdam vitam suam. »

Cur nihilominus parvutos esse baptizandos docuerit.

II. Cœlestius item in Carthaginensi synodo professus est [7], « Infantes egere baptismo, ac debere baptizari. » Quod alibi clarius exposuit [8], « Infantes autem debere baptizari in remissionem peccatorum, secundum regulam universalis Ecclesiæ, et secundum Evangelii sententiam confitemur; quia Dominus statuit, regnum cœlorum nonnisi baptizatis posse conferri, quod, quia vires naturæ non habent, conferre necesse est per gratiæ libertatem. » Ac mox [9]: « In remissionem autem peccatorum baptizandos infantes, non ideo diximus, ut peccatum ex traduce firmare videamur, quod longe a Catholico sensu alienum est; quia peccatum non cum homine nascitur, quod postmodum exercetur ab homine, quia non naturæ delictum, sed voluntatis esse demonstratur. Et illud ergo confiteri congruum, ne diversa baptismatis genera facere videamur; et hoc præmunire necessarium est, ne per mysterii occasionem ad creatoris injuriam, malum, antequam fiat ab homine, tradi dicatur homini per naturam. » Hoc loco in remissionem peccatorum baptizari parvulos, ita Cœlestius accipit, ut sit,

1 Lib. II *de Pec. Orig.* c. II.— 2 Ib. c. III.— 3 Ib. c. III et IV.— 4 Aug. *de Gest. Pel.* c. XI.— 5 Num. 3.— 6 Lib. *de Hær.* c. LXXXVIII— 7 Aug. *de Pec. Orig.* c. IV.— 8 In libello Romæ oblato apud Aug. ibid. c. V.— 9 Ibid. c. VI.

eodem baptismo initiari, quo in iis, qui lapsi sunt peccata remittuntur, sive qui ex se, ac natura sua idoneus est ad peccata delenda. Sic enim verba illa Cœlestii interpretor, cum ait, idcirco se in remissionem peccatorum baptizari dixisse parvulos, ne alio quodam, ac diverso baptismi genere illos consecrari quispiam putaret. Ergo, « non ideo parvulos baptizari, ut remissionem accipiant peccatorum, sed ut sanctificentur in Christo, » etiam Pelagius asserebat apud Augustinum[1]; vel « ut creatura in Dei filios adoptetur[2], non quod aliquid ex parentibus trahat, quod sit lavacro regenerationis expiandum. » Quanquam ex illo grege Pelagianorum, qui baptizari infantes *ad remissionem peccatorum*, vel *ad redemptionem*, ut scribit Augustinus in libro primo *de peccatorum meritis*, cap. XXXIV fatebantur, inventi sunt, qui propria quædam in parvulis recens natis peccata inesse dicerent, quæ tum ipsis remitterentur. Quam fatuam, ineptamque fabulam haud scio, an Cœlestius propugnarit; Augustinus certe quosdam Pelagianorum docuisse scribit, et refellit in eodem libro et capite, ac sequenti XXXV.

III. Sic idem in libro primo *de peccatorum meritis, et remissione*, cap. XX, causam illam latius explicat, cur baptizari parvulos oporteret ex Pelagii sententia, nempe ut regnum cœlorum adipiscerentur, eo quod[3]. *Nisi quis renatus fuerit denuo, non videbit regnum Dei*, ut Christus ait. Unde « nova quadam, et mirabili præsumptione, perinde disputabant, quasi salus, ac æterna vita possit esse, præter Christi hæreditatem, præter regnum cœlorum. » Indidem illa vox ejus exstitit[4] : « Sine baptismo parvuli morientes, quo non eant scio, quo eant, nescio. » Itaque Pelagianos ait Agustinus[5] « laborasse ut quærerent extra regnum Dei nescio cujus suæ felicitatis locum; » de qua re pluribus disserit in epist. LXXXIX quæstione tertia.

Proinde medius ille locus, ad quem sine baptismo morientes convolare parvuli ab nonnullis hodieque creduntur, inter Pelagianas hæreses ab antiquis numeratus est, et damnatus in Carthaginensi synodo, ut testatur Photius[6]. Sed de hoc commento late disputavimus in priore libro *de Prædestinatione*[7], ac nihil omisimus, quo illustrari Pelagiana hæc, et cum Pelagio quibusdam catholicis communis opinio posset. Itaque pluribus modo nihil est opus.

IV. Celebre est et illud Pelagianæ dogma hæresis; primum parentem, etsi non peccasset, nihilominus fuisse moriturum, adeoque pœnam peccati non esse mortem in illius posteris; quod e Cœlestii sciptis in Diospolitana synodo decerptum, et objectum est Pelagio, ut testatur Augustinus[8]; qui hunc errorem multis in libris impugnat[9], et in synodo generali Carthaginensi, quæ Milevitana vulgo dicitur, canone I damnatus est. Vide autem, quæ de Adami statu scripsimus in secundo libro *de sex dierum Opificio*.

Primum hominem etsi non peccasset moriturum fuisse docebat.

Item illud, posse hominem, si velit, absque omni peccato esse, omnique perturbatione, quam ἀπάθειαν hauserat ex Ruffino Pelagius; ille autem ab Origenistis. Atque hoc in refutando dogmate totus fere est Hieronymus in epistola *ad Ctesiphontem*, et in libris *contra Pelagianos* tribus; qui in epistola refert[10], Pelagium initio dixisse, « posse hominem sine peccato esse, si velit. Et quia hoc Ecclesiarum per Orientem aures ferre non possunt, simulant se sine peccato quidem dicere, sed ἀναμάρτητον dicere non audere; quasi aliud sit sine peccato, aliud ἀναμάρτητον; et non Græcum sermonem, qui apud illos compositus est, duobus verbis sermo Latinus expresserit, » Sed, quod, pace Hieronymi dictum sit, aliud est dicere, aliquem esse sine peccato, aliud esse ἀναμάρτητον. Prius enim est nullum in se habere peccatum; posterius non posse peccare. Itaque τὸ ἀναμάρτητον soli Deo convenire dicitur; quam *impeccantiam* Latine reddit Hieronymus[11]. Pelagius autem non tam reipsa fuisse aliquos sine peccato contendebat, quam posse homines esse, si vellent.

Apathiam

Necnon hominem esse posse sine perturbatione et peccato.

V. Audi ipsum sub Critobuli persona apud Hieronymum[12], exponentem, quid sentiat : « Neque enim quando dico, hominem posse esse sine peccato, si velit, aliquos fuisse contendo, sed simpliciter posse esse, si velit. Aliud namque est, esse posse, quod Græce dicitur δύναμις; aliud est esse, quod ipsi appellant ἐνέργειαν; et in epistola *ad Ctesiphontem* ait[13], illos interrogatos, quinam absque peccato fuissent, respondere solitos, « se non eos dicere, qui sint, vel fuerint, sed qui esse possint. » Et[14], « Dicitis his verbis, ait idem Hieronymus, aliud est esse, aliud esse posse. Esse non est in nostra positum potestate; esse

Potentia energiam

1 Lib. III *de Pecc. mer.* c. VI.— 2 Aug. l. IV *cont. duas ep. pel.* c. II et l. II, c. VI.— 3 *Joan.* III.— 4 Aug. l. II *de Pec. Or.* c. XXI.— 5 Lib. I *de Prædest. sanct.* cap. XII.— 6 Cod. 53.— 7 Tom. II, lib. IX, cap. XI.— 8 Lib. *de Gest. Pel.* c. XI.— 9 Lib. I *de Pec. mer.* c. II et seq. et ep. CVI.— 10 Col. 907.— 11 Lib. I *cont. Pel.* col. 836.— 12 Ib. col. 824.— 13 Col. 807.— 14 Hier. ib. col. 814.

autem posse generaliter dici, quod licet alius non fuerit, tamen possit esse, qui esse voluerit.»

Quinetiam Pelagius ipsemet apud Augustinum tria distinguit[1], *posse*, *velle*, *et esse*. *Posse in natura*, *velle in arbitrio*, *esse in effectu locari* dicebat. « Itaque liberum mihi est nec voluntatem bonam habere, nec actionem; nullo autem modo possum non habere possibilitatem boni, etc. Unde, quod propter calumniam vestram sæpe repetendum est, cum dicimus hominem posse esse sine peccato, confessione possibilitatis acceptæ laudamus Deum, qui nobis hoc posse largitus est; nec est ibi ulla laudandi hominis occasio, ubi solius Dei causa tractatur. Non enim de velle, nec de esse, sed tantummodo de eo, quod potest esse, disseritur. »

Quæ Pelagii verba contrarium sonare videntur iis, quæ ex illo refert Hieronymus, « esse sine peccato non esse in nostra positum potestate. »

VI. Verum conciliari ista possunt ex iis, quæ Critobulus, id est Pelagius, apud eumdem Hieronymum dicit[2]. « Non omne posse nos, quod volumus. Quia voluntas imperfecta est. Si enim vere velles, vere utique non peccares. » Ergo posse esse sine peccato, si velit, hominem, sic Pelagius intelligi volebat, satis habere virium in arbitrio libero ad vitandum omne peccatum, nec ad singulos actus egere Christi gratia. Hoc vero, *ut simus*, *non esse in nostra potestate*, cum dicebat, non tam potestatem, quam usum potestatis significabat, quam *moralem potentiam* scholæ nuncupant, quia propter mutabilitatem arbitrii liberi ex sese idonei, ac potentis, et propter consuetudines noxias, ac cæteras vitiorum illecebras, in transversum acta voluntas, non plene vult, nec suam vim, ac robur explicat.

Pelagii tergiversatio de hominis impeccantia

Quanquam Pelagium existimo principio non sensisse tantum, sed palam etiam, et libere professum esse, quosdam et fuisse, et esse perfectos, qui peccato prorsus carerent; postea tamen, cum ex crebris tam suis, quam suorum cum Catholicis colloquiis, ac disputationibus intellexisset, quantam opinio hæc invidiam haberet, eo confugisse, ut posse, si vellet, hominem sine peccato esse diceret; non tamen aut esse, aut fuisse quemquam ejusmodi. Nisi forte non ipsum prius illud usurpasse Pelagium dixeris, sed ejus discipulos, quibus ita clam arcana doctrinæ suæ tradebat, ut ea cæteris occultaret. Sic enim Hieronymus in epistola *ad Ctesiphontem*, de isto ipso dogmate τῆς ἀναμαρτησίας agens, « Loquere, inquit, quod credis, publice prædica, quod secreto discipulis loqueris. Qui dicis te habere arbitrii libertatem, quare non libere, quod sentis, loqueris? Aliud audiunt cubiculorum tuorum secreta; aliud rostrorum populi. Etenim vulgus indoctum non potest arcanorum tuorum onera sustentare, nec capere solidum cibum, quod infantiæ lacte contentum est. » *Impeccantiæ*

VII. Plane ita puto rem habuisse. Cœlestius sectæ illius post magistrum antesignanus, ut erat acerrimo ingenio, et ad audendum projectus, quod Augustinus narrat[3], inter alia dogmata, quæ Pelagius clam insusurrabat, quædam aperte vulgavit, quibus ista ipsa *impeccantia* continebatur[4]; velut est. « Plus nos facere, quam lege, et Evangelio jussum est. » Quod cum Pelagius in Palæstino judicio de virginitate se intellexisse diceret, approbarunt episcopi; Augustinus vero alio sensu id a Cœlestio usurpatum ait; videlicet, « tantum nos habere, per naturam liberi arbitrii, non peccandi possibilitatem, ut plus etiam, quam præceptum est, faciamus; quoniam perpetua servatur a plerisque virginitas, quæ præcepta non est, cum ad non peccandum præcepta implere sufficiat. » Sic illud Cœlestii[5], « Unumquemque hominum omnes virtutes posse habere, et gratias. » Ex iis enim sequitur, posse hominem esse peccati omnis expertem. Cœlestius impeccantiam hominis aperte propugnavit.

Postquam ergo Cœlestius, aliique Pelagii discipuli decretum illud *impeccantiæ* publice professi sunt, ipsum arbitror ducem illorum, et auctorem idem prædicare cœpisse. Certe in libris suis sanctorum virorum, qui in Scriptura commendantur, decus ac virtutem multum et enixe laudabat, eosque studebat ostendere ab omni culpa remotos, nullo non virtutum genere fuisse cumulatos; ut ex epistola ejus *ad Demetriadem* cognoscitur, et ex primo libro Hieronymi *contra Pelagianos*, ubi Critobulus aliquot exempla veteri in lege laudatorum hominum ad illud probandum ἀναμάρτητον adducit. Plures etiam sexus utriusque commemoratos ab eodem Pelagio recenset Augustinus in libro *de Natura et gratia* capite XXXV, « qui non modo non peccasse, sed etiam juste vixisse referuntur. » *Impeccantiam.*

1 Lib. *de Grat. Chris.* c. IV.— 2 Lib. I *cont. Pel.*— 3 Lib. *de Pec. orig.* c. XII et l. II *ad Bonif.* c. III.— 4 Aug. l. *de Gest. Pel.* c. III,— 5 Aug. *de Gest.* cap. XIV.

VIII. Neque vero, qui hoc asserebant Pelagiani, refellendi sic erant, quomodo fecisse nonnullos scribit apud Augustinum Pelagius [1] : nempe « comparari hominem Deo, si absque peccato esse asseratur; » ubi Hieronymum significari arbitror. Hoc enim argumento usus est ille in epistola *ad Ctesiphontem :* « Numquid præcipit, inquit, mihi, ut essem, quod Deus est, ut nihil inter me esset, et Dominum creatorem, ut major essem Angelorum fastigio, ut haberem, quod Angeli non habent? De illo scriptum est, quasi proprium [2] : *Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus.* Si hoc et mihi cum Christo commune est, quid ille habuit proprium? » Sed hoc facile diluebat Pelagius; et ibidem Augustinus negat ad rem facere, « quia etiam, cum fuerit in nobis tanta justitia, ut ei addi omnino nihil possit; non æquabitur creatura creatori,» quippe ita Christus, ac Deus sine peccato est, ut ne possit quidem peccare, aut velle peccatum; homo, etsi affluente gratia, ab omni peccato, ac peccandi voluntate purgetur, tamen id absolute, et ex naturæ suæ conditione velle, ac peccare potest. Verum non male procedit argumentum Hieronymi, si, quemadmodum sine peccato esse posse dixerit hominem Pelagius, una consideramus, nimirum ex sese, ac naturali vi, et liberi arbitrii potestate, sine ope gratiæ; hoc enim solius est proprium Dei, nec ulli creaturæ concessum.

An possit esse homo sine peccato.

IX. Quocirca, ut recte animadvertit Augustinus, non eo præcise condemnata est Pelagiana hæresis, quod hominem sine peccato posse esse defenderet [3]; « Nam qui dicunt esse posse in hac vita hominem sine peccato non est eis continuo incauta temeritate obsistendum. Si enim esse posse negaverimus, et hominis libero arbitrio, qui hoc volendo appetit, et Dei virtuti, vel misericordiæ, qui hoc adjuvando efficit, derogabimus. » Itaque posse esse confitetur sine peccato per Dei gratiam et liberum ejus arbitrium ; tametsi non esse confitetur, eo quod Scriptura neminem sine peccato esse testatur [4]. Quanquam Hieronymus ex eo, quod nemo unquam sine peccato fuit, ne posse quidem esse quemquam arbitratur [5], « Quis enim, inquit, tibi concedet, posse hominem facere, quod nullus unquam hominum potuerit? » Sed de ordinaria, quam *moralem* vocare solent, potentia intelligendus est Hieronymus. Vide Augustinum in libro *de Natura et gratia,* capite LX.

Itaque Pelagiana hæresis in eo consistit, quod ita posse perveniri ad illum statum aiebat viribus arbitrii liberi, ut minime esset necessaria gratia Christi. Quod Prosper in libro *de Ingratis* expressit sic :

«Posse hominem sine peccato decurrere vitam,
Si velit, ut potuit nullo delinquere primus
Libertate sua. »

Quamquam interdum et hoc addebat, *non absque Dei gratia.* Quod subdolum illius commentum, et perplexum irridet Hieronymus [6]. Sed cujusmodi ille gratiam adjunxerit, ex antecedentibus perspicuum est, et agit Augustinus de ea in libro *de Natura et gratia,* necnon epistola LXXXIX.

X. Eodem spectabat et illud a Pelagianis jactari solitum, ut sine peccato posse esse probarent hominem [7] : « Non esse impossibilia Dei mandata, eaque facile custodire hominem posse, si velit. » Atque hoc in *Sententiis* suis Pelagius posuerat, quas imitatione Cypriani, qui ad Quirinum *Testimoniorum* libros tres ediderat, composuisse ab Hieronymo dicitur [8]: « Centesimus titulus est, inquit, posse hominem sine peccato esse, et Dei mandata facile custodire, si velit. »

Addebant et istud : adeo omni carere posse peccato, ut minime opus esset rogare Deum, ut sibi peccata dimitteret. Milevitana synodus in epistola *ad Innocentium Papam* et hanc [9], et superiorum omnem Pelagianorum sententiam paucis, sed accurate complexa est. « Isti dicunt, inquit, posse hominem in hac vita, præceptis Dei cognitis, ad tantam perfectionem justitiæ, sine adjutorio gratiæ Salvatoris, per solum liberum voluntatis arbitrium pervenire, ut ei non sit jam necessarium dicere [10], *Dimitte nobis debita nostra.* » Sed neque alteram orationis Dominicæ precationem necessariam fore ; pergit enim Milevitana synodica : « Illud vero, quod sequitur, *Ne nos inferas in tentationem*, non ita intelligendum, tanquam divinum adjutorium poscere debeamus, ne in peccatum tentati decidamus ; sed hoc in nostra esse positum potestate, et ad hoc implendum solam sufficere voluntatem hominis. » Idem refert Hieronymus in epistola *ad Ctesiphontem* [11].

1 Aug. lib. *de Nat. et grat.* cap. XXXIII.— 2 I *Petr.* II.— 3 Aug. lib. *de Peccat. mer.* libr. II, cap. VI.— 4 Ibidem capite VII.— 5 Lib. I *cont. Pel.* col. 824.— 6 In ep. *ad Ctesiph.*— 7 Hier. in ep. *ad Ctesiph.* et lib. I *cont. Pelag. init.*— 8 Ibid.— 9 Apud Aug. x CII.— 10 *Matth.* VI, 12.— 11 Col. 811.

Hominem sine ulla concupiscentia esse posse dogma Pelagianum.

XI. Qua in re spectandum illud est, duobus modis posse hoc accipi, quod dicitur, hominem esse sine peccato. Uno quidem, ut eo careat, quod proprie est peccatum, hoc est mali nihil agat ex liberi arbitrii consensu. Altero, ut concupiscentiam mali nullam habeat, quæ nos illecebra trahit ad peccatum. Utrumque in hominis potestate esse, Pelagiani docebant, quippe naturalem esse concupiscentiam, nec vitio ullo, ac labe perfusam aiebant, ut ex iis constat, quæ contra Pelagianos passim disserit Augustinus, præsertim adversus Julianum [1]. Vide librum utrumque *de nuptiis, et concupiscentia.*

Apatheia. Quo illorum ἀπάθεια pertinet, id est nullo afflatu vitii, neque pravi affectus commotione tentata integritas animi, quam, ut supra dixi, ex Origenis, ac Ruffini disciplina hauserant. Quam ob causam tum Hieronymus contra hæresim illam disputans, tum Augustinus, ut sine peccato neminem esse probent, originalis illius morbi, et concupiscentiæ meminerunt; et hic potissimum in libro *de Natura, et gratia*, capite LXII, ubi ita scribit: « Abstinet enim se ab omni re malà, etiam qui habet peccatum, quod in se regnare non sinit, cui surrepit improbanda cogitatio, quam pervenire ad finem operis non permittit. Sed aliud est non habere peccatum, aliud non obedire desideriis ejus. Aliud est implere, quod præceptum est, *non concupisces*; et aliud est per quemdam abstinentiæ conatum saltem id agere, quod item scriptum est [2]: *Post concupiscentias tuas non eas*; nihil horum tamen scire se recte posse sine gratia Salvatoris. Facere est ergo justitiam, in vero Dei cultu cum interno concupiscentiæ malo interna conflictatione pugnare; perficere autem, omnino adversarium non habere. » Ac subinde: Et ipse esse sine peccato verissime dicitur, in quo nullum habitat peccatum; (hoc est concupiscentia mala) non qui per abstinentiam mali operis dicit [3]: *Jam non ego operor illud, sed id, quod in me habitat peccatum.* » Quo in loco, ut et in aliis plerisque significare videtur, divina illa lege, *Non concupisces*, vetari omnem, etiam minime voluntarium concupiscentiæ motum; nec satis liquido discernit finem legis ab ejus mandato. Quod quidem copiose facit in libro tertio *contra duas epistolas Pelagianorum*, capite VII, ubi inter alia, « Hic præceptum est, inquit, ut desideriis peccati non obediamus; ibi præmium, ut desideria peccati non habeamus, » etc.

XII. Destruebant præterea Pelagiani, ut ait Augustinus in libro *de hæresibus*, orationes, quas facit Ecclesia, sive pro infidelibus, et doctrinæ Dei resistentibus, ut convertantur ad Deum; sive pro fidelibus, ut augeatur eis fides, et perseverent in ea. Hæc quippe non ab ipso accipere, sed a seipsis homines habere contendunt, gratiam Dei, qua liberamur ab impietate, dicentes secundum merita nostra dari. » Ego vero tum hoc, tam superius illud decretum, non tam Pelagianos aperte, ac diserte professos esse reor, quam Catholicos Patres contra illos disputantes, quid ex eorum doctrina sequeretur, argumentando colligere. Nimirum, si in potestate cujusque, et arbitrio libero situm est, sine *auxilio medicinalis gratiæ Christi* ad Deum converti, frustra nos istud precibus a Deo postulare, adversus illos retorsit Augustinus, aliique Patres. Quemadmodum alicubi Cicero, stulte a Deo peti virtutem, ac probitatem, ac cætera bona dixit, quæ animi propria sunt, et in uniuscujusque voluntate posita.

At idem τῆς ἀναμαρτησίας gloriosum, et arrogans decretum refertur, et hoc alterum, *Ecclesiam hic esse sine macula et ruga.* De quo interrogatus Pelagius in Palæstina, respondit [4], id se eo dixisse, « quoniam lavacro ab omni macula, et ruga purgatur Ecclesia, quam velit ita Dominus permanere. » Quo responso judices circumvenit, non advertentes, « inter lavacrum, ubi omnes præteritæ maculæ, rugæque tollantur, et regnum, ubi sine macula et ruga perpetuo manebit Ecclesia, tempus hoc medium esse orationis, ubi necesse est dicat, *Dimitte nobis debita nostra*, » ut narrat. Aug. in lib. *de gest. Pelagii.* *Impeccanti*

XIII. Nec abludebat etiam istud, quod Pelagius asserebat, tam sanctos veteri ab lege prodiisse, quam ab Evangelio. De quo ita Prosper libro *de Ingratis*:

« Connectit et illud
Idem auctor, quod lex ita sanctos miserit [olim
Cœlorum in regnum, sicut nunc gratia mit- [tit. »

Hinc impensa illa laudatio sanctorum virorum, qui in naturali, ac scripta lege florue-

1 Item vide lib. II *de Peccat. mer.* cap. IV et libr. *de Peccat. orig.* cap. XXXIV et seq.— 2 *Eccles.* XVIII, 30.— 3 *Rom.* VII, 20. — Aug. lib. *de Gest. Pelag.* c. XII.

runt. Cujusmodi ab ipsomet Pelagio in epistola *ad Demetriadem* statim instituitur, post-
Jactationem quam hoc ἀλαζόνευμα jactavit : « Est enim, inquam, in animis nostris naturalis quædam, ut ita dixerim, sanctitas, quæ velut in arce animi præsidens, exercet mali, bonique judicium ; et ut honestis, rectisque actibus favet, ita sinistra opera condemnat, atque ad conscientiæ testimonium diversas partes domesmestica quadam lege dijudicat : » quasi sanctitas in sola lege, et ejus notitia consistat, cum e contrario Scriptura dicat [1], *Scienti bonum facere, et non facienti, peccatum est illi.* Quam etiam ob causam quinque res prædicare solebant Pelagiani, ut scribit Augustinus, cujus verba brevi compendio totam Pelagii hæresim complexa, utiliter hic leguntur. «Desinant, inquit[2], Pelagiani quinque istarum rerum invidiosissimis laudibus, id est, laude creaturæ, laude nuptiarum, laude legis, laude liberi arbitrii, laude sanctorum, quasi Manichæorum tendiculis fingere, se homines velle eruere, ut possint eos suis retibus implicare, id est, ut negent originale peccatum, et parvulis invideant Christi medici auxilium, et ut dicant, gratiam Dei secundum merita nostra dari, ac sic gratia non sit gratia ; et ut dicant, sanctos in hac vita non habuisse peccatum, ac sic evacuetur oratio, quam sanctis tradidit, qui non habebat peccatum, et per quem sanctis orantibus dimittitur omne peccatum. »

Regnum cœlorum in veteri lege promissum asserebat Pelagius.

XIV. Objectum est et illud Pelagio in Diospolitana synodo[3], «quod in suo libello scripsit, regnum cœlorum etiam in veteri testamento promissum. » Quod ille fassus, Prophetæ se Danielis auctoritate defendit, apud quem scriptum est ita, *Et accipient sancti regnum Altissimi*[4]. Augustinus vero, quo sensu vere illud dici potuerit, et quo sit a Pelagio perperam dictum, declarat sic. « Testamenti veteris nomen modis duobus, ait, dici solere : uno modo secundum divinarum Scripturarum auctoritatem, » hoc est, cum scripturas omnes veteris legis *Testamenti* nomine significamus : altero modo, cum veteri Testamento, id est legi servitutis, legem gratiæ, ac novum Testamentum opponimus. Ita Paulus *ad Galatas* scribens duo Testamenta comparat inter se, *unum quidem in monte Sina*[5], *in servitutem generans :* alterum, quod ad Hierusalem pertinet, quæ est libera, « In illo ergo Testamento, quod vetus dicitur, et datum est in monte Sina, non invenitur promitti apertissime, nisi terrena felicitas. » Et quanquam « promissa veteris Testamenti talia sint, quibus figurantur ad novum Testamentum pertinentia spiritualia ; tamen, qui propter illa terrena suscipit legem Dei, ipse est hæres veteris Testamenti. Ea quippe secundum Testamentum promittuntur, atque tribuuntur, quæ secundum hominem veterem concupiscuntur. Quæ autem illic ad novum Testamentum pertinentia figurantur, novos homines quærunt. » Quocirca qui illud in Pelagii scriptis notandum judicarunt, hoc ideo fecerunt, quod *novo fit injuria, si veteri æquetur.* Mentem itaque, ac sententiam potius, quam verba spectarunt, quod, ut paulo ante dixi, legem veterem apprime commendare Pelagiani solebant ; et, quod ad promovendam sanctitatem attinet, non minorem in illa vim inesse, quam in nova lege putabant.

XV. At idem Augustinus in lib. XIX *contra Faustum*, cap. XXXI et ultimo dubitat, utrum « in illis veteribus libris inveniatur nomen regni cœlorum, » nam vita æterna illic *manifeste prædicatur*, ut et resurrectio mortuorum : « Sed hoc nomen, id est regnum cœlorum, de nullo, inquit, inde loco mihi occurrit. Hoc enim proprie pertinet ad revelationem novi Testamenti, » etc. Sic in epistola XCV. « An æternum præmium justitiæ promissum nondum erat ? Hoc ipse non dicit, qui in suis litteris posuit, etiam in vetere Testmento regnum cœlorum esse promissum. » Et disertissime Hieronymus in libro primo *adversus Pelagianos* CXXIII, « addis præterea, regnum cœlorum etiam in Testamento veteri repromitti ; ponisque testimonia de apocryphis, cum perspicuum sit, regnum cœlorum primum in Evangelio prædicari per Joannem Baptistam, et Dominum Salvatorem, et Apostolos, » etc. Ex quibus evidens est, non illo modo, quem in libro *de gestis Pelagii* tradidit Augustinus, sed absolute Hieronymum sensisse, regnum cœlorum in libris antiqui Testamenti non fuisse palam, aperteque promissum, quemadmodum et in lib. XIX *contra Faustum* docet Augustinus ; ita nimirum, ut evidenter cœleste regnum, tanquam merces, justis ostensum fuerit.

Negabat divites posse salvari.

XVI. Rursus uti ab recto fidei tramite semel aberrans opinionis pravæ licentia, neque modum, neque rationem tenet, duo inquædam Pelagius asseruit, cum illa perfec-

1 *Jac.* IV, 17.—2 Aug. l. IV *cont. duas epist. Pel.* c. VII.— 3 Aug. *de Gest. Pel.* c. V.— 4 *Dan.* VII, 18.— 5 *Gal.* IV, 24.

tionis affectatione, ac jactantia connexa. Unum est, « Divitem manentem in divitiis suis regnum Dei non posse ingredi[1], nisi omnia sua vendiderit ; nec ei prodesse, si forte ex ipsis divitiis mandata fecerit. » Quod autem in veteri lege sancti Patriarchæ non illud egerint, causam afferebat, « quia hoc eis non præceperat Dominus[2]; » quod pluribus refellit Augustinus in epist. LXXXIX. Huic eidem errori patrocinatur Sixtus ille, qui *de Divitiis* librum edidit, qui Sexto Papæ tertio perperam inscribitur, cum sit Pelagiani nescio cujus, qui et de castitate alterum scripsit, in qua commendanda modum etiam non tenuit. Hieronymus quoque in primo *adversus Pelagianos*, præcepti instar habere videtur illud Domini consilium ; *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia, quæ habes* [3], etc. Sed ex aliis ejusdem locis commodum ad sensum refelli ista possunt. Alterum est, « Peccatum esse etiam verum jurare. » Quod illos affirmasse indicat Augustinus in calce epistolæ LXXXIX, ubi et jusjurandum male interpretatos esse illos ostendit. De alio Pelagii dogmate, « quo iniquos et peccatores in die judicii æternis ignibus exurendos » scripsit, et ab Hieronymo eo nomine reprehensus est, vide quæ in tertio libro *de Angelis* a nobis scripta sunt [4] ; in quo sane minime reprehendendus ille fuit.

Pelagiani Nestorianismi insimulati.

Postremo Cassianus inter Pelagiana dogmata Nestorianam adscribit hæresim his verbis : « Alioquin si non idem Christus ex Maria est [5], qui ex Deo natus, duos absque dubio Christos facis ; secundum illud scilicet Pelagianæ impietatis scelus, quæ solitarium hominem ex Virgine natum asserens, eruditorem eum dixit humani generis magis, quam redemptorem fuisse, quia non redemptionem vitæ hominibus, sed vivendi dederit exemplum ; videlicet ut sequentes eum homines dum similia agerent, ad consimilia pervenirent. Una ergo impietatis vestræ origo eadem errorum radix est. Illi solitarium hominem ex Maria natum asserunt, et tu idem. Illi filium hominis a filio Dei seperant, et tu idem. Illi ergo Salvatorem, aiunt, per baptisma Christum esse factum ; tu in baptismo templum esse factum, » etc. quod et in primo libro capite tertio ejusdem operis Cassianus edisserit. Certe in Ephesina synodo Pelagianam hæresim esse damnatam, satis constat ex Prospero, libro *de Ingratis*, et in *Chronico*, et in libro *contra Collatorem* ; tum ex Photio, codice LIV. In actis quoqe Ephesinis epistolæ synodicæ *ad Imperatores*[6], Pelagianorum ac Cœlestianorum pro hæreticis damnatorum fit mentio. Sed hoc alias ex instituto, et accuratius tractandum erit, cum de gratia, deque Incarnatione disputabitur*.

CAPUT VII.

De Semipelagianis, et eorum dogmatibus, præcipue circa gratiam Christi ; non unum genus illorum fuisse ; et alios aliis tolerabilius errasse ; Cassianum vero omnium gravissime. De initio gratiæ, et voluntate credendi. Quonam pacto a Pelagianis dissideant.

Semipelagianismi origo.

I. Cum adversus Pelagianos quamplurimis libris pugnasset Augustinus, et in illis necessitatem gratiæ, ac liberi imbecillitatem arbitrii magnopere prædicaret, quædam visus est adspersisse dogmata, quibus salutis nostræ ac justificationis negotium totum adscribere Deo, ejusque gratiæ, sine ulla voluntatis humanæ συνεργείᾳ, putaretur. Quæ res haud levem apud Catholicos, et pios ejus nomini conflavit invidiam, præsertim Gallicanos episcopos, et presbyteros, in Lugdunensi, et Arelatensi provincia ; velut Massiliæ, ubi tum eruditione, ac sanctitate florebat Cassianus, cujus libri *de Institutis Monachorum*, *et Collationibus Patrum*, in usu omnium, et approbatione versabantur. Præsertim cum ante annos aliquot recens adhuc Augustinus in episcopatu sensisset aliter[7] ; ut in epist. XLIX, quæst. II *contra Porphyrium*, et in *expositione quarumdam propositionum epistolæ ad Romanos*, propositione LXXII, ac fidem a nobis esse statuisset. Illi igitur Augustinum tacite vellicabant, quod Pelagiani erroris odio in extremum alterum evectus, plusculum gratiæ, ac Dei auxilio

Cooperatione.

* Confer hactenus a Petavio tradita de Pelagianis erroribus quæque mox subiicit de Massiliensium dogmatibus, cum viri Clariss. Maffeii historia theologica, cumque egregiis P. Meyeri de eodem argumento Dissertationibus, quæ in calce utriusque voluminis historiæ controversiarum de auxiliis exstant. Z.

1 Aug. epist. LXXXIX.— 2 Ibidem.— 3 *Matth.* XIX.— 4 Cap. VII, § 10.— 5 Cassia. VI *de Incarnat.* cap. XIV.— 6 Tom. II Conc.— 7 Ita Hilar. in ep. *ad Aug. præfixa* l. *de Præd. sanct.*

tribuisset. Quare ita rem esse temperandam aiebant, ut ne utrimque nimium excederetur; quod hac se ratione confidebant assequi, quam ex epistolis duabus Hilarii et Prosperi colligimus, quæ ante librum *de Prædestinatione Sanctorum* apud Augustinum leguntur.

Ejusdem primum caput.

II. Originale peccatum a primo parente manasse in posteros asserebant; nec ab eo, ullove alio posse nos solis arbitrii nostri viribus extricari; sed gratiam ad hoc Christi esse necessariam, ita tamen, ut initium aliquod justitiæ, ac salutis esset a nobis; nimirum fides, et voluntas quæpiam salutis obtinendæ, quæ nondum ipsa salus, aut justitia dici mereretur, quemadmodum curationis obtinendæ voluntas non est curatio. Porro ex illius fidei, voluntatisque merito promoveri ad Christi gratiam, ac justificationem aiebant homines; unde hæc illorum vox erat : *Meum est velle credere*; *Dei autem gratiæ est adjuvare*, ut scribit Petrus Diaconus ad Fulgentium in libro *de Incarn.* cap. VI et, quod idem refert, ex eo, quod Deus vult omnes salvos fieri, colligebant, non ab illo excitari vuluntatem humanam, sed expectari, ut æquum sit in volentibus præmium, in nolentibus autem justa damnatio. Igitur primum illum voluntatis impetum, quo ad salutem curritur, assensumque fidei, naturalibus voluntatis humanæ viribus adscribebant; qui primus, ac præcipuus illorum error exstitit.

Ejusdem secundum caput.

III. Alterum, et secundum opinionis caput, gratiam Christi suppetere omnibus asserebant et ad sese omnes invitare, sed unumquemque proprio arbitrio vocanti parere, vel se ab ea retrahere. Docet hoc Prosper libro *de Ingratis*, ubi ex Semipelagianorum persona ita loquitur.

« Gratia, qua Christi populus sumus, hoc [cohibetur
Limite nobiscum; et formam hanc adscribitis [illi,
Ut cunctos vocet illa quidem, invitetque, nec [ullum
Præteriens, studeat communem adferre salu- [tem
Omnibus, et totum peccato absolvere mun- [dum.
Sed proprio quemque arbitrio parere vo- [canti,
Judicioque suo, mota se extendere mente
Ad lucem oblatam, quæ se non subtrahat illi. »

Vide ejusdem librum *Responsionum ad Capitula Gallorum*, objectione quarta.

Tertium caput.

Tertium : Quod aliis populis Evangelium prædicaretur, alii vero prætermitterentur, causam esse dicebant præcientiam Dei, quod illos credituros esse, istos vero non esse præviderit. Refert hoc Prosper eodem illo libro *de Ingratis*, et in epistola ad August. *de reliquiis Pelagianæ Hæresis*.

Quartum

Quarto de prædestinatione, sive electione ad gloriam, contra atque Augustinus, sentiebant : Deum omnes cupere salvos fieri, et ad salutem invitare, suapte porro voluntate vocanti alios obtemperare, alios respuere. Item ex illa præsensione, qua vocationi fidem, et obsequium accommodaturos esse quosdam præscivit Deus, eos delegisse; quos autem perseveraturos non esse viderit reprobasse. Idcirco non esse prædestinatorum certum numerum asserebant; quod ex Prosperi et Hilarii epistolis in tract. *de Prædest.* demonstravimus.

Quintum.

IV. Quinto nullam peculiarem electionis esse divinæ gratiam putabant, quam tantummodo certis hominibus indulgeret Deus; verum quicquid prædestinatis ab illo donatum fuerit, id posse et admittere ipsos, et retinere propria voluntate. Quod de perseverantiæ dono similiter affirmabant; hoc enim in potestate esse cujusque, ut si velit, perseveret, nec tale istud esse, quale constituebat Augustinus libro *de Correptione et gratia*, cap. XI et XII, non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possunt, verumetiam ut per hoc donum nonnisi perseverantes sint, hoc est, ut certo perseveraturi sint, neque non perseveraturi sint. Ita Hilarius in epistola. Prosper in libro *de Ingratis*.

« Esse autem edoctis istam communiter [æquam
Libertatem animis, ut cursum explere bea- [tum
Persistendo queant, finem, effectumque peti- [tum
Dante Deo, ingenii qui nunquam desit ho- [nestis.
Sed quia non idem est cunctis vigor, et varia- [rum
Illecebris rerum trahitur dispersa voluntas,
Sponte aliquos vitiis succumbere, qui potuis- [sent
A lapsu revocare pedem stabilesque ma- [nere. »

Sextum. Sexto et de parvulorum quorumdam discrimine turpissimus error illorum fuit, adeo ex meritis eligi unumquemque, ut etiam parvula ob illa merita, quæ, si vixissent, essent, habituri, ad baptismum permitterentur accedere, aut ab eo rejicerentur. Ita Hilarius ad Augustinum.

V. Hæc præcipua fuere capita, in quibus Massilienses ab Augustino dissentire se profitebantur, qui interim a Pelagio longe se abhorrere præ se ferebant, eumque anathemate damnabant. Quod tum auctores a me laudati referunt, tum illi ipsi Semipelagiani in libris suis, quorum hodieque exstant aliqui, prolixe ac diserte testantur; ut Cassianus in libris *de Incarnatione contra Nestorium* [1], qui Pelagii errorem non uno in loco detestatur; et Faustus Regiensis initio librorum, quos de libero arbitrio scripsit.

Ac de singulis quidem capitibus istis tum agetur copiosius, cum de Gratia disputandum nobis erit. Nunc illud admonemus, non omnia illorum dogmata pro hæreticis damnata fuisse, præsertim quod ad Prædestinationem attinet; sed ea solum, vel potissimum quæ de gratiæ merito, et initio justificationis propriis parto, ac naturalibus viribus asserebant.

Quoniam ergo de gratia, quæ per Christi merita tribuitur, præcipua Catholicorum cum Pelagianis, eorumque reliquiis altercatio fuit; idcirco de illa potissimum hic agendum est, ut in quo Semipelagiani ab auctoribus suis Pelagianis, et a Catholicis dissenserint, animadverti facilius possit.

VI. Ac primum illud extra controversiam esse debet, quod eruditi quidam theologi animadverterunt [2] gratiæ nomine non illos *habituales*, ut vocant, intellexisse gratiam, sed transeuntia dona sancti Spiritus, sive auxilia, quibus ad justitiam promovemur, quam *actualem gratiam* vocant. Secundo, illud observari volumus, non eodem omnes modo loqui, ac sentire solitos fuisse, sed alios gravius, alios tolerabilius errasse. Nam fuere, qui dicerent, sic ruina prima nostri parentis infractas, ac debilitatas esse vires arbitrii nostri, ut « ad nullum opus (verba sunt Hilarii) vel incipiendum, nedum perficiendum, quemquam sibi sufficere posse consentirent. » Itaque nihil ab homine præstari viribus arbitrii sui, nisi hoc perpusillum, ut sanari cuperent, ac vellent credere, adeoque crederent. Non enim initium hoc voluntatis, ac fidei inter opera bona vel merita numerabant, quemadmodum in ægro voluntas adhibendi medici, vel certa de remedio concepta fiducia, nondum pars esse curationis aliqua censetur, quod Hilarius in eadem epistola his verbis explicat, quæ antecedentibus proxime subjungit: « Neque enim alicui operi curationis eorum annumerandum putant, exterrita, et supplici voluntate unumquemque ægrotum velle sanari, » et paulo post: « Unde consequens putant, exhibendam ab eo fidem cujus naturæ id voluntate conditoris concessum est, et nullam ita depravatam, vel extinctam putant, ut non debeat, vel possit, se velle sanari, propter quod vel sanetur quis a sua, vel si noluerit, cum sua ægritudine puniantur. Nec negari gratiam, si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medicum quærat, non autem quicquam ipsa jam valeat. »

Non omnes eodem modo loquuntur Semipelagiani, aliique aliis tolerabilius errarunt.

VII. Augustinus vero contra illos disputans in libro *de Prædestinatione Sanctorum*, et Prospero, Hilarioque respondens, initio libri, quod ab Hilario maxime de istorum opinione scriptum erat, ita repetit: « Pervenerunt, inquit, etiam, ut præveniri voluntates hominum Dei gratia fateantur, atque ut ad nullum opus bonum vel incipiendum, vel perficiendum sibi quemquam sufficere posse consentiant. » Isti ergo nullum opus bonum, vel meritum a nobis esse, ac sine Dei gratia suppetere dicebant, sed solam exhiberi fidem; quam quidem ab operibus distinguebant, ut non et communis loquendi consuetudo fert, atque ita discernit Augustinus in libro *de Prædestinatione Sanctorum*, capite VI. « Ex fide autem, ait, ideo dicit, justificari hominem, non ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua imperantur cætera, quæ proprie opera nuncupantur, in quibus juste vivitur. »

VIII. Alii vero *plus aliquid ab homine naturæ viribus exhiberi*, quam fidem, *aut sanitatis obtinendæ voluntatem arbitrati sunt*; nimirum virtutes, et admirabilia quædam facinora sine gratia, et ante gratiam Christi effici. Ita Cassianus *collat.* XIII, quem Prosper libro *contra Collat.* strenue oppugnat, ac revincit. Qui cum tertio capite recte, et Catholice scripsisset, « non solum actuum, verumetiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium, qui nobis et initia sanctæ voluntatis inspirat, et virtutem, atque opportunitatem eorum, quæ recte cupimus, tribuit peragendi; » quan-

1 Cass. l. *de Incarn.* c. III et l. VI, c. XXXIV.— 2 Ut Vasq. in XII disp. LXXXIX, c. V, n. 34.

doquidem, « Omne datum bonum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminum, qui et incipit, quæ bona sunt, et exequitur, et consummat in nobis, etc. nostrum vero esse, ut quotidie attrahentem nos gratiam Dei humiliter subsequamur,» in sequentibus doctrinæ istius salubritatem omnem funditus evertit. Nam capite IX. « Non facile, ait, humana ratione discernitur, quemadmodum Dominus petentibus tribuat, a quærentibus inveniatur, aperiatque pulsantibus, et rursus inveniatur a non quærentibus se, » etc. quibus indicat, homines interdum suis viribus ad petendum, pulsandumque dirigi, ut in fine capitis in hæc verba declarat. « Nisi quod in his omnibus, et gratia Dei, et libertas nostri declaratur arbitrii ; et quia etiam suis interdum motibus homo ad virtutum appetitus possit extendi, semper vero indigeat adjuvari. Nec enim, cum voluerit quis, sanitate perfruitur, aut de ægritudinis morbo pro arbitrii sui desiderio liberatur. Quid autem prodest sanitatis gratiam concupisse, nisi Dominus, qui vitæ ipsius usum tribuit, etiam vigorem incolumitatis impertiat ? Ut autem evidentius clareat, etiam per naturæ bonum, quod beneficio creatoris indultum est, nonnunquam bonarum voluntatum prodire principia, quæ tamen, nisi a Domino dirigantur, ad consummationem virtutum pervenire non possunt, Apostolus testis est dicens : *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio* [1]. Ubi perspicue initium bonæ voluntatis, sive sanitatis desiderium, a nobis, et ex naturæ viribus præstari asserit ; in quo superiori a se constitutæ regulæ contradicit : « Non solum actuum, verumetiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium. »

Error Cassiani gravissimus

IX. Quibus consentanea sunt, quæ deinceps disserit, ut cap. XI ait, inter multos magna quæstione volvi, quid ex quo pendeat, id est utrum, quia initium bonæ voluntatis præbuerimus, misereatur nostri Deus ; an quia Deus misereatur, consequamur bonæ voluntatis initium ; » quam quæstionem ita componit, ut utrumque sit verum, hoc est ut in quibusdam bona voluntas antecedat gratiam, in aliis subsequatur ; quod cap. XII et XVII evidenter ostendit, ubi interdum voluntatem promovere gratia sua Deum adstruit ; interdum bonæ ipsius voluntatis inspirare primordia. Nec enim liberum arbitrium ejusmodi est, ut ad bonum eniti non possit. « Nam dubitari non potest, ait cap. XII, inesse quidem omni animæ naturaliter virtutum semina beneficio creatoris inserta ; sed nisi hæc opitulatione Dei fuerint excitata, ad incrementum perfectionis non poterunt pervenire. »

At non eatenus tantum Cassianus erravit, ut solum bonæ voluntatis initium voluntati hominis adscriberet, sed etiam insignes, et heroicas virtutes eidem tribuit. Nam cap. XIV ait, Job virtute sua, non Dei solius gratia protegente, congressum fuisse. Alioqui diabolus illam eamdem calumniosam vocem edidisset, « *Nunquid gratis Job colit Deum ? Nonne tu vallasti eum ?* etc. *Sed aufer manum tuam*, id est sine eum suis mecum viribus decertare, *nisi in faciem tuam benedixerit tibi.* Sed, cum nullam hujusmodi querimoniam calumniosus hostis post conflictum audeat iterare, non Dei, sed illius se victum viribus confitetur ; » subjicit, « non in totum tamen Dei gratiam illi defuisse, quatenus tantam tentatori tentandi tribuit potestatem, quantam et illum resistendi noverat habere virtutem ; » quod totum extraneum est, nec interius hominem afficit.

X. Mox Centurionis fidem, de quo *Matthæi* cap. VIII non a Dei gratia, sed ab ipsomet exsitisse demonstrat ex eo, quod dicit Christus : *Non inveni tantam fidem in Israel.* « Nullius enim laudis esset, ac meriti, si id in eo Christus, quod ipse donaverat, prætulisset ; alioqui dixisset : Non dedi tantam fidem in Israel. » Sic de Abraamo sentit idem, illustre fidei, obedientiæ, ac fortitudinis specimen, quod in filio ad Dei mandatum offerendo præbuit, non ex Dei gratia, sed ex fide ipsius naturæ viribus edita manasse. « Non enim illam fidem, ait capite eodem, quam ei Dominus inspirabat, sed illam, quam vocatus semel, atque illuminatus a Domino per arbitrii libertatem poterat exhibere, experiri voluit divina justitia. » Tum alia quædam his consentanea subjungit, quibus hominem docet propriis viribus tentationi resistere ; ut jam non prima solum lineamenta virtutum sine Christi gratia informari velit, labore hominum, et industria, sed propemodum absolutam illam, ac perfectam exprimi.

De hoc Semipelagianorum genere, et errore fidem facit Prosper in epistola *ad Ruffinum*, ubi Cornelii centurionis usos exemplo esse demonstrat, « qui ante gratiæ perceptionem timens, atque orans Deum, eleemosynis, jeju-

1 *Rom.* VII.

niis, et orationi spontaneo studio fuerit intentus, atque ob hoc divino testimonio laudatus donum regenerationis acceperit. »

De initio gratiæ et voluntate credendi juxta Semipelagianos.

XI. Tertio fuit hæc quoque Semipelagianorum opinio, gratiam illam, quæ ad promovendam fidem, ac bonæ voluntatis initium requiritur, extrinsecus afficere voluntatem, atque ad legem, doctrinamque pertinere, non autem ipsum in nobis efficere charitatis ardorem, et affectum; quod nimirum per originale peccatum naturalis in homine libertas imminuta non fuerit, sed ad bonum suopte etiam nutu propendeat;

« Naturæ quoniam non sit detracta facultas,»

ait Prosper carm. *de Ingratis*; ubi contra Semipelagianorum hoc decretum fusissime disputat, ac primum sic illos sententiam suam explicantes facit :

« Et nos ista, inquit, sentimus de bonitate
Ac virtute Dei ; quæ ni foveatque , regatque,
Quos vocat, et tutos peccato præstet ab omni,
Non sua servabit quemquam prudentia, nec se
Perficiet solis naturæ viribus ullus.
Sed quia jam in nobis et velle, et nolle creatum est,
Arbitriique sui, quo vult, intendere motus
Libertas accita potest, patuitque per aurem
Judicio cordis, quo mundum proposuisset
Consilio servare Deus; mens excita longum
Excutiat somnum, seque illi subdat, et aptet,
Qui cupidam, et fidam promissa in gaudia ducat. »

Quorum hic sensus : Sine gratia Christi neminem id, quod est perfectum, posse consequi, in quo a Pelagianis discrepabant; verum gratiam illam, et auxilium Dei necessarium in sola cognitione, ac mentis per legem, ac doctrinam informatione consistere; adeoque extrinsecus affluere, nec in mentem se, ac voluntatem insinuare, quemadmodum lex, doctorve, quid agendum sit, foris prædicat.

« Hæc sincera fides, hæc Christi gratia tecum est,
Cujus opus fixo distinctum limite totum
Extra hominem statuis, clausa penitus fore mentis?
Vixque Deum sensus carnis permittis adire,
Per quos sumpta foris animus dijudicet intus,
Seque ferat, quoquo librata examina pondus
Presserit arbitrii, » etc.

In quibus gratiam, et ex opinione Semipelagianorum, asserit, tantum auribus insonare; voluntatem vero suapte se sponte movere, et ad eam accommodare.

« Veluti cum voce loquentis
Aut rerum actarum species, quas vidimus, aut quas
Legimus, exoritur secreta cordis in aula,
Nunc amor, aut odium, nunc spes, metus, ira dolorque.
Nec tamen hos motus scriptor, narrator, et auctor
Insevere animo, quamvis forte hoc quoque vellent. »

Denique non aliud esse gratiam putabant, quam legem, quam monitorem, quam ministri doctrinam. Ex quo illud consequens erat, liberum hominis arbitrium integrum esse post peccatum primi hominis, nec ruina ejus oblæsum.

« Scilicet, ut tale arbitrium generaliter insit
Semine damnato genitis in corpore mortis;
Quale habuit nondum peccati lege subactus
Primus homo; et nullum in prolem de vulnere vulnus
Transierit, nisi corpoream per conditionem;
Quæ sic exterius respondeat, ut nihil intus
Imminuat, teneatque suum substantia mentis
Splendorem, et nulla pœnali nocte prematur.»

Inquiritur quanam in re Semipelagiani a Pelagianis differrent.

XII. His animadversis, perdifficilis oritur quæstio, quanam in re Semipelagiani a Pelagianis differrent? Nam, ut se habent Prosperi verba, nullum omnino discrimen agnoscas. Quippe gratiam Christi, quam Semipelagiani asserebant esse necessariam ad salutem, ac justitiam obtinendam, sola lege, ac doctrina definit; quam doctrinam sic explicat, ut sit doctoris instar, ac magistri, qui aures nostras extrinsecus pulset; cujus vocem foris acceptam, suopte nutu, et arbitrio, sine ulla Christi gratia, animus noster amplectitur. Itaque genus illud est gratiæ, quod ex Pelagianorum opinione supra tertium posuimus. Id enim lege, ac doctrina continetur, hoc est eo omni, quod externum est bene agendi præsidium. At hoc ipsum Pelagiani dicebant esse necessarium ad actus singulos, ut superiori capite demonstravimus, et nunc denuo, et accuratius ostendemus, quandoquidem in eo capite præcipua vis est disputationis hujus, ac negotii posita.

Augustinus itaque lib. I *de grat. Christi*, cap. III, scribit, Pelagium *in Episcopalibus gestis*, hoc est in synodo Diospolitana, « sine ulla recusatione damnasse eos, qui dicunt, gratiam Dei, et adjutorium non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege, atque doctrina. » Quod capitulum ex Cœlestio sumptum, et objectum Pelagio, ab eo damnatum esse refert Augustinus, cap. XIV libri *de gestis Pelagii*. Quare non dubitabat Pelagius, quin lex, atque doctrina ad actus singulos necessaria foret, cum aliam tamen præterea cogeretur agnoscere, quæ perinde necessaria diceretur.

XIII. Pergit Augustinus libro illo *de gratia Christi*, et Pelagium ait post illius capituli damnationem, ad hoc ipsum rediisse, quod damnaverat. « Nam gratiam Dei, et adjutorium, quo adjuvamur ad non peccandum, aut in natura, et libero ponit arbitrio » in epistola quadam, quam Romam postea misit, *aut in lege, atque doctrina*. Apparet ergo, Pelagium antiquum suum obtinuisse, ut eam gratiam, quæ ad singulos actus necessaria est, præter arbitrium, in lege etiam, et doctrina poneret. Addit Augustinus, quod et nos supra retulimus, ex tribus illis, quibus implentur mandata divina, possibilitate, voluntate, et actione, solam possibilitatem a Deo esse, ejusque semper adjuvari gratia, quatenus per legem, ac doctrinam possumus esse justi; ut autem esse velimus, ac reipsa, et actione simus, a nobis ipsis habemus, non a gratia : « Tanquam illa, quæ nostra sunt, ait in fine capitis tertii, hoc est voluntas, et actio, tam sint valentia ad declinandum a malo, et faciendum bonum, ut divino adjutorio non indigeant; illud vero, quod nobis ex Deo est, hoc sit invalidum, id est possibilitas, ut semper gratiæ adjuvetur auxilio, » nempe lege, atque doctrina, ut in fine sexti capitis exponit. « Hanc autem naturalem possibilitatem, inquit, quod adjuvari Dei gratia confitetur, non est hic apertum, vel quam dicat gratiam, vel quatenus ea naturam sentiat adjuvari; sed sicut in aliis locis, in quibus evidentius loquitur, intelligi potest, non vult aliud accipi, quam legem, atque doctrinam, qua naturalis possibilitas adjuvetur. » Sed et capite nono scribit Pelagium de genere illo gratiæ, quod legem, ac doctrinam appellabat, obscure locutum esse, et intelligi metuisse, « quod eos damnasset, qui dicerent, gratiam Dei, et adjutorium, non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege, atque doctrina. » Proinde, cum idem postea defenderet, aliis atque aliis locutionibus, ne deprehendi posset, studuisse tegere. Nihil igitur evidentius esse potest, quam Pelagianos legem, et doctrinam putasse gratiam esse necessarium ad actus singulos; neque solum ad facilius operandum, quasi sine illa justi esse possemus. Nam et cap. XXXIII ejusdem libri, auxilium Dei, quo semper indigemus, ab iisdem hæreticis referri ait ad legem, atque doctrinam.

XIV. Jam vero Semipelagianos, ait Prosper in carmine *de Ingratis*, gratiam, et auxilium Dei in lege, ac doctrina collocare, eamque gratiam affirmare ad justitiam, et salutem esse necessariam; quod docet Hilarius initio epistolæ *ad Augustinum* : « Cæterum ad nullum opus vel incipiendum, nedum perficiendum, quemquam sibi sufficere posse consentiunt. » Ac subinde solam ab homine præstari voluntatem sanitatis obtinendæ, illos ait dicere. « Nec negari gratiam, si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medicum quærat, non autem quicquam ipsa jam valeat. » Tantumdem ergo dicere videntur, quantum Pelagiani. Imo hac ex parte deteriores Pelagianis fuisse, quod initium salutis, ac justificationis, sine Dei gratia, ex humani arbitrii viribus esse dicebant; at Pelagiani, quantum ex Augustino constat, absolute legem, atque doctrinam esse necessariam asserebant; quod iis verbis significat Augustinus, « possibilitatem ad justitiam invalidam esse [1], nisi gratiæ adjuvetur auxilio, » quam gratiam esse legem aiebant, atque doctrinam. Quanquam, si quod Prosperi ille locus indicat, sola lege, doctrinaque Christi gratiam Semipelagiani circumscriberent, non est consentaneum illud alterum eorumdem decretum, fidem, ac sanitatis desiderium, aut etiam, quod Cassianus arbitrabatur, tot tantasque virtutes, quales in Jobo, et Cornelio, atque etiam Abrahamo, cum unicum filium offerret, exstiterunt, sine illa Christi fuisse gratia. Cum enim *fides ex auditu sit* [2], *auditus autem per verbum Dei; quomodo*, inquit Apostolus, *credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante?* Quamobrem ad fidem exprimendam legis, atque doctrinæ prædicatio necessaria est, sive revelatio, et adhortatio. Quæ si sola gratia est, ne salutis quidem initium absque gratia constare potest. Idem et de cæteris usurpare

1 Lib. I *de Grat. Christi* c. III in fine.— 2 *Rom.* X.

licet. Nam nemo sanitatem appetere potest, nemo patientiam, charitatem, obedientiam exhibere, nisi fidei ac doctrinæ Christi mysteria perceperit, ac legem didicerit, quæ opera illa, officiaque præscribit, sive naturalem, sive a Christo traditam.

XV. Enimvero præter legem, ac doctrinam ejusmodi quæ extrinsecus solum sensibus ingeritur, aliud gratiæ genus constituisse Pelagianorum reliquias, non solum argumentum illud ostendit, quod alioqui manifeste sibi ipsi contradicerent, qui initium justitiæ sine gratia suppetere volebant; sed hoc præterea, quod Pelagiani alterum, et singularius gratiæ, auxiliique genus admittebant, quod in cordis adapertione, ac mentis illustratione situm esset, quodque adeo non extraneum, sed intimum foret, ac mentem ipsam hominis pervaderet. Ex quo consequens est, Semipelagianos, qui propiores utique catholicæ professioni erant, ac fidei, etiam istud agnovisse gratiæ genus. Quo constituto, facile jam erit intelligere, in quo a Pelagianis differrent. Sic enim existimo, cum, ut antea demonstratum est,* Pelagiani gratiam illam intimam, quæ in interiori mentis illuminatione consistit, non esse penitus homini necessariam, sed ad facilius operandum utilem prædicarent, Semipelagianos in eo discrepasse, quod eidem huic generi gratiæ necessitatem adscriberent, adeo ut, non modo facilius ea nos adjutos ad justitiam, ac salutem promoveri, sed etiam sine illa ne promoveri quidem ullo modo posse defenderent. Hæc opinio ex iis omnibus, quæ hucusque disputata sunt, manifeste sequitur. Ex quibus illud maxime ponderandum est, quod ex Augustino libro primo *de gratia Christi*, cap. XL, planum fecimus, præter extrinsecus insonantem auribus legem, ac prædicationem, etiam interiorem mentis illustrationem, quam revelationem sancti Spiritus, ac doctrinam proprie nominabant, gratiam appellasse, ambasque distinxisse *.

Quæstioni supra positæ satisfit.

XVI. Quid autem illud fuerit, in quo ab utrisque dissenserit Augustinus, deinceps explicabimus, si prius lectorem admonuerimus, eumdem Augustinum, libro *de gratia, et libero arbitrio*, cap. XIV, videri Pelagianis illud attribuere, quod Semipelagianis convenit, ac vulgo eorum esse dogma perhibetur. « Dicunt enim, inquit de gratia loquens, etsi non datur secundum merita bonorum operum, quia per ipsam bene operamur, tamen secundum merita bonæ voluntatis datur; quia bona voluntas, inquiunt, præcedit orantis, quam præcessit voluntas credentis, ut secundum hæc merita gratia sequatur exaudientis Dei. » Unde et adversus illos idem, quod contra Semipelagianos in libro *de Prædestinatione Sanctorum*, demonstrare studet, neque fidem neque credendi voluntatem esse a nobis. Verum credibile est, jam tum Pelagianos frequentibus Catholicorum disputationibus fractos, et convictos, aliquid de pristina erroris pravitate remisisse, ac plena, et perfecta opera, sine gratia Christi, propria, et interiore posse fieri desiisse credere, sed ad solam et credendi voluntatem, et fidem ipsam suum dogma restrinxisse. In eo tamen a veris Semipelagianis discrepabant, quod hi non perfectam credendi voluntatem, perfectamque fidem naturæ viribus imputabant, sed *initialem*, et inchoatam utramque. Simile potes animadvertere discrimen Semipelagianorum, id est ab rigido Pelagianismo distantium, in epistolis Prosperi, et Hilarii, quæ libro *de Prædestinatione Sanctorum* præfixæ sunt.

CAPUT VIII.

Qualem gratiam adversus Pelagianos, eorumque reliquias Augustinus, Prosper, et Catholici per illud tempus asseverarint. Eam fuisse, quæ non solum mentem illuminet, sed etiam voluntatem moveat. Pelagium agnovisse illuminationem intellectus, sed hanc gratiam putasse non esse necessariam. Quod ex Augustino probatur; et Augustini vicissim ex eo sententia.

I. Si quid in opinione sua Pelagiani, ac Semipelagiani posuerint, ex antecedenti disputatione recordari voluerimus, non erit difficile de Augustini, Prosperi, ac reliquorum

* Vehementer suspicor subesse Semipelagianorum affirmationibus, quibus sese a Pelagianismo purgare conantur, dissimulationem aliquam. Damnato enim Pelagio a tot conciliis, et tum severis edictis proscripto, quis ausus esset sententiam ejus aperte tueri, præsertim in occidente. Itaque quicumque ei favebant videntur velificationem aliquatenus mutasse, ne in eosdem scopulos illiderentur. Qui enim existimabant Deum ab homine præveniri, ii postquam, ex eorum sententia, Deus homini aliquot gratias contulisset externas, non video cur plane necessariam gratiam internam putarent. Præterea hujusmodi hominibus debuit Augustinus videri remotior a sana doctrina quam Pelagius, ad quem multo propius accedebant. TH. AL.

sententia judicare. Gratiam igitur, quæ per Christi merita tribuitur, in sola mentis illustratione hæretici illi posuerunt, nullum omnino repudiantes doni cœlestis genus, quod ad solam cognitionem pertineret. Verum Pelagiani gratiam istam, quæ interius illapsa mentes illuminat, ad facilius operandum esse utilem asserebant, minimeque necessariam; Semipelagiani etiam necessariam esse dicebant, in eoque discrimen situm erat amborum.

Gratiam quæ non solum mentem illuminet, sed etiam voluntatem moveat propugnabant catholici Patres.

At Augustinus totam illam gratiam, quæ mentem solam, et intelligentiam afficit, ad doctrinam referebat; præter quam aliam esse necessariam putabat, quæ voluntatem ipsam, ac liberum arbitrium attingat, cum eoque, et in eo fidem, ac dilectionem efficiat ita, ut non tantum lucem præferat menti nostræ, quæ, quid faciendum sit, ostendat, sed etiam ut faciamus, ac velimus, faciat. Quæ Augustini doctrina ex superiori omni disputatione sequitur illa quidem; sed ut via, et ordine procedamus, ex ejus scriptis informanda est illius hoc loco probatio.

II. Ac primum ex priore libro *de gratia Christi* certissimum hujus rei testimonium petemus. Scribit enim[1], Pelagium existimasse, « nec voluntatem nostram, nec actionem divino adjuvari auxilio, sed solam possibilitatem voluntatis, atque operis; » quod sic interpretatur, ut possibilitas sit ipsum, quod est posse esse justum, posse credere, posse diligere Deum, voluntas sit reipsa velle credere, ac diligere interiore consensu; esse denique sit, opere et actione justum, fidelem, ac dilectorem esse Dei. Ut ergo possimus credere, ac diligere, adjuvari nos aiebat gratiæ præsidio; quia nos omnibus ad agendum necessariis subsidiis instruit Deus, et, ut Scholastici dicere solent, in *actu primo* nos constituit, ut operari possimus; ad hoc vero, ut agamus reipsa, hoc est ut consensum nostræ voluntatis, et opus ipsum virtutis exprimamus, nihil conferre putabat gratiam, sed illud totum facultatis esse nostræ : « Tanquam hoc sit infirmum, ait Augustinus, quod ipse Deus posuit in natura; cætera vero duo, quæ nostra esse volunt, ita sint firma, et fortia, et sibi sufficientia, ut nullo indigeant ejus auxilio; et ideo non adjuvet, ut velimus, non adjuvet, ut agamus, sed tantummodo adjuvet, ut velle, et agere valeamus. » Itaque Pelagius gratiam omnem, et usum ejus, et efficacitatem in hoc uno collocabat, quod nos potentes ad volendum, et operandum bonum efficeret, ita tamen, ut ipsam voluntatis actionem non attingeret.

Gratiam illuminationis admittebat Pelagius non tanquam necessariam

III. Atqui Pelagius idem auxilia omnia gratiæ, quæ actualia vocant, ejus generis admittebat, quæ in mentis illuminatione, ac cognitione posita sunt, quæque proxime, et ἀμέσως actionem ipsam voluntatis attingunt, quatenus id intelligentia, cognoscendique facultas assequitur; adeo sane, ut, cum voluntas in *actu* illo *secundo*, quem vocant, ad operandum duplici forma constituatur, quarum una est actuosa, id est *practica* boni cognitio, sive judicium mentis, quod hoc, vel illud, hoc tempore, ac loco faciendum esse præcipit; altera est voluntatis libera ipsa consensio, hoc, quod sibi opportune propositum est, amplectentis ultro, et alteri præferentis, quodcumque prioris illius adjumentum ex divina gratia proficisci potest, libenter id Pelagius admitteret, tametsi necessarium absolute esse non crederet, Semipelagiani vero necessarium judicabant. Utrique ergo solam istam gratiam evertebant funditus, atque ex rerum natura tollebant, quæ voluntatis consensionem proxime, intime, ac per se contingeret, non extrinsece tantum, ac per solam intelligentiam, mentisque notitiam, quid expediat facere, docentis, atque monstrantis.

Declarant hoc ipsius Pelagii verba, quæ affert Augustinus, quæque nos supra retulimus, ex libro primo *de gratia Christi*, capite septimo; ubi præter legem, gratiæ esse quoddam adjutorium fatetur, quo Deus « oculos nostri cordis aperit; diaboli pandit insidias, multiformi, et ineffabili dono gratiæ cœlestis illuminat; » quam omnem gratiæ varietatem ad hoc dari sentiebat, « ut divina præcepta, et promissa discamus, » ut ibidem explicat Augustinus. Est igitur gratiæ genus istud, cum ab lege, ac prædicatione, et eo omni, quod extrinsecus movet, omnino diversum, tum *actuale*, uti nominant, et in divina inspiratione, ac mentis excitatione situm.

IV. Ad hæc cap. XXIII ejusdem libri, gratiam Christi, quam merito nostræ libertatis obtineri volebat, in eo statuit, ut « cor nostrum, quo voluerit, Deus ipse declinet. » Hoc autem fit inspiratione, et interiori commotione mentis, non sola lege, externaque significatione, quæ jam antecesserit oportet, ut meritum illud, quo tantam gratiam assequimur, a

1 Lib. *de Grat. Chris.* c. III et V.

nobis impetretur, « quo nos Deo totos tradimus, ac voluntatem nostram ex ejus voluntate suspendimus, eique adhærendo jugiter, unus cum illo efficimur spiritus. » Quis hoc sine lege, ac divini verbi, voluntatisque notitia, et prædicatione credat nos posse perficere? Atqui meritum hoc solum est uberioris, præstantiorisque gratiæ, quod « magnum adjutorium divinæ gratiæ nominat Augustinus, ut cor nostrum, quo voluerit, Deus ipse declinet. » Itaque declinatio illa cordis aliquid est ab externa prædicatione, ac lege distinctum; et in intimo divinæ inspirationis illapsu, ac mentis excitatione versatur.

Hoc gratiæ genere non contentus Augustinus, cujus sententia illustratur.

At hoc ipso gratiæ genere non est contentus Augustinus; sed aliam præterea requirit, quæ non doceat solum, quod sit faciendum, sed etiam nobiscum, et in nobis faciat; quæ operetur velle, et perficere; quæ voluntatem nostram moveat, quo vult, et impellat, non alliciendo solum, ac proponendo (*quæ metaphorica* commotio dicitur, qualis est omnis ea, quæ in intelligentia, cognitioneque sistit), sed etiam ipsam voluntatis actionem in nobis operando. Ejusmodi gratiam, inquam necessariam Augustinus existimat; de hac contendit una; hac unica excepta leves cæteras, ac nullius ad institutam de gratia controversiam momenti esse judicat; quod profecto non faceret, si eatenus in nobis operari Deum, ac bonam voluntatem, vel dilectionem efficere statuisset, quod mentem nostram inspiratione sua, et illustratione *actu*, ut vocant, impelleret. Id enim fatebatur ultro Pelagius, Semipelagiani vero multo amplius.

V. Sed Augustini verba ipsa consideremus. Capite sexto libri jam sæpius citati *de gratia Christi*, quod scriptum erat a Pelagio, « Deum possibilitatem nostram gratiæ suæ adjuvare semper auxilio, » ideo reprehendit, quia non dixit, *ipsam voluntatem*, vel *ipsam operationem* cum tamen « in voluntate et actione laus sit et Dei, et hominis; quia sic vult homo, ut tamen ejus voluntati Deus ardorem dilectionis inspiret; et sic operatur homo, ut tamen Deus cooperetur. » Si ardorem istum dilectionis inspirare tunc Deus solummodo dicitur, cum mentem nostram, et cognoscendi vim sua luce perfundit, et illuminat, non eam gratiam negabat Pelagius; neque objici ei poterat, ipsum sentire, voluntatem, et actionem non proxime adjuvari divinæ ope gratiæ, si hujus auxilium in ea una re constituatur. Siquidem voluntatem boni operis, et ardorem dilectionis infundi nobis, et excitari isto modo, cum ille, tum Semipelagiani belle, ac constanter asserebant. Sed Augustinus hanc illorum gratiam non sufficere docet, « qua demonstrat, et revelat Deus, quid agere debeamus, non qua donat, atque adjuvat, ut agamus; » ait capite octavo post expositam Pelagianam gratiam, qua « oculos cordis aperiri, diaboli insidias patefieri, ac nos multiformi, et ineffabili dono gratiæ cœlestis illuminari » dixerat; quæ omnia ad doctrinam et revelationem, hoc est inspirationem lucis, et cognitionis refert Augustinus; qui et alteram gratiæ opitulationem postulat, quæ proxime, ac per se voluntatem afficiat. « Sed nos eam gratiam, inquit cap. x, volumus iste aliquando fateatur, qua futuræ gloriæ magnitudo non solum promittitur, verumetiam creditur et speratur; nec solum revelatur sapientia, verumetiam et amatur; nec suadetur solum omne, quod bonum est, verum et persuadetur. » Et capite duodecimo, « Qua gratia agitur non solum, ut facienda noverimus, verumetiam ut cognita faciamus, nec solum ut diligenda credamus, verumetiam ut credita diligamus. » At quæcumque inspiratio gratiæ sola cognitione finitur, ad hoc tantum pertinet, *ut facienda noverimus*.

VI. Mox capite decimotertio, « Hæc gratia (quæ scilicet præter illam Pelagianam requiritur) si doctrina dicenda est, certe sic dicatur, ut altius, et interius eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere non solum per eos, qui plantant et rigant extrinsecus, sed etiam per seipsum, qui incrementum suum ministrat occultus ita, ut non ostendat tantummodo veritatem, verumetiam impertiat charitatem. Sic enim docet Deus eos, qui secundum propositum vocati sunt, simul donans, et quid agant, scire, et, quod sciunt, agere. » Non potuit brevius, et accuratius utraque significari gratia, quam paucis istis voculis. Etenim quæ, quid agendum sit, scire nos facit gratia, ea cordis illuminatio dicitur, a qua distingui alteram oportet, quæ, quod scimus, agere nos facit. Vide et cap. XIV. Capite quoque XXIV, in fine, ait, « interna, atque occulta, mirabili, ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates. » Hic utraque gratia interior est, et ad inspirationem pertinet; quarum prior, quia voluntatem per se non attingit, in qua præcipuum gratiæ robur est situm, ideo *ad doctrinam forinsecus insonantem* eodem loco rejicitur. Sic cap. XXXIII in fine, « Nos autem

illam gratiam in eorum confessione requirimus, de qua dicit Apostolus[1]; *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et charitatis, et continentiæ.* Non est autem consequens, ut, qui habet donum scientiæ, quo noverit, quid agere debeat, habeat etiam charitatis, ut agat. »

Insuper voluntatis motionem tanquam necessariam requirit.

VII. Hic adjutorium gratiæ, et auxilium, quod est donum scientiæ, quodque non satis esse putat Augustinus, illustrationem cordis, et inspirationem continet, qua, quid sit agendum, Deus ostendit. Hanc, inquam, sufficere negat, et eam insuper postulat, « qua ipsa voluntas[2], et actio subministratione sancti Spiritus adjuvatur. » Et cap. XXXV, dicente Pelagio, se in epistola quadam *ad Paulinum* « nihil aliud, quam Dei gratiam, et auxilium confiteri; nosque nihil omnino boni facere posse sine Deo. » Augustinus eam se legisse dicit epistolam, et « invenisse eum pene per totam non immorari, nisi in facultate, et possibilitate naturæ; et pene ibi tantum Dei gratiam constituere; Christianam vero gratiam tanta brevitate sola nominis commemoratione perstringere, ut nihil aliud videatur, quam eam tacere timuisse. Utrum tamen eam in remissione peccatorum velit intelligi, an etiam in doctrina Christi, ubi est ejus conversationis exemplum, quod aliquot locis suorum opusculorum facit; an credat aliquod adjutorium bene agendi adjunctum naturæ, atque doctrinæ per inspirationem flagrantissimæ, et luminosissimæ charitatis, non apparet omnino. » Item cap. XII, quod Pelagius aiebat, se, præter liberum arbitrium, gratiam quoque confiteri, captiosum dicit esse, quia sic exponere discipulis suis poterat, « ut nullum auxilium gratiæ crederent, qua naturæ possibilitas adjuvetur, nisi in lege, atque doctrina, ita ut ipsas quoque orationes ad nihil aliud adhibendas opinetur, nisi ut nobis doctrina etiam divina revelatione aperiatur, non ut adjuvetur mens hominis, ut id, quod faciendum esse didicerit, etiam dilectione, et actione perficiat. » Revelatio illa doctrinæ non est sola lex, ac doctrina Christi extrinsecus sonans. Nam revelata jampridem est, et scripto tradita; itaque nullis orationibus emerenda est. Est igitur doctrinæ istius applicatio per internam inspirationem, et illustrationem.

Quare, cum præter illam ipsam, quam Pelagius agnoscebat, aliam desideraret Augustinus; evidens est, non eum putasse sufficere mentis illustrationem, qua, quod agendum est, cognoscitur: nec eam proprie dictam esse Christi gratiam, de qua cum illis tantopere certabat.

VIII. Sane duplex illud gratiæ genus clare, distincteque tradit idem variis in locis; ac mentis illuminationem explicat in libro primo *de peccatorum meritis*, capite XXV. « Itaque illud, inquit, quod in Evangelio positum est: *Erat lumen verum*[3], *quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, ideo dictum est, quia nullus hominum illuminatur, nisi illo lumine veritatis, quod Deus est; ne quisquam putaret, ab eo se illuminari, a quo aliquid audit, ut discat, non dico, si quemquam magnum hominem, sed nec si Angelum ei contingat habere doctorem. Adhibetur enim sermo veritatis extrinsecus vocis ministerio corporalis; verumtamen *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*[4]. Audit quippe homo dicentem vel hominem, vel Angelum, sed ut sentiat, et cognoscat verum esse, quod dicitur, illo lumine intus mens ejus aspergitur, quod in æternum manet, quod etiam in tenebris lucet.

Tum in libro secundo *de Peccatorum meritis*, capite quinto: « Sicut enim corporis oculus non adjuvatur a luce, ut ab eadem luce clausus, aversusque discedat; ut autem videat, adjuvatur ab ea; neque hoc omnino, nisi illa adjuverit, potest. Ita Deus, qui lux est hominis interioris, adjuvat nostræ mentis obtutum, » etc. Cujusmodi lucis et oculi exemplo sæpe utitur Augustinus, ut supra meminimus.

Porro alterum gratiæ genus, quod in motione voluntatis positum est, declarat in illis omnibus locis, quæ paulo ante commemoravimus. Ac passim id esse situm docet in delectatione, ac suavitate dilectionis, quam Deus cordibus nostris inspirat. Et quidem ejusmodi tum utramque, tum hanc potissimum esse gratiam, non ut quasi ex abundanti suppeditetur, minimeque necessaria sit, sed uti ex æquo cum mentis illuminatione necessario requiratur. Sic in libro secundo *de peccatorum meritis*, cap. XIX. « Nos autem, inquit, quantum concessum est, sapiamus, et intelligamus, si possumus, Dominum Deum bonum ideo etiam sanctis suis alicujus operis justitiam aliquando non tribuere, vel certam scientiam,

1 II *Timoth.* I.— 2 Lib. I *de Grat. Chris*, c. XXXIV.— 3 *Joan.* I.— 4 I *Cor.* VII.

vel victricem delectationem, ut cognoscant, non a seipsis, sed ab illo sibi esse lucem, qua illuminentur tenebræ eorum, et suavitatem, qua det fructum suum terra eorum. Cum autem ab illo illius adjutorium deprecamur, ad faciendam, perficiendamque justitiam, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat, quod latebat; et suave faciat, quod non delectabat; quia et hoc ab illo esse deprecandum ejus gratia didicimus, dum antea lateret; ejus gratia dileximus, dum antea non delectaret; ut *qui gloriatur*[1], non se, sed *in Domino glorietur?* »

IX. In libro primo *de gratia Christi*, capite sexto, cum Pelagius dixisset, « possibilitatem voluntatis gratiæ suæ Deum adjuvare semper auxilio; » illud præterea requirit, » ut hominis voluntati ardorem dilectionis inspiret. » Tum capite duodecimo, « Qua gratia agitur, inquit, non solum ut facienda noverimus, verumetiam ut cognita faciamus; nec solum ut diligenda credamus, verumetiam ut credita diligamus. »

Quod autem doctrina nonnunquam appellari videtur, ne quis solam ejus, quod faciendum, credendumve sit, revelationem esse putet, in capite decimo tertio libri ejusdem admonet, etiam voluntatis motionem esse necessariam. « Hæc gratia, inquit, si doctrina dicenda est, certe sic dicatur, ut altius, et interius eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere, non solum per eos, qui plantant, et rigant extrinsecus, sed etiam per seipsum, qui incrementum suum ministrat occultus ita, ut non ostendat tantummodo veritatem, verumetiam impertiat charitatem. » Et capite decimo quarto, de illo docendi modo, in quo Christi Redemptoris gratia posita est agens, sic eo adjuvari dicit hominem, « ut non solum, quid faciendum sit, sciat, sed, quod scierit, etiam faciat. Ac per hoc, quando Deus docet non per legis litteram, sed per Spiritus gratiam, ita docet, ut quod quisque didicerit, non tantum cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendoque perficiat. Et isto divino docendi modo etiam ipsa voluntas, et ipsa operatio, non sola volendi, et operandi naturalis possibilitas adjuvatur. »

X. Tum in capite XXIV, disertissime idipsum explicat, cum enim Pelagii sententiam illam refelleret, qui asserebat, oportere prius nos libertatis nostræ viribus unum spiritum effici cum Deo, ut ad eam gratiam perveniremus, qua cor nostrum, quo vult, declinet, exemplo usus est Assueri[2]; qui utique, cum impius, et infidelis esset, unus cum Deo spiritus non erat, et tamen Deus cor illius emolliit, et, quo voluit, inclinavit. « Legant ergo, ait, et intelligant, intueantur, atque fateantur, non lege, atque doctrina insonante forinsecus, sed interna, atque occulta, mirabili, ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates. » Ecce revelationem vocat occultam illam mentis illustrationem, qua Assuerus a Deo tactus est, et quam Pelagius agnoscebat, ac velut præmium esse volebat præparationis illius, qua nos unum cum Deo spiritum sponte facimus. Cujusmodi non potest esse lex, vel doctrina, aut utriusque doctor extrinsecus sonans, sed occulta, et interior mentis inspiratio, qua non est contentus Augustinus.

In capite XXXVIII libri ejusdem, cum Pelagius scripsisset, se in epistola *ad Demetriadem* « naturæ hominis, Dei semper gratiæ addere auxilium, » pene se deceptum ait istius epistolæ lectione, donec animadverteret, « hanc eum gratiam ponere potuisse in sola revelatione doctrinæ. » Hæc autem revelatio in eo consistebat, quod epistolæ initio scripsit: « Proposito insudemus operi; nec mediocritati diffidamus ingenii, quod credimus fide matris, et merito virginis adjuvari. » Quibus verbis revelatio ipsa tacite significatur, quam gratiam intelligebat Pelagius, « qua adjuvamur ad faciendum aliquid. » Atque revelatio ejusmodi, quæ Pelagium doceret, quid scribendum esset, nihil aliud, nisi interna et arcana erat inspiratio, sive revelatio; quam sufficere non est arbitratus Augustinus.

XI. Rursus libro quarto *contra duas epistolas Pelagianorum*, capite quinto, duplicem, quam requirit, gratiam sic declarat: « Legem quippe diversis locutionum modis, et varietate verborum omnibus disputationibus suis volunt intelligi gratiam, ut scilicet a Domino Deo adjutorium cognitionis habeamus, quo ea, quæ facienda sunt, noverimus; non inspirationem dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus, quæ propria gratia est. » Sic in libro secundo *de peccatorum meritis, et remissione*, capite decimo septimo, duo illa genera

1 II *Cor.* x, 17.— 2 *Esth.* XV.

gratiæ commendat, quibus efficitur, ut et bonum sciamus, et suaviter faciamus, contra duplicem naturæ corruptelam, *ignorantiam et infirmitatem*. Et capite XIX, « certam scientiam, et victricem delectationem commemorat, ut cognoscant, non a seipsis, sed ab illo sibi esse lucem, qua illuminentur tenebræ eorum, et suavitatem, qua det fructum suum terra eorum. » Et in libro *de Spiritu et littera*, capite tertio, « præter doctrinam, qua ei præcipitur, quemadmodum vivere debeat, necesse ait esse, ut accipiat Spiritum sanctum, quo fiat in animo ejus delectatio, dilectioque summi illius, atque incommutabilis boni, quod Deus est. » Nam, « cum id, quod agendum, et quo nitendum est, cœperit non latere, nisi etiam delectet, et ametur, non agitur, non suscipitur, non bene vivitur. Ut autem diligatur, *charitas Dei diffunditur per Spiritum sanctum* [1]. Vide etiam caput XII.

Prosper etiam multis in locis utramque illam gratiam Christi necessariam esse testatur, cujus aliquot testimonia sequenti proponam capite. Nunc unum referam ex epistola *de libero arbitrio ad Ruffinum* : « Quis ambigat, ait, tunc liberum arbitrium cohortationi vocantis obedire, cum illo gratia Dei affectum credendi, obediendique generaverit ? Alioquin sufficeret, moveri hominem, non etiam in ipso novam fieri voluntatem, » etc.

Duplicem gratiam constituit Augustinus

XII. Præterea duplex donum gratiæ Dei gratuitum, sive duplicem gratiam designat Augustinus : alteram, quæ antecedit fidem, hoc est *actum fidei*, quatenus a voluntate oritur, et charitatem, aliosque liberi arbitrii motus ; alteram, quæ est fides ipsa, et charitas, sive dilectio. Ambas, inquam, distinguit, ac secernit invicem libro primo *de prædestinatione sanctorum*, capite octavo : « Ergo trahi a Patre ad Christum, inquit, et audire, ac discere a Patre, ut veniat ad Christum, nihil aliud est, quam donum accipere a Patre, quo credat in Christum. Neque enim audientes Evangelium a non audientibus, sed credentes a non credentibus discernebat, qui dicebat : *Nemo venit ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo.* Fides igitur et inchoata, et perfecta donum Dei est ; et hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari, omnino non dubitet, qui non vult manifestissimis sacris Litteris repugnare. » Hoc est igitur donum, sive gratia, quæ est ipsa fides, sive credendi voluntas, et obsequium voluntatis Deo se subjicientis. Sic in libro secundo *de dono Perseverantiæ*, capite decimo septimo, cum fidem ipsam initialem, hoc est initium fidei, qui est affectus credendi, contra Semipelagianos probat esse donum Dei, atque gratiam, tum sapientiam, atque continentiam. Et in epistola CV, aliquanto post initium, idipsum demonstrans, nullum in homine esse meritum ante fidem : « Sicut non haberet, inquit, homo sapientiam, intellectum, consilium, fortitudinem, scientiam, pietatem, timorem Dei, nisi secundum propheticum elioquium accepisset spiritum sapientiæ, et intellectus, consilii, et fortitudinis, scientiæ, et pietatis, ac timoris Dei ; sicut non haberet virtutem, charitatem, continentiam, nisi accepto spiritu, de quo dicit Apostolus : *Non enim accepistis spiritum timoris, sed virtutis, et charitatis, et continentiæ ;* ita non haberet fidem, nisi accepisset spiritum fidei, de quo idem ipse dicit : *Habentes autem eumdem spiritum fidei*, etc. ac paulo post eadem inculcat, demumque colligit : « Ita sine spiritu fidei non est recte quispiam crediturus, nec sine spiritu orationis salubriter oraturus. Non quia tot sunt spiritus ; sed omnia hæc operatur unus, atque idem spiritus, » etc.

XIII. In his spiritus nomine gratiam intelligit, seu virtutes ipsas, quibus credimus, diligimus, oramus, etc. qui sunt affectus ipsi virtutum ab illuminatione, et cognitione diversi, quæ hoc tantummodo suggerit, ac revelat, esse credendum, ac diligendum, non autem credendi, et diligendi impetum, ac voluntatem continet. Sicut orationis spiritus non est revelatio, vel inspiratio, qua movetur intelligendi facultas, ut orandum esse cognoscat, sed est ipsa voluntas orandi, atque propensio.

De altera porro gratia, quæ fidem, aliaque dona præcedit, loquitur Augustinus libro *de dono perseverantiæ*, capite decimo sexto : « Prævenit ergo et fidem gratia ; alioqui, si fides eam prævenit, procul dubio prævenit et voluntas, quoniam fides sine voluntate non potest esse. Si autem gratia prævenit fidem, quoniam prævenit voluntatem, profecto prævenit omnem obedientiam, prævenit etiam charitatem, qua una Deo veraciter, et suaviter obeditur ; et hæc omnia gratia in eo, cui datur, et cujus hæc omnia prævenit, operatur. » Igitur prior ista gratia est inspiratio, sive cogitatio a fide, aliisque distincta, quæ et ipsa gratiæ appellatione censentur. Quod

1 *Rom.* v, 4.

evidentius idem in libro *de prædestinatione sanctorum*, capite secundo declarat : « Quis enim non videat, prius esse cogitare, quam credere? Nullus quippe credit aliquid, nisi prius cogitaverit, esse credendum. » Hoc ergo gratiæ genus, quod cogitationem, ac revelationem vocat, certum est, ab affectu ipso credendi, vel diligendi, sive spiritum fidei, et charitatis esse diversum ; sicut cogitatio orandi Dei non est spiritus orationis. Unde liquido constat, duplici gratia instrui hominem ad agendum : altera, quæ intelligentiam nostram movet : altera, quæ voluntatem impellit.

XIV. Ad hæc libro *de gratia, et libero arbitrio*, capite septimo, utramque gratiam manifestissime commendat, ac separat, exemplo Pauli Apostoli, cujus merita ex duplici illo genere gratiæ profecta esse demonstrat. De priori agit his verbis : « Primum ista bona opera, si non ea præcessissent cogitationes bonæ, nulla essent; » tum utitur Apostoli verbis istis [1] : *Non quia idonei sumus cogitare aliquid a nobis, tanquam a nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* De posteriori vero subinde disserit, ostendens singillatim, opera virtutum esse dona Dei, imprimisque fidem, quæ ex nullis operibus a Deo tribuitur. Igitur tam cogitatio, sive illustratio mentis, quam voluntas credendi, donum est ex nullis meritis, sed proxime, et ἀμέσως a Deo concessum. Siquidem Augustinus ambo ista ex nullis meritis antecedentibus oblata esse contendit, et esse gratiam simpliciter, non gratiam pro gratia, de qua in fine capitis secundi.

Immediate.

Tum capite decimo quarto ejusdem libri, illud Apostolicum expendens, *Habentes eumdem spiritum fidei* [2], ita loquitur, « Non enim ait scientiam fidei, sed spiritum fidei; quod propterea dixit, ut intelligeremus, quia fides et non petita conceditur, ut ei petenti alia concedantur. » Scientia fidei nihil aliud est, quam cognitio, cogitatioque credendorum; spiritus vero fidei affectus est ipse, voluntasque credendi; quod tum dari a Deo dicit ibidem, cum *aufert cor lapideum, et dat cor carneum* [3], hoc est, « durissimam voluntatem avellit, et adversus Deum omnino inflexibilem ; » quod sola bona voluntate, et spiritu fidei, non sola cogitatione confertur.

XV. Item cap. XVI. « Certum est, nos facere, cum facimus ; sed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati. » Vide et cap. XVII. Ut ergo velimus, ait, sine nobis operatur ; cum autem volumus, et sic volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur ; tamen sine illo vel operante, ut velimus, vel cooperante, cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. De operante illo, ut velimus, dictum est : *Deus est enim, qui operatur in vobis et velle*, » etc. Capite quoque XIX, Pelagianos reprehendit, qui, « cum scientiam legis ex Deo nobis esse fateantur, charitatem ex nobis ipsis volunt, etc. Quid est ineptius, imo vero quid est amentius, et ab ipsa sanctitate charitatis alienius, quam confiteri, ex Deo esse scientiam, quæ sine charitate inflat; et ex nobis esse charitatem, quæ facit, ut scientia inflare non possit? » Jam vero Pelagiani gratiam internæ inspirationis, et illuminationis admittebant, ut superius ostendimus ; eamque scientiæ vocabulo complectitur Augustinus, quia quidquid solam intelligentiam imbuit, et afficit, scientia est, et cognitio. At præter hanc cognitionis gratiam, aliam esse necessariam pugnat idem, « qua voluntas humana non tollitur, sed ex mala mutatur in bonam, et cum bona fuerit, adjuvatur, » ut capite XX loquitur.

CAPUT IX.

Ex Semipelagianornm opinione, et Prosperi contra eos disputatione colligitur, gratiam Christi non in sola mentis illuminatione consistere, sed etiam in voluntatis motione consistere. Tum ex concilio Africano, et Arausicano. Rursum de Pelagianis ostenditur, eos interiorem agnovisse gratiam; ac nonnulla de illorum hæresi accuratius exposita. Respondetur iis omnibus, quæ ex adverso proponuntur.

I. Potest et ex Semipelagianorum sententia, ac sane. Prosperi contra illos disputatione, firmissimum argumentum effici, quo gratiam constet, ad recte operandum necessariam non in sola mentis illustratione consistere, sed etiam in voluntatis impulsu. Etenim Semipelagiani gratiam Christi ad singulos actus necessariam esse dicebant, eamque non in lege solum, vel eo omni, quod extrinsecus tantum adjuvat, hoc est extra hominem ipsum

Denuo probatur gratiam non in sola mentis illuminatione consistere, sed et in voluntatis impulsu.

1 II *Corinth.* III, 5.— 2 II *Corinth.* IV, 13.— 3 *Ezech.* XXXVI, 26.

est, sitam esse fatebantur. Ea vero divinitus inspirata, et eo omni, quod agendum est, per divinam lucem intelligentiæ nostræ patefacto, deinceps voluntatis suæ viribus, ac per se quemque niti, et vocationi obtemperare Dei, vel ab ea desciscere. Quod Prosper refellens asserit, gratiam non tantum docere, ac significare, quid sit faciendum, verum etiam mutare, ac reformare intus hominis animum, et affectum amoris infundere. Quæ singula Prosperi verbis ex carmine *de Ingratis* explicabimus.

Imprimis Semipelagianorum opinio his ab eo verbis proponitur, quæ nos supra capite VII retulimus.

« Gratia, qua Christi populus sumus, hoc [cohibetur
Limite nobiscum, et formam hanc adscribitis [illi,
Ut cunctos vocet illa quidem, » etc.
Sed proprio quemque arbitrio parere vocanti,
Judicioque suo, mota se extendere mente
Ad lucem oblatam, » etc.

Vides, ut adjutorium gratiæ sola luce definiant, quam voluntatis suæ quisque viribus amplectitur, in eaque perseverat. Pergit enim.

« Esse autem edoctis istam communiter æquam
Libertatem animis, ut cursum explere beatum
Persistendo queant, » etc.

II. At hæc Prosper inde confutat, quod gratiæ partes non eæ tantum sint, docere, et hortari, vel dare consilium, sed etiam opus ipsum efficere.

« Non hoc consilio tantum, hortatuque benigno
Suadens, atque docens, quasi normam legis [haberet
Gratia; sed mutans intus mentem, atque re- [formans,
Vasque novum ex fracto fingens, virtute [creandi »

etc. quæ supra descripsimus. Ex quibus ita ratiocinari licet : Cum Semipelagiani gratiam omnem, quæ in sola intelligentiæ nostræ collustratione, et cognitione sita est, prorsus esse necessariam agnoscerent; Prosper vero contendat, non eam sufficere, quod in sola doctrina, et agendi notitia versetur, nec ea prædita voluntas hominis ad conatum boni operis idonea sit, eo quod originali peccato fracta, et enervata propriis subsidiis opus habeat; inde profecto consequi, neque Semipelagianos ullam agnovisse gratiam, præter illustrationem mentis, et cogitationem, tum aliam, quæ voluntatem informaret ipsam, desiderasse Prosperum, quique posteriorem hanc abnegaret, inter Semipelagianos sententia illius adscriptum. Non video, quid huic argumentationi possit opponi. An enim inficiari poterit quispiam, Semipelagianos illustrationem et inspirationem illam cognitionis ademisse? quod nonnullos theologos de ipsis asseverasse testatur Theophilus Raynaudus capite quarto proloquii *ad Valerianum*. Nam ait, quosdam affinxisse Semipelagianis, eos « interna gratiæ auxilia, veramque spiritus subministrationem ademisse, hoc est gratiam actualem internam revelationi, et æternæ propositioni objecti contradistinctam. »

III. At hoc falsum est, et absurdum; ita enim nihil prorsus a Pelagianis differrent, imo Pelagianis ipsis multo intolerabiliores fuissent; quippe legem, et externam propositionem gratiam Christi esse necessariam, fuit opinio Pelagii, ut supra declaravimus. Præter hanc vero alteram esse docuit utilem ad facilius operandum, quæ est illustratio mentis, et interna revelatio; quam Semipelagiani si sustulissent, multo istis deteriores haberentur. At Augustinus cap. I libri *de Prædestinatione Sanctorum* laudat eos, quod « eo pervenissent, ut præveniri voluntates hominum Dei gratia faterentur, atque ut ad nullum opus bonum vel incipiendum, vel perficiendum sibi quemquam sufficere posse consentirent; » eaque re plurimum illos *a Pelagianorum ait errore discerni*. An non præterea gratiam illam, qualem Semipelagiani constituebant, non satis esse ad bene agendum, diserte Prosper affirmat? Non illam ad eum gradum revocat, quem in negotio gratiæ, doctrina, prædicatio, hortatio, suasioque, id est propositio credendorum, et agendorum obtinet? Nonne foris hæc esse causatur omnia sic, ut nihil operentur in nobis aliud, quam ut ipsum, quod vocant, *objectum* repræsentent voluntati nostræ, quæ se deinde suopte nutu, et arbitrio, citra peculiarem gratiam, quo velit, inflectat? Velut cum orator, aut quicumque alius gestarum rerum expositor, affectus in auditore commovet amoris, odii, spei, metus, iræ, doloris; de quo ita Prosper :

« Nec tamen hos motus scriptor, narrator et [auctor
Insevere animo ; quamvis forte hoc quoque [vellent.
Sed de perceptis mens judex sponte move- [tur,
Et pro more suo, quantum se exercuit istis,
Transit in affectum, quem confirmaverit [ex se
Illa volendo sequens, istis nolendo resistens.»

Ubi mentis vocabulo, non eam tantum qua intelligimus partem significat, sed animum ipsum qui ex propositis, dijudicatisque rebus se ad illos affectus excitat. Atqui gratia illa, cujus confessionem Catholici potissimum a Semipelagianis extorquere cupiebant, non in sola credendorum, faciendorumve notitia versatur, sed etiam facit ipsa, quod est faciendum, non utique lucem et cognitionem impertiendo (hoc enim belle isti fatebantur) sed voluntatem movendo.

IV. Rursus Prosper :

« At vero omnipotens hominem cum gratia [salvat,
Ipsa suum consummat opus, etc.
Deus ergo sepultos
Suscitat, et solvit peccati compede vinctos ;
Ille obscuratis dat cordibus intellectum ;
Ille ex injustis justos facit ; indit amorem,
Quo redametur amans, et amor, quem con- [serit, ipse est.
Hunc itaque affectum, quo sumunt mortua [vitam,
Quo tenebræ fiunt lumen, quo immunda ni- [tescunt,
Quo stulti sapere incipiunt, ægrique vales- [cunt,
Nemo alii dat, nemo sibi. »

Hoc ipsum et ex duobus conciliis evidenter ostenditur, quorum alterum contra Pelagianos, alterum contra eorum reliquias est habitum, illud Milevitanum, sive potius Africanum, aut Carthaginense, hoc Arausicanum fuit. Prioris canon IV ejusmodi est : « Quisquis dixerit, eamdem gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur, et aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus, quid appetere, quid vitare debeamus ; non autem per illam nobis præstari, ut, quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema sit, » quod ex eo probat, quia « utrumque Dei donum est, scire, quid facere debeamus, et diligere ut faciamus. Nam sicut de Deo scriptum est : *Qui docet hominem scientiam ;* ita etiam scriptum est, *Charitas ex Deo est.* » Igitur dona illa diversa sunt, et a gratia per se, ac proprie proficiscuntur. In canone vero V, Pelagium damnat asseverantem, gratiam ideo donari, « ut facilius possimus implere per gratiam, quod facere per liberum jubemur arbitrium, » quam gratiam ostendimus esse mentis illustrationem, internamque revelationem.

V. Hoc enim nomine S. Augustinus, aliique Patres inspirationem intelligunt, qua Deus *actuali,* et interna locutione, quid faciendum sit, intelligentiæ nostræ suggerit ; quemadmodum et Apostolus ipse hoc vocabulo *revelationis* utitur. Velut hoc in loco : *Quicumque ergo perfecti sumus* [1], *hoc sentiamus, et si quid aliter sapitis, et hoc vobis Deus revelavit.* Græce *revelabit*, quod futurum tempus demonstrat, de ea revelatione sermonem esse, non qua in Scripturis, vel externa proportione Deus, quod credendum, faciendumve sit, admonet, sed qua interius docet, et inspirat ; unde et Christiani *docibiles Dei* esse discuntur [2], et hæc *unctio* vocatur [3], *quæ de omnibus nos docet.* De qua vide, quæ capite superiori ex Augustino diximus [4].

Arausicani vero concilii canon V, initium fidei, sive ipsum credulitatis affectum, per gratiæ donum, id est per inspirationem Spiritus sancti nobis inesse ait, corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, etc. Vide et canonem XXV.

Hanc igitur gratiam omnino necessariam esse Patres illi omnes, quos citavi, contra Pelagium, ejusque reliquias docent ; ac de ea potissimam esse controversiæ partem indicant, præsertim adversus posteriores, id est Semipelagianos, sic, ut aliam omnem, præter hanc, adstruentes, non plene esse Catholicos, sed hæretica fuligine infectos arbitrati sint.

Quanam vero ratione cum liberi arbitrii natura, et potestate auxilium hujusmodi consentiat, hoc loco non dicam. Dicam autem alias, si Deo visum fuerit, ac si mihi per sedis Apostolicæ auctoritatem liceat, quæ illius controversiæ discrepationem suo judicio reservavit.

1 *Phil.* III, 15.— 2 *Joan.* XLV.— 3 I *Joan.* II, 27.— 4 Num. 10.

Cujusmodi gratia sit a Pelagio constituta diligentius inquiritur.

VI. Nunc de Pelagianis, et cujusmodi sit ab illis constituta gratia, paululum resumenda disputatio est. Atque illa quidem, quæ de hæreticis istis cap. IV tradidimus, satis hoc persuadent, gratiam Christi non lege tantum, ac doctrina forinsecus insonante ab illo fuisse comprehensam; sed illustrationem præterea cordis, interioremque revelationem, sive inspirationem, qua intelligentia nostra ad cognoscendam veritatem imbuitur, agnitam fuisse. Verum negant hoc aliqui, ut inter alios Bellarminus in *Recognitione* lib. I, capitisque XIII, *de gratia et lib. arbit.* ubi Pelagii verba, quæ ex Augustini lib. I *de gratia Christi* cap. VII, ad id probandum adduximus: « Adjuvat nos Deus per doctrinam, et revelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit, dum nobis, ne præsentibus occupemur, futura demonstrat, dum diaboli pandit insidias, dum nos multiformi, et ineffabili dono gratiæ cœlestis illuminat; » ad externam doctrinam sacrarum Scripturarum revocat, quæ, dum legitur, vel auditur, oculos cordis aperit, ac cætera illa perficit.

VII. Verum ex his, quæ superius ea de re constituimus, haud levia capiuntur argumenta, quibus contraria, et nostra probatur opinio. Primum enim in fine cap. VII, ad hoc dicit revelationem illam dari, et ista omnia fieri, ut divina præcepta, et promissa discamus. Ergo diversum aliquid est ista gratia a præceptis. Deinde Pelagius legem, ac doctrinam fidei ad singulos actus esse necessariam dixit, adeo, ut possibilitas nostra, quam solam adjuvari gratia voluit, sine isto gratiæ genere sit invalida, et ideo semper gratiæ adjuvetur auxilio, ait Aug. *de grat. Chr.* cap. III et aliis, quæ supra citavimus. At idem Pelagius, uti fuse declaravimus, gratiæ genus alterum, quo oculos cordis aperit Deus, et alia facit, quæ cap. illo VII recensentur, non absolute necessarium esse dicebat, sed tantum ad facilius operandum requiri. Est igitur hæc ab illa gratia diversa. Deinde Pelagius prius nos fieri sanctos, et immaculatos asserebat, arbitrii nostri viribus; tum merito sanctitatis istius ad exquisitiorem promoveri gratiam, ut ex I *de Prædestinatione Sanctorum*, cap. XVIII, supra collegimus. Ut autem sancti, immaculatique simus, necessariam putabat esse legem, externamque doctrinam, ut ibidem ostendimus. Igitur gratia illa, quam deinde promereri nos aiebat, prorsus est a priore distincta. Item apud Augustinum primo *de gratia Christi*, cap. XLI aiebat, orationes « ad nihil aliud adhibendas, nisi ut nobis doctrina etiam divina revelatione aperiatur. » Proinde, cum orationibus nostris id postulemus, quod nondum impetravimus, ac quisquis orat, lege jam Christi, et exteriori doctrina sit instructus, revelatio illa, quam a Spiritu sancto fieri dicit, et quam orationibus obtinemus, non potest exterior esse prædicatio verbi, sed interior illustratio.

VIII. Ad hæc cap. XXII, ejusdem Pelagii locum refert ex epist. *ad Demetr.* quæ habetur inter Hieron. spuria ubi ex *Jacobi* IV monet, « ut resistamus diabolo, hoc ipso quod sumus subditi Deo, ejus faciendo voluntatem, ut divinam mereamur gratiam, et facilius nequam spiritui auxilio sancti Spiritus resistamus. » Tum apud eumdem Augustinum cap. XXIII libri ejusdem per hoc ipsum, quod « nos totos Deo tradimus, ac voluntatem nostram ex ejus voluntate suspendimus, eique adhærendo unus cum eo spiritus efficimur; » obtinere nos ait Pelagius gratiam alteram, ut cor nostrum, quo voluerit, ipse declinet. Atqui neque tradere nos Deo, vel ex illius pendere voluntate sine hujus cognitione possumus, quæ per legem, ac Scripturas habetur; et, cum inclinatio illa cordis a Deo facta, posterius ac diversum sit gratiæ genus, non potest idem esse cum priore, sed eo longe præstantius.

Ac profecto, si nullam aliam gratiam, præter externam doctrinam, ac Scripturam, admittebat Pelagius, non erat necesse Christiano saltem, ac fideli, illam orationibus exambire, aut a Deo expectare, cum in potestate cujusque esset audire illam, aut legere, vel auditam, lectamque recordari, quoties vellet. Sed neque tantis impendiis, ac laboribus velut emercanda fuit, quibus enitendum prius esse docuit, ut sancti, et immaculati essemus, si ad hoc unum perveniendum erat, quod per nos ipsi consequi possemus. At Pelagius Demetriadem christianam virginem, maximeque piam hortabatur, uti strenue, ac fortiter in omnia Christianæ officia pietatis incumberet, quo novam illam, et inusitatam, ac præstantem gratiam assequeretur.

IX. Qua quidem in epistola clarissime suam hæresim exponit, quæ est ejusmodi: veteres asserebat, non modo Patriarchas, aliosque, qui verum Deum cognorant, sed etiam philophos solo naturæ bono, ac *sine Deo*[1], ut ipse

1 Tom. IV Hier.—

loquitur, castos, patientes, ac reliquis præditos virtutibus fuisse. « Quod si, inquit, etiam sine Deo homines ostendunt, quales a Deo facti sunt, vide, quid Christiani facere possunt, quorum in melius per Christum natura, et vita instructa est, et qui divinæ quoque gratiæ juvantur auxilio. » Proinde Christianos putavit arbitrii sui viribus longe meliores, ac perfectiores evadere posse. « Est enim, paulo post ait, in animis nostris naturalis quædam, ut ita dixerim, sanctitas, quæ velut in arce animi præsidens exercet boni, malique judicium, et ut honestis, rectisque actibus favet, ita sinistra opera condemnat, atque ad conscientiæ testimonium diversas partes domestica quadam lege dijudicat. » Qua domestica lege, et arbitrio solo fretos putat Abelem, Enochum, Melchisedecum, Abrahamum, Isaacum, Jacobum, et reliquos ante legem justos, ac sanctos exstitisse. « Denique quandiu recentioris, inquit, adhuc naturæ usus viguit, nec humanæ rationi velut quamdam caliginem longus usus peccandi obduxit, sine lege dimissa est natura, ad quam Dominus nimiis jam vitiis obrutam, et quadam ignorantiæ rubigine infectam limam legis admovit, ut hujus frequenti admonitione expoliretur, et ad suum posset redire fulgorem. » Itaque propter depravatam longa vitiorum consuetudine naturam, « nescientibus nobis, quasi ab alio sanctitatem conferri. »

X. Hinc apparet, Pelagium legem Dei, quam vocant, *positivam*, ac revelationem externam, quam esse gratiam asserebat, nequaquam ad justitiam necessariam existimasse, sed solam naturalem sufficere. Verum post adventum Christi necessarium esse scire ipsius voluntatem, quæ per Scripturas saltem, legemque forinsecus monentem, aut per internam revelationem ediscitur. Quare eodem loco Demetriadem hortatur : « Prima igitur virginis cura, primumque studium sit scire voluntatem domini sui; et quid ei placeat, quidve displiceat, diligenter inquirere, ut secundum Apostolum, rationabile Deo reddat obsequium, totumque vitæ suum cursum ex ejus possit ordinare sententia. Impossibile est enim, ei quemquam placere, cui, quid placeat, ignorat; fierique potest, ut etiam obsequendi voto offendat, cui quomodo obsequi debeat, ante non didicit. Et ut majus est voluntatem Dei facere, quam nosse, ita prius est nosse, quam facere. » Unde autem voluntas Dei possit intelligi, subinde docet, nimirum e Scripturis sanctis : « Scito itaque, in scripturis divinis, per quas solas potes plenam Dei intelligere voluntatem, prohiberi quædam, » etc.

Quamobrem Scripturarum sacrarum, hoc est legis notitiam, ac doctrinam ad hoc esse necessariam credidit Pelagius, ut Dei voluntatem facere possemus. Ideo distincta ista gratia est ab illa, quam mercedis loco consequimur ex eo, quod Dei voluntatem facimus; quæ quidem nulla fingi potest alia, quæ a nobis ex eodem Pelagio apud Augustinum exposita est, videlicet interior revelatio et illustratio, qua, quid sit faciendum, cognoscimus, eoque ipso facilius operamur. Hanc igitur, contra quam alii suspicantur, admisit Pelagius.

Bellarminus ex Augustino colligens nullam internam gratiam a Pelagio fuisse admissam, refellitur.

XI. Hic nonnulla ex Augustino loca Bellarminus affert, quibus demonstret, Pelagium omnem exclusisse gratiam internam. Sed ea profecto nihil prorsus efficiunt, imo vero contrarium magis ostendunt. Ex iis validissimum putant, quod est in lib. I *contra duas epistolas Pelagianorum* cap. XIX. « Vos autem, inquit, in bono opere sic putatis adjuvari hominem gratia Dei, ut in excitanda ejus ad ipsum bonum opus voluntate, nihil eam credatis operari; quod satis tua verba declarant. Cur enim non dixisti, hominem Dei gratia in bonum opus excitari, sicut dixisti, in malum diaboli suggestionibus incitari? sed dixisti, in bono opere a Dei gratia semper adjuvari, tanquam sua voluntate, nulla Dei gratia bonum opus aggressus, in ipso jam opere divinitus adjuvetur, pro meritis videlicet voluntatis bonæ, ut reddatur debita gratia, non donetur indebita. »

Quod Pelagiani negarent ad bonum opus excitari voluntatem, inde colligunt, nullam aliam admisisse gratiam, nisi externam. Verum id unum verba illa declarant, bona opera sine interna mentis illustratione, non tamen sine legis, doctrinæque, seu voluntatis Dei cognitione fieri; quæ cum pro viribus suis homo præstiterit, tum Dei favor aspiret, et gratia subministretur, quo nimirum facilius operetur. Quænam vero ista gratia est? Opinor a lege, et externa voluntatis Dei significatione diversa. Nam hactenus Pelagium sæpe profitentem audivimus, neminem bonum opus posse, nisi cognita lege, ac Dei voluntate perficere, quam e Scripturis hauriendam esse monuit. Quare, si nullum aliud genus gratiæ, præter externum, Pelagius admisit, neque gratiam negasse dicendus est ad bonum opus esse necessariam; nec illam nescio quam promittere potuit, quæ in ipso bono opere, et

tanquam præmium boni operis a Deo tribuitur. Cæterum adhibuisse Pelagium gratiam aliquam, qua voluntas excitatur, ostendunt ipsius verba, quæ citat Augustinus I *de gratia Christi* c. x, ubi ait, « revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem excitari voluntatem. » Sed hanc gratiam in sola intelligentia, et cognitione ponebat; alteram autem, quam præcipue quærebat Augustinus, qua voluntas ipsa proxime, ac per se movetur, necessitatem esse dicebat libertatis inimicam, ut Julianus ait apud Augustinum in secunda responsione lib. I, c. xcv *Operis imperfecti.*

XII. Reliqua sunt Augustini testimonia ex libro fere I *de gratia Christi* deprompta[1], in quibus gratiam Christi, cujusmodi Pelagius amplectebatur, revocat Augustinus ad legem, atque doctrinam. Sed ea nos loca superius prope omnia citavimus, ac planum fecimus, Augustinum ideo legi, atque doctrinæ Pelagianum istud gratiæ genus imputasse, quod eo sola legis informetur cognitio, ac, quæ sit Dei voluntas, tantum innotescat, non autem vis agendi libero nostro arbitrio suppeditetur. Itaque ad externam, et forinsecus insonantem gratiam pertinere dixit[2], quia caput, et summa hujus gratiæ, quam *theoricam* appellemus sane, sicut alteram *practicam*, in lege, ac Dei voluntate, hoc est in objecto ipso consistit; cui repræsentando intimus ille Dei afflatus, illustratioque servit. Neque vero ita loqui Augustinum mirabitur, ut internam legis revelationem ad forinsecus insonantem gratiam revocet, qui Prosperum meminerit idem et de Semipelagianorum gratia scripsisse. Nam etsi Semipalagiani gratiam Christi non in sola externa legis propositione, sed in interna voluntatis excitatione, verum *metaphorica*, et *morali* positam putarent, ut eruditiores theologi fatentur, præter paucos illos, qui consensu majoris partis exploduntur; nihilominus eos Prosper queritur in carmine *de Ingratis*, nullas gratiæ Christi mandasse partes, quam doctoris, monitoris, ac forinsecus insonantis, ut superius vidimus. Multo ergo magis hoc Pelagianis impingere potuit Augustinus, qui et hanc gratiam minime necessariam esse dicebant, et eam ipsam nudam esse legis doctrinam, ac propositionem asserebant.

CAPUT X.

Colligitur ex antecedentibus, quæ fuerit Pelagiana, et Semipelagiana hæresis, et utriusque discrimen. Præsertim vero de Semipelagiana agitur, ac fide initiali, sive bona voluntate. Ostenditur, ex illorum mente meritum habuisse gratiæ, sed non perfectum. quomodo ea fides ab illis nuncupata sit. Explicatur ratio meriti perfecti, et inchoati. Quanam ratione citra opera reipsa edita, justificari tam ex fide, quam ex operibus dicantur homines, dum charitas in eorum cordibus diffunditur. An in sola mentis illuminatione Christiana gratia collocari possit. Moveri etiam ab illa voluntatem. Doctrina et suasio gratiæ declaratur. Qui sint gratiæ adstruendæ limites ab Ecclesia, et Apostolica sede constituti. Refelluntur hæretici, qui in Dordracenis Actis perperam Pelagiana dogmata describunt, et ab eorum calumnia vindicatur Bellarminus, et alii.

I. Colligamus jam ex hac omni superiori disputatione, quod in ea potissimum tractanda propositum habuimus, quam aut imperite, aut maligne faciant, qui temere, ac pro libitu suo Pelagiani, aut Semipelagiani notam erroris inferunt iis, quos ab hac suspicione liberat major, ac testatior, quam quæ in calumniatoribus istis est, integritas vitæ tum rerum omnium, præsertim divinarum, notitia: *Ut*, quod ait Propheta[3] *interficiant animas, quæ non moriuntur, et vivificent animas, quæ non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis.* Sic illi plane, mox ut aliorum opinione aliquid sibi displicuit, ei statim hæresim, statim Pelagianismum vel ex toto, vel ex dimidio subscribunt: *Omnia enim, quæ loquitur populus iste, conjuratio est*[4]. Verum, quod ait Augustinus[5], « Sicut Ariani, dum Sabellianos fugiunt, in pejus aliquid inciderunt; » ita isti, dum Pelagianam « pestem in perversum vitare conantur, ipsis Pelagianis convincuntur perniciosiora sentire; » de quibus partim antecedentibus in libris actum est, partim alio in loco demonstrabitur. Ac mihi divino judicio factum videtur, ut in pudendos

1 Ex capit. VIII, IX, X, XXIV, XXXI, XLI.—2 August. lib. I *de Grat. Christi.* cap. XXIV.—3 *Ezech.* XIII, 19.—4 *Isa.* VIII, 12.—5 Lib. II *de Bapt. et Valer.* c. XXIII.

illos, ac letiferos errores prolapsi ipsi sint, quo maledici, petulantisque styli, ac linguæ pœnas illi darent, quibus præter jus, ac meritum obtrectare, et nefariæ commercio hæresis infames reddere studuerunt.

Sed quod docere institui, jam ex iis, opinor, quæ de Pelagiano, et Semipelagiano dogmate hucusque scripsi, constare debet, nihil esse cum istorum decretis affine viris illis eruditis, ac piis, quibus hoc passim crimini ab illis dari consuevit.

II. Etenim recenseamus paululum ex anteriori nostra disputatione, quæ flagitia sint utriusque sectæ, ac quæ cujusque propria venena, ut inde perspicuum sit, nihil cum labe ista fidei, ac pernicie, catholicæ nostrorum integritati, ac sanitati esse commune. Dogmatis Pelagiani et Semipelagiani discrimen. Inter Pelagianos, et Massilienses, sive Semipelagianoos hoc interfuit; (de illis loquor Semipelagianis, contra quos Augustinus postremis pene certavit duobus illis libris, quorum alter *de Prædestinatione Sanctorum*, *de dono perseverantiæ* alter inscribitur) priores gratiam nullam Christi partam meritis, ac *medicinalem* ad singulos actus adhibebant, nisi partim extrinsecus insonantem auribus, hoc est legem, prædicatione doctorum ac voce pulsantem, partim interius adspirantem, et illuminantem; sed hanc utilem duntaxat ad facilius operandum, minimeque necessariam. Semipelagiani vero utramque necessariam esse judicabant, ita tamen, ut ante posteriorem istam, quæ et interior, et *actualis* vulgo dicitur, homo aliquid ex sese, ac suopte marte navaret, cujus non tam merito, quam dispositione quadam, et illecebra misericordiæ, necessariæ illius compos gratiæ fieret, ac divinum sibi præsidium advocaret. Hic cardo Semipelagiani dogmatis, et limes inter hos, et illos interjectus est, quod Pelagiani nullum esse putabant necessarium ad recte agendum, id est ad singulos actus, auxilium gratiæ; et hanc qualemcumque gratiam plenis voluntatis humanæ meritis, naturali industria partis acquiri putabant Semipelagiani, *nonnisi voluntariam devotionem*, ut Prosper loquitur [1], sive *credendi voluntatem*, vel fidem initialem, sive sanitatis, ac medici desiderium, ut Hilarius indicat [2], antecedere dicebant, a nobisque conferri.

III. Hanc credendi voluntatem, ac remedii cupiditatem, fidem nonnunquam absolute nominat Augustinus, quatenus fides ex utroque contexitur, assensione mentis, et credulitatis affectu, qui in voluntate consistit. Nemo enim nisi volens ad credendum adducitur; siquidem credere [3], aut non credere, venire [4], aut non venire, in arbitrio est voluntatis, ut sæpe Augustinus affirmat. Sed est, uti fides, sic voluntas, alia perfecta, alia exigua et imperfecta. De utraque fide memorabilis est Augustini locus in libro *de Prædestinatione Sanctorum*, capite septimo; ubi Cornelium centurionem [5], antequam Christum agnosceret, talem fuisse scribit, ut de eo dici hoc posset: « Ideo credere meruit, quia vir bonus erat et antequam crederet. Cujus acceptæ sunt eleemosynæ, et exauditæ orationes, antequam credidisset in Christum. Nec tamen, inquit, sine aliqua fide donabat, et orabat. Nam *quomodo invocabat, in quem non crediderat* [6]? Sed, si posset sine fide Christi esse salvus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus Apostolus Petrus. » Igitur alia fuit Cornelii fides, antequam ad eum Petrus veniret, alia postquam ab eodem Apostolo nuntiatus est illi Christus. Utraque donum Dei fuit; sed prior inchoata, necdum perfecta, aut ad salutem consequendam idonea, quæ tamen posterioris meritum habuit, ut mox dicam.

Sic voluntas bona apud eumdem Augustinum duplex invenitur; una parva, et imbecilla: altera magna, et robusta [7]. « Qui vult facere Dei mandatum, inquit, et non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam, et invalidam; poterit autem, cum magnam habebit, et robustam. »

IV. Hinc et meritum itidem duplex ex ejusdem Augustini sententia constituitur; unum exiguum, nec absolutum: alterum plenum, et perfectum. Duplex genus meriti. De priori loquitur passim, cum per fidem impetrari dicit remissionem peccatorum, et gratiam. Velut in epist. CV. « Possunt, inquit, dicere, remissionem peccatorum esse gratiam, quæ nullis præcedentibus meritis datur. Quid enim habere boni meriti possunt peccatores? Sed nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat. Neque enim nullum est meritum fidei, qua fide ille dicebat: *Deus propitius esto mihi peccatori* [8], et descendit justificatus merito fidelis humilitatis, quoniam qui se humiliat, exaltabitur. » Hic ante

1 In ep. ad Aug. præf. l. *de Præd. Sanct.*— 2 In seq. ep. ib.— 3 Lib. *de Præd. sanct.* c. v,—4 Lib. I *de Gr. Chr.* c. XXIV. — 5 *Act.* X.— 6 *Rom.* X.— 7 Aug. lib. *de Grat. et lib. arb.* c. XVII.— 8 *Luc.* XVIII, 13.

peccatorum remissionem nullum in homine ait inesse meritum, ei tamen fidem, fideique meritum inesse docet. Est igitur meritum aliud justi, ac reconciliati jam hominis : aliud jam utcumque credentis, aut credere certe cupientis, sed nondum perfecte fidelis, ac justi. Quocirca fidem illam inchoatam nullis præcedentibus meritis tribui ibidem asseruit; « quoniam inde incipiunt bona quæcumque sunt merita; sed gratuitum Dei esse fateamur si gratiam veram, id est sine meritis cogitamus. » Et paulo post : « Si enim dixerimus fidem præcessisse, in qua esse meritum gratiæ, quid meriti habebat homo ante fidem, ut acciperet fidem?» Et concilium Carthaginense in synodica epistola, quæ est XCIX apud Augustinum, ait « auxilium gratiæ Dei, qua Christiani sumus, qua et ipsum nostræ voluntatis arbitrium vere fit liberum, fidem impetrare, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. »

V. At perfectum, próprieque dictum meritum, quod ex *charitate jam in cordibus nostris diffusa per Spiritum sanctum* oritur[1], ab eodem significatur Augustino in lib. *de gratia Christi* cap. XXVI. « Nam quæ merita, inquit, bona tunc habere poteramus, quando Deum non diligebamus ? etc. Etsi enim Dei mandatum videtur aliquando non a diligentibus, sed a timentibus fieri, tamen, ubi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur, nec recte bonum opus vocatur.» Ibi de merito loquitur, quod ex fide dilectionem operante nascitur : quam tamen meritum illud antecedit, quo impetratur remissio peccatorum.

Idem meriti genus indicat Prosper [2], cum ait, « Justificatus itaque homo, id est, ex impio pius factus, nullo præcedente bono merito, accipit donum, quo medio acquirat et meritum; ut quod in illo inchoatum est per gratiam Christi, etiam per industriam liberi augeatur arbitrii, nunquam remoto adjutorio Dei. »

Horum duorum meritorum prius appellari ab Augustino solet *meritum fidei;* quoniam *prima* donorum omnium gratiæ *fides datur* [3], *ex qua impetrantur cætera* ; ut idem alicubi scribit Aug. Ubi *fides* late sumitur, quatenus usupartur pro voluntate audiendi verbi Dei, auditoque credendi ; quæ nondum proprie dicta est fides, nisi quatenus piam voluntatis inclinationem amplectitur. Quæ si desit, adeo gratia non est illa novi Testamenti, quam contra Pelagium defendit Augustinus, ut etiam *dæmones credant, et contremiscant*[4]. Appellatur itaque proprie *initium fidei* primus ille voluntatis motus enitentis ad salutem [5]; vel *initium credulitatis* [6], aut *credendi voluntas*, vel *credulitatis affectus*, ut ab Arausicana synodo secunda, canone V, ubi et *initium fidei* vocatur, vel *initialis gratia*, ut a Prospero illo, qui cum Hilario scripsit ad Augustinum, et si qua sunt alia vocabula, quæ fidei rudimentum, ac primam velut adumbrationem exprimunt, non perfectum, et explicatum cum pio voluntatis studio mentis assensum.

VI. Hujusmodi sive fidem, sive fidei desiderium, Massilienses imputandum esse gratiæ non credebant; ut partim ex epistolis illis duabus Prosperi, et Hilarii ad Augustinum liquet, partim ex Arausicana secunda synodo, in qua error ille damnatus est, canone præsertim tertio, et sequentibus [7]. Ibi enim nec invocationem ipsam sine gratia fieri decernit: « Et ut a peccato purgemur, voluntatem nostram non expectare Deum, sed ut etiam purgari velimus, per sancti Spiritus infusionem, et operationem in nos fieri, ac reliqua ejusdemmodi.

Porro in bonæ voluntatis initio meritum inesse fidei, atque gratiæ, Semipelagiani fatebantur; sed illud perexiguum, ut Augustinus, Prosper, Fulgentius, aliique passim adstruunt. Hilarius quoque in epistola *ad Augustinum*, ubi Massiliensium istorum opinionem explicat, ait illos arbitrari homines, quibus Evangelica prædicatione « annuntiatur obtinendæ salutis occasio, eo merito, quo voluerint, et crediderint, a suo morbo se posse sanari, et ipsius fidei augmentum, et totius sanitatis suæ consequi effectum. » Et mox, *meritum et propriæ voluntatis adjungi* ab illis asserit ; cæterum ita tenue, et imbecillum esse meritum illud, ut non sit in ulla curationis parte numerandum.

Est enim meriti genus aliud, quod magis proprie ita nominatur, et meritum operis dicitur. Nam, etsi fides ipsa opus sit quoddam, ut ex *Joannis* cap. VI, probat Augustinus[8], nihilominus operibus meritum imputari solet. De quo insignis est illius iste locus [9]: Sic ergo distinguit Apostolus ab operibus fidem, quemadmodum in duobus regnis Hebræorum distinguitur Judas ab Israel, cum et ipse Judas sit Israel.

Expli
ra
meriti
fe
et inc

1 *Rom.* XIV.— 2 Lib. II Resp. *ad Gal.* c. VI.— 3 Aug. *de Præd. sanc.* c. VII.— 4 *Jac.* II, 10.— 5 Fulg. *de Incarnat*, c. XVII.— 6 *De Incarn.* c. XVIII.— 7 Araus. can. III.— 8 Lib. *de Præd. sanct.* c. VII.— 9 Ibid.

Ex fidé autem ideo dicit justificari hominem, non ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ proprie opera nuncupantur, in quibus juste vivitur. » Et in epistola CV. « Opera quippe bona fiunt, inquit, ab homine; fides autem fit in homine, sine qua illa a nullo fiunt homine. »

VII. Qua in re cogitandum illud est, duplici ratione perfectum illud, proprieque dictum meritum usurpari posse, quod sine justitia, et charitate nullum est. Duobus, inquam, modis justificari ex bonis operibus dicuntur homines; primum cum ab sancto, et justo quopiam opus virtutis efficitur, quo incrementum gratiæ, gloriæque promeretur; deinde cum, etsi nullo certo adhuc opere fungitur ejusmodi virtutis a fide distinctæ, jam tamen illius in corde charitas diffunditur, *ac fides per dilectionem operari* incipit, et charitate formari. Est autem *charitas idem, quod bona voluntas*, ut ex Augustino supra meminimus. Hoc igitur affectu fidei vivæ Dei legem amamus, et officii numeros omnes, quantum in nobis est, implere volumus [1]. « Quia et qui diligit Deum, consequens est, ut faciat, quod vult Deus; et in tantum diligit, in quantum facit, » ut ait Augustinus. Ideo per fidem charitate formatam, quia totam gratiæ, ac novi Testamenti legem amplectimur, ei consentanei sumus, et exæquati, adeoqui justi, « Qui enim, ut idem scribit Augustinus [2], verbi gratia, perfecte novit, perfecteque amat justitiam, jam justus est: etiamsi nulla existat secundum eam forinsecus per membra corporis operandi necessitas. » Et alio in loco [3]: « Fides, quæ per dilectionem operatur, etsi non sit, in quo exterius operetur, in corde tamen illa fervens servatur. » Atque hoc modo « *credentibus in eum* [4], *qui justificat, ac diligentibus, fides reputatur ad justitiam*; id est perinde habentur apud Deum, ac si totam legem reipsa, et singillatim observassent, ac sic tanquam omnes nostræ actiones ad amussim cum lege congruerent.

VIII. Hæc est imputatio illa justitiæ, de qua loquitur Apostolus, quando renovatos in interiori homine, et ad mandata servanda omnia parato animo perinde Deus acceptos habet, ac si præcepta legis universa, et singula multis, et variis actionibus implessent. Ita fit, ut meritum illud fidei, cum a charitate proficiscatur, quæ sola legem implet, non sit meritum fidei simplex, quæ charitatem impetrat, ac rude, inchoatumque est; sed *operum meritum*, ac perfectissimum ex legis totius operibus constet, legis, inquam, non servilis quam Apostolus opponere gratiæ solet; sed novi, uti dixi, Testamenti; quatenus in animi proposito, ac destinatione bonæ voluntatis, opera omnia Christianæ legis, et officia nobis accepta fert Deus.

Quocirca, cum et meritum proprie operæ, sive operi respondeat, neque credulitas, aut operis faciundi voluntas, nedum fidei ac credulitatis initium, adhuc in opus communi more loquendi, ac judicio, cedat; huic, opinor, Semipelagiani, meritum adjudicabant verbo tenus ab illo primo conatu voluntatis, et initio, ac rudimento fidei, quod ex naturæ censu, absque auxilio gratiæ, conferre unumquemque dicebant. Ex quo voces illorum istæ prodierunt, quas refert Hilarius: « Cæterum ad nullum opus, vel incipiendum, nedum perficiendum, quemquam sibi sufficere posse consentiunt; neque enim alicui operi curationis eorum annumerandum putant, exterrita, et supplici voluntate, unumquemque ægrotum velle sanari. » Item: « Nec negari gratiam, si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medicum quærat, non autem quidquam ipsa jam valeat. » Et hujus generis alia, quæ voluntatem operandi ab opere ipso, et credendi propositum a credulitate, vel, si ita ferret usus loquendi, ab *creditione* discernunt. Quemadmodum fiducia illa, quam de medico concipit ægrotus, propter illius testatam in morbis curandis peritiam, sive ejus accersendi desiderium, inter curationis opera neutiquam ponuntur, eo quod nihil agunt in morbum, ægritudinemque ipsam, nec partem remediorum attingunt aliquam.

IX. Verum fucus erat iste, et in tali exemplo commemorando insidiosa calliditas. Non enim eadem in sublevandis animi morbis, ejusque procuranda sanitate ratio est humani conatus, ac studii, atque in curandis corporibus. Hic enim *physica*, ut vocant, efficientia locum habet, ac moliri reipsa quippiam oportet exstantis, et extrinsecus adhibiti, ut in partem curationis veniat. At illi nonnisi *moralis*, quod dicitur, opera, et effectio cernitur, cujus pars est voluntas ipsa recuperandæ sanitatis, et imploratio medici, ubi merito res agitur; et navare aliquid, est idipsum optare, ac satagere, quamlibet exiguum sit, ac tenue, quod ex teipso conferas. Quare, si

1 Aug. l. VIII *de Trin.* c. VII.—2 Lib. IX *de Trin.* c. IX. —3 Serm. LXXII *de Temp.* cap. VIII.— 4 *Rom.* IV, 5.

vel modicum illud, sine gratiæ præsidio, ex arbitrii liberi potestate suppetit, in partem curationis suæ venit ægrotus; nec nihil voluntas valet, aut nullum opus curationis attingit. Inde itaque docti illi, sanctique Patres, qui fruticantes istas ex Pelagiana stirpe reliquias Apostolicæ doctrinæ falce succiderunt, in eorum confutando dogmate, in id intenti fuerunt, non quod voce, ac sermone præ se ferebant, sed quod reipsa in illorum erat opinione, gratiam dari ex meritis, ideoque non esse gratiam. Quanquam paulo minus in eo, quam Pelagiani, et tolerabilius errabant, quod inchoatæ tantum fidei ac bonæ voluntatis meritum adscribebant naturæ viribus, ac ne dignum quidem meriti nomine censebant; tanquam semen, dicerent, non arborem, fructumve esse, nisi forte δυνάμει, id est *potentia*, non actu; at Pelagius plena jam opera, et merita, sine peculiari gratia Christi suppetere, solis naturæ viribus, asserebat.

Meritum aliquod primæ gratiæ constituebant Semipelagiani.

X. Sed, utcumque priores illi loquerentur, certum est, meritum ab ipsis constitutum esse, quantumvis exiguum, primæ gratiæ. Est enim meritum, velut pretium quoddam, quo oblato, aliud exigitur; vel e contrario, quo exacto, aliud offertur. Quorum alterum ab emptore fit, dum venditorem prior adit, et de merce, repræsentata pecunia, stipulatur. Posterius hoc autem, dum mercator ipse ultro merces suas obtrudit, et ad emendum invitat, tantum petens, ut eas det, etiamsi vilissimo præmio illas addicat. Quemadmodum Romæ ædiles interdum, aut alii magistratus, per ambitionem, et conciliandæ plebis studium, frumentum, quod gratis non licebat, nummo æreo, et asse, vel semisse, aut triente distrahebant; hoc enim, etsi perexiguum, ac prope nullum, non tamen nullum erat omnino pretium. Non potest melius afferri, neque ad negotium nostrum aptius exemplum, quam istud est. Nam Semipelagiani ita meritum negabant esse gratiæ primum illud voluntatis affectum, quomodo cives illi Romani pretium esse negarent modii integri vilissimum nummum. Quod enim tam parvo constat, nullo constare pretio dici solet. Et erat tamen nonnullum, ut dixi, pretium, quoniam jure quodam exigebatur, ut illud daretur.

XI. Ejusmodi Semipelagianos agnovisse meritum initialis fidei, manifestum est iis ex verbis, quibus dogma illorum Hilarius exponit, in quibus stipulationis, et conventionis forma quædam exprimitur, « Quod enim dicitur, inquit, Crede, et salvus eris, unum bonum exigi asserunt, aliud offerri; ut propter id, quod exigitur, si redditum fuerit, id, quod offertur, deinceps tribuatur. » Ubi et meritum diserte nominant, quod jam paulo ante docuimus. Meminerimus tantum, quale ab istis constitutum sit meritum, videlicet non proprie dictum, neque sic absolute vocandum eo quod non sit operis alicujus, ac ne perfectæ quidem credulitatis et fidei, nec ad ipsam curationis, ut ita dicam, *substantiam* spectet. Ex horum numero mihi Cassianus eximendus videtur; qui haud paulo plus naturæ, ac liberi viribus arbitrii concessit. Non enim sola fide, vel credendi potius voluntate, et initio fidei contentus fuit; sed præstantium operum facultatem, adeoque meritum attribuit, ut antea diximus. Quapropter Semipelagianorum error totus in eo consistit, quod primam gratiam quocumque obtineri voluntatis humanæ merito putarunt. Ideo qui citra meritum [1], occasionem gratificandi Deum capere ex peccatoris habitu, affectioneque dixerit, non is Semipelagiani erroris accusandus est. Quemadmodum August. in epist. XLIX, quæst. II, « tunc, ait, voluisse hominibus apparere Christum, et apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, et ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri. »

Quibus verbis Semipelagiani contra ipsum usi sunt, ut illius de Prædestinatione sententiam refellerent. Sed iisdem occurrit Augustinus in libro *de Prædestinatione Sanctorum*, cap. IX. Quod autem ad præsens negotium spectat, cavendum hoc solum est, ne meriti aliquid inesse dicamus, in commoda illa dispositione, affectioneque hominum istorum, quibus ob id prædicari Evangelium dicitur, quod eos consensuros Deus præviderit; atque ut non moveri putetur ad impertiendam gratiam, tanquam mercedem naturali bono, ac dispositioni isti vel congruentem, vel debitam, sed tantummodo ad exequendum decretum absolutum dandæ gratiæ, commoditatem illam, occasionemque captasse. At longius etiam alii hac in re provecti sunt catholici theologi, de quibus suo loco dicam.

XII. Illud præterea, quod in natura et qualitate gratiæ positum est, controversiæ caput, Augustinum inter, ac Semipelagianam fac-

1 Vide tom. II, lib. IX, cap. IV. § 7.

Controversiæ caput Augustinum inter et Semipelagianos.

tionem, etiam atque etiam considerandum est, quod isti gratiam Christi in sola mentis illustratione sitam esse contenderent, sine ulla motione voluntatis; Augustinus hanc posteriorem maxime Christi esse gratiam arbitratus sit. In quo, quid a Pelagianis Semipelagiani discrepent, antea declaravimus. Nimirum sic eam intelligentiæ lucem divinitus aspirantem Pelagianos admisisse, ut hanc minime esse necessariam crederent, sed utilem solum ad facilius consequendum id, quod sine tali præsidio difficilius quidem, sed tamen obtinere potuissent; Semipelagianos autem eam gratiam prorsus esse necessariam judicasse, ut absque ea perveniri non posset ad justitiam, et salutem.

An in sola mentis illuminatione sita sit veræ gratiæ essentia,

Sunt autem complures catholicorum theologi, qui quam Christi gratiam vocamus, eam sola mentis, sive intellectus illuminatione definiunt; alteram autem, quæ in permotione sita est voluntatis liberæ, cujusquemodi ea sit, de quo pronuntiare non licet, ut valde utilem agnoscunt, sic absolute negant necessariam videri. Quorum tamen eatenus a Semipelagiano dogmate causa distat; quod ab luce ista, illuminationeque mentis redundare aliquid in voluntatem asserunt. Qua in re diligenter hoc notari debet, illud ipsum, quod est *docere*, vel *doctrinam*, dupliciter dici. Etenim *gratia* proprie dicta, quæ *Christi*, vel *Redemptoris*, vel *novæ legis gratia dicitur;* tam a Pelagio, et huic ex parte cohærentibus Semipelagianis, quam ab Augustino, ejusque discipulis sæpe *doctrinæ* voce comprehenditur; verum aliter isti, quam illi, doctrinæ vocabulum interpretantur. Nam Pelagius *doctrinam* hujusmodi, quæ ad recte agendum necessaria est, nonnisi legem, et Evangelicam doctrinam extrinsecus insonantem, vel subjectam oculis esse putavit; ex abundanti vero, et ad majorem agendi facilitatem, divinitus datam illustrationem dixit esse mentis, quæ solum afficeret intellectum, nec affectum voluntatis excitaret, nisi improprie, ac metaphorice; quemadmodum externa cohortatio, et eloquentis hominis oratio inflammare dicitur, et accendere audientium animos, ac studia; nimirum quod rebus, et argumentis ad permovendum aptissimis utuntur, eaque lenocinio quodam, et artificio sermonis instruunt, ut libentius accepta intimos in sensus penetrent; ex quo illla *flexanima*, et *animorum regina* dicta est eloquentia.

XIII. Atque nihil, nisi extrinsecus pulsando, et de iis, quæ ignota, vel minus cognita erant, admonendo agit ille, quisquis oratione persuadet. Cui similem esse merito credimus interiorem illam illuminatricis gratiæ doctrinam, quam ad externam legem, et docentis, atque hortantis, vel quoquomodo admonentis creaturæ operam Pelagius adjunxit, sed ut invitus, et Catholicorum convicio coactus, ita leviter, et perfunctorie. Meliore paulo fide Semipelagiani eamdem invexere; sed hactenus, ut nihil ex lucis illius efficientia permanaret ad voluntatis affectum, nisi itidem, ut ex copiosi ac diserti oratoris sermone, sumuntur ab hominibus impetus quidam, quibus aut ad bonum sese acuunt, et excitant; quod vel ipsum, vel ejus adipiscendi ratio, et commoditas, quæ latebat antea, illius oratione patuit, aut a malo se ipsos retinent, cujus eadem vi copiose loquentis sapientiæ, damnum, ac periculum didicerunt, recordarive cœperunt.

Sed ad ea, quæ naturam excedunt, bona tum mente percipienda, tum voluntate capessenda, uberiori, ac flagrantiori luce est opus; præsertim cum et ardua, multumque difficilia sunt, quæ vel intelligenda, vel amanda, et facienda proponuntur; et iis valde ab natura, sive naturæ morbo, ac vitio resistitur. Tum enim non explicare tantum, ac patefacere, quid expediat, necesse est, sed opportunis etiam momentis, ac temporibus id agere, ut ad intimos sensus audientium aditum habeat injecta mentibus illorum veritatis oblatæ cognitio. Quæ cum omnia Christianis in dogmatibus, et iis, quæ ad salutem comparandam pertinent, inesse, ac confluere videamus, ut et captum nostrum, intelligentiamque valde superent, ac tam hujus, quam voluntatis, et utriusque suapte labe corruptæ naturalis propensio repugnet; perspicuum est, majoribus, quam sunt humana, præsidiis, et altiore quodam afflatu, instinctuque geri rem oportere.

XIV. Hanc Augustinus *doctrinam*, vel *suasionem* nuncupare solet, quæ *ab illuminatione cordis incipiens*, ut ait Fulgentius[1], ad appetitionem, ac voluntatem pervenit. Quo quidem doctrinæ vocabulo gratiam, ut jam diximus, uterque significabat, Pelagius, et Augustinus, sed dissimili notione, ac proposito. Ac de Pelagio quidem satis dictum est supra, cum ejus dogma declaravimus, quo Christi

1 Lib. *de Verit. Præd.* I.

gratiam sola lege, ac doctrina circumscribebat.

Similiter et de Augustini sententia, *doctrinæque* apud ipsum significatione multa jam exposuimus ; nunc alia, et ea perpauca subjiciemus ejusdem testimonia, quibus id, quod modo agimus, ostendit, gratiam Christi certo in doctrinæ, illuminationisque genere constitutam esse. In libro *de gratia Christi*, contra Pelagium, et Cœlestium, postquam hæresim istorum, ac legem, doctrinamque pluribus explicavit, cujusmodi gratiam illi confitebantur [1], « qua demonstrat, et revelat Deus, quid agere debeamus, non qua donat, atque adjuvat, ut agamus, » deinceps quæ sit vera, et catholica gratia, disserit, ac demum ista subjicit [2] : « Hæc gratia si doctrina dicenda est, certe sic dicatur, ut altius et interius eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere, non solum per eos, qui plantant, et rigant extrinsecus, sed etiam per seipsum, etc. Sic enim docet Deus eos, qui secundum propositum vocati sunt, simul donans, et quid agant, scire, et quod sciunt, agere. » Ac subinde, « De isto docendi modo etiam Dominus ait [3] : inquit *Omnis qui audivit a Patre meo* [4] ; *et didicit, venit ad me.* Ut et illud, *Erunt omnes docibiles Dei* [5]. »

Idem et in tractatu *ad Psalm.* CXVIII, pulchre, ac rotunde efficientiam illam Christianæ gratiæ ita complectitur. « Docet ergo Deus suavitatem, inspirando delectationem charitatis ; docet disciplinam, temperando tribulationem ; docet scientiam, insinuando cognitionem. Cum itaque alia sint, quæ ideo discimus, ut tantummodo sciamus, alia vero, ut etiam faciamus ; quando Deus ea docet, sic docet, ut ea scienda sciamus, aperiendo veritatem ; sic docet, ut facienda faciamus, inspirando suavitatem. »

XV. Nec omittendus alius ejusdem est locus ex libro *de Spiritu, et littera*, capite XXXIV, ubi scribit, voluntatem credendi « non ideo tantum divino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio est, quod nobis naturaliter concreatum est ; verumetiam quod visorum suasionibus agit Deus, ut velimus, et ut credamus ; sive extrinsecus per Evangelicas exhortationes, ubi et mandata legis aliquid agunt, si ad hoc admonent hominem infirmitatis suæ, ut ad gratiam justificantem credendo confugiat ; sive intrinsecus, ubi nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem, sed consentire, vel dissentire propriæ voluntatis est. »

Ex his evidens est eos, qui efficientiam gratiæ proxime in solam derivari intelligentiam, ac per eam in voluntatem trajici putant, dum ita necessariam illam esse statuant, ut sine « ea præveniente homo credere, sperare, diligere, aut pœnitere non possit, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, » ut Tridentini Patres loquuntur [6] ; procul a Pelagiani, vel Semipelagiani contagione erroris abesse. Sane Augustinus [7], cum Pelagii verba retulisset ex primo libro *de libero arbitrio*, « Ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam ; » nihil in his illius verbis ad catholicæ fidei salubritatem aliud postulat, nisi ut vocem, *facilius*, detrahat. « Tolle, inquit, *facilius*, et non solum plenus, verumetiam sanus est sensus, si ita dicatur, ut quod per liberum facere jubentur homines arbitrium, possint implere per gratiam. » Idem et antea capite XXVII et XXVIII, scripserat. Atqui scimus, interiorem illam gratiam, quam minime necessariam esse Pelagius agnoscebat, ad solam pertinere mentis illuminationem, non ad motionem voluntatis ; quam tamen si necessariam ille esse scriberet, voce ista *facilius* adempta, sufficere tantus doctor existimabat, ut sana et catholica illius haberetur professio.

XVI. Et in epistola CVI, de eadem disserens Pelagii sententia, « Videtur ergo, inquit, auxilium gratiæ, tanquam ex abundanti putare concedi, id est, ut, etiamsi non concedatur, habeamus tamen ad non peccandum forte, ac firmum, liberum arbitrium. Quod ne existimemur de illo temere suspicari, et fortasse quis dicat, sic eum sentire forte, ac firmum ad non peccandum liberum arbitrium, (quamvis sine Dei gratia id efficere, atque adimplere non possit) sicut sanos oculos firmos dicimus ad videndum, quod tamen nullo modo facere possunt, si desit lucis auxilium ; alio loco, quid diceret, vel quid putaret, ostendit, ubi ait : ideo Dei gratiam hominibus dari, ut, quod facere per liberum jubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam ; utique, cum dicit, facilius, quid vult intelligi, nisi et gratia si desit, posse per liberum arbitrium vel facile, vel difficile, quæ

1 August. libr. *de Grat. Christ.* cap. VIII, — 2 Idem cap. XIII. — 3 Cap. XIV, — 4 *Joan.* VI. — 5 Ibidem. — 6 Sess. VI, can. III. — 7 Aug. lib. *de Grat. Chris.* c. XXIX.

jubentur, impleri. » Ergo si sic forte, ac firmum Pelagius *liberum* esse vellet *arbitrium, ad non peccandum*, ut tamen sine gratia illa, quam minime necessariam judicabat, « id efficere, atque adimplere non posse » fateretur; quemadmodum, etsi firmi sunt ad videndum oculi, hoc tamen «sine lucis auxilio nullo modo facere possunt, » non illum Augustinus reprehenderet, cum tamen, ut jam dixi, nihil in voluntate ipsa moliri gratiam affirmaret Pelagius. Usque adeo nihil amplius inquirendum credidit Augustinus in illa de gratia quæstione, nisi ut interiorem Christi gratiam, et inspirationem necessariam esse ad singulos actus profiterentur, qui inter catholicos censeri cuperent. Cujusmodi vero efficientia esset illa gratiæ, et utrum solum illuminaret intellectum, an præterea voluntatem ipsam proxime permoveret, quove id modo faceret, nihil ad catholicæ professionis integritatem ratus est pertinere. Quod summi viri judicium cum Romanæ deinde sedis pontifices, tum synodalibus decretis, quæ deinceps illa de re habita sunt, concilia comprobarunt.

Cælestini Papæ dedifficilioribus gratiæ quæstionibus monitum.

XVII. De quo exstat Cœlestini Papæ *ad Galliarum episcopos* prudens, ac plena moderationis epistola; in qua adversus Augustini obtrectatores disputans, quid de gratia, totius Ecclesiæ, et Apostolicæ præsertim sedis auctoritas habeat, ab catholicis omnibus confitendum, ex eorumdem summorum pontificum responsis seligit, cujus summa paucis, ac necessariis capitibus continetur. Ex quibus quod ad gratiæ necessitatem attinet, fere ita concipitur: Non posse, sine adjutorio gratiæ, liberum hominis arbitrium a peccato liberari; « neque carnis concupiscentias evincere; » neque bene hominem uti eodem arbitrio. Item «sanctam cogitationem, pium consilium, omnemque motum bonæ voluntatis ex Deo esse, quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus. » Ad hæc ex concilio Carthaginensi generali adversus Pelagianos, ita decernit: « Gratiam Dei non ad solam valere peccatorum remissionem, quæ jam commissa sunt, sed etiam ad adjutorium, ut non committantur. » Ac denique, « Gratiam Dei per Jesum Christum, non propter hoc tantum adjuvare ad non peccandum; quia per ipsum nobis revelatur, et aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus, quid appetere, aut vitare debeamus; sed etiam per illam nobis præstari, ut, quod faciendum cognovimus, etiam facere diligamus, atque valeamus. » Præter has regulas, cætera omnia, quæ « ad profundiores, difficilioresque partes incurrentium quæstionum pertinent, quas latius pertractarunt, qui hæreticis restiterunt, neque se audere contemnere, Cœlestinus ait, neque necesse habere adstruere. » Quo ex genere illa est habenda disputatio, qua tandem ratione gratia voluntatem excitet. Nam excitari, adjuvarique gratia, inter omnes catholicos convenit, tametsi de modo ipso, quo id faciat, magna sit inter illos quæstio.

Refelluntur hæretici qui in Dordraceno conventiculo quædam dogmata, tanquam Pelagiana, perperam effinxerunt.

XVIII. Quocirca versute, malitioseque faciunt, qui Pelagianismum non ex illis regulis metiuntur, quas catholicæ synodi, et Romanorum pontificum decreta præscribunt, et ad fidei pertinere dogma pronuntiant; sed ex iis, quæ contra hæreticos illos disputantes catholici Patres, probabiliter adstruunt, velut incidentia, et principali annexa causæ, quæ extra fidei regulam consistere, custos ejus, et interpres Ecclesia constituit. Qualis est absoluta, citra præsensionem meritorum electio, ac prædestinatio ad æternam salutem[1], ut suo loco diximus, necnon efficientia gratiæ, et incitandæ voluntatis ratio, ac cætera ejusdemmodi, quæ hoc tempore ingenti contentione partium agitantur. Ex hoc genere calumniatorum cavendi, vel ridendi sunt potius Calviniani illi theologi, qui ad Dordracenum conventiculum vel privatim a se editas, vel communi ecclesiarum suarum nomine perscriptas fidei formulas miserunt; in quibus Pelagianæ capitibus hæresis callide quædam inseruntur, quæ extra culpam sunt erroris hæretici.

Sic David Paræus in *Examine primi articuli Remonstrantium*[2], quod in acta Dordraceni retulerunt; ubi Pelagianismi capita sex enumerat, quorum tertium sic habet: « Salutem in Christo ita in medio propositam esse omnibus, ut quicumque ad fidem, et baptismum accedere voluerint, salvi esse possint.» Quartum item sic: « Qui vero crediturі, bene operaturi, et in fide per Dei gratiam juvanda mansuri essent, præscisse Deum ante mundi constitutionem, et eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos, præ aliis credituros, et dignos futuros electione, deque hac vita bona fide excessuros præviderit. » Sic et sextum caput ita concipit, « Gratiam in tantum dari, ut homo in hac vita sine peccato

1 Lib. X, tom. II.— 2 In I Par. Sess. XCIX.

esse possit, si velit.» Hæc doctor Heidelbergensis, qui, quid scriberet, affirmaretque, nesciens, Pelagianam hæresim temere, imperiteque perscripsit.

XIX. Imprimis quod tertio loco ponit, «Salutem omnibus in medio esse propositam, ut quicumque ad fidem, et baptismum accedere voluerint, salvi esse possint, » eo modo, quo ab illo ponitur, culpa vacat hæretici erroris; imo Scripturæ valde consentaneum est, quæ salutis adipiscendæ potestatem omnibus facit, ac Deum significat, « velle omnes salvos fieri[1], » de quo jam alibi egimus[2]. Non est ergo Pelagianum dicere, omnes, qui velint ad fidem, et baptismum accedere, salvos esse posse; sed qui et sine auxilio gratiæ, solisque viribus arbitrii liberi voluerint, eo posse pervenire. Imo vero sine fide, ac baptismo, sola vi naturæ, salvos esse posse homines credidit Pelagius, etsi cœlorum regnum non possent assequi. Quare discernere ambo ista decuit doctorem theologum, controversiæque judicem, in qua de Pelagianismi crimine sententiam in reos dicere vellet, cum turpissimum sit ignorare, quid in causa, et accusatione sit, illum, qui de ea judicare instituit.

Eadem oblitum inscitia est, quod quarto loco recenset. Nam « prævidisse Deum eos, qui crediturі, bene operaturi, et in fide per Dei gratiam juvanda mansuri sunt, eosque prædestinasse, » non est Pelagianus error, sed probabilis multorum opinio; etsi aliter Augustino visum est, ut suo loco exposuimus[3]. In hoc ergo Pelagiana consistit hæresis, quod Augustinus ipse declarat in libro *de Prædestinatione sanctorum*[4], quod præscisse Pelagiani dicebant, « qui futuri essent sancti, et immaculati per liberæ voluntatis arbitrium; et ideo eos ante mundi constitutionem, quia tales futuros esse præscivit, elegisse, etc. Utique ipse non fecit (addit mox) nec se facturum, sed illos futuros esse prævidit. » Quamobrem Pelagiana est hæresis asserere, homines per se, ac sine Christi auxilio, sanctos, et immaculatos esse, et qui tales fore prævidentur, eligi; non autem dicere, eos eligi, qui accepta Christi gratia et fide, et eadem adjuti gratia in eo, quod acceperint, perseverare voluerint. Propterea in libro *de gratia, et libero arbitrio*, capite VI, idem Augustinus, dicentibus Pelagianis, « illam gratiam, quæ datur in fine, id est æternam vitam, meritis nostris præcedentibus reddi, » sic respondendum ait: « Si enim merita nostra sic intelligerent, ut etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia; quoniam vero merita humana sic prædicant, ut ea ex semetipso habere hominem dicant, prorsus rectissime respondet Apostolus, *Quis enim te discernit*[5] *?* »

XX. Sane de prædestinatione, non contra Pelagianos contendit Augustinus, sed contra Semipelagianos, qui et ipsi eatenus aberrabant, quod, etsi gratiam ad recte vivendum, et perseverandum necessariam esse dicerent, initium tamen fidei quoddam, ac bonæ voluntatis, humani arbitrii viribus tribuerent; cujus merito deinde prædestinarentur ad gratiam, et gloriam. At doctor ille plane inscite Pelagium ait prædestinatos illos esse docuisse, qui gratis vocati præ aliis crederent, cum gratuita ista vocatio nec a Semipelagianis quidem, nedum a Pelagianis constituta sit, imo utrique, et nominatim isti, ei vehementer adversati sint; et Augustinum propterea criminati sint, tanquam fatalem hominibus necessitatem induceret. De quo vide Prosperi, et Hilarii ad illum epistolas, ac totum librum *de prædestinatione sanctorum*; tum quæ nos supra de illorum hæresi disputavimus.

Denique ridiculum est sextum a doctore concinnatum dogma Pelagii. Primum quia Pelagius, non ex gratia, docuit, homines *impeccantiam* obtinere, sed ex voluntatis suæ conatu, ac viribus, neque, judicio etiam Augustini, damnandus est, qui hominem posse sine peccato esse gratiæ affirmet auxilio, ut diserte, ipsemet asserit[6], et nos plura de hac re supra scripsimus. Sed oscitantem istum, ac divinantem theologum missum faciamus.

In actis ejusdem Dordraceni conventus, Embdani theologi strenue mentiti sunt de Bellarmini, et concilii Tridentini sententia; ab quibus asserunt, « per gratiam primam, seu prævenientem intelligi vocationem, et suasionem moralem foris oblatam, cujus efficacia ab hominis ingenio pendet. » Itane gratiam primam nonnisi foris oblatam esse catholici doctores prædicant? Atqui multum aliter et Tridentina synodus sessione VI, et Bellarminus in libro primo *de gratia, et libero arbitrio*, capite præsertim XII et XIII, pronuntiant, qui internam gratiam, et illuminationem agnoscunt.

XXI. Audiatur primum synodus ipsa, quæ

1 I *Tim.* II.—2 Tom. II, lib. X, c. III et IV.—3 Tom. II, lib. IX.— 4 Cap. XVIII.—5 I *Cor.* III.—6 Lib. II *de Pecc. mer.* cap. VI.

in capite v sessionis illius ita decernit: « Declarat præterea, ipsius justificationis exordium adultis a Dei per Christum Jesum prævenientegratia sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur, ut qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum se, ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ libere assentiendo, et cooperando disponantur ita, ut, tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam, et abjicere potest; neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit. » Tangit ergo cor hominis Deus, non utique forinsecus, ut Pelagius aiebat, tanquam lege ac doctrina proposita, sed interius movens, et illuminans, ita tamen, ut libere inspirationem illam voluntas recipiat. Quæ libera receptio in eo, ut ait synodus, posita est, quod sic admittit, ut eam, si vellet, posset abjicere. Quæ verba novorum theologorum commentum trabali telo confodiunt.

Bellarminus vero diserte interiorem illapsum gratiæ capite illo XII defendit; quam ex Augustino dicit esse « suasionem, inspirationem, visorum immissionem, internam vocationem. » Ac subinde, « Vides hic gratiam, inquit, Dei efficacem, quæ infidelium corda convertit, et voluntatem bonam, quæ operatur in nobis, esse vocationem altam, atque secretam, quæ sensum internum, id est mentem agit, atque illi persuadet, ut consensum doctrinæ, quæ sibi prædicatur, accommodet. » Mitto reliqua, quæ et eodem illo, et sequenti capite disputat, Tum in recognitione librorum *de gratia, et libero arbitrio*, ad caput XII, uberius, et apertius ejusdem efficientiam gratiæ declarat, quam ait esse « persuasionem, et moralem motionem voluntatis, quæ movetur mediante intellectu proponente objectum. » In quo Tridentinæ synodo adamussim quadrat, quæ illuminationem vocat aspirationem illam gratiæ. Et hactenus quidem catholica professio, ac necessaria fidei doctrina procedit. Et, si verum quærimus, nihil ultra tendere est opus; neque, qualis sit efficientia illa gratiæ, aut quemadmodum voluntatem excitet, ac cum ejus libertate consentiat, scire interest illius fidei, qua Christiani sumus. Cujusmodi « profundiores, difficilioresque partes incurrentium quæstionum, » ut Cœlestinus loquitur neque loci est hujus attingere, neque consilii, ac propositi erit unquam, donec ejus rei pertractandæ auctoritate sedis Apostolicæ potestas fiat. Meminerimus interim, quod prudenter admonet Cyrillus Alexandrinus[a], « Supervacaneas disputationes, nimiamque circa quæstiones minime necessarias contentionem generare pugnas, et audientium animos ferire. » Tum recte scriptum esse ab Facundo Hermianensi[1], « Satis non esse ad contentionem, quod abundat ad fidem; » quippe, ut Hilarius ait[2], « non per difficiles nos Deus ad beatam vitam quæstiones vocat. » His itaque, qua synodali auctoritate definita sunt, ut in cæteris fidei rebus, sic in hac de gratia Christi disputatione contentos esse frugi, ac moderatos theologos oportet.

a Cyril. lib. VIII *de Adorat. in Spir.* Αἱ γὰρ περιτταὶ διαλέξεις, καὶ τὸ φιλόνεικον κομιδῇ περὶ ζητήσεις οὐκ ἀναγκαίας, γεννῶσι μάχας, καὶ τὸν τῶν ἀκροωμένων τύπτουσι νοῦν.

1 Fac. in fine, l. III.— 2 Lib. XI.

DE TRIDENTINI CONCILII

INTERPRETATIONE, ET S. AUGUSTINI DOCTRINA

LIBER UNUS

EPISTOLA AD AMICUM.

I. Scire vis, amicorum optime, quid de illa epistola judicem, quam nuper ad me misisti *ab Abbate ad Episcopum* inscriptam. Respondebo tibi nihil admodum hæsitans; rem enim postulas non leviter apud me tractatam, sed attente meditatam, atque perspectam. Quod ut impigre facerem, non tua me tantum voluntas est hortata, qua plurimum moveor : sed meum quoque studium, sua incitatum sponte, fecit ardentius præfatio ad lectorem in epistolæ fronte præfixa, quæ abbatem epistolæ scriptorem ad virtutis, ingenii, judicii, eruditionis opinionem commendavit, quantam maximam capere mortalis conditio potest. Siquidem virum esse testatur, « extraordinarii cujusdam pretii [1], cujus profundam, ac diffusam eruditionem, sublime ingenium, magnum et perspicax judicium, non solum Gallia, et quidquid inibi est præclarorum hominum agnoscit, sed etiam Romana jampridem curia cum Urban. VIII summo pontifice suspexit. »

Quod autem ad eam rerum divinarum scientiam attinet [2], quæ in contemplanda, explicandaque gratia versatur, tantum illi cœlestis luminis ad eam intelligendam tribuit, quantum cuivis hodie alteri est tota in Ecclesia concessum. Cujus itaque tot ingenii ornamenta venditari, doctrinæque insignia videbam, horum gustum, et experimentum capere illo in libro cupiebam, quem usque adeo laudatrix illa præfatio extulit, ut non minus id egisse videatur, auctorem ut ex libro, quam librum ex auctore clarum, et nobilitatum redderet. Totum igitur me ad legendum illum librum contuli; et, quod perinde tu me, ac præfatio lectores admonebat, otiose contemplatus sum unamquanque partem. Non erit tibi, opinor, ingratum, imo, quod ultro a me repetis, et cujus gratia illud legendi a te mihi onus injunctum est, exequar, si summam cogitationum mearum hic tibi sincere, ac breviter exponam.

Mea de novis dogmatistis hæc semper opinio fuit, ex quo in Ecclesiæ perniciem ebullire cœperunt, nullam penes ipsos vim judicii, nullum ingenii robur et acumen, nullum reconditioris usum doctrinæ, ac facultatem residere; solam illis non negabam sermonis in scribendo patrii expeditam, ac profluentem celeritatem, quod et unicum præstare ipsos cupere in tanta crebritate librorum, qui quotidie sub manum iis nascuntur, animadverteram. Quod si quis vel a natura tributum, vel studio ac disciplina comparatum ejusmodi aliquid haberet, eum, postquam se ad istam sectam applicarat, eaque propinante, tanquam ex Circæo poculo, venena illa dogmatum ebiberat, totum illud effudisse paulatim, penitusque perdidisse.

Hoc meum de illis judicium, quorumdam ex eo grege consuetudine, experientiaque collectum, nihil sic confirmavit, ut recens illud anonymi abbatis exemplum. Neque vero persuadere tibi aliter poteris, si hoc cogites, itaque ratiocineris : magnum fuisse, præfatio dicit, in abbate ingenium, magnum judicium; tum omnem excellentis doctrinæ copiam, antequam Roma revertisset in Galliam, hoc est cum nondum animum appulisset ad Jansenii dogma, cujus ne nomen quidem per id tempus erat auditum. Ecquis igitur epistolam deinde legens, cum nullum bonarum istarum rerum in illa vestigium, sed contraria potius omnia deprehenderit, non mihi statim assentiatur, in hujus epistolæ scriptore, quæ olim inerant, animi esse ornamenta illa desiisse? Mihi nemo temere fidem habeat istud asseveranti. Legat epistolam, ac per se ipse judicium ferat. Observet, qua de

1 Præf. *ad Lect.*— 2 Ibid.

re constitutum illi sit agere, et hoc quemadmodum disputet, atque argumentando conficiat; non dubito, quin leviora esse, quæ dixi, quam pro rei indignitate fateatur.

Duas in partes epistolam esse distributam, narrat præfatio. In priore demonstrandum id sibi proposuit abbas : Tridentini de gratia decreta concilii ex Augustini doctrina, si quid in illis existit controversiæ, interpretari oportere. Ad hoc probandum quatuor adhibet firmamenta; quæ sunt ejusmodi, ut ad contrarium demonstrandum, hoc est ex Tridentino concilio explicandam Augustini esse doctrinam, non minus suadeant, imo utrumque multo magis e Scripturis explanandum adstruant. Hic enim, exempli gratia, primus illi est argumentandi locus, quod Tridentinum concilium in exponendo gratiæ dogmate Augustini verbis, ac sententiis utitur. Quid tum vero? Num ex eo consequens est, quod sibi probandum sumpserat, Augustinum interpretem asciscendum esse Tridentinorum canonum? Vana et futilis est ista collectio. Nec meliores sunt aliæ tres; et quod ex illis nectitur, non dissimili ex rationis, communisque sensus inopia redundat. Sed hæc utcumque tolerari possent, nisi altera pars accederet, in qua fines omnes humani, et condonandi erroris excessit.

Verum contineo me, nec epistolæ vitia hic insector. Malo enim operam hanc reservare dissertationi nostræ, nec illa, quæ longiori disputatione opus habent, in angustum cogere, ac quodammodo præfocare. Tum hoc laboro, et enitor, uti famem tuam integram, nec istiusmodi prægustatione compressam, et accisam ad eas dapes afferas, quas in libro tibi hoc apparare decrevi. Quem tu librum si legere non gravaberis, et, quod magnopere abs te postulo, cum epistola conferre, disces, quod et abbatis refert cognoscere, non multum alienæ de tua laude prædicationi confidere, ac sicubi alias, hac potissimum in re valere hoc vafri illius Siculi :

Μέμνασ' ἀπιστεῖν· ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν,

Tum multo magis istud laudabis sapientissimi regum : *Qui benedicit proximo suo voce grandi de nocte consurgens, maledicent simili erit* [1].

Sane plerique omnes factionis istius venalem ut stylum, ita et præconium habent. Scribunt quodcumque jussi sunt magnis auctorati præmiis. Laudant eorum, a quibus conducti sunt, fautores, et amicos; alienos, et ab iis aversos canum instar allatrant; nec a præsulibus, et principibus viris dentes suos continent; ne ab Romanis quidem pontificibus ipsis, quorum auctoritatem, ac decreta rabidis, ac sacrilegis morsibus lacerare non dubitant; quo æquiore idem istud animo perpeti, ac minus irasci convenit obscurioris sortis homines, quamlibet probos, et eorum contumeliis indignos. Ita enim mos istorum habet. Displicet alicui gnavo, ac solerti viro novitas istorum? statim famosis libellis illius nomen ducitur. Nemo istoc obtusior : nemo imperitus æque; nemo reconditioris doctrinæ, et imprimis Augustinianæ magis expers. Idem si ab illorum emissariis, et illicibus inescatus hamum vorat, et ad eorum partes transfugit; repente ingenii et judicii primas obtinet, ac divinarum rerum, et Augustini dogmatum interiori notitia omnibus antecellit. Hos ludos, et hanc histrioniam exercent, qui quæstum ex illa secta instituerunt facere. Id quod D. abbati homini non malitioso ab mercenariis istis evenisse suspicor. Nondum enim iis assentior, quos tibi narrare scribis, non alium præfationis auctorem fuisse, quam qui fuit epistolæ; ejusque rei conjecturam de styli similitudine capere. Ego vero, donec ea de re certius constiterit, malim, ab altero quopiam scriptam esse præfationem, credere. Quem quidem caveat D. abbas, ne inter amicos, ac benevolos numeret. Neminem habet inimiciorem, pejusque de se meritum, uno excepto se, vel hoc ipso, quod compilasse clanculum ait abbatis ejusdem scrinia, et eo absente, ac nesciente in lucem protulisse illius epistolam; quo facto, publicum ad contemptum doctorum, et ludibrium tam illustre nomen objecit. Sed de his coram, et, ut spero, brevi inter nos agemus; jam enim propediem ad vos cogito. Velim jam a te perlecta dissertatione nostra, et cum epistola comparata; ita enim utilius de ea controversia sermonem invicem conferemus. Vale, et me, uti facis, amare perge.

1 *Prov.* XXVII, 14.

CAPUT PRIMUM.

Abbatis præscriptum de interpretandis Tridentini concilii decretis ex Augustini doctrina. Id imprimis refellitur ex concilii ipsius, et Pii quarti sanctionibus.

In anonymi abbatis epistola cum multa sint castigatione digna, tum hoc principio animadvertendum est, quod ab argumento, et proposito ipso, illius aberrat inscriptio. Etenim scribendæ hujus epistolæ causam inde natam sibi esse profitetur, quod eo nonnulli erant offensi, quod episcopo cuidam inter colloquendum forte dixit, « Sanctum Augustinum ad ea interpretanda, quæ de gratia Tridentina decrevit synodus, adhibendum videri sibi, quoties de eorum sensu inter Catholicos non convenit; propterea quod in decretis condendis non sententiarum solum, sed etiam verborum illum sibi auctorem synodus ista præscripsit.»

Epistola secum pugnat.

At in fronte libelli titulus hic præfigitur, *De consensu S. Augustini cum Tridentino concilio, quod ad gratiam attinet.* Atqui ambo ista tanto abs se intervallo distant, ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης. Nec illud modo agitur, an Augustini doctrina cum Tridentini concilii decretis consentiat, an secus habeat; sed utrum recte hoc dictum; et tolerabile sit, « Ad explicanda Tridentini concilii decreta de gratia, interpretem adhiberi oportere S. Augustin. quod cum iisdem decretis apprime hujus doctrina consentiat. » Præpostere itaque fecit auctor epistolæ; qui, quod potissimum agebatur, et cujus unius gratia institutam a se fatetur hanc apologiam, leviter attigit; in eo vero tractando omnem operam consumpsit, quod nemo ab eo requirebat, nec in cujusquam sermonem, aut reprehensionem incurrerat.

Quantum cælum distat a terra.

Status controversiæ.

Quamobrem id nobis hac in tota controversia videndum est, verumne sit, quod se abbas pronuntiasse confirmat : Tridentini concilii decretorum de gratia, de quorum sensu catholicos inter orta contentio est, Augustinum interpretem esse debere. Ac primum illud puto constituendum, quid vox *Interpretis* ista significet; aut quas ei nomini consentaneas illi partes mandandas esse abbas existimet. Equidem nihil aliud esse arbitror, interpretari decreta concilii Tridentini de gratia, quam si quid in illis obscurius dictum, et statutum fuerit, eamque ob causam explicatione aliqua egere visum fuerit, eam ipsam adhibere, ac perspicuum illud reddere obscuritate, et ambiguitate sublata. Hujusmodi si est Tridentinæ doctrinæ de gratia quærendus interpres; non is esse potest Augustinus, longeque in ea re falsus est abbas; quod una, alterave ratione demonstrari sic potest. Primum, quod Romanus pontifex Pius IV, sub quo Tridentina est absoluta, et obsignata synodus, eas sibi, hoc est Apostolicæ sedi, partes reservavit edicto illo, quod concilii acta, et decreta comprobavit. Cujus hæc verba sunt : « Si cui vero in eis aliquid obscurius dictum, et statutum fuisse; eamque ob causam interpretatione, aut decisione aliqua egere visum fuerit, ascendat ad locum, quem Dominus elegit, ad Sedem videlicet Apostolicam, omnium fidelium magistram, cujus auctoritatem etiam ipsa sanc. synodus tam reverenter agnovit. Nos enim difficultates, et controversias, si quæ ex eis decretis ortæ fuerint, nobis declarandas, et decidendas, quemadmodum ipsa quoque s. synodus decrevit, reservamus, parati, sicut ea de nobis merito confisa est, omnium provinciarum necessitatibus ea ratione, quæ commodior nobis visa fuerit, providere. Decernentes nihilominus irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. »

Argumentum I quo probatur Augustinum non debere interpretem esse Concilii Trident. quia Papa prohibet.

Quid interpretis vox significat.

Est autem operæ pretium, verba ipsa concilii, quibus eam interpretandi curam Romano pontifici reservavit, expendere. Postquam enim testatum est in fine vicesimæ quintæ, et ultimæ sessionis, « id se potissimum curasse, ut præcipuos hæreticorum nostri temporis errores damnaret, et anathematizaret, veramque, et catholicam doctrinam traderet, et doceret; » mox ista subjicit : « Quod si in his recipiendis aliqua difficultas oriatur, aut aliqua inciderint, quæ declarationem, quod non credit, aut definitionem postulant; præter alia remedia in hoc concilio instituta, confidit sancta synodus, beatissimum Romanum pontificem curaturum, » etc. Hinc duo quædam apprime notanda veniunt : alterum, concilium ipsum minime credidisse, in decreta sua aliquid incidere posse, quod declarationem postulet, quæ vox nihil aliud, quam *interpretationem* sonat; non putavit ergo, decretis suis ullo esse opus interprete; adeo clara et perspicua omnia judicavit. Alterum, si nihilominus opus esse videretur interpretatione aliqua, eam non ab altero, quam Romanæ sedis antistite, tam synodi ejusdem, quam

Et Concilium ipsum.

ipsius Romani pontificis auctoritate, ac decreto esse repetendam. Nusquam illic appellatus Augustinus, nedum arbiter ascitus, aut interpres; quem tamen præ omnibus, imo unum ex omnibus huic negotio delegari oportuit (utpote cujus verbis, et sententiis potissimum, quæ sentiret, synodus explicavit), si ad interpretis officium satis illa res esse videretur. Sed nec visa tunc est, nec prudenti cuiquam, vel, quæ dicit, aut intelligenti, aut consideranti, potest videri.

Cavillatio auctoris Epistolæ.

Etenim, si quis abbatis illud de interprete Augustino ad concilium apponendo diligenter expenderit; inveniet, totum illius negotium meram in calumniam, et illepidam cavillationem recidere, cujus ista summa sit: Tridentini decreti interpretationem ex abbatis, aut similis cujuspiam sensu, et arbitrio esse statuendam. Mentiar, nisi id ex ejus oratione consequens ostendero, quæ secunda nobis erit argumentatio adversus illam abbatis præscriptionem, qua Augustinum censuit, interpretem asciscendum esse Tridentinorum decretorum de gratia; tum eadem priori velut subsidiaria merito subjicietur, ut ea intercludat effugia, quibus elabi, et vim eludere illius utcumque posse videtur.

Sentio enim, ad ea, quæ proxime ante posui de pontificali interdicto, quo præter Romanam sedem nemini concilii decreta interpretari licet, responderi sic posse, ut hujusmodi tantum vetita sit interpretatio, quæ cum decidendi jure, summaque potestate sit conjuncta, non quæ privatim, tanquam ab doctore aliquo tradatur; tum vere, utro modo interpretatio illa proferenda sit, ex Augustini doctrina eam oportere repeti. Dici hoc quidem pro abbatis sententia posse non nego; sed quam nulla cum ratione, ex consequenti sermone constabit, in quo secunda illa, quam dixi, argumentatio proponetur.

CAPUT II.

Refellitur eadem epistolæ præscriptio altero argumento, quod Augustiniana doctrina non sit intellectu facilis, deque ea controversiæ plures exortæ fuerint.

Cum ad controversi alicujus scripti sententiam eruendam altero e scripto interpretatio petitur, tale hoc esse posterius debet, ut et priore clarius sit, et ipsum in controversia minime versetur. Hoc et intérpretationis vox, ac notio ipsa persuadet; quam idcirco antecedente capite statui; et, nisi ita res habeat, ludicrum illud existet, *quod Tuscum litigium* vocant, cum lis lite resolvitur. Quoniam igitur de Tridentini concilii scripto si quid ambigui nascitur, id ex Augustini scriptis interpretari, abbatis lex jubet; necesse ést, tum hæc intellectu faciliora esse, tum de iisdem nullam inter catholicos esse controversiam; alioqui frustra ex Augustino interpretari studeas, si et ipsi interprete sit opus. Hoc vero constituto, omnem dico cassam, et inanem esse abbatis operam, quam in elucubranda epistola ista posuit. Non enim ignorare potest, de Augustini mente, ac sententia jampridem acriter inter se contendere catholicos, et eruditos theologos; quod argumento sit, haud illam adeo expeditam, et in proclivi esse positam, cum Augustinum dissidentium utraque pars trahat ad sese, et iisdem illius locis tam suam corroborare, quam contrariam opinionem labefactare studeat. Tot vero, tantoque ingenio, ac doctrina præditos viros putare de nihilo commoveri, et de re facili, minimeque controversia digna puerorum more contendere, hominis est non magis, quid de Tridentini decreti interpretatione statuendum, quam quid de se judicandum sit, exemplo suo monstrantis.

Altera ratio cur non sit interpres August.

Atque, ut vetera prætermittam, nec turbas illas commemorem, quæ Augustino adhuc superstite, vel post ejus obitum, de illius doctrina, et sententia ortæ sunt inter catholicos apprime pios, et doctos, quarum sedandarum gratia, novis identidem scriptis animi sui sensum patefacere opus habuit; et qui mortuo illo in ejusdem doctrinæ patrocinium successerunt, sæpius incudem eamdem tundere sunt coacti; certe annis abhinc centum de Augustini sententia variis in quæstionibus haud leves altercationes exstiterunt. Velut in ea, quæ de electione ad gloriam, sive prædestinatione hominum instituitur, duæ sunt ex adverso pugnantes sententiæ: quarum altera, sine ulla prævisione meritorum, absoluta voluntate destinari quibusdam salutem asserit: negat altera, et ut meritis reddi, sic ex horum præsensione mercedem constitui probabilius existimat. Harum alterutra vera sit necesse est, ambæ enim esse nequeunt; ac suos utraque numerat auctores, primarios theologos, et, quod caput est, neutra se ab Augustino dissentire pars putat, sed eum sibi patronum inscribit. Imo, quod multum mi-

De Augustini mente variæ controversiæ.

rere, iisdem illius locis, et sententiis suam quælibet, hoc est ambæ contrarias inter se opiniones totidem probare contendunt. Est autem hæc ipsa controversia una ex his, quarum interpretationem ex Augustini doctrina petendam judicavit docti abbatis epist. uti post paulo latius edisseram. Quærendum igitur est ab illo, qui tandem idonea poterit esse discéptatrix istius controversiæ doctrina summi illius, et sanctissimi viri; aut quis altercandi finis erit, si ad docti abbatis præscriptum litis hujus, et causæ cognitio revocetur?

Non est dispar de aliis quæstionibus plerisque judicium, quarum disputationes jam, præter civilem, nedum Christianum modum, exarsisse, et in sectas ac factiones abiisse cernimus; quarum nonnullas attigit in epistola docius abbas, et ei, quod adstruere modo volumus, contra mentem suam, ac propositum prælusit.

Hæretici um asserunt Augustinum.

Nondum de hæreticis dico, Luthero præsertim, et Calvino, et amborum discipulis, quorum nullus est, qui ab Augustino dissentire se putet. Dissentire vero? Augustinum totum, quantus est, suum clamat esse Lutherus; Calvinus et hoc idem dejerat; et cæteros præ uno illo Patres contemnit, ac nihil facit. Tum omnes iisdem Augustini locis illa ipsa, quæ post Michaelem Baium, ac cæteros earum partium, novi dogmatistæ recoquunt, decreta confirmant; quod uberrime demonstravit Antonius Ricardus in defensione censuræ sacræ facultatis Parisiensis, quæ eadem illa capitula, sive *propositiones* ante annos nonaginta, tanquam *hæretica*, *falsa*, et *erronea* damnavit, quæ nunc d. abbas ex interpretatione scilicet Augustini, pro veris, et catholicis defendit; nec vel Romana fulmina curat, quibus toties afflata, et ustulata sunt dogmata illa, tanquam adversa fidei Christianæ, nedum ab Augustino posteris tradita.

Hæc eo commemorare novæ sectæ placita volui, non ut adversus ea disputarem hoc quidem loco, non enim istud agitur, sed ut ex eo lector eruditus intelligeret, quam sit abnormis illa decretorum fidei interpretandorum regula, quam nobis ex Augustini doctrina d. abbatis epistola præscripsit.

Scire velim, quid epistolæ auctor ad ista respondeat; (quanquam non id magnopere quærendum videtur; perspicuum enim est, qua rima, et quidem unica elabi, et eluctari utcumque possit) hoc enim omnino dicturus est: Non so ex Augustini doctrina qualicumque declarata modo, sed vero duntaxat, et germano sensu, Tridentina interpretari velle decreta. Præclare; nec enim aliter potest. At quis illè tandem modus, ac sensus erit in tanta varietate, ac dissidio pugnantium inter se, non jam hæreticorum cum catholicis, missos enim illos facimus, sed inter se catholicorum? Qui quidem crebris auctoris ejusdem testimoniis, et secum cohærentibus, ac colligatis, tum quibuscumque aliis ponderandarum sententiarum momentis instructam, ac subornatam opinionem suam in medium utrique proferunt, et Augustinianam esse quovis sacramento contendunt.

Auctoris epistolæ necessaria responsio Refellitur.

Veniat in quæstionem, exempli gratia, tritum hodie, ac pervagatum illud: Utrum libertas humana, quæ laudis ac vituperii, boni item malique meriti discrimen affert, cum absoluta, et antegressa necessitate cohæreat; an soli sit opposita violentiæ? Aut illud: Sitne aliqua Christi gratia, quæ effectu careat, et sufficiens tantummodo dicatur? De utroque cum in certamen ventum fuerit, ita confligetur. Qui voluntatem liberam negabit cum necessitate uno aliquo circumscribente consistere, innumera ex Augustino testimonia percensebit, quæ libertatem in utriusque potestate, et ad neutrum necessario affixa collocare videntur. Ut cum ait in libro *de Prædestinatione sanctorum*, « Credere, vel non credere, esse in arbitrio voluntatis humanæ.» Item in libro *de gratia Christi*, capite XII. « Qui legem servare non vult, in potestate ejus esse servare, si velit; » et alia, quæ a plerisque collecta, longum hic sit, et molestum describere. Contra hæc, qui secus sentiunt, plura vicissim opponent ejusdem Augustini loca, quæ liberum arbitrium post originalem labem *amissum*, *perditumque esse* dicunt, ut *in Enchiridio ad Laurentium* capite XXX, et epist. CVII, quamvis alias idem *tam ad bonum*, *quam ad malum* illud nos habere testetur, velut in libro *de Correptione*, *et gratia*, capite primo. Multis insuper aliis nitentur ejusdem Augustini sententiis, quæ in eo quoque, quod aliter fieri non potest, voluntatis usum liberæ, ac proinde vel laudandæ, vel culpandæ, videntur agnoscere. Quæ autem ex adverso sunt allata explicabit, ac depellet quisque, quomodo poterit. Hoc ipsum vero pro se vicissim et adversaria pars faciet, et citata contra id, quod tuetur, Augustini testimonia suum in commodum explicando convertet. Par erit in altera, cæterisque id genus contro-

De Augustini doctrina lites variæ.

versiis agitandis, ludus argumentantium; qui ancipitem, necesse est, ac perplexum habeat quamlibet acutum, et Augustini lectione duratum cognitorem, qui abbatis consilio uti velit, et ex Augustiniana doctrina lites illas decidere. Hunc vero denique vel silere penitus, ac desperatione fractum abire necesse est; vel illud unum respondere, si ad novam sectam adhæserit, eo sensu intelligenda Augustini esse testimonia illa, quæ pro indifferente statu liberæ voluntatis adducuntur; quem Iprensis episcopus, et ex eo abbas in epistola præfixit, nec aliter interpretis officium exercere istic Augustinum posse, nisi in id pars utraque consentire voluerit. Verum quid erit hoc aliud, quam nugas agere; et, quod pacis, ac concordiæ sequestri, et interpreti summopere cavendum est, litem suam facere, hoc est sibi, causæque propriæ servire, non æqui, ac justi rationem ducere? Hæ sunt labes, et ruinæ communis sensus, ac judicii, in quas docti abbatis præscripta nos regula compellit; ut idem ex ea prorsus incommodum, et ἄπορον sequatur, quo laborat Calvinistarum, ac similium hæreticorum natio. Qui cum omnium controversiarum disceptandarum normam unicam velint esse Scripturam sacram, ubi ad certamen deducta res est, eo tandem pervenitur, ut illam interpretem suam, et judicem non aliter audiant, quam suo ipsorum sensu, et arbitrio loquentem. « Hujusmodi est inconsulta temeritas, ait Gregorius Nazianzenus, et contra veritatem certandi libido, ut ne secum quidem pugnantes ipsimet aut intelligant, aut erubescant[a]. » Ad hanc ἀλογίαν offendit epistolæ sanctio, cui nos propterea παρανόμων litem intendimus, cujus summam in hanc formulam includi placet ei, quam epistola in fronte habet, oppositam, et objectam. « Cum de gratiæ negotio agitur, si quæ sint Tridentini concilii loca, de quibus inter catholicos non convenit; ad hæc interpretanda, et exortam inde dirimendam controversiam, non sufficere Augustini librorum doctrinam, sed vivi oraculi, hoc est Romani pontificis, ut synodus ipsa constituit, adhibendum esse responsum. » Hoc vero desiderari, non est hactenus passa sedes apostolica; sed repetitis sæpe edictis grassantis in fidei perniciem novantiqui dogmatis vim, ac licentiam compressit. Cui quidem supremæ, sacrosanctæque auctoritati cum nondum obfirmatorum in hanc novitatem hominum pervicacia cesserit, sed vivi, ac spirantis adhuc legitimi interpretis effata tot artibus, ac versutiis eluserit; apparet quam nos bona fide ad Augustini doctrinam provocent, quæ nec loqui pro se ipsa potest, nec vim sibi facientes, et ea quæ nolit, testificari cogentes arguere.

Hæreticorum fraudulenta ratio.

Ineptiam.

De violata lege.

Novor Dogmas tarun calumn

CAPUT III.

Augustini doctrinam neutiquam fautricem esse novæ factionis. Cujusmodi interpretem Augustinum esse statuat Tridentinorum decretorum, abbatis epistola; idque alio rursus argumento confutatur ex eo, quod Augustinus longe ætate synodum antecesserit. Diluuntur ea, quæ in contrarium allata sunt in epistola.

Quæ de Augustini doctrina contra epistolam abbatis hactenus contendimus, nolo quisquam in eam partem accipiat, ut illius pœnitere nos putet: aut eam, velut adversariæ causæ fautricem, nostræ vero contrariam defugere. Non est ita profecto, non est; stulteque sibi plaudit novorum dogmatistarum factio, quæ suum ex asse jactat Augustinum; cæteros, hoc est veteris, et catholicæ professionis tenaces, alienare ab illo studet, et in hostilia castra transcribere. Fecit hoc ante Lutherus, et post eum, præque eo Calvinus; qui Tridentinam synodum oppugnans, nulla valentiore, ut quidem rebatur, adversus illam machina est usus, quam Augustini doctrina, qua una niti se passim gloriatur; et ejus ope synodi illius decreta labefactari funditus ait, et everti. Nostri vero dogmatistæ cum idem reipsa præstent, appellatione sola dissentiunt. Non enim labefactare velle se dicunt; quod nihilominus faciunt, sed interpretari Tridentina placita. Astute id quidem; « Nisi enim hæc verba[1], ut cum Augustino loquar, longe ab suis moribus aliena, in sermonis sui superficiem transferrent, quomodo se ovina pelle tegerent? » Sed ut uno verbo te absolvam,

a Nazianz. Τοιοῦτον ἡ ἀλογία, καὶ τὸ πρὸς τὴν ἀλήθειαν ἀπομάχεσθαι. ὡς μηδὲ περιπίπτοντας αὐτοὺς ἑαυτοῖς ἢ νοεῖν, ἢ αἰσχύνεσθαι.

1 Aug. l. II *con. Petil.* c. LXXV

quisquis es istius fuligine dogmatis afflatus, « Vide[1], quid intersit inter vestras maledicas voces, et nostras veridicas assertiones. Attende paululum. Ecce exaggerasti crimen » deserti a nobis Augustini, et *invidiosissimis verbis* tanquam adversantes illius nos doctrinæ traduxisti. « Ad hoc tibi ego tamen brevissime respondeo : Non feci, quod dicis ; Augustinum non prodidi. Falsa objicis ; nunquam id probabis. Nonne omnis iste verborum fumus repente dilabitur? » Nihil Augustini verbis istis congruentius in hanc causam, calumniamque vestram usurpari potuit. Quantum enim meridianus splendor a tenebris, a mendacio veritas, Christus ab erroris spiritu discrepat; tantum inter se Augustini decreta, et commenta vestra discordant. Quidquid ille de gratia Christi, de arbitrii libertate, et utriusque consensione scripsit, ac docuit, nostrum istud est, hoc tuemur, hoc amplectimur, hoc a vestra novitate remotissimum, et alienissimum esse defendimus. Credo idem et vos vel sentire de nobis ; vel contra vestri animi sententiam fingere. Qui enim aliter causam vestram agere, et in hoc quasi judicio consistere possetis? Utri verius existiment, longum est hoc loco disserere, minimeque necessarium ; quod proprie hic intendimus, hoc est, de quo jam dixi : Ex tanta contentione, atque pugna de Augustini sententia dissidentium, plane intelligi ab omnibus, merito displicuisse nobis illud abbatis in epistola decretum, quo omnem de gratia controversiam, quæ ex Tridentini concilii verbis inter catholicos oritur, ex Augustini doctrina, et hujus interpretatione dijudicari præcipit.

Quomodo ad interpretandum Concilium adhiberi possit Augustinus

Quanquam, si hoc genus interpretandi solum ageretur, quod est ad obscuri loci intelligentiam aliquid conferre, quis neget ex Augustini doctrina peti nonnulla posse, quæ ad illustrandum concilium pertinent? Sed ea ratio non minus efficit, ex Tridentino concilio interpretandam Augustini esse doctrinam, cum in hanc ex illo derivari lucis plurimum possit. Tum vero e scholasticorum lucubrationibus, aliisque libris, imprimis eorum Patrum, qui post Augustinum floruerunt, velut ex Prospero, Fulgentio, ac cæteris, non parva capi adjumenta possunt ad Augustini, vel Tridentini concilii doctrinam explicandam. Verum non de hoc interpretandi modo loquitur epistola ; sed de eo, quod cum disceptandæ litis, et sententiæ pronuntiandæ auctoritate aliqua conjungitur, cujusmodi honorarii arbitrii est, aut compromissarii judicis; cujus est non partem aliquam quæstionis, ambiguitatisque componere, sed totam exhaurire controversiam, ac dissidentes inter se partes ad pacem, et concordiam adducere. Hic si interpres quæritur ; quæri autem, et ab abbate præfiniri, quis non videt? nego talem August. debere esse, quia non posse demonstratum est. Et si de duobus, August. et Tridentino concilio, alterutrum capere necesse sit, et de constituendo interprete quædam divinationis causa noscatur; nemo rerum æquus, ac prudens æstimator est, qui non ex Tridentini concilii doctrina interpretandum malit Augustinum, quam ex hoc illam explicandam. Id multo melius, ac rationi magis esse consentaneum plura mihi persuadent. Primum, quod, ut ante dixi[2], synodi decreta nihil declaratione, hoc est interpretatione, opus habent, si quod illa credere se profitetur, itidem et nos credimus, ut profecto debemus. At Augustini doctrina tot seges controversiarum, quam maxime *interpretationem* requirit, uti res ipsa loquitur. Deinde quod Augustino posterior est Tridentina synodus. Hoc autem quantopere ad rem pertinet, satis cuique perspicuum est. Ac luculenter idipsum declarat Augustinus in libro secundo *de Baptismo contra Donatistas*, capite tertio : ubi non solum « episcoporum litteras per aliorum episcoporum graviorem auctoritatem, (qualis est in concilio generali) doctioremque prudentiam, et per concilia licere reprehendi, si quid in eis forte a veritate deviatum est, asserit ; sed et ipsa concilia, quæ per singulas regiones, vel provincias fiunt, plenariorum conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex universo orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedere. » Quinetiam hoc addit ; « Ipsa plenaria concilia sæpe priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat, et cognoscitur, quod latebat. » Quæ posteriora verba sanctissimi doctoris non de fidei dogmatibus accipi debere, sed de iis, quæ ad ritus, ac mores attinent, aut id genus alia, quæ temporarii sunt instituti, verba illa satis ostendunt, « cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat, » etc. Hæc enim Augustini sententiam ad ea restringendam esse demonstrant, quæ *sub experimentum*

Tridentinum Concilium interpretando potius Augustino adhibendum quam hic illi

1 Aug. II *cont. Pel.* c. VIII.— 2 Vide c. I.

cadunt, et pro temporum ratione mutantur, non de fidei decretis intelligi debere, quæ constanti, et immutabili veritate constant. Sed hæc obiter. Illud vero indidem colligitur, quanto prudentius Augustini doctrina ad Tridentini concilii normam, et interpretationem, quam hoc ad illam accommodetur.

Refellitur Epistolæ ratio de Athanasio, et Cyrillo.

Hic mihi privatos quosdam doctores, sed eximia doctrina, et auctoritate præditos epistola commemorat, qui generalium synodorum interpretes habentur; ut Nicæni concilii Athanasium, Ephesini Cyrillum Alexandrinum. Verum incredibile est quantum in eo scriptorem epistolæ ratio fugerit; nihil enim dissimilius, aut adversum se validius afferre potuit. Athanasius, ut singillatim de illis agam, Nicæno concilio non solum interfuit, sed propemodum præfuit, cum apud Alexandrum episcopum suum, a quo primum damnatus est Arius, propter singularem eruditionem, et Arianæ hæresis exactam notitiam, atque expertam in omnibus fidem, ac sedulitatem omnia posset. Itaque quod ab Nicænis Patribus de fide catholica contra Arianam hæresim editum est symbolum, non dubium est de Athanasii consilio, Alexandro potissimum auctore, fuisse conceptum. Merito igitur ad interpretandum Nicænum symbolum momenti plurimum habet Athanasii auctoritas, qui et præsens affuit, et Patrum illorum arcanos intimosque sensus certissime cognovit; ut cum de illius symboli verbis quæstio aliqua nascitur, si hæc ab Athanasio explicata fuerint, ex ejus interpretatione judicium de illa fieri debeat. Quod in uno exemplo perspicuum faciam.

Quæstio orta de Nyceno Symb.

Scriptum est in Nicæno symbolo: « Eos autem, qui dicunt, erat quando non erat, etc. aut ex altera substantia, vel essentia dicentes esse, hos anathematizat catholica et Apostolica Ecclesia. » Græce est, ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως, ἢ οὐσίας. Quæsitum est, quid ibi significaret vox ὑποστάσεως, utrumnam *personam*, quam *hypostasim* proprie vocarunt postea, an *essentiam*; ut ambo ista vocabula ὑπόστασις, et οὐσία, pro eadem re, et ἐκ παραλλήλου posita fuerint. Basilius in epistola LXXVIII acriter contendit diversam utriusque esse notionem, et ὑπόστασιν a Patribus accipi pro *persona*. Reclamant alii, et idem utriusque significatum esse volunt; quod ideo diversis duabus vocibus expressit synodus, quod eamdem rem alii ὑπόστασιν, alii οὐσίαν appellarent. Ut igitur symboli sensus idem ab omnibus caperetur, ambo nomina posita fuisse sentiunt. In hac ancipiti, et majoris, quam quisquam putet, momenti controversia, quid consultius fieri potuit, quam ut Athanasii sententia ex ejus scriptis eliceretur? Hoc cum sedulo fieret, inventum est ὑπόστασιν auctore illo[1], nihil aliud esse præter οὐσίαν, ut tum usus ferebat. Prorsus igitur verosimilius est visum, Nicænos Patres eadem notione usurpasse τὴν ὑπόστασιν. Sic ex Athanasio Nicæni, cui præsens affuerat, concilii mentem jure interpretati sunt theologi.

Hypostasis et substantia synonymi quæ velut inter se componuntur.

Hypostasim. essentiam.

Eadem est ratio Cyrilli Alexandrini, qui Ephesino concilio præsedit, Cœlestini Romani pontificis jussu, ac nomine, ex quo decretorum, et gestorum illius synodi accuratam notitiam est adeptus; ut propterea multum in eo ad Nestorii hæresim, et synodalem de ea sententiam explorandam fidei, et auctoritatis resederit.

Nam quod Eugenii quarti de unione decretum citat epistola, qui Cyrillum Ephesini concilii interpretem declarat; intererat auctoris illius animadvertere, non hoc de Cyrillo, ejusve scriptis omnibus Eugenium dixisse, sed de epistolis duntaxat synodicis illius contra Nestorium, quæ ab Ephesino concilio probatæ, et in acta relatæ in horum parte censentur, et synodalis decreti vim habent; ut idem sit, epistolas istas « congruas existere ad convincendas Nestorii vesanias, et ad interpretationem eorum, qui salutaris symboli mentem pio zelo nosse desiderant, » quod ait Eugenius; ac si diceret synodalium actorum partem unam ad aliam interpretandam conducere, hoc est synodum suiipsius esse interpretem.

Huic non dissimile est de cancellario judicium, quem regis, id est edicti regii, ac voluntatis interpretem esse, tametsi longe sit inferior, objicit epistola. Non enim sua, sed regis auctoritate ad interpretandum utitur: nec tam ipse principis, quam princeps ipse mentem suam per illum interpretatur, ac significat.

1 Athanas. ep. *ad Afric.* et Orat. v lib. *de Syn.* et alibi sæpe.

CAPUT IV.

Convelluntur deinceps firmamenta omnia, quibus auctor epistolæ nititur, ut ex Augustini doctrina probet interpretandum esse Tridentinum concilium. Cui ex adverso illud opponitur : ad Augustini sententias multa Tridentinum addidisse explicandi gratia, quod exemplis aliquot approbatur.

I. Satis hæc esse poterant ad coarguendam epistolam, et auctoris in ea scopum, ac propositum refellendum, quæ universe tribus istis capitibus exposita sunt, cum invictis rationibus probatum illud, effectumque sit, præpostere doctum abbatem existimasse, doctrinam Augustini Tridentinorum de gratia decretorum interpretem oportere constitui ; et controversiarum, quæ de illis inter Catholicos commoventur, disceptatricem. Quocirca nihil ad ista necesse videbatur adjicere, nisi ulcera quædam epistolæ alia, superessent, quæ medicam a nobis operam reposcunt. Quam equidem deinceps quam potero lenissimam, ac brevissimam adhibere statui, ut et præcipuis, ac necessariis duntaxat insistam ; et hæc cursim peragrare, ac delibare contentus, accuratiorem singulorum tractationem alteri, proprioque operi reservem.

Prima consideratio Epistolæ.

Quatuor sub initium epistolæ consideranda proponit doct. abbas, ex quibus id, quod intendit, consequens facit, Augustini doctrinam ad Tridentina decreta de gratia interpretem adjungi oportere. Harum ἐπιστάσεων prima est ista : Tridentinos Patres, cum de gratia, et prædestinatione locuti sunt, tantum abfuisse ab August. damnanda aliqua sententia, ut illum in omnibus secuti sint ; nec sensum ipsius modo, sed verba etiam ipsa decretis suis expresserint ; ex quo ita colligit, interpretandam in illis locis mentem esse concilii ex Augustiniana doctrina.

onsidera-tionum.

efellitur.

Verum falsa, et inanis est ista collectio. Non enim interpres Tridentinorum canonum de gratia Augustinus esse debet, hoc est controversiarum, quæ de iis post illius obitum exortæ sunt, arbiter ; (quam *interpretis* notionem epistola persequitur, nec, si aliter intelligat, operæ pretium ullum faciat, ut superius ostendimus) non, inquam, illius ex doctrina pendere necesse est ejus concilii, quod duodecimo post ipsum sæculo celebratum est, interpretationem, ob id unum, quod verba ejusdem, ac sententias decretis suis accommodavit. Nam et Augustinus, et plerique Patrum alii, fidei catholicæ dogmata Scripturæ verbis, sententiisque declarant ; neque propterea quisquam Augustini, vel Bernardi, vel cujusquam alterius, Scripturam interpretem esse contendat.

Tridentinum Concilium multa ad Augustini sententias addidit.

Ad hæc non sic Augustinum Tridentina synodus expressit, nihil ut ad illius sententias adjecerit, cum in plerisque nonnulla passim intexuerit explicandi gratia, ut, quod ad novas confutandas hæreses deerat, accessione aliqua suppleret, aut quæ ambigue, et obscure ab illo erant posita, illustraret ac patefaceret. Ex quo interpretem potius synodum Augustinianæ doctrinæ, quam hanc illius esse manifesto argumento colligitur.

Ut in paucis capitibus illius interpretationis specimen præbeam, age sit illud primum, in quo nova factio gestire ac triumphare solet : Augustinus in ea videtur opinione fuisse, ut Christum negaret pro omnibus Adami posteris mortem obiisse, sed pro electis duntaxat, et prædestinatis. Hoc quia falsum judicavit Tridentina synodus, nec ab Scriptura tantum, sed etiam ab Augustini sensu dissidens, et abhorrens, idcirco, cum de ea re decerneret, quibusdam additis, verum, et Augustinianæ doctrinæ consentaneum sensum exposuit sic, capite tertio sessionis sextæ : « Verum, etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii duntaxat, quibus meritum passionis communicatur. » Hoc modo intellecta Augustini doctrina procul abest ab novi fermenti contagione, quo in Lutheri, et Calvini, et post istos Baiano, et Iprensi pistrino impuri dogmatis massa coaluit.

Rursus sine gratia Christi boni nihil omnino posse fieri, quidam ex Augustini placitis consequens putant. Negant alii sane docti, et insignes theologi, qui de boni genere isto duntaxat Augustinum interpretantur, quod ad salutem, et æternam vitam attinet. Inter hos velut sequestra pacis, et interpres synodus, ne de alterutra opinione præjudicium faceret, nonnullis additis, ita temperavit canonem suum : « Si quis dixerit, ad hoc solum divinam gratiam per Christum Jesum dari, ut facilius homo juste vivere, ac vitam æternam promereri possit, etc., anathema sit [1]. »

1 Sess. VI, con. 2.

Quidquid boni fit timore pœnæ, male fieri docuisse quibusdam visus est Augustinus ; id alii secus habere sentiunt. Tridentini Patres decretum suum ita temperarunt : ut « gehennæ metum, quo a peccando abstinemus, » non esse peccatum canone octavo sciscerent.

Idem et in canone septimo fecerunt, ut quod Augustiniana doctrina præfracte statuere videbatur, peccatum esse, quidquid non ex charitate fit, exponerent, et ad regulam catholicæ veritatis exigerent.

Scopus Concilii.

Postremo, ne longum faciam, illud suscepisse Tridentinum concilium videtur, ut cum novorum hæreticorum, qui Augustini doctrina ad erroris sui patrocinium abutebantur, insaniæ mederi, et occurrere vellet, nonnullis necessario additis, illam interpretando faceret catholicam, et ab eorum corruptela. ac pravitate vindicaret. Quæ certissima nostra ratio fucum omnem, et calumniam evertit anonymi abbatis epistolæ, qui, quod ne littera quidem Tridentina synodus attigit, imo contra perspicuam ejus auctoritatem, qua suis decretis interpretatione negavit opus esse, tum hanc ipsam necessariam esse ; tum ab Augustino repetendam, nova, et inusitata lege sancivit.

CAPUT V.

Secunda ἐπίστασις *epistolæ, quod multum Augustino tributum sit auctoritatis ab conciliis, et Romanis pontificibus. Vana ex eo illius argumentatio dispungitur. De Arausicana synodo ejusdem hallucinatio ; tum de Cœlestino, deque synodo quinta. Augustini dogmata omnia non probari ab Ecclesia, ac nonnulla rejici. Explicatur perdifficilis ejusdem Augustini locus.*

I. Secunda est abbatis observatio, Plurimum Augustino tributum esse ab conciliis, et Romanis pontificibus, quoties de gratia, et prædestinatione altercationes inciderunt. Nam et Africanæ synodi, quæ adversus Pelagianam hæresim de Christi gratia decreta fecerunt, omnia ex Augustini sententia, eo dictante, condiderunt, eaque Innocentius primus impense collaudavit. Arausicana quoque secunda canones suos ex Augustini sententiis contexuit. Unde, cum Tridentinum concilium Arausicani canones secutum sit, illius interpres esse debet Augustinus. Quinetiam Ephesina synodus, quæ contra Pelagium in Africa ex Augustini mente constituta sunt, Roma ad se missa probavit, et rata esse jussit. Addit, et aliarum synodorum testimonia, necnon Romanorum pontificum, qui Augustinum miris laudibus efferunt, et ejus doctrinæ suffragantur.

Refellitu consi Abbat

Hæc tota epistolæ pompa circensis « uno spiritu difflari potest, quasi vento folia. » Et mirum valde est, tantum ingenium, quantum in epistolæ auctore præfatio ad stuporem, et invidiam usque prædicat, adeo sui dissimile fuisse in dirigenda hac argumentatione. Quid enim ? Utrum tandem consentanea ista sunt, ac sibi mutuo cohærent, laudari et magni fieri scriptorem aliquem ab iis, qui post eum aliquid commentati sunt, et hujus, quod postea scriptum sit, illum oportere interpretem haberi ? Hoc si quis persuadere potest, eadem opera perfecerit, ut et Servii interpres Virgilius sit, et Homerus Eustathii. Nam et magni uterque Scholiastes auctorem suum facit, et ipsius verbis et sententiis in eo usus est enarrando. Scriptura ipsa vetus novæ interpres erit ; quia et illam hæc sæpe commendat, et verbis ejusdem ac sententiis utitur ; cum tamen verius sit, si alterutram facere interpretem alterius necesse est, prioris esse posteriorem, quam e contrario istius illam. Puto, et translatitiam hæreticorum calumniam non ignorare doct. abbatem, et eam vitare cupere, qui Scripturæ non alium interpretem adhiberi patiuntur, quam ipsam sibi, nec æquo animo Tridentinum hoc oraculum accipiunt [1] : « Ecclesiæ esse judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum. » Quod ea faciunt, quia et latebram habent in obscurarum sententiarum recessibus, et quo libitum est, earum sensa detorquent ; et hoc eo agunt impunius, quod nec pro se loqui possunt litteræ istæ, nec vim sibi facientes, et aliorsum trahentes refellere. Non est dispar in Augustino interprete asciscendo novorum dogmatistarum consilium, et ideo par in his retundendis, et coercendis Catholicorum cautio esse debet.

Hæc universe contra abbatis ἐπίστασιν. In exemplis porro, quæ attulit, complura sunt ἀσυλλόγιστα, quæ paucis exequar.

Consid tion

Me colli

1 Sess. IV.

eram
udit ex
sicana
odo.

Arausicanam ait synodum Augustini sententiis explanasse, quæ de gratia canonibus suis edidit, idque auctore probat R. P. Sirmondo, qui ad Arelatense concilium circa annum 475 hoc observat : « Cæterum gravi, ac diuturnæ contentioni, quæ sanctissimos, et doctissimos utrinque viros in Gallia centum amplius annos exercuit, finem postea tandem attulit synodus Arausicana secunda, quæ totam de gratia, et libero arbitrio controversiam ex sancti Augustini sententia composuit. » Ergone interpres erit Augustinus Arausicani consilii ? Qui potius quam Arausicanum concilium Augustini : Hoc enim ratio ipsa dictat ; ut qui ex Augustino controversiam aliquam decidit, præsertim de Augustini ortam sententia, is Augustinum interpretari dicatur ; hoc est sic mentem ejus, ac sensum exponere, ut hoc, quod probare vult, affirmasse ille videatur. Non enim aliter usuvenit, quoties cum hæreticis de dogmate aliquo contendimus, quod Scriptura teste asseverare nitimur, quam ut, ejus allatis verbis, ea sic intelligenda esse pugnemus, quomodo catholica sentit Ecclesia ; quod ipsum est interpretari Scripturam.

Idipsum Arausicana tum synodus in Augustino instituit facere, quod epistolæ scriptor ex eadem illa P. Sirmondi animadversione discere poterat. In qua synodum Arelatensem, cujus Faustus Reiensis episcopus meminit, contra Prædestinatianorum hæresim collectam fuisse docet. Quæ hæresis « ex Augustini verbis male intellectis initium sumpsisse dicitur ; » quod idem est ac *male interpretatis*. Ac revera, ut ibidem P. Sirmondus adnotavit, absurdæ illi opinioni « nonnullis quorumdam librorum suorum sententiis viam munire, aut vim addere, sanctus Augustinus quorumdam in Gallia episcoporum, aliorumque judicio videbatur ; ut ab illo propterea, cum in cæteris maximi facerent, vehementer hac in parte dissiderent. » Hæc si bene apud se abbas expenderet, nunquam Arausicani concilii interpretem faceret Augustinum ; cujus adeo esset ambigua librorum sententia, ut ab eruditissimis, ac sanctissimis Galliarum episcopis, in suspicionem adduceretur erroris impii, ac nefarii ; quam quidem, nec alio sane modo, quam interpretando, procul ab Augustino depulit Arausicana synodus ; atque ita non interpretem decretorum suorum adhibuit Augustinum, sed pro hujus illa potius interprete se gessit.

lestina-
norum
esis ex
male
llectis
gustini
erbis
im ha-
uit.

Augus-
tini
ctrina
agna
roversia
ta est.

Quid quod in præfatione ipsa, synodi Arausicanæ Patres decreta sua « ab antiquis Patribus de certis Scripturarum voluminibus *in hac præcipue causa* collata esse profitentur, » ut de gratia, et libero arbitrio fides catholica sanciretur ? Nuncubi appellavit Augustinum ? quem si interpretem habere vellet, nominari vel solum oportuisset. Nunc et Patres antiquos, et Scripturas designat, quorum e sententiis canones suos composuit. Igitur, ut est acumen epistolæ, interpretes erunt antiqui Patres necnon Scripturæ sacræ, Arausicani concillii ; quod profecto nimis est obtusum.

De Cælestino Papa inde Epistolæ auctor argumentatur.

Possunt eadem de Cœlestino Papa contra epistolam objici, qui ad episcopos Galliæ de Augustino scribens, nihil de eo testatur aliud, quam « sanctæ recordationis virum fuisse, qui in Romanæ sedis communione semper est habitus, nec unquam hunc sinistræ suspicionis rumor aspersit : quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, inquit, ut inter magistros optimos etiam a meis præcessoribus haberetur. » Quæ ut verissima sunt, et tam excellenti doctore digna præconia, ita non eo spectant, ut posteriorum omnium conciliorum interpres haberi debeat, cum ejus potius, tanquam doctoris et magistri, placita non modo venerata sit, sed etiam interpretata posteritas, ut a pravis sensibus, quos sermonis in illis obscuritas pareret, veriori hæc interpretatione purgaret.

Item de Quinta et Florentina.

Paulo etiam istud incautius injecisse videtur epistola de Augustino synodorum duarum œcumenicarum auctoritate probato, quintæ Constantinopoli habitæ, et Florentinæ. Primum, quod non uni id Augustino tributum est in quinta synodo, sed aliis quoque Patribus, Athanasio, Hilario, Basilio, Gregoriis duobus, Theologo, et Nysseno, Ambrosio, Theophilo, Cyrillo, Joanni Constantinopolitano, Leoni, Proclo. Ita Gennadius in libro *de Spiritu sancto*, capite primo. Atque, ut peculiare quiddam Augustino concessum videatur in hac honoris prærogativa, an propterea omnium synodorum tanto postea, deque nondum cognitis illis controversiis habitarum erit interpres ? Age porro, cum eadem illa concilia, quæ de Augustino tam honorifice statuunt, in omnibus illum esse sequendum, præcipiant, quæ de fide contra hæreses disputavit, quinam hoc doct. abbas tueri poterit ? Non enim pauca, neque contemnenda sunt Augustini dogmata, quæ vel Ecclesiæ universæ, vel theologorum aut omnium, aut multorum, nec infimi subsellii, judicio reprobantur. Sit illud exempli causa, quod multis

Augustini dogmata quædam improbata.

in locis asserit Augustinus, Eucharistiam post baptismum dandam parvulis, et eis esse necessariam ; quippe sacramenti utriusque parem necessitatem distincte, ac separatim adstruit, ex duplici Joannis loco, altero capitis tertii [1], ubi Christus ita loquitur : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et spiritu, non potest introire in regnum Dei* : altero capitis sexti [2], in quo de Eucharistia sic præcipit. *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quibus ex verbis contra Pelagianos disputans Augustinus, parvulos negat, nisi Eucharistiæ fiant participes, vitam et salutem posse consequi. In lib. I *de peccatorum meritis, et remissione*, cap. XX Pelagianorum callidam tergiversationem aperit, ac repellit, qui ob priorem illum Joannis locum, qui neminem, nisi baptismo expiatum, in regnum cœlorum admittit, fatebantur parvulos, *quia baptizati non sunt, a regno cœlorum alienos esse ;* verum eisdem utpote originali « nulla labe pollutis (quam nullant agnoscebant) innocentiæ merito salutem, ac vitam æternam tribuebant, nova quadam, et mirabili præsumptione ; quasi salus ac æterna vita possit esse, præter Christi hæreditatem, præter regnum cœlorum. » Ut igitur hæreticis illis qualemcumque hanc defensionem eriperet, altero illos loco Joannis redarguit : « Auferatur ergo jam dubitatio, inquit, Dominum audiamus, non suspicationes, conjecturasque mortalium. Dominum audiamus, inquam, non quidem hoc de sacramento sancti lavacri dicentem, sed de sacramento sanctæ mensæ suæ, quo nemo rite nisi baptizatus accedit : *Nisi manducaveritis carnem meam, et biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis*, etc. An vero quisquam etiam hoc dicere audebit, quod ad parvulos hæc sententia non pertineat ; possintque sine participatione corporis hujus, et sanguinis in se habere vitam ? » etc. Quocirca sacramentum Eucharistiæ non minus infantibus ad salutem esse necessarium, quam baptismum putavit Augustinus ; idque non uno in loco significavit, ut in libro *de Prædestinatione Sanctorum* cap. XIII, et in lib. *Operis imperfecti contra Julianum*, cap. XXIX, ubi sic scribit : « Cur nec tu admittis in regnum Dei multum habentem, secundum te, meritum peccati imaginem Dei? Cur ministratur sanguis, qui de similitudine carnis peccati in remissionem fusus est peccatorum ; quem bibat parvulus, ut habere possit vitam, si de ulla peccati origine venit in mortem ? » Eamdem et Augustini, et Innocentii primi sententiam fuisse testatur eruditissimus Joannes Maldonatus in commentario ad caput Joannis VI, 53 [3].

Ut quod Eucharistiam infantibus necessariam ad salutem asseruit.

Unde hæc illi opinio succurrit.

Atqui hæc opinio Tridentini concilii auctoritate damnata est, et anathemate notata sessionis XXI, cap. IV et canone IV. « Si quis dixerit, inquit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem, anathema sit. » Jam quibus se laqueis epistolæ auctor irretierit, puto ipsum animadvertere. Etenim qui Augustinum in omnibus, quæ ad rectam fidem, et hæreticorum damnationem spectant, sequendum sibi esse constituit, quid hic tandem aget? Scripsit illa s. Augustinus, cum de gratia, et originali peccato contra hæreticos disputaret ; et, quod in ea re præcipue considerandum esse, doct. abbas in tertia consideratione docuit, connexa est, et implicata ista sententia de Eucharistiæ necessitate, cum reliqua omni doctrina sancti Patris, quando velut arcem, et præsidium in ea sibi collocavit, quo Pelagianorum insidiosas artes, et calumnias declinaret. Numquid ergo causæ est, quin et hanc sequi, amplectique debeat opinionem Augustini, ex ea lege, quam sibi ipse præfixit, et in Tridentini decreti se anathema scientem, volentemque committere? Sed de se ipso ille viderit.

Quam Triden Synodu damnav

Quod ad quintam synodum pertinet, expedita satis illius causa videtur, si quis eam interpretetur sic : Cum et Augustinum, et Patres cæteros, « in omnibus sequendos esse statuit, quæ de recta fide et ad damnationem hæreticorum scripserunt, » id non præfracte, absoluteque capiendum esse sic, nulla uti re sit ab illis erratum ; sed ut in eo duntaxat recte illos sentire, et omnino sequendos esse decernat, de quibus tum synodicum judicium fecerat ; ut vel ex hoc ipso non interpretem solum Augustini, cæterorumque Patrum, verum etiam correctricem, ac judicem Ecclesiam, epistolæ scriptor agnoscat.

Explica quin synoc dictur

Ac nescio, an non proprie locum hic habere debeat Augustini sane difficilis, et caute temperanda ratio, quam exposuimus supra [4] ; qui in secundo libro *de Baptismo contra Donatistas*, cap. III, « plenaria ipsa concilia, quæ fiunt ex universo orbe christiano, sæpe priora posterioribus emendari dicit, cum aliquo experi-

Augus locus cili expon

1 *Joan.* III, 6.— 2 *Joan.* VI, 5.—3 Mald. *in Joan.* col. 719.— 4 Cap. III.

mento rerum aperitur, quod clausum erat, » etc. Cum enim, ut ibidem ostensum est, de fidei Catholicæ decreto id Augustinum pronuntiasse, non sit verisimile; restat, ut ad id quod facti, vel personæ disceptationem habet, respexisse videatur. Cujusmodi et Sardicensis synodi de Marcello Ancyrano judicium fuit: quem quidem cum libro suo manifeste damnatum ut hæreticum; agnitumque postea, fictis excusationibus inducta, pro catholico utrumque habuit. Ad hunc modum, quod de Patribus illis, quorum plerosque in nonnullis aberrasse constat, quinta synodus infinite constituit (quandoquidem de personis illic, et scriptis, non de fidei dogmatibus agebatur), jure in posterioribus conciliis interpretari, vel emendare potuit, ac debuit Ecclesia; idque in Augustini doctrina pari cum laude modestiæ, ac prudentiæ Tridentina synodus instituit, et epistolæ scriptori contra jus fasque novis nos legibus obliganti silentium indicit.

a Augustini ogmata omnibus robata eologis,

Possunt et alia percenseri Augustini doctrinæ capita, in quibus complures et gravissimi Theologi ab illo impune dissentiunt. Velut in eo, quod parvulos ob solam originalem culpam æterna felicitate privatos, pœnalibus insuper flammis addici, cruciarique: censet: in quo a plerisque destituitur et quidem impune. Quam enim merito, nihil ad rem pertinet. Tum quod adultæ jam ætatis homines, sine ulla præsensione bonorum, malorumve meritorum, sola Dei voluntate prædestinari ad sempiternam salutem, vel ob solam originalem noxam reprobari adstruit; de qua re libera sunt in scholis theologorum judicia, quæ utique talia non essent, si ab Augustini, utpote summi fidei catholicæ arbitri, et synodalium decretorum interpretis, sententia provocandi nemini potestas fieret. Maximi quidem pro eo, ac meretur, ab Ecclesia, ejusque synodis, et pontificibus semper factus est, et hodieque fit Augustinus, præsertim in iis controversiis, quæ ad gratiam et liberum arbitrium pertinent, in quibus nullum illius erratum deprehensum est, nihil, quod ab solida, sinceraque theologia discrepet. Nam recentem illam ψευδώνυμον, et Iprensi fuco saturam, ac tot pontificiis, et synodalibus sententiis multatam, et ambustam curare nihil attinet, quæ tam falso suum esse clamat Augustinum, quam male, et ad hæreticorum gustum dicta illius interpretatur. Verum non plus Augustino auctoritatis impertiendum est, quam quantum œcumenica concilia, et Romani pontifices, adeoque universa semper Ecclesia tribuendum esse decrevit.

nentito omine.

Male enses, ut æretici um esso lamant Aug.

Postremus e numero Pontificum, quem epistola nominat, Hormisda restat; in quo quantopere falsa sit, illius verba declarant ex epist. LXX *ad Possessorem Episcopum*, quam ita concludit: « De arbitrio tamen libero, et gratia Dei quod Romana, id est Catholica, sequatur, et asseveret Ecclesia, licet in variis libris beati Augustini, et maxime ad Hilarium, et Prosperum, possit agnosci; tamen in scriniis Ecclesiasticis expressa capitula continentur, quæ si tibi desunt, et necessaria creditis, destinabimus. Quanquam qui diligenter Apostoli dicta considerat, quid sequi debeat, evidenter cognoscat. » Si ex Augustini libris, et doctrina tanta esset interpretanda quæstio, et unus ille arbiter, synodorum et Pontificum judicio adhibendus; cur eo non est contentus Hormisda? cur ad Ecclesiasticorum scriniorum capitula Possessorem revocat? cur denique clariora, et intellectu faciliora de controversiis istis Apostoli esse dicta contendit? Nonne is Hormisdæ verbis, quæ truncata, et dimidiata protulit epistolæ scriptor abbas, velut pinnis suis ipse configitur?

De Hormisda papa et falsa de eo ratiocinatio Epistolæ.

CAPUT VI.

Tertia consideratio abbatis quod Augustinianæ doctrinæ partes sic inter se cohæreant, ut, una admissa, reliquæ sequantur omnes. Æstus et repugnantia dictorum in epistola. Tum calumniosa ratio, qua doctrinam Augustini de prædestinatione pari loco habet, ac quæ de gratia ab illo disputantur, et ad fidem pertinere putat.

Tertium abbatis in epistola firmamentum, quo de interpretando ex Augustini doctrina Trident. concilio illius opinio nititur, non pluris est, quam superiora duo; ac neque quidquam efficit, et in semet incurrit, seque ipsum collidit, et evertit. Ita porro se habet, Augustinianam doctrinam ita suis partibus aptam, ac nexam, colligatamque esse dicit, ut si unum admiseris, reliquæ, quasi catenatim commissæ, et consertæ sequantur. Ex quo istud oriri putat, ut, si Tridentini Patres unum aliquod Augustini dogma probaverint, cæteris consequenter assensi fuerint. Tametsi, non sic plane, ac perspicue, quod vult, eloqui-

Tertia consideratio.

Epistolæ perplexa oratio, et incondita

tur? sed « quasi super ova [1], et aristas inter theatrales præstigias pendenti gradu incedens, ubique dubius, ubique suspectus est, » ut Hieronymi istud assumam. Videamus enim, quam timide, ac diffidenter sententiam suam mira verborum ambiguitate libraverit. « Hinc necessario, inquit, ita concludo, cum Tridentini concilii Patres manifeste, omniumque consensu, saltem in quibusdam capitibus, Augustini doctrinam secuti sint, prudenter hoc credi a nobis oportere, eosdem ex consequenti illam in cæteris omnibus sequi propositum habuisse ; cum certo videamus, id, quod ab illis etiam animadversum est, perpetuam, et irruptam catenam hanc, sive nexum istum adeo firmum, et cohærentem, qui capita omnia theologiæ Patris illius secum mutuo colligata continet, in mysteriis gratiæ, et prædestinationis. » Hæc ex vulgari nostra lingua in Latinam pene translata de verbo, mire esse dico perplexa et incondita, ac secum ipsa pugnare, neque certum, ac liquidum aliquem sensum reddere; tum, quod maxime miserandum est, non ei, quod probare vult, et intendit abbas sed ei potius, quod oppugnare studet, commodare, ac favere. Nempe id erat demonstrandum, Augustinum interpretem asciscendum esse Tridentinorum omnium decretorum, in quibus de gratia, et prædestinatione agitur. Ad hoc vero probandum id assumit abbas, Augustini doctrinam ita secum colligatam, et cohærentem esse, ut qui partem ejus quampiam amplexus sit, reliquas admittat omnes. Ut hoc via, et ratione concludatur, necesse est omnes sibi mutuo inhærere doctrinæ Augustinianæ partes, secumque junctas, et indivulsas esse, nulla prorsus excepta. Nam, si qua disjungitur, neque cum aliis connectitur, falsum est, quod dicit, una illius parte concessa, reliquas quodam vinculo copulatas consequenter admitti. Atqui non in omnibus Augustini doctrinam secutos esse Tridentinos Patres, suspicatur ibidem, cum ait, illos *saltem in quibusdam capitibus* eam esse secutos. Vox enim ista, *saltem*, dubitationem indicat, an in omnibus id fecerint. Quinam ergo consentaneum esse poterit, quod probare vult, Tridentinos Patres in his, quæ ad gratiam spectant, totam Augustini doctrinam esse complexos, nulla omissa parte, quoniam omnes sibi invicem alligatæ sunt; si de hoc posteriore dubitat, et in quibusdam saltem veretur, ne ab illa discesserint? Quod si verba ista, *saltem in quibusdam capitibus*, ut ait, sic explicanda sunt, ut non Tridentinorum Patrum omnium consensu Augustini doctrinam saltem in quibusdam ascitam fuisse dicat, sed theologorum, qui post Tridentinum concilium de gratia disputarunt, omnium consensu si non in omnibus, saltem in quibusdam, Patres illos Augustinum secutos affirmet; hoc tamen uno constrictus, et irretitus abbas tenebitur, quod argumentationis suæ nervos incidit. Non enim persuadere omnibus poterit, quod pro certo, indubitatoque nos habere voluit, Augustini ejusmodi esse doctrinam, ut, ejus parte recepta, cæteras necesse sit admitti, cum *in quibusdam saltem capitibus* secus rem habere nonnulli sentiant.

Et secum ipsa pugnans.

Deinde, quam multis flagitiis scatet tota hæc oratio! Augustini doctrinam illam, quam velut catena quadam copulatam esse confirmat, in gratiæ, *ac prædestinationis mysteriis* collocat; quasi opinionem Augustini de prædestinatione theologos omnes, imo Christianos, necesse sit sequi; ac tam certo illa tenenda sint, quæ de electione ad gloriam citra prævisa merita, deque reprobatione ex solo originali peccato, docuit Augustinus, quam illa, quæ de gratia, ejusque cum libero arbitrio concordia disputavit; quæ sola deinceps ab œcumenicis conciliis, et Romanis pontificibus ac totius Ecclesiæ judicio in auctoritatem sunt accepta catholicæ professionis.

Quænam illa vero concilia sunt? qui pontifices Romani, quorum decretis et canonibus, aut rescriptis. Augustiniana illa de electione ad gloriam, et reprobatione sententia comprobata, sancitaque fuit? Non pudet auctorem epistolæ tam confidenter, ac temere in censum referre capitum fidei ac dogmatum, opinionem illam, de qua ne litteram quidem iis in Conciliis, aut Romanorum pontificum epistolis, in quibus de Augustini doctrina, vel gratia est actum, reperire possit? Nuncubi hoc Tridentina synodus decrevit? Nusquam ne levissime quidem attigit. In sessione sexta, ubi de gratia [2], et libero arbitrio, ac justificatione ex professo disserit, nihil aliud de prædestinatione dicit, nisi hoc, quod catholica fides habet, neminem certo scire posse, citra revelationem, de numero se esse prædestinatorum; de peculiari ratione prædestinationis, quæ tantam habet controversiam, penitus tacuit. Tacuit et Arausicana synodus,

1 Hier. *cont. Joan.* Hier. col. 659.— 2 Sess. VI, cap. XII et can. 15.

et ante hanc Cœlestinus pontifex, cum de Augustini doctrina tam accurate verba faceret. De quo valde istud animadvertendum est, scriptam ab illo pontifice ad Gallicanos episcopos epistolam exstare, quæ duobus continetur capitibus; quorum in priore de Prospero, et Hilario agit, et eorum querelas exponit de quibusdam presbyteris, qui *indisciplinatas quæstiones vocantes in medium* ecclesias perturbabant, et Augustini videlicet nomini detrahebant; in altero capite, Augustinum commendat, ejusque doctrinam nihil ab Romana, et catholica fide dissidere testatur. Huic epistolæ Prosper decem capita subjecit, quæ a plerisque cum Cœlestini epistola continuari solent, in quibus Romanorum pontificum, et synodorum de gratia contra Pelagianam hæresim decreta commemorat, nulla prædestinationis facta mentione. Postremo, ubi de gratia, et libera voluntate copiose disseruit, hanc clausulam apponit:

Neque Prosper.

« Profundiores vero, difficilioresque partes incurrentium quæstionum, quæ latius pertractarunt, qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere. Quia ad confitendam gratiam Dei, cujus operi, ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus, quidquid secundum prædictas regulas (quas decem illis capitibus complexus est Prosper) Apostolicæ sedis nos scripta docuerunt, ut prorsus non opinemur catholicum, quod apparuerit prædictis sententiis esse contrarium. » Verisimile est ergo, Prosperum quæstionum illarum profundiorum, sed minime necessariarum nomine illas comprehendisse, quæ de electione ad gloriam, vel prædestinatione, ac reprobatione, ab Augustino aliisque post eum commotæ fuerant. Certe de illis altum in hujusmodi litteris silentium est, et minime alioqui ferendum, si cum gratiæ catholica professione, tam arcte conjunctum esset prædestinationis negotium, quam tractatio ipsa gratiæ, ut epistola Iprensi succo delibuta toties significat. Cujus auctorem magis istud aliis sectæ imperitis, et ad quidvis tuendum paratis persuasurum arbitror, quam ipsum sibi. Non enim acutam adeo, et perspicacem indolem, qualem in abbate domesticum præfationis testimonium commendat, ita cæcam in causa ferri arbitror, uti theologos omnes, qui et libris in vulgus editis, ac probatis, et quotidianis disputationibus contrarium docent nimirum electionem, et prædestinationem ad gloriam ex meritorum prænotione sequi, damnandos judicet, tanquam et Romanorum pontificum, et receptarum apud catholicos synodorum, quæ explanatricem illam Tridentini concilii ab Augustino traditam doctrinam ratam fecerunt, auctoritate proscriptos.

CAPUT VII.

Expenditur catena illa Augustinianam doctrinam colligans, quam perperam interpretatur epistola. Semipelagianorum error in illa notatus; tum calumnia in Catholicos ab illa conjecta falso. Probatur ex Tridentini concilii doctrina, voluntatem hominis libere se determinare, et quo id sensu dicatur.

Age nunc catenam illam, quam ex Augustini doctrina ad sectæ genium, hoc est ad Iprensem accommodata sensum, epistola contexuit, attentius exploremus. Id si facimus, statim apparebit, *funem istum esse ex arena nexum*, non σειρὴν illam Homericam, quæ cum cœlestibus terrena suspensa conjungit. Hujus vinculum, ait epistola, contineri doctrinæ Augustinianæ capite isto, quod fundamentum omnium appellat: « Homini, cum in nullo de se gloriari coram Deo possit, necessariam hujus esse gratiam, ut possit facere, et ut applicet, ac determinet sese ad illud, quod facit, exequendum bonum; ne de alterutro venditare se possit, sive per sese id possit facere, ad quod faciendum obligatus est, sive ad hoc agendum accommodet, applicetque se, quod reipsa non facere poterat, etsi a Deo ut posset, accepisset. » Hoc structuræ totius fundamentum ambiguis, et obscuris, ac contortuplicatis verbis, ut sunt epistolæ reliqua omnia, conceptum nihil boni, ac sinceri repromittit. In quo illud obiter respectandum est, necessariam homini gratiam Dei non probo, et catholico more definiri, sed ex dimidiatorum Pelagianorum formula, qui gratiam Christi nullam aliam, nisi actuosam, et adexequenda mandata idoneam, ac robustam, necessariam putabant, initialem vero gratiam, qua credendi voluntas inspiratur, neutiquam admittebant. Hanc enim voluntatem, hoc est volendi, sed nondum faciendi impetum, naturæ viribus exprimi, non ex meritis pendere Christi volebant.

Catenam.

Epistolæ ambigua, et perplexa oratio.

In Massiliensium errorum declinans.

Quem Massiliensium errorem late Hilarius exponit in epistola *ad Augustinum*, quæ libris *de Prædestinatione Sanctorum, et de dono Perseverantiæ* præfixa legitur. Hujus contagione hæresis aftlata videtur Epistola, eamque sibi labem ascivisse ex Iprensis doctrinæ commercio, quæ medicinalem nullam Christi gratiam agnoscit aliam, præterquam charitatem, eamque operis effectricem, et perfectam, quod certissimis, apertissimisque rationibus demonstravit Petavius in secundo libro *de Lege, et gratia*, capite quinto, et sequentibus.

Jam quod in epistola scriptum est, « gratiam homini esse necessariam ad id, ut et facere possit, et ut determinet sese, » potest eo sensu recte, ac Catholice dictum videri, ut *determinatio* illa voluntatis non ab sola efficiatur gratia, sed ab hac simul, et agente cum ea libera voluntate, quæ est ab Apostolo tradita συνεργεία verbis istis ; *Non ego, sed gratia Dei mecum* [1]. Etenim *determinatio voluntatis* nihil aliud est, quam ejus consensio, qua se liberum arbitrium ad unum aliquid, quod e pluribus delegit, applicat, quod in bono, præeunte fit, et alliciente, tum porro adjuvante, ac promovente gratia ; cui quidem [2], ex Tridentini concilii decreto, « cooperando sic assentimur, ut possimus dissentire, si velimus. » Est autem hoc loco minime prætereunda fraus Iprensium dogmatistarum, qui in ancipiti locutione calumniari, et obstrepere solent. Cum enim liberum hominis arbitrium ex illa, quam attigi, Tridentini concilii sanctione, dicunt Catholici, *a Deo motum, et excitatum* assentiri, et cooperari, hoc est determinare se, Pelagiani statim illos erroris insimulant, quasi idem illud arbitrium liberum suapte vi, sine gratiæ præsidio niti, ac consentire velint. Itaque totum illum intestinum opus vertentis se ad meliora, et vocanti, excitantique se gratiæ respondentis, et consentientis hominis in solidum adscribunt efficientiæ divinæ ; nec in ejus partem admitti liberum patiuntur arbitrium ; et hoc ideo facere se dicunt, ne alioquin homo suapte vi, ac voluntatis suæ nisu movere se ab statu peccati, et ad gratiæ statum transferre credatur, *et seipsum discernere* [3] ; quod dictu nefas esse Apostoli auctoritate commonemus.

Cooperatio.

Novorum Dogmatistarum fraus.

Refellitur.

Atqui futilis est ista cavillatio litigandi, ac tricandi nimis cupidorum hominum, neque, quid ex adverso dicatur, audire, vel expendere curantium. Quem enim ad finem repetendum, et occinendum illis erit, nihil istic agi credere Catholicos, sine gratia Christi, et efficacia Dei excitantis, et allaborantis, ac totum huic attribui, sed non ὁλικῶς, quod *totaliter* scholæ nominant ; cum et voluntas ipsa in communionem veniat operis effecti, non ut pars uni, pars alteri vindicetur, sed ut pro indiviso totum utique cedat, servata interim, ac delata Deo prærogativa dignitatis, et antecessionis ? Cæterum, si quis abrupte, et nullo alio addito, significatove temperamento loquitur sic : « Voluntas ad bonum suapte vi convertitur ; » vel, « Ex sese ad consentiendum se applicat, ac determinat, » potest periculose, nec satis caute dictum videri, eo quod statim, hæc audientibus succurrit, remoto gratiæ auxilio, tantum de se præstare voluntatem hominis. Cujusmodi in similibus locutionibus accidit ut cum dicimus, *voluntatem propriam*, vel *amorem proprium* frangendum, et perdomandum esse, recte idcirco dicitur ; quoniam in *proprii* vocabulo inest significatio pugnantis cum Dei voluntate, et amore, et hos excludentis affectus ; cum alioqui, si *proprium* intelligas, cujus domini sumus, et quod pro arbitrio nostro dependimus, neutra sit in vitio proprietas. Sic illa sunt interpretanda, quæ Christus dixit : *Non quæro voluntatem meam* [4] ; vel *: Non quæro gloriam meam* [5] ; Et : *Qui a seipso loquitur, gloriam propriam quærit* [6] ; tum etiam hæc : *A meipso non loquor* [7]. Habent enim, si non expressam, (id quod sæpe fit) saltem tacitam motionem contrarii, *ut voluntas mea, et propria* vocetur, quæ cum Deo communis non est, sed illi potius adversa ; et *a seipso loqui* sit contra quam Deo placet, aut citra ejus voluntatis concordiam, vel instinctum, et συνεργίαν aliquid dicere. Desinant ergo, qui talia non nesciunt, obloqui melioribus ; et ad præscriptam ab Tridentino concilio formulam sentire nos, ac loqui patiantur.

Locut diligen notan

Frustra itaque veretur epistola, ne, cum ex eodem illo concilio usurpantur hæc [8], « Eos, qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam, ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ libere assentiendo, et cooperando, disponi ita, ut, tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspira-

Inep cavill eorum

1 I *Cor.* xv, 10. — 2 Trid. sess. c. 4. — 3 I *Cor.* iv, 7. — 4 *Joan.* v, 30. — 5 *Joan.* viii, 50. — 6 Ibid. — 7 *Joan.* xiv, 10. — 8 Ses. vi, c. 5.

tionem illam recipiens, quippe qui et illam abjicere potest ; neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit; » hæc, inquam, vel his gemina et affinia cum a nobis audiunt, contineant imperite maledicam linguam, neque nos apud plausores suos, homines indoctos, et garrulos, vel mulierculas, pro Pelagianis, Semipelagianisve traducere audeant.

Agere enim profecto aliquid voluntatem hominis liberam, tangente cor illius Deo, et assentiri, id ipsum est, quod *determinare se* ad id, quod facere potest, suppetente, ac præsente adjutorio gratiæ, quæ est *luminosa*, et *ardens* illa sane. Spiritus inspiratio. Agere autem, ex eo probant Tridentini Patres, quia et *abjicere illam potest ;* quæ cum dicunt, hoc significant, eodem, quo homo de consentiendo deliberat, tempore, utriusque liberam, et indifferentem habere potestatem, eaque in alterutram partem uti pro arbitrio posse ; quod sane copulativa particula, *et*, ibi demonstrat, cum ait, *quippe qui et illam abjicere potest.* De quo non multo post uberius disputabimus.

CAPUT VIII.

Epistolæ gravis, et hæreticus error excutitur, nullam esse Christi gratiam, nisi efficacem, id est operis efficientem. Cujus firmamentum evertitur. Apostoli locus perperam accommodatus ab epistolæ scriptore ; cujus intolerabilis hallucinatio indidem detecta, ex qua sequitur, solos prædestinatos affici gratia Christi.

Ut in putri, ac ruinosa maceria, si male hærentem ex ima parte lapidem evellas, tota moles, et congeries repente subruitur ; sic, detracto subductoque dogmate illo, quod *veritatem fundamentalem* epistola nominat, et in superiori confutato capite, reliqua illius doctrinæ, quæ superingesta sunt, nullo, vel minimo nostro conatu, pene suapte sponte corruunt.

Ex illo principio, quod ab Epistolæ scriptore postium proxime ante refellimus, quo ab gratia determinari voluntatem, non a se pariter ipsa, ex Iprensis magistri placitis asseritur, consectarium illud existit in eadem epistola subjectum hisce verbis : « Hinc docemur, gratiam Salvatoris duas obtinere inseparabiles proprietates : alteram, ut necessaria sit : alteram, ut sit efficax. Porro qua necessaria est, si ea careat, non solum homo non facit, sed etiam facere non potest ; quatenus vero est efficax, cum eam habet, non solum potest facere, sed omnino etiam, ac certo facit. »

Falsum Epistolæ consectarium.

Hæc sunt iisdem, quibus priora illa, vitiis ac sordibus infecta. Gratiam omnem hoc habere, ut et necessaria sit, et efficax, id est efficiens, et compos operis, neque Catholicæ fidei est, nec ejus interpretis Augustini doctrina ; sed macula est, et scabies, qua sanum cæteroqui corpus adspergitur, ut in elephantiacis accidit. Hac enim similitudine lepræ hæreticam adumbrari labem eleganter Augustinus idem testatur[1].

Efficax Latine proprieque dicitur, quod efficiendi vim habet, ut, si effectum desit, id non culpa ejus eveniat, sed externam aliquam et adventitiam ob causam, quæ operæ fructum, et exitum intercipit. Hoc modo gratia est omnis efficax etiam illa, quæ effectu caret ; quemadmodum ignis est omnis ad urendum natura sua valens, et idoneus ; nec tamen id, quod potest, efficit semper. Verum, ut *efficax* gratia pro *efficiente* sumatur, inveteratus jam usus in scholis obtinuit ; quem epistola secuta nullam, nisi reipsa efficientem operis affirmat esse gratiam Christo.

In quo, ut suffragatores habet omnes temporis hujus hæreticos, maxime Calvinianos, quod ex actis Dordrechthani conciliabuli constat, ad quod ex omnibus istius sectæ conventiculis synodicæ missæ fidei professiones in illud dogma conspirant : sic adversarios, infestosque sentit Tridentini concilii Patres non minus, quam Augustinum, cui falso teterrimæ hoc venenum opinionis adscribit.

Non omnis gratia est efficax, id est efficiens consensus.

Multa de hoc argumento dici poterant, proque Augustino contra temere inustam, tanti doctoris nomini hæresis istius infamiam. Sed alterius illa sunt loci ; nunc ea duntaxat insequar, quæ stylo nostro subjiciuntur ex epistola.

Efficacitatem gratiæ, hoc est perpetuam cum potestate conjunctam efficientiam, quam vocant *actualem*, ex Joannis loco illo confici putat[2] : *Omnis, qui audivit a Patre, et didicit,*

1 Aug. l. II *quæst. Ev.* c. XL.—2 *Joan.* V,

Sophistica calumnia Epistolæ.

venit ad me. Non enim dicit, potest ad me venire, sed venit, (ait ex Augustino). Verum hæc argumentatio cavillationem habet sophisticam; cujusmodi sit illius, qui ex eo, quod nonnulli sunt nigri homines, ut Æthiopes, tales esse colligat universos. Attentius itaque cogitaret auctor epistolæ, de quo genere gratiæ ad illum locum agat Augustinus. Id si faceret, irritum, et *imbelle sine ictu* telum istud esse sentiret. Sciat igitur, quisquis est, illum Apostoli locum ex Augustini sententia, non de quacumque gratia, sed de ea solum intelligi, quæ est electorum ad gloriam, prædestinatorumque propria; nimirum eorum, qui *secundum propositum vocati sunt*[1], ut loquitur Apostolus. Hæc enim omnia vocabula ex Augustini mente, et interpretatione, ad electos, et prædestinatos pertinent, *discere*, *doceri*, *secundum propositum vocari*, *præsciri*, *eligi*, *prædestinari*, *filium esse promissionis*, *vas misericordiæ*, et similia, quæ nunquam aliter usurpantur ab Augustino, vel in exponendis Apostoli sententiis accipiuntur, quam ut statum illum gratiæ, ac justitiæ significent, qui in certam, et, ut loquuntur, *infallibilem* salutis, et gloriæ professionem desinit, et eam amplectitur. Horum vero peculiaris est gratia quædam, quæ nunquam perseverantia caret; ac non solum bene volendi, agendique possibilitatem affert, sed etiam reipsa, ut velimus, et agamus omnino perficit, nulla adhibita necessitate, verum suavi, sed potenti illecebra, qua non inviti trahuntur.

Gratia prædestinatorum.

De qua sæpius agit Augustinus

De hac gratia sæpissime disputat Augustinus, et illa, quæ dixi, plenissime confirmat, ut ex paucis, quæ proferam, testimoniis intelligi poterit. In libro *de gratia Christi*, cap. XII. « Hæc autem gratia, qua virtus in infirmitate perficitur, prædestinatos, et secundum propositum vocatos ad summam perfectionem, glorificationemque perducit. Qua gratia agitur, non solum ut facienda noverimus, verum etiam ut cognita faciamus; nec solum ut diligenda credamus, verum etiam ut credita diligamus. » Et cap. XIII, de hac gratia, quam *doctrinam* vocari dicit. « Sic docet Deus, inquit, eos, qui secundum propositum vocati sunt, simul donans et quid agant, scire, et quod sciunt, agere. » Tum cap. XIV, illum Apostoli locum, quem supra memoravimus, eodem accommodat : « De isto docendi modo, inquit, etiam Dominus ait : *Omnis, qui audivit a Patre meo. et didicit, venit ad me.* Qui ergo non venerit, non de illo recte dicitur; audivit quidem, et didicit, sibi esse veniendum, sed facere non vult, quod didicit. Prorsus non recte dicitur de isto docendi modo, quo per gratiam docet Deus. Si enim, sicut Veritas loquitur, *Omnis, qui didicit, venit; quisquis non venit, profecto non didicit.* » Cæterum libere hunc venire, citraque necessitatem his, quæ incontinenti subjicit, ostendit : « Quis autem non videt, et venire quemquam, et non venire arbitrio voluntatis? Sed hoc arbitrium potest esse solum, si non venit; non autem potest, nisi adjutum esse, si venit; et adjutum, ut non solum, quid faciendum sit sciat, sed, quod scierit, etiam faciat, etc. Et isto divino docendi modo etiam ipsa voluntas, et ipsa operatio, non solo volendi, et operandi naturalis possibilitas adjuvatur.

Et in libro *de Prædestinatione Sanctorum*, cap. VIII, propositis iisdem ex Joannis *Evangelio* verbis, « *Omnis, qui audivit a Patre* etc. Quid est, inquit, *omnis, qui audivit a Patre et didicit, venit ad me,* nisi nullus est, qui audiat, et discat a Patre, et non veniat ad me? Si enim omnis, qui audivit a Patre, et didicit, venit, profecto omnis, qui non venit, non audivit a Patre, nec didicit. Nam, si audisset, et didicisset, veniret, etc. Sic quippe facit filios promissionis, et vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. »

Item in tractatu XXVI *in Joannem*, ad illa ipsa verba, pluribus exponit tractionem illam, qua Pater venientes ad Christum trahere dicitur in eodem Joannis capite, et idipsum significare ait, quod audiendo discere, ac doceri, hoc est *secundum propositum vocari*.

Jam vero, his animadversis, velim mihi respondeat auctor epistolæ, credatne, solis electis ad gloriam, ex Augustini sensu, Christi aspirari gratiam, quæ cum perseverantia scilicet est conjuncta. At hoc nefarium est, sceleratumque Calvini dogma, quod Catholica merito execratur Ecclesia[2], estque ab Tridentinis Patribus anathemate damnatum. Quamobrem, si reprobis gratia, ut et justitia, conceditur; non eadem illa conditione censetur, quam, ut novorum dogmatistarum interpretatio est, Augustinus electorum peculiarem esse gratiam assverat. Hæc enim est ejusmodi, ut, qui audiunt, discant; nec tantum consentire possint, sed reipsa consentiant, hoc est ut in eis velle ipsum operetur; et,

Prædestinatorum propria gratia infallibilis est.

1 *Rom.* VIII, 28.— 2 Sess. VI, can. XVII.

quod epistola dicit, nunquam volendi actio a potestate divellatur ita, ut unius cum altero necessaria sit connexio. Et, ut uno verbo complectar, hoc, quod ait d. abbas, gratiam « proprietates habere inseparabiles duas, » ut necessaria sit, et nunquam effectu careat; quod ad hanc posteriorem attinet, quibus eam Augustini testimoniis affirmare contendit, ea palam ostendunt, gratiam istam solis convenire vocatis secundum propositum, id est electis; quos a Patre doceri nihil aliud esse demonstrat sanctissimus doctor, quam in illis, non solum posse, sed etiam velle, ab gratia tribui, et hoc ipsammet efficere. Restat igitur, ut qui nullam aliam præterquam Augustini locis illis comprehensam, et solis concessam prædestinatis, Christi gratiam agnoscit epistolæ scriptor, nullam prorsus reprobis aspergi fateatur, et hæretica pravitate catholicam commutet fidem.

Vides, opinor, catholice lector, in quæ errorum portenta, non rudes et hebetes homines, sed acutos et ingeniosos, qualem Epistolæ scriptorem præfatio describit, blandiens quædam novitatis dulcedo præcipitet. Ut hæc ipsa catena sit habenda, quæ non ex veris, ac sobrie intellectis Augustini sententiis, ut epistola prædicat, sed ex falsis illarum interpretationibus, et erroribus contexta, sibi hærentes, et adstrictos ad ima usque tartara devolvit.

Est quædam gratia sufficiens tantum.

Ad summam, præter efficacem illam gratiam, quam pessime ex Augustini doctrina probare conata est epistola, alteram esse, quæ male utentium, vel potius rejicientium culpa, irrita sit, cum posset efficax esse, Tridentina synodus apertissime declarat sessione illa sexta; in qua gratiam illam sic ab homine recipi statuit, ut et ab eodem possit abjici, et innumera tum sacrorum librorum, tum Augustini, cæterorumque Patrum persuadent loca; quibus commemorandis supersedendum est modo, ne longius, quam velim, produci lucubratiunculam hanc nostram necesse sit.

CAPUT IX.

De Christi generali voluntate omnium salvandorum, epistolæ falsa sententia. Tum de vana, et ludicra Augustinianæ doctrinæ connexione in eadem epistola proposita.

De Christi supplicio, ac morte simplex est, et sine ambagibus enucleata Tridentini concilii professio[1]: « Etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipere; sed eos duntaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur. » Ita concepta est hæc sententia, ut ad eam præ cæteris pertinere judicanda sit concilii de suis decretis illa cautio, qua hæc *interpretationem postulare* negat. Nam quid verbis istis subest ambigui, vel obscuri? Nonne perspicuum est, quid velit, ac sentiat, nisi tricari ac litigare magis delectet, quam verum quærere? Certe quisquis ista legit, seposito sectæ studio, et adversantium odio, nihil aliud cum animo suo reputat, nisi hoc: Christum ad humani totius generis, hoc est hominum omnium repræsentandam salutem pati, ac mori voluisse ita, ut, quantum in se est, ad singulos pertinere voluerit mortis suæ fructum, ac meritum. Sed, quoniam nonnisi volentes tanto frui remedio, et ad id libere se applicantes volebat; inde esse factum, ut non omnes fructum illum caperent, quia nollent, cum, si vellent, utique possent. Hæc sole ipso lucidiora quid frustrari attinet captiosis, et arcessitis e longinquo interpretationum calumniis? Non applicari ad omnes mortem Christi; quod adnotat epistola, manifesta rēs est; ad quam suadendam teste D. Abbas usus est minime necessario, nisi quod fraudis aliquid occultæ supervacanea ista sedulitas tegit. Applicandæ Christi mortis ad usum, ac remedium omnium, duplex omnino ratio est: absoluta una, si, nemine excepto, prorsus, ac sine conditione ulla servare vellet omnes: altera conditionata, quam *hypotheticam* vocant, cujusmodi est ea, quam paulo ante descripsi, ut ea lege salvos omnes merito suo esse decreverit, si et ipsi salvi esse cuperent, et pro virili parte navare aliquid operæ vellent. De priore modo, nulla inter sanos, ac sobrios potest esse controversia; de

Christum pro omnibus mortuum esse docet Tridentina Synodus.

Duobus modis applicatur Christi passio.

1 Sess. VI, can. III.

posteriore non tam difficili, quam acri contentione vexata quæstio est. Hanc vero Tridentinam synodum voluisse decidere, nemo prudens dubitet. Nam aliter existimare, prorsus est illius prudentiæ, ac judicio diffidere; si verum illud est, quod dixi, de absoluta Christi voluntate ridiculum esse quærere. Quamobrem, cum eadem synodus affirmantem in ea quæstione partem amplexa sit; consequens est, ad eum sensum, quem illius decreto subjecimus, ejus auctoritatem accessise. Neminem itaque mortalium ab generali liberandorum omnium voluntate discrevit *omnium Salvator*[1], *maxime fidelium;* et præ illis etiam Prædestinatorum, in quos propensiore animi proposito fuisse videtur. utpote quos singulari, et utique majori, quam reprobos, caritate dilexit.

Applicatur conditionate etiam reprobis.

Hæc cum adeo clara, et manifesta sint, « quid adhuc tantæ luci fumus contentionis obducitur? » merito clamaret Augustinus[2]. Quem, etsi nostræ, communique sententiæ adversatum esse cum Iprensi grege scriptor epistolæ sentiat, non est tamen contrarius; imo Christum pro omnibus passum esse, ea, quam attigi, ratione docuit. Cur autem diversis in speciem interpretationibus aliorsum significantia hoc enuntiata traxit, possum causas ejus rei probabiles afferre; sed longum est. Quare missas hic eas faciam, et alteri loco reservabo.

Nec repugnante Augustino.

Atque, ut hunc epistolæ sermonem morosum, et fastidii plenum, de Augustinianæ doctrinæ consectariis absolvam, qui consequentes aliquot paginas implet; observabit in eo prudens, et emunctæ naris lector perpetuum ludum, ac minime astutam fallaciam. Nam, ut Augustinianæ doctrinæ partes sibi mutuo cohærentes, colligatasque esse monstraret, ejus fundamentum, ac velut stirpem, et radicem in uno dogmate constituit, sed ficto et commentitio, atque ab Augustini sensu longe remotissimo; quo posito, cætera superstruxit ex illo pendentia, nec ejus dissimilia, hoc est falsa, et ab Augustini placitis aliena. Hujusmodi contextu tota illa catena fabricata est, in qua mendacibus principiis mendaciora sunt adtexta consequentia. Exempli causa, (non enim fingi hoc a me putare quempiam velim) omnium Augustini decretorum de gratia, et prædestinatione fundamentum in eo statuit: Quod gratia Christi duplici proprietate constet, ut et necessaria sit, et sit efficax

Epistolæ fucus perpetuus.

hoc est efficiens voluntarii consensus; nec *possibilitatem* solam tribuat, sed *actualem* insuper, ut vocant, usum. Quod eo recidit, uti nulla sit Christi gratia, quæ effectu suo, quæ est voluntatis consensio, careat. Hoc enuntiatum, nexum, ac vinculum appellat, quo tota Augustini doctrina juncta secum, et conserta continetur. Est autem, ut Catholici omnes intelligunt, mera hæc hæresis ex Calvini officina profecta; cui in Dordrechthano conventiculo secta omnis illa subscripsit; ac deinceps nemo non ex illo numero plenis suffragiis assentietur.

Augustinæ doctrin fundamentum quale co tituatu ab Episto Quæ est mer hæresis Unde abs da mult nectunt

Hinc præclara illa consectaria sunt orta, et Augustinianæ doctrinæ capita, (*nam Sabini, quod volunt, somniant.*) Primum, non omnes salvare velle Deum: neque pro omnibus passum esse Christum, id enim ex illo priore pendet. Quippe, si nulla nisi efficiens est operis gratia, eujusmodi constat non omnibus esse concessam, maxime reprobis; sequitur ex eo, neque gratiæ auctorem Deum omnes velle salvos esse, neque pro illis passum esse Christum, cum sit passionis ejus fructus, et argumentum medicinalis gratiæ largitio. Hoc autem falsum est, utpote falso ex antecedente collectum. Tum illud quoque sequitur, non omnibus possibilia præcepisse Deum, sed iis duntaxat, quibus necessaria gratiæ adjumenta suppeditat, quæ nequaquam aiunt omnibus attribuit. Item istud de electione ad gloriam nullis ex prævisis certorum hominum meritis; et si qua sunt alia, quæ paginis aliquot epistola pertexuit. Quæ omnia, excepto illo de absolutæ prædestinationis dogmate, ut hæretica, et impia, synodalibus decretis, et Patrum omnium, ac theologorum eo dignorum nomine sententiis damnata sunt, ac rejecta. Non enim Augustiniana sunt, id est e germanis et sinceris Augustini nata dogmatibus; sed, ut olim Prædestinatorum commenta, ex male intellecta, et ab istis restionibus perperam explicata illius doctrina profluxerunt.

1 I *Tim.* IV, 10.— 2 Aug. l. I *de Pec. mer,* c. VII.

CAPUT X.

Augustini doctrina perperam intellecta ab epistolæ scriptore. De gratia solis electis peculiari agere sæpius Augustinum, cum de ea disputat. Quarta et postrema epistolæ consideratio discutitur.

Qui Augustinum tam odiose nobis inculcat, qui hunc unum spirare videtur, qui ex ejus interpretatione pendere vult Ecclesiam universam, synodos omnes, etiam tanta post illum tempore celebratas, nonne mirum est, tam oscitanter, et incuriose Augustinianam ab illo tractari doctrinam, ut eam minime omnium intellexerit?

Pagina epistolæ duodecima, inter ea consectaria, quæ ex Augustini dogmate illo propagavit, quod interpretatione sua inquinatum loco esse fundamenti voluit, unum proponit istud: Cum adversus illa, quæ de gratia non omnibus concessa, et necessarium consensum in nobis efficiente, Augustinus tradidit, ejus obtrectatores ita disputarent; frustra esse castigationes omnes, et increpationes ad convertendos homines adhibitas; quandoquidem, quibus gratia divinitus oblata fuerit, etiam hortante, et emendante nullo, prorsus eos necesse est corrigi ac resipiscere; quibus autem negata sit, nullius hortatione, aut castigatione revocari; cum hæc, inquam, ab adversariis sibi essent objecta, sic ex illo jacto a se fundamento propulsare talia solitum ait Augustinum: « quantumcumque sit efficax, et necessitatem afferat gratia Christi, non tamen in cassum nos corrigi, propterea quod per correptionem, ceu viam quamdam, a gratia dirigimur. Deinde quod prodest ipsa correptio, verum iis tantum, qui sunt pacis, et promissionis filii; quibus solis gratiam largitur ad hoc Deus, ut obediant correptioni. » Hæc epistolæ verba sunt, quæ tanquam ab Augustino usurpata refert; in quo incredibiliter aberrat a vero, nec sanctissimi Patris mentem, ac sententiam est consecutus.

Epistolæ falsa sententia.

Etenim illis ipsis in locis, ubi de correptione talia disserit Augustinus, et ejus utilitatem commendat, de solis electis a Deo, ac prædestinatis loquitur; solos illos, quibus prodesse dicit commemorat a Deo vocatos, *qui secundum propositum vocati sunt*, qui nulli alii sunt, quam electi. Augustini verba ex libro *de Correptione et gratia* capite nono sub finem, sunt ejusmodi: « Nemo ergo dicat, non esse corripiendum, qui exorbitat de via justa, sed ei reditum, et perseverantiam a Domino tantum esse poscendam; nemo prudens, et fidelis hoc dicat. Si enim secundum propositum vocatus est iste, procul dubio illi etiam, quod corripitur, Deus cooperatur in bonum. Utrum autem sic sit vocatus, quoniam qui corripit, nescit, faciat ipse cum charitate, quod scit esse faciendum. Scit enim talem corripiendum, facturo Deo aut misericordiam, aut judicium; misericordiam quidem, si a massa perditionis ille, qui corripitur, gratiæ largitate discretus est, et non est inter vasa iræ, etc. judicium vero, si in illis est damnatus, in his non est prædestinatus. » Et in capite XVI et ultimo: « Proinde, quantum ad nos pertinet, inquit, qui prædestinatos a non prædestinatis discernere non valemus, et ob hoc omnes salvos fieri velle debemus; omnibus, ne pereant, vel ne alios perdant, adhibenda est a nobis medicinaliter severa correptio. Dei est autem illis facere utilem, quos ipse præscivit, et prædestinavit conformes imaginis filii sui. » Eadem fere in libro *de dono Perseverantiæ* latius edisserit [1]. Ex his vero perspicuum est Augustinum solos prædestinatos intelligere, cum quibusdam ait utilem esse correptionem, non *omnes fideles*, *sive perseverent*, *sive non perseverent*, ut ad epistolæ marginem imperita manus adnotavit; quæ cujuscumque sit, hominis est in Augustini usu, ac lectione non satis versati. Nam, si usum illius haberet, sciret *pacis*, *ac promissionis filios* non alios esse, quam *secundum propositum vocatos*, et prædestinatos, qui sunt spirituales Abraami filii. *Qui* enim *filii sunt promissionis*, *æstimantur in semine* [2]. Quem locum sæpe commemorat Augustinus; et *promissionis filios* nullos alios, nisi prædestinatos appellari significat, reprobos nusquam. Insignis hac de re locus est in capite nono libri *de Correptione*, *et gratia*, ubi sic scribit: « Nec nos moveat, quod filiis suis quibusdam Deus non dat illam perseverantiam. Absit enim, ut ita esset, si de illis prædestinatis essent et secundum propositum vocati, qui vere sunt filii promissionis. »

August. in libro de Corrept. et alibi passim, ubi de gratia agit, solam Prædestinatorum propriam intelligit.

Promissionis filii sunt prædestinati.

Sane, si quis Augustinum attente, ac considerate legerit, facile hoc, quod pridem ob-

1 Aug. *de Bono. Perf.* c. XXII et seq.— 2 *Rom.* IX, 8.

servavimus, animadvertet, illum, ubicumque de gratia disputat ex professo, et ejus exempla profert, non de alia loqui, quam quæ prædestinatorum propria est, et cum perseverantia conjuncta, ut supra capite septimo docuimus, ut in libro *de Correptione et gratia*, et in duobus sequentibus, *de Prædestinatione Sanctorum* et *Dono perseverantiæ*. Atque hoc imprimis observari debet adversus recentem Iprensium sectam, qui ad hunc scopulum velut tempestate jactati, fœdissimum naufragium fecerunt. Nam quæ sanctus ille doctor de gratia scripsit, dum eam *infallibilem*, ut vocant, ac nunquam effectu carentem esse, et hujus generis alia significavit, cum ad solam prædestinatorum gratiam, quæ cum perseverante est conjuncta, referantur, ad universum genus pertinere voluerunt; ex quo cætera plane infanda, et ad hæresim implicata dogmata derivare non sunt veriti, ac pro Augustinianis obtrudere. Sed huic querelæ, ac disputationi opportunior est reservandus locus; nunc ad reliqua pergamus.

Scopulus ad quem Iprenses impingunt.

Quarta et postrema consideratio reliqua est, qua commotum se scribit auctor epistolæ, ut « uni ex omnibus Augustino partes mandaret interpretandi concilii. » Nimirum quod ad hujus ætatis hæreticos convincendos aptissima sit illa ratio, si hoc illis opponatur, Tridentinum concilium nihil in iis, quæ ad fidem attinent, statuisse, nisi Apostolicæ traditioni, et conciliorum ab sanctis Patribus, et ab universa Ecclesia receptorum auctoritati consentaneum, tum unius præsertim ex omnibus Patribus Augustini placitis, decretisque congruens. Verum eamdem hic cantilenam occinit, quam in superioribus tribus exposuerat, ac duplici præscriptione summovendam. Altera est, non ex eo consequi, interpretem Augustinum debere esse concilii, maxime tanto post habiti, potius quam et Apostolicam traditionem, et anteriora concilia, et Patres cæteros, multoque magis Scripturam sacram; si hoc interpretem constituit, doctrinam edidisse, cui sunt Tridentinæ synodi decreta consentanea; siquidem cum omnibus illis quadrare Tridentina dogmata fatetur. Cur ergo solum Augustinum interpretem jubet esse concilii? Altera est, quamvis ex Augustini doctrina interpretandam esse concedamus Tridentinam synodum, nihilo commodius actum iri cum Iprensium secta, cujus e fonte rivulus iste est epistolæ deductus. Nihil enim illos adjuvat, nec ad eorum sensum loquitur, nisi assutis illorum interpretamentis, quasi detritis, lacerisque pannis ad regiam purpuram auro, gemmisque collucentem. Ut, quod supra meminimus, Tridentini concilii interpretem adhibendum esse velint, non Hipponensem, sed Iprensem Augustinum; hoc est sanctissimum doctorum non suo, sed novorum dogmatistarum sensu, et arbitrio sua decreta promentem. Hujus rei specimen sequens caput ostendet.

Quarta Epistolæ consideratio

Inanis et ridicula.

CAPUT XI.

Multa epistolæ errata reprehenduntur; et illustratur Augustini doctrina, quam illa perperam interpretatur. De gratia prædestinatorum propria.

Pagina epistolæ vicesima tertia, et sequente, vendibiliorem sectæ suæ opinionem, et videlicet meram facere Augustinianam ita conatur. Duas Augustini tempore de gratia fuisse sententias dicit extreme sibi invicem adversas; « unam Semipelagianorum, qui, ut nonnulli contendunt, ait, existimabant, sine gratia posse nos credere : alteram Augustini, quæ nobis ad hoc, ut credamus, tribui gratiam affirmat, quæ nos ad credendum addicat, ac determinet. Inter has extremas tertia est interjecta sententia, gratiam dari nobis ejusmodi, quæ nos ad credendum neutiquam determinat; sed ita, ut cum illa, prout libitum est, credere possimus, vel non credere. »

Falsa Epistol præscript

Hic vero repente sermonem velut entheatus abrumpit, et paratragœdiat dominus abbas, quærit, ac responderi sibi postulat, ecquid media illa sententia tam abstrusa, tam subtilis, tam ad excogitandum difficilis sit, ut ejus in mentem eruditæ adeo vetustati illi nunquam venire potuerit, præsertim Augustini; qui, si de isto temperamento cogitasset, graves illas, et assiduas adversantium sibi querelas, et controversias exceptiuncula una facile declinasset.

Antequam epistolæ veteratoriam artem, calumniamque palam facio, volo illud obiter expendere, quod furtim injicit, « Semipelagianos, ut nonnulli contendunt, existimasse, sine gratia posse nos credere. » Quid enim cautione ista sibi velit, *ut nonnulli contendunt*, non valde est obscurum. Hoc enim innuit, non se unum esse ex *nonnullis* istis; neque Semipelagianorum talem errorem fuisse pu-

Et veterato fraus.

tare. Quemnam igitur? nempe illum ipsum, quem adversariis catholice sentientibus objicere solet Iprensis schola, quod gratiam istiusmodi statuerent, cui assentiri, vel resistere, ac dissentire possimus; quæ est pura putaque Tridentini concilii doctrina. Atque, si Semipelagiani non alii sunt, quam Massilienses illi, de quibus ad Augustinum scripsit Hilarius, et adversus quos duos libros *de Prædestinatione ac de Perverantiæ* dono edidit Augustinus; profecto, si quos habet corporis, mentis nullos habet oculos, qui non videt, illum Semipelagianorum proprium errorem fuisse, de quo clausula ista dubitare videtur.

Semipelagianorum error.

Sed ad institutum revertamur. Laudare non possum equidem epistolæ scriptorem, qui malitiose, astuteque duas illas adversis frontibus inter se pugnantes opiniones descripsit, quomodo voluit. Non enim ita se habent; verum duæ illæ sic erant: Massilienses, qui sero tandem Semipelagiani vocati sunt, aiebant sine gratiæ Christi auxilio ullo, solis naturæ viribus posse homines credere, ac velle salutem adipisci; eo quod libero quisque arbitrio sanitatem vel optare possit, tametsi ad eam exequendam voluntatem gratia sit opus, in quo a Pelagianis discrepabant.

quo differt Augustini sententia.

Huic opposita erat Augustini, eademque Tridentina, et catholica fides: gratiam Christi ad omne bonum opus non faciendum solum, sed etiam volendum, (quod quidem ad salutem utcumque pertinet) adeoque ad omnem credulitatis affectum omnino esse necessariam; sed ita tamen, ut, quod gratiæ convenit, efficeret penitus, ac liberum hominis arbitrium non necessitate ulla traheret, sed mulcendo, ac blandiendo pelliceret. Media inter ambas postea est exorta prædestinatorum hæresis. Imo extrema ista facta est, Pelagianæ, et pro parte, Massiliensi ex adverso posita. Inter utramque intermedia constitit illa Augustiniana, et catholica. Tandem vero paulatim exolescente prædestinatorum cruda illa, nec satis diluta, et barbara opinionis amentia, in ejus locum, velut succedaneum, cessit Iprense virus, cujus succo ebria est epistola. Tum illa demum audiri cœpta sunt portenta Tridentinis inimica decretis; in quibus elidendis multum hodie catholica laborat pietas, et industria. *Tolle* igitur *quod tuum* est, mi homo, quisquis epistolam istam elucubrasti; et abuti desine auctorum, ac perspicacium virorum patientia, qui, quid lupo canis, quid lupinis æra distent, plus quam vestra refert, imo, quod plurimum vestra, si sapitis, interest, agnoscunt, ac dijudicant. Tuum est, imo cum Calvino, et Luthero, ac tota istorum colluvie commune tibi dogma, libertatem voluntatis soli repugnare violentiæ; cum necessitate consistere. Augustinianum, et catholicum non est. Tuum est, gratiam Christi sic ad consensum trahere voluntatem, ut dissentire non possit, sed necessitate quadam trahentem, ac vocantem sequatur. Nunquam de eo cogitavit Augustinus. Tuum est, nullam omnino Christi esse gratiam nostra culpa irritam, ac sufficientem quidem ad exprimendum voluntatis assensum, sed ea resistente, reipsa, et *actu* neutiquam efficacem; verum prorsus omnem gratiam assensum non tam impetrare a nobis, quam in nobis, necessario efficere; et hoc infestum est catholicis auribus, nedum ab Augustino defensum, ac traditum. Tuum est, ne longius faciam, quidquid epistola tua de Tridentini canonis interpretatione nimis absurde, et, ut verum dicam, non satis considerate, ac catholice disputavit; quod paulo post necessariis convincam rationibus.

Falsa Epistolæ dogmata.

Poterat hæsitationi tuæ, ac quæstioni, qua urgeri putas, opprimique catholicam causam, vera et sincera doctrina Augustini satisfacere, ac falsissimam tibi de necessitatem inferente gratia opinionem excutere, si hoc attenderes: Gratiam apud Augustinum unam esse cum reprobis communem, quæ ante vivendi finem excidit: alteram prædestinatorum, et secundum propositum vocatorum propriam, quæ cum perseverantia copulatur. Hæc vero sola certa est, et effectum prorsus obtinet, ideoque *infallibilis* a theologis dicitur. De utroque gratiæ genere, vel morali potius proprietate, et affectione (nam natura non differunt) luculenter disserit Augustinus in libro *de Correptione et gratia*[1], tum in duobus sequentibus libris. Quamvis, ut supra memoravimus, reprobis ad tempus oblatam illam gratiam obiter tantummodo, et quadam alterius occasione perstringat. De gratia vero cum ex professo, et absolute contra Pelagianos sic disputat, ut horum gratiæ catholicorum gratiam opponat, et ambas inter se contendat, non aliam temere, quam prædestinatis peculiarem, ac perseverantiæ dono adjunctam, et in eam, velut in catena quadam aurea, desinentem exprimit, atque in exemplum adducit.

Duplex gratia apud Augustinum.

1 Cap. v et deinceps.

Gratia Prædestinatorum congruentiam habet.

Inest autem in hac gratia præcipuum quiddam, quod deest alteri, ut congruenter, et opportune sic immittatur a Deo, ut, quod ille certissime prævidit, effectum omnino sit habitura, et voluntatis assensionem non modo citra vim, sed etiam citra necessitatem obtineat, quod Tridentina synodus decrevit. Hanc gratiæ cum voluntate congruentem, aptamque temperationem pulchre Augustinus declarat in libro primo *ad Simplicianum*, ubi inter alia scribit sic: « Verum est ergo[1]: *Multi vocati, pauci vero electi.* Illi enim electi, qui congruenter vocati; illi autem, qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non secuti, quamvis vocati. » De hac etiam congruentia pluribus disserit erudite Chrysostomus, cum de Pauli vocatione agit; eamque sine ulla necessitate transactam probat homilia XLIII tomi quinti.

In hac ergo contemperatione, et congruenti aptatione posita est peculiaris beneficentiæ ratio, quam frustra quærit epistola; et ibi, ubi non est, cum flagitio invenire satagit potius, quam in sana, et catholica doctrina constitutam excipere.

Quid in Augustini doctrina improbarunt aliqui.

Indidem præterea colligimus, qua re offensi Augustinianæ doctrinæ adversarii ab eo dissiderent, de quo litem movet epistola. Hoc enim minus approbabant, sine ullis antegressis meritis, quibusdam ejusmodi decerni a Deo, destinarique gratiam, ac tali opportunitate, et congruentia, in qua sciret illius auctor, ac dispensator effectu suo minime carituram, aliis nihilo deterioribus, neque pejus de se meritis non eamdem gratiam adspergeret. Hinc illæ lacrymæ. Nam plerique eamdem omnibus efficacitatem gratiæ, quantum in ipsa est, præsto esse volebant, ac si, quid esset discriminis, id eorum, qui sunt vocati, arbitrio, aut, ut pessime sentirent, merito tribuendum esse dicebant. Hæc obiter hoc loco, et compendio perstricta, ut accurate, ac penitus intelligantur, pleniorem tractationem postulant; sed ea non est temporis hujus, atque otii. Quantum tamen præsentis interest instituti, et ad diluendas epistolæ cavillationes spectat, puto nos istis posse esse contentos, quibus diligenter animadversis, nihil erit, quod nos Augustinianæ doctrinæ, vel Iprensis potius falso huic accensitæ terricula ista conturbent.

CAPUT XII.

Epistolæ pars altera confutatur, in qua Tridentini concilii canonem quartum sessionis sextæ nova interpretatione depravat illius auctor. Quæ primum explicatur; deinde universe refellitur, quod sit absurda, neque cum verbis decreti congruat, imo Luthero inexpugnabilem respondendi rationem suppeditet.

Restat epistolæ pars secunda, in qua certa ratio proponitur Tridentini canonis explicandi, qui jamdudum Iprensem familiam misere conturbat, nec acquiescere hactenus patitur. Nam in eo canone, liberi arbitrii cum gratia conspiratio, et συνεργία tam disertis verbis exposita est ad communem et catholicum sensum, ut illius luci, ac splendori nulla cujusquam cavillatio tenebras offundere potuerit. Sed tandem exstitit anonymus auctor epistolæ, qui nova, et acuta canonis interpretatione, ceu virgula divina, laboranti causæ subsidium afferret. Quod inventum sic miratur, et commendat epistolæ præfatio, ut affirmare non dubitet, « prorsus insanos oportere esse, qui mox, ut legerint, et utcumque perpenderint, non ab eo convicti, persuasique discedant. » Magnifica vox, sed non perinde vera; imo et falsissima, et ab non sano capite temere, insolenterque jactata; quod deinceps probare aggredior, ut illud Græci scriptoris multo esse verius intelligant.

Οὐδὲν ἐν ἀνθρώποισι διακριδόν ἐστι νόημα.
Ἀλλ' ὃ σὺ θαυμάζεις, τοῦθ' ἑτέροισι γέλως.

Verba canonis: « Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum, et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam sanctificationis gratiam se disponat, ac præparet; neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere, anathema sit. »

Hujus decreti germanum, verumque sensum ex Lutheri hæresi, contra quam editum est, colligendum esse scriptor epistolæ contendit, ac duo illius effata commemorat:

1 Aug. tom. IV.

alterum, « Liberum arbitrium cum Dei gratia concurrere, tanquam expers animæ quippiam : alterum, hominem assentiri gratiæ, etiamsi nolit. » Hæc hæretica enuntiata duo, totidem in uno canone sententiis notasse, ac jugulasse Tridentinos Patres affirmat. Nam priori respondere canonis istud, « Si quis dixerit, liberum arbitrium, velut inanime quoddam, nihil omnino agere. » Posteriori autem illam ejusdem particulam, « Si quis dixerit, non posse dissentire, si velit, hoc est, *etiamsi velit*, eo quod Lutherus invitos etiam, reluctantesque dicebat trahi ab gratia. Jam vero, licet aspirante cordi hominis, et immissa gratia, voluntas necessario velit, et assentiatur, nec possit resistere, ut abbas existimat; recte tamen in canone dici asserit, *posse dissentire, si velit;* quoniam si vellet, dissentiret, etsi velle tum nequeat. Id enim possumus, estque in nostra potestate, quod, si volumus, facimus, sine ulla naturæ, vel status mutatione. Quocirca, cum gratiam recipimus, uno sensu nos ait eam posse repudiare, altero non posse. Posse quidem, quoniam faceremus, si ita vellemus ; non posse vero ; quia non possumus velle, tum quod gratia certo, et *infallibiliter*, ut loquuntur scholæ, id operatur, ut velimus, et nolle minime possimus; quando « ad volendum bonum [1], ut ait sanc. Thomas, gratia nos determinat. » Ad summum negat epistola, in illo canone liberi arbitrii τὸ ἀδιάφορον exprimi, id est *indifferentem*, et ad utrumvis optandum expeditum ab omni necessaria determinatione statum, sed « voluntatem, qua facultas est realis volendi, et agendi, quando consentimus, aut dissentimus. » Atqui tam est hæc absurda, et dissentanea canonis illius explicatio, ut mirari satis nequeam tantopere probatam eam, ac laudatam ab non imperitis hominibus, qui et canonem ipsum utcumque perpendissent, et communis ad res dijudicandas sensus aliquid afferrent.

Absurdissima interpretatione.

Ut utrumque perviderí melius possit, tum verus decreti sensus, tum novæ interpretationis ab illa discrepans, et ab omni probabilitate aliena ratio ; multum proderit caput ejusdem sessionis sextæ Tridentinæ quintum cum illo canone contendere ; hic enim ab illo, velut matrice prodiit. Igitur capite quinto, justificationis modum explicans synodus docet, eos, « qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ libere assentiendo, et cooperando disponi ita, ut, tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam et abjicere potest, neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit. » Hinc petenda canonis vera est, et certa sententia, qua cum epistolæ παρερμηνεία nequit consistere.

Vera illius explicatio.

Falsa interpretatio.

Nec enim alio capitis illius verba detorquere licet, quam ut hoc sonent, et exprimant, quando cor hominis aspirante gratia tangitur, et ad assentiendum allicitur, deque eo deliberat animus, utrum amplecti, an repudiare oblatam sibi gratiam debeat, hoc est ad eam recipiendam, aut recusandam sese determinare; dum, inquam, rationis judicio utrumque proponente, voluntas electura est, quod magis sibi placuerit, sic eam demum sponte sua, et libere unum asciscere, puta consensum cum gratia, ut, si mallet, ei contrarium dissensum eligeret. Ex duobus enim datur illi optio : et pro eo, quod, quia vult, eligit, tum velle, tum eligere posset alterum. Hæc ergo consensio, ac dissensio ad idem tempus referri debent, et sic inter se comparantur in canone, ut ex capitis v doctrina necessaria ratiocinatione colligitur. Nam particula, *et*, in illis verbis, « quippe qui illam et abjicere potest,» indicat eo ipso momento, quo unum vult, alterum potuisse velle. At epistola dissonum quiddam, et male cohærens subjicit, in hunc modum. Demonstrare hoc ait velle Tridentinos præsules adversus Lutherum, hominem gratiæ assentientem non esse trunci instar, aut lapidis, omnis motus, et actionis expertem, sed nonnihil agere : quod autem aliquid agat, inde colligere, quoniam et dissentire potest, non tunc quidem, cum gratia tangit, et afficit, sed postea, quando propter naturæ mobilitatem, gratiam illam, quam necessario impulsus receperat, mutata voluntate rejiciet. Verum quid ista aliquanto post intervallo suborta rejiciendi voluntas, et actio ad hoc pertinet, ut ex ea concludatur, egisse aliquid antea voluntatem, quando gratiam admisit? præsertim cum non de quavis hic actione sermo sit, sed *de libera assensione*, ut synodus loquitur. Fingamus homines quempiam obrutum somno forte in terram cadere, et ali-

Quæ ex verbis Concilii probatur.

Falsa Epistolæ expositio confutatur.

1 S. Th. I, II, qu. IX, a. 6, ad 3.

quandiu jacere istic, aut sedere : ac paulo post expergefactum, sponte ac libere consurgere, pedibusque consistere ; tum ita ratiocinetur aliquis hominem istum ultro, et libere in terram cecidisse, quoniam libere surrexit, et institit ; qui sic disputet, hunc tu hominis, an pecudis potius loco habendum esse censeas ? Vide, an non simillimam Tridentini concilii argumentationem epistolæ auctor interpretatione sua faciat. Quinetiam, quod commenti vanitatem magis ostendit, Lutherum adversus objectam sibi ab concilio rationem sic armat, et instruit, ut nihil hiscere contra quispiam posset. Cum enim inter catholicos constet, Lutheranis etiam assentientibus, neminem sine gratia boni quidquam, et ad justitiam spectantis agere posse ; peccare autem ex sese posse, ac male facere ; concilii decreto ita, ut doct. abbas exposuit, asseveranti, hominem, cum gratiam recipit, moliri aliquid, et agere, propterea quod eamdem postea repudiare gratiam potest, facile Lutherus occurret, nec esse consequens dicet, ut si in recepta gratia respuenda agat aliquid homo, in recipienda itidem agat. Hoc enim esse discrimen utrisque, quod assentiri inspirationi divinæ, opus gratiæ sit, quæ voluntati necessitatem affert ita, ut agatur, non agat humana natura ; sed perinde *passive* se habeat, « ac si dura silex, aut Marpesia cautes » externo aliquo impetu, et impulsu moveatur. Quid adversus hanc Lutheri responsionem Tridentini concilii argumentatio illa proderit, dicat auctor epistolæ, si potest, et interpretationis suæ falsitatem agnoscat.

CAPUT XIII.

Nonnulla per saturam in epistolæ parte altera notantur absurde dicta. Calumnia ejusdem in explicanda libera potestate, ac deinceps aliæ similes. Tridentinæ doctrinæ inepta declaratio ab eadem adhibita.

Canonis Tridentini ludieram explanationem, et inconcinnam generatim confutavimus antecedente capite ; nunc eodem pertinentia quædam errata persequemur, leviter singula delibantes, ne ingratæ, sed necessariæ operæ longitudo ipsa molesta sit.

Novorum Pelagianistarum strophas.

Hic mihi primum animadvertat theologiæ peritus familiarem Iprensibus stropham in definienda libertatis proprietate. Cum enim liberum hoc dicatur ab humanæ, divinæque sapientiæ consultis, quod in nostra est potestate, quam Græci ἐξουσίαν nominant, a qua τὸ αὐτεξούσιον *liberum arbitrium* vocatur ; illud in potestate esse nostra definiunt sic, ut hoc ejusmodi sit, quod, si volumus, facimus. Verum manca est, et altera parte deficiens potestatis ista ratio. Ut ergo plena et integra sit, addatur et istud, *et si nolumus, non facimus*. Hoc enim libertatis natura postulat, et indifferentia, quæ duo illa requirit ; ac, tametsi plerique scriptores unam ambarum partium exprimant, altera tamen necessario subaudienda est. Vide enim sophisticam istorum hominum versutiam. Cum tu hoc illis concesseris, *in potestate esse nostra, adeoque liberum nobis, quod, cum volumus, facimus*, quædam exempla proferent, in quibus insidiose te circumvenient. Nam et beati, cum volunt, Deum amant ; et quia semper volunt, nunquam non amant, ac proinde libere amare dicentur. Ita Deus Pater, et Filius amant se mutuo, cum volunt, quia semper volunt. Quare ex illorum definitione libere utrumque fiet, etsi fiat necessario. At illud oppido est absurdum. Itaque ambo, uti dictum est, opposita invicem exprimi debent. Ita facit Augustinus, qui in libro *de Spiritu, et littera*, capite XXX scribit sic : « Hoc quisque in potestate habere dicitur, quod, si vult, facit, si non vult, non facit. » Pessime itaque hoc in epistola positum est, gratiam, etsi necessario ab voluntate suscipiatur, libere tamen accipi ; quia, cum vult, et si vult, illam recipit, quamvis non velle, aut non recipere nequeat. Hoc enim subdolum, et captiosum est. Idcirco Tridentinum decretum, ut libere consentire nos gratiæ significet, ambo illa, *consentire*, aut *dissentire* complectitur.

Non dissimili fraude passim epistola vocabula quædam inserit, cum de libertate loquitur, quæ *indifferentiam* excludunt, tanquam ab illis usurpata scriptoribus, quorum testimoniis utitur. Hujusmodi ista sunt. Ex Augustini discipulo Prospero colligi ait, « In potestate martyrum non fuisse non pati, quoniam Deus effecit, ut hoc vellent, fortissimo et inextinguibili, et invincibili ardore caritatis. » Nusquam hoc a Prospero dictum est, in potestate non habuisse martyres, ut cruciatibus cederent ; sed hoc solum dixit[1]. Tantam

1 Prosp. l. II *de Vocat. Gen.* c. v.

illis constantiam datam fuisse, « ut ille ignis dilectionis, quam in cordibus fidelium Spiritus sanctus accenderat, nullo modo ab opprimentibus posset extingui. » Multum vero illa distant, non potuisse fidem martyrum ab tyrannis, et tortoribus extingui, et in potestate non habuisse martyres, ut tormentis cederent, et a fidei professione desisterent.

Non satis quoque prudenter usurpatum istud est, non eos posse respuere, « gratiam, quibus hæc aspirat eo quod velle nequeunt, et hoc infallibiliter efficit gratia, ut non velint. » Falsum est, et ab Tridentino concilio anathemate vindicatum, eos, qui gratiam libere assentiendo recipiunt, dissentire non posse; nec idem est *infallibile*, quod *necessarium*, in quo misere conflictatur Iprensium schola; sed nec omnis *determinatio* voluntatis necessitatem affert. Nam ab intellectu, et judicio rationis determinatur voluntas, et a se ipsa; neutra tamen determinatio necessitatem indicit. « Ita gratia determinare voluntatem ad bonum » dicitur ab sanc. Thoma [1]; quem dicti sui auctorem, ac fundum nominat epistola: sed de suo perperam addidit, quod ab Tridentinis Patribus docui esse damnatum.

Pari licentia necessitatis vocem emetitur Augustini sententiis, quas ad marginem citat, in quibus hæc tantummodo comparent: Dei in movendis cordibus « efficacissimam esse potestatem [2]; » tum datam esse Petro « fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem [3]: » et hujus generis alia, quæ Deo potestatem attribuunt in juvandis ad perseverandum electis suis insuperabilem, et invictam, et omnipotentissimam: non tamen eamdem divinitus concessam gratiam « fortissima necessitate operari effectum suum, » asserunt, quæ sunt epistolæ verba, Augustinianis assuta testimoniis, quod nemo prudens laudaverit. Atqui necessitatis nomen idem, quasi pro concesso, et explorato, sæpius ex Augustino repetit eadem epistola; tum ita loquitur: « impossibile esse, divinam gratiæ motionem non exprimere consensum nostrum; » quæ verba subinde referam.

Rursus « fundamentum, et radicem doctrinæ suæ » (quam falso sanctis Patribus adscribit) id est rejiculæ interpretationis canonis Tridentini, in hunc modum declarat, quem bene perspectum habere refert ad epistolæ dijudicandam indolem. Concupiscentiam, sive insitam, et inexhaustam cupiditatem, quæ intestinum in nobis bellum excitat, bifariam ait accipi. Interdum enim ἕξιν, id est *habitum ipsum*, sive statum significat, peccatique fomitem, quæ sunt originalis peccati reliquiæ, quo ex habitu, tanquam ex fonte manant *actuales*, ut vocant, cupiditates, quæ concupiscentiæ est altera notio de duabus, quas dixi. Eæ porro non semper eædem, hoc est æque valentes, et efficaces ex nativa illa vena profluunt, sed alias validiores habent impetus, et assultus, qui aspirantis gratiæ vim debilitant, et infringunt; alias imbecilliores sunt, et a victrice gratia superantur, alternante inter ambas victoria.

Hoc constituto principio, mirifica quādam ratione novam illam, quam exposui superiori capite, Tridentini canonis interpretationem roborat, et illustrat. Gratiam asserit, quæ cum cupiditate assiduum bellum gerit, vel cum *habituali concupiscentia*, vel cum *actuali* posse comparari, et pro alterutra istarum habitudinum, dici nos posse gratiæ resistere, vel non posse resistere. Posse quidem obluctari, ac resistere gratiæ eatenus dicimur, quod, etsi reipsa non resistimus, sed cupiditatem coercemus, *actualem* scilicet illam; tamen fieri posset, ut ex *habituali concupiscentia*, sic tanquam ex Ætnæ, aut Vesuvii spiraculis, vehementiora prorumperent incendia, et motiones existerent afflatu gratiæ validiores, quibus hæc oppressa cederet. Non posse autem resistere gratiæ dicimur ideo, quod remissiores habeat impetus cupiditas, quam gratia.

His animadversis, Tridentini canonis sensum hunc expedit: « Cum liberum arbitrium docet a Deo excitatum posse dissentire, si velit, quamvis impossibile sit, motionem illam non exprimere consensum, effectuque carere; hoc ita posse ait exponi, ut uno sensu possimus convertenti nos gratiæ resistere, altero non possimus. Nam resistere non possumus per actum illum solum concupiscentiæ, qui tum ex habitu illo proficiscitur; possumus autem eidem obsistere gratiæ, quatenus in ipso concupiscentiæ habitu suppetit nobis, unde illi resistere possemus, si majorem, quam qui reipsa exstitit, concepisset ardorem. » Hæc epistolæ auctor.

De quo interpretationis commento verissime mihi videor esse dicturus, quod de *Timæi* historici dicto quodam Plutarchus in *Alexan-*

1 S. Th. I, II, q. IX, a. 6, ad 3. — 2 Aug. *de Gr. et lib. arb.* c. XVI item. I. *ad Bon.* c. XX. — 3 Aug. *de Cor. et Gr.* c. VIII et IX.

dri vita pronuntiavit ; cum quidem ille in historia sua prodidisset, mirandum non esse, quod eadem nocte, qua magnus Alexander in lucem editus est, Dianæ Ephesinæ templum deflagrasset, quod Diana, cum in partu Olympiadis adesse voluisset, abfuisset domo ; hoc enim dictum adeo frigidum esse credidit Plutarchus, ut ad illud sufficeret templi restinguendum incendium. Idem igitur de illa interpretatione merito dixerim : Adeo hanc frigidam esse, ut ardorem quemlibet domestici illius incendii possit restinguere.

Ex qua portentum sequitur

Age enim, quid ex illa canonis expositione monstri simile conficiatur, ex antecedenti epistolæ disputatione monstremus. Tridentinum docuit concilium, nihil in animo aliud habuisse condendo illo decreto, quam ut ostenderet, hominem in assentiendo, recipiendaque oblata sibi gratia, aliquid agere, nec, instar stipitis, propriæ esse motionis expertem. Hoc cum illis verbis probare conetur ; « quippe qui illam et abjicere potest, » quæ in capite quinto leguntur ; necesse est sic argumentationem suam informarit, ut aliquam homo in assentiendo propriam actionem exerere ex eo cognoscatur, quod insitum concupiscentiæ fomitem, quo possit agere, et actione ista posteriori receptam gratiam abjicere. Quænam vero est ista collectio, hominem agere, quia postmodum agere potest ? Certe hoc in scholis tirones audiebamus, non esse necessariam consequentiam, quæ ab agendi potestate ad actionem ducitur. Neque enim recte colligas, cum de cædis auctore quæritur, idcirco Milonem occidisse Clodium, quia potuit occidere. Valet autem argumentatio, et necessario nectitur ab actu ad potentiam : fecit, ergo facere potuit. Quid tam male de epistolæ scriptore meruere Tridentini Patres, ut eis tam insignem vecordiam, et inscitiam affingeret ?

CAPUT XIV.

Prosperi locus ridiculum in sensum acceptus ab epistola. De duplici gratia inutilis ejusdem observatio ; falsa item expositio Tridentinæ doctrinæ.

Sicut arboris ex fructu, fontis ex rivo, et universe ex effecta re causæ, et originis indoles agnoscitur ; sic ex doctrinæ consectariis, cujusmodi ea sit habenda, judicatur.

Prosperi locus est, quem ad illustrandam sententiam suam de Tridentini canonis sensu auctor attulit epistolæ ; qui locus de illa ipsa sententia, et interpretatione quid statuendum sit, ex consequentibus ostendet. Verba epistolæ post expositam rationem, qua resistere gratiæ posse dicimur, etiam cum illi assentimur, « Ideo, ut affirmat s. Prosper, qui stant, neque cadunt, standi meritum habent, quoniam in seipsis habent, unde cadant ; etsi Deus perpetuo, et inconcusse propensionem illam sustineat, qua in casum, et perfectionis jacturam ex se ipsi sunt proclives. » Sententia porro illa Prosperi, in quam digitum intendit, sumpta est e lib. II *de Vocatione gentium* paulo ante finem : « Ut quamvis auxilio Dei steterint, inquit, tamen, quia in se habebant, unde caderent, ipsorum sit meritum, quod steterunt. » Jam si epistolæ scriptorem audimus, cum illud, quod Tridentina synodus capite quinto sessionis sextæ, et indidem canone quarto docuit, posse resistere gratiæ, et eam repudiare, cum id non facit, sed eam e contrario, recipit, nihil aliud sit, quam intestinum habere concupiscentiæ fomitem, et corruptelæ statum, qui vehementiores emittere cupiditates posset tum, cum, ne id agat, victrice gratia, constringitur, ab quibus superata gratia, voluntas infracta, et enervata cederet, atque oblata eamdem sibi gratiam respueret ; hoc ex doct. abbatis opinione constituto, sequitur illud impense absonum, et absurdum, mereri sanctos, ac præmio affici ob hoc ipsum quod non reipsa fecerunt, sed facere poterant, etsi de eo minime cogitarunt. Etenim concupiscentiæ vis, et impetus eatenus causa est meriti, quod dum actu, reque ipsa bellum movet, ac tumultuatur, homo fretus opitulante gratia, cum illa repugnante vicissim luctatur, et eam comprimit. Quatenus autem acquiescit, et a Deo sine opera nostra coercetur, nullam nobis coronæ, ac gloriæ segetem parit ; nisi forte dum futura, vel ab ea formidanda prælia cogitantes, ad ea nos propulsanda comparamus, et aliquid molimur. Hoc enim tantumdem est, ac si reipsa pugnam consiseret. Cæterum ob id unum, quod cum voluntas humana divinæ gratiæ potestate subacta, eam necessario recipit, et eadem necessitate domita concupiscentia, nihil turbarum ciet, mereri hominem putare, illius victoriæ causa, non quam certando reportarit, sed quam reportare potest, quia et hostis potest confligere ; tam est ridiculum, et damnandum, quam quod contra Pelagianos scribens repre-

hendit Augustinus, ut rei ob id infantes constituantur, ac pœna digni, quod, si viverent, illos Deus facturos esse prævidit. « Nimirum eas animas parvulorum sine baptismate moriturorum a justo Deo in carnem peccatricem relegari[1], atque damnari, quas præscivit, si ad ætatem pervenissent, in qua libero uterentur arbitrio, male fuisse victuras[1]. » Quid enim ab hoc interest, quod in epistola traditur, ob id mereri præmium quempiam, quod vincere potuit, si ei pugnandi copia dedisset hostis, quam nullam quiescendo præbuerit? Sane, ut se habet illa doct. abbatis opinio, in Olympicis ludis coronam mereri athleta ille potuit, qui cum altero compositus, eo ante initum certamen mortuo, vel alligato, brachia non commoverit, sed toto ludorum tempore otiosus spectator assederit; quippe qui eo ipso certare poterat, et vincere, quod adversarius manum conserere potuisset.

Urinus quoque, ac subventaneus est ejusdem ingenii fetus ille, quem pagina quinquagesima quinta epistolæ continet. Ibi gratiæ divinæ partes duas, sive functiones discernendas esse admonet: quarum una est in mentis illuminatione posita: altera in motione voluntatis, quæ suavitatem, ac delectationem affert. Ita passim Augustinus contra Pelagianos[2]. Harum priori voluntatem fatetur posse resistere, posteriori negat posse; quo ex discrimine Tridentinum canonem explanare studet, cum ait vocantem, et excitantem gratiam repudiari posse. Id enim ad intellectus illustrationem referri putat, non ad voluntatis commotionem. In quo minime est audiendus. Nam Tridentinum decretum de ea gratia perspicue loquitur, quæ plena est, et Christi propria, hoc est quæ voluntatem afficit. Quippe hujusmodi est illa gratia, « qua Deus tangit cor per Spiritus sancti illuminationem. » Cor autem in Scripturis, quarum loquendi consuetudinem scimus a Patribus, et conciliis usurpari, *voluntatem* haud dubie significat. Huic ergo gratiæ, quæ voluntatem movet, refragari potest homo, eamque repellere; quod ibidem synodus declarat, suis verbis, ac sensibus loquens, non alienis detorta, et infuscata commentis.

Reliquum est ex epistolæ argumentis, quibus novam interpretationem confirmat, unum illud, quod auctori firmum, et præclarum videtur, atque in hunc modum instituitur. Tridentinum concilium adstruit in sessione illa sexta, cum de libera voluntate hominis agit, non de ea loqui, quo in indifferentia sita est, sed de naturali facultate volendi, quæ cum necessitate cohæret; et quamvis ad unum alligata necessario, ac determinata, nihilominus libera permanet, quo præcipuo fundamento Iprensis schola nititur. Ita porro ratiocinatur epistola: Tridentinam synodum ait in illo decreto libertatis genus istud asseverasse, non, quo sublato, voluntas agere cum indifferentia desinat, sed sine quo nihil agat omnino, ut antea diximus, et in pag. 58 resumit epistola. Siquidem negotium est illi cum Luthero, et ejusdemmodi hæreticis, qui voluntati in recipienda gratia omnem eripiebant actionem, non eam solam, quæ cum indifferentia conjungitur. Ex quo concludi putat, naturalem ipsam volendi facultatem, qua simpliciter volendo aliquid appetimus, illo decreto comprehendi; non eam, quæ in indifferenti, et ad neutrum determinato statu consistere dicitur. Mihi vero hæc argumentatio omnium ad concludendum ineptissima, maximeque imbecilla videtur. Ut enim concedamus illud, quod de Lutheri opinione sumit, nec est modo curandum, certe non minus recte ratiocinatio ipsa procedit, si ex eo, quod libere voluntas operatur, id est ex indifferenti potestate, citraque necessitatem probemus eamdem actuosam esse, nec expertem motionis omnis, ut Luthero placuisse, ob idque decreto illo notatum esse scriptor epistolæ contendit. Quod autem Tridentina synodus de istiusmodi libera potestate, quæ arbitrium liberum proprie nuncupatur, deque peculiari ejus actione, quæ *electio* dicitur, intelligi debeat; tum verba, quibus utitur, tum quæ de illorum interpretatione supra disputavimus, sine ulla ambiguitate declarant.

Eaque refellitur.

Porro similiter facit doct. abbas, cum adversus communem de Tridentino canone sententiam illo modo disserit, ac si quis probare volenti, hominem naturali motu, et actione esse præditum, nec trunci instar ἀνενέργητον idque ex eo demonstranti, quod ratiocinatur, quod intelligit, obstreperet sic, et argumentum istud opponeret: Si quis hominem non esse stipitis more vacuum omni motione, et actione, probare instituit, tale genus actionis ad id ostendendum assumere debere, quo sublato, trunci similis esset. Quis sic argumentantem ultra sustineat, ac non risu, conviciisque proturbet? Denique subtantiam ali-

Et fucus illius ostenditur.

Operationis expertem.

1 Aug. lib. I *de Anima*, c.XII.— 2 Lib.II *de peccator. meritis* c. XVII et XIX, lib.*de Gratia Christi*, c.X et seq.

quam sensu præditam esse inde concludi licet, soletque quod sit rationalis ; nec, ut illud approbem, ulla me dialecticæ præcepta cogunt, genus illud actionis, tanquam *medium* asciscere, quod si desit, consequens fiat, sensu omni carentem esse substantiam.

CAPUT XV.

Tridentinæ doctrinæ sensus ex eorum expositione, qui concilio interfuerunt, eruitur ; ac primum ex Dominico Soto, qui communi sententiæ suffragatur. Tum ex Andrea Vega.

Cum hic ergo disputandi finem decressem facere, venit mihi in mentem accessionis cujusdam, qua utiliter obsignari posset, et vero deberet nostra ista commentatio. Nam, cum de Tridentini decreti interpretatione potissimum agatur, et hoc in quæstione positum sit, quem in animo sensum verborum, qui illud condiderunt, habuerint Patres, nihil ad id investigandum expeditius potest esse, quam quod Petrus Canisius in præfatione ad opus Andreæ Vegæ *de Justificatione*, suadet his verbis : « Illud dicam, permagni sane referre, ut ad manum habeamus quorumdam testimonia scripta, qui velut oculati testes actionum dicti concilii, coram adfuere ; ut horum etiam sententia, et interpretatione nobis, et posteris explicatiora reddantur, quæ sunt in eadem synodo constituta. » Hoc vero summi viri consilium magnopere nobis placuit : credo itidem, et aliis visum iri prudentibus, ac veri studiosis lectoribus ; quorum in gratiam aliquot hic appellabo testes, et interpretes mentis, ac propositi Tridentinorum præsulum, ex iis, qui tum præsentes interfuere synodo, cum decreta illa fierent.

Canisii memorabile dictum.

Ac præ cæteris duo illi producendi sunt, qui omnium doctrina, et auctoritate, ex privatorum ordine, principes fuisse perhibentur ; ac magnum ad decidendam illam controversiam, quæ de justificatione tum est commota, momentum attulisse. Fuit autem, quod in historia concilii istius memoriæ proditum est[1], tam accurata, imo anxia, et laboriosa de illo decreto inquisitio tum facta, ut centies de ea deliberatum sit, et itum in concilium partim a prælatis, partim ab theologis. Horum e numero, quod dicere cœperam, qui duo designati a me sunt, exstitere Dominicus Soto Segobiensis, ex Dominicanorum familia, et Andreas Vega Hispanus, ex Franciscanorum ordine, qui ab observantia insigne nomen accepit, Salmanticensis Academiæ theologi professores ambo, et et ille insuper Carolo V imperatori a confessionibus. Hi, cum in nonnullis, quæ ad illud argumentum attinent, et impune, ut fit in scholis, in utramque partem disputantur, a se mutuo dissiderent (quæ altercatio primorum inter se theologorum deliberationi præcipue moras attulisse dicitur) ; post decretum consensu omnium temperatum, et editum, pro sua quisque sententia perseverarunt contendere ; ac duo anno eodem 1548 inter se pugnantes prodiere libri : alter Dominici a Soto *de Natura, et Gratia :* alter Andreæ Vegæ *de Justificatione.* Hæc ex historia Tridentini concilii ideo referre volui, ut constaret, id, in quo duo illi, cæteroquin adeo discordes, inter se consentiunt, quod ad sensum Tridentini decreti pertinet, id pro germano, certo, et indubitato tenendum.

Atqui iidem duo clarissimi, gravissimique doctores theologi in explicanda Tridentini concilii doctrina, secum invicem, et nobiscum adamussim consentiunt ; ac novorum dogmatistarum et ante hos Lutheranorum, et Calvinistarum opinionem pro hæretica judicant ; et ad eam non alio, quam quo illi profitentur, intellectam sensu, damnandam, ac profligandam accommodari synodica illa decreta confirmant.

Dominicus Soto lib. I *de Natura et gratia* cap. XV, de libero arbitrio, ejusque cum gratia consensu accurate disputans, ac Tridentini concilii cap. V, et canonem IV sessionis sextæ declarans, « Neminem, inquit, coactus (*leg.* coactum) Deus, aut necessitate ad se trahit, sed in nostra est potestate gratiam ejus respuere, uti s. Trident. syn. sess. VI, cap. V et can. IV determinavit. Et præterea quod quoties assensum nostrum præbeamus, et cooperari Deo velimus, nunquam per ipsum stat, quominus præsentissimo favore nobis auxilietur, quippe qui jugiter ostium cordis nostri pulsat, ut convertamur. » Mox hujus rei argumentum ducit « ex natura et conditione humana. Est enim homo suapte natura rationale animal ; hoc nimirum brutis animantibus præstans, quod habeat intellectum ratiocina-

Domin Soto de here arbitri grati senten

Liberu bitrium utrum indiffer

1 *Historia* 1.

tivum in utramque partem, et eadem ratione voluntatem, quæ in neutram partem sit determinata, sed in alterutram libera. » Hinc hominem « colligit sui habere dominatum, ac libertatem, et arbitrium sic se agere, ac secus, ad eum, quem sibi præstituit, finem. Cum ergo hominem converti in Deum, sit moveri in suum finem, consequens fit, ut quemadmodum naturales res ad suos cujusque fines, secundum suam naturam Deus naturaliter movet; ita hominem juxta suam moveat libere. »

Atenim objicere ait adversarios, verum id in statu innocentiæ fuisse, non in eo, quem nunc obtinet, in quo liberum per peccatum amisit arbitrium. Huic argumento sic respondet : « Libertatem, ait, vel ab eo deduci, quod est liber ; vel ab eo, quod est, liberare; priorem opponi coactioni, et necessitati, posteriorem servituti. » Unde « trifariam libertatem colligit : nempe *naturalem*, quæ est immunis a necessitate, ut quis, quod libet, eligat : » alteram, *gratiæ* : tertiam, *gloriæ*. Prima, quæ est naturalis, permanet post peccatum; sed reliquas duas perdidimus, quas per Christum recuperamus, » Augustinum porro, cum libertatem ait peccato perditam, de ea loqui, quæ est gratiæ. « Igitur liberum arbitrium in hoc sensu censet Augustinus, perditum homini esse post lapsum, quod non est illi possibilitas recuperandæ salutis, nisi cum auxilio gratiæ; quinimmo neque velle se disponere valet, nisi præpulsante Deo, non tamen, quod non sit liberum illi assentire. » Mox citat Augustinum (is est Gennadius), libro *de Ecclesiasticis dogmatibus*, cap. XXI, ubi ita scribit : « Postquam autem seductione serpentis per Evam cecidit, naturæ bonum perdidit pariter, et vigorem arbitrii, non tamen electionem, ne non esset suum, quod evitaret; nec merito indulgeretur, quod non arbitrio diluisset. » Demum in fine capitis, « Enarravimus ergo causam, inquit, decreti nostræ sanctæ synodi sess. VI, quo habetur, non recipere nos beneficium reconciliationis, veluti inanime organum; sed libere assentientes, et cooperantes ita, ut possimus inspirationem abjicere, ut habetur cap. V, et inter canones can. IV. »

Rursus in capite sequenti, quod est XVI libri ejusdem primi *de natura et gratia*, Dominicus Soto hæreticorum argumenta dissolvit; velut hoc est ex verbis Christi petitum, *sine me nihil potestis facere*[1]. Cujus argumenti fallaciam inde convincit, quod ex ea sequatur, causas secundas nihil prorsus agere. « Ut ergo non consequitur[2] : sine Dei generali concursu sol non illuminat; ergo non ipsemet naturaliter illuminat : ita nec sequitur : Absque Deo peculiariter præveniente, voluntas hominis non movetur ad opus veræ virtutis; ergo voluntas ipsa non movetur libere. Est enim Deus causis secundis in universum causa, ut secundum suas ipsarum naturas singulæ peragant opera sua, nempe naturales naturaliter, et quæ liberæ sunt, libere, tametsi in operibus gratiæ necessarium sit specialius auxilium, » etc. Mox, « Quando, inquit, cum libero homine concurrit, non vult illud fieri, nisi salva humana natura, et libera voluntate, quæ idcirco resistere Deo potest. » Deinde nodum sibi argumentationis hunc nectit : « At restat nonnihil præterea explicandum. Aut enim sumus liberi in hujusmodi actionibus ante momentum temporis, quo nos Deus movet; aut præsente motione Dei. Non ante, quia absque eo movente moveri nequimus; neque cum nos ipse actu movet, quia non stat ipsum non movere, quin una moveamur. Sunt enim movere, et moveri, ceu actio, et passio, correlativa. » Ut huic argumentationi respondeat, primum definitionem libertatis affert hujusmodi : « Illa causa libera est, quæ positis omnibus requisitis ad agendum, potest et agere, et non agere; cui contraria ratio est causæ naturalis. » Tum, « Solutio, inquit, dubitationis est, quod illo tunc temporis momento, quo Deus mecum concurrit, sum liber, ut tunc agere renuam. Etenim, dum libere moveor, possum in sensu diviso non agere. et tunc cessabit concursus Dei. Tametsi in sensu composito contra se invicem pugnent, Deum agere erga me actione illa, et me non agere. » Subinde vero quæstionem sibi movet : « Numquid Deus potens est voluntatem hominis seu cogere, seu ex necessitate movere Facilis est responsio : (ait) Cogere enim voluntatem repugnantiam involvit, etc. Necessitari tamen voluntatem a Deo, qui auctor est naturæ, nihil vetat. Sed tunc auferret illi libertatem in tali actione, movendo illam, ceu brutam pecudem. Quod tamen nunquam facit lege communi. »

Hactenus Dominicus Soto, qui et pluribus

bertas fariam icta.

Quomodo, et quando libere aga voluntas.

cursus i nihil fficit ertati.

1 *Joan.* XV, 5. — 2 Dom. Sot.

eadem docere, ac collatare pergit; sed quæ ex eo delibavi, satis esse possunt, ut quæ Tridentini decreti sententia sit, ex illis intelligere possimus. Sunt autem ejusmodi, ut et longe ab epistolæ interpretatione, ac sensu discrepent, et cum nostra, communique sententia paria faciant. Nam et liberæ voluntatis naturam, quæ ad gratiam, et justificationem capiendam necessaria est, eamdem nobiscum plane constituit, in utriusque libera, hoc est ad utrumque minime determinata necessario, et indifferenti potestate. Causam item liberam itidem, ut nos, definit eam, quæ, positis omnibus ad agendum necessariis, potestagere, vel non agere. Negat cum necessitate absoluta, quæ ab coactione differt, libertatem posse consistere. Tridentini denique decreti, et canonis sensum non aliter, ac nos facimus, interpretatur. Diceres, theologum istum nostra hac ætate viventem adhuc, non jam cum Luthero, vel Calvino, sed cum illorum reliquiis, novis dogmatistis, pro Tridentina professione certare.

Iprenses damnat Dominicus Soto.

Hoc loco minime prætereunda est epistolæ insignis ἀλογιστία quæ est pagina illius 54. Ibi doct. abbas Dominici Soti locum eumdem, quem retuli, pessime interpretatus est. Putat enim quod ab eo dictum est, dum libere movetur homo adspirante gratia, *in sensu diviso posse non agere*, non tamen *in sensu composito*, ad illam pertinere quæstionem, quæ est de physica præeunte motione, ac voluntatis antecedente consensum. In quo fugit illum ratio. Loquitur enim illic eximius ille theologus de concursu Dei, et *concomitante*, ut in scholis nominant, gratia, quæ voluntatis liberam actionem non præcedit, sed cum ea pariter, et momento eodem operatur. Quod adeo ex tota disputatione perspicuum est, ut mirandum valde sit, hominem acutum tanto in errore versari potuisse.

Inepta ratiocinatio.

Alter e duobus, qui Tridentino concilio interfuerunt, Andreas Vega magnam eruditionis, et sanctitatis laudem est adeptus, Canisio teste in præfatione ad illius opus de *Justificatione* : « Qui Tridenti ait, idem, doctissimos theologos, et sapientissimos Patres tunc disserentes audivit, cum de Justificatione multis est mensibus acerrime disputatum, ipseque cum disputantibus aliis sua sensa studiosissime contulit. » Hic igitur in libr. II, c. XIII et sequentibus, liberum arbitrium, cujusmodi nos cum catholica ecclesia statuimus, hoc est, *quo utrumvis ex duobus eligimus*, primum e Scripturæ testimoniis approbat, quæ talem illius formulam repræsentant. Atque inter alia locum illum profert *Ecclesiastici* XV. *Ante hominem vita et mors, bonum, et malum; quod placuerit ei, dabitur illi.* « Quæ verba, inquit, etiam de homine post peccatum esse intelligenda, probavimus in opusculo *de Justificatione.* »

Andreæ Vegæ sententia.

Eodem capite quintum argumentum ex his locis instituit, quæ hominem optioni suæ permissum indicant; quod necessitati repugnat. Tum capite XV libertatem voluntatis inde colligit, quod facere, vel non facere possimus, scribere, aut non scribere. « Enimvero unicuique potentiæ ait cognoscitivæ suum Deus accommodavit ejusdem generis, et naturæ appetitum. Cum igitur intellectus noster natura sua ratiocinativus sit in utramque partem, ut ipsi in nobis experimur, erit et qui sibi respondit, rationalis, appetitus noster hoc est voluntas, liber ad utrumlibet, et natura sua in utramque partem contradictionis indeterminatus. »

Hæc forma libertatis est, sive liberi arbitrii, et proprietas, quam libro sexto necessariam esse demonstrat, ad justificationem, una cum gratia Christi[1], ex Tridentini concilii decreto. Ac subinde caput secundun sic orditur : « Ne segnes simus, et in illis, quæ saluti nostræ necessaria sunt, nobis ipsis deficiamus, illud imprimis intelligere, et nosse oportet, inter alia eximia beneficia a Deo nobis collata, et hoc quoque nos ab eo accepisse, ut nostræ potestati subsit nostra ipsorum justificatio. » Quod ubi probavit, caput ita concludit. « Et ex his liquet, toto cœlo errare eos, qui, cum fateantur, nos ad alia habere liberum arbitrium, negant tamen, nostræ subesse potestati, quæ ad justificationem nostram spectant. »

Capite deinde nono luculenter ostendit[2], nos divinæ gratiæ, inspirationique resistere; ubi et de præveniente, ac excitante gratia uberrime disserit.

1 Vega l. VI, c. II. — 2 Id. l. VI, c. IX.

CAPUT XVI.

Francisci Horantii, et Ambrosii Catharini de libertate hominis, et gratia judicium.

Ad illud par nobilissimorum pugilum, quos idcirco primos in hanc velut arenam produximus, quod, ut ex actis Tridentinis didicimus, celeberrimum illum catholicæ fidei, doctrinæque campum ex privatorum ordine potissimum tenuerunt, quandiu de libero arbitrio, et Justificatione deliberatum est in illa synodo; ad hos, inquam, duos tertium adjungemus nihilo istis inferiorem, Franciscum Horantes, vel Horantium, qui in Indice concilii Tridentini inter procuratores episcoporum absentium adfuisse reperitur pro episcopo Palentino, et lector Vallisoleti ex ordine Minorum fuisse memoratur. Scripsit ille post absolutum Tridentinum concilium libros de locis catholicis septem contra Calvinum: et hoc opus Carolo Principi Philippi secundi Hispaniarum regis filio nuncupavit, ei, qui patris jussu anno 1558 in custodia necatus est.

Hic de libero arbitrio, cæterisque omnibus ad Tridentinum canonem spectantibus, consentanea duobus illis, ac nostræ adeo sententiæ, latissime prosecutus est.

rantii monia.

In lib. I, cap. XXIII, liberæ voluntatis naturam, definitionemque traditam ab veteribus philosophis accurate describit, et adversus improbantem Calvinum tuetur, atque ad gratiæ, justificationisque negotium adhibendam esse contendit. Quam sic exprimit, « ut inter rationem, et sensum media, sui juris sit, et libertatis compos, sive rationi obtemperare, sive sensui, in quamvis partem rapiendam se prostituere libeat; » unde colligit, « vitia, et virtutem in nostra esse potestate. » Ac philosophos eosdem deinceps ab iis probris, et conviciis purgat cap. XXIV, quæ in illos Calvinus, et post hunc novus dogmatistes immerito contulit. Negat illorum opera omnia peccata fuisse. Dehinc a cap. XXIX, liberum arbitrium sub illa, quam fundamenti loco jecerat, definitione cum gratia conjungi adstruit; et ab eodem non solum coactionem, sed etiam necessitatem removet, ut sit liberum, et ad utrumvis expeditum, et indifferens. Ac præsertim cap. XLIX, libri primi, ex Augustini doctrina, necessitatem cum libertate pugnare demonstrat.

omnia tilium n sunt ccata.

Cap. item LII. « Gratiam sufficientem: ac necessariam, justa Augustini mentem, omnibus paratam esse, decernit, non minus, quam sit pervia oculis nostris lux hæc materialis. » Et « Verum est ergo, inquit, divinam sæpe gratiam, cœlestiaque præsidia in ingratum etiam populum se extendere, ut nemo sit ausus culpam suam in non vocantem Deum, aut in non trahentem Patrem transcribere. » Tum paulo post theologorum rationem illam ab Calvino contemptam, irrisamque defendit, quam et hodieque posteri hujus novi dogmatistæ cum auctore sectæ suæ respuunt. « Quod vero, putant inquit, theologi, ideo nos secundæ Dei gratiæ cooperari, quod nostri sit juris, primam gratiam, vel respuendo irritam facere, vel obedienter sequendo, confirmare, non ex suo ipsorum cerebro, quasi divinantes, fingunt » etc. Tum hoc eodem, et sequentibus capitibus diserte, ac copiose demonstrat, Dei gratiam « adesse omnibus corda pulsantem [1] » quamvis *impariter*; quo fit, ut alii trahentem sequantur, alii resistant. Sed infinita res, odiique plena fuerit, si omnia, quæ ad idem argumentum in eo libro disserit, recensere pergam, quæ qui volet, facile inde poterit repetere.

Gratia sufficiens omnibus parata.

Quartus ex eorum numero, qui concilio Tridentino præsentes adfuere, nominandus est Ambrosius Catharinus, de quo in historia Tridentina non infrequens est mentio; præsertim in libro secundo, ubi quid in constituendo libero arbitrio, et justificationis negotio gestum sit, exponitur.

Ambrosii Catharini opinio.

Ibi inter alia narrat, quæstionem hanc agitatam fuisse, « utrum reprobi salutem adipisci nequeant, » ac de ea Catharinum ita sensisse, « falsam esse negantem illius partem, si ad sufficiens erga omnes propensæ Dei voluntatis auxilium respectus habeatur, tum ad hominis libertatem, quæ cooperari potest. » Quam eamdem opinionem in lib. I *de Prædestinatione* tradidit, ultimo capite verbis istis: « Scimus ergo, quod liberum arbitrium in hac natura corrupta sibi dimissum non potest nisi in malum ferri; id quod sæpenumero B. Augustinus docet. Et scimus, quod etiam stante gratia communi, quæ non negatur ulli, nisi quis eam recuset, potest etiam in malum flecti, et sæpe flectitur. » In secundo vero libro [2], « Judas, inquit, non erat ex illis electis,

1 Cap. LIV.— 2 Cathar. *de Prædest.* fol. 15.

ut confirmatus videretur in beatitudine ; qui tamen poterat manere, si voluisset, etc. Nec propterea violabatur ei liberum arbitrium, quo poterat pœnitere, quando nondum subtractum ei erat auxilium divinæ gratiæ ; » ubi vox *quando* pro *quandoquidem* usurpatur, ut ex toto contextu libri istius, et opinionis agnoscimus. Ac postea in sequenti capite, in quo summatim conclusiones suas colligit, de iis, qui salvandi sunt loquens, « Quare secundum hanc Dei providentiam, inquit, pendet salus eorum a potestate liberi arbitrii, quæ in non prædestinatis potest deficere ; quoniam, etsi Deus velit, omnes salvos fieri, non tamen ita vult, ut hoc omnino futurum sit, nisi etiam ipsi velint. Vult ergo in hoc quia ex parte sua nulli deest, dans cunctis idonea media, et remedia, quibus perduci possint ad gloriam, licet non omnibus subministret in ea abundantia, ut non possint excidere, sicut facit prædestinatis. » Hæc Catharinus ; qui et liberum arbitrium ad utrumlibet potestatem habere putat, uti gratiam et admittere sibi oblatam, et recusare possit, pro eo ac visum illi fuerit. Tum sufficientem omnibus offerri gratiam asserit, eo quod omnes ad salutem pervenire vult Deus.

CAPUT XVII.

Covarruvias de libero arbitrio et gratia contra ac novi Dogmatistæ sentiens. Item Alphonsus Salmero.

Quintus eorum, qui in Tridentini concilii Patribus numerati sunt, erit Didacus Covarruvias a Leyva episcopus Civitatensis, ut habet index Tridentinus, postea Segobiensis, virtum exquisita Juris utriusque scientia, tum apud Philippum II Hispaniæ regem summa auctoritate, cum pari splendore, ac dignitate præditus. Hic de libero arbitrio, et gratia sic sentit. « Meritum, inquit [1], opus est Dei, et nostrum ; Dei scilicet moventis auxilio specialis gratiæ ; et nostrum, ut libere cooperantium. Siquidem, postquam Deus voluntatem nostram speciali auxilio gratiæ excitavit ad bonum, est in ipsa hominis voluntate hæc potestas, ut Deo moventi, et inspiranti consentiat, aut dissentiat. » Quod Scripturæ testimoniis aliquot deinceps probat, quibus et nos uti solemus ; et de eodem argumento scripsisse contra Lutherum ait catholicos auctores, Joannem Roffensem, Joannem Eckium articulo 31, Joannem Bunderium a Gandavo *in Compendio concertationum*, titulo VI. Alfonsum a Castro, Dominicum a Soto, Andream a Vega ; tum « exstare ait, hac de re synodi Tridentinæ definitionem in sessione VI, capitulo v. Postea vero [2], « auctoritate ejusdem synodi definitum esse dicit, quod Deus neminem coactum ad se trahit, aut necessitate inducit, sed in nostra potestate est, gratiam ejus respuere, vel assensum nostrum ei præbere, et cooperari ; « ac testes ejus rei citat eosdem illos catholicos scriptores, ac Joannem præterea Driedonem.

Covarruvias complures auctores citat.

Sextus ex illorum, qui Tridentinæ synodo interfuerunt, numero memorandus est Alphonsus Salmero, unus ex decem primis societatis Jesu Patribus ; qui ob eximiam eruditionem ter ab Romanis pontificibus delectus est, qui Tridentum ad synodum mitteretur, ibique pontificii theologi partes obiret. Qua in synodo sæpius auditus, quæ et Lutetiæ Parisiorum in Sorbonæ scholis didicerat adolescens, et in sinu Apostolicæ sedis Romæ plenius postea perceperat, de christianæ religionis mysteriis explicavit, ac tanti concilii auctoritate corroborata in commentarios suos transtulit. Audiamus quid ille præclarus theologus de libero arbitrio, et ejus consensu cum divina gratia scriptum reliquerit.

Salmeron opinio de liber arbitrio et gratia

In tomo septimo, in quo parabolas Evangelicas enarrat, ad illa Marci de semente facta, *Ultro enim terra fructificat* [3], etc. hæc adnotat [4] ; «Pulchre describitur liberum arbitrium, in quo a Deo conditum est, ut nonnisi libere bonum, aut malum fructum edere possit, ita ut qui liberum arbitrium hominis inficietur, naturam prorsus hominis ignorare videatur, sensumque ipsum, atque experimentum abneget ; cum cognoscat, se relictum in manu consilii sui, et habere potestatem sive in aquam, sive in ignem porrigendi manum, id est, sive bene, sive male operandi, sive inter bona, et mala, sive inter plura bona, sive inter plura mala, quodcumque voluerit, eligendi. Et, dum vult, potest desistere ab actu volendi ; sicut etiam cum non vult, et nulla est necessitas, vel repugnantia, vel propensio, et infirmitas carnis, vel ulla dæmonis quantumvis gravis tentatio, et persuasio quæ hominem cogere, et vim illi inferre queat.

1 Covar. in cap. *Alm. mater de Sent. Exc. Relect.* § 4, t. II oper.— 2 Ib.— 3 *Mar.* IV, 28.— 4 Alph. Salm. t. VII et seq. tr. VII

a nulli ratur.

Quanquam sine gratia Dei ad fructum bonum edendum per se natura non sufficiat. Sed hanc gratiam nulli Deus denegat; nisi ipse sibi velit deesse, et oculos veritatis luci velit claudere[1]. » Tomo item octavo, cum Christi sermonem ad Judæos habitum explicat, ad illa verba Joannis [2], *nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*, etc., multa disserit de tractu illo, quo per arcanas et interiores inspirationes ad Christum homines adducuntur; quem quidem ait esse « internam Dei doctrinam, et persuasionem. » Cui nihilominus Judæi refragabantur. Nam subjicit mox Christi objurgationem : « Quare igitur ipsum Deum in vobis loquentem repellitis, ut sensus vestros, rationemque sequamini; præsertim in his, quæ omnes scire debetis, neque ratione humana percipi possunt? Illos igitur ostendit adversari, et refragari divino lumini Patris moventis, et trahentis. »

Præterea tomo secundo, tractatu XXII, illa verba Joannis explanans : *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem*, etc. lumen illud, quo Verbum illuminat omnem hominem, de lumine gratiæ interpretatur, quæ ad promovendam fidem, et salutem divinitus conceditur. Tum eamdem gratiam offerri omnibus ait, et singulis hominibus adultis, non solum fidelibus, sed etiam infidelibus, « Deum, inquam, asserit omnes et singulos homines illuminare, quod ad se attinet; » quod fuse deinceps confirmat Scripturæ, ac Patrum testimoniis, atque ex Joanne Damasceno refert duplicem esse voluntatem in Deo, *antecedentem*, et *subsequentem*; ac priorem illam esse, qua vult omnes ad salutem adducere. Itaque omnes homines sufficienter ad salutem illuminari a Deo, sed plerosque lumini obsistere, et oculos claudere, Dei beneficia respuentes.

s vult nnes mines os facere

Denique tomo XV, disputatione V, in priorem *da Timotheum*, et ista verba, *Qui vult, omnes homines salvos fieri*, etc., hanc Apostoli sententiam de hominibus prorsus universis explicat; ac refutatis contrariis interpretationibus, ostendit Deum antecedente, et conditionata voluntate velle omnes, et singulos homines ad salutem perducere, eisque propterea auxilia gratiæ, necessaria et adminicula opportune subministrare, quæ a plerisque pro libertate insita repudiantur. Quod quidem Scripturæ, ac Patrum testimoniis luculenter approbat, et Bezæ argumenta omnia in contrarium allata erudite dissolvit. Hæc Alphonsus Salmero ex Romanæ ecclesiæ, summorumque pontificum, et Tridentini concilii mente, ac sensu deprompta, cæterisque consentanea prodidit, qui eamdam synodum celebrarunt.

Septimus ad illos superiores sex adscribendus est Stanislaus Hosius Cardinalis, qui de liberi arbitrii natura, et ejus cum gratia consensione eadem nobiscum probat; nec dubium est, quin ex concilii Tridentini sententia, cui præfuit, ut mox dicam. Sed hujus testificatio ut in bono, et perspicua luce ponatur, quorumdam advocatione fulcienda est, qui concilio neutiquam interfuerunt, Joannis Eckii catholici doctoris, et Philippi Melanchthonis hæretici Lutherani, qui miro quodam modo ad eruendam Stanislai Hosii professionem adjumento nobis erit. Id ex sequenti capite cognoscetur.

CAPUT XVIII.

Joannis Eckii de eodem argumento sententia novis dogmatistis adversaria. Quid de Philippo Melancthone referat : qui, et rejecta Lutheri opinione de libero arbitrio, Catholicam secutus est. Idque Stanislai Hosii testimonio comprobatur. Unde Tridentini Concilii interpretatio colligitur.

Joannes Eckius in *Enchiridio*, cap. ult. et XXXI, liberi arbitrii indifferentem ad utrumlibet potestatem demonstrat. Idem in apologia pro catholicis principibus super actis Ratisbonensibus contra Bucerum, quo in libro de propositis quibusdam ab imperatore protestantium articulis ad ineundam fidei concordiam disputat, cum in secundo scriptum esset, liberum arbitrium primo homini datum a Deo fuisse, de quo illud intelligendum sit *Ecclesiastici*[3]*; Ante hominem vita et mors, bonum et malum, quod placuerit, dabitur illi*; verum post lapsum libertatem periisse, *sola libertate a coactione retenta*; adversus hæc, inquam, Eckius ita disserit : « Pudendus est ille error, et toti Scripturæ sacræ contrarius. » Quem deinde Scripturæ sententiis aliquot refellit, quibus nos hodieque Iprenses aggredimur; ut cum Apostolus scribit sic [4]: *Potestatem habens voluntatis suæ, non necessita-*

Liberum arbitrium adstruit Eckius.

1 Alph. Salm. tom. VIII, tr. XIX et seq.— 2 *Joan.* VI, 44.— 3 *Eccl.* XV.— 4 I *Cor.* VII.

tem; et[1], *sub te erit appetitus tuus, et tu dominaberis illius.*

In articulo vero tertio, cum hoc esset propositum : *Causam peccati esse malam* voluntatem se a Deo avertentem; obiter notat Eckius Philippi Melanchthonis inconstantiam, qui alias Lutherum secutus, causam peccati non hominis malam voluntatem esse docuerat, sed ipsius Dei voluntatem; quam opinionem postea mutavit. De hac Eckii querela accuratius hic agere non erit alienum a proposito nostro; nec parum alioqui ad id, quod inquirimus, extricandum proderit, quænam Catholicis illius temporis doctoribus de liberi arbitrii natura sederit opinio; siquidem priorem istam, quæ solam illi coactionem opponit, *a nemine Catholico admitti*, scribit ad secundum illum articulum Joannes Eckius.

Incidi nuper in alium Eckii ejusdem librum, qui sic inscribitur : *Replica Joannis Eckii adversus scripta secunda Buceri Apostatæ super Actis Ratisbonæ*; quibus scriptis Apologiæ respondere conatus fuerat; sed eum in *Replica* ista confutat Eckius. Ubi ad objecta Buceri pro articulo secundo contra apologiam suam respondens, Apostatæ illius hæc verba proponit « Bucer, Non necessitas, sed coactio libertati voluntatis adversatur. » Tum hæc : « Bucer, Quæ homo certo novit sibi bono esse, aut fore, ea non potest non expetere, non consectari. » At Eckius *falsum* et *erroneum* hoc esse demonstrat, sed inchoatam de libero arbitrio disputationem abrumpit, quia jam protestantes de eo cum Catholicis convenerant, eosque secutus Philippus Melanchthon, cum antea Lutheri fœdissimam propugnasset hæresim. Verba Eckaii, quibus illud explicat, valde ad rem faciunt; ideoque hic a nobis describenda sunt : » At, cum articulus de libero arbitrio sit conciliatus, inquit, et nobiscum conveniat, rejecto Manichæi dogmate, in quo ab initio Luther, et Carlstadius involuti sorduerunt adeo, ut etiam Melanchthonem in suam pertraherent hæresim. Qui si jam ex animo respuit (ut Bucer hanc ei mitigationem tribuit) est, quod ex animo gaudeamus. » Subjicit his Melanchthonis impias sententias, quibus asseruerat, « nullam esse nostræ voluntatis libertatem, nec internos affectus esse in potestate nostra. » Tum hoc horribilius, quod ad tertium articulum *de causa peccati* refert : « Omnia a Deo fieri, non tam bona, quam mala, ita ut non solum permissive, sed etiam proprie agat mala, ut Davidis homicidium, etc. adeo, ut sit ejus proprium opus non minus Judæ proditio, quam Pauli vocatio. »

Melanchthonis hæretica prior opinio Luthero consentanea

Verba Philippi Melanchthonis, quibus de libero arbitrio infanda illa latius explicantur, descripsit Stanislaus Hosius episcopus Varmiensis; qui prostea S. R. E. Cardinalis factus, Tridentino concilio legatus apostolicus præsedit, in libro *de factis*, et *hæresibus sui temporis*. Ibi Lutheri opinionem refert, quam ab Wicleffo didicerat; « Quod patiatur tantum, non autem agat; quod sit res de solo titulo, vel potius figmentum in rebus, vel potius titulus sine re; quia nulli est in manu sua quippiam cogitare mali, aut boni, sed omnia de necessitate absoluta eveniunt. » Quam quidem Melancthon in iis *locis communibus*, quos edidit Wittembergæ anno 1521 amplexus est, necnon in annotationibus ad epistolam Pauli *ad Romanos*. Verum ætate jam provectior, cum utrumque librum sæpius recudendum curasset, illum emendavit errorem. Itaque in locis anno ejusdem sæculi 36, Argentorati, et 38, Wittembergæ, tum 46, Lipsiæ, Wittembergæ rursus, 55, editis, longe aliter de libero arbitrio statuit. Siquidem inter alia scribit, « concurrere tres causas bonæ actionis, verbum Dei, Spiritum sanctum, et humanam voluntatem assentientem, nec repugnantem verbo Dei; posset enim excutere, ut excutit Saul, » etc. Hæc Stanislaus Hosius Cardinalis. « Ex quibus ait idem planum cuique fieri potest, quemadmodum Philippus Melancthon quidquid ab eo perverse scriptum fuerit de libero arbitrio in *Locis communibus* anni 21, simul et magistri sui Martini Lutheri, eadem de re sententiam tanquam impiam, et cum hæresi Manichæorum congruentem condemnavit, etc. Quod pluribus etiam verbis ab eo factum est in *Epitome philosophiæ moralis*, quam edidit Argentorati anno 38, » quod sane verum est. Ibi enim de libertate voluntatis humanæ prorsus catholice loquitur, docetque, non solum in rebus illam humanis, ac civilibus tractandis, libere agere, aut non agere, sed etiam in motionibus sancti Spiritus admittendis, aut repudiandis; « In hoc certamine, inquit, constat, humanam voluntatem posse ejicere verbum Dei. Itaque cum retinet, adjuta a Spiritu sancto, repugnat naturali imbecillitati, et sustentat se verbo Dei. » Quin

Stanislaus Hosius de Melanchthone dem refe

Melanchthon posi Catholica de liberta sententia amplexu est, prio rejecta.

1 *Gen.* III.

idem Melanchthon in commentario *de Anima* fusius de eodem argumento disserit; nec minus accommodate ad regulam fidei Catholicæ, præsertim de libero in utramque partem arbitrio, quando divina gratia excitatur; cui ita *voluntas assentiens* est, ait, *ut possit repugnare.*

quibus dentini ncilii positio ucitur.

Jam ex iis omnibus catholicorum testimoniis, Joannis Eckii, et Stanislai Hosii cardinalis, qui legati apostolici titulo concilio Tridentino præfuit, cum posteriorem illam Melancthonis sententiam de libero arbitrio constet esse catholicam, adeoque Tridentini concilii doctrinæ (quæ non alia est, quam catholica) congruentem; apparet, quo sensu decretum ejus synodi intelligi, exponique debeat, nimirum ita, ut nos hucusque contendimus, et multo secus, quam epistola Iprensi errore suffecta persuadere nititur.

CAPUT XIX.

De Joanne Fischero Roffensi episcopo, Alphonso a Castro, Joanne Driedone, Ruardo, Tappero; qui omnes Iprensibus contradicunt.

Admonet ille me, quem superiori capite laudavi, Jannes Eckius, ut præter eos illos, qui Tridentinæ adfuere synodo, nonnullos alios commemorem, qui vel paulo ante synodum eamdem, vel nondum ea finita, de libero arbitrio, et eo pertinentibus aliquid commentati sunt, et illos præsertim, quos in scriptis suis, superiores isti, quos adduximus, testes citant veræ, et catholicæ de libertate, et hujus cum Dei gratia concordia, et consensione sententiæ; quales sunt Joannes Fischerus, Alphonsus a Castro, Joannes Driedo, quos Dominicus Soto, Andreas Vega, Covarruvias in medium producunt; quibus tres alios adjiciam ætatis ejusdem. Igitur Joannes Fischerus, Roffensis episcopus, vir cum primis pius, et eruditus, ac martyrii decus fuso pro tuenda catholica religione sanguine insigniter adeptus, catholicam, et Trident. decreto ratam liberi arbitrii naturam, ac proprietatem adstruit in confutatione articuli 36 Lutheri; ubi sic illam describit, ut in indifferenti, nec ad unum determinata eligendi potestate constituat,, ad idque loca illa Scripturæ pertinere putet, *Ecclesiastici* XV et *Deuteronomii* XXX *Considera, quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam, et bonum, et e contrario mortem, et malum*[1]. Tum illud, *Ante hominem vita, et mors, bonum et malum; quod placuerit, dabitur illi*[2]. Quem locum Iprensis schola stulte negat ad præsentem naturæ lapsæ statum referri, contra communem theologorum omnium sensum, et eorum maxime, qui concilii Tridentini condendis decretis interfuerunt, aut etiam præfuerunt.

annes herus.

Pergit vero Joannes Fischerus: « Nec enim auxilium Dei, quod et cuique præsens est, libertatem arbitrii minuit, sed adauget potius. Nec obstat, si dixeris, peccatorem absque illo auxilio non posse bene velle: Ergo non habet voluntatem liberam. Sicut nec sequitur: Homo nec velle quidquam potest absque Dei assistentia generali, quam dicunt influentiam. Quamobrem nec liber est. Nam, ut influentia illa semper adest voluntati; ita et auxilium divinæ gratiæ cunctis ad manum est præsens. » Observet hoc Iprensium factio, quod ab tanto martyre pronuntiatur, paratum esse sufficiens homini gratiæ præsidium, quo uti si velit ad assentiendum, potest, et videlicet repudiare, si malit. Deinceps vero latius disputat, liberum esse cuivis homini cum divina ope præparare se ad gratiam: « Peccatoribus itaque, ait, quantumcumque ingentibus hæc potestas oblata est, ut, si faciunt quantum in se fuerit, ad hanc gratiam consequendam præsto adsit auxilium Dei. »

Gratiam sufficientem omnibus paratam docet.

In eadem causa est Alphonsus a Castro lib. septimo *adversus hæreses*, in vocabulo *Gratia*; qui inter Catholicas assertiones hanc recenset[3]: *Quarta Catholica assertio*: « Postquam Deus voluntatem nostram excitavit ad bonum, est in ipsa hominis voluntate hæc potestas, ut Deo monenti, et inspiranti consentiat, aut dissentiat. » Deinde Pelagianorum objecta dissolvens. « Primo sic nobis objiciunt, inquit, Nullus peccat in eo, quod vitare non potest. Si ergo non est homini liberum præcepta omnia adimplere, et peccata omnia vitare; cum non vitat, non peccat, quia hoc ipsum vitare non poterat. Cui respondemus; hanc esse nostri arbitrii potestatem, ut Deo monenti consentiat, et Deo cooperanti cooperetur. Deus autem nunquam seipsum nobis negat; imo semper paratus est, ut nos excitet, et adjuvet. Paulus namque ait, *Fidelis est Deus, qui non patietur, vos tentari supra*

Alphonsus a Castro.

1 *Deut.* III, 15.— 2 *Eccl.* V, 18.— 3 Fol. 132.

Gratiam offerri omnibus putat.

id, quod potestis [1]. Inde ergo homo culpatur, non quia solus non facit, cum hoc esset illi impossibile; sed quia Deum monentem non audit, ad ejus vocem non excitatur, illi vocanti non respondet. » Plura his alia subjicit, et Scripturæ auctoritate probat, « Deum extendere manum suam, ut peccatores adjuvaret, qui ejus tamen adjutorium neglexerunt, nec uti voluerunt. »

Postea vero, « Ex hoc, inquit, quod nos monitioni illius consentimus, qui tamen dissentire poteramus, debetur nobis merces, et præmium, et inde meritum nostrum. » Sub hæc Tridentini concilii citat canones tres de Justificatione.

Rursus idem Alphonsus in libro IX, in vocabulo *Liberum arbitrium*, longissimam de eo disputationem explicat, in qua naturam illius eadem ratione circumscribit, ut sit facultas, quæ indifferentem ad utrumque potestatem habet, nulla necessitate definitam, « qua possit utramque partem velle[2]; quoniam si ad alteram, quavis illa sit, necessario flectitur, frustra illi datur optio. » Item, postquam illa *Psalmi* CXVIII verba retulit, *Anima mea in manibus meis semper*. « Quid est, inquit, animam esse in suis manibus ? Hoc est, in sua potestate, ut eam, ad quod voluerit, flectat. » Ad hæc illa *Ecclesiastici* verba, quæ initio capitis attulimus, refert, *Ante hominem vita, et mors*, etc. quæ Iprenses innocentiæ statu ridicule circumscribunt. Addit alia quamplurima Scripturæ testimonia, quæ in utramque partem flexibilem pro potestate voluntatem significant. Cujusmodi est quod de Susanna *Danielis* XIII, memoriæ proditum est; cujus consultatio, et expensis utrimque momentis electio graphice describitur. Porro hanc autem electionem, ait, elegit unam partem, altera rejecta, quam potuisset amplecti. Ex quo facto satis manifeste convincitur, liberum esse hominis arbitrium; quoniam si non erat liberum illi alteram, quam voluisset, partem eligere, frustra consultabat, quia nemo de necessariis consultat. Hæc enim sicut non subsunt nostræ potestati, ut fiant, vel non fiant; ita nec talia sunt, ut merito de illis quis consultare debeat.

Liberi arbitrii naturam itidem ut nos explicat Et iprenses refellit.

Post hæc vero de eo, quod liberum arbitrium a gratia trahitur, disserens, ostendit, non idcirco necessario determinari, « cum homo sæpe illi resistat. Sed sic nos attrahens Deus in nostra nos dimittit libertate, u[illegible] acquiescamus illi vocanti, et monenti, aut obduremus corda nostra, cum ejus vocem audierimus. Et in hoc est nostra libertas ad bonum, ut, postquam Deus moverit ad bonum, sit jam nobis liberum declinare ad id, quod magis placuerit, sive bonum, sive malum. » Laudat vero subinde Joannem Eckium, et Joannem Roffensem, ac Joannem Cochleum, qui duos libros contra Lutherum scripsit de libero arbitrio. Perspicuum est autem, liberum arbitrium ab illo definiri, soluta, et ab omni necessitate expedita cujuslibet eligendi facultate; tum aspirante Dei gratia non sic ad unum determinari, ut non resistere nequeat, et alterum optare.

Posse nos resistere gratiæ censet.

Idipsum pari cum Tridentino decreto consensione docet Joannes Driedo libro *de concordia liberi arbitrii, et prædestinationis divinæ*, verbis istis : « Homo jam justificatus[3], ut faciat opera bona, non ulla necessitate, sed spontanea voluntate, tametsi non possit resistere divinæ prædestinationi, intentioni seu voluntati, quæ est secundum æternum ejus propositum, utique tamen potest resistere divinæ inspirationi ; et sicut Deus id, quod ab æterno proposuit facere, potest non facere, quia potuit ab æterno non proposuisse : ita et homo id, quod libero suo arbitrio facturus est, potest non facere. Deus enim creatas causas, quas condidit, ita gubernat, ut taliter agant, quales ipsæ sunt ; hoc est ut agant vel libere, vel ex necessitatis inclinatione. Causam libere operantem rapit Deus taliter, qualis ipsa est, tam suaviter gubernans illam, ut ipsa libere operetur; non adimens illi potestatem etiam operandi ea, quæ non operetur.» Et ante illa, « Deus, inquit[4], non solum operatur in nobis virtutem, qua parati sumus bene operari, sed etiam faciens nos bonos, seu justos, immittit actum, et motum, quo bene operari volumus; qui sane actus, seu primus motus, quamvis non fuerat in potestate voluntatis, utique tamen est in potestate voluntatis cœlitus sic allectæ, et tractæ eidem motui consentire, et rursus dissentire, præsertim reluctante concupiscentia, et ex adverso aliorsum trahente anima. » Hactenus Driedo Lovaniensis olim academiæ professor, a Dominico Soto magnopere commendatus.

Eadem sentit et Driedo.

Huic ejusdem Academiæ professor adjungendus est alter doctrinæ fama celeberrimus Ruardus Tapperus, qui ad articulum septimum Lovaniensis Academiæ, prorsus eadem

Necnon Ruardu Tapperu

1 *Cor.* x.— 2 Alphon. fol. 157.— 3 Driedo fol. 50.— 4 Ib. fol. 47 in fine.

cum Dominico Soto, ac nonnulla iisdem etiam verbis de arbitrio libero prodidit, e quibus pauca describam. Imprimis illud itidem, ut Dominicus Soto definit, ut « sit facultas, qua, positis omnibus requisitis ad eligendum, et agendum, possumus non eligere, et agere; ita videlicet, quod, omnibus similiter se habentibus, quando eligimus, possimus non eligere, imo plerumque refutare, et quando non eligimus, aut refutamus, eligere possimus, et refutare. » Et subinde : « Propter quod Deus liberum arbitrium sic movet, ut non ex necessitate moveatur, nec ad unum ipsum determinet, sed remaneat motus ejus contingens, non autem fiat necessarius. » Postea Soti verba ipsa, auctore tacito, usurpans, « necessitari posse voluntatem ait a Deo, non cogi; sed tunc auferret illi libertatem, inquit, in tali actione, » et cætera, quæ capite XIV, ex Soto descripsimus.

CAPUT XX.

De Gaspare Contareno, et Joanne a Bononia, qui eamdem doctrinam contra novos Dogmatistas tuentur.

His annumerare licet Gasparem Contarenum æqualem istorum, quos percensui, ac Romanæ Ecclesiæ cardinalem, qui in oppugnando Luthero strenuam Ecclesiæ navavit, ac laudabilem operam. Ac de libero arbitrio contra illum disputans, ad ejus articulum quartum, plane ipsum constituit in indifferentia ad utrumlibet eligendum. « Liberum, inquit, arbitrium nihil aliud est, nisi de eligendis judicium liberum, ac optio libera, quæ non ex impressione formæ conceptæ procedit, sed ex consultatione, et judicio mentis nostræ, quæ excellentia ideo menti nostræ tributa est, quia mens non est a natura addicta cuipiam particulari bono, ac certi cujuspiam generis, quemadmodum addictæ sunt vires sensitivæ; sed universali bono addicta fuit. Ideo secundum impressionem formæ particularis alicujus boni non convincitur, ut in illud feratur, sed conferre cum alio bono illud potest, et quatenus bonum est, eligere, quatenus etiam particulare bonum, in quo necesse est, alterius boni esse defectum, rejicere. Liberum ergo a natura ipsa mens nostra judicium habuit. liberamque optionem. Non tamen propterea; nisi peccet, et deficiat, poterit quantumvis liber velle, optare, eligere, ac operari, præter vim primæ causæ, a qua omnes aliæ, pro sua cujusque natura, moventur, et temperantur. » Duo hic in libero arbitrio Contarenus animadvertit : alterum est, potestas eligendi alterutrius nulla necessitate, ac determinatione circumscripta : alterum *concursus*, quem vocant, causæ primæ, sine quo nihil agere, nedum eligere potest. Neque tamen libertatis vim, ac potestatem minuit, quoniam liberum ipsum voluntatis nutum comitatur, parique cum eo momento progreditur, et in gratiæ, ac salutis negotio *concomitans* a theologis *gratia* dicitur. Hanc vero *præveniens* antecedit alia, quæ consensum voluntatis liberum una cum voluntate citra necessitatem efficit. De qua motione mox idem Contarenus ita loquitur : « Quod si accipiantur bona opera nostra, quibus felicitas suprema debetur, manifestum est, quod præter universalem illam vim, qua naturaliter, secundum tamen naturæ nostræ captum, movemur a causa prima, requiritur privatus quidam, et particularis, propriusque motus, quo in Deum per fidem convertamur, et conversi per gratiam justificemur, adoptemurque in filios Dei : neque tamen hoc tollit libertatem arbitrii, imo magis liberos nos facit, nullique deest hic motus a Deo, dummodo quis non officiat, ac per defectum malæ voluntatis rejiciat divinum hunc afflatum. Nam quæ per alios possumus, dummodo velimus, seu dummodo non rejiciamus bonum oblatum, nostri esse arbitrii dicimus; nullusque propterea a Deo reprobatur, si ipse sibi non defuerit. » Vides, oblatam ab Contareno dici omnibus gratiam, cui tamen voluntas nostra potest resistere; quod et in epistola de Prædestinatione docet.

Liberi arbitrii natura a Contareno declaratur.

Gratiam omnibus offerri asserit.

Non est hoc loco prætereundus Joannes a Bononia archidiaconus Panormitanus, theologiæ apud Lovanienses professor, qui anno Christi 1554 librum edidit *de libero hominis arbitrio*, post inchoatam, necdum tamen absolutam Tridentinam synodum, cujus ipse meminit, uti mox dicam. Hic initio disputationis suæ liberum ita definit arbitrium : « Liberum arbitrium, inquit, est facultas, qua, positis omnibus requisitis ad eligendum et agendum possumus non eligere, et non agere, ita videlicet, quod, omnibus similiter se habentibus, quando eligimus, possimus non eligere, imo plerumque refutare. » Hanc indifferentem, minimeque

Joannis a Bononia concors opinio de liberi arbitrii potestate ad utrumvis.

determinatam voluntatis liberæ potestatem auctoritate confirmat Tridentini concilii, quod sic exponit, ut epistolæ scriptorem manifeste redarguat : « Porro autem præcipitur, ait, in concilio Trid. ut hominem per suum liberum arbitrium inspirationem divinam et acceptare, et sequi posse sentiamus.» Tum allatis concilii verbis, « Hinc patet, inquit, nos libere, et absolute, cum operamur, posse non operari ; quoniam ipsa eadem Christi gratia effectrix semper operaretur, atque efficeret, non operari pietatis operari, nisi per liberum arbitrium impediretur. » Subjicit deinde rem memoria dignam. « Cæterum quia non desunt modo homines, inquit, quamvis omni pietate præditi, aliter de libero hominis assensu, dum justificamur, quam nos, sentientes, ac ideo hujus œcumenici concilii clarissimam doctrinam obscurare quodammodo conari videntur, dum dicunt habere hominem libertatem arbitrii, ut excitationi, admonitionique divinæ resistere possit ; sed his divinis inspirationibus, atque motionibus suppositis, nullum resistere arbitrium. Obscurare autem dixi, quoniam ex dictis reverendissimi doct. Hieronymi a Bononia, sanctissimæ sedis Apostolicæ nuntii dignissimi, necnon archiepiscopi Consani, professoris theologiæ peritissimi, atque sacri palatii magistri eximii, apud Carolum imperatorem quintum cognomento maximum residentis, eamdem opinionem in sancta Tridentina synodo fuisse summa diligentia a patribus discussam, et tanquam minus probabilem optimo jure percepi rejectam. » Igitur ex Tridentini concilii sententia resisti potest gratiæ, manetque repudiandi, vel asciscendi potestas. Atque ut hanc de Tridentinæ synodi disceptatione narrationem melius intelligas, interpres adhiberi potest Dominicus Soto, cujus verba multum ad illum Joannis Bononiensis locum spectantia, supra c. XIV descripsimus.

Quam ex Tridentino onc. probat

Memorabile quiddam de Tridentinæ synodi mente ab eodem relatum.

CAPUT XXI.

Didacus Stunica, Stapleto, et Senonense concilium Iprensem errorem condemnant.

Vixit eadem ætate Didacus Stunica Augustinianus Salmanticensis, et sacræ theologiæ professor. Is fervente adhuc Lutheranorum, et Calvinistarum hæresi, libros tres edidit *de vera religione*, quorum in secundo de libero arbitrio disputans, eadem, quæ ex epistola prolata, tanquam falsa, et hæretica confutavimus, iisdem ex divinæ, et humanæ sapientiæ principiis refelllit. Nam in libro secundo, capite quarto, liberi arbitrii *naturam* (*naturam*, inquam, non adventitiam aliquam proprietatem : atque, ut ipse loquitur, quæ illi *propria et insita, non aliena et externa* sunt) explicans ita disserit : « Arbitrii vis non solum ex voluntate, sed etiam ex ratione pendet. Circa illas enim res arbitrium versatur, circa quas deliberatio, atque consilium, quæ non nisi ratione fiunt ; ob eamque rem homo liber esse dicitur, quod ratione præditus est, quia valet ad utramque partem de bono, et malo disputare ; veluti quia in furto, et adulterio, et alio quocumque crimine rationem boni, atque mali disputando reperire potest, in eo situm esse dicitur vel admittere, vel non admittere flagitium. Nisi enim furtum aliquo pacto bonum esse existimaret, nunquam illud faceret ; quippe quæ bona putamus esse, nostra solum voluntate facimus ; quod enim malum esse ducimus, nunquam eligimus. Quoniam igitur ratio duo quasi bona voluntati proponit, voluntas libera est. Nam nihil est illi præscriptum ; quoniam bonum, in quo illa tota cernitur, in duabus longe diversis rebus videt. Brutum vero ea de causa liberum non est, quia mente, ac ratione vacat, quæ de bono ac malo in partes contrarias disserat. Semper enim agit ad præscriptum, ut si statuat bonum esse comedere, aliter statuere in sua non sit potestate. Siquidem nihil boni percipit in non comedendo, quippe quod ratione vacet, quæ id boni, et utilitatis investiget. Non enim res universas comprehendit, sed tantum singulas ; id est, non cogitat de tota ratione boni ; sed de bono tantum isthoc, quod ob oculos habet. Homo vero, quoniam mentis est compos, de toto genere boni disserit ; ac proinde, licet quadam ex parte comedere bonum esse judicet, quod jucundum sit, alia tamen ex parte intelligit esse malum, quia bonæ valetudini adversatur. Quare et comedere bonum est, quia jucundum, et non comedere bonum etiam est, quia salubre. Cum igitur bona duo oblata sint homini, liberum est ei, atque solutum, in quod voluerit, animum inclinare. Brutis vero unum duntaxat bonum, ut exposui, offertur. » Hæc Stunica ; quæ ideo, etsi longiora sint, describere, ac lectoris oculis

Liberum arbitrium recte ab Stunic descriptum

subjicere volui, ut in quo liberi arbitrii sita sit essentia, et natura, et quæ stirps illius sit, ac radix, plenius intelligat; ac tanto magis Iprenses, et ex eorum dogmatibus efflorescentem abbatis epistolam condemnet, quæ cum determinante, et utriusque optionem intercipiente necessitate toties liberi arbitrii actionem constituit, quoties pulsanti, ac moventi gratiæ consentit.

apleto.

Poteram hic Thomæ Stapletonis, eruditissimi theologi et Duacenæ academiæ professoris testimonia colligere, quæ de eodem argumento edidit in libro IV *de gratia, et libero arbitrio*, capite tertio, et sequentibus; sed longum est; tum cujusmodi illa sint, ex iis, quæ hactenus sunt descripta, (sunt enim simillima) licet conjecturam capere.

nonence
cilium.

Claudet hanc dissertationem in unam conferta provincialem synodum præsulum septem vox, et testificatio, cum anno Christi 1528 ab Antonio Pratensi Cardinali archiepiscopo Senonensi, provincialis est celebrata synodus Lutetiæ Parisiorum; in qua plurima contra grassantem, ac sævientem Lutheranam hæresim de fide catholica saluberrime sunt constituta, eademque, quod maximi faciendum est, post annos complures editis ab universa Ecclesia Tridenti regulis apprime consentanea; ut ab eodem, qui copiosius afflavit, Spiritu etiam illa profecta esse nemo dubitare possit.

Est igitur inter alia decreta illud ordine decimum quintum de arbitrio libero; quod et insitum esse generi humano, et ejusdemmodi, quale adversus hæreticos, et Iprenses pertendimus, iisdem, quibus et nos utimur, argumentis et Scripturæ sententiis approbatur. « Cum igitur, ait synodus [1], *reliquerit Deus hominem in manu consilii sui, apposueritque coram eo ignem, et aquam, bonum, et malum, ut ad quodcumque voluerit, porrigat manum suam*; nec abs re beatus ille dicatur, *qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala, et non fecit*, quod *sub eo sit appetitus ejus, et dominetur illius*; ac denique percurrenti sacram Scripturam passim obvium sit, quod liberum utramvis in partem hominis arbitrium asseveret, » etc. Ac subinde,

n gratia
fficiens.

« Neque tamen tanta gratiæ necessitas (qua voluntas humana præveniri debet) libero præjudicat arbitrio, cum illa semper sit in promptu; nec momentum quidem prætereat, in quo Deus non stet ad ostium, et pulset, *cui si quis aperuit januam, intrabit ad illum, et cœnabit cum illo* [2]; nec denique tale sit hujusmodi trahentis Dei auxilium, cui resisti non possit. Quoties enim Dominus voluit congregare filios Hierusalem, sicut gallina congregat pullos suos sub alas, et noluerit? » etc.

Cui potest resisti.

CAPUT XXII.

Epilogus; in quo de Epistolæ scriptoris, adeoque novorum dogmatistarum secta observatione dignum, et catholico cuivis apprime necessarium judicium fertur.

Si quis est prudens catholicæ veritatis inquisitor; habet in iis, quos appellavi, certis et incorruptis testibus, unde Tridentinorum canonum verum, ac germanum sensum requirat. Ecquis enim dignior est, cui de mente concilii affirmanti fides habeatur, quam qui illius participes, et in eo decernendi auctores, consiliatores, ac gubernatores fuerunt? Nemo jam causetur difficile esse, vel ambiguum, quid de libero arbitrio, ejusque cum gratia consensu, ac συνεργείᾳ synodus illa constituit. Hanc ipsam adhibeat, huic auscultet, non sibi; huic, inquam, fidem tribuat illorum, quorum in iis statuendis est usa consilio, scriptis, ac propemodum sermonibus hodieque loquenti. Missas istas faciamus interpretandi novitates, non solum abhorrentes a vero, sed putidas etiam, et insulsas. Rideamus et inanes illas quiritationes, ac δεινώσεις, quibus epistola catholicam causam exulcerare, et in invidiam conatur adducere. Si fucum, et fallaciam detrahis; nihil inest in ista controversia præter hoc, in quo clausulam hujus, et quidem longius provectæ, quam initio decreveram, disputationis statuam.

Cooperatione.

Æstus.

Duæ inter se contendendæ sunt sententiæ, ut utra utri anteponenda sit, sapiens apud se lector cogitet, illane, quam epistolæ defendit auctor, an huic adversa, quam insectatur, et oppugnat. Sit litigandi, ac rixandi finis aliquis, et in hunc modum comiter, atque ex æquo rationem ineamus. Hæc sunt Iprensis sectæ capita duo, quæ epistolæ scriptor expressit, « tanquam duas symplegedas nau-

Summa quæstionis, ac primum Iprensium opinio.

1 *Eccl.* xv.— 2 *Apoc.* v.

fragii sui.[1]» Alterum est : Liberum arbitrium in eamdem rem libere simul, ac necessaria occupatum, antecedentique determinatione posse ferri ; nec ei necessitatem, sed violentiam tantummodo repugnare. Alterum : Nullam esse gratiam Christi, nisi quæ consensum reipsa nostrum efficit, et *efficax* vulgo nominatur; adeoque nullam esse, quæ sit tantum sufficiens. Ab iis duobus pars altera dissentit. Nam et nullam, ubi absoluta volendi necessitas præcedit, constare libertatem asserit; (quippe quæ non soli violentiæ, sed etiam necessitati oppositam esse arbitrii libertatem existimat) nec omnem Christi gratiam, ad quod ex sese idonea est, id efficere, ut consensionem nostram eliciat.

Huic contraria Catholica.

Quoniam igitur duo hæc dogmatum paria inter se pugnantia sunt, ut nec vera simul esse queant, et falso dici alterutrum oporteat; utrius partis causa superior sit, ex eo cognosci, ac dijudicari poterit. Cum Romanæ se, ac catholicæ fidem Ecclesiæ sequi utraque profiteatur, vincat illa necesse est, quæ hoc sincere, ac liquido tenet, quod illius placitis Ecclesiæ consentaneum est; cedat ea porro, quæ ab iisdem vel minima parte discordat. In hanc arbitrii formulam si sententia dicatur, quis, quid sit consequens, non videt? Etenim primum illud par enuntiatorum Iprensium, cui patrocinatur epistola, non solum gravissimorum theologiæ consultorum responsis, sed etiam Romanorum pontificum, ac synodorum decretis, pro hæretico judicatum est, atque damnatum.

Utra verior sit diceptandi ratio.

Iprensis hæretica judicatur.

Hæreticum esse, quod de libertate soli opposita coactioni tuentur illi, jampridem pronuntiavit sanc. Thomas[2], cum eoque theologorum flos tam in scholis disputantium, quam quos politior illius tractandæ disciplinæ ratio delectat. Quibus in percensendis ne longiores esse cogamur, habes Antonii Richardi librum primum, ejusque caput tertium ; in quo plerique commemorantur ex variis academiis doctissimi, gravissimique theologi, qui opinionem istam hæreticam esse, sine ulla cunctatione defendunt.

Idem non de hac solum libertatis corruptrice, sed ejus compari quoque, cui epistola suffragatur, judicium tulit Tridentina synodus sessione sexta, de qua in dissertatione nostra hac accurate hactenus egimus. Cujus synodi verba cum multiplici explanatione circumducere dudum Iprensis licentia conata sit, nullum ad hanc diem operæ pretium fecit. Ac de epistolæ scriptore, quem ambitiosis laudibus in cœlum exstulit præfatio, quam nihil fuerit in turpando, et implicando potius ; quam explicando illius canone, plus satis tota hac in dissertatione patefacimus. Quamobrem, cum neque tantopere collaudatus ab illis iste, nec ejusdem, atque hic, ingenii et industriæ (si quisquam tamen par illi unquam exstitit in numero mortalium) tantum consequi hucusque potuerit, ut in Tridentinis decretis ad suam, hoc est Iprensem calumniam aptandis tolerabiliter desiperet; nonne desperandum illis est deinceps commodius aliquod, plausibiliusque commentum? nonne porro in eorum canonum censuram, velut in aciem, ac mucronem induunt sese, qui ad illa duo, quæ dixi, anathemate sancita illic effata pervicacius adhærescunt?

Et a Tridentino Concil. damnata.

Neque vero aliter, ac Tridentini Patres, de iisdem pronuntiatum est ab Romanis pontificibus, Pio V et Gregorio XIII, qui duabus illis propositionibus, quas epistola propugnat, aliisque similibus, quas Iprensis schola deosculatur, eamdem damnationis notam subscribunt, ac cæteris, quas magno numero descriptas « primo verborum sensu ab assertoribus intento, hæreticas, suspectas, temerarias, scandalosas, et in pias aures offensionem immittentes » appellant, et eo nomine proscribunt. Quo velut fulmine ictus antistes dogmatis novi[3], hæret anceps, atque attonitus; neque mentis suæ, vel sermonis satis est compos

Tum ab Romanis Pontificibus Pio V et Greg. XI

Horum duorum pontificum judicium iteratis edictis ratum habuit Urbanus VIII, qui primus Jansenii doctrinam, ac librum apostolici gladii mucrone transfodit, et utrumque, tanquam contagione aliqua pestilentis hæresis afflatum, ab usu, et lectione catholicorum longius amandandum putavit; atque anathema, hoc est ultimi exempli diras iis imprecatus est, non solum qui comprehensa in illo libro dogmata defendere auderent, sed etiam qui librum ipsum legerent, vel apud se quoquo modo retinerent. Sic in novitia hac hæresi contingit, quod de Pelagiana Prosper cecinit in carmine *de Ingratis*.

Et Urb. VI

« Pestem subeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
Facta caput mundo; quidquid non possidet [armis,
Religione tenet. »

1 Tert. I *cont. Marc.* c. II.— 2 S. Th. q. IX *de malo* art. unic.— 3 Tom. III, l. VI, c. XXXVI.

ujus
torita-
tem
udere
ti sunt
renses.

Hujus ad edicti vel labefactandam, vel eludendam vim, et auctoritatem, nihil non Iprensis est machinata factio. Incredibile est enim, quibus artificiis, ac fraudibus labantem, et in exitium incumbentem sectam suam fulcire, ac sustentare sint aggressi; quot adversus pontificias illas sanctiones, calumnias, mendacia, cavillationes, ridiculas, et ineptas exceptiones adhibuerint. Quarum præcipua hæc fuit, ementitam illam, et suppositiam fuisse Bullam; tum, ubi commentum istud refrixit, nòn sponte, ac voluntate sua, hoc est, ut loqui in hujusmodi solent, *motu proprio*, decretum illud fecisse Romanum pontificem, sed importunitate quorumdam ab invito id expressum et extortum. Verum quam impudenter hoc ab illis confictum sit, quamque non invitus, sed ultro ac volens talia in Jansenianum librum, ejusque venena pontifex edixerit, partim repetitis mandatis, partim ad episcopos, virosque principes, et academias, tum universe, tum ad singulos scriptis litteris accurate testatus est.

ed ab
ocent. X
firmata.

Hujus exemplum imitatus est; qui eidem in amplissimam dignitatem, potestatemque successit Innocentius X, qui ab decessore suo non minus necessario, quam sapienter constituta irrita esse vetuit; tum crebras et ipse publice, privatimque litteras dedit, quibus omnes, ut edictis illis obtemperarent, severe est, et constanter hortatus. Quinetiam Iprensium assiduas, et molestas interpellationes fortiter rejicit. Nam nec isti defuerunt sibi, nec de pristina confidentia remiserunt; imo acrius, et ardentius in negotium intenti, duos ad Urbem actores allegarunt e Belgio, impigros homines, ac strenuos, eosque magnis impendiis toto biennio aluerunt; qui armati principum virorum favore, et advocatione, ac præsidiis omnibus instructi, nullas non machinas admoliti sunt ad pervincendam pontificis constantiam, ut vel antecessoris sui decreta revocaret, vel eorum severitatem interpretatione aliqua leniret. Sed hæc incassum omnia cesserunt, ac proprio tandem experimento didicerunt, ad solidam, et immotam sedis apostolicæ petram suos esse conatus omnes et impetus allisos, atque distractos.

Qui
ensium
ortuni-
tati
esistit.

anus et
centius
ntra
senium
ecreta
com-
parunt.
e apud
risios
eadem
a gesta
unt.

Exstant utriusque pontificis epistolæ, et Innocentii præsertim, ad Belgii, unde pernicies illa manarat, episcopos, necnon principes, doctoresque missæ; quibus, Deo id agente, par fructus operæ respondit. Rescripserunt enim plerique, se in Romani potestate pontificis fore. Qua in re præcipuam integritatis catholicæ, pietatisque laudem retulit illustrissimus, ac reverendissimus dominus d'Acheii, Bisontinus archiepiscopus, qui præter Jansenii pseudo-Augustinum, quem communiter cum cæteris decreto suo detestatus est, detestandumque proponi voluit iis, qui ad curam animarum adhibebantur, sub eadem formula, qua solemnem Tridentini concilii professionem nuncupare solent; Arnaldi insuper, et Vergerii libros interdixit, his verbis; « Prohibemus lectionem piorum in speciem operum Antonii Arnaud Sorbonici doctoris *de frequenti communione*; et Joannis Verger, de Hauranne, sancti Cyranni abbatis, variorum opusculorum auctoris, quorum quidem mense Octobri superioris anni, adjecta pœna arbitraria, lectionem per diœcesim nostram interdixeramus. » Idipsum de Janseniano opere, ejusque doctrina viritim professi sunt utriusque academiæ, Lovaniensis, ac Duacenæ doctores primarii, ac theologiæ magistri. Jam Lutetiæ Parisiorum quemadmodum idem illud Romani pontificis decretum illustriss. archiepiscopi jussu per omnes parœcias solemni ritu inter sacra promulgatum fuerit, nihil necesse habeo dicere; res enim nota omnibus, et pervagata est. Pertinuit hoc ad publicam diœcesis totius disciplinam, ut ista religionis, pietatisque venena docti pariter, et indocti cavenda sibi esse cognoscerent. Quod autem eruditornm, ac theologorum interfuit, dedit operam sacra Parisiensis facultas, ut quæ ab Romano pontifice notata illic erant, et proscripta dogmata, propugnari a quoquam, ac doceri, proprio decreto prohiberet. In quo pristinum suum confirmavit, instauravitque judicium, quod ante annos quinque et octoginta fecerat, Christi anno 1560, quo in easdem illas, quas epistola defendit, et alias Iprensis scholæ propositiones sententiam dixit.

Decretum Paris. anni 1641 vide apud Ricar. lib. II *de lib. arb.* c. III, § 4. Extat Cens. Paris. Facultat. apud Petav. l. V *de Opif.* c. XIII, tom. III Dogm. et apud Ricar. init. oper.

Hæc igitur, et his plura, quæ brevitatis studio prætermittimus, insunt in Iprensium dogmatistarum causa, cujus patrocinium sumpsit abbatis epistola. In nostra porro et antiqua quid? Nihil hic ergo commendandi causa gloriosius dicam. Hoc uno brevi ac simplici ero contentus: Nec illorum esse similia, utpote contraria, quæ sentimus, præque nobis ferimus: nec hæresis, et erroris ab fide catholica damnati vel levissime suspecta, sed pura, sincera, integra, nobis cum Tridentina synodo, cum Romanorum pontificum decretis, cum catholici orbis academiis, cum antiquis omnibus, ac recen-

Catholica causa longe tutior.

Pseudonymorum.

tioribus theologis, præter novitium, et enectum illum τῶν ψευδωνύμων Iprensium gregem, uno verbo cum universa christiana Ecclesia communia.

A qua desciscere ad Iprensem novitatem periculosum est.

Jam apud se his animadversis, prudens quisquis reputet, cum in eo negotio fidei, in quam baptismo initiatus est: integritas, hoc est æterna salus agatur, quæ sine recta fide obtineri non potest, ecquid tutius, consultiusque sit, rem tantam, quanta est cœlestis, et sempiterna felicitas, qua nihil quemque, ut pretiosius ducere, sic habere carius oportet, in suspectæ, ac periculi plenæ, ut quod levissimum est dicam, novitatis aleam committere, an illius spem in optimo, et firmissimo fundamento hærentem, ac collocatam habere. Una hæc, et perbrevis, sed latissime patens, multumque necessaria cogitatio, si altius sincere Christianum in pectus descenderit, non parum, opinor, profuerit ad continendos in avita professione catholicorum animos, et ab nuperæ sectæ commercio retrahendos. Quis enim aliter de eo sperare possit, qui quod a Petro Cellensi verissime proditum est, accuratius expenderit? « Novitatem illam[1], quæ a Patrum vestigiis exorbitet, tam in fide, quam in moribus, nec non et in vocum, seu nominum novitatibus, semper anathematizandam esse. » Tum multo id exploratius videri debet, si Lanfranco assentiendum est[2], quod catholicus nemo detrectet, « Ex doctorum consensu hæreticum esse omnem hominem, qui a Romana, et universali Ecclesia in fidei doctrina discordat. » Quippe, ut Justinianus ait[3], « hoc credimus esse catholicum, quod Romani pontificis religioso responso nobis fuerit intimatum. » Quid igitur novis illis dogmatistis facias, « qui primæ sedi sana, rectaque suadenti parere fugiunt? [4]» Equidem nihil in istos acerbius dicam, nec iis aliud exoptem, præterquam meliorem mentem, hoc est minime contumacem, nec nimis amantem sui, quæque pacis ac privatæ salutis, quam honoris, ac processus potiorem rationem habeat. Hoc ni faciant, verendum est, ne in istos de Tarpeia rupe vibratum hujusmodi Apostolicæ sententiæ fulmen incurrat: « Sit ergo ruinæ suæ dolore prostratus[5], quisquis Apostolicis voluerit contraire decretis; nec locum deinceps inter sacerdotes habeat; sed extorris a sancto fiat ministerio; nec de ejus judicio postea quisque curam habeat. »

Dissentire ab Romana Ecclesia hæreticum est in rebus fidei.

Hæc sola, uti dicere cœperam, animadversio pluris apud probos et solertes rerum æstimatores fiet, quam sexcentæ *considerationes* earum similes, quas epistolæ auctor exposuit; quæ sunt innumeris, nec usitatis ex ineptiis, flagitiisque contextæ. Horum nos specimen in hac dissertatione præbuimus, plerisque prætermissis, quæ quidem aliis, quibus otii plus erit, castiganda relinquimus. Cæterum paucis in illis capitibus, quæ delibare satis in præsentiarum habui, prorsus id, quod propositum erat, assecutum me esse confido; ut hoc omnes intelligere possint, neque quidquam eorum anonymum abbatem præstitisse, propter quæ hanc se epistolam elucubrasse profitetur; neque causæ multum habuisse præfationis auctorem, cur eumdem exquisitis adeo laudibus extolleret, minime veteris illius, ut debuit memor dicti: « Ut vera laus ornat, ita falsa castigat[6]; » vel istius, « Si veræ sunt laudes tuæ[7], præconia sunt; si falsæ, convicia. » Denique nisi aliis ex indiciis, experimentisque, quam ex epistola ista, talem eum cognoverit, qualem esse prædicat; horum alterutrum vitare non potest, quin vel inscitia occæcatus fuisse videatur, cum præfationem illam scriberet, vel contra pudoris, officiique leges strenue, intemperanterque mentitus*.

* Hujus argumenti dissertationes tres a cl. viro P. Livino de Meyer editæ sunt lectu dignissimæ. Z.

1 In Præf. tom. IX *Bibl. Patr.* col. 824.— 2 Lanfr. *cont. Berenq.* tom. VI *Bibl. Patr.* col. 191.— 3 Justin. *ad Horm.* tom. III.— 4 Gelas. ep. IV, ib. 625.— 5 Gelas. apud Nicol. Papam in epist. *ad Michael. imp.*— 6 Symmr.— 7 Cæsar. Hom. XXV.

INDEX

LIBRORUM ET CAPITUM QUÆ IN HOC VOLUME CONTINENTUR

DE ANGELIS

LIBER SECUNDUS

IN QUO DE ORDINIBUS, ET OFFICIIS BONORUM ANGELORUM AGITUR.

CAPUT I. De Ordinibus Angelorum explicantur veterum Patrum sententiæ, qui ab stulta Bezæ criminatione vendicantur. Nomina in Scripturis vulgata illorum ordinum esse propria. Præter hos vero, alios ignotos esse nobis Ordines antiqui fatentur. Angelorum apud Hebræos appellationes. 1

CAPUT II. De Hierarchiis Angelorum; quid sit hierarchia Dionysiana; variæ illius distributiones. Ex tribus constat perfecta, ordine, potestate, actione : quæ omnia in humana, et Ecclesiastica hierarchia considerantur. 8

CAPUT III. De novem vulgatis Angelorum ordinibus; quorum nomina, et proprietates explicantur. Cherubim unde dicti ; deque iis absona Theodori Mopsuesteni sententia. Throni cum Cherubinis a nonnullis confunduntur. 11

CAPUT IV. De hierarchicis functionibus, quæ ad tria genera revocantur, eaque cujusmodi sint exponitur. Quanam ratione inferiores. Angeli ab superioribus illuminentur. 14

CAPUT V. Sintne natura æquales omnes Angeli : et unde ordinum, ac functionum illa varietas exsistat. Origenis refutatus error. Qua ratione a Deo, vel a se mutuo perficiantur Angeli. Guillelmi Parisiensis erudita de illis disputatio. 17

CAPUT VI. De Angelorum in homines officiis. Ecquid omnes a Deo mittantur in terras. Videri omnes administros esse. De septem assistentibus ante Deum. 21

CAPUT VII. De tutela hominum, et custodia, quam obeunt Angeli. Hanc etiam ethnicos philosophos agnovisse : tum ex Christiano dogmate suum cuique attributum homini custodem. Utrum et dæmon suus itidem unicuique sit constitutus. De officio custodis. De utroque Cassiani, et Prosperi sententia. Quomodo malus Angelus adhibeatur a Deo. Utrum ambo nonnunquam recedant Origenis falsa opinio refellitur. 28

CAPUT VIII. De Angelis civitatum, regnorumque tutelaribus. Deuteronomii locus capite XXXII declaratur; quomodo commissos sibi populos procurent. Eusebii falsa et hæretica opinio : Clementis item Alexandrini, qui stellas et sidera ad cultum proposita esse a Deo credidit. Explicatur Danielis locus capite X de præsidibus gentium Angelis. Ecclesiis etiam præesse. 37

CAPUT IX. De cultu et veneratione Angelorum. Præstentne homines Angelis, an Angeli hominibus; de quo variant sententiæ. Quatenus Angelos fas sit colere. Λατρία, sive cultus uni debitus Deo, nec Angelis deferendus. Licere tamen illos venerari, et templa in honorem ipsorum statuere. Cur ab Joanne adorari noluit Angelus. 44

CAPUT X. De invocatione Angelorum. Refelluntur adversariorum argumenta, quibus illam oppugnare student. De mediatore; et quatenus Christus unus sit mediator. Angelos tamen, et Sanctos mediatores esse secundi ordinis. Audiri ab his orationes fidelium. Explicatur Apostoli locus ad Coloss. II qui Angelorum religionem vetat; tum Laodicenus Canon 35. Theodoretus ab erroris invidia vindicatur. 47

LIBER TERTIUS

QUI EST DE DIABOLO, ET ANGELIS EJUS.

CAPUT I. Sintne corporati dæmones. Augustini, et aliorum antiquiorum sententia, ut Justini, Tatiani, Clementis Alexandrini, etc. affirmans. Plerique nidore, ac fumo victimarum pasci illos arbitrati. Esse revera corporis expertes. Græcorum recentiorum falsa sententia. 57

CAPUT. II. De Angelorum lapsu, et peccato ; quod veteres aliqui stuprum feminis illatum esse crediderunt; alii aliter interpretati sunt. Sed eos superbia peccasse, ex communi sententia defenditur : et quemadmodum acciderit, accurate declaratur. 62

CAPUT III. De rebellium Angelorum principe Diabolo. Unde hoc illi nomen. Utrum supremus Angelorum omnium fuerit. Variæ de eo sententiæ. Probabilius esse summum illum inter Angelos fuisse. Esaiæ, et Ezechielis loca de Lucifero; et quatenus hoc illi nomen congruit. Post lapsum mansisse in dæmonibus graduum discrimen. Cur caput reproborum dicatur Diabolus ; et quomodo in peccatum alios traxerit. Utrum statim, postquam creati sunt, peccaverint : ac subinde etiam post lapsum dejecti fuerint. Nemesii locus illustratus. Non videri statim excidisse, ex antiquorum sententia. Cassianus notatur. Utrum uno, an pluribus peccatis lapsi sint. Cur, postquam semel peccarunt, negata illis est venia. 74

CAPUT IV. Utrum in Tartarum relegati modo sint dæmones, an in aere versentur. Variæ hac de re sententiæ proponuntur, et expenduntur. Explicantur Petri, et Judæ Apostolorum loca. De Diabolo illorum principe, an inferis attineatur. Tum ea quæstio disceptatur, an omnes illi ignis inferni modo pœnas patiantur. Plerosque negasse veterum. Justini locus insignis. Nondum illos summum, extremumque pati tormentum, quod in fine judicii tolerabunt. Cajetani de hac re sententia. 83

CAPUT V. Ecquid inferorum ignis, cui addicti sunt dæmones, corporeus sit. Origenis falsa de eo sententia negantis esse corporeum. Quid de ea narret Hieronymus. Quidam Origenem ex parte secuti. Alii corporeum esse dixerunt, præsertim Augustinus; cujus illustratur opinio, ut et Gregorii Papæ. Nullum de igne corporeo decretum exstare fidei; etsi verum sit. Quomodo dæmones, ac spiritus eo torqueantur. Augustini sententia de hac re, itemque Gregorii Papæ. Uri ab igne dæmones probabilius videri. 94

CAPUT VI. Utrum sempiternæ sint dæmonum pœnæ. Veterum de hac re sententiæ, præsertim Origenis exponuntur; qui dæmonum, ac reproborum hominum perpetuas negavit fore. Id Platonis e dogmate manasse. De Origene accuratius agitur tum ex veterum de eo testimoniis, tum ex ipsius scriptis. Epiphanius de illo Origenis dogmate in ejus hæresi non meminit. Ejusdem Epiphanii locus expenditur. Refelluntur, qui Origenem excusare conantur. 99

CAPUT VII. De aliis veteribus, qui in illud Origenis dogma propensiores fuisse videntur, præsertim Gregorio Nysseno ; cujus varia loca excutiuntur. Germani Patriarchæ de Nysseno sententia. Pseudo-Ambrosii cum Origene

consensio. Hieronymi de re eadem exploratur sententia; necnon Ambrosii, et Pseudo-Ambrosii illius, qui in epistolas Pauli commentarios edidit, quem non fuisse Hilarium Diaconum ostenditur, ut viri docti hactenus rati sunt. Gregorii Nazianzeni de eadem quæstione opinio proponitur. 106

CAPUT VIII. Ostenditur damnatorum æterna esse supplicia, tum ex Scripturis, tum ex antiquis Patribus, et illis ipsis, qui Origeniano adspersi dogmate videbantur. Damnatorum animas fidelium precibus sublevari quidam arbitrati sunt; quæ tamen opinio refellitur. 113

DE SEX PRIMORUM MUNDI DIERUM OPIFICIO

LIBER PRIMUS

Venetiani editoris dissertatio prolegomena,

QUA PRÆADAMITARUM SYSTEMA CONFUTATUR.

CAPUT I. Quinam huic systemati præluserint? Isaacus la Peyrere tamen primus ejus auctor dici non immerito potest. Quid ille docuerit. Tum qui illum refellerunt, impiaque ejus dogmata, indicantur. 123

CAPUT II. Scripturarum, Geneseos cum primis, testimonia nonnulla in medium adferuntur, et cum illis Præadamitorum systema pugnare ostenditur. 125

CAPUT III. Quid de originali peccato doceat Catholica fides : tum systema Præadamiticum huic doctrinæ adversari invictis argumentis demonstratur. Adduntur Patrum testimonia, quæ idem systema falsitatis, errorisque redarguunt. 127

CAPUT IV. Isaaci la Peyrere argumenta aliquot ex Scripturis ducta refelluntur. 130

CAPUT V. Difficillimus ex epistola ad Romanos locus explanatur. 133

CAPUT VI. Isaaci la Peyrere argumentis ex veteri historia petitis fit satis; deque vetustissimorum Regnorum originibus disputatur. 138

CAPUT VII. Frustra Peyrerius ex varia hominum forma, diversoque colore suo systemati præsidium quærit. Unde nam Æthiopibus, aliisque quos Nigritas vocant, niger color, diligentius disquiritur. 141

PROŒMIUM.

Quemadmodum ex rebus a Deo conditis ad ejus notitiam perducantur homines, maxime sensibilibus. Has solas a Mose commemoratas esse. Origenis allegorica interpretandi ratio castigata. Cautiones adhibendæ ad Mosis narrationem explicandam. 145

CAPUT I. Quem scopum sibi Moses proposuerit in mundi origine perscribenda. Philosophorum error de mundi æternitate; cum hæreticorum de ejusdem procreatione. Tertulliani falsa sententia notata super iisdem hæreticis. Deum ex creatione cognosci; idque dupliciter, tum quod e nihilo produxit, tum quod eadem ordinavit, ac perpolivit. Creandi vocabulum non significare productionem e nihilo per se, ac proprie. Explicatur principii notio; necnon illa Mosis : IN PRINCIPIO CREAVIT, etc. tum illud Aquilæ, IN CAPITE. 148

CAPUT II. Quid cœli, atque terræ vocabulis Moses initio Genesis expresserit. Quidam materiam primam intelligunt, ut Augustinus et, ut videtur, Gregorius Nyssenus. Philonis absurda ratio, incorporea quædam describi putantis. De quorumdam opinione, qui supremum aliquod cœlum, quod empyreum vocant, creatum initio putant; quæ quidem refellitur. Necnon aliorum, qui systema cœlestium orbium intellexerunt. Videri Mosis illa verba generalem esse propositionem, qua totum mundum a Deo creatum pronuntiat; quem deinde per partes explicat. 157

CAPUT III. Quis rerum status fuerit ante lucem conditam. Cur terra primum incondita, et inculta fuerit. Exponuntur Hebraicæ voces, quibus status ille describitur, tum Græcæ. Cur terra non statim ornata et absoluta prodierit. De Spiritu Domini, quid fuerit, variæ sententiæ, aliis aerem, aliis Spiritum sanctum putantibus. Videri Deum ipsum significari, idque quomodo intelligendum. 163

CAPUT IV. Quænam exstiterint ante primæ lucis exortum. Videri solam terram cum aqua initio procreatam. Eam esse materiam omnium rerum, ex quorumdam philosophorum sententia; tum chaos illud poeticum. Refellitur novum quoddam opinionis portentum, de Melchisedeco et Christo ante lucis exortum productis. 167

CAPUT V. De dierum sex intervallo, quo hunc mundum Deus elaborasse dicitur, an revera illi dies exstiterint. Nonnullorum opinio proponitur, qui momento eodem omnia procreata putant, eaque refellitur. Explicatur Ecclesiastici locus, qui universa *simul* creata testatur. 171

CAPUT VI. De locutione Dei, qua opera omnia procreasse dicitur. Theodori Mopsuesteni sententia, et aliorum Deum vere esse locutum opinantium. Quid verius illa Dei vox significet. An Patris ad Verbum fuisse putanda sit. Longini de hac Mosis narratione judicium. 174

CAPUT VII. De opere primæ diei, id est luce; de qua variæ opiniones exponuntur. Velut esse ignem, aut Solem. Utriusque rationes, et hujus præsertim refutatæ. Eugubinus notatus. Falso Dionysio opinionem illam attribui. Basilii sententia notata de luce materiæ experte, ac per se subsistente. Quibusdam veteribus placuisse, lumen esse corpus, et substantiam. Non videri tenebras interpositu cœlestium corporum esse factas. 176

CAPUT VIII. Variæ de luce primigenia quæstiones enodantur. Quomodo dierum et noctium ante Solem spatia diviserit. Tenebras luci contrarias substantivas esse credidit Victorinus. De initio dierum, maxime primi, an ab nocte, an potius a matutino tempore cœperit. Variæ de hac re opiniones. Judæos a vespera diem exorsos esse. Primam diem habuisse noctem suam, et lucem. Tenebras primigenias noctis instar non fuisse. Probabile videri lucem in occidente creatam esse. 179

CAPUT IX. De primo die rursus agitur; ac Theodori Mopsuesteni sententia, et Joannis Philoponi contra hanc disputatione. Tenebras primigenias noctis nomine non censeri apud Mosem. De initio diei putandi apud Judæos accurate quæsitum. Recte Theodorum docuisse, ab ineunte vespera illos inchoasse. Philoponus contra sentiens refellitur; ejusque argumenta omnia solvuntur. Explicantur aliquot Scripturæ loca. Quid sit Parasceve, et de tempore agni Paschalis immolandi. De triduo sepulturæ Dominicæ, deque tempore resurrectionis. Ὀψὲ σαββάτων, et ἐπιφώσκειν quid sint. 183

CAPUT X. De secundæ diei opere, id est firmamento. De numero cœlorum variant Patrum sententiæ. Idem esse cœlum, quod initio Geneseos nominatur, ac secundo die productum. Gregori Nysseni opinio perplexa de firmamento. Probabilis hujus constituendi ratio, qua ex aqua factum id esse ponitur, ac tum aerem, tum cœlum proprie dictum complecti. De firmamenti voce, et στερεώματος

accurate disputatum. Esaiæ locus explicatus ex interpretum LXX versione. Non esse solidum cœlum, tametsi firmamentum vocetur, et quæ sit origo nominis, ac notio. 188

CAPUT XI. De usu, et officio firmamenti a Mose tradito, ut aquas ab aquis dirimat. Aquas superiores quidam Angelos interpretati sunt, ut Origenes eo nomine culpatus. Variæ de illis sententiæ. Videri nubes esse, aquasque pluvias, interjecto aere a mari, fluviisque disjunctas. Nec abhorrere veteres, etsi firmamenti nomine cœlum ipsum intellexerint, quatenus aquas istas pluvias, et ad refrigerandum orbem insertas esse dixerunt. Cœli varia significatio. Primis mundi diebus nubium aliquid in aere suspensum videri. 194

CAPUT XII. De forma, et natura cœlestium orbium, ac primum de figura : quam esse sphæricam negant veteres aliqui, contra rerum fidem, et experientiam. Agitur deinde de hoc, utrum cœli, ac stellæ animas habeant. Origenis de eo affirmans sententia, et aliorum paucorum, quæ catholicorum Patrum testimoniis refutatur. Alii ab ejus suspicione purgantur. Dubitasse aliquando de ea S. Augustinum. Videri damnatam, et erroneam; multo vero magis alteram, quæ res omnes animatas esse defendit. An in finc mundi cœli corrumpendi sint. Affirmatur ex communi veterum opinione, sed ita, ut in melius instaurentur. 198

CAPUT XIII. De opere diei tertiæ, cujusmodi, et quotuplex fuerit. Aquarum confluxum unum in locum dici secundæ probabiliter a quibusdam attribui. Qua ratione dixerint veteres aliqui, aquas tertia die procreatas esse, vel per declive fluendi proprietatem illis inditam. Quomodo aquæ in unum locum confluxisse dicantur; et quis ille sit locus. Omni prorsus humore terram emunctam fuisse, ac singulari nihilominus miraculo terram stirpes, herbasque procreasse. 208

CAPUT XIV. Explicatur insignis locus ex capite secundo Genesis, ubi fons ascendisse dicitur e terra : quod de nube, sive aqua tenui primigenia supra terram suspensa intelligitur. Perstringitur illa quæstio, utrum vere, an autumno conditus sit mundus; et autumno probabilius esse factum asseritur. 213

CAPUT XV. De operibus quartæ et quintæ diei. Solem, Lunam, ac reliqua sidera non ante quartam diem procreata fuisse. In eadem sidera lucem diei primæ opus fuisse congestam. Quinta die tam pisces, quam aves ex aquis prodiisse. Explicatur Geneseos locus de avium productione, et Vulgata interpretatio contra Cajetanum defenditur. 215

LIBER SECUNDUS

QUI EST DE HOMINIS OPIFICIO.

CAPUT I. De opere sextæ diei, sive hominis procreatione. Cur postremus sit creatus, causæ variæ proferuntur. Ejusdem supra cætera Dei opera præstantia aliquot a Mose argumentis prodita; maxime quod operosius elaboratus a Deo dicatur, tum ipsius manibus fictus; quod, quale sit, exponitur. 219

CAPUT II. De eo, quod ad imaginem, et similitudinem Dei factus homo dicitur. In quo imago sita sit. Variæ de ea sententiæ. Pessima omnium, quæ corpore circumscribit. Et tamen sensu aliquo non improbanda. Eugubini frivola ratio, necnon Tertulliani, qui corpori eamdem adstruunt. Alii in cognitione constituunt; quidam in arbitrio libero; nonnulli in virtute, et Spiritu sancto; alii imaginem a similitudine discernunt, in immortalitate alii denique imaginem ponunt. 222

CAPUT III. De alia imaginis interpretatione, quæ in dominatione in animantes, et res omnes homini tributas illam collocat. Explicatur Apostoli locus ex priore ad Corinthios. Demum ea de imagine Dei opinio proponitur, quæ maxime probabilis videtur; duplex ratio constituitur illius : una, quæ est secundum essentiam : alia, quæ qualitates spectat. Prior in intelligentia, et ratione posita est. Utrum Angelus ad imaginem Dei factus sit. Variæ de eo sententiæ aientium, aut negantium. Quatenus id soli homini competat. 230

CAPUT IV. Absolvitur proposita quæstio de imagine, et similitudine Dei. Imaginem esse totum ipsum hominem ex corpore animaque constantem, sed primario ratione animæ, et eorum, quæ natura illi competunt. Id *quod imago* est, et *id quo* distinguitur. Quomodo Trinitatis imago est homo, tum etiam quatenus liberi arbitrii est; ex quo fluit altera ratio, quæ in dominatu ponitur, quo cæteris imperat animantibus. Item quemadmodum in virtute, et id genus ornamentis imago consistit. Necnon quomodo in ipso corpore sita sit; cujus in homine forma præstantissima est, et statura recta. Manus item propter rationem et sermonis usum datæ. Utrum ad solius Verbi imaginem factus dici possit homo. Explicantur notiones duarum in Hebræo vocum, *Selem*, et *Demuth*. Et Latinarum *imago*, et *similitudo*. Anima cur Spiritus et afflatus vocetur. 234

CAPUT V. De primo illo, et beato primorum parentum statu, ac primum de loco, in quo collocati sunt, qui PARADISUS dicitur. Non esse allegorice, quæ de eo scripta sunt, in totum accipienda. De situ ejusdem. Quid sit Eden, et cur Paradisus voluptatis appelletur; idque nomen proprie usurpatum videri. De quatuor fluviis obiter. Christianorum ritus versus orientem convertendi se inter orandum ab situ Paradisi petitus. Damascenus notatur. De arbore vitæ, et altera scientiæ boni, et mali; quænam illæ fuerint, et unde dictæ. An hodieque Paradisus supersit. 243

CAPUT VI. De statu primi hominis ante peccatum; quomodo in Paradiso collocatus, ut eum custodiret, et excoleret. Laboris ei aliquid injunctum; nec non horti custodiam, hoc est habitationem, et possessionem. Qua ratione mortalis, et immortalis Adamus ante peccatum fuerit. Nunquam moriturum fuisse, si in innocentia perseverasset; idque Catholica esse fide certum. Contrarius huic error refellitur. Non tamen plenam immortalitatem habuisse. Explicatur eorum sententia, qui medium inter mortalem, et immortalem statum Adamo vindicant. 250

CAPUT VII. De immortalitate primorum hominum iterum agitur. Utrum cibo eorum corpora opus habuerint. Quorumdam sententia negans, maxime Gregorii Nysseni, et aliorum excutitur, qui allegorice fructus illos, ac cibos interpretantur. Ostenditur veros illos fuisse, ac revera homines cibo usuros. Utrum arbor vitæ immortalitatem tribueret, idque naturali efficientia an Dei gratia. Abulensis, Pererii, et aliorum opiniones examinatæ. Non fuisse naturalem vim istam, et in perpetuum vitam extendere potuisse. Notatur Ludovicus Vives, et ab ejus reprehensione Scotus vindicatur. Neque morbis, neque senectuti obnoxium fuisse statum illum innocentiæ. 255

CAPUT VIII. Qua ratione propagatum genus esset humanum in statu innocentiæ. Nonnulli sine commistione sexus nascituros putarunt homines, ut Gregorius Nysse-

nus, Joannes Damascenus; quæ opinio rejicitur, quatenus libido abfuisset, quandiu in terra vixissent homines. De animantibus ad Adamum deductis, et impositione nominum. An et piscibus indiderit. De formatione mulieris ex Adami costa. Cur ita procreata, et quomodo suffecta alia costa. Hebræorum ridicula opinio de androgyno Adamo, nec non Eugubini. Cajetanus notatur. 263

Caput IX. De mandato divinitus homini primo edito. An soli, et quando datum. Quæ causæ præcepti illius fuerint. Quorumdam veterum opinio, primos parentes parvulorum instar simplices fuisse. Primaria causa fuit, ut virtutum exercendarum materia suppeteret, præsertim obedientiæ. In illo præcepto mandata omnia contineri, nonnulli dixerunt. Altera causa, ut se alteri subjectum agnosceret. Cur Deus homini legem ediderit, quam minime servaturum esse sciret. Quæ sit mandati sententia. An Deus non modo comedere vetuerit, sed etiam tangere. 269

Caput X. De pœna violati præcepti, et comminatione mortis. Quinam verum illud sit, eodem die mortuum Adamum, quo peccavit. Quidam de morte animæ id intellexerunt. Probabilius esse solam exprimi mortem corporis. Mors animæ pœnæ rationem non habet. Exponuntur variæ interpretationes ejus sententiæ, quatenus in mortem animæ die eodem incidit : eaque cæteris anteponitur, mortem pro mortalitate, id est mortis necessitate accipi. Hanc necessitatem quemadmodum Christus in bonum converterit, et cur a morte suos non exemerit. 275

LIBER TERTIUS

IN QUO DE LIBERO ARBITRIO AGITUR.

Caput I. De Liberi arbitrii natura hæreticorum Lutheri, Calvini, et aliorum sententia proponitur; tum huic affinis Catholicorum quorumdam, qui cum illis sentiunt, libertati solam opponi coactionem, non necessitatem. Quibus primum Tridentinæ Synodi decretum opponitur, ac Romanorum Pontificum. Quid sit voluntatis libertas. Falso ab illis infamari Catholicam libertatis definitionem; quod in eam Philosophi consentiunt. 283

Caput II. Liberi arbitrii impugnatorum fucus, et cavillatio prima, qua Veterum de libertate sententias eludunt, asserentes, cum voluntas dicitur ad opposita esse libera, id seorsim, ac separatim intelligi, ut aliquando unum, aliquando alterum velit, etsi, cum unum vult, necessario, et determinate id velit. Quæ opinio tam e Scripturis quam ex Augustini interpretatione refellitur; ac docetur, liberum arbitrium ad utrumvis indifferens esse. 288

Caput III. Explicatur Novorum Theologorum opinio, et cavillus alter de necessitate opposita libertati. Contra quam universe primum disseritur. Exponitur violentia, coactionisque propria ratio, et quatenus libertati contraria est. Ridicula adversariorum opinio, qui naturam, et ea, quæ naturalia sunt, violentiæ adscribunt. De elicitis, et imperatis voluntatis actionibus, et quatenus utrisque violenta necessitas adhibetur. Mortis necessitatem homini violentam non esse; imo mortem ipsam nonnullis optabilem. 293

Caput IV. De Calvini, et aliorum hæreticorum, eorumque, qui illis suffragantur, effugio, et cavillatione; qui necessitatem, cujus expers liberum arbitrium Scripturæ, ac Patres esse prædicant, solam interpretantur esse coactionem, et violentiam; non autem necessitatem simplicem; quæ voluntatem uno aliquo circumscribit. Adversus quos primo liberi arbitrii natura, et proprietas exponitur e S. Thoma, et aliquot Patribus. Eamdem illam opinionem a S. Thoma hæreticam judicari. Falso ab illis infamari communem sententiam, et *Philosophicam* vocari, tanquam Christianæ oppositam, cum sit una, et eadem. 301

Caput V. Evertitur novæ firmamentum opinionis expositum supra, quo solum violentum opponi libertati putat. Ostenditur, necessitatem quamcumque cum libero arbitrio pugnare; ac latius explicatur natura illius, et agendi ratio. Variæ, ac multiplices libertatis functiones ex antiquis declaratæ, quæ omnes necessitatem simplicem excludunt. Quid sit *indifferens*, et quemadmodum libero arbitrio conveniat adeo, ut citra hoc agere nequeat, neque libertas humana consistere. Illustrantur veterum Patrum de ea sententiæ, quibus doctrinæ novitas eliditur. 307

Caput VI. De eo, quod *voluntarium*, vel *spontaneum*, et *involuntarium* dicitur; quod utrumque declaratur. Coactum, quod voluntario opponitur communi usu sermonis, non evertere funditus libertatem, sed extrinsecus adhibita vi ad eligendum aliquid compellere. Quare mistum esse ex voluntario, et involuntario, et simpliciter esse voluntarium. Quod ex Scriptura primum adversus novos Theologos adstruitur. 314

Caput VII. Ostenditur e Patribus, coactum et violentum, quod libero arbitrio solet opponi, non funditus evertere libertatem, sed cum actu libero cohærere. De fatali necessitate, quam Veteres libero arbitrio contrariam agnoscunt, non eam esse violentiam, quæ omnem voluntatis actionem elidit, sed, ea posita, agere quidem ipsam, non tamen libere; quo argumento novum dogma funditus evertitur. 318

Caput VIII. Excutiuntur antiquorum Patrum testimonia, quæ opinioni favere suæ libertatis hostes arbitrantur : in quibus multiplex illorum hallucinatio convincitur. Dionysius perperam ab illis acceptus, ex eoque refutata eorum opinio. Explicatur ἀνάγκη, id est necessitas, et vis seu coactio; in quibus notionibus gravissimus eorumdem error aperitur. Clementis Romani locus ab ejusdem defensus calumnia, et ex eo Scriptore, cujusquemodi tandem est; communis opinio de libertate probata. Nec non ex Irenæo, et Tertulliano, quorum sententias frustra novitatis ad suæ patrocinium traxerunt. Postremo Hilarius testis adductus ab Adversario, contra ipsum opponitur; et ex ejus illo ipso, quem citavit, loco, novæ opinionis falsitas clarissime, ac validissime redarguitur. 327

Caput IX. Aliorum Patrum ab novi dogmatis auctore citata testimonia; quæ maxime contra ipsum faciunt. Imprimis Origenis, qui illius novam de libertate sententiam prorsus evertit. Afferuntur alia ejusdem loca, ex quibus magis error ille convincitur. Coactionem, et vim apud eumdem non eo modo accipi, quo putavit. Eusebius perperam ab eodem citatus, cum adversus illum imprimis faciat. Expenduntur illius loca ex libro sexto de Præparatione Evangelica, et ex libro contra Hieroclem. 335

Caput X. De Epiphanio, quem pro se contraria secta testem citat : Ostenditur, neutiquam ejus errori suffragari, neque Macarium, cujus verbis dogma illud refellitur. Chrysostomum quoque id auctoritate sua damnare; cujus loca quædam ab illa calumnia vindicantur. Disputatur iterum de vi, et coactione, quam solam hæretici contrariam libero arbitrio faciunt. Contra quos proba-

tur, non ei esse contrariam, sed esse nihil, et repugnantiam continere. 341

Caput XI. De Basilio Seleuciensi, et Cyrillo, quos adversus libertatis indifferentiam testes citant adversarii. Refelluntur hi ex utriusque sententiis, quæ de liberi arbitrii indifferentia disertissime proferuntur. 347

Caput XII. De Joanne Damasceno, quem novi dogmatis patroni perperam ad commenti sui communionem adigunt; in quo mira illorum hallucinatio detegitur. Proponuntur, et examinantur illius loca, quibus abutuntur isti; τὸ ἑκούσιον, id est spontaneum; interdum pro libero accipi, et cum electione conjuncto. Ejusdem Damasceni sententia de arbitrii libertate plenius edisseritur. 353

Caput XIII. Exponuntur usitatæ apud Patres quædam locutiones, quibus liberi arbitrii facultas et agendi modus exprimitur ejusmodi, ut necessitate remota, utrumvis appetere possit, ac repudiare. In nobis esse, vel in nostra potestate; dominum esse; ubi, quid dominium sit, explicatur. Tum locus ille communis apud Patres, cur non Deus nos necessitate quadam ad virtutem adstrinxerit. Alia liberi arbitrii nomina, ut ἀδέσποτον, αὐτόνομον, αὐτοκίνητον, αὐθεκούσιον, αὐτοτελές, αὐθαίρετον; quibus omnibus libera ad utrumvis propensio designatur, ut et nomine ῥοπῆς et æquilibrii. De ἐξουσίᾳ, et αὐτεξουσίῳ, cui simplex adversatur necessitas. Laudem et vituperationem ex sola generis illius libertate sequi. 361

LIBER QUARTUS

IN QUO EX AUGUSTINI SENTENTIA LIBERI ARBITRII NATURA CONSTITUITUR.

Caput I. Calvinum, aliosque hæreticos, et horum dogmati faventes unum præ se ferre Augustinum; atque hos illis longe hac in parte intolerabilius errare. Constituitur quæstionis status. In quo sit posita liberi arbitrii notio. Illustratur similitudo duplex oculi, et pedis, qua usus est Augustinus; ex eaque liberi arbitrii integritas, morbus, et curatio definitur. 373

Caput II. Augustinum liberi arbitrii potestatem in natura vitio Adami corrupta constanter agnovisse, nec extinctam putasse. In quo Pelagii sita sit hæresis, et quid contra eam senserit Augustinus. Tum ex ejus cum hæreticis conflictu intelligi, eum liberi arbitrii naturam eamdem cum communi usu, et sententia constituisse in indifferenti ad utrumvsi potentia : et ab nupera calumnia longe abhorruisse. 376

Caput III. Demonstratur porro liberum arbitrium eadem notione Augustinum intellexisse, quam communis fert sententia, et ipsius adeo Pelagii. Augustinum ipsum palam profiteri, se a Pelagio de natura liberi arbitrii minime dissentire. Quomodo in homine post peccatum Adami liberum mansit arbitrium. Ecclesiastici locus illustratur. Nec non ille Apostoli : *Non ego, sed gratia Dei mecum*, συνέργεια, et *cooperatio* liberii arbitrii. Insignis similitudo ex oculo et lumine petita, qua arbitrii liberi proprietas, et συνέργεια cum gratia commendatur. 382

Caput IV. Eamdem post peccatum Adami in hominibus liberi arbitrii manere naturalem facultatem, quæ in statu fuit innocentiæ, probatur ex Augustino, ejusque contra Pelagianos disputatione; ac solum id, quod erat gratiæ, detractum. Quod ex libero Adami arbitrio, et adversariorum confessione probatur. Iisdem enim notis in præsenti naturæ statu delineatur, et agnoscitur ab Augustino. Posse pro eo, quod est facere, interdum accipi. 387

Caput V. Alia Augustini loca proferuntur, quibus liberi arbitrii indifferens potestas ad utrumvis post Adami peccatum probatur. Item cogendi vocem pro necessitate simplici ab eodem usurpari. Illustrantur loca quædam librorum de libero arbitrio, et Retractationum, quæ evidenter illud ostendunt. Diluitur insulsa hæreticorum, et aliorum ratio voluntatis indifferentiam perperam interpretantium. Quid sit esse in potestate ex Augustino. Unde et indifferentia liberi arbitrii conficitur. 393

Caput VI. Rursus de voluntatis indifferente statu, et potestate libera ex Augustino disputatur. Ostenditur, etiam ex adversariorum confessione liberi arbitrii naturam in eo sitam esse, ut possit agere, vel non agere. 400

Caput VII. De libero arbitrio diversa, et in speciem contraria Augustini dicta; ut modo post peccatum inesse, modo periisse dicat. Ex quo duplex notio *liberi* colligitur. Quid sit liberum esse justitiæ; servitus, et captivitas libertati opposita. Liberum arbitrium, quatenus naturalis est facultas, etiam post peccatum manere. 404

Caput VIII. Explicatur causa, propter quam Augustinus liberum arbitrium sæpe aliter, atque ut naturalem hominis facultatem significat, usurpat. Quod Pelagianorum gratia fecisse monstratur. Horum igitur, et Catholicorum sententiæ inter se comparantur. Quid sit liberum, et quid servitus, ex jurisconsultis, et ex Augustino accurate traditur. 409

Caput IX. Expenduntur Augustini loca quædam, ex quibus colligi videtur, necessitatem non pugnare cum arbitrii libertate, aut non esse liberum in homine arbitrium, quod ad agendum, vel non agendum, hoc vel illud eligendum, indifferentem velut statum habeat. Nunquam ita premi, et alligari liberum arbitrium, ut non in ejus potestate sit agere, vel non agere; varii indifferentiæ modi. Necessitatis item multiplex ratio, et quatenus cum libertatis indifferentia cohæreat. Triplex regula ad Augustinum interpretandum apprime utilis; et ex iis locorum aliquot Augustini declarata sententia. 414

Caput X. Afferuntur alia Augustini testimonia, quibus hæretici, et eorum fautores probare nituntur, omnem voluntatis actionem, sive volitionem esse liberam. Explicatur locus insignis illius ex tertio de libero arbitrio. Voluntas sæpe pro libera voluntatis actione sumpta; itaque illic ab Augustino accipi monstratur. Declaratur, id esse in potestate nostra, ad quod indifferens est voluntatis motio. Alia Augustini explicata testimonia. 420

Caput XI. Expenduntur alia quædam Augustini loca, ut ex libro quinto de Civitate Dei, capite nono, et decimo. Ciceronis opinio de præscientia Dei ab Augustino refutata; hunc vero voluntatis nomine liberam, et indifferentem intellexisse. Duplex genus necessitatis, et quænam libertati officiat, quæ cum ea cohæreat. Voluntarium pro libero sumi. Explicatur locus alius Augustini in libro de Natura et Gratia; et ostenditur, ex eo indifferentiam libertatis astrui, exclusa necessitate. 425

Caput XII. Proponuntur alia Augustini loca, et confecta ex illis argumenta quibus probatur, necessitatem non pugnare cum libertate. Velut quod Deus necessario vult bonum. et est nihilominus liber. Declarantur istæ ipsæ Augustini sententiæ. Explicatur libertas, quæ contrarietatis vulgo dicitur. De eadem libertate, qua servituti opponitur. In hac determinationis proprie notionem inesse. Quatenus amissum ab Augustino dicatur arbitrium liberum. 432

Caput XIII. De Dei libertate rursus agitur, ac voluntate libera : Unde contra Novum dogma argumentum aliud efficitur. Divinæ processiones, et interiores operationes

non sunt liberæ et quatenus quidam Scholastici liberas esse sentiant. Aliam esse rationem motionis divinæ voluntatis, qua seipsum amat, ac Spiritum sanctum producit, ab ea, qua creatas res diligit, et efficere vult. Veterum Patrum altercatio super processionibus divinis, an sint liberæ Ex hoc loco colligi veram libertatis naturam, et proprietatem. Qua ratione in beatis liberum sit arbitrium, ex Augustini sententia. 436

LIBER QUINTUS

IN QUO LIBERTATIS VERA RATIO EX LATINIS AUGUSTINO POSTERIORIBUS EXPENDITUR.

Caput I. De iis Patribus, qui post Augustinum fuerunt, quorum testimoniis male utuntur adversarii, ut cum libero arbitrio necessitatem copulent. Prosperi in illos sententiæ retorquentur. Explicatur liberi arbitrii definitio a Prospero allata. Hypognostici auctor novo dogmati contrarius. Prosper itidem aliis in locis; necnon Fulgentius, cujus sententia perperam ab illis citata declaratur; et aliæ contra eos afferuntur. 443

Caput II. Excutiuntur Bedæ loca Novi ab auctoribus dogmatis pro se allata. Tum Anselmi; quo iidem nituntur. Ex hujus occasione de libertate, et ei opposita de necessitate diligentius agitur. Hanc vero, de qua Patres loquuntur, non libertati, sed spontaneæ libertati, quod est τὸ ἑκούσιον, repugnare. Cur de hoc solo genere necessitatis Patres fere loquantur. 447

Caput III. Ex superiori disputatione de necessitate, et coactione, colligitur vera et germana mens Anselmi, a qua Novos aberrasse Dogmatistas ostenditur. Quomodo Christus non potuerit velle mentiri. Duplex ab Anselmo constituta necessitas, et impossibilitas, antecedens, et consequens. Hanc solam cum libertate cohærere, non priorem, ab eodem censeri. Ex quo Novæ opinionis præstigiæ discutiuntur. Laus proprie liberam alterutrius eligendi potestatem sequitur, ut et meritum. 452

Caput IV. Quatenus potestas peccandi ad libertatem pertineat. De laude accuratius agitur. Eam solis actionibus, vel propter eas tribui, nec nisi libera ex voluntate profectis, quæ utriusvis eligendi potestate prædita sit. Fucus, et inscitia Novorum Dogmatistarum. Quomodo, et quibus de rebus laus Deo conveniat. Nempe ob ea duntaxat, quæ extra se libere facit. De Christi libertate obiter, deque ejus ἀναμαρτησίᾳ; quanam ratione libere hæc illi competat. Unde Nova Opinio de libertatis natura validissime convincitur. 457

Caput V. De Bernardi sententia; quem fautorem erroris sui novi dogmatistæ falso sibi vendicant. Explicantur illius loca, quibus isti male utuntur. Cur ab eo necessitas cogens opponatur libero arbitrio. Id eo facere ipsum, quod sit determinans ad unum. Et agitur ea occasione paululum de violento, et coacto; idque, quale sit in rebus moralibus, exponitur; quinam appetitus voluntatem cogere dicatur, ex Scriptura, et Bernardo declaratur. 463

Caput VI. Bernardi mens accuratius illius ex dictis exprimitur super arbitrii libertate. In hac duo ab eo spectari: alterum proprium intellectus, quod est arbitrium : alterum voluntatis, quod est liberum. Quinam necessitas libertati contraria sit. Naturalem necessitatem nullo modo dici violentam; nec hujusmodi a Bernardo intellectam fuisse. Quo sensu libertas *inamissibilis* ab eodem dicta sit. Varia ejus dicta de libertate voluntatis. 467

Caput VII. Proponuntur, atque explicantur argumenta omnia, quæ ex Bernardi sententiis novi Dogmatis antistites objiciunt. Quatenus in Angelis liberum sit arbitrium. Rursus de necessitate cogente, et violentia. Adstruitur ex eodem Bernardo vera et communis libertatis notio. De triplici ab eo constituta libertate, a peccato, a miseria, a necessitate. Non in eo, quod possit, sed quod velit, positam esse libertatem voluntatis; expenduntur corollaria ex Bernardo perperam collecta ab Novis Theologis. 473

Caput VIII. De Hugone S. Victoris ad Lutetiam Cœnobita, cujus testimonio perperam utitur Novi propugnator Dogmatis. Contra quem primo constituitur ratio libertatis, et actionis liberæ, necnon necessitatis et violentiæ. Tum Hugonis loca declarantur; atque ex iisdem, aliisque communis et vera confirmatur opinio. 479

Caput IX. De Richardi Victorini sententia, et dictis, quibus novo dogmati suffragari videtur. Demonstratur falsos eos esse, qui in partes suas invitum illum pertrahunt, ut pote qui de libero arbitrio sane, ac recte senserit. Illustrantur ejus verba. De Magistro Sententiarum, cujus loca quædam explicantur. Recte illum, atque ex communi sensu de libertate statuisse. 483

Caput X. De Guilielmo Parisiensi. Ostenditur communem ab eo defendi notionem libertatis arbitrii, et quidem Philosophis ethnicis consentaneam. Tum loca omnia ex illo sumpta declarantur. Necessitas cujusmodi ab illo constituta est, quæ cum libertate consistit. Absurda novorum dogmatistarum argumentatio ex divina voluntate petita. De fatali necessitate, quatenus ab libertate dissidet, aut cum ea conciliari potest. 487

Caput XI. De *indifferentia* voluntatis, in qua libertas posita dicitur. Ea duplex constituitur : una quæ essentiam illius continet, et *electionis* vocatur : altera *propensionis*. Determinatio itidem duplex. Ex quibus novorum dogmatistarum calumniæ diluuntur. De libertate *contrarietatis*. Indifferentiam non pertinere ad libertatem, falso ab novi patronis dogmatis argumento colligi. 493

Caput XII. Quæ contra novum commentum libertatis pro catholica sententia objici solent, ea perperam eludi ab Adversariis. Mira repugnantia dictorum novi dogmatistæ, et ut suam ipse sententiam evertat, dum ait, libertatem Viatorum cum indifferentia ad utrumvis agere. Multiplex ejusdem cavillatio. Quomodo liber sit, et indifferens Deus. De indifferentia, et quid ea sit. Fucus novi dogmatistæ in eadem constituenda. 497

Caput XIII. De novis dogmatibus tam super arbitrii libertate, quam cæteris, Facultatis Theologicæ Parisiensis judicium. 506

APPENDIX AD LIBRUM II.

De Opificio sex dierum

SEU R. P.

ANTONII CASINI

e Societate Jesu

CONTROVERSIA.

De statu Puræ naturæ. 509

Articulus I. Utrum homini, ut homo est, amota Gratia, et peccato, bona illa generaliter debeantur, quæ Adæ culpa perdidimus. 510

ARTICULUS II. Utrum homini, ut homo est, remota Gratia, et peccato, debeatur Immortalitas. 516
ARTICULUS III. Utrum homini, ut homo est, sejuncta Gratia, et peccato, debeatur doloris Vacuitas. 522
ARTICULUS IV. Utrum eidem debeatur Ἀπάθεια, hoc est, ut vertit Hieronymus, Imperturbatio. 531
ARTICULUS V. Utrum eidem debeatur perfecta juris Naturalis notitia. 556
ARTICULUS VI. Utrum eidem debeatur Sanctitas, et alia dona huic proxime adnexa. 566
ARTICULUS VII. Utrum eidem debeatur perfecta beatitudo, seu regnum Cœlorum. 581

LIBER UNUS

DE PELAGIANORUM ET SEMIPELAGIANORUM HÆRESI

CAPUT I. Pelagii ortus, vitæ genus; an Chrysostomo, et Isidoro Pelusiotæ cognitus. De Cœlestio ejus discipulo; utriusque gesta, certamina, accusatio, damnatio. Diospolitana Synodus, deque Pelagio judicium. Augustini cum ambobus contentio. De Orosio, ejusque Apologia. De Herote, et Lazaro Pelagii accusatoribus. De Africano Concilio, in quo ad extremum damnatus est cum hæresi sua Pelagius. Zosimi Papæ res in causa illius hæresis gestæ. De Juliano, ejusque cum Augustino conflictu. 597
CAPUT II. De Pelagii dogmatibus. Quæ fuerit primigenia illius hæresis. Sex genera gratiæ ab illo constituta, quorum primum natura est, et liberum arbitrium. Novorum dogmatistarum astutia, qui inter Pelagiana decreta numerant liberi indifferentiam arbitrii. Quod illorum commentum arguitur, et obiter exponitur, in quo sita fuerit hæresis illa. 605
CAPUT III. De secundo gratiæ genere a Pelagianis constituto, quæ est peccatorum remissio. Disputatur quo sensu Pelagius eam gratis, ac non secundum merita dari dixerit. Rejiciuntur interpretandi varii modi ab novo dogmatista propositi. Maxime quod ait, Pelagium putasse, arbitrii integritatem imminutam esse post antiqua, et Patriarchica tempora. 610
CAPUT IV. De reliquis quatuor gratiæ generibus ex mente Pelagii, quæ sunt lex, sive prædicatio Christi, ejusdemque exemplum : tum interior mentis illuminatio. Item adoptio, ac filiorum status baptismo comparatus; ac postremo vita æterna. De tribus primis istorum, et duobus antecedentibus accurate disseritur; quatenus necessaria illa esse Pelagius putaverit. 618
CAPUT V. De sexto, et postremo gratiæ genere, quod est æterna vita. Quomodo Pelagius ab æterna salute cœlorum regnum distinxerit, et utrumque gratiam esse docuerit. De electione ad gloriam ex mente Pelagii difficilis enodatur quæstio. Duplicem ab illo electionem adstrui; unam ad gratiam, alteram ad gloriam. 621
CAPUT VI. De reliquis Pelagianorum dogmatibus. Originale peccatum ab illis sublatum. Infantes cur baptizandos censuerit. Adamum, nisi peccasset, moriturum fuisse iidem asserebant. Tum posse hominem, si velit, peccato omni carere. Qua ratione Pelagius hoc defenderit. Cœlestii decreta. De ἀναμαρτησία ab utroque constituta. Hominem ita perfectum posse esse dicebant, ut nihil opus ei foret petere, dimitti sibi peccata. Supervacaneas orationes pro infidelium conversione quatenus esse docuerint. Eorumdem ἀπάθεια. Ecclesiam in hac vita sine macula et ruga esse voluerunt. Legem veterem commendabant. Regnum cœlorum in eadem promissum esse dicebant. Negabant divites posse salvari. Necesse jurandum. Nestoriana hæresi infecti fuerunt. 625
CAPUT VII. De Semipelagianis, et eorum dogmatibus, præcipue circa gratiam Christi; non unum genus illorum fuisse : et alios aliis tolerabilius errasse; Cassianum vero omnium gravissime. De initio gratiæ, et voluntate credendi. Quonam pacto a Pelagianis dissideant. 631
CAPUT VIII. Qualem gratiam adversus Pelagianos, eorumque reliquias Augustinus, Prosper, et Catholici per illud tempus asseverarint. Eam fuisse, quæ non solum mentem illuminet, sed etiam voluntatem moveat. Pelagium agnovisse illuminationem intellectus, sed hanc gratiam putasse non esse necessariam. Quod ex Augustino probatur; et Augustini vicissim ex eo sententia. 637
CAPUT IX. Ex Semipelagianorum opinione, et Prosperi contra eos disputatione colligitur, gratiam Christi non in sola mentis illuminatione consistere, sed etiam in voluntis motione consistere. Tum ex Concilio Africano, et Arausicano. Rursum de Pelagianis ostenditur, eos interiorem agnovisse gratiam; ac nonnulla de illorum hæresi accuratius exposita. Respondetur iis omnibus, quæ ex adverso proponuntur. 643
CAPUT X. Colligitur ex antecedentibus, quæ fuerit Pelagiana, et Semipelagiana hæresis, et utriusque discrimen. Præsertim vero de Semipelagiana agitur, ac fide initiali, sive bona voluntate. Ostenditur, ex illorum mente meritum habuisse gratiæ, sed non perfectum, quomodo ea fides ab illis nuncupata sit. Explicatur ratio meriti perfecti, et inchoati. Quanam ratione citra opera reipsa edita, justificari tam ex fide, quam ex operibus dicantur homines, dum charitas in eorum cordibus diffunditur. An in sola mentis illuminatione Christiana gratia collocari possit. Moveri etiam ab illa voluntatem. Doctrina et suasio gratiæ declaratur. Qui sint gratiæ adstruendæ limites ab Ecclesia, et Apostolica sede constituti. Refelluntur hæretici, qui in Dordracenis Actis perperam Pelagiana dogmata describunt; et ab eorum calumnia vindicatur Bellarminus, et alii. 648

LIBER UNUS

DE CONCILII TRIDENTINI INTERPRETATIONE ET S. AUGUSTINI DOCTRINA.

Epistola ad amicum. 659

CAPUT I. Abbatis præscriptum de interpretandis concilii Tridentini decretis ex Augustini doctrina. Id imprimis refellitur ex concilii ipsius et Pii quarti sanctionibus. 661
CAPUT II. Refellitur eadem Epistolæ præscriptio altero argumento, quod Augustiniana doctrina non sit intellectu facilis, deque ea controversiæ plures exortæ fuerint. 662
CAPUT III. Augustini doctrinam neutiquam esse fautricem novæ factionis. Cujusmodi interpretem Augustinum esse statuat Tridentinorum decretorum abbatis epistola; idque rursus alio argumento confutatur ex eo quod Augustinus longe ætate synodum antecesserit. Diluuntur ea quæ in contrarium in epistola allata sunt. 664
CAPUT IV. Convelluntur deinceps firmamenta omnia quibus auctor epistolæ nititur ut ex Augustini doctrina probet interpretandum esse concilium Tridentinum. Cui ex adverso illud opponitur : ad Augustini sententiam multa Tridentinum addidisse explicandi gratia, quod exemplis aliquot approbatur. 667
CAPUT V. Secunda ἐπίστασις Epistolæ, quod multum Augustino tributum sit auctoritatis ab conciliis et Romanis pontificibus. Vana ex eo illius argumentatio dis-

pungitur. De Arausicana synodo ejusdem hallucinatio, tum de Cœlestino deque synodo quinta. Augustini dogmata omnia non probari ab Ecclesia, ac nonnula rejici. Explicatur perdifficilis ejusdem Augustini locus. 668

Caput VI. Tertia consideratio abbatis, quod Augustinianæ doctrinæ partes sic inter se cohæreant, ut una admissa, reliquæ sequantur omnes. Æstus et repugnantia dictorum in epistola, tum calumniosa ratio qua doctrinam Augustini de prædestinatione pari loco habet ac quæ de gratia ab illo disputantur, et ad fidem pertinere putat. 671

Caput VII. Expenditur catena illa Augustinianam doctrinam colligans, quam perperam interpretatur epistola. Semipelagianorum error in illa notatus: tum calumnia in catholicos ab illa conjecta falso. Probatur ex concilii Tridentini doctrina voluntatem hominis libere se determinare, et quo id sensu dicatur. 673

Caput VIII. Epistolæ gravis et hæreticus error excutitur, nullam esse Christi gratiam nisi efficacem, id est operis efficientem, cujus firmamentum evertitur, Apostoli locus perperam accommodatus ab epistolæ scriptore; cujus intolerabilis hallucinatio indidem detecta, ex qua sequitur solos prædestinatos affici gratia Christi. 675

Caput IX. De Christi generali voluntate omnium salvandorum Epistolæ falsa sententia.. Tum de vana et ludicra Augustinianæ doctrinæ connexione in eadem epistola proposita. 677

Caput X. Augustini doctrina perperam intellecta ab Epistolæ scriptore. De gratia solis electis peculiari agere sæpius Augustinum, cum de ea disputat quarta et postrema Epistolæ consideratio discutitur. 679

Caput XI. Multa Epistolæ errata reprehenduntur, et illustratur Augustini doctrina, quam illa perperam interpretatur. De gratia prædestinatorum propria. 680

Caput XII. Epistolæ pars altera confutatur, in qua concilii Tridentini canonem quartum sessionis sextæ, nova interpretatione depravat illius auctor. Quæ primum explicatur, deinde refellitur, quod sit absurda, nec cum verbis decreti congruat, imo Luthero inexpugnabilem respondendi rationem suppedidet. 682

Caput XIII. Nonnulla per saturam in Epistolæ parte altera notantur absurde dicta. Calumnia ejusdem in explicanda libera potestate, et deinceps aliæ similes. Tridentinæ doctrinæ inepta declaratio ab eadem adhibita. 684

Caput XIV. Prosperi locus ridiculum in sensum acceptus ab Epistola. De duplici gratia inutilis ejusdem observatio. Falsa item expositio Tridentinæ doctrinæ. 686

Caput XV. Tridentinæ doctrinæ sensus ex expositione eorum qui concilio interfuerunt, eruitur; ac primum ex Dominico Soto qui communi sententiæ suffragatur. Tum ex Andrea Vega. 688

Caput XVI. Francisci Horantii et Ambrosii Catharini de libertate hominis et gratia judicium. 691

Caput XVII. Covarruvias de libero arbitrio et gratia contra ac novi dogmatistæ sentiens. Item Alphonsus Salmero. 692

Caput XVIII. Joannis Eckii de eodem argumento sententia, novis dogmatistis contraria. Quid de Philippo Melancthone referat, qui, et rejecta Lutheri opinione de libero arbitrio, catholicam secutus est, idque Stanislai Hosii testimonio comprobatur. Unde Tridentini concilii interpretatio colligitur. 693

Caput XIX. De Joanne Fischero Roffensi episcopo, Alphonso a Castro, Joanne Driedone, Ruardo Tappero, qui omnes Iprensibus contradicunt. 695

Caput XX. De Gaspare Cantareno, et Joanne a Bononia, qui eamdem doctrinam contra novos dogmatistas tuentur. 697

Caput XXI. Didacus Stunica, Stapleto et Senonense concilium Iprensem errorem condemnant. 698

Caput XXII. Epilogus : in quo de epistolæ scriptoris, adeoque novorum dogmatistarum secta observatione dignum, et catholico cuivis apprime necessarium judicium fertur. 699

FINIS TOMI QUARTI.

SAINT-QUENTIN. — IMPRIMERIE JULES MOUREAU, GRAND'PLACE, 7.

3 5282 00173 4675

DATE DUE

BX1750
P48
1865x
vol.4

STACKS q BX1750.P48 1865x vol. 4
Petau, Denis,
Dogmata theologica Dionysii Petavii
3 5282 00173 4675